CHURCH
Ornaments, Vestments,
BOOKS,
MILWAUKIE,
WIS.

mdg
map

Intellegere means to read inwardly
Realities is the same. the former
from intus and legere

Proxima regula fidei est ecclesia
Remota " " est scriptura sacra et traditio Jany 7 Ly 69

Ens

Legislative
Judiciary } every well established society and so the
Executive } Church of God

"The Church which is in Babylon elected together, saluteth you; and so doth my son Mark" 1 Peter V. 13.
Babylon the great of the Assyrians had long since fallen and Babylon in Egypt was a very insignificant place which Peter never visited see "Evidences of Catholicism" Spalding 360

See Eusebius - Church History
B. II. C. XV

Martin Connolly

P

Martin Connolly

Rec'd — — Jany 10th 1869

Commenced Dogma
29 Oct '68

Salesianum Milwaukee

Mirabile Dictu.

Commenced Dogma 29th Oct 1868 and
finished in class 22 " " 1870.

Deo Gratias.

N. 2.8.5

Ens infinitum est possibile. Est Major

Atqui, si ens infinitum realiter non existeret, non esset possibile [illegible] in Ontologia No 81. Ubi possibilitas entis infiniti [illegible] et ergo habeamus frequenter ideam

Minor probatur. viz: Ens infinitum non esset possibile, si realiter non existeret.

Illud non est possibile quod non potest concipi existens absque repugnantia. Atqui si Ens infinitum realiter non existeret non potest concipi existens absque repugnantia. Ergo.

Nam, ut conciperetur existens, deberet concipi transiens a non existentia ad existentiam, eo ipso conciperetur contingens. nec jam esset ens infinitum [illegible] necessarium.

Ergo. Vide IInd Vol Magnier 149 No 72

In ente necessario, a possibili ad actum valet consecutio. Sed non de aliis entibus. Ab actu ad posse quidem valet consecutio. vide IInd Vol Mag. 77 No 141 and 142.

PRAELECTIONES THEOLOGICAE

QUAS IN COLL. ROM. HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

AB EODEM IN COMPENDIUM REDACTAE.

PRAEMISSA EST EJUSDEM HISTORIAE THEOLOGIAE CUM PHILOSOPHIA COMPARATAE SYNOPSIS.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
P429
Alma, California

EDITIO XXVII. RATISBONENSIS II.

...ISSIMI CL. AUCTORIS CURIS ORNATA ET AUCTA.

Property of
Clea
Please return to
Graduate Theological
Union Library

VOLUMEN I.

Vol 2 afterp644

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

RATISBONAE MDCCCLVI.

SUMPTUS FECIT G. JOSEPHUS MANZ.

8989

XIII.2.3.

Property of
Please return to
Graduate Theological
Union Library

HISTORIAE
THEOLOGIAE
CUM
PHILOSOPHIA COMPARATAE
SYNOPSIS.



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/praelectionesthe0001joan

LECTORI BENEVOLO.

Qua fide promissi nos lectoribus obstrinximus, eam lubenti animo persolvimus. Ad opus hoc ineundum nos vehementer sapientium hortatus impulere, qui, cum perspicerent, non ita paucos juvenes, qui in spem ecclesiae adolescunt, nostris *Praelectionibus* absolvendis temporis angustiis praeimpeditos, impares esse, nobis auctores fuere, ut, quae fusius de re theologica disseruimus, paucis contraheremus. Quod dum aggrederemur, has leges sancte integreque servandas nobis proposuimus: 1°. ne quid e rei substantia detractum foret; 2°. ut perspicuitati, quantum in nobis situm est, serviremus; 3°. ut cupientes sitim pleniore haustu restinguere ad nostrarum *Praelectionum* fusiores tractatus evolvendos remitteremus; 4°. ut ordinem eumdem, qui in *Praelectionibus*, methodum eamdem, quae in illis, servaremus, ita ut partes partibus, tractatus tractatibus, theses thesibus, fideles respondeant; sicque omnis inveniendi labor imminuetur. 5°. Ad haec, quae recentius ab editis *Praelectionibus* in vulgus tum e catholicorum tum e religionis osorum scriptis prodierunt, operae pretium duximus inserere. 6°. Quae satius ad scientiae theologicae utilitatem facerent, in melius commutavimus. Novissime historiae theologicae cum philosophia ad haec usque tempora comparatae summam seu synopsin praemisimus, quae tyrones in scientiae penitiores recessus manu veluti duceret. Quocirca in spem adducimur, fore ut ab hoc opere compendiorum absint incommoda, nec in eo nova, et quae potioris momenti sunt, desiderentur.

HISTORIAE
THEOLOGIAE
CUM
PHILOSOPHIA COMPARATAE
SYNOPSIS.

---

1. Uti natio nulla est, hominumque societas nulla ordine certo constituta arctisque devincta legibus, ita etiam nulla scientia est aut disciplina, quae suam non habeat, aut certe habere non possit historiam; quandoquidem quae in humanis consociationibus amplam ad narrandum materiam praebent, ortus videlicet et progressus, secundae res et adversae, incrementa et damna, interitus vel instauratio, eadem plane solent scientiis disciplinisque contingere, non ipsa excepta scientiarum omnium domina ac principe Theologia. Quamquam enim hujus principia et rem subjectam (objectum vulgo nominant) hominibus Deus ipse tradiderit, ac nulli proinde mutationi subesse possint, id tamen, quod eam efficit scientiam, cum humanae sit opus industriae, humanarum rerum vicissitudines et ipsa experiatur necesse est.

Hujus porro nobilissimae scientiae historiam suis derivatam fontibus et apto ordine sollertique philosophicae mentis acumine digestam contexere, arduum, si quod aliud, opus esset, quod expetitum quidem a pluribus, nondum tamen a quopiam praestitum est. Nos, multorum exhortationibus excitati, suprema hic ejusdem veluti lineamenta ducemus: tum ut aliquam tironibus utilitatem afferamus, tum etiam ut doctorum hominum acuamus industriam, et quod vix leviter a nobis est adumbratum, plenius illi et ornatius exprimant atque perpoliant.

2. Quoniam vero ex Theologiae notione ejus historia dependet, idcirco eam praemittimus, ut viam rebus dicendis munianus. Ergo *Theologia*, uti nativa vocis significatio declarat, est *sermo institutus de Deo*, sive in se spectetur, sive in rebus creatis, prout ad illum quacumque ratione referuntur.

Cum porro natura aut revelatione aut fide inniti possit, *naturalis* aut *supernaturalis* audit. Nos de supernaturali tantum sermonem habemus. Rursum: cum Theologia haec pro objecto habere possit veritates mere speculativas, ac veritates practicas, bifariam distinguitur in *theoreticam* et *practicam*, seu in *dogmaticam* ac *moralem*, quarum altera res credendas, altera applicationem continet veritatum credendarum ad actiones. De theoretica hic agimus, quae pariter dividitur in *positivam*, quae complectitur expositionem dogmatum eorumque vindicias, et in *speculativam* (*scholasticam* veteres nuncuparunt), quae speculatione se attollit ad penitiorem dogmatum investigationem, nexus exponit consecutionesque deducit, quae in illis delitescunt, ac etiam attingit evectionem fidei ad intelligentiam, seu intimam, qualis obtineri mysteriorum potest, cognitionem et scientificam, ut ita dicam, dogmatum enunciationem.

3. Quocirca *Theologia* ex praemissa notione *ea scientia est, quae versatur tum circa principia fidei, tum circa eorumdem scientificam evolutionem.*[1]

4. Bifariam vero distinguuntur ejusmodi principia, in generalia videlicet et in particularia. *Generalia*, quae et alio nomine *fundamentalia* vocantur, constituuntur ex ipsa divina supernaturali revelatione atque ex mediis, quibus divina haec revelatio innotescit, et ad nos usque in sua integritate pervenit. *Particularia* sunt dogmata singula fidei, qualia ab ecclesia proposita sunt ac definita.

5. *Generalia principia* adstrui ac vindicari debent adversus infideles et incredulos, deinde vero adversus heterodoxos in universum. *Particularia* autem adversus haereticos seu acatholicos singillatim, prout scilicet aliquod catholicorum dogmatum, aut plura etiam ab unaquaque secta impugnantur.

6. Ex his pronum est inferre tria in Theologia dispesci debere: rem scilicet seu essentiam doctrinae divinitus revelatae; expositionem ejusdem doctrinae scientificam; methodum demum, multiplicemque viam istiusmodi expositionis.

7. Doctrinae theologicae, ut ita dicam, *fundus*, seu res et essentia a divina revelatione repeti unice potest, eaque proinde in se immutabilis est; complectitur enim dogmata, quae Deus ipse manifestavit, quamvis nonnisi data opportunitate aut necessitate cogente, certis dicendi formulis, labentibus saeculis, ab ecclesia proposita fuerint. Dogmata porro, quae divina

[1]) Egregie inter ceteros hoc argumentum tractant Melchior Canus, *De locis*, lib. XII. cap. 1; Petavius in *Prolegomenis* totis novem capitibus; Jos. Gauthier in *Prodromo ad Theologiam dogmatico-scholasticam*. Diss. I. cap. 1. art. 1 et seqq.

continentur revelatione, non omnia ad ordinem, qui supra naturam sit, pertinent; plura siquidem praeterea sunt, quae naturae rationalis ambitu continentur, quaeque absolute cognosci possent investigationis ope naturalibus praesidiis suffultae, ac iisdem certe vindicari. Fides tamen utraque complectitur, parique intellectus ac voluntatis assensu ob Dei revelantis auctoritatem firmiter sunt tenenda.

8. Cum igitur fides *objectiva*, de qua loquimur, ratione originis ex qua dimanat, discriminetur ab humana scientia, quae immediate a ratione profluit, hinc fit, ut supernaturalis fides, quaeque huic innititur Theologiae scientia, nunquam confundi possit, neque unum idemque esse cum philosophia, quatenus haec in sua notione humanae mentis seu rationis opus ac fructus est.

9. Ratio tamen in homine est, quae divinae gratiae ope collustrata atque adjuta, fidem divinam suscipit; quo fit, ut ista ex mere objectiva, *subjectiva* reddatur. Exinde arctissimus ille exsurgit nexus atque illa relatio, quae intercedit inter rationem et fidem, qua altera alteri luci ac subsidio est. Etenim cum fides credenda proponit, ratio expendit motiva, ob quae eam uti divinam revelationem agnoscere debeat, ac generali saltem quodam expendit examine, num quae fides proponit, iis repugnent, quae ipsa cognoscit vi naturalis luminis; atque hoc quidem unice versari examen potest circa dogmata, quae diximus, naturae rationalis limites non excedere; nam quae alterius seu superioris ordinis sunt, ac *superintelligibilia* dicuntur, cum attingi in se ab humana mente nequeant, satis est, quod nulla unquam in illis vera repugnantia positive queat demonstrari. Ratio autem per fidem perficitur; problemata quae sibi permissa aut aegre solummodo et imperfecte, aut nulla fortasse ratione solvere poterat circa Deum, mundum ac hominem, facile attingit: ejus dominium amplificatur atque protenditur, impulsionem sentit ad difficiliorum investigationem pertentandam. Vices deinde fidei reddit, dum adnititur ejus ingredi penetralia, scientifice veritates, quas accepit, expendere, nexus illarum ostendere, eas suasibiles reddere, systema ex illis universum efficere, aliaque ejusmodi moliri, quibus, quoad ejus fieri potest, intelligentiam fidei nanciscatur.

10. In hujusmodi historica expositione mutuae relationis ac evolutionis duorum, ut ita loquar, elementorum, divini et humani, ex quibus christiana constat Theologia, tota sita erit synopsis haec nostra. Ex ea enim patefient initia, progressiones, conflictus, phases variae, quas scientia nostra comparata cum philosophia, a qua divelli nequit, diversis temporibus variisque sub conditionibus subiit.

11. Atque exinde fit, ut eam hoc sub adspectu in varias distribuere epochas debeamus, quarum 1ª. ab aetate apostolica usque ad controversiam se porriget arianam; 2ª. ab hac se extendet usque ad s. Augustinum; 3ª. totum illum complectetur tractum, qui ab Augustino ad s. Anselmum profluxit; 4ª. longam scholasticam periodum exhibebit, quae a s. Anselmo se protendit usque ad concilium tridentinum; 5ª. a concilio tridentino usque

ad kantianam philosophiam; 6ª. denique a philosophia kantiana ad nos usque. Motiva ac fundamenta hujusce distributionis ex dicendis patefient.

12. Ordientes ergo ab epocha prima, quae aetate coepit apostolica, seu a christianae doctrinae in mundum introductione, nonnulla praemittamus necesse est de statu philosophiae, quae in ethnicismo vigebat, ut inde melius innotescat, quid illa in mundum intulerit, quidque primi ecclesiae patres praestiterint.

13. Jam vero tametsi quovis tempore nonnulli extiterint, qui philosophiam coluerunt, haec tamen ad culmen suum in Graecia pervenerat opera Platonis, Aristotelis atque Zenonis. Exinde vero coepit imminui philosophiae progressus, ejusque investigatio languescere, adeo ut, quo tempore christiana apparuit religio, prope jaceret. Veteri dogmatismo antiquae academiae, stoicismi ac peripatus nova academia, quae semiscepticam indolem prae se ferebat, acre bellum indixit; Epicuri doctrinae haud parum tum in Graecia tum Romae cum neoacademicorum placitis dominabantur. [2] Haec porro omnis sive vetus sive recentior Graecorum ac Romanorum philosophia, quod spectat ad polytheismum ac idololatriam ubique dominantem, nunquam plane se sollicitam praebuit. Ejus vis tenuis ac pene nulla erat, quod ad homines attinet perficiendos; quin potius invicem dissociabat atque sive ob intestinam aut externam doctrinarum pugnam, sive ob animi dubitationem atque etiam apertam *σκέψιν*, in quam saepe saepius dilabebatur, impar penitus erat humanitati excutiendae. Nullum definitum habebat scopum, nullum finem, ad quem hominem eveheret. Licet vero in nonnullis veritatem detexerit aut agnoverit tum circa Deum tum circa hominem, haec tamen veluti disjecta membra jacebant, centro ac unitate destituta; illius studium ad humanas potius mentes excolendas quam perficiendas conferebat; quo sensu ab aliquibus etiam inter patres dictum est, eam fuisse veluti praeparationem quamdam ad christianismum. [3]

14. In ejusmodi rerum adjunctis christiana demum religio affulsit, quae doctrinam suam detulit e coelo. Haec sola vere solvit problemata, quae sibi antiqua philosophia proposuerat, quin iis solvendis par fuerit. Docuit enim hominem, quae vera sit ejus ac mundi origo, qui supremus utriusque finis, ac relationes hominis ad Deum creatorem suum, viamque tutam humanitati commonstravit ad finem suum assequendum, qui in aeterna beatitate sive unione aeterna cum Deo consistit.

15. Doctrina isthaec foecundissima fuit, siquidem novam societati vitam communicavit, odia, quibus sese mutuo nationes prosequebantur, extinxit, ut ex humano genere universo unicam veluti coaugmentaret familiam, impul-

[2]) Cf. Tennemann, ***Manuale Historiae Philosophiae***, Lipsiae 1825. part. I. period. 1. sect. 3. *De propagatione et casu graecae philosophiae;* Ritter, *Hist. de la philosophie ancienne;* trad. franç. de M. C. J.; Tissot, tom. IV. liv. III. chap. 3. pag. 559 et seqq. Paris 1837.

[3]) Cf. Ritter, *Histoire de la Philosophie chrétienne;* trad. de J. Trullard, tom. I. liv. I. chap. 1. *Introduct.* Paris 1843.

sionem vehementissimam dedit ad virtutem omnigenam, amplificavit perfecitque philosophiam, quae se auctoritati fallere et falli nesciae tutandam regendamque permittens, longe securior incessit, et ulterius, quam ante, progressa est.

16. Ac principio quidem, cum praedicari uti divina revelatio christianismus coepit, debuit *probari* non modo notis seu signis supernaturalibus, verum etiam coram ratione a philosophis exculta. Id autem factum est ope primorum Patrum, quos apostolicos vocamus, deinde vero per eorum successores, licet diversa ratione, diversoque gradu. Etenim ab initio Patres contenti magna ex parte fuerunt nudam tradere, ut ita dicam, christianam doctrinam, qualem ab Apostolis acceperant; eam ut plurimum juxta peculiarem providentiae ordinem, populo proposuerant, qui nihil ulterius inquirens lubenti et grato animo eam amplexus est, utpote quae plene cunctis indigentiis suis satisfaceret. [4] Praemunire nihilominus debuerunt fideles adversus gliscentes haereses, quae praecipue personam Servatoris petebant. Pauca ipsi scripta ediderunt, eaque epistolae plerumque forma. Talia sunt epistolae s. Clementis romani, s. Barnabae, Hermae, qui opus suum inscripsit: *Pastor;* nec non epistolae s. Ignatii antiochensis, epistolae s. Polycarpi, acta s. Ignatii. Quae collegit inter ceteros Cotelerius una cum aliis illius aetatis scriptorum fragmentis. [5]

17. Cito tamen ex ordine seu coetu inferiori ad superiorem pervenit christiana religio. Prout vero diversa ratione comparati animo erant sapientes illi, quibus ea annunciata est, diversas immo contrarias semitas iniverunt. Qui enim sincere veritatem consectabantur, illico fidem amplexi sunt, ac philosophiam, in qua fuerant instituti, in christianismum secum intulerunt, eaque optime usi sunt tum ad tuendam tum ad evolvendam religionem, quam erant professi. Inter quos celebres extiterunt auctor epistolae ad Diognetum [6], s. Justinus, Tatianus licet postea ab orthodoxa fide desciverit, Athenagoras, s. Theophilus antiochenus, Hermias, Quadratus, Aristides, Castor, Ariston, aliique magno numero. [7] Qui vero aliter dispositi erant, vel christianam religionem impugnarunt, vel ficto animo susceperunt. Exinde lucta illa coepta inter christianam fidem et philosophiam

[4]) Möhler, la *Patrologie,* trad. de J. Cohen, tom. IV. part. I. *Les Pères Apostoliques,* pag. 57. Paris 1843.

[5]) *Sanctorum Patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt,* 2 vol. fol. Antwerp. 1698. Hoc ipsum deinde praestitit Lumper in sua *Historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina sanctorum Patrum trium priorum saeculorum,* part. I. *continens Patres apostolicos.* 13 vol. in 8°. Augustae Vindelic. 1783. Praeter Gallandi in sua *Bibliotheca Patrum,* Venet. 1765—1781. qui collectionem Cotelerii pluribus additionibus ditarunt.

[6]) De praestantissimae hujus epistolae auctore, qui a Dupinio, Ceilliero, Labbaeo, Sculteto, Halloixio, Nat. Alexandro, Fleurio, creditus Justinus est, cf. praeter Maran, in *Praef. ad op. S. Justini,* part. III. cap. 3. §. 5. et Lumper, op. cit. in *Hist. Patr. apost.* pag. 183—195., Möhler, op. cit. tom. I. pag. 178 seqq. ubi accurate de eo disserit.

[7]) De quibus omnibus singillatim agunt citt. auctores praesertim Lumper ac Möhler.

ethnicam, quae usque eo perduravit, donec plenum christiana fides de ea triumphum retulerit. [8]

18. Haec oppugnatio, quae universum christianismum adorta est, impulit memoratos scriptores ad exarandas apologias quibus, dum susceptam tuebantur fidem, ejusdem expositionem philosophice ac scientifice complectebantur. Vanitas polytheismi ac idololatriae in his atque impietas deteguntur. Mundi origo, hominis libertas, ejusdem casus ac reparatio per Verbum in eisdem adstruitur. [9] Ita porro ea scientiae theologicae pars, quae *Apologetica* dicitur, prima omnium tractari coepit, eaque etiam, ecclesiae pace restituta, vehementer excoli ac perfici ab illustribus scriptoribus non destitit, inter quos Eusebius caesariensis eminet celeberrimis illis binis operibus *De Praeparatione* ac *Demonstratione evangelica.* Ad haec etiam referri possunt ejusdem *Chronicon* atque *Historia ecclesiastica,* cujus merito uti parens censetur.

19. Sed praeter ethnicorum aggressiones acerrimum alia ex parte in Christi religionem bellum paratum est, ab iis nimirum, qui elementum divinum per philosophiae ethnicae principia temerare connisi sunt, dum revelationem divinam aut confundere, aut exponere, aut subjicere etiam elemento humano seu philosophiae pertentarunt, quam secum in christianismum asportaverant. Hujusmodi fuerunt *gnostici,* quos jure *protestantes* priorum saeculorum vocaveris, qui christianismum penitus temerarunt, ac vix paganum non effecerunt; adversus quos cum dimicare Patres debuerint, exinde alia Theologiae pars, *polemica* nempe, suum habuit ortum, maximeque provecta est.

20. Gnosticismus multiplex extitit. Ejus vestigia jam reperiuntur in Simone Mago, haereticorum omnium parente, et in Menandro. Ortum suum habuit *ex Orientalismo* et *Hellenismo.* [10] Omnibus porro gnosticorum familiis commune fuit principium emanatismi. Prout tamen alterutri memoratae philosophiae magis fuerunt addictae gnosticae sectae, aut dualisticum aut idealisticum systema professae sunt. Dualismum orientalem consectati sunt Saturninus, Basilides, Marcion, Manes cum multiplici ejus sobole; adhaeserunt Hellenismo Valentinus ac progenitae ab eo sectae usque ad Marcum,

[8]) Extremas philosophiae paganicae reliquias sustulit imp. Justinianus, dum edicto dato ann. 529. scholas Athenarum clausit, ut refert Jo. antiochenus cognomento Malala in *Historia chronica,* lib. XVIII. pag. 287. Oxon. 1691.

[9]) Cf. Ritter, op. cit. *Hist. de la Philosophie chrétienne,* tom. I. liv. I. chap. 3. Plura tamen in hoc opere inveniuntur, in quibus nimis suae sectae praejudiciis auctor indulget.

[10]) Fuse ac erudite de gnosticismo egit Massuetus in Diss. 1. Irenaica *De haereticis,* quos lib. primo recenset Irenaeus; item Tillemontius in *Mémoires pour servir à l'Hist. eccl*ès. Paris 1701. tom. II. in variis articulis. Cf. etiam egregium opus: *Histoire de l'Éclectisme Alexandrin,* par M. l'abbé I. M. Prat, Paris 1845. tom. I. liv. I. chap. 3 seqq., et, qui copiose de hoc argumento scripsit, Caj. M. Travasa in sua *Storia critica delle vite degli eresiarchi* del. I, II et III *secolo della Chiesa.* Venez. 1752. Quinque vol. in 8°.

Ptolemaeum et Heracleonem. Hi praeter principium emanationum introduxerunt idealismum ac pseudo-mysticismum. Doctrinam catholicam de creatione, de mundi ac hominis fine, ac redemptione innumeris pene commentis everterunt. [11] Praeter enumeratas gnosticorum classes alia recensetur judaizantium, quales fuerunt ebionitae ac cerinthiani, qui orientalium gnosticorum doctrinas cum judaismo et christianismo commiscuerunt. [12]

21. Adversus gnosticismum insurrexerunt Irenaeus ac Tertullianus, qui catholicam doctrinam quoad recensitos articulos clarissima in luce collocarunt, ad eamque tuendam proclamarunt principium traditionis uti fidei regulam adversus haereticos omnes praeteritos, praesentes ac futuros. Hanc traditionem praecipue constituerunt in actuali ecclesiae magisterio, cujus centrum sit ecclesia romana, prout mirifice a s. Irenaeo [13] ejusque discipulo Hippolyto martyre traditum est. [14]

22. Interim Alexandriae schola catechetica in catechumenorum ac neophytorum commodum instituta est, quae deinceps opera praesertim Ammonii Saccas ac Pantaeni, qui ex stoicismo ad christianam fidem conversi fuerant, elevata est ad scholam philosophicam. [15] Clemens alex. et Origenes in ea excelluerunt. Ab his philosophia *eclectica christiana* ortum habuit. Clemens praeter plura opera quae deperdita sunt [16], scripsit *Exhortationem ad Graecos, Gnosticum* et *Stromata.* In his commendat quidem philosophiam antiquam uti Dei donum ac veluti praefationem ad evangelium; illam tamen bene multis fuisse infectam erroribus profitetur, illique longe praefert cognitionem, quam praebet fides, ita ut intelligentia, quae ex ea profluit, supremus gradus sit ad quem evehi possit homo. Polemica ejus scripta sunt, quibus impugnat hellenismum evolvitque principia christianae fidei de Deo, mundo ac materia, de perfecta Dei per Verbum revelatione, de elevatione animi supra mundum sensibilem usque ad Dei visionem, de institutione animae, ac demum de mundi fine. Immensam ubique eruditionem patefacit, et quamvis nimium mysticum sensum in Scripturis consectetur, ubi tamen haereticos adoritur, sensum litteralem ac historicum urget. [17] In philosophia vero longe abest ab haesitationibus Platonis atque a pseudo-mysticismo scholae neoplatonicae, quae deinceps opera praesertim Plotini instituta est, et a gnosticis frequentata. [18]

23. Ab eo in non paucis deflexit Origenes ejusdem discipulus. Ipse

[11]) Cf. Ritter, op. et loc. cit. cap. 2.

[12]) Katercamp, scriptor apprime catholicus, in sua *Hist. eccles.* hunc gnosticiscum designat sub nomine *Syncretismi judaico-gnostici*, periodo I. part. I. sect. 2. §. 19. Münster 1823.

[13]) Cf. Möhler, op. cit. tom. I. part. II. pag. 367. *Doctrine d'Irénée;* nec non Prat, *Hist. de s. Irénée,* Paris 1843. liv. VI. chap. 5.

[14]) Cf. Möhler, op. et loc. cit.

[15]) Cf. Eusebium, *Hist. eccles.* lib. VI. cap. 19; et lib. V. cap. 10. ed. Vales.

[16]) Horum catalogum post Lumper texuit Möhler, op. cit., qui et superstitum accuratam analysin praebet.

[17]) Cf. Möhler, ibid. tom. II. §. *Écrits.*

[18]) Cf. Ritter, op. cit. liv. IV. chap. 1.

enim philosophiae ope systema christianae fidei dogmatum conficere adnisus est, iisdem philosophiae graecanicae principia, quibus fuerat institutus, permiscere ac inserere voluit. Atque hinc factum est, ut in non paucis a fidei puritate desciverit, ac heterodoxiae maculam contraxerit. [19] Quod maxime effecit in celebri opere *Περὶ ἀρχῶν* seu *De principiis*, in quo haud pauca intexuit, quae jure eum in suspicionem vocarunt. Haec fere sunt, quae spectant ad poenarum aeternitatem tum hominum tum daemonum; ad originem animarum, ad futuram corporum resurrectionem, aliaque hujus generis. [20] Quod vero attinet ad perfectam Filii cum Patre aequalitatem, alii erroris Origenem incusant, alii absolvunt. [21] Caeterum ipsemet Origenes uti valde imperfectum opus istud spectavit, pluresque propositiones improbavit in eo contentas. Optime vero meritus Origenes est de critica biblica et exegetica. Innumera pene scripta exaravit, quorum minima pars ad nos usque pervenit. [22] Haereticos aetatis suae plane contrivit, ac specimen demonstrationis completae de veritate et divinitate christianismi nobis reliquit in celebri opere *Contra Celsum epicureum*. Ejus methodum expositionis plerique Patres, graeci praesertim, consectati sunt. Principium seu elementum christianum jugiter in ipso dominatur. Quamvis vero in suis inquisitionibus plura videatur habere communia cum iis, quae postea Plotinus fundator neoplatonismi seu eclectismi alexandrini secutus est, attamen quoad principia, ut ita dicam, cardinalia longe differt Origenis doctrina a neoplatonismo. Etenim neoplatonici Plotinus et Proclus sub nomine *Triadis* larvatum pantheismum contexuerunt; substituerunt item creationi pantheismum realem; ac pro unione cum Deo mystica et spirituali posuerunt confusionem totalem animae cum Deo, seu absorptionem et annihilationem animae in divinitate, quae demum quoad substantiam doctrina philosophica Indorum est. Ab his perpetuo abhorruit Origenes. [23]

24. Origenes plures nactus est admiratores ac adversarios acerrimos. Plerique illustriores Patres saec. III. Origenem suspexerunt, demptis tamen ejus erroribus. Et quamquam nonnullae formulae minus exactae interdum circa Verbum in eorum scriptis reperiantur, quae origenianae sunt, in Gregorio praesertim Thaumaturgo nuncupato, et in Dionysio alexandrino, hae tamen alibi ad sanum sunt revocatae sensum [24], uti ex hujus

[19]) Cf. Baltus, ***Défense des Pères accusés de platonisme***, Paris 1711, liv. I. chap. 2.

[20]) Cf. Huetium, ***Origenianorum*** lib. II.

[21]) Petavius ubique se infensum Origeni praebet; contra vero Stephanus Binet, Halloixius, aliique bene multi eidem favent. Bene porro ac orthodoxe sensisse Origenem de consubstantialitate Verbi cum Patre ostendit doctus Maran in op. ***Divinitas D. N. Jesu Christi***, Paris. 1746. lib. IV. cap. 14—16.

[22]) Cf. Eusebium, ***Hist. eccles.*** lib. VI. cap. 36 et 39. Lumper et Möhler accurate de Origenis scriptis disseruerunt.

[23]) Cf. Ritter, op. cit. liv. IV. chap. 2. nec non in op. pariter cit. ***Hist. de la Philosophie***, liv. XIII. chap. 2. ***Doctrine néoplatonique***; atque Möhler, chap. 1. §. 4. ***Doctrine d'Origène.***

[24]) Id fatetur vel ipse Ritter in ***Historia Philos. christ.*** lib. V. cap. 1.

apologia constat ad Dionysium romanum, et ex illius *Expositione fidei*, cujus veritas in dubium revocari nequit. Insurrexit adversus Origenem Methodius prius Olympi, deinde Tyri episcopus; demum sub Diocletiano s. Pamphilus martyr ac Eusebius caesariensis apologiam pro Origene scripserunt. Haec controversia recruduit postea inter s. Hieronymum ac Ruffinum aquilejensem. [25]

25. Ex occasione pantheismi stoicorum quem in christianam religionem invexere patripassiani a Cypriano nuncupati, Praxeas, Noëtus, qui personarum Trinitatem sustulerunt, nec non Sabellius, qui Trinitatem revocabat ad puram Dei in creaturis manifestationem, nec non Paulus samosatenus, qui Redemptorem purum hominem asserebat, in quo excellentiori gradu sapientia insideret [26], quaestiones de Deo, de Trinitate, de Incarnatione scientifice a Patribus juxta sensum traditionalem et ecclesiae doctrinam evolutae sunt. In his excelluerunt Dionysius alex. [27], Tertullianus, Hippolytus Magnus.

26. Doctrina tamen catholica de Deo ac de Trinitate longe clariore in lumine collocata est occasione controversiae arianae, ex qua secunda nobis incipit epocha Theologiae. Arius siquidem, presbyter alexandrinus, tametsi ab initio haereseos suae monotheismum adserere maxime visus sit, ad exclusionem usque pluralitatis personarum; cum nihilominus e Platonis placitis suum hauserit et confecerit dogma, ad hujus mentem deos conditos ac supremo inferiores adstruxit, Filium et Spiritum Sanctum. [28] Quo sensu haud immerito ab aliquo dictum est Arium polytheismum, licet defaecatum ope elementi christiani, in ecclesia adnisum esse instaurare. [29] Nam platonicam in ecclesia doctrinam invexit ad exponendam relationem Dei cum hac rerum universitate, quam non immediate a Deo, sed cum Platone per creaturam nobilissimam atque ante creaturas caeteras visibiles et ante tempora conditam, scilicet Verbum, uti opificem ac *δημιουργὸν* conditum excogitavit. [30] Exinde tot illi profluxere errores, quos ecclesia vix sensit, exhorruit atque proscripsit in nicaena synodo.

Magnus Athanasius episcopus alex. acerrimus catholicae fidei propugnator divino consilio datus ecclesiae est. Hic polemicis scriptis suis non modo antiquum, sed et novum polytheismum seu arianam impietatem contrivit. Ipse sinuosos erroris flexus omnes detexit; eidem antiquam doctrinam traditionalem de Verbi divinitate ejusque cum Patre consubstantialitate opposuit, illamque ab omnibus formulis ambiguis origenianis praepurgavit. Nam quas Origenes, in antiqua philosophia enutritus, de suo incaute fidei simplicitati adjecerat, plane sustulit; dogma de perfecta personarum divinarum

[25]) De qua cf. la Rue, tom. IV. *Orig.* pag. 49 seqq.

[26]) De his haereticis cf. Petavium *De Trinit.* lib. I. cap. 6 seqq.

[27]) Cf. eruditam praefationem, quam apposuit magnificae hujus operum editioni Romae 1796. cl. de Magistris.

[28]) Cf. Petav. op. cit. lib. I. cap. 1 et cap. 7, 8, 9.

[29]) Ritter, op. cit. lib. V. cap. 2.

[30]) Petav. ibid. cap. 1. §. 3.

aequalitate ac distinctione in unitate naturae adstruxit; Deique cum mundo homineque praecipue relationem nova, ut ita loquar, luce circumfudit. Haereticorum insectationes ac furores elusit, deque illis plenum retulit triumphum. [31] Plura scripsit, quibus dogma catholicum scientifice illustravit, eoque pervenit, ut ostenderet personarum in Deo Trinitatem, quin Dei simplicitati officeret, ea potius constitui. [32]

27. Quamvis porro catholica veritas in nicaeno fuerit asserta concilio, recruduit tamen ariana controversia opera Aëtii et Eunomii Cappadocum. qui et ipsi philosophiae paganicae principiis imbuti eadem in ecclesiam inferre connisi sunt. Aëtii, si pauca excipias fragmenta, superest nihil; Eunomii nonnulla opera supersunt. [33] Hic quoad doctrinam Platoni, quoad formam Aristoteli adhaesit, atque Plotino. Eunomius igitur contendebat nos intuitum posse theosophicum in ipsam Dei essentiam figere, quin immo et debere, ad eam perfecte cognoscendam et comprehendendam etiam, ea prorsus ratione qua nosmetipsos intime cognoscimus, et qua Deus se ipse cognoscit atque comprehendit. Constituit proinde necesse esse, ut nos mente feramur ultra mundum sensibilem ac suprasensibilem seu supra ideas ipsas rerum, quas cum Platone distinxit a Deo [34], ac supra Verbum, quod dixit *effectum*, sive *energiam* potiorem Patris, ex cujus voluntate idem Verbum, utpote minus perfectum, prodierit; itemque Verbo utpote creatura excellentissima Deum usum esse ad res sensibiles, transeuntes ac phaenomenales condendas, cum quibus tandem aliquando et ipsum desinere deberet. Ex quo intulit Deum improprie *Patrem* dici, et omnino secundum essentiam in Deo *Patrem* ac *Ingenitum* praedicari. Voces seu ideas per voces expressas licet rebus anteriores non exprimere sensit nisi energias a Deo ipso realiter distinctas, non autem Dei essentiam, quam utpote summe unam intellectus intuitu nos comprehendimus. Nihili ipse faciebat res creatas omnes, quas proprie nec esse neque existere prae summa Dei essentia autumabat. Negligebat prorsus cum Plotino practicam vivendi rationem, ut soli contemplationi, seu intuitioni rationis purae vacaret. In universum conveniebat cum arianis, qui negabant Deum per creaturas ac mundum hunc posse cognosci. [35]

28. Ast Aëtio et Eunomio tres pariter Cappadoces iique doctissimi atque sanctissimi sese opposuerunt, ss. Basilius et Gregorius nyssenus

[31]) De his omnibus copiose egit cl. Möhler in egregio opere ***Athanase le Grand et l'Église de son temps,*** vol. III. Paris 1844.

[32]) Cf. Oration. IV ***contra Arianos,*** num. 1 et 2. opp. edit. maur. tom. I. part. I. pag. 618. Petavius, ***De Deo,*** lib. II. cap. 1. §. 8. ubi alia profert Patrum hac de re testimonia.

[33]) Cf. J. A. Fabricium, ***Biblioth. graeca,*** tom. VIII. edit. Hamburgi 1717. lib. V. cap. 13. §. 3. ubi etiam Eunomii opera, quae supersunt, describuntur.

[34]) Cf. Baltus, ***Défense des ss. Pères accusés de platonisme,*** liv. III. chap. 10.

[35]) De Eunomii doctrina consuli potest Petavius, ***De Deo,*** lib. I. a cap. 5. ad 12; et iterum ***De Trin.*** lib. V. cap. 3 seqq. Ritter etiam loc. cit. fuse Eunomii doctrinam exponit.

fratres, atque s. Gregorius nazianzenus. Quamquam scholis philosophicis et ipsi enutriti fuerint ac platonicis placitis ac neoplatonicis, tumidis tamen illis novatoribus solam christianam doctrinam objecerunt, juxta quam Deus perfecte seu comprehensive in sua essentia ab homine cognosci nequit. Imperfectam interim ex creaturis, potissime vero ex fide cognitionem Dei obtineri posse docuerunt, quem distinctis conceptibus seu operationibus mentis nostrae apprehendimus; debet enim virtualis admitti et cogitationis distinctio Deum inter ejusque attributa, ac attributa absoluta ad invicem, vocibusque distinctis ea enunciari; donec ad ejus visionem beatificam perveniamus vitae sanctimonia ad id comparati, quae confert etiam ad pleniorem Dei cognitionem vel in hac vita obtinendam.

29. SS. Basilius et Gregorius nazianzenus eloquentiae ac elocutionis puritate excelluerunt; ast Nyssenus philosophiae ac scientiae omnigenae peritia et acumine facile primas habuit. Hic Origenem imitatus in magna sua *Catechetica*[36], theologiam complexus est universam. In altero vero opere inscripto *De hominis opificio*, cognitiones suas patefecit circa antiquam physicam, nec non circa philosophiam platonicam et aristotelicam, atque medicam ipsam artem.[37] Dumque Basilius et Nazianzenus una cum Chrysostomo formulis potissime catholicis vindicandis insistebant, Nyssenus scientifice eas evolvebat. Horum praecipue opera factum est, ut non modo Dei notio penitior ac mysterium Trinitatis consubstantialitasque Verbi cum Patre contra novos arianos ac semiarianos illustraretur magis ac adstrueretur, verum etiam Dei relatio cum mundo per communicationem Spiritus Sancti in homine immediatam, cujus divinitatem adversus macedonianos ab arianis progenitos strenue propugnarunt. Sicque magis ac magis dogma catholicum scientiae ope explicatum est adversus heterodoxorum philosophica principia. Spiritus Sanctus, qui se communicat fidelium animis, eos idoneos efficit ad cognoscendum Deum, perducens eos ad Filium, per quem tandem Patrem attingunt, principium summum tum reliquarum personarum divinarum, tum creaturarum omnium.

30. Ex his deprehendimus quam inepte leviores haud pauci scriptores heterodoxi et increduli asseruerint christianam de Trinitate doctrinam platonismo aut neoplatonismo in acceptis referendam esse, cum Plato opposita prorsus Trinitati christianae principia constituerit.[38] Cum vero neoplatonismus Alexandriae ortum habuit, jam diu christiana formula perfecta ac plena constituta fuerat, quae deinceps ex occasione controversiae arianae ac mace-

[36]) In quadraginta capita eam distinxit, atque, ut profitetur in praefatione, ita in ea se gessit, ut sese omnium captui accommodaret, qui diversas religiones profitebantur. Ea prostat in opp. edit. parisiens. 1615. tom. I. pag. 475.

[37]) Hoc opus, quod magni semper tum a veteribus tum a recentioribus factum est, extat edit. cit. tom. II. pag. 44.

[38]) Petav. *De Trinit.* in praefat. integris sex capp., nec non lib. I. cap. 1; P. Baltus, *Défense des ss. Pères accusés de platonisme,* liv. IV. chap. 11—13. Praeterea Maret, *Théodicée chrétienne.* Paris 1844. Dixième leçon.

donianae scientifice exposita est ac vindicata. Antiqua philosophia nulla elementa catholico dogmati contulit, sed unice uti instrumentum inserviit scientificae evolutioni. [39]

31. Novum Theologia adepta est scientificum incrementum ex controversiis nestoriana et eutychiana, deinde vero monothelitica [40], in quibus discussus est nexus inter divinum ac humanum in persona Salvatoris. Hae namque effecerunt, ut mysterium dominicae Incarnationis opera potissimum Cyrilli alex. ac Leonis M. nova luce perfunderetur, dum unitas subjecti seu personae divinae in Christo Jesu Salvatore nostro in dualitate naturae adstructa est, atque a binis oecumenicis synodis ephesina et chalcedonensi asserta. Has porro naturas propria energia et actione praeditas esse adversus monothelitas strenue Sophronius et Maximus Confessor propugnaverunt, donec agentibus Martino et Agathone, rom. pontificibus, id in concilio oecumenico VI. definitum est.

32. Dum ita Theologia in oriente progrediebatur, in occidente suum apicem pertingebat. Ecclesiam occidentalem jam diu suis scriptis illustraverant ss. Cyprianus, Hilarius pictaviensis, Eusebius vercellensis, Pacianus, Ambrosius, dum perstrinxerunt haereticos aetatis suae. Deinde vero s. Hieronymus eruditione linguarumque peritia insignis surrexit, qui maxime studia biblica promovit, novamque ex hebraica veritate latinam Bibliorum versionem adornavit, ac post accuratam graeci textus recensionem Novi Testamenti librorum latinam versionem ad graecum fontem exegit. Criticam biblicam et exegesin s. Hieronymus impense coluit ac provexit. Sensum litteralem in suis commentariis jugiter consectatus est, prout s. Joann. Chrysostomus ac Theodoretus praestiterant. Attamen Hieronymus hac in parte pro omnibus excelluit ob linguarum orientalium peritiam ac judaicae archaeologiae. Quapropter jure merito *Doctoris maximi* nomen adeptus est. [41]

33. Sed jam de tertia epocha, quam ab Augustino auspicamur. Ingenii porro acumine ac vi s. Augustinus communi consensu primas obtinuit. Ex bonis artibus ad philosophicas excolendas disciplinas totum se contulit. Philosophiae platonicae ac neoplatonicae maxime fuit addictus, qua non modice adjutus est, ut sese a manichaeorum laqueis eriperet, in quos Carthagine inciderat. Huic etiam post conversionem suam, quae Mediolani opera potissimum s. Ambrosii contigit, studuit, ut fidem faciunt primi libri, quos evulgavit. [42] In his adortus est scepticos academicos, argumentis psycho-

[39]) Ritter, op. cit. liv. V. chap. I.

[40]) Quamvis monothelismus ad hanc epocham proprie non spectet, cum post s. Augustinum ortus sit, attamen hic eum adnecto cum eutichianismo ratione materiae; eutychianismi quippe surculus extitit.

[41]) Cf. ***Prolegomena*** benedictinae edit. opp. s. Hieronymi in ***Divinam*** ejusdem ***Bibliothecam***, nec non adornatam a Vallarsio ejusque sociis in edit. veronensi s. Hieronymi vitam, in qua accurate scripta et labores s. Doctoris recensentur, tom. IX ac tom. XI.

[42]) Tales sunt libri ***De magistro***, ***Soliloquiorum***, ***Contra Academicos***, ***De beata vita***, ***De Ordine***, etc. Cf. s. Augustini vitam

logicis usus. Ipsi enim debetur Cartesianum illud: *Cogito, ergo sum*, quo s. Doctor *aliquid inconcussum* opponeret scepticismo universali [43]; exinde realitatem propriae existentiae ac mundi phaenomenici seu sensibilis invicte ostendit. [44]

Ulterius postea progressus agnoscit veritatem aeternam, quae nobis praesens est [45], et in qua omnia videmus. [46] Deus ex Augustino se revelat tum rationi tum sensibus. Ad Deum idcirco assurgit tum rationis intuitu tum ordine harmonico, qui in hac rerum universitate elucet, ex quo ejus bonitatem et veritatem suapte natura deducit, et ad quas homines feruntur cognitione et amore. [47] Doctrinam de Trinitate mirifice evolvit methodo scientifica, cum juxta ipsum fides nos ad scientiam provocet. [48] Trinitas se manifestat in rebus omnibus sensibilibus, at longe nobilius in suprasensibili, scilicet in anima nostra. Mundi creationem ex nihilo, adeoque profundam distinctionem urget, quae Deum inter et creaturas intercedit; non ita tamen, ut Deum separet a mundo, perinde ac si illius in hunc activitas et communicatio tollatur. Siquidem praeter creaturarum omnium jugem conservationem ac providentiam Dei in utroque servando ordine physico ac morali, quam mire elucere ostendit vel in ipsis calamitatibus, quibus tum maxime imperium romanum ob barbarorum incursiones subjiciebatur. [49] Spiritum S. exhibet veluti principium cognitionis verae, quam de Deo habemus. [50] Cumque tres potissime sectas aggressus fuerit, manichaeorum, donatistarum ac pelagianorum, mirum in modum provexit scientiam theologicam in illarum impugnatione tum circa mundi originem ac finem, tum circa bonum ac malum, hominisque libertatem ac ejus abusum. [51] Theoriam praeterea exposuit ecclesiae ejusque unitatis et auctoritatis in rebus, quae fidem attingunt; nam auctoritatem ecclesiae ipsis anteponit sacris Bibliis, quandoquidem Biblia admittamus ecclesiae auctoritate permoti [52], sive ea per hanc nobis innotescant, adeoque et vera fides. Actionem denique Dei in voluntatem

ex ejus scriptis concinnatam ab editoribus maurinis opp. tom. XI. lib. II. cap. 7 et 8.

[43]) ***Soliloq.*** lib. II. cap. 1; ***De Trinit.*** lib. XV. cap. 12; item lib. X. cap. 14.

[44]) ***Contra Academ.*** lib. III. cap. 24. ***De Trin.*** lib. XV. cap. 21.

[45]) ***De vera Religione***, n. 68; ***De div. qu.*** 83. qu. 9.

[46]) ***De magistro,*** n. 39. ***De Ord.*** lib. II. n. 47 seqq.

[47]) ***De Trinit.*** lib. VIII. cap. 12; lib. XV. cap. 6 seqq.

[48]) ***Epist.*** CXX. n. 3 seqq.; ***De Trinit.*** lib. XV. cap. 2.

[49]) ***De civit. Dei,*** lib. IV. cap. 11 seqq.; et lib. VII. cap. 5.

[50]) ***De Trinit.*** lib. XV. n. 293; ***De civ. Dei,*** lib. II. n. 24; ***Sol.*** lib. I. cap. 15; ***De vita beata,*** cap. 35.

[51]) Ubi sedulo notandum est, secus ac Ritter affirmet cum aliis haud paucis, nunquam s. Augustinum denegasse homini lapso libertatem arbitrii ad bonum ac malum morale, immo constanter eam adstruxisse, prout nunquam admisit gratiam inferre necessitatem voluntati, ut constat ex scopo, quem sibi proposuit in libro ***De gratia et lib. arbitrio.***

[52]) In lib. ***Cont. epist. fundam.*** cap. 4. et alibi. Atque hoc est quod Ritter, utpote protestans, nunquam potuit Augustino condonare. Hinc saepius id ipsi exprobrat in toto libro VII. op. cit. Attamen verissimum principium Augustini est.

nostram mirifice adstruxit per doctrinam de gratia, quam propugnavit adversus pelagianos. Etenim in ea doctrina cum primaevam hominis conditionem ejusdemque lapsum, et consecutam exinde infirmitatem docuisset, necessitatem nedum intulit supernaturalis auxilii ad salutariter operandum, quae semper viguit, verum etiam medicinalis ad ethice bonum praestandum, quo auxilio mens nostra illustratur et adjuvatur. Hoc porro gratiae auxilium gratuitum prorsus Dei donum esse praeveniens fidem ipsam tum contra pelagianos, tum contra eorum reliquias Massilienses, semipelagianos nuncupatos, constituit; gratuitam praeterea praedestinationem ad fidem invicte ostendit; nec veras virtutes, quae nempe ad supernaturalem finem homini praestitutum assequendum perducant, in antiquis philosophis extitisse docuit. Quin potius vanam evincit fuisse ipsorum scientiam et inflantem, utpote quae verum hominis finem et viam, quae unice in vera catholica ecclesia reperitur, ignoraret. [53]

Doctrinam s. Augustini vere thesaurum ac promptuarium vocaveris, ex quo deinceps divitias sibi theologicae immo et philosophicae scientiae compararunt omnes, vel saltem, si eidem impense studerent, comparare possent. Etenim s. Augustinus in op. *De Genesi ad litteram* fundamenta constituit *philosophiae naturae,* quae longe differt a tenebrosa illa ac pantheistica, quae in Germania colitur. In op. *De civitate Dei* fundamenta pariter locavit *philosophiae historiae,* quae profecto ea non est, quam ingeniosus Vico invexit, audacem ac periculi plenam, et qua tantopere abutuntur non pauci; nec multo minus quam hegeliani ac neoeclectici adornant pantheismi ac fatalismi labe scatentem, sed quae tota innititur veritati, sapientissimae nempe Dei oeconomiae in religione sua instituenda, regenda, propaganda usque ad saeculorum finem: qualem serius Augustini vestigiis inhaerens, ampliori evolvit ratione Bossuetus in suo *Discursu super historia universali.* In eo demum germina inveniuntur multiplicium doctrinarum philosophicarum, quae postea evoluta diversis temporibus sunt, et adhuc aetate nostra evolvuntur.

34. Ab Augustini obitu theologica disciplina pedetentim in utraque ecclesia ab altitudine illa, ad quam eam evectam vidimus, declinavit ob causas tum internas tum externas, donec quodam veluti squalore obducta est. In ecclesia graeca excelluit s. Maximus martyr, acerrimus, ut innuimus, monothelismi impugnator, philosophus ac theologus nobilissimus. Is plura edidit scripta pro catholica fide. Omnium forte primus Pseudo-Dionysii opera commentariis illustravit. Recentiores porro his Dionysii operibus plerique tribuere consueverunt propensionem quamdam in pseudo-mysticismum neoplatonicae scholae Plotini et Procli; immo in pantheismum ipsum. [54] Ast immerito: etsi enim non diffiteamur naevis haud paucis adspersa hujus

[53]) In libris praecipue, quos scripsit adversus Julianum.

[54]) Ita Saint-René-Taillandier in opp. *Scot Erigène,* Strasbourg 1843. part. III. chap. 1; Rousselot, *Hist. de la Philosophie du moyen âge,* Paris 1842. tom. I. c. 2.

auctoris opera [55], longe tamen absunt ab afficta illis doctrina. Alioquin ea nec s. Maximum latuisset, nec s. Joann. damascenum, qui eum secutus est; nec s. Thomam, qui librum *De divinis nominibus* commentario exposuit, totque alios pios doctosque viros, qui tantis praeconiis Dionysii opera commendarunt. [56] Quod si hic auctor docet Deum entia creando *communicare esse suum* creaturis juxta diversos gradus, qui ejusmodi rerum possibilium essentiis conveniunt, quas ipse contemplatur in ideis suis archetypis, seu typis aeternae mentis suae, nullo modo *emanatismo* favet. Siquidem s. Thomas, qui eam doctrinam amplexus est, minime est emanatista censendus: etenim neque Dionysius neque s. Thomas contendunt Deum communicare essentiam suam divinam in ullo gradu; sed dum esse ipsis illas creando confert, eas *imitari* in proprio quamque gradu perfectiones Dei et *esse* divinum, atque hac ratione participes fieri illius *esse*, quod in Deo invenitur in sua *plenitudine* indivisibili, ac incommunicabili cuivis creaturae. Cavendum praeterea a recentioribus illis est, qui perpetuo verum cum falso mysticismo permiscentes, Dionysio, qui scripsit *De theologia mystica*, pseudo-mysticismum neoplatonicum affingunt, qui vix, si illos audieris, ecclesiam universam non infecit. [57] Attamen ipse fundamenta jecit mysticae verae theologiae, ex qua deinde sua duxere principia tot alii orthodoxi ac pii theologi, inter quos eminent Hugo et Richardus Victorini, s. Bonaventura, Rusbrochius, Taulerus, Gerson, ipseque s. Franciscus Salesius in suo tract. *De amore Dei.* Idem dic *De coelesti hierarchia*, in qua Dionysius docet Deum mediantibus angelis illustrare homines, quatenus illis uti constituit, sibi quidem subjectis, ast homini superioribus, juxta illud quod scribit Apostolus, Hebr. I, 14: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?* Nihilominus et ob hoc in recentiorum reprehensionem incurrit. [58] Jugiter post Lutherum protestantes infensos se praebuerunt Dionysio, eo quod ejus doctrinae fundamentum cum sit hierarchia *coelestis* et *ecclesiastica* seu terrena, nempe mediatio entium coelestium, ac auctoritas in terra inter diversos hominum ordines et gradus, quorum alii subjecti, alii aliis superiores sunt, protestantium systema plane evertit.

[55]) Cf. Le Quien, ***Dissertatio damascenica secunda.*** De Rubeis, ***De gestis et scriptis, ac doctrina s. Thomae Aquinatis***, Venet. 1750. ***Dissert. nona de fide auctoris operum, quae vulgo areopagitica dicuntur.***

[56]) Optime meritus de scriptis areopagiticis est D. Darboy, ***Oeuvres de S. Denis l'Aréopagite, traduites du grec.*** Paris 1845. Cf. doctam ejus introductionem, pag. 51 seqq. Licet ei non assentiamus, dum adnititur *genuinitatem* horum operum vindicare, quod irrito conatu jamdiu tentaverat P. Laurentius Cozza, postea Cardinalis, in op. ***Vindiciae areopagiticae***, Romae 1702. part. I; deinde vero Nat. Alexander, Diss. XXII. in saec. I.

[57]) Praeter auctores superius commemoratos his accensendus est Ritter in sua ***Hist. de la Philosophie chrétienne***, liv. VII. chap. 1. §. 5. qui non parum se infensum, utpote protestans, operibus areopagiticis exhibet.

[58]) Cf. Darboy, op. cit. ***Introd.*** pag. 140 seqq.

35. Hac eadem ferme aetate aut paulo superiore magnum sibi nomen comparavit Nemesius episcopus emisenus ob singularem eruditionem suam; is coepit impensius aristotelicam philosophiam colere, non ita tamen ut excluderet platonica principia. De homine agens visus est praeexistentiae favere animarum ac mundi suprasensibilis aeternitati. [59] Hominis libertatem accurate tuetur, divinamque providentiam. [60] Huic adjiciendi sunt Aeneas gazensis et Zacharias mitylenaeus cognomento *Scholasticus*, elegantes scriptores, qui philosophiam potissimum excoluerunt. Aeneas contra animae mundique scripsit aeternitatem, etsi non omnino liber a platonicis placitis [61], perinde ac Zacharias, qui contingentiam tamen mundi sensibilis adstruxit et manichaeismum strenue est adortus. [62] Hos secutus est Joannes Philoponus monophysita, doctus quidem vir, et creationis mundi ac materiae propugnator, qui lapsus est in atheismum, cujus tamen primus auctor non extitit. [63] Aristoteli addictus maxime fuit, licet non unice.

36. Verum his omissis, qui philosophis potius quam theologis accensendi sunt, egregie de theologia meritus est saec. VIII. s. Joannes damascenus. Siquidem praeter dialecticam, in qua haud pauca habet ad philosophorum ethnicorum haereticorumque fallacias detegendas, atque ad intelligentiam veterum graecorum scriptorum aptissima [64], scripsit tractatum *De haeresibus*, cui adjecit quatuor libros *De fide orthodoxa*. In his de essentia pertractat et existentia Dei, de Trinitate, de creatione, de Incarnatione ac Redemptione, de duplici proinde Christi operatione ac voluntate; demum Christi adserit resurrectionem adorationemque ei debitam; de praecipuis item agit Sacramentis, ubi realem Christi vindicat in Eucharistia praesentiam, nec non Sanctorum cultum, venerationemque Crucis et imaginum Sanctorum ac reliquiarum. [65]

Ex his patet, hoc opus veluti summam theologicam spectari posse, in qua praecipua fidei dogmata ex Scripturis ac Patribus adstruuntur. Primum

[59]) Cf. Ritter. op. cit. §. 1. *Nemesius*, de quo tamen vid. Petav. *De angelis*, lib. III. cap. 3. n. 11 seqq. ubi observat de angelorum tantum, non autem de animarum praeexistentia mundo sensibili Nemesium locutum esse; de quo postremo errore cf. Sixtum senens., *Bibl. sancta*, lib. V. ubi eum sub nomine S. Gregorii nysseni, cui olim hic liber tributus erat, notat.

[60]) In praeclaro op. *De hominis opificio*, quod extat in *Biblioth. Patrum graeco-latinorum*, Paris. 1624. tom. II. pag. 464.

[61]) De quo vid. Ceillier, *Hist. générale*, tom. XV. cap. 19. pag. 283 seqq. Ejus *Theophrastum* exhibet *Biblioth. Patrum*, cit. tom. II. pag. 353.

[62]) In op. quod inscripsit: *Ammonius*, seu dialogus cum Ammonii discipulo, de quo cf. J. Albert. Fabricium, *Biblioth. graeca*, ed. cit. tom. IX. pag. 355. Extat hic dialogus latine redditus in *Biblioth. Lugdun.* tom. IX. pag. 759.

[63]) Cf. Ritter, op. cit. lib. VII. §. 4.

[64]) De Gerando, *Hist. comparée de la Philosophie*, tom. IV. refert praecipua Damasceni scripta collecta sub titulo: *Origines seu fons scientiae*, fuisse veluti quoddam *Manuale Philosophiae*, cujus maximus extitit usus toto medio aevo.

[65]) De hoc s. Doctore, cui infensus est Ritter protestans, cf. Ceillier, *Hist. générale des Auteurs sacrés et ecclésiast.* tom. XVIII. chap. 9.

hujus generis scriptum est, quod in ecclesia orientali prodierit, quodque normam scholasticis praebuit, qui doctrinae catholicae systema in unum corpus redegerunt. Alia praeterea Joannes damascenus opera exaravit adversus iconomachos, jacobitas, manichaeos et saracenos, quibus est doctrina catholica haud parum illustrata. Quoad *materiam*, ipse potius in philosophicis sectatus est doctrinas platonicas, christianas tamen effectas, et praepurgatas a principiis heterodoxis; quoad *formam* vero obsecutus est Aristoteli, quoniam *synthesis catholica* aptius proponi posse ac doceri hac forma magis exacta et pressa videbatur.

37. Sed dimisso demum oriente, in quo tanta tamque luctuosa post imperatorum iconomachorum, ac Photii praesertim aetatem rei christianae, atque adeo scientiae ipsius theologicae conversio facta est, ecclesiam iterum occidentalem adeamus, in qua post Augustini aetatem habuerunt latini Patres atque Scriptores, unde fidei catholicae dogmata tuerentur tum adversus pelagianos ac massilienses, tum adversus arianismi ipsius reliquias, barbaras nimirum arianismo nationes infectas, quae provincias romanas quaquaversus invadebant, et extremam perniciem philosophiae ipsi ac bonis artibus afferebant. Claruerunt porro ss. Prosper, Hilarius, Fulgentius, Primasius aliique non pauci, qui evolverunt atque illustrarunt s. Augustini principia. Cum vero Faustus rejensis, Gennadius nonnullique alii tum angelos, tum animam humanam corpoream docuissent[66], Claudius Mamertus, sacerdos viennensis doctrina celebris, sententiam hanc plane confutavit.[67] Optime per illam aetatem de re catholica meritus est Vincentius lirinensis aureo illo *Commonitorio*, in quo vestigiis Tertulliani insistens, latebras omnes ac dolos haereticorum aperit, illorum detegit originem, eisque inconcussum opponit praescriptionis principium; theologum praeterea docet, qua ratione possit fidem sine ejus detrimento, immo magno cum fructu ad scientificam tractationem evehere.

38. Fatiscente romano imperio, Boëthius et Cassiodorus scientiae a veteribus excultae monumenta, ne omnino perirent, collegerunt. Sic Boëthius non modo ipse philosophiam praecipue coluit, Platonis et Aristotelis praesertim principia sectatus, sed etiam illustravit Porphyrii Isagogen seu Introductionem in *Organum* aristotelicum, quae aetatibus insequentibus originem praebere visa est celeberrimae *De universalibus* controversiae.[68] Cassiodorus vero totum se ad Bibliorum contulit sacrorum, ad scientiae sacrae

[66]) Cf. Ceillier, ***Hist. générale des Auteurs sacrés***, tom. XV. cap. 4. §. 7. pag. 27.

[67]) Ibid. chap. 31. §. 9. pag. 483.

[68]) Uti testatur Rabanus Maurus, ***Super Porphyrium***, apud Cousin, ***Fragments philosoph. Abailard***, édit. 2. Paris 1840, pag. 106 seqq. De hoc auctore, qui scripsit de Trinitate, de Incarnatione, de Providentia aliisque ejusmodi argumentis sacris, si credas Ritter, op. cit. vix non dubitares utrum ipse fuerit christianus. Nobilissimi hujus scriptoris operum catalogum exhibet J. A. Fabricius in ***Bibliotheca latina***, tom. II. lib. III. cap. 15. ed. Hamburgi, pag. 641 seqq.

studium, ejusque industriae acceptos referre debemus plures veterum codices ab interitu vindicatos. [69] S. Isidorum hispalensem, ac s. Gregorium M. vere vocaveris postrema romanae scientiae ac litteraturae lumina. Egregiam uterque operam navavit studiis sacris diversa tamen ratione, instaurandis. [70]

39. Exinde coeperunt germanicae gentis homines scientiis operam dare, novumque, ut ita loquar, adspectum scientiae theologicae praebere [71]: invaluit nempe synthesis in istorum scriptis. Samuel Tajo antistes caesaraugustanus in Hispania saec. VII. (obiit enim anno 655.) omnium primus summam quamdam theologicam digessit libris quinque *Sententiarum*, quas ex ss. Augustini et Gregorii M. scriptis collegerat. [72] In Anglia vero ven. Beda quamdam in scriptis suis sacram exhibet encyclopaediam et collectionem eorum, quae ante se scriptores exaraverant. [73] Alcuinus in Anglia et in Galliis collectoris et ipse munere potissime functus est, nec parvo subsidio fuit Carolo M. ad instaurandas litteras et scientias philosophicas ac theologicas ab illo squalore, in quem ob incursiones barbarorum in occidente devenerant. [74]

40. Sub Carolo Calvo saec. IX. Regii Palatii scholis praefectus est Joann. Scotus Erigena natione verisimilius Hibernus, quem Carolus *magistrum suum* vocabat. Is veterum philosophia, et graeca latinaque lingua apprime instructus, ac peracuta mentis acie praeditus magnum sibi nomen comparavit. Plura edidit opera, quorum praecipua sunt: *Περὶ φύσεως μερισμοῦ* seu *De divisione naturae*, ac *De praedestinatione*, praeter eam quam adornavit latinam Pseudo-Dionysii operum versionem commentariis etiam illustratam. [75] At enim origenianis placitis ac neoplatonismo nimium addictus, atque ingenii sui libidini indulgens, ita de principiis ac dogmatibus fidei philosophatus est, ut in graves sit errores dilapsus. Principio de philosophiae ac theologiae identitate tanquam basi adstructo, eadem plane jura

[69]) Praeter edit. opp. Rothomagi 1679. duobus vol. fol. Marchio Maffejus vulgavit ejusdem ***Complexiones in Epistolas et Acta Apostol. et Apocalyps.*** ex membranis veronensibus, Florent. 1721. cujus ibid. Praefationem adisis.

[70]) Quoad opera S. Isidori cf. ***Isidoriana sive Prolegomena in editionem operum s. Isidori hispalensis*** viri cl. Faustini Arevalo, Romae 1797. digesta in 80 capita. Quoad opera vero s. Gregorii M. cf. ***Praefat. generalem*** editor. maurin., nec non ejusdem pontificis vitam ab iisdem concinnatam.

[71]) Cf. Möhler, ***Patrologie, Introduct.*** §. 3. pag. 24.

[72]) Cf. Ellies Dupin, ***Nouvelle Bibliothèque des Auteurs ecclésiastiq.*** tom. V. pag. 115 seqq. ubi ex Mabillonio refert hoc opus ineditum permansisse, nec operae pretium esse ut vulgetur, cum non sit nisi catena testimoniorum ex operibus potissimum s. Gregorii M. intexta circa Deum, Incarnationem, etc.

[73]) De quo fuse et accurate scribit Ceillier, op. cit. tom. XVIII. cap. 1.

[74]) Cf. ***Histoire littéraire de la France***, tom. IV. a pag. 295 ad 347.

[75]) Accuratum catalogum operum Scoti Erigenae exhibet Taillandier in op. cit. ***Scot Érigène***, part I. cap. 2. Ast accepi alia ejusdem auctoris opera nuper reperta in Bibliotheca monachiensi et in vaticana fuisse, quae quamprimum vulgabuntur.

rationi atque auctoritati in rebus etiam revelatis asseruit, immo hanc illi subjecit; autonomiam rationis in Scripturis etiam intelligendis proclamavit, fidemque rationalem cum fide theologica confudit.[76] Realismum quidem sectatus est, sed ita ut rectam doctrinam de essentiis intelligibilibus, seu archetypis rerum in Deo, quam a Pseudo-Dionysio hausit, ad causas primas et absolutas creationis detorserit, ac proinde a doctrina emanatistica et pantheistica vix excusari posse videatur.[77] De extremo hominis judicio, de poenarum aeternitate male sensit.[78] Circa praedestinationem ac ipsam realem Christi praesentiam in Eucharistia pessime erravit[79]; merito ob id vel ab ipso Hincmaro rhemensi ejus patrono graviter reprehensus.[80]

Quare utut scriptoris hujus pro ea aetate ingenium atque acre in ipsa theologia philosophiae studium commendandum, nullo certe ferenda pacto sunt magnifica illa laudum praeconia, quibus recentiores plerique scriptores eum certatim cumularunt, ac veluti antiquae philosophiae in periodo francogermanica instauratorem[81], rationis contra jugum auctoritatis vindicem, patrem *speculativae* theologiae ac scientificum totius medii aevi lumen consalutarunt. Quae sane laudes a scholis sive hegeliana, sive neoeclectica Galliarum maxime prodeuntes ex eo repetendae sunt, quod istarum sectatores in Scoto Erigena antesignanum et patronum earum doctrinarum libenter sibi agnoscere videntur, in quibus ipsi toti sunt disseminandis, de rationis scilicet absoluta autonomia, de aeternitate creationis, seu potius de emanatione ac pantheismo, ceterisque ejusmodi opinionum monstris.

41. Interim opera Gotteschalci monachi haeresis praedestinatianorum exorta est, adversus quem Hincmarus rhemensis, Prudentius, Florus aliique non pauci insurrexerunt, editisque scriptis confutarunt.[82] Causa tamen Gotteschalci tenebris adhuc involuta manet.[83]

[76]) ***De divis. natur.*** lib. II. cap. 24; et lib. I. cap. 71. Hoc opus primo editum est Oxon. 1681. fol. deinde Monasterii Westphalorum 1838. in 8. sub hoc tit.: ***Joannis Scoti Erigenae de divisione naturae libri quinque. Editio recognita et emendata. Accedunt tredecim auctoris hymni.***

[77]) Cf. apud Taillandier, op. cit. part. III. cap. 4.

[78]) Ibid. cap. 6.

[79]) Ut patet etiam ex fragmento II. quod Scoto Erigenae tribuitur, ac vulgavit Taillandier in appendice.

[80]) Excitatus enim fuit Scotus ab Hincmaro, et a Pardulo, episc. laudunensi, ad oppugnandum Gotteschalcum circa praedestinatianismum.

[81]) Ita Cousin, ***Cours d'histoire de la Philosophie,*** leçon IX; Pet. Hyort, ***Johann Scot Erigena,*** Kopenhagen 1823; Staudenmaier, ***Scotus Erigena.*** Cf. Taillandier, qui hos refert. Contra vero Guizot, ***Hist. de la civilisation en France,*** leçon XXIX; ***Die christliche Lehre,*** etc. seu ***De doctrina christiana,*** Tubing. 1838. spectant Scotum veluti postremum repraesentantem scholae, seu spiritus neoplatonici in ecclesia.

[82]) Horum omnium qui saec. IX. de praedestinatione scripserunt fragmenta aut integra opera vulgavit simul collecta Gilbertus Mauguin in op. ***Veterum Auctorum qui IX. saeculo de praedestinatione et gratia scripserunt,*** duob. vol. in 4°. Lutetiae Paris. 1650. In altero volumine insurgit hic auctor adversus ***Hist. Praedestinat.*** P. Sirmondi.

[83]) Cf. ***Histoire littéraire de la France,***

Feliciori successu impetita fuit doctrina Felicianorum circa adoptionem Christi, qua Felix et Elipandus episcopi hispani nestorianam haeresim de dualitate personarum in Christo instaurabant. Plures hac de controversia scriptores claruerunt, unde mysterio Incarnationis nova lux accessit. [84]

Nec aliter contigit circa doctrinam de reali Christi in Eucharistia ex occasione quaestionis agitatae ob librum editum a Paschasio Radberto, quem nonnulli impugnarunt, uti Ratramnus monachus corbejensis; verum ea quaestio, quod probe adnotandum, haud tunc versabatur circa veritatem realis praesentiae, sed potius circa statum Christi corporis in Eucharistia. [85] Non ita porro serius se res habuit, saeculo nempe XI. tempore Berengarii. Hic enim doctrinis Joannis Scoti Erigenae plane addictus, quamvis ab ejus ingenio ac scientia plurimum distaret, et eamdem in dogmatibus fidei licentiorem philosophandi rationem secutus, dogma de reali Christi praesentia in Eucharistia palam aggressus est. Horruit porro ecclesia universa hominis impietatem, ac plura concilia, romanum praesertim ac parisiense illum damnarunt, quibus saepius ad palinodiam levis homo recantandam adactus est. Sed ejus errorem ac scripta scientifice oppugnavit percelebris Italus Lanfrancus, posthac archiepiscopus cantuariensis, qui et Patrum testimonia a Berengario opposita dilucide explanavit, eumque traditionis universae pondere ac totius christiani populi sensu profligavit. Alii plures praeter Lanfrancum in eadem palaestra strenue versati sunt, uti Guitmundus episcopus aversanus, Durandus abbas troarnensis, Algerus, aliique, sic ut eum ecclesia in scientia theologica ex ejusmodi aggressione ceperit fructum, ut sanctissimum hoc dogma nova ubique luce coruscaret, atque in antecessum calviniana impietas suam damnationem inveniret. [86]

42. Ex his deprehendimus tertiam hanc epocham haud omnino progressu destitutam esse, quamvis ab anterioribus valde distet. Nec enim aliud ferebat miseranda temporum conditio. Sacer scientiae ignis altus jugiter saltem est, et antiqua sive philosophica sive theologica servata scientifica traditio.

43. Sed ut quartam jam auspicemur epocham, ex occasione, qua Porphyrii problema expositum a Boëthio est, circa originem cognitionis, utrum genera et species, seu ideae universales habeant realitatem in se, an solum foetus intellectus nostri ac mere voces sint [87]. exortae sunt scholae

tom. V. art. *Gothescalc*, pag. 352 seqq., nec non Ceillier, op. cit. tom. XIX. cap. 11.

[84]) Cf. quae huc referuntur binas dissertationes eruditas, quas de haeresi Felicis et Elipandi scripsit Jo. Franc. Madrisius in edit. opp. s. Paulini, patriarchae aquilejensis, Venet. 1737.

[85]) Cf. Ceillier, op. cit. tom. XIX. cap. 6 et 7. De hoc ipso argumento jam fuse egerat et accurate Mabillonius in *Act. ss. Benedictin.* tom. VI. pag. 601 seqq.

[86]) Mabill. *Annal. Bened.* tom. II. pag. 456 — 477, et *Act. Sanct. Bened.* tom. IX. n. 7 — 68. *Histoire littéraire de la France*, tom. VIII. pag. 197 — 238.

[87]) Accurate animadvertit Gustavus de Cavour in art. quem inseruit in *Bibliothèque universelle de Genève*, n. 113. Juin 1845. *Histoire des révolutions de la Phi-*

tres philosophicae *realismi*, *nominalismi* et *conceptualismi*, quae in theologiam universam influxerunt. Nonnulla velut germina harum controversiarum, quae deinceps ingentem adeo excitarunt fragorem occurrunt, ut innuimus, in Rabano Mauro. [88] Ast Roscelinus ex Britannia minori ad regias Compendii scholas evectus, *nominalismum* aperte proclamavit, docens per sensus tantum res cognosci, genera ac species non esse nisi meros mentis conceptus sine realitate, qui per nomina vacua significantur, seu, ut ipse loquebatur, esse *flatus vocis*. Ex quo inferebat et illud, sola individua materialia vere existere, nec nisi materiam dari, seu substantiam materialem. Audacius inde progressus ipsam docuit coexistentiam trium personarum in Deo esse *flatus vocis;* unam tantum existere personam, aut si loquendi usus ferret, *tres deos* esse. [89] Nulla ejus scripta supersunt. Nominalismus tres in sectas divisus est; cum alii universalia in nominibus, alii in propositionibus, in notionibus alii constituerent. [90]

44. Adversus Roscelinum ejusque nominalismum surrexit s. Anselmus, Augustae Praetoriae in Subalpinis ortus, docti Lanfranci discipulus et in sede cantuariensi successor. Anselmus porro summus philosophus aeque ac theologus extitit, qui fidem ad intellectum seu scientiam evehere adnisus est; merito proinde veluti parens habitus methodi illius, quam scholastici sunt alacriter deinceps sectati. Ipse porro realismum, sed verum ac germanum, non uti Scotus Erigena emanatistica aut pantheistica labe infectum, professus est. [91] Nominalismum ejusque sobolem aut parentem empirismum ac sensualismum in pluribus operibus contrivit; ostendit quippe nos ratione praecipue atque intelligentia, non per solos sensus, res percipere, ratione ejusque immutabilibus notionibus de eisdem dijudicare: non individua solum realia esse, sed suam etiam universales ideas realitatem habere: nec proinde meros esse conceptus mentis *flatusve vocis;* habere siquidem fundamentum in rebus de quibus praedicantur, habere praeterea fundamentum ontologicum in ipsa entis perfectissimi, Dei scilicet, essentia atque intelligentia, in qua sunt omnia vera atque intelligibilia, seu potius cum qua unum idemque sunt.

Hinc etiam omnium primus demonstrationem existentiae Dei mere ontologicam invenit; cumque eam utpote magis subtilem quam solidam ac firmam perstrinxisset Gaunilo monachus, strenue illam Anselmus propugnavit. [92]

losophie en France pendant le moyen âge, par le duc de Caraman, volum. I. Paris 1845, quaestionem agitatam de nominalismo ac realismo medio aevo attingere quaestiones difficiliores philosophiae. Agebatur enim de hoc problemate: ***Quaenam propria natura ac vis est idearum.***

[88]) Apud Cousin, ***Fragments philosophiques. Philosophie scolastique***, seconde édit. Paris 1840. pag. 104 seqq.

[89]) Cf. Rousselot, ***Études sur la philosophie dans le moyen âge.*** Paris 1840. part. I. cap. 5. pag. 155 seqq.

[90]) Ibid. pag. 192.

[91]) Scite a pluribus adnotatum est, nominalismum conducere ad philosophiam scepticam et materialisticam, prout realismus non satis defaecatus ad absurdum vergit idealismum.

[92]) In lib. ***De fide Trinit. et de In-***

Scripsit etiam adversus Graecorum errorem de processione Spiritus Sancti a solo Patre. Summum ubique ingenium patefacit, summam in philosophando animi vim. Hic vero neoeclecticorum hujus aevi cavenda fraus est, qui Anselmo tribuunt, quae aperte falsa sunt et nuspiam apud illum occurrunt, quasi nempe *rationem* absolute *principem et judicem omnium* constituerit, scientiamque nihil aliud esse crediderit nisi evolutionem fidei, qualem ipsi comminiscuntur. [93]

45. Una cum s. Anselmo stetit adversus Roscelinum Guillelmus campellensis (vulgo a *Champeaux* nuncupatus), Anselmi discipulus ac s. Bernardo amicitia junctus, fundator celebris scolae s. Victoris prope Lutetiam, ac demum episcopus catalaunensis. Istius discipulus fuit celebris Abaelardus, qui deinde ei factus est adversarius: quamvis non diffitemur, Guillelmum in realismo scientifice propugnando ultra progressum esse, dum visus est asserere, individua vere non existere, sed plane ut *accidentia* sese habere. Abaelardus porro mediam viam inire sibi proposuit inter purum nominalismum et realismum, admittens principium de materia et forma; materiam seu essentiam vocavit *genus*, formam, qua aliquid obtinet individuationem alteri incommunicabilem, dixit *speciem*. Illud commune, istud in quolibet individuo. [94] Hoc systema vocavit *conceptualismum*, qui juxta plerosque non est nisi nominalismus larvatus. Hoc ipso autem quod Abaelardus rationem etiam in theologicis veluti ducem principem sibi elegerit, in falsa dogmata impegit de Trinitate, de Incarnatione, de gratia etc., quae eidem exprobrat s. Bernardus [95], et ob quae damnatus fuit in conc. suessionensi et senonensi. Hac eadem de causa ab eclecticis neotericis Abaelardus ad sidera tollitur. [96]

46. Hac eadem aetate Gilbertus Porretanus, episcopus pictaviensis, dialecticae, in qua excelluerat abusus, coepit novitates in doctrinam catholicam inducere. Siquidem docebat divinam essentiam Deum non esse, sed qua Deus est; proprietates divinarum personarum realiter ab ipsis distingui personis; divinam naturam minime carnem assumpsisse, aliaque ejusmodi, ob quae a duobus archidiaconis suis Arnaldo et Calone anno 1146. accusatus est apud Eugenium III. Discussa prius ejus doctrina est in conc.

carnat. Verbi contra blasphemias Ruzelini, sive Roscelini; in *Monologio* et in *Proslogio;* et in *libro apologetico contra Gaunilonem.* Merito etiam inter metaphysica conamina s. Anselmi recensendus est *Dialogus de veritate.*

[93]) H. Bouchitté dedit versionem duorum praecipuorum operum s. Anselmi sub hoc titulo singulari, eo quidem et fallaci: *Le rationalisme chrétien à la fin du onzième siècle,* ou *Monologium et Proslogium de saint Anselme.* Paris 1842. Cujus analysin exhibet *Bibliothèque universelle de Genève,* vol. LI. Juin 1844. Eadem ferme ratione de Anselmo disserunt Rousselot in op. cit. cap. 7. aliique passim ex schola eclectica.

[94]) Cf. Cousin, op. cit. *Exposition du système d'Abailard,* pag. 224 seqq.

[95]) Cf. *Epist.* s. Bernardi 89, 90, 91, 92, 93, edit. Mabillonii.

[96]) Uti Cousin, Rousselot aliique passim ejusdem scholae.

parisiensi anno insequenti; deinde vero, agente s. Bernardo, in conc. rhemensi anno 1148. proscripta fuit, ac ipse Gilbertus professioni doctrinae catholicae editae a s. Bernardo, toto probante concilio, subscripsit. [97] Cum vero Otto episcopus frisingensis in chronica sua nimis favisset Gilberto, eum facti poenituit morti proximum. [98]

47. S. Bernardus, non minus sanctitate quam omnigena doctrina illustris, magnum in his luctis adversus doctrinae catholicae corruptores nomen sibi comparavit, ac de ecclesia catholica praeclare meritus est. Quippe disertissimus et Scripturarum ac Patrum studio sedulo incumbens, fulgentissimum ecclesiae lumen et ornamentum evasit ac decus aetatis suae, atque inter Patres connumeratus agmen illorum claudit. [99] Demum Pius VIII. ex sacrorum Rituum congregationis consilio, s. Bernardum universalis ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit.

48. Dum feliciter adeo s. Bernardus adversus novatores dimicabat, schola victorina a Guillelmo instituta praeclaros extulit Hugonem et Richardum, quos alii sunt deinde subsecuti. [100] Hi coeperunt rem theologicam in praecipua capita distribuere, summasque conficere. Scholasticae tamen theologiae presse sumptae parens salutatur Petrus Lombardus, antistes parisiensis, *Magister sententiarum* nuncupatus. Hic, dum versaretur in Academia parisiensi, non ita pridem instituta, ac ejusdem praeses inauguratus, anno 1160. opus edidit inscriptum: *Sententiarum libri quatuor*, quo significavit se praecipuas fere sacrae Scripturae sanctorumque Patrum sententias in unum corpus collegisse. Cum vero eas in diversas classes distribuisset ac distinxisset, articulos vocavit *distinctiones*. S. Augustinum imitatus, doctrinam sacram divisit primo in *Theologiam de rebus* ac in *Theologiam de signis*. Res subdivisit in eas, quibus *fruimur et non utimur;* in eas, quibus *utimur et non fruimur:* in eas denique, quibus *utimur fruimurque*. In primo libro agit *De Trinitate et unitate Dei;* in altero *De creatione mundi,* praecipue vero angelorum et hominum, et *De gratia Dei*. In tertio *De Incarnatione Verbi*, *deque virtutibus et vitiis;* in quarto demum *De sacramentis et novissimis*, seu de resurrectione, judicio etc. Super quatuor theologorum millia perhibentur in hoc opus commentaria edita. Celebriores inter occurrit Alexander alensis Ord. Min., ss. Thomae et Bonaventurae, uti vulgo traditur, magister, quod tamen plures de s. Thoma inficiantur [101]; occurrit Albertus M. qui prodigium aetatis suae est nuncupatus, non minus in divinis quam in humanis scientiis pro aetate sua versatissimus [102]; occurrit

[97]) Cf. Mabill. *Praef. in s. Bern.* n. 52; et lib. LXXVII. *Annal. Benedict.* n. 113 seqq., item lib. LXXVIII et LXXIX.

[98]) Cf. Ceillier, op. cit. tom. XXI. cap. 8. pag. 178.

[99]) Cf. Natalem Argonens. ***De optima legendorum Patrum methodo***, Augustae Taurin. 1742. lib. I. cap. 1 seqq., tum in alio eiusdem opere ex gall. in italicum idioma converso: ***Storia della Teologia***, Poligrafia Fiesolana, 1832. lib. VI. cap. 40.

[100]) Cf. ***Histoire littéraire de la France***, tom. XII. pag. 1 seqq.

[101]) Cf. De Rubeis, ***De gestis et scriptis ac doctrina s. Thomae***, diss. XV. cap. 4.

[102]) De admirandi hujus viri doctrina et

s. Bonaventura ipse, qui alia praeterea scripta magno numero vulgavit. Prae ceteris ad rem nostram facit eximium ejusdem s. Doctoris opusculum *De reductione artium ad Theologiam.* In eo mira subtilitate agit de quadripartito cognitionis lumine, quod distribuit rursum in alia membra, ac deinde copiose demonstrat, quo modo ad lumen sacr. Scripturae reliqui cognitionum fontes referantur, ac divinae Theologiae tanquam dominae famulentur; concluditque eo referri scientiarum omnium fructum, ut aedificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, et consolationes hauriantur, quae in animae cum Deo unione consistunt. [103]

49. Prae omnibus vero excelluit s. Thomas Aquinas, *angelicus Doctor* jure merito nuncupatus, sive miram ingenii felicitatem spectes, sive scriptorum editorum copiam et perspicuitatem. Praecipua ejus opera praeter commentarium in Magistrum sententiarum recensentur *Summa contra gentiles,* opus vere absolutissimum, quod philosophi non minus quam theologi semper suspexerunt, et *Summa theologica.* Hanc in tres partes divisit, quarum secundam iterum in duas dispescuit partes, scilicet in *primam secundae* et in *secundam secundae.* Morte praeventus imperfectum opus hoc reliquit; hinc additum est *Supplementum* parti tertiae ex ejus commentario in *quartum librum sententiarum.* [104] Mirus in *Summa* elucet ordo quo omnia apprime connectuntur ac evolvuntur, adeo ut aptissime arbori comparata fuerit, quae crescit in fustum, se dilatat in ramos, ac frondibus et foliis convestitur. [105] Innumeros et haec enarratores habuit.

scriptis cf. Quetif et Echard, ***Scriptores Ord. Praedic.*** Lutet. 1719. tom. I. pag. 162 seqq. not. 23. Omnia ejus opera collecta in edit. lugdun. 1651. 21 vol. fol. Sed habet aetas nostra sibi certo, cur gratuletur quod Alberti M. in scientias omnes, praesertim naturales, promerita aequissimos maximeque idoneos aestimatores nacta sint. Loquimur de praeclaro opere nuper concinnato a cl. De Blainville, strenue adjuvante abb. Maupied: ***Histoire des Sciences de l'organisation, et de leurs progrès comme base de la philosophie***, Paris 1845. Quo sane in opere accurata factorum investigatione, eruditionis copia, scientiarum peritia ac incenso studio religionis praestantissimo ostenditur, quomodo Albertus M. veram scientiarum divinarum atque humanarum *encyclopaediam* animo complexus sit, planeque confecerit. Vid. praesertim vol. II. period. I. Utinam hoc opus Blainvillanum in omnium manibus versaretur, illorum praecipue, qui philosophiae naturae operam dant, ut hinc discerent omnes ad supremum naturae Auctorem assurgere, ac religionem, quae nos arcte cum illo devincit, in primis amare!

[103]) Opusc. I. in part. I. opp. tom. VI. edit. rom. 1596.

[104]) Pars I. quae est ***De Deo, Trinit., mundo, angelis et hominibus,*** constat quaestionibus 119. I. secundae part. in qua agitur ***De beatitudine, actibus hum., passionibus, habitibus virtutibus, peccatis et vitiis, legibus, gratia et merito,*** quaest. continet 114. II. secundae tractat ***De virtutibus theologicis et cardinalibus, oppositisque vitiis gratiis gratis datis, de vita, statu et officiis hominum diversis,*** quaest. habet 189. Pars III. ***De Incarnat. Christi vita et mysteriis, tribus Sacram. et Poenitentia in genere,*** continet quaest. 90. Supplementum partis III. exhibet, quae scripsit s. Doctor in ***Comm.*** in IV. lib. ***Sent. De Poenitentiae partibus, Extrema Unctione, Ordine, Matrimonio, Resurrectione, extremo judicio, beatis et damnatis,*** continetque quaest. 99.

[105]) Hanc similitudinem exornat Maret in ***Theodicaea,*** III. leçon, pag. 73.

50. Post s. Thomam enituerunt praecipue in scholis Aegidius romanus, Joannes Duns Scotus ab gente nuncupatus [106], vir acerrimi ingenii, scientiis divinis ac naturalibus apprime doctus, qui, dum adhuc in vivis ageret, *Doctoris subtilis* nomen adeptus est. [107] Praeter commentarios in IV libros sententiarum, plura edidit scripta, quamquam vix ann. 34 natus obierit. [108] Paulo post floruit Joannes Baco Carmelita, qui et ipse commentarios edidit in Magistrum sententiarum, et quemadmodum Scotus sic et ipse scholae peculiaris princeps effectus est, licet non eadem fruatur ac ille celebritate. Taceo de celebri Rogerio Bacone Ord. min., qui ambos aetate praecessit, et praecipue de scientiis naturalibus meritus est, quemque adhuc magni faciunt physici aetatis nostrae praestantissimi [109]; ast nil habet cum scholasticis commune.

51. Scholastica varias phases subiit usque ad Tridentini aetatem ac etiam deinceps. Mihi profecto hic mens non est catalogum texere scholasticorum, quandoquidem nec scopus mihi propositus id ferat, et nimis longa res sit, atque ab aliis copiose tractata. [110] Sed cum ad quartam hanc Theologiae devenerimus epocham, quae scholasticam complectitur, operae pretium ducimus nonnulla, quae ad rem spectant, ob oculos ponere.

52. Haud pauci Theologiam scholasticam utpote inanem, barbaram ac tenebricosam traduxerunt: mediumque aevum velut aetatem habuerunt ignorantiae tenebris penitus obvolutam. Alii rati sunt, praesertim neoeclectici aetatis nostrae, scholasticos una simul permiscuisse et confudisse Theologiam et philosophiam, ita ut quod Joanni Scoto Erigenae propositum fuit, ex duabus unam conflaverint scientiam. [111] Nec defuerunt etiam qui scholasticis exprobraverint, quod Theologiam aristotelicam et arabicam fecerint. Taceo quae a levioribus et imperitis hominibus contra scholasticam methodum, atque generatim in scholasticos prolata sunt.

53. Cum porro in hac synoptica historia propositum nobis sit scienti-

[106]) Cum tamen suum esse contendant Angli et Hiberni, Wadingus totus est ut eum vindicet Hiberniae, quam constat olim etiam Scotiam vocatam esse.

[107]) Cf. quae de Jo. Scoto scribit Wadingus in suis *Annalib. Ord. Min.* Ludg. 1635. III. ad ann. 1304. §. 25.

[108]) Natus est enim anno 1274. mortuus vero 1308. ut plures contendunt; alii vero tradunt lucem adspexisse anno 1266. in qua hypothesi obiisset aetat. 43 ann. Certe brevissima fuit ejus vita. Opera tamen varii argumenti reliquit, quae 12 vol. fol. collecta sunt in ed. lugd. 1639.

[109]) Cf. ejus artic. in *Dict. Hist.* Feller. Ortus est anno 1266. Cf. de eo cit. Wadingum in *Annal.* tom. II. ad ann. 1784. §. 12.

[110]) Horum syllabum incredibili diligentia confecit I. B. Gener in *Prodromo ad Theologiam*, Romae 1767. cap. 4. a saec. XII. ac protrahit usque ad annum 1767. ac supra mille singillatim recenset; prout Kilber in suis *Principiis theologicis*, Wirceburgi 1771. id ipsum praestitit quoad auctores anteriores a saec. I. ad saec. XII. inclusive, in *Notitia scriptorum ecclesiasticorum*. Vide etiam Du Plessis d'Argentré, in *Comment. historico de Praedest. et Reprob.* sine loco et sine anno, in fol.

[111]) Uti inter ceteros tenet Taillandier in op. cit. *Scot Erigène*, et Rousselot, op. cit. *Études sur la Philosophie du moyen âge.*

ficum Theologiae cum philosophia comparatae progressum persequi, animadvertimus, theologos scholasticos valde contulisse ad utriusque disciplinae incrementum. Philosophia scholasticorum ad rei substantiam quod attinet, eadem plane est atque Patrum philosophia. [112] Aristotelicismus vero influxum in formam potius exteriorem habuit, quam in ejus substantiam. [113] Etenim cum Patres luctari debuerint cum ethnicismo, et principia heterodoxa ethnicae philosophiae convellere, quae christiana cum fide consistere non poterant, et contra eos etiam dimicare, qui illa ipsa abnormia principia in christianam religionem intulerant, uti haeretici plerique illius aetatis, factum est, ut philosophia Patrum praecipue polemica fuerit.

Contra vero medio aevo per novam populorum *fusionem*, quae in occidente ex incursione barbaricarum gentium orta est, christianae religionis ac moralitatis elementa, sociale, ut ita dicam, corpus intime pervadere atque informare coeperunt, ac ethnicismi reliquias radicitus exstirpare. Tunc ergo scholasticis, qui in eam inciderunt aetatem, et opportunitas enata est et officium, ea quae sparsim ac veluti disjecta membra in Patrum operibus reperiebantur, in unum corpus ac systema scientificum redigendi. Quod ut praestarent, valde eos Aristotelis dialectica juvit, quippe catholicorum dogmatum synthesi tractandae atque illustrandae optime accommodata: hinc scientificus scholasticorum, ut ita loquar, character syntheticus plane est et harmonica partium consensione splendescens. Patrum insistentes vestigiis philosophiam a falsis noxiisque ethnicorum philosophorum principiis purgare adlaborarunt; doctrinas praesertim de Deo rebusque divinis, Deique cum homine nexu ad rectum rationis fideique tramitem revocare; talem demum adornare philosophiam, quae christianae fidei ac spei plane responderet, vereque dici posset et esset christiana. Quapropter fieri omnino debuit ut philosophica scientia ab iisdem exposita characterem quemdam valde *theologicum* exterius indueret; et non solum speculando inserviret, sed religionis etiam sensui in animis confovendo.

Inde ea forte nonnullorum aetate hac nostra fluxit praepostera opinio, scholasticos *identitatem* philosophiae ac religionis fuisse professos, atque utramque permiscuisse. At enim quae rationis et quae revelationis christianae sunt, optime secernere calluerunt scholastici; suam et rationi vim tribuerunt: philosophiam non revelationi, sed rationi ejusque naturalibus praesidiis innixam agnoverunt: quamvis probe intelligerent, revelationem esse veluti lapidem lydium philosophiae, ac ex methodo instituta, revelatione supposita, ut plurimum philosopharentur. Hinc etiam interdum veritates

[112]) Quod fatetur vel ipse Ritter, op. cit. *Histoire de la Philosophie chrét.* liv. I. pag. 46.

[113]) Cf. Ritter, ibid. pag. 47. Obiter vero animadvertendum hic est, philosophiam Aristotelis, si dialecticam excipias, ab initio ope Arabum innotuisse occidenti, ac permixtam pluribus mendis et erroribus, ideoque ecclesiam eidem obstitisse. Cf. Launojum, *De varia Aristotelis fortuna.* Cum tamen omne periculum ope praesertim s. Thomae amotum fuerit, libere ea usi sunt scholastici posteriores.

ratione probatas sacra auctoritate firmabant. Sed haec nil obstabant, quominus illorum tractationes vere philosophicae essent, ac per se a principiis revelatis minime pendentes. Longissime praeterea abfuerunt illi, ut ethnicos philosophos contemnerent, eosque ratione sua nonnisi ad pantheismum aut scepticismum, aut alia errorum portenta devenire potuisse putarent. Quin immo a Platonis et Aristotelis fontibus hauserunt plura: atque alii methodum contemplatricem illius magis adamarunt, uti s. Bonaventura ac Henricus gandavensis; alii magis methodum demonstratricem hujus sectati sunt, uti Albertus M. et s. Thomas. Nimirum ex illorum philosophorum doctrinis ea in rem suam derivarunt, quae veritati essent amica, quae vero inimica aut abjecerunt aut ab errorum sordibus deterserunt. Hinc ingens illud tum theologicae tum etiam philosophicae scientiae aedificium construxerunt, quod nunc etiam sui admirationem extorquet. Nam non christiana tantum dogmata vindicarunt, verum etiam philosophiae praesidio, quantum rationi in rebus revelatis ejusque captum praetergredientibus datum est, illorum nexus ac penitiores rationes scrutati sunt; quo quidem scientiam fidei ulterius etiam quam Patres provexerunt. Ita percelebre Augustini effatum: *Credo, ut intelligam*, praedicantes, rationem docuerunt fidei utiliter inservire.

Sed germanae etiam veraeque philosophiae systema tradiderunt, in quo rationales veritates omnes ex nativis rationis principiis deductae, atque aliae ex aliis logico nexu derivatae in unum corpus conspirant ac mutua consensione fulciuntur. Num enim opera s. Anselmi, s. Bonaventurae ac praesertim s. Thomae simul juncta non perfectissimam nobis exhibent *naturalem* seu *rationalem theologiam?* An in *Summa* praecipue ejusdem Aquinatis absoluta non continetur ethices, philosophiae juris ac politices vere rationalis tractatio? Nonne sublimem plane *Ontologiam* seu, quam dicebant, *philosophiam primam*, utpote scientiarum omnium fundamentum, non constituunt, firmissimis nempe rationis principiis innixam, quae et empirismum ex una parte profligat, et idealismum ex altera longe devitet, sic ut apud ipsos implexa de universalibus controversia vere resoluta sit atque dirempta? Quot in iisdem scholasticorum operibus de animae natura et proprietatibus ejusque vario operandi modo rationales disquisitiones occurrunt, in quibus vix psychologica recentiorum analysis desideretur? Haec ergo sunt permagna sane veterum scholasticorum in Theologiam ac philosophiam ipsam promerita.[114] Fatemur illos deinceps ad abusum declinasse; nimium auctoritati

[114]) Haec, quae vix cursim de vera philosophia scholasticorum attigimus, a nullo magis aetate hac nostra solide atque ingeniose exposita sunt, et clariori in lumine collocata ac ab egregio Ozanam in op. ***Dante ou la Philosophie catholique au treizième siècle***, cujus alia nunc (1845.) novissima apparuit editio pluribus aucta additamentis. Ipse enim non oculis neoeclecticorum, quorum licet plerique ingenio pollent, caligant semper utpote verae fidei lumen aversantes, adspexit philosophiam, sed ea peracuta catholica mentis acie eoque castissimo religionis sensu, qui veritatem plene atque ubique assequitur. Videre porro est quae de theodicaea, ontologia, anthropologia, philosophia juris, ac politica scholasticorum, praesertim ex doctrinis s. Bona-

Aristotelis detulisse, inutiles sectatos esse subtilitates, rebus solidioribus posthabitis. Sed quae nonnullorum, aut etiam aetatis sequioris vitio vertenda sunt, nequeunt eam laudem atque admirationem infirmare, quam sane amplissimam merentur opera celebriorum scholasticorum. Atque utinam illa nunc majorum assiduitate tractarentur, plenioresque haustus ex uberrimis iis fontibus derivarentur!

54. A scholasticis concertationibus, in quibus diu versati fuerant, theologi sese ad graviora, saeculo XIV. exeunte, recipere debuerunt. Per id enim aetatis impiae Wicleffi doctrinae in Anglia exortae, Germaniam etiam pervaserunt, ac errores pepererunt tum Joannis Huss, tum Hieronymi Pragensis, aliorumque ejusmodi sectariorum. Accedebant gravissimae cum Graecis dogmaticae contentiones. Demum miseranda ipsa ecclesiae conditio ob dirum diuturnumque adeo occidentis universi schisma. Quae mala omnia habebant certe, cur theologorum industriam ac religiosorum hominum zelum exposcerent!

55. Duo porro saec. XV. initio celebrata concilia sunt, constantiense nimirum ac basileense, ut illorum haereticorum proscriberentur errores, ac veritas catholica assereretur, uti effectum est circa ecclesiae ac rom. pontificis auctoritatem, circa sacramentorum usum, Eucharistiae sub altera tantum specie communionem, aliaque id genus multa, et post tot tantasque tempestates ecclesiae etiam pax denique restituta. Theologos inter, qui tunc emicuerunt, peculiari sunt memorandi laude Card. Alliacus, vir singularis ingenii atque eruditionis; Card. a Turrecremata non minus celebris; Aeneas Sylvius, qui posthac nomine Pii II. ad Petri cathedram evectus eam scriptis illustravit ac vitae austeritate; Thomas waldensis, qui egregium opus *Doctrinale antiquitatum fidei ecclesiae catholicae* Wicleffi erroribus opposuit; magnus Cancellarius Joann. Gerson, cujus scripta, sive copiam eorum spectes sive gravitatem ac multigenam eruditionem, haud modice contulere ad disciplinarum sacrarum restaurationem.[115] Sed prae caeteris Card. Nicolaus Cusanus, dioecesis trevirensis, vir in divinis Scripturis eruditissimus et theologorum illius aetatis facile princeps, in naturalibus scientiis egregie doctus, philosophus, rhetor ac mathematicus percelebris, ingenio subtilis et eloquio disertus, trium linguarum hebraicae, graecae ac latinae peritus.[116] Omnium ipse primus isidorianae collectionis spurium foetum detexit, et in opere praeterea, quod inscripsit: *Reparatio*

venturae et s. Thomae ipse singillatim evolvit in toto illo opere, sed praecipue part. III. cap. 2 et seqq. et fusius adhuc in calce *Documents pour servir à l'Histoire de la Philosophie au treizième siècle.* Hoc porro opus vere dixeris praeclarum monumentum, quod nobis exhibet *philosophiam, theologiam* atque *aestheticam* scholasticorum aetate, uno eodemque religionis vinculo amice simul colligatas, et inde sublimiores effectas.

[115]) Hujus operum editionem accuratissimam dedit Ellies Dupin, quinque vol. fol. Antwerpiae 1706. qui tamen nimis eum extulit ad finem suum. De quo cf. Petitdidier, *De sententia conc. constantiensis.*

[116]) Cf. ejus vitam praemissam hujus operibus edit. basileensis, anno 1565.

Calendarii, fundamenta jecit illius systematis coelestis quod Copernicus deinceps evolvit, ab eoque nomen accepit. Plura de vario argumento exaravit opera magno utriusque disciplinae philosophiae ac theologiae emolumento. [117] Quod si et Cusanus et alii ex illis, quos commemoravimus, parum sese aequos erga pontificum roman. auctoritatem quandoque praebuerunt, id enim vero calamitosae illorum temporum conditioni tribuendum est. Cusanus certe, quae olim incaute illi exciderant ea de re, provectiori aetate abunde reparavit. [118]

56. Amplissimum haud ita post, in conc. scilicet florentino theologi catholici campum nacti sunt in acerrimis disputationibus, quas cum Graecis schismaticis habuerunt ad unionem conciliandam. In quo certe Latini, quod attinet ad intimam Patrum conciliorumque sacrorum cognitionem, ad theologicorum argumentorum pondus, ad dialectices vim, satis ostenderunt, quantopere scientia theologica in latina ecclesia prae graeca profecisset. Maxime porro ibidem inclaruerunt tum Card. Julianus Cesarini, graeca lingua ac theologicae scientiae peritia insignis, qui et ipsius Cusani magister extiterat, tum Joannes a Montenigro, fratrum Praedicatorum praeses provinciae Lombardiae, in ecclesiastica traditione versatissimus, qui quidem ambo pro catholico dogmate de processione Spiritus S. a Patre et Filio, feliciter dimicantes, praecipuas in unione tunc composita inter utramque ecclesiam partes habuere.

57. Sed et alia catholicae theologiae ac satis conspicua e Graecis ipsis accessio facta est. Plures siquidem egregii inter Graecos theologi jam diu antehac, sub aetatem videlicet conc. lugdunensis II. schismate abjurato ad ecclesiae unitatem redeuntes, scientiam theologicam operibus suis locupletarant. Uti praesertim praeter Blemmydam, percelebris est Joann. Veccus, cujus tam praeclara ac fere innumera contra Graecorum errores scripta fuerunt; Manuel Calecas, cujus quatuor in Graecorum errores libris nil doctius ac subtilius, Petavio judice, potuit conscribi. [119] Sed et florentinae synodi aetate, et in ipso concilio Isidorus Rutenus, Joseph Methonensis, Georgius Scholarius, Graeci omnes, pro catholico dogmate depugnarunt. [120] Omnes tamen longe superavit posthac celeberrimus

[117]) In tres tomos distributa reperiuntur in cit. edit. Eximii hujus viri memoria digna prorsus esset, quae illustraretur, ac nova ejus operum adornaretur collectio.

[118]) *In Epist. I. ad Rodesicum de Trevino,* anno 1442, die 20. Mart. in cit. edit. pag. 825 et seqq.

[119]) *De Trinit.* lib. VII. cap. 4. §. 17, et alibi.

[120]) Horum aliorumque opera magna ex parte vulgavit Leo Allatius in sua *Graecia orthodoxa,* duob. vol. Romae 1657. Dissentit autem Le Quien ab Allatio circa Georgium Scholarium, num scilicet duo extiterint ejusdem nominis Georgii Scholarii, quorum alter patriarcha constantinopolitanus apprime catholicus, quique interfuit conc. florentino, de quo disserimus, et alter monachus acerrimus schismaticus, an unicus, uti cum Le Quien alii eruditi censent. Caeterum scriptorum graecorum, qui pro romanae ecclesia scripserunt, prolixum catalogum exhibet J. A. Fabricius in *Biblioth. graeca,* vol. X. edit. Hamburgi.

Bessario, qui tot latinis graecisque scriptis, quibus philosophiam et theologiam illustravit, velut aetatis suae singulare decus eluxit.

58. Sed jam ad quintam ex designatis epocham accedimus, quam ex celebratione tridentini concilii duximus repetendam. Hic enim amplissimus omnium ecclesiae totius conventus sive ob doctrinam theologicam, ac omnigenam sapientiam tot illustrium virorum, quibus praefulsit; sive ob teterrima ac multiplicia errorum monstra, quae configere debuit; sive ob numerum et gravitatem catholicorum dogmatum, quae in tuto collocavit; sive ob sapientissimas leges in bonum totius ecclesiastici coetus constitutas; sive demum ob illam ipsam in qua habitus est aetatem, qua nempe studiorum omnium ac litterarum instauratio a XV. saeculo inchoata vehementius in dies provehebatur, fieri non potuit, quin novam theologis adderet alacritatem, atque industriam eorum imprimis excitaret. Hinc quemadmodum tridentinae synodi beneficio sacra universim refloruit disciplina, clericalis juventus in litteris moribusque diligentius excoli coepta est, novoque ecclesia ubique decore renituit, sic etiam inde theologica studia amplificata, perpolita, eruditiora atque adeo solidiora effecta.

Quare nos valde refragamur nonnullorum recentiorum opinioni, qui dolent, tridentina synodo factum esse, ut theologi deinceps ad *quid*, ut ajunt, *dogmatum* vindicandum totos se dederint, quod vero pertinet ad *quomodo* seu intelligentiam dogmatum eorumdem, plane neglexerint; uno verbo theologiam exinde totam *positivam* effectam esse, *speculativam* vero omnino jacuisse. Num enim post Tridentinum *scholastica* theologia, quae in scientifica illa speculatione semper versata est, plane fuit obliterata? Atqui ex Tridentini aetate, et diu deinceps non modo non jacuit, sed eo se detergens squallore, quem pseudoscholasticorum ac temporum vitio contraxerat, quemque acriter adeo Ludovicus Vives, Melchior Canus aliique insectati erant, viguit iterum, et suum visa est splendorem recuperare. Etenim praeter Franc. Victoriam, qui primus in ea instauratione praedicatur, et Canum ipsum, alii magno numero consecuti sunt, uti Salmanticenses, Maldonatus, Becanus, Card. Joann. De Aguirre, egregius Anselmi cantuariensis enarrator. Sed quis non collaudet opera utriusque Soti, Sylvii, Gammachaei, Isamberti, Duvallii, Goneti aliorumque ejusmodi? Quis theologicas easdemque speculativas lucubrationes Valentiae, Toleti, De Lugo, Lessii, Vasquezii, Suarezii non suspiciat!

59. Fatemur equidem post tridentinam synodum, eam multo magis quam antea invaluisse Theologiam presse *dogmaticam,* quam *positivam* dicunt. Sed primo id temporum ratio pro ecclesiae bono omnino postulabat; secundo non id scientiae ipsius theologicae veluti jacturae reputandum est, sed magno prorsus lucro atque incremento. Recolatur enim animo miseranda illa dogmatum catholicorum, rerumque omnium theologicarum sus deque conversio, quae Luthero, Calvino, Zwinglio caeterorumque novatorum debacchante caterva saec. XVI. facta est, atque innumera fere sectarum soboles inde prognata. Pleraque a protestantibus christiana dogmata impetita, a socinianis

mysteria omnia, sic ut Christi religio funditus convelleretur. Utrique vero, ut suas propinarent doctrinas, quid reliquerunt intentatum? Foedarunt omnia, omnia perverterunt. Biblica exegesi atque hermeneutica, philologia, historia, patristica, archaeologia aliisque ejusmodi disciplinis, quae tunc maximo in pretio haberi coeperant, pessime abutebantur, ut fucata eruditione incautos deciperent. Tot igitur machinationes ut subruerentur, iisdem armis erat catholicis theologis dimicandum, eaedem disciplinae naviter excolendae, in eamdem palaestram descendendum.

Quocirca divina factum est providentia, ut strenui tunc ac deinceps, ut videbimus, ex universo orbe catholico consurgerent viri, qui vario illarum disciplinarum praesidio abunde muniti, sectariorum audaces impetus debilitarent ac frangerent. En igitur quare catholicorum theologorum scientia ad *positive* dogmata propugnanda converti prius se debuerit, quam ad ea speculatione illustranda; sed praeter veritatem praeclare adsertam, quanta inde in dogmata ipsa scientifica lux manavit! Quanta totius sacrae antiquitatis hausta cognitio! Quot scientiarum omnium cum christiano ipso dogmate nexus detecti? Quae certe omnia aliaque ejusmodi, quae mox loco suo persequemur, quis ad magna Theologiae catholicae incrementa non referat?

60. Sed aliud hic nobis adnotandum se offert cum Luthero ejusque aetate intime connexum, quod scientiam ipsam theologicam prope spectat. Nimirum per Lutherum, ac consequentes saeculi XVI. sacrorum reformatores, vere inductum esse implacabile dissidium scientiam inter ac fidem, philosophiam inter atque Theologiam. Lutherus enim duo illa posuit, plane secum ipsis pugnantia principia, ex quibus ejusmodi dissidium necessario consequi debuit; quippe ex una parte rationis nullitatem, seu *nihilismum* in fide proclamavit, ex altera vero rationis individuae seu spiritus privati libero examini subjecit omnia. Hinc et principium catholicum auctoritatis et scholasticam seu speculativam theologiam, et rationalem philosophiam ipsam, quae omnia in systemate catholico apprime simul cohaerebant, irrisit ac repudiavit. Quid igitur mirum si protestantismus iisdem contradictoriis principiis insistens ac sese jugiter evolvens bellum illud rationem inter ac fidem acrius in dies effecerit, sic ut aut *rationalismus* ejus soboles fidem christianam plane absorbeat, aut *nihilismus* nativum rationis lumen et humanae voluntatis arbitrium pessumdet? Huc igitur vera est hujus inter Theologiam ac pseudophilosophiam saevientis in dies magis belli origo revocanda.

61. At enim plerisque aetatis nostrae catholicis aeque ac rationalistis ea insidet opinio, quae ejusmodi, ut ita dicam, scientiae ac fidei divortium Cartesio ejusque philosophandi methodo in primis tribuat. Quare opposita omnino de Cartesio recentiorum judicia: hinc laudes eximiae, illinc querimoniae atque insectationes acerrimae, prouti nempe diverso judicantes sensu afficiuntur. Etenim neoeclectici mire Cartesium praedicant, quod scholasticam philosophiam plane aboleverit [121], quod philosophiam a theologica auctoritate

[121]) Cousin, op. cit. ***Philosophie scolastique, Abailard,*** pag. 5. quemadmodum Abaelardo introductionem scholasticae, ac fundationem philosophiae medii aevi, sic

emancipaverit, atque ita ut ratio philosophica nullo debeat aut possit freno constringi, sed auctoritas summa sit, cui fides ipsa se plene subjicere teneatur. Contra vero sive *ontologistae*, quos vocant, quod methodum psychologicam rejiciant, sive *sentimentalistae,* qui methodum quamcumque rationalem ad res suprasensibiles demonstrandas exhorrent, sive *supernaturalistae* ac *traditionales,* qui christianae revelationi aut traditioni tamquam fundamento in philosophando innituntur, in eo omnes asserendo conveniunt, per Cartesium philosophiam *antichristianam* factam esse, bellumque perpetuum inter scientiam ac fidem excitatum; quandoquidem philosophia ita a fide sejuncta, et psychologicis logicisque tantum innixa principiis ad scepticismum, pantheismum, materialismum etc. prono veluti cursu feratur. In quibus sane judiciis plura utrimque falsa esse convincuntur.

Ac primo illud falsissimum, distinctionem inter philosophiam ac Theologiam, inter rationalem scientiam ac fidei divinae auctoritatem invectam esse a Cartesio, cum ex ipsa rei natura dimanet, et numquam, ut nuper adnotavimus, apud Patres, doctoresque scholasticos probe *theoretice* perspecta atque etiam *practice* servata non sit. Methodum tamen a Cartesio usurpatam paulo diversam a methodo scholasticorum fuisse non diffitemur: quippe scholastici cum recta ratione fidei principiis collustrata philosophiam ab ethnicismi erroribus purgare susciperent, una quidem ratione philosophabantur, sed principiis revelatis, ut plurimum *theologice,* in antecessum suppositis.[122] Cartesius vero cum philosophiam ipsam a peripateticis subtilitatibus ac sordibus, quae illam sequiori scholastica aetate infecerant, expurgare sibi proponeret (uti etiam praeter Cartesium in eumdem scopum et Galilaeus et Baco a Verulamio adlaborarunt), veritates rationi pervias analytico processu retractare instituit, ac juxta ordinem logicum quasique *geneticum* disponere, ut simul una firmius consisterent. Hinc ea usus methodo est, quae *independens* dicitur, seu potius *praescindens* in veritatibus naturalibus a principiis revelatis. Nimirum ei insistens methodo *hypothetici* cujusdam dubii, quam Augustinus ipse adumbrarat, primum psychologice et logice veritatem de ipsa sui ipsius existentia, velut basim firmissimam, omnibusque intime evidentem posuit, deinde necessario logico ac ontologico nexu ad supremam causam sui, Deum scilicet assurrexit, et continenti deductione caeteras inde rationales veritates tum theodiceae tum psychologiae derivavit. In qua sane rationali methodo rite intellecta ac sobrie adhibita nihil est quod per se damnandum occurrat. Nam si philosophia et Theologia intrinsecus distinctae ac diversae sunt, quid prohibet quominus etiam seorsim pertractentur, et unaquaeque ex nativis suis principiis et fontibus deducatur? Falsum porro est philosophiam ita institutam ad pantheismum aut scepticismum necessario ducere[123]; falsum,

Cartesio tribuit destructionem scholasticae eumque philosophiae recentis parentem proclamat, scilicet rationalismi.

[122]) Cf. quae supra scripsimus in epocha IV.

[123]) Cf. Gerdil, *Sur l'incompatibilité des Principes de Descartes et de Spinosa,* opp. edit. Rom. tom. IV.

perpetuum inde oriri debere scientiam inter et fidem dissidium.[124] Falsum, inquam, si mentem ipsius Cartesii consulas, falsum si rei naturam perspicias. Cartesius enim ab iis philosophicis errorum portentis maxime abhorruit: a veritatibus revelatis in philosophando praescidit quidem, sed eas constanter ob oculos habuit ac reveritus est, et quin umquam professus sit, negavit aperte rationi revelationis auctoritatem subjici oportere.[125] Immo opera dedicans Sorbonnae declaravit se confidere, methodum a se initam philosophandi ad ipsius revelationis veritatem demonstrandam haud parum collaturam.[126] Sed quidquid tandem de Cartesio ipso sit, ex rerum natura palam est, rectam hominis rationem monstra illa pantheismi, scepticismi etc., per se ipsam profligare, ac ad Deum conditorem, provisorem, legislatorem supremumque hominis finem, recta ducere; revelationis necessitatem atque utilitatem, praesertim vero tot ejus existentiam argumentis luculentam efficere obligationemque sese Deo revelanti submittendi agnoscere posse ac debere: unde sanam philosophiam instar cujusdam *propaedeuticae* ad religionem revelatam esse posse Patres ipsi testati sunt.[127]

[124]) Cf. s. Thom. ***Cont. Gent.*** lib. I. cap. 3—7.

[125]) Solemne fuit scholasticae theologiae principium illud, quod Picus Mirandulanus hac pereleganti formula enunciavit in ***Epist. ad Aldum Manutium: Accingere ad philosophiam, sed ea lege, ut memineris, nullam esse philosophiam, quae a mysteriorum veritate nos avocet.*** Sed num Cartesius legem hanc a nullo unquam christiano adeoque vero philosopho obliterandam repudiavit? Absit. Audiamus eum loquentem, cap. 76. lib. I. ***Prima philosoph.: Praeter caetera autem memoriae nostrae pro summa regula est infigendum ea, quae nobis a Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda, et quamvis forte lumen rationis quam maxime clarum et evidens aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen auctoritati divinae potius quam proprio nostro judicio fidem esse addendam. Sed in iis, de quibus fides divina nihil nos docet, minime decere hominem philosophum, aliquid pro vero assumere, quod verum esse nunquam perspexit, et magis fidere sensibus, hoc est inconsideratis infantiae suae judiciis quam maturae rationi.*** Et cap. 28: ***Si forte nobis Deus, de se ipso vel aliis aliquid revelet, quod naturales ingenii nostri vires excedat, qualia jam sunt mysteria Incarnationis et Trinitatis, non recusabimus illa credere, quamvis non clare intelligamus.*** Cur qui tantopere extollunt Cartesium ejusque philosophandi rationem neoeclectici aetatis nostrae philosophicae hujus legis ab eodem veluti fundamento statutae omnino obliviscuntur? Sed inter egregios catholicos immoderati insectatores Cartesii, qui ex ejus criterio supremo de ***idea clara et dilucida*** omnem mysteriorum destructionem consequi debere conclamant, intelligere inde deberent, ***ideam*** illam ***claram*** atque ***dilucidam*** ad evidentiam rei ***intrinsecam*** et ad evidentiam etiam ***extrinsecam*** optime ex Cartesii ipsius mente referri posse et debere. Certe quis unquam e theologis ipsis negavit ***evidentia*** opus esse ut quis credat Deum esse locutum ac mysteria nobis revelasse, ***evidentia*** scilicet ***credibilitatis?*** Sed haec evidentia ***extrinsece*** plane se habet ad ***intrinsecam*** mysteriorum naturam, quae, ut Cartesius ipse profitebatur, soli divinae auctoritati nituntur, ob eamque solam credenda sunt. Plura adhuc hujus generis ex Cartesio afferri possent. Cf. ***Dissert. de Methodo,*** pag. 5. nec non ***Respons. ad secund. object.*** pag. 75 seqq. et alibi.

[126]) Cf. ibid. in ***Epistola sapientissimis clarissimisque viris Theologiae parisiensis Decano et Doctoribus,*** pag. 1 seqq.

[127]) Inter quos eminent Justinus in

Quod si *methodus* ista, quae *cartesiana* dicitur, aetate hac nostra a neogermanicis philosophis, atque neoeclecticis gallicis aliisque usurpata, tot errorum peperit monstra, tantumque in christianam fidem bellum concitavit, id non methodo ipsi, sed aliis plane causis, ob quas humana ratio ne dum a fide sed ab ipso naturali lumine suo turpiter descivit, tribuendum. Certe ea methodus post Cartesium a gravissimis theologis atque apologetis probata est et ab egregiis etiam philosophis [128] cum religionis bono usurpata. Quae cum ita sint, licet scholasticae methodo, quae, posita revelatione, veritates naturales philosophando ratione vindicat, ac scientifice construit, sua constet utilitas, non ideo altera rejicienda methodus est, quae *praescindens* a revelatione veritates naturales ratione philosophando inquirit, atque demonstrat; nisi quis ea velit ad fidem abjiciendam pessime abuti. [129] Christiana quippe fides rectum rationis usum non modo non horret ac reformidat, sed provehit excitatque, cum certissime sciat, quidquid veri per rectum rationis usum, cupiditatibus ac praejudiciis exclusis, homo assequatur, id omne secum ipsa mirifice consensurum; Deus siquidem, qui essentialis veritas est, revelationis et fidei aeque ac rationis est auctor. [130]

Dial. cum Tryphone, n. 2; ac Clemens alex. ***Stromat.*** lib. VI. opp. ed. Potterii, Venet. 1757. tom. II. pag. 823.

[128]) Praeter Bossuetium, Fenelonium, André, Gerdilium aliosque quamplures, praestat hic recentiores inter commemorare cl. Galuppi, qui in sua ***Memoria sul sistema di Fichte diretta all' Istituto di Francia,*** Napoli 1841. part. II. §. 34. commendat methodum Cartesii, eademque utitur ad neogermanicae philosophiae placita profligande. Atque hic idem cl. auctor in ***Saggio filosofico sulla critica della conoscenza,*** Nap. 1833. tom. IV. lib. III. cap. 6. ostendit quomodo Spinoza pessime abusus fuerit doctrinis Cartesii.

[129]) Cf. Cavour, Art. cit. pag. 7 – 8.

[130]) Hoc perbelle expressit Archiep. parisiensis in sua ***Introd. philosophica ad studium Christianismi,*** Paris. 1845. pag. 17. Dum porro ita nos methodum ***rationalem,*** quam dicunt, tuemur, utpote suo intrinseco valore in ordine ***logico*** minime destitutam, absit ut asseramus per eam humani generis necessitati consultum esse aut consuli unquam potuisse. ***Historia*** enim tota contrarium luculentissime docet, et facta cum jure connexa probant aperte, uti s. Thomas vere sapienterque evicit (***Cont. gent.*** lib. I. cap. 4.), quod in iis ipsis, quae ratione investigari possunt, per eam viam nonnisi ***pauci homines*** et cum ***magno labore ac studio,*** et ***post magnam temporis longitudinem*** et non sine ***admixtione falsitatis*** et ***dubitatione*** veritatem fuissent assecuti. Ad haec, longe facilius est veritates rationales, siquidem certissimae jam per aliam viam cognoscantur, ab ipsa ratione deducere, quam ratione sola eas primum detegere. Quare cum et ipsis ethnicis philosophis aliquod praeter excultae rationis suae, primaevae revelationis lumen penitus non defuerit, et cum multo magis iis, qui post evangelium propagatum philosophati sunt aut philosophantur, clarissima revelationis christianae lux affulserit et affulgeat, mirum non est, si et illi facilius plurima vera perviderint, et isti pleniorem ac veriorem potuerint, atque adeo si recte saperent, possint philosophiam constituere. Unde positivae revelationis divinae inaestimabile beneficium magis elucet. At horum omnium rationalistae plane obliviscuntur, quos proinde et historiae universae pondus et ratio ipsa profligat, uti solide ostendit Archiepiscopus parisiensis in opere hic laudato, cui quidem gratulamur et ipsi, qui haud aliter in necessitate divinae revelationis propugnanda versati sumus in Tract. ***De vera religione.***

62. Ceterum et Cartesii aetate, et satis diu post ipsum, scholastica floruit Theologia, et scholastici plerique ipsi rationalem philosophiam scholastica methodo impense coluerunt. Liceat hic commemorare duo volumina *Disputationum metaphysicarum* Suarezii, quae totam ontologiam ac naturalem theologiam summa ingenii vere philosophici laude complectuntur; *Theologiam naturalem* et *Moralem philosophiam* Theophili Raynaudi, haud vulgaris certe inter scholasticos philosophi: Tractatus *de Justitia et Jure* a Molina, De Lugo, Lessio conscripti, in quibus si elegans recentiorum forma desideratur, jus tamen naturale privatum ac publicum fere universum solide et egregie evolvitur.[131] Quae quidem opera aliaque id genus multa naturali rationis investigatione atque discursu innituntur, nec quidquam tamen cum Cartesio ejusque methodo habent commune. Quamobrem non a Cartesio separationem philosophiae ac Theologiae repetendam esse concludimus, quae et ante ipsum et post ipsum, et independenter ab ipso apud plures e scholasticis ipsis in usu fuit, multoque minus eidem dissidium scientiam inter et fidem adscribendum, quod quidem a turbulentis protestantismi castris vere prodivit, ejusdemque opera, ut videbimus, in perpetuum ac fatale bellum exarsit.

63. Sed ut eo, unde digressi sumus, revertamur, statim ac novatores saec. XVI. arma capessiverunt in catholicam fidem, ejusque ministram ac vindicem Theologiam, praestantes theologi in aciem descenderunt. Ac Luthero sane sese illico opposuerunt Eckius et Emserus, qui non ejus modo novitates detexere, verum etiam malam fidem in corrumpendis, detruncandisque Scripturis sacris.[132] Deinde vero Card. Cajetanus, et Card. Hosius, cujus egregia opera magno semper in pretio habita sunt.[133] Ven. Petrus Canisius non minori successu dimicavit; nec aliter id praestiterunt adversus novatores Joann. Cochlaeus, Card. Fischer, Contarini, Sadoletus, tum etiam Petrus et Dominicus Soto, Ambr. Catharinus, Driedo, aliique celebres viri. Ast prae caeteris excelluit Card. Bellarminus, cujus *Controversiae* sive soliditatem rerum spectes, sive vim ratiocinandi, sive nativam disserendi perspicuitatem, absolutum eo in genere tractationis exhibent exemplar. Innumeri prope illas haeretici aggressi sunt, ast irrito conatu. Adhuc illae virescunt et florent, nec unquam validissimum hoc fidei veluti armamentarium deficiet. Nec minus celebris hac ipsa extitit aetate Cardinalis alter David Du Perron, qui calvinianae et anglicanae sectae errores, qua late patent, strenue exagitavit. Eruditione, linguarum peritia, scriptorum copia prodiit deinde Gretserus adversus haereticos, eosque vehementi acrique impugnatione profligavit; sic etiam

[131]) Cf. Rosmini, *Filosofia del diritto.* Milano 1842. tom. I. *Introduzione.*

[132]) Cf. P. Cherubim a s. Joseph, in *Apparatu Biblico,* tom. I. *Disp. unica,* fol. 12 et 13; et tom. II. *De vers. vernac. sacr. Script.*

[133]) De quibus perinde ac de aliis pluribus, qui lutheranam haeresim aggressi sunt, vid. Natal. Alexandrum, *Hist. eccles.,* saec. XV et XVI. cap. 5. art. 2; et cap. 11. §. 5.

Fratres Walenburgici suis *Controversiis* praeclaro successu sectas illius aetatis perstrinxerunt: quod et Becanus praestitit egregio *Controversiarum Manuali.*

64. Ast demum enituit Petavius, qui inter theologos dogmaticos merito princeps censetur [134], atque a Curcellaeo *Jesuitarum theologorum aquila* nuncupatus est: linguarum doctarum peritissimus, in Patrum graecorum latinorumque lectione abunde versatus, eruditionis copia praeclarus, peracuto ingenio, robusque theologicis alte scrutandis maxime accommodato, in arte critica acerrimus, in chronologicis nulli secundus. [135] Quibus praesidiis instructus praeter alia scripta magnum illud dogmatum theologicorum opus adornavit, quod cum imperfectum, morte quippe praeventus, reliquisset, etsi plures absolvere adnisi sint, nemo tamen id exequi potuit arduitate operis fractus. Ludovicus Thomassinus illum quodammodo aemulari sibi proposuit, communi tamen virorum doctorum judicio longe a Petavio abfuit. Attamen doctus hic vir utilissima elucubravit, quibus optime de re catholica meritus est. Bossuetius protestantes exagitavit protrivitque tot aureis scriptis, quibus eos aggressus est, praesertim vero numquam satis commendata *Variationum historia.* [136]

65. Ex his, quae vix levi calamo attingimus, facile jam quisque intelliget epocham, de qua disserimus, praestantissimorum virorum numero, gravitate, eruditione, doctrina uberrimam esse, theologicam scientiam sic esse progressam, ut firmandis dogmatis propugnandisque, evolvendis item ac illustrandis, difficile admodum sit eam superare. Non modo florentissimae academiae parisiensis, lovaniensis, complutensis, conembricensis, bononiensis, patavina aliaeque magno numero viris doctissimis refertae fuerunt, sed nulla extitit scientiae sacrae pars, quae cultores suos eximios nacta non fuerit. [137]

66. Etenim Scriptura sacra ex hoc potissimum tempore nobilissimos habuit interpretes atque expositores, inter quos excelluerunt Salmeron, Toletus, Sanctius, Maldonatus, Estius, Lorinus, Bonfrerius, Pineda, Corn. a Lapide, Tirinus, Menochius, Calmet, aliique pene innumeri, quos ipse Calmet recenset initio sui *Dictionarii biblici,* qui vel Biblia universa, vel alterutrius Testamenti libros, vel libros singulos exposuerunt. Eamdem praeloquiis, prolegomenis, apparatibus ditarunt, aut dissertationibus illustrarunt Marianus, Bonfrerius, Bernardus, Lamy, Menochius, Tirinus, Calmet, Graveson aliique bene multi.

[134]) Cf. *Virorum illustrium de Petavio testimonia a Franc. Ant. Zaccaria collecta* in edit. *Dogm. Theologic.* Venet. 1757.

[135]) Huc spectat celeberrimum opus *De doctrina temporum,* duobus volum. fol. quod edidit 24 ann. antequam ingens opus *Dogmatum theologicorum* conscribendum aggrederetur, ut ipsemet testatur, *De Incarn.* lib. XVI. cap. 8. §. 1.

[136]) Summi hujus viri opera in edit. Versailles 1819. 42 volumin. in 8. collecta sunt, praeter quatuor alia, in quibus *Historia biographica* ejusdem continetur.

[137]) Harum academiarum censum exhibet J. B. Gener, op. cit. in *Prodromo* I. cap. 6. *Syllabo* I.

Criticam biblicam excoluerunt Cherubim a s. Joseph, Richardus Simonius; Serrarius cum aliis plurimis. Canonicam auctoritatem inter caeteros propugnarunt Sixtus senensis, Morinus, Blanchinius, Marchini; Vulgatam vero versionem latinam strenue vindicarunt Bukentop, Czuppon, Branca una cum recensitis, adversus protestantes, qui denique faces submiserunt.[138] Jamdiu Santes Pagnini ad faciliorem Scripturarum intelligentiam magnum suum *Thesaurum linguae sanctae* confecerat: ac Polyglotta prodierat complutensis, opera immortalis Card. Ximenes[139], quam subsecuta est altera Ben. Arias Montani[140], ac Regia parisiensis[141], priusquam Waltonus ederet suam.[142] Opera Sixti V. prodiit graeca versio LXX. nuncupata.[143] Demum concinnatus est Ugolini *Thesaurus*[144] et *Variae lectiones V. T.* Bern. De Rossi cum prolegominis historico-criticis, quae haud modicum criticae biblicae subsidium contulerunt. Ultra limites, quos mihi praefinivi, nimis excurrerem, si vellem singulas catholicorum dissertationes recensere, aut versionum contexere historiam. Qui cupit istius habere notitiam, is adeat Le Long.[145]

67. Collectiones conciliorum accuratissimae datae sunt a Binio, Sirmondo, Card. De Aguirre, a parisiensibus theologis, postea vero a Labbeo et Cossartio, atque ab Harduino, quorum deinde collectionem Mansius et Colletus amplificarunt. Nec minori studio scripta Patrum ediderunt plures eruditi viri. Petavius, Sirmondus, Cotelerius, Corderius, Gretserus, Chiffletius, Combefisius, Fronto Ducaeus, Le Quien, Garnerius, editores maurini. quibus accesserunt Bibliothecae Patrum magno numero cum apparatu Nourryi, Gallandi[146] aliorumque, praeter historiam criticam Patrum Halloixii, Dupinii, Ceillierii, Lumper. Idem dic de liturgiis orientalium et occidentalium ecclesiarum, quas collegerunt et vulgarunt Renaudotius, Martenius, Mabillonius, Card. Bona, Card. b. Thommasius, Muratorius atque uterque Assemanus. Sic historia ecclesiastica per Card. Baronium ac Raynaldum cum adnotationibus Pagii et Mansi, Bzovium, Spondanum, Du Mesnil, Natalem Alex., Tillemontium, Fleuryum, Card. Ursium aliosque plures illustrata est, praesertim vero per ingentis molis opus Bollandianorum una cum arte critica Honorati

[138]) Cf. Brunati *Dissert. del nome, dell' autore, de' caratteri, dell' autorità della versione volgata.* Milano 1838.

[139]) Expleta est anno 1515.

[140]) Anno 1569.

[141]) Anno 1645.

[142]) Anno 1657.

[143]) Anno 1587.

[144]) Qui constat 34 vol. in fol.

[145]) *Bibliotheca sacra,* duob. volum. in fol. Paris. 1733.

[146]) Praecipuae Patrum Bibliothecae sunt: 1a. Parisiens. anno 1575. De la Bigne. 2a. Altera Paris. 1624. *Graeco-latina.* 3a. Longe copiosior Coloniae Agripp. 1618. 4a. Magis adhuc aucta Lugduni 1677. cum duobus volum. *Apparatus* Nourryi. Ad has demum accessit Bibliotheca Gallandi, 14 volum. Venet. 1765. praeter subsequentes accessiones.

a s. Maria, innumerisque pene prolegominis ac dissertationibus doctorum virorum. Impensus item labor accessit archaeologorum ecclesiasticorum, qui rimas omnes ac latebras, ut ita loquar, christianae antiquitatis investigarunt, Bosius, Arringhius, Boldettus, Marangonus, Victorius, Sandellius, Maffejus, Onufrius Panvinius, Fontaninius, Card. Norisius, Muratorius, Mamachius, Zaccaria, aliique haud pauci, quibus subsidiis mirum in modum Theologia profecit.

68. Ad haec accedunt peculiares tractatus, quibus speciales Theologiae partes auctae et illustratae fuere. Exemplo sint tractatus *De locis theologicis* Melchioris Cani, Morini, *De Poenitentia*, *De sacr. Ordinationibus*, *De sacris* item *Ordinationibus et Electionibus* Hallierii, *De reali Christi praesentia in Eucharistia* auctorum Perpetuitatis fidei, *De Confirmatione* Sambovii, *De re sacramentaria* Drouenii, Trombellii *De cultu Sanctorum*, aliique id genus multi.

69. Cum vero Janseniani protritas instaurassent haereses calvinianorum et praedestinatianorum, arma in illos strinxerunt inter caeteros, Habert ep. vabrensis, Dechamps, Petavius, Fenelonius, Daniel, Tricassinus, Fontana, Maffejus; prout recentius in Italia adversus innovationes Pistoriensium insurrexerunt Zaccaria, Bolgeni, Marchetti, Cuccagni, Muzzarelli, Guasco et alii ingenti numero.[147] Hinc natura gratiae ejusque nexus cum libero hominis arbitrio, status naturae integrae et lapsae; doctrina de praedestinatione aliaeque his cum rebus connexae penitius expensae sunt, et clariori in lumine positae; ad quod non parum contulerunt et ipsae illae quae tantopere et diu eapropter ferbuerunt inter celebriores scholas catholicas controversiae. Hinc praeterea germana ecclesiae hierarchia et potestas magis adserta, et universalis disciplina propugnata, et prae caeteris auctoritas, et jura omnia rom. pontificum adversus sive jansenianorum, sive etiam Febronianorum ausus luculentius exposita et vindicata. Quo quidem nomine singularem laudem merentur opera et fratrum Ballerinionum *De ratione primatus rom. pontificis*, et Zaccariae *Anti-Febronius* et *Anti-Febronius vindicatus.*

70. Theologia apologetica haud parum in hac ipsa periodo profecit, dum sese opponere debuit incredulitati, quae pallio philosophico contecta in Anglia primum, deinde vero in Galliis ad christianam religionem oppugnandam insurrexit. Inclaruerunt porro in hac pugna nomina Card. Gotti, Houtteville, Nonnotte, Gauchat, Bergier, Guénée. Brenna, Valsecchi, Spedalieri, Feller[148]. Nec minus adversus sensismum, materialismum, spinozismum aliaque philosophica ejus aetatis monstra excelluere Fenelonius, Franc. Lamy, Noghera, Gerdil, aliique plures, qui

[147]) Cf. Cernitori, *Bibliotheca degli Scrittori che dal* 1770 *sino al* 1793. *hanno difesi o impugnati i dogmi della Cattolica Romana Chiesa.* fol. 1. in 4. Roma 1793.

[148]) Cf. Collectionem quam edidit Migne, Lutetiae Paris. anno 1843. 16 volumin. in 4. sub titulo: *Démonstrations évangéliques.*

sedulam navarunt operam ad nefarias ejusmodi doctrinas convellendas, ac laboribus suis rem theologicam ipsam valde juvarunt.

71. Dum ita sanior philosophia inter catholicos amico foedere cum Theologia consociata, licet ab ea seorsim juxta Cartesii methodum pertractari soleret, de pseudophilosophismo saec. XVIII. triumphum agebat, et theologicam etiam scientiam novis accessionibus locupletabat, nova plane apud protestantes oriebatur atque adolescebat philosophandi ratio, quae revera absolutum philosophiam inter ac theologiam, scientiam inter ac fidem, complevit divortium, ac ingentem hac ipsa aetate nostra religioni veraeque scientiae intulit cladem. Siquidem Emmanuel Kantius scepticis Humii principiis vehementer commotus, sive ut illa felicius adoriretur, ut aliqui putant, sive ut illa theoretice confirmaret et scientifice evolveret, quae aliorum opinio est, scepticismo absoluto viam amplissimam aperuit. *Critica* enim illa sua, quam inscripsit *rationis purae,* quidquid sensibili sive internae sive externae experientiae subditur, ad mera *phaenomena* revocavit; quidquid vero est principiorum rationalium *a priori* inter meras *formas subjectivas* mentis nostrae recensuit; quidquid demum ad veritates pertinet experientiam excedentes veluti *noumena* spectavit, de quibus nihil certo posset cognosci. Quo quidem systemate *idealismi transcendentalis* fundamenta jecit, et latissimam viam aperuit ejusmodi scepticismo, qualem nulla antea philosophica secta, ne pyrrhonica quidem, fuerat professa [149]. Inde prono velut alveo fluxit fichtianum systema plane *idealisticum* de *absoluto ego:* inde schellingianum *realistico-pantheisticum* de *philosophia naturae* atque *absoluti,* seu de perfecta identitate *subjecti* cum *objecto*, *idealis* cum *reali*, *cogitationis* cum *esse, spiritus* cum *natura.* Inde hegelianum *idealistico-pantheisticum*, in quo *idea* omnium abstractissima omnia in se continet, omnia creat, id est, ex se dialectice evolvit; omnia iterum absorbet in se, fitque ita *Deus*, cujus proinde essentia *non ens*, seu plane nihilum adaequat [150].

72. Absurda porro ejusmodi commenta cum omne fundamentum christianae religionis metaphysicum, physicum atque historicum plane convellerent, simul ac theologiam apud protestantes pervaserunt, novum christianismi genus peperere, rationis humanae delirantis foetum. Atque huic quidem praelusit ipse novae philosophiae parens Kantius opere inscripto: *De religione intra limites rationis.* Viam audacter calcavit Schelling, a quo omnia christianae theologiae mysteria ita ratione explicata fuere, ut omnimodo potius pervertantur, ac nil aliud illa sint quam doctrina paganorum mysteriorum evoluta ac publice manifestata [151]. Rem tandem complevit Hegelius, qui religiones omnes veluti necessarias ideae evolutiones in humanitate spectans,

[149]) Cf. Galuppi, *Considerazioni filosofiche sull' idealismo transcendentale e sul razionalismo assoluto* in *Memoria* cit. Napoli 1841.

[150]) Cf. J. Steininger, *Examen critique de la philosophie allemande depuis Kant jusqu'à nos jours*, Trèves 1841.

[151]) Cf. Steininger, *Examen critique,* pag. 80.

earum omnium complementum in sua collocat philosophia, quae sola homine Deoque digna religio est. [152]

73. Hinc rationalismus theologicus, qui in ipso protestantium sinu delitescens, saepe jam foras prodierat, cancellis quibusque abruptis, sese in omnem partem diffudit, et multiplices induit formas mythicismi, gnosticismi, sentimentalismi, transcendentalismi etc., quae tamen omnes in id conspirant, ut quidquid supernaturale est, evellant radicitus, adeoque Christum historicum, totamque revelatam religionem abjiciant. Omnia haec errorum monstra in se complexus est ac cumulavit Strauss ex schola hegeliana erumpens, tum impia, quam inscripsit *Vita Christi Jesu*, tum theologicis operibus suis.

En igitur nova apud Germaniae universae protestantes scientiae theologicae facies. Quamquam et apud illos kantiana philosophia suos habuit insectatores, in primis Jacobium, qui tamen, ad alterum dilabens vitium, rationis vim et quamcumque demonstrationem exhorruit, ac nonnisi *rationalem fidem* statuit uti unicum criterium, quo nos de mundo sensibili exteriori, nec non de mundo intelligibili certiores fieri queamus. Rationalismo autem theologico hegeliano et straussiano acriter se opposuere Berolinensis Hengstenberg ac Tholuck evangelicae strictioris sectae cultores, dum contra Marheineke hegelianae theologiae speculativae veluti parens ibidem praedicatur.

74. At enim neogermanica philosophia, quam hactenus attigimus, suam in Galliis exeruit vim, ac systematibus illis saniori aeque philosophiae ac religioni infensissimis ortum dedit, quae nomine *eclectismi* decorantur. Haec neoeclectismi gallici germanica origo res est tum ob apertam doctrinarum consensionem, potius dixeris *identitatem*, tum ob ipsam historicam factorum evidentiam ineluctabilis. [153] Sub novis scilicet verborum formulis, sub elegantiori quadam veste, eadem ponuntur principia, eaedem consecutiones deducuntur. Pantheismus ac rationalismus aeque ac in philosophicis systematibus Germaniae *neoeclectismi* hujus cardines sunt. Deus est ἓν καὶ πᾶν seu universum: creatio est necessaria mundi emanatio a Deo: historia est inflexibilis geometria: christiana vero mysteria omnia pervertuntur. Trinitas consistit in infinito, finito ac utriusque nexu. Incarnatio est ratio divina in unoquoque homine se manifestans. Uno verbo, eo intendit neoeclectismus, ut rationis ope evolvat sensum philosophicum sub *mythis*, quos vocat, christianismi delitescentem, atque ita integrum christianismum reficere sibi fidentissime pollicetur. Hinc quidquid in antiquitate sibi favere putat, effert ad coelum, quidquid sibi adversari, ad ima deprimit, brahmanicam et buddhisticam philosophiam demiratur, antiquos gnosticos suspicit [154], Spinozam religioso

[152]) Cf. Steininger, *Examen critique*, pag. 103 seqq. Cf. etiam Maret, *Théodicée*, leçons 17 et 18.

[153]) Hoc evidenter ostendunt plures articuli quos vulgavit in *Annalibus philosophiae christianae* Abbas de Valrhoger. Cf. tom. V. *Annales de la philosophie chrétienne*, num. 27. tom. VI. num. 31, 32, 37; tom. VII. num. 38, 39, 40, 41, 42, 44. Item serie III. tom. I. num. 2, 53, 62, ab anno 1840 ad annum 1845, in quibus alii etiam articuli in hanc rem reperiuntur.

[154]) Cf. Desgaret, *Le Monopole universitaire*, Lyon 1843. cap. 1. art 1 et seqq.

quodam cultu prosequitur. [155] Ita vero historiam philosophicam ac theologicam medii aevi persequitur, ut quotquot realismo pantheistico, vel etiam nominalismo aut conceptualismo ita adhaeserunt, ut ingenii sui temeritate christiana dogmata corruperint, et ecclesiae auctoritati rationem suam opposuerint, laudibus impensis cumulent: uti praesertim in Scoto Erigena, Roscelino, Abaelardo, Raymundo Lullo, Guillelmo Occamo, David de Dinanto, aliisque ejusmodi videre est. [156] Qui autem sanum realismum professi sunt, et philosophiam cum orthodoxae theologiae christianae dogmatis rite conciliarunt, aut injustis inuruntur notis, aut eorum sensus in alium ab ipsis plane alienum detorquetur. Praetereo laudes effusas in omnes catholicae religionis hostes, ethnicos, haereticos antiquos, protestantes; praetereo catholici cleri insectationes acerrimas. [157]

75. Tantae porro cladi ex hac neogermanica et eclectica philosophia in religionem derivatae fortiter obstiterunt doctrina ac ingenio suo catholici scriptores atque theologi. At enim non paucis contigit, ut hoc in bello defecerint, et dum veritatem propugnare visi sunt, a recto ejus tramite desciverint. Descivit porro in Germania Baader, dum philosophicae cuidam liberiori speculationi ac pseudo-mysticismo indulgens Theologiae simul atque ecclesiae causam prodidit. Descivit La Mennais in Galliis, dum unicum proclamavit veritatis ac certitudinis criterium in generis humani consensione positum; qui tandem de errore in errorem dilabens et apostolicae Sedis auctoritate damnatus, in illud se recepit philosophicum systema, in quo sincera christianae religionis dogmata frustra requiras. [158] Descivit Hermesius, qui, cartesiana methodo abutens, *serium* ac *positivum* dubium veluti basim assumpsit systematis sui philosophici atque theologici, veritatis criteria infirma plane et kantismum redolentia constituit, veram fidei theologicae naturam ac principium haud agnovit, pluresque in christiana dogmata novitates invexit, ob quae Sedis apostolicae damnationem incurrit. Descivit Bautain, dum rationis humanae certitudini bellum indicens traditionem revelatam ut basim certitudinis cujuscumque assumpsit et omnem de Deo, de christianae religionis veritate demonstrationem a ratione petitam rejecit; quamvis posthac ab ejusmodi doctrinis recesserit. Diversae porro scholae ex istis auctoribus ortae, lamennaesiana, hermesiana, bautainiana, vario fato in recentiorum catholicorum theologiam influxum exercuerunt, ac forte etiam nunc exercent.

[155]) Satis sit legere Amand Saintes in op. ***Histoire de la vie et des ouvrages de Spinosa.*** Paris 1842. vid. *introd.* Item Cousin, ***Cours de l'histoire de la Philosophie.*** Paris 1829. tom. I. leç. 2. pag. 465 et seqq.

[156]) Uti Cousin, Taillandier, Rousselot, aliique ejusdem scholae.

[157]) Rousselot, ***Études sur la philosophie du moyen âge.*** Paris 1842. part. III. chap. 19, 21 et 22.

[158]) Praeter alia ejusdem auctoris opuscula hujus rei fidem facit ejus ***Esquisse d'une philosophie,*** Paris 1840. Cf. quae adversus hunc auctorem scripsit Roselly de Lorgues, in op. ***La mort avant l'homme.*** Paris 1841. chap. 8.

76. Sed alias etiam aetate nostra, in Germania praesertim, alii ex theologis catholicis iniere vias, ut philosophiam cum theologia conciliarent, et theologiam ipsam ad speculationem seu ad scientificam intelligentiam eveherent. Sunt qui fidei rationali a Jacobi proclamatae adhaerent; sunt qui methodum stricte cartesianam colunt; sunt qui ex hegelianis fontibus hauriunt. In Italia vero conaminibus istis aliquot auctores praeluserant, praesertim vero Pini, Falletti et Mastrofini. Quibus certe scriptoribus omnibus doctrinae ingeniique laudem nemo negaverit. Utinam tamen in recentiorum nonnullis ea judicii firmitas ac phantasiae sobrietas, ea sanior verborum forma aliquando non desideraretur, sine quibus facile nimis est aut ad errores prolabi, aut saltem non levem suspicionem afferre!

77. Ast plures singillatim commendandi sunt philosophi ac theologi inter catholicos, qui felici admodum successu aut kantianam philosophiam oppugnarunt, uti Zallinger, Baldinotti, Galuppi, Rosmini, Romano, Steininger, aut veram neoeclectismi indolem, larva quavis detracta, in aperto posuerunt, uti Maret, Prat, Gioberti, Desgaret, Valrhoger, aliique. Hujusmodi enim scriptorum labores cum veritatis causae defendendae opportune inserviunt, tum theologicae ipsi scientiae non parum afferunt utilitatis.

78. Verum in ipso scientiae theologicae, qua late patet, ambitu plures recentiori hac aetate egregii viri ita strenue versati sunt, ut omnes illius partes, seu potius sacrae disciplinae universae magna ceperint incrementa. Nam si studium singulare respicias adeundi ad nativos in unaquaque fontes sive sacros, sive profanos, ac monumenta, quae extant, antiquitatis accurate explorandi nec non nova in dies e latebris eruendi: si acrioris cujusdam investigationis ac severioris criticae laudem: si rerum delectum, ac tractationis ordinem et concinnitatem: si philosophicam demum ingenii sagacitatem, quae varios rerum adspectus mutuasque connexiones acute rimatur, iisdemque novitatem veluti quamdam conciliat; habent certe disciplinae theologicae unde sibi nunc de omnibus hisce ex recentiorum laboribus haud parum gratulentur. Hujus porro synopseos haud esse potest latissimum hunc universim peragrare campum; attamen perpauca ex singulis delibare disciplinis juverit veluti specimen eorum, quorum fere obruimur copia.

79. Atque ut a *polemica* theologia ordiamur, recentiores *protestantismi* vices atque intestini conflictus peropportunam catholicis scriptoribus acrius eam excolendae occasionem dederunt. In quo praesertim excelluit Adami Möhler *Symbolica*, quae in plures linguas conversa atque ab auctore ipso contra Bauer egregie propugnata, magnos ubique plausus excitavit: novam quippe viam, eamdemque efficacem acatholicos profligandi aperuit. Sed et variis Milneri polemicis scriptis, nec non Lingardi, qui praeterea ingenti ac laboriosa quam adornavit Angliae historia haud parum rem catholicam juvit, sua est laus tribuenda. Praeclare vero se habuit Card. Wiseman tum suis *Collationibus*, quas vocant, *circa varia catholica dogmata atque instituta*, tum lucubratione *De Eucharistia*, tum *Horis* ipsis *syriacis*, quae ad

hujus dogmatis defensionem spectant, tum aliis demum scriptis compluribus, quibus neotericae oxoniensi scholae conatibus occurrit. Ingeniosum Thomae Moore librum nemo non admiratur; nec satis commendari potest propositum Esslinger ac praesertim Höninghaus, qui ex innumeris prope ipsorum acatholicorum testimoniis invictam catholicae fidei defensionem contexuerunt. Novam inivit viam haud ita pridem Hispanus Balmes, dum, catholicam religionem inter et protestantismum perpetua comparatione instituta, quid illa in civilis ipsius societatis bonum, quid iste in ejus perniciem contulerit, solidissime demonstravit. Sed et ipsae reformationis auctorum Lutheri et Calvini vitae ab Audin ad monumentorum certissimorum fidem diligenter conscriptae, nefariam illam reformationem confodiunt. Ex paucis istis apparet, licet alia innumera scripta id genus silentio premere debeamus, nova nunc ac validissima arma catholicae *polemicae* praesto esse.

80. Ad *dogmaticam* quod attinet, praeter varias institutiones satis concinne digestas praesertim a Libermann, Kenrik aliisque, peculiarem laudem merentur Henricus Klee praecipue ob *Historiam christianorum dogmatum,* in qua diligens sacrorum monumentorum studium se prodit. Nec defuere egregii de peculiari aliquo dogmate tractatores. Ita rem *De Matrimonio* universim prosecutus est Gualco, Carrière, Martin; itemque de *Matrimonio* egregie pro more suo ac ingenti eruditione conscripsit Hungaricus Roskovany, qui duobus voluminibus, quae spectant ad conjugia mixta ab initio sic dictae *reformationis* ad haec usque tempora, incredibili diligentia ac labore collegit. In rom. pontificis primatu vindicando atque illustrando sedulam posuere curam idem Roskovany, ac praesertim in Germania Rothensee, qui tribus voluminibus testimonia cujusque aetatis pro illo complexus est, tum in America septentrionali Patricius Kenrik, tum in America meridionali Ignatius Moreno, tum in Italia duobus voluminibus Gualco, ut opus jam satis celebratum quod adornavit De Maistre, aliasque eadem de re tractationes praeteream. Sed ad hoc idem refertur argumentum egregium opus: *Il Trionfo della s. Sede e della Chiesa,* quod ipsum Gregorium XVI. Pontificem Maximum, dum adhuc in minoribus esset, habuit auctorem, quodque in omnes fere cultiores Europae linguas translatum est.

81. Quae de rom. pontificis primatu postremo loco attigimus, sponte veluti sua animum nostrum ad jus pontificium, ac etiam jus publicum ecclesiasticum alliciunt. Quamvis enim saeculo elapso disciplina haec, quae arcto nexu cum Theologia conjungitur, opera praesertim Jo. Berardi exculta novoque lumine aucta fuerit tum ejus celebri *Gratiani emendatione* tum *Commentariis in jus universum*, nec non Bianchi egregiis tractatibus *De potestate atque politia ecclesiae* atque *Praelectionibus juris ecclesiastici* Vinc. Lupoli; item *Jure canonico juxta nativam ejus faciem* a Ponsio adornato, alioque recentiori ejusdem opere *De antiquitatibus juris canonici secundum ordinem decretalium*, aliorumque illustrium virorum industria, suum nihilominus incrementum aetate etiam hac nostra adepta est. Etenim praeter *Institutiones*

canonicas in quatuor libros digestas Jo. Devoti *Jus ecclesiasticum universum publicum et privatum* tribus volumin. mandavit, quod tamen non absolutum reliquit. Sic Zallinger duo eximia opera exaravit tum circa jus publicum ecclesiasticum, tum circa jus canonicum juxta ordinem decretalium. Recentiores porro sunt *Institutiones* Mauri de Schenkl, adnotationibus auctae a Scheill, quarum decima editio anno 1830. Landshuti prodiit. Hujus auctoris principia quandoque a recti norma deflectunt, interdum vero omnino improbanda sunt, utpote febronianismo infecta; attamen in ejus institutionibus ordo, analysis accurata, eruditus praesentis rerum status apparatus, conventiones a rom. Sede cum principibus factae reperiuntur. Idem judicium feras de *Manuali juris ecclesiastici* Ferdinandi Walter, professoris catholici bonnensis, quod saepe recusum in Germania est, versumque in gallicam linguam, nunc vero Pisis in italicam vertitur. Hujus doctrinae haud semper apprime ab omni naevo defaecatae sunt, omnibus tamen perpensis, in eo optimus spiritus viget, novaque dispositio juris ecclesiastici scientifica elucet. *Specimen elementare juris publici ecclesiastici* duobus volum. Lucani anno 1844. edidit plene catholicum eximius Vittadini; et hoc ipso anno 1845. *Institutionum juris publici ecclesiastici* libros tres Laureti vulgavit Card. Soglia, jam textus canonici in Archigymnasio romano antecessor, in quibus praeter orthodoxam plane doctrinam optimus eminet idearum ordo. Professor denique vindobonensis Phillips suo concinnando juri canonico germanica lingua adlaborat, cujus plura jam volumina lucem adspexerunt. Egregium hoc opus est, bonorum omnium plausu exceptum, ejus distributio nova omnino est apteque connexa, in eoque Petri jura solerter vindicantur.

82. Dogmaticae theologiae veluti lumen *biblica* est, in qua etiam praeclari aetate hac nostra inter catholicos auctores extant. Praeter *Introductionem* satis notam Hug, commendatur Jahn tum ob suam *Archaeologiam*, tum ob *Introductionem* in lib. Veteris Testamenti, *Specimen exegeseos vaticiniorum messianorum*, aliaque id genus vulgata opera, etsi nimis ambo hi auctores principiis protestantium indulserint. Posteriorem scriptorem, dum in compendium redegit Ackermann, expurgare adnisus est, qui praeterea de suo aliud opus concinnavit in *Prophetas minores*. Sic laudem sibi promeruerunt in Biblicis lucubrationibus Jo. Nep. Alber *Hermeneuticis institutionibus* [159], Veith [160], Jansens [161], Jo. Mich. Lochnis [162], Brunati [163], Ungarelli [164],

[159]) Pestini 1837.

[160]) *Scriptura sacra contra incredulos propugnata;* iterum recusa Taurini 1840.

[161]) *Hermeneutica sacra seu introductio* etc., quae iterum recusa est in linguam gallic. conversa. Paris 1833.

[162]) *Grundzüge* etc. seu *Lineamenta Hermeneuticae et Critices Biblicae.* Giessen 1839.

[163]) *Dissertazioni bibliche.* Milano 1838.

[164]) *Collectio Vulgatae latinae editionum juxta ss. concilii tridentini decreta per summos pontifices Sixtum V, Gregor. XIV, et Clementem VIII. praestitarum prolegomena,* Romae 1837.

Melinni [165], Glaire [166], Ranolder [167], Vincenzi [168], Patrizi [169], Beelen [170], aliique permulti. Cumque societates *biblicae* nuncupatae longe lateque propagarentur, atque in *Provinciis foederatis* Americae septentrionalis Novi Eboraci anno 1844. consilium initum fuerit catholicismum ex Italia deturbandi, Encyclica Gregorii XVI. [171] excitatus zelus catholicorum ac magis incensus est ad earum conatus coërcendos.

83. Magno praeterea semper apud catholicos in pretio, praesertim post tridentinam synodum *Patristica* fuit: eaque nunc vehementius colitur, maxime cum aliqui e protestantibus ipsis, uti *stricti evangelici*, quos vocant, ac magis etiam anglicani oxonienses ad illius cultum se dederint. Porro singularem in hoc etiam laudem sibi peperit Möhler sua *Patrologia*, tum alio etiam opere, quod connectitur cum eo, *De Athanasio M. ejusque aetate.* Novum ac longe amplificatum Möhler vestigiis insistens suscepit nuper opus in sua *Bibliotheca patristica* Permaneder, theologiae professor, cujus duo volumina jam edita sunt cum prolixis prolegomenis. Praeterea multiplices *Collectiones* aut *Selecta* Patrum nunc adornantur sive in Germania, sive in Gallia, sive etiam in Italia. Praetereo gallicas, germanicas, italicas, anglicas complurium Patrum versiones adnotationibus illustratas. At nullo praeterire pacto possum amplissimos illos cum scriptorum ecclesiasticorum, tum etiam ss. Patrum thesauros, quos A. Cardinalis Mai reseravit tum in sua *Scriptorum veterum collectione*, tum in suo *Spicilegio romano*, ex quibus certe in theologicas disciplinas ingens potest utilitas derivari. [172]

84. Succedat *Patristicae ecclesiastica historia*, in qua innumeras aetas nostra extulit lucubrationes, earumque plures non uno nomine commendandas. Nam alii ecclesiae historiae universae conscribendae, alii uni alterive ejus parti pro peculiari instituto suo illustrandae operam dederunt. Enituit inter primos Th. Katerkamp, licet dolendum sit quod egregium ejus opus quinque voluminibus comprehensum nonnisi ad ann. 1153. pertingat. Eamdem ornarunt spartam in Germania praeter Fr. Leop. Stolberg in sua *Historia religionis Jesu*, prof. Döllinger, atque Alzog: in Gallia Henrion, qui historiam Berault Bercastel de novo contexuit, nec non ampliori opere

[165]) *Institutiones biblicae.* Bononiae 1833.

[166]) *Introd. historique et critique aux Livres de l'Anc. et du Nouveau Testam.* Paris 1841.

[167]) *Hermeneuticae Biblicae generalis principia rationalia, christiana et catholica.* Quinque-Ecclesiis 1838.

[168]) *Sessio quarta concilii tridentini vindicata.* Romae 1842.

[169]) *De interpretatione Scripturarum sacrarum.* Romae 1844.

[170]) *Dissertatio theologica, qua sententiam vulgo receptam, esse sacr. Scripturae multiplicem interdum sensum litteralem*, etc. Lovanii 1845.

[171]) *Encyclica* data die 8. Maji 1844.

[172]) *Nova collectio*, 10 volum. in 4. prodiit Romae ab anno 1825 ad annum 1838. Totidem voluminibus in 8. constat *Spicilegium romanum* ab anno 1839 ad annum 1844. Multa alia evulgavit indefessus ac doctissimus vir, quibus ditavit ecclesiasticas et theologicas disciplinas. Nullam injeci mentionem alterius collectionis *Auctorum classicorum* aliorumque ejusdem operum, quippe quae ad argumentum praesens haud referuntur.

recentius Rohrbacher: in Italia abb. Del Signore cujus *Institutiones hist. eccles.* eruditis adnotationibus auxit Tizzani, ac demum prof. Palma, cujus *Praelectiones* in praecipua eccl. historiae capita critices sagacitate ac firmitate judicii valde commendantur. Ad partiales historicas lucubrationes pertinent *Historia pragmatica conciliorum* quam edidit Binterim, opera varia historica Aug. Theiner, *Historia graeci schismatis* Jäger, egregia *Islamismi historia* ab eodem Döllinger exarata; *Historia Missionum* Witman, *Historia* item *Missionum* Henrion, *Origines Waldensium* D. Andr. Charvaz episcopi pinaroliensis aliaeque id genus plures.

Sed et in Pontificum romanorum historia illustranda sedulam posuere curam catholici scriptores, praesertim cum praeclarum in hac re exemplum dederint nonnulli ex acatholicis ipsis, uti Voigt, et prae omnibus Hurter, nunc et ipse catholicus fervens. Hinc plures editae Pontificum vitae, seu *monographiae: S. Leonis M.,* ab Ahrendt; Silvestri II. ab Hock; Leonis X. recentius ab Audin; S. Pii V. a De Falloux; *Pontificum germanicorum historia,* ab Höfler.

Novam etiam atque illustriorem recentiores in ipsa *Hagiologia* pertractanda rationem inierunt, cujus extitere fructus *Vita s. Bernardi,* a Ratisbonne; *Vita s. Elisabethae Hungaricae,* a com. Montalembert; *Vita s. Dominici,* a P. Lacordaire; *Vita s. Irenaei,* a Prat; *Vita s. Augustini,* a Poujoula adornatae: quibus exemplis nuper excitati ex ipsis Anglicanis oxoniensibus Newman, Oakeley aliique vitas *s. Augustini* Anglorum apostoli, *s. Bernardi, s. Stephani* Hastings etc., catholico plane sensu conscribere aggressi sunt.

85. Cum ecclesiae historia ejusque dogmate arcte connectitur christiana *Archaeologia,* quae omne ecclesiasticorum institutorum, sacrorumque monumentorum genus complectitur. Optime porro de ea meritus est Binterim satis amplo opere suo, quod inscripsit *Monumenta ecclesiae primi, medii ac novissimi aevi.* Huc etiam revocamus, licet aeque ecclesiasticam historiam pertingat, egregium opus: *De originibus romanae ecclesiae* a Congregatione Maurinorum restitutorum de Solesme concinnatum. Utilia edidit Greppo vicar. bellovacensis, nec praetereundi Martin et Cahier. [173]

Quod attinet ad christianam *Epigraphiam* et ad primaeva christianarum artium monumenta illustranda claruit in Galliis prof. Raoul-Rochette; in Italia vero ac praesertim Romae, ubi semper ejusmodi studia floruerunt, Labus, Brunati, Secchi [174], Marchi [175], Settele ac Sarti [176] aliique

[173]) Ingens istorum opus inscribitur: ***Vitraux peints de Saint-Étienne de Bourges.*** Vol. in fol. maxim. Paris 1844.

[174]) Cf. ejus ***Memoria di Archeologia ecclesiastica per la invenzione del corpo e del culto di s. Sabiniano M.*** Roma 1841; nec non *Epigramma Greco Cristiano de' primi secoli trovato nell' antica Augustoduno,* Roma 1840.

[175]) ***Monumenti delle Arte cristiane primitive nella Metropoli del Cristianesimo,*** Romae 1844—1845.

[176]) Vid. *ad Philippi Laurentii Dionysii opus de Vaticanis cryptis Appendix,*

optimam iis navarunt ac navant operam. Ex istis porro archaeologicis laboribus ingens in ipsam Theologiam fructus manavit, cum tot inde nova emerserint, atque emergant in dies illustria testimonia ad catholica dogmata confirmanda.

86. Quid vero de *Apologetica*, quae etiam *Philosophia religionis* nuncupari potest, dicemus? Ea scilicet ex scientiarum tum rationalium tum naturalium recentioribus incrementis mirum in modum aucta est et locupletata. Innumera hic opera sese commemoranda offerunt, ex quibus nos unum aut alterum seligemus. Praeclarum sane et absolutum opus praestitit hac in re Frayssinous *Collationibus* suis *de religione* saepe recusis: ingentem sibi laudem in ejusmodi *Collationibus* compararunt Lacordaire, ac Ravignan fidei zelo ac eloquentiae vi ambo commendatissimi. Laudatur etiam haud parum germanicum opus Staudenmaier, *Spiritus christianae religionis*, in quo theoreticae ac practicae Christi religionis indolem pandit ac vim, et eloquenter illustrat. Laudatur Sever. Fabriani in praeclaro opere *De religione christiana demonstrata ex natura mysteriorum suorum.* [177] Summopere vero ad *Apologeticae* progressus extendendos contulit opus anglicum cl. Wiseman plures in linguas conversum *De connexione scientiarum cum religione revelata.* Siquidem in eo totus est, ut ostendat quomodo ethnographiae, zoologiae, geographiae, archaeologiae, orientalis philologiae, hermeneuticae, aliarumque profanarum disciplinarum incrementa cum divinae revelationis veritate apprime consentiant, eamque luculenter confirment.

87. Sed quid si singulas harum disciplinarum provincias perlustrare vellem, in quibus plures e catholicis utiliter adhuc insudant ad christianae veritatis defensionem? Occurrerent enim in *geologicis*, in *zoologicis*, in *physiologicis* scientiis egregii viri De Serres, Forichon, Jehan Waterkeyn, Debreyne, Desdouits, Pianciani, et in primis prof. de Blainville in praeclaro opere suo nuper edito [178], cui sedulas curas adjunxit Maupied. [179] Occurrerent in *Geographia* Laborde, qui accuratis itineribus atque operibus suis tantopere sacram chorographiam ac geographiam illustravit. [180] Quandonam vero in *Glossologia* studium linguarum orientalium vehementius excultum est in christianae religionis usum ac theologicae scientiae incrementum? Quot ex intima linguae hebraicae ac rabbinicae cognitione prodierunt ejusmodi fructus praesertim ob egregias curas Drach [181],

auctoribus Aemil. Sarti, et Jos. Settele, Romae 1840.

[177]) Modena, 1818—1836.

[178]) ***Histoire des sciences de l'organisation et de leurs progrès comme base de la philosophie,*** Paris 1845.

[179]) Cf. etiam ***Essai sur l'origine des principaux peuples anciens; Prodromes d'ethnographie***, etc. Paris 1842.

[180]) Cf. ***Voyage de l'Arabie Pétrée. — Voyage de l'Asie Mineure. — Voyage de la Syrie. — Commentaire géographique sur l'Exorde et les Nombres.***

[181]) Praeter haud paucas dissertationes, ejusque tres epistolas ad Israelitas, peculiarem mentionem merentur tum opus cui tit.: ***Du Divorce dans la Synagogue,*** Rome 1840, tum illud quod inscripsit ***De l'Harmoni entre l'Église et la Synagogue.*** Duob. volum. Paris 1843.

qui aliud praeterea utilissimum opus edidit, *Lexicon* videlicet hebraicum catholicorum usui opportunum? Sed merito etiam commemorandus Beelen ob suam *Rabbinicam et chaldaicam Chrestomathiam.* De coptica lingua extat celebratum *Lexicon* prof. Peyron, grammatica roscelliniana a P. Ungarelli opportune in latinum versa atque non parum aucta. Sed in ipsa hieroglyphicorum aegyptiacorum scientia post Roscellinium utilissime ablaboravit ipse Ungarellius, quem modo e vita ereptum deflemus. Sui non desunt cultores sanscriticae linguae, in qua junior Windischman specimen egregium dedit de *Theologumenis Vedanticorum.* Sic etiam lingua armena novum amplissimumque theologicis disciplinis aetate hac nostra campum aperuit. Nam curis praecipue PP. Mechitaristarum, qui Venetiis consistunt, et Vindeboni, armenae ecclesiae veterum Patrum scripta, et ecclesiastica documenta magnam partem adhuc ignota, in lucem edita sunt. [182]

88. Ipsa demum *Methodologia* seu etiam *Encyclopaedia* Theologiae seorsim exculta a plerisque recentioribus fuit, praesertim in Germania, quae ordine scientifico in primis delectatur. Hinc praeter prof. Drey, qui *Introductionem* ad Theologiam conscripsit, commendatur *Encyclopaedia* tum Henrici Klee, tum Staudenmaier.

89. Multa adhuc dicenda essent ad aetatis nostrae commendationem in scientiis theologicis juvandis fovendisque. Eo nempe spectat vehemens illud studium, quo magis utilia et commendata theologorum, superiorum etiam aetatum, opera aut seorsum aut simul methodice in thesauros cursusve collecta praelo recuduntur in dies, facilique pretio inter clerum disseminantur. Eo spectant gymnasia et academiae optime constitutae, omnibusque instructae praesidiis ad sacras disciplinas rite edocendas atque excolendas. Eo etiam spectant periodicae illae collectiones, quibus propositum est aut novas lucubrationes ad religionem ejusque scientiam quoquo modo pertinentes, quae apud varias politiores nationes eduntur, ad analysin revocare, aut errorum progressiones ac veluti phases persequi et profligare, aut scientiarum incrementa in usum religionis convertere, aut monumenta sive sacrae sive profanae antiquitatis in eumdem finem diligenter conquisita exhibere, aliaque ejusmodi praestare, quibus vera vindicetur religio et sacrae etiam disciplinae ditescant.

Ac plura quidem id genus periodica scripta utilissima aetas nostra recenset: sua habet Gallia, quae inter praestant *Annales christianae philosophiae,* et *Catholica universitas* seu *Encyclopaedia;* sua habet Germania, ex quibus memoranda praesertim est *tubingensis* tertio quoque mense prodiens

[182]) Etenim praeter opera s. Nersetis, liturgiam, testimonia Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum ecclesiae armenae pro rom. pontificis primatu, aliaque non pauca, Mechitaristae vulgarunt typis Venetis, ann. 1818. in fol. et in 4. magnum Eusebii *Chronicon* ex codicibus armenis, quod integro priori hactenus libro mancum ac deficiens habebatur. Cf. praef. P. Jo. Bapt. Aucher. Hoc ipsum deinceps egregium Eusebii opus ad viginti vaticanorum codicum fidem exegit, vulgavitque cl. card. Mai in *Nova Scriptorum veterum collectione e vaticanis codicibus,* tom. VIII. Romae 1833. Cf. ejusdem doctissimi viri praefat.

Collectio, de re theologica optime merita: nec non monachiensis *Historico-politica*, et *Catholicus* spirensis. Sua habet Italia, in quibus digni in primis sunt, qui commemorentur, romani *Annales scientiarum ad religionem spectantium* tum *Amicus catholicus* mediolanensis, *Pragmatologia catholica* lucensis, *Documenta religionis*, etc. mutinensia, praeter ea quae Neapoli ac in Sicilia sub titulo *Scientiae ac Fidei*, et *Hierophili* in eumdem finem vulgantur [183]; nec sua desunt Britanniae, ac Hiberniae, Belgio, ac Hollandiae, nec sua etiam Americae septentrionali. Haec omnia aliaque multa, quae silentio praeterire opus est, praeclara certe sunt argumenta illius quod universim fervescit studium catholicam scientiam, atque adeo theologiam ulterius amplificandi.

90. Ex hac porro perlevissima in tironum gratiam confecta Historiae theologicae adumbratione illud primum optime colligi videtur posse, Theologiam licet pro varia temporum indole suas habuerit vices; licet nunc majora nunc minora praesidia; nunc majora nunc minora invenerit impedimenta; licet demum sub una aliave forma exculta, nunc apologetica, nunc polemica, nunc speculativa, nunc positiva magis apparuerit, tamen ubi omnia simul spectentur, semper inde profecisse, atque ea ipsa, quae illam retardare poterant, in ejus tandem profectum conspirasse. Scilicet quo pacto haeresum atque errorum quorumcumque monstra in ampliorem catholicae fidei illustrationem semper cesserunt, ita etiam in fidei ejusdem scientificae, qualis Theologia est, utilitatem et incrementum. In quo sapientissimae divinae providentiae oeconomia se prodit, quae nempe, quoties homines humana divinaque scientia abutentes fidem christianam aggredi aut temerare conati sunt, iisdem alios opposuit viros scientia praestantes, qui fidem nedum propugnarent, sed et scientifice evolverent, et in ejus usum atque splendorem disciplinarum caeterarum praesidia conferrent. Id adversus gnosticorum atque ethnicam philosophiam praestiterunt jam inde a primis ecclesiae saeculis, Irenaeus, Justinus, Clemens alex., Origenes. Id contra Arium Athanasius, contra Eunomium Basilius, Augustinus contra Pelagium, Cyrillus alex. contra Nestorium, Leo M. contra Eutychen, Maximus contra monothelitas, contra iconoclastas Damascenus, contra Berengarium Lanfrancus, contra Roscelinum Anselmus, contra Abaelardum Bernardus, ac ita porro sive contra novatores saec. XVI. eorumque saeculis insequentibus sectatores, sive contra pseudo-philosophiam tot viri ad nos usque omnigena scientia naturali ac divina referti. Deus quippe *scientiarum Dominus est*, tantumque abest, ut sinat eas diu religioni suae perniciem afferre, ut ex iis ipsis novum decus religioni eidem dignitatemque conciliet.

91. Sed et illud praeterea ex dictis consequitur, Theologiam vere catholicam eo semper spectasse, ut amicum inter rationem ac fidem, inter philosophiam ac revelationem foedus iniret: quare magnum sibi ipsa e philosophia praesidium comparavit, et ingentes vicissim in philosophiam ipsam

[183]) His addenda est ***La civiltà cattolica***, edit. Romae.

contulit utilitates. Primo enim quinam Theologiae scientia non dicam proficere, sed omnino existere potuisset aut posset sine multiplici usu rationis cultuque philosophiae, quae et rerum pandit naturas, et mutuos aperit nexus, et quo modo aut per analysin dividi debeant, aut per synthesin componi docet, et leges rite ex quaque re argumentandi tradit, aliaque ejusmodi, sine quibus nulla intelligi scientia potest? Hinc scite Suaresius[184]: *Ita haec principia et veritates metaphysicae cum theologicis conclusionibus et discursibus cohaerent, ut si illorum scientia ac perfecta cognitio auferatur, horum etiam scientiam nimium labefactari necesse sit.* Quot quantique praeterea fructus ex ipsis physicis scientiis in Theologiam universam dimanarint, jam saepe saepius adnotatum a nobis fuit. Caeterum et illud verissimum est Theologiam magno semper ipsi fuisse atque esse adjumento. Theologia quippe lapidem veluti lydium suppeditat philosophiae, quo in ipsis naturalibus seu rationalibus veritatibus statuendis possit haec aberrationes suas, quoties irrepserint, statim pervidere, ac se tutam proinde in viam facile revocare. Theologia has rationales ipsas veritates clariores firmioresque reddit, et cuique facillime persuadendas. Theologia rationales veritates easdem naturali tantum atque intelligibili ordine conclusas, quae mancae per se forent, perficit et complet veritatibus illis, quae supernaturali ac superintelligibili ordine continentur. Unde ea sola perfectam illorum, ut ita dicam, problematum solutionem assequi potest, quae mentes et corda hominum tantopere semper exercuerunt, de Deo scilicet ejusque natura, de hujus rerum universitatis origine, de exordio hominis supremoque fine. Hinc catholicae fidei ac Theologiae ope longe demum a philosophia atque omnino abesse oporterent falsa illa absurdaque placita, ad quae ethnici philosophi rationi tantum suae atque adulteratis priscarum traditionum reliquiis permissi adeo facile dilapsi sunt, tanto ipsius rationis dedecore. At homines etiam nunc luci undique coruscanti oculos sponte occludere non verentur!

92. Caeterum dum haec beneficia humanae philosophiae orthodoxa Theologia praestat, non ita rationis postulat officia, ut simul legitima ejus jura sarta tecta non servet. Nam (quod ab initio adnotatum a nobis est, et hic repetere haud piget) et prima veritatis rationi insita principia non destruit, sed assumit: et talia revelatae veritatis exhibet argumenta, quae eam evidenter credibilem, adeoque, nisi ratio a se ipsa turpiter desciscat, omnino credendam ostendunt; et nihil docet, quod rationi vere repugnet. In reliquis autem, quae fidem non attingunt, liberam investigandi potestatem relinquit, immo eam ad id alacriorem aptioremque facit; quin et in ipsis fidei dogmatibus amplissimum humanae speculationi aperit campum, ea tantum indicta lege, ut fides servetur integra, ac altissima ejus mysteria pro dignitate tractentur. In ea igitur fide, quam scientifice exponit, vindicat, illustrat Theologia, omnibus quae flagitat aut humana intelligentia circa verum, aut humanus animus circa bonum ac pulchrum, perfecte fit satis. In ea conti-

[184]) *Disputat. metaphysicarum Prooemium.*

nentur atque efflorescunt germina illius, non apparentis ac umbratilis, sed verae solidaeque perfectionis, ad quam perpetuo progressu et quivis homo et civilis hominum societas adspirat. In ea scientiae commune veluti quoddam idemque firmissimum habent centrum, quo omnes sustententur, ac prope dixerim nutricem, qua alantur omnes ac foveantur; unde illa exsurgit vera scientiarum encyclopaedia, quae mira partium et finium unitate coalescit. Uno verbo, sola divina fides ac scientia ea est, qua res plane dissociabiles, materialia scilicet cum moralibus, praesentia cum futuris, terrestria cum coelestibus, humana cum divinis simul mirifice copulantur.

93. Quid porro his omnibus exposci majus potest ad illud, de quo dicebamus, amicum foedus incundum rationem inter ac fidem, philosophiam scilicet ac theologiam? Quid desiderari validius ad hoc, ut ex utriusque, non dicam, permixtione ac veluti fusione, sed formali conjunctione et harmonia, cui *methodica,* ut par est, illarum separatio nihil obest, ambae, philosophia nimirum et theologia progrediantur ulterius in ambitu quaeque suo, ac novis in dies accessionibus augeantur? Hoc igitur secum ipsi reputare serio deberent, qui ementito rationis ac philosophiae nomine et fidem repudiant, et theologiam irrident atque contemnunt; nam in eo certe satis haberent, unde se ipsi insipientiae et caecitatis arguerent. Sed in hoc etiam animum eos intendere necesse est, qui rei catholicae bene consultum volunt, maxime vero qui pro doctrina atque instituto suo theologicis scientiis amplificandis dant operam, ut amicum nimirum hoc foedus firmetur magis et constabiliatur. Quod certe assequentur, si dum insanos rationalistarum ausus compescunt, meminerint legitima rationis jura simul esse servanda, nec ita fidei incolumitati prospiciendum, ut rationis vis fere labefactetur: id quod in fidei ipsius satis manifeste vergeret perniciem. Nova utique depromantur arma, novae etiam pugnandi methodi adhibeantur, prouti varia indoles adversariorum ac principia ab iisdem aut admissa aut impetita postulare videbuntur: sed non idcirco arma longo saeculorum usu ac sapientum inter theologos ipsos judicio probata, vel tamquam detrita vilescant, vel tamquam perniciosa abjiciantur. Excolatur quidem atque urgeatur methodus, quam vocant *historicam* atque *inductivam;* proferantur in medium populorum omnium traditiones, ut inde et primaeva inferatur germana traditio propagata divinitus, et rationis ab ea desciscentis turpissimae aberrationes deprehendantur. Provocetur ad origines ipsas humanae loquelae, ut inde vindicetur necessitas, qua hominis ratio ex Dei oeconomia semper indiguit praeter intrinsecum sibi inditum intelligentiae lumen, extrinseca aliqua institutione ac praesidio. Advocetur etiam, si placet, in subsidium *aesthetica* methodus, et quid divina religio in se pulchritudinis, amabilitatis ac suavitatis ad humanos animos mulcendos solandosque contineat, vivis veluti coloribus depingatur. Haec quippe omnia et opportuna valde accidunt aetati nostrae, et causam catholicae veritatis juvant imprimis.

At num idcirco damnanda atque explodenda veluti absurda ac noxia ea methodus est, quae potius *logica* et *deductiva* dicitur et est, quippe quae

ex nativis etiam rationis principiis atque elementis cum interna atque externa experientia conjunctis ad veritates naturalis ordinis demonstrandas procedit? Num nativa quaevis rationi vis atque evidentia propterea est deneganda, sic ut per se nec verum a falso, nec bonum morale intrinsecum a malo naturae possit secernere? Num, ut verbo dicam, *logica*, *ontologia*, *naturalis theologia*, *philosophia*, *ethice*, *naturale jus* aliaeque ejusmodi rationales disciplinae, quales praeclari quavis aetate inter catholicos philosophi ac theologi coluerunt, atque utiliter adeo usurparunt ad pseudo-philosophorum deliramenta profligandа, veluti purus putus *rationalismus* traducentur? Caveant id profecto, qui recte sentiunt ac sapiunt. Quid enim hoc esset aliud, nisi homines fidei ac Theologiae catholicae infensos ab ea vehementius avertere, et sibi ipsos instrumenta ad facta divinae revelationis probanda ejusque fundamenta vindicanda plane necessaria praeripere? Stent igitur omnia, quae recta, quae vera sunt, et simul conspirent amice: elementa necessaria rationis et intelligentiae cum experientia interna atque externa; nativa rationis vis cum necessitate historicae auctoritatis; humana scientia cum divina fide; philosophia rationalis ac naturalis cum Theologia hac nostra, quae naturae ambitum praetergreditur, ac scientiae, quam Deus mortalibus largitus est, culmen attingit.

PRAELECTIONES
THEOLOGICAE.

PRAELECTIONES THEOLOGICAE.

TRACTATUS
DE VERA RELIGIONE.

1. Veram religionem illam nuncupamus, quae divinitus nobis data est per supernaturalem revelationem. Revelationis autem supernaturalis nomine significamus immediatam illam manifestationem, quam Deus, cujus existentiam hic supponimus, de se ac de veritatibus fecit, quae hominem ad suum finem ultimum perducunt.

2. Quae porro ad ejusmodi manifestationem seu revelationem spectant, revocari solent ad ejusdem possibilitatem, necessitatem, notas ac existentiam. Totidem capita haec erunt, in quae tractationem praesentem distribuimus.

CAPUT I.

DE POSSIBILITATE DIVINAE AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS.

3. Possibilitatem divinae revelationis passim increduli inficiati sunt, non tam ex parte Dei ipsius quam ex parte objecti seu rei revelatae aut revelandae. Eos praesertim commovet revelatio veritatum, quae rationis captum superant, quaeque vulgo *mysteria* nuncupantur. Jam vero haud repugnare, quocumque sub adspectu res spectetur, divinam revelationem, pronum est demonstrare.

PROPOSITIO.

Possibilis est divina ac supernaturalis revelatio etiam veritatum, quae mentis captum excedunt.

4. Duas, uti patet, partes continet enunciata propositio, generalem alteram, alteram vero specialem quae est de possibilitate revelationis mysteriorum. Sic porro priorem partem evincimus.

5. Si qua esset revelationis repugnantia, haec peti deberet vel ex parte Dei, vel ex parte hominis, vel ex parte rei revelatae. Jam vero ex nullo horum trium repeti potest. Non quidem ex parte Dei; omniscius enim ac omnipotens cum sit, nulla veritas eum latere potest, ac innumera ei suppetunt media ad eam manifestandam. Porro si potest homo homini sensa sua aperire, non poterit Deus homini? Non ex parte hominis intelligentia praediti, adeoque idonei ad manifestatam quamlibet veritatem excipiendam retinendamque. Non denique ex parte rei revelatae, quaecumque siquidem haec sit, cum a Deo, uti supponitur, patefiat, objectum esse potest divinae manifestationis.

6. Ex postrema hac animadversione jam liquet perinde esse, sive res, quae revelata perhibetur, superet sive non superet humanae mentis aciem, adeoque Deum posse revelare mysteria, seu efficere mysteria objectum revelationis suae. Cum enim in Dei potestate sit tum veritates naturalis ordinis, tum veritates quae intra illum ambitum haud continentur, manifestare, nulla ratio apparet, quare id praestare Deus minime posse dicendus sit. Numquid hominis erit Deo normam, aut terminos figere, quos ipse nequeat praeterire? Absonum hoc est atque a communi hominum sensu abhorrens. Immo vero ea quovis tempore hominibus persuasio insedit, Deo dignum esse veritates patefacere humanae menti impervias.

7. Possibilis igitur, quaquaversus spectetur, divina ac supernaturalis revelatio est, sive haec pro objecto habeat veritates, quae humanae mentis captum minime excedant, sive eum superent.

DIFFICULTATES.

8. I. Obj. 1. Assequi non possumus, quomodo Deus quidpiam revelet. 2. Nemo unquam certus esse potest utrum a Deo, an vero a malo spiritu, aut a propriae imaginationis penu partum sit, quod revelatum perhibetur. 3. Sane plures decepti, deceptoresque quovis tempore extiterunt. 4. Incredibile proinde est Deum medio adeo labili ac deceptioni obnoxio ad suam patefaciendam voluntatem aut quasvis veritates uti posse, cum ejus sapientiae id repugnet. 5. Historia primitiva ac mythologica omnium gentium argumento est ineluctabili fraudis, qua deceptae gentes sunt ab hominum vafritie et ambitione sub divinae revelationis obtentu. 6. Neque labente tempore unquam defuerunt ejusmodi deceptiones. Ergo.

9. Resp. Ad 1. *Tr.* Nulla siquidem nostra refert rationem agnoscere, quam Deus tenet ad se suaque hominibus patefacienda. Ineptum porro est

ex hac ignoratione concludere, impossibilem esse divinam ejusmodi manifestationem. Caeterum Deus, si velit se hominibus revelare, sese hominum intelligentiae accommodat, ita ut ab istis percipiatur ejus operatio. Potest proinde aut per immediatam communicationem id efficere, potest per symbolicam visionem, potest per articulatos sonos, per somnia, aliaque innumera media, quae ipsi semper, cum voluerit, praesto sunt.

10. Ad 2. *D.* Si nulla sint certa criteria ad Dei operationem ab operatione malorum spirituum, aut etiam phantasiae ludibrio internoscendam, *C.* si talia criteria existant, *N.* Jam vero cum Deus se reipsa homini communicat, talia praebet, ineffabilia quidem, sed certa ac tuta veritatis et communicationis suae argumenta et indicia, ut fieri omnino non possit, quin subjectum hujus operationis prorsus certum efficiatur. Verum, et hoc seposito, quamvis dubius haerere queat peculiare individuum de revelationis veritate, aut interdum etiam decipi, caeteris id nocere haud potest. Siquidem nemo tenetur fidem adjungere revelationem divinam evulganti, quin per extrinsecas notas, cujusmodi esse ostendemus praecipue miracula et vaticinia eventu comprobata, se revera divinam ac supernaturalem revelationem habuisse demonstret.

11. Ad 3. *D.* Defectu criteriorum usus, de quibus modo diximus, *C.* his rite adhibitis, *N.*

12. Ad 4. *D.* Si media Deo certa non suppeterent ad amovendum a nobis cujusvis fraudis ac deceptionis periculum, *C.* si haec ipsi suppetant, eaque nobis praebeat, *N.* Ex dictis enim liquet neminem teneri ad admittendam uti divinam revelationem aliquam, nisi certior fiat extrinsecis notis Deum reipsa esse locutum. Cum vero in hominum commodum ac utilitatem Deus veritates suas patefaciat, hos ipsos debet ejusmodi signis communire, ut nulli pateant deceptioni, si homines velint illis attendere; si secus faciant, imprudentiae propriae ac levitati deceptionem adscribere debent, non autem defectui medii, quo Deus usus est aut utitur ad eos doctrina sua informandos.

13. Ad 5. Resp. I. Ergo si gentes omnes, uti adversariis placet, deceptae sunt falsis revelationibus, omnes gentes possibilem divinam revelationem admiserunt, adeoque dum increduli eam uti impossibilem traducunt, communi hominum sensui contradicunt.

Resp. II. *D.* Deceptae sunt ex defectu accurati examinis, quod instituere debuissent ad fraudem praecavendam, *C.* ex vitio intrinseco seu inhaerente ipsi medio, nempe revelationi divinae, *N.* Etenim si istiusmodi cum divinitate commercia, quae nonnulli sibi arrogarunt populi, de quibus agitur, accurate expendissent, numquam illusioni aut deceptioni fuissent obnoxii.

14. Ad 6. *D.* Ex iisdem motivis provenientes, *C.* secus, *N.* Responsio patet ex dictis.

15. II. Obj. 1. Implicat *mysterium revelatum* prout implicat aliquid *occultum* esse *manifestum.* 2. Deinde cui bono revelatio mysteriorum, seu veritatum occultarum? In quem praeterea finem Deus nobis rationem dedit, nisi ut intelligeremus? Deus igitur, quin sibi contradicat, haud potest

veritates revelare, quas mens intelligere nequeat. 3. Quin potius deprehendere mens videtur mysteria contraria esse rationi, eo ipso quod eidem contraria esse videntur. 4. Nulla demum est religio, quae sua non jactet mysteria, quae proinde non sunt nisi notae evidentes vafritiei eorum, qui illa excogitarunt. Ergo.

16. Resp. Ad 1. *D.* Si quidpiam sub eodem respectu *mysterium* et *revelatum*, *occultum* ac *manifestum* diceretur et esset, *C.* si sub diverso respectu, *N.* Porro *mysterium* aut *occultum* quidpiam dicitur respectu sui seu intrinseci nexus terminorum, seu subjecti et praedicati, quem mens nostra non assequitur ex defectu cognitionis adaequatae utriusque. Contra vero *revelatum* dicitur respectu enunciationis terminorum, quae clarissima esse potest, uti patet in quolibet mysterio revelato. Sic e. gr. cum Deus revelavit tres esse distinctas in unitate divinae naturae personas, aut Verbum carnem esse factum, seu assumpsisse naturam humanam in unitate divinae personae; omnes ejusmodi enunciationes intelligunt, nemo autem assequitur quomodo tres personae realiter distinctae ab invicem subsistant in eadem numero natura, aut quomodo natura humana subsistat in persona Verbi, et ita de caeteris dicatur.

17. Ad 2. *D.* Si mysteria essent sub omni respectu inintelligibilia, *C.* si ex parte tantum impervia sint, *N.* Jam vero, ut ex dictis constat, intimus tantum nexus nos latet mysteriorum, non autem sensus, qui pervius est, eumque mens apprime intelligit, ac uberrimos inde fructus percipere potest. Cum quis sibi annunciare audit, hominem esse animal corpore et anima rationali praeditum, quamvis eum lateat nexus, ex quo unitas suppositi humani exsurgit, intelligit profecto, quid homo sit. Idem dic de mysteriis divinitus revelatis. Quare non frustra Deus illa nobis credenda proponit, eo magis quod jure ipse polleat exigendi, ut etiam iis, quae mens nostra non assequitur, assentiamur. Fingunt sibi deistae mysteria nostra totidem aenigmata esse. At probe falluntur. Exinde colligitur, in quem finem Deus nobis mysteria revelaverit. Revelavit enim, ut augustiorem de se ipso ac de religione cognitionem assequeremur; revelavit, ut fidei meritum haberemus per obsequium mentis nostrae in eas veritates, quas intime ipsa penetrare nequit; revelavit, ut haberemus incitamenta ad virtutem validissima.

18. Ad 3. *N.* Aliud enim est mysteria videri contraria rationi, aliud vero eidem reipsa veluti contraria seu adversantia deprehendere. Nam prius provenit ex ipsa natura mysteriorum, quae alterius ordinis sunt ac mentis aciem superant, ac proinde non sunt rationi positive conformia. Posterius autem solum contingit, cum mens positivam terminorum repugnantiam cernit, cujusmodi esset propositio, qua quis affirmaret circulum esse quadratum. Quod tamen nuspiam in mysteriis nostris evenit.

19. Ad 4. *D.* Id est, nulla est religio, quae suas non habeat doctrinas aut conventicula occulta, *Tr.* vel *C.* mysteria proprie dicta, cujusmodi sunt, quae credenda proponit religio christiana, quae basim constituant ac validissima incitamenta ad omnimodam perfectionem, *N.* Ex vocis *mysterii*

aequivocatione hanc difficultatem urgent increduli. Ecquis conferat mysteria eleusinia e. gr., bacchica etc. cum mysteriis, quae divinitus revelata perhibentur?

CAPUT II.

DE NECESSITATE REVELATIONIS.

20. Ejusmodi necessitas non petitur ex parte Dei, qui nihil homini debet, nisi hypothetice, quod nempe velit ab homine exigere fidem in ea, quae nonnisi per revelationem innotescere possunt, cujusmodi sunt veritates, quas supernaturales vocamus. Igitur tota est ex parte hominis necessitas, de qua agimus.

21. Cum vero possit homo absolute veritates naturales seu morales ordinis sui cognoscere, consequitur necessitatem, de qua disserimus, non esse *absolutam*, sed *moralem* tantummodo; ut revelatio scilicet inserviat ad superandam illam *moralem* impotentiam, quam homines experiuntur in cognoscendis veritatibus, quibus maxime indigent ad bene riteque vivendum, obtinendumque suum finem.

22. Hac morali necessitate in veritatibus naturalis ordinis cognoscendis eisque explendis homines laborare, negant deistae omnes ac rationalistae. Ex quo inferunt hominem sibi sufficere, quin externo aliquo supernaturali indigeat subsidio. Mire proinde rationis vim extollunt, clamantque injurios humanae naturae dignitati se eos praebere, qui revelationis necessitatem propugnant.

23. Ne tricas moveamus circa rationis vim in abstracto spectatae, rem hanc in concreto, seu in campo historico perpendimus, ut inde appareat, quid humanum genus in sua universalitate acceptum, destitutumque revelatione divina valuerit ac valeat ad officia sua cognoscenda et explenda. Si semel constiterit nullum unquam populum sibi relictum sese extulisse ad illam cognitionem, sed omnes a morum honestate descivisse, jure ex hoc facto universali et constanti inferimus moralem illam impotentiam, qua homines detineri contendimus, ac proinde, quod consequens est, moralem necessitatem, in qua versabantur, aut adhuc versantur gentes, divino hoc subsidio seu revelatione destitutae.

PROPOSITIO.

Ex eo, quod nullus unquam populus, divina revelatione destitutus, dignum Deo cultum exhibuerit atque in absurdos contra sanae ethices principia errores dilapsus non sit, a quibus nullo modo revocari potuit, jure merito infertur divinae revelationis necessitas.

24. Duo enunciantur in hac propositione, tum nullum unquam populum revelatione destitutum (sive quod illam numquam habuerit sive quod illam amiserit), graviter non errasse circa cultum Dei et contra sanae ethices principia; tum nulla unquam humana industria ab illo statu, in quem gentes

omnes prolapsae sunt, potuisse aut etiam posse relevari. Utrumque per partes evincendum est, ut exinde conclusionem eruamus, quam intendimus.

25. Primum ostendunt omnia monumenta historica quoad veteres populos, ac omnes relationes geographorum quoad populos recentiores, quibus vel non affulsit vel sublata est revelatio. Etenim omnes prorsus turpis idololatriae labe respersi fuerunt ac sunt cum illis consectariis circa ritus et mores, quae ex illa suapte natura profluunt. Notum autem est, idololatriam vitiorum omnium ac turpitudinum foecundam esse parentem. Idem dic de sanae ethices principiis, ad officia sive erga Deum, sive erga alios spectantibus, sive erga seipsos, adeo ut fuerint ac sint in omnia vitia diffusi, iniquitates, injustitias, homicidia, infanticidia aliasque ejusmodi impietates ac scelera, quae sibi licita duxerunt, aut ducunt.

26. Alterum vero eadem facilitate adstruitur. Quamquam enim veteres philosophi plures agnoverint veritates, in gravissimos absurdissimosque tamen errores prolapsi sunt, quos populis propinabant. Sed neque has ipsas veritates poterant populis persuadere, tum quia philosophi in perpetuo inter se conflictu erant, tum quia praevalebat universalis atque inveterata persuasio ac publica superstitio, cui se philosophi ipsi accommodabant, tum quia nulla pollebant auctoritate, tum demum quia nulla poterant praecepta sua praemunire. Motiva praeterea nulla proponebant, quae populo ab erroribus, quibus detinebatur, revocando idonea essent. Problematica enim erant quaecumque ad poenas vel praemia, quae probos vel improbos in altera vita manent, spectabant. Haec ipsa in causa sunt, quare neque recentiores nationes idololatricae sine revelationis subsidio ad saniora principia adduci possint.

27. Quae cum ita se habeant, id est, cum facto universali constantique longo saeculorum lapsu confirmato, certissime constet populos universos omnes in turpissimis erroribus sive circa cultum, sive circa sana ethices principia versatos esse atque versari, cum praeterea ex eadem experientia atque intrinseco defectu rei ipsius naturae inhaerente pariter indubium sit nulla humana industria posse gentes ejusmodi ab universali illa defectione revocari; jure merito infertur tum laborare humanum genus morali impotentia circa cognitionem et praxim officiorum suorum, tum proinde moralem instare necessitatem externi cujusdam supernaturalis subsidii, seu divinae revelationis ad id obtinendum.

28. Et haec quidem spectando humanam rationem in concreto, ut praefati sumus, ac generis humani universalitatem, quaecumque demum vires sint rationis ejusdem, in abstracto ac in individuis singulis consideratae; de quibus hic nullam instituimus controversiam.

DIFFICULTATES.

29. I. Obj. Multiplici ex capite peccat propositum argumentum ad ostendendam divinae revelationis necessitatem; ac 1. quidem ex eo, quod factum enunciatum exaggeratum sit, cum innumeras pene patiatur exceptiones

in tot utriusque sexus individuis, quae omni virtute excelluerunt; nec solum individua, verum etiam integrae interdum nationes immunes fuerint ab illa universali, quae praedicatur, corruptione: virtutes enim Romanorum suspexit ac celebravit s. Augustinus. 2. Ex eo quod, facto etiam admisso, nihil exinde extundi possit, cum non tam ex intellectus defectu aut errore defectio, de qua agitur, quam ex malitia voluntatis repeti debeat, quae utpote in cupiditates prona contra dictamina rectae rationis ab honestate deflexit, atque, ut fit, ad anxietates seu remorsus extenuandos aut retundendos in principia erexit theoretica errores practicos. 3. Id magis elucet ex eo quod principia justi et injusti immutabilia sint ac indelebilia, alioquin excusari possent omnes pravae actiones. 4. Ex eo quod factum non evincat nisi factum, non autem jus: scilicet ex aberratione etiam universali, si placet, et constanti concludi legitime nequit laborasse populos morali impotentia ad agnoscenda et adimplenda officia juris naturalis; alioquin 5. imparem vel ipsam revelationem dicere deberemus hisce malis voluntariis abigendis, cum sub ea universalis etiam sit morum foeditas. Ergo.

30. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Nego*, cum omnia historica documenta ad illud adstruendum conspirent miro consensu. Nec obstant nonnullae exceptiones ex parte quorumdam individuorum, quae rarae admodum sunt, nec minimum valent adductas probationes infirmare. Etenim non ex paucis ac pene nullis exceptionibus, sed ex communi sentiendi et vivendi ratione judicium ferre debemus. Eo vel magis quod illa individua ex avita numquam omnino deperdita revelationis traditione cognoscere potuerint, quae tum ad dignum Deo cultum exhibendum, tum ad mores bene informandos spectabant. Falsum porro est, quod de integris adjicitur nationibus, quae immunes se a generali defectione servaverint; siquidem vel ipsi Romani, quorum praeclara facinora suspicit s. Augustinus, ab ipsis suis incunabulis et idololatriae addicti fuerunt, eodem s. Doctore teste, et profanis sacrificiis, nec nisi vanae cupidine laudis cupiditates vicerunt.

31. Ad 2. *D.* Repeti nequit defectio illa ex defectu absoluto intellectus, aut invincibili ejusdem errore, *C.* repeti nequit ex qualicumque intellectus defectu ac errore, *N.* Jam adnotavimus physicam haud esse sive absolutam impotentiam mentis nostrae in lege naturali cognoscenda, adeoque nec invincibilem semper errorem esse, quo interdum circa eam mens nostra laborat. Alioquin excusationem praetendere homines potuissent in foedo idololatrico cultu et in pravis moribus, quibus se commaculabant. Sed neque excludimus malitiam voluntatis; nam propter mutuum influxum, quem in se exercent intellectus et voluntas, fit, ut et intellectus influat in voluntatem et vicissim voluntas reagat in intellectum: ex utraque proinde facultate oritur moralis illa impotentia, de qua disserimus; praesertim cum motiva, quae voluntatem impellere possent, sine revelatione, proindeque sine certa determinataque sanctione, minus valeant ad eam permovendam, urgentibus ex adverso aestu suo cupiditatibus. Exinde ratio patet, quare in theoretica principia errores practicos homines sibi illudentes erexerint.

32. Ad 3. *D.* Si error aut defectio illa caderet in ipsas generales ac immutabiles pravi honestique, justi aut injusti notiones, *C.* si potissimum caderet in illarum ad casus practicos applicationem, *N.* Profecto generalia primaque justi ac injusti principia, utpote in cordibus nostris insculpta, numquam oblivioni dari possunt aut immutari; ast facilis nimis est in illorum applicatione ad casus concretos deceptio, quae inolita consuetudine cohonestatur, et callum ita obducitur, ut ne suspicio quidem circa depravationem oriatur. Circa hanc vero gentes omnes absque revelationis subsidio plus minus ab honestate aberrarunt, ut liquet ex facto.

33. Ad 4. *D.* Si factum sit singulare aut temporarium, *Tr.* vel *C.* si universale et constans sit in substrata, de qua agimus, materia, *N.* Si quis vel leviter consideret factum universalis depravationis theoreticae et practicae, non potest in eo non deprehendere tenebras, quibus humana mens obvolvitur, et difficultatem summam, quam experitur in iisdem depellendis; si accedat praesertim publica lex, magnorum exemplum et auctoritas, publica templa, caeremoniae, ritus, festa aliaque ejusmodi, quae in idem conspirent; si praeterea institutio domestica, exemplum multitudinis, spectacula, libri qui hoc ipsum suadeant. Talis porro est casus, quem expendimus.

34. Ad 5. *Neg.* utrumque assumptum. Ac primo quidem inficiamur in eadem conditione versari eos, ad quos pervenit revelatio christiana, ac illos, qui ea destituti sunt, aut olim fuere. Hoc enim inter utrosque intercedit discrimen, quod in christianismo sint individua, quae vel ex infirmitate vel malitia peccant contra normam aut regulam, quae ipsis bene perspecta est, et a multitudine arguuntur; contra vero qui in infidelitate degunt a massa, seu multitudine ipsa, certa et explorata regula destituta, in malum et perversitatem impelluntur a publicis institutis sive civilibus sive religiosis, nec nisi paucissimi illi, qui ab ea recedunt eique obsistunt, rite et honeste vivunt. Secundo dicimus falsum omnino esse eamdem vigere tum circa cultum tum circa mores apud christianos ac apud ethnicos corruptionem ac foeditatem. Nonnisi in historia plane hospes potest ejusmodi assertionem emittere.

35. II. Obj. 1. Qui impotentiam moralem in homine adstruunt tum ad cognoscenda tum ad implenda officia moralia, Deo injuriam irrogant, perinde ac si Deus soli creaturae nobilissimae denegasset ea, quibus bruta ipsa animantia abunde instruxit, media scilicet idonea ad finem suum obtinendum. 2. Deus itaque ratione hominem instruxit, excolenda tamen, non autem jam exculta; hinc fit, ut quo magis evolvuntur germina, quae in ipsa latent, plenius agnoscat officia sua. Huic evolutioni sufficit homo ipse, praesertim si identidem consurgant, ut fit, genii extraordinarii, qui pro uniuscujusque aetatis seu epochae indigentia hanc evolutionem promoveant, uti ex historia liquet. 3. Sane si illa, quam contendunt supernaturalistae, impotentia homines reipsa laborarent, ab ipso mundi exordio Deus plenam revelationem hominibus dedisset, non autem per gradus veluti quosdam, et singulari genti, non autem universo humano generi. Concludendum propterea est nullo ejusmodi supernaturali subsidio opus esse.

36. Resp. Ad 1. *D.* Si talis impotentia ex defectu mediorum, quibus Deus hominem instruxit, repetenda esset, *C.* si ex causis extrinsecis, *N.* Etenim hoc ipso, quod Deus rationem homini indidit, adeoque germina omnia veritatum ordinis sui, hominis erat eam excolere, et mores suos ad justi rectique normam componere; ast libertate praeditus, et pulsatus cupiditatibus, maluit his indulgere, et tenebras potius consectari quam lucem, donec obnubilata mente, et obdurata conscientia, inolita etiam consuetudine, ac publico communique exemplo magis depravatus, in illam se conjecit moralem impotentiam, a qua per seipsum, spectatis omnibus rerum adjunctis, jam emergere non poterat absque superveniente subsidio. Deerant ipsi praeterea, uti animadvertimus, incitamenta validiora, quibus permoveretur, cum ratio per se nihil determinati habeat. Animantia vero bruta ex eo, quod ratione ac libertate careant, debuerunt aliis mediis instrui ad finem ipsis propositum; instructa autem fuerunt instinctu.

37. Ad 2. *D.* Debuisset et potuisset absolute ab homine ita fieri, *C.* ita reipsa factum est, *N.* Certe hoc ipso, quod impotentia, de qua est sermo, physica non sit, potuisset et debuisset homo rationem suam excolere ac germina illa evolvere; quod cum non effecerit dilapsusque sit in noxios contra sanam ethicen theoreticos et practicos errores, reum se constituit. Ast facto hoc posito, quaerendum superest utrum homo revera, in hoc statu, in morali evadendi impotentia fuerit constitutus. Porro rationum momenta, quae superius adduximus, evidenter hanc impotentiam evincunt, adeoque moralem necessitatem supernae alicujus revelationis. Quid autem efficere valuerint extraordinarii illi genii, de quibus disserunt adversarii, historia patefecit, et experientia jugis confirmat apud populos, ad quos bonum nuncium nondum pervenit aut ab iis rejectum est. Contra facta theoriae etiam speciosissimae nihil valent.

38. Ad 3. Resp. I. reipsa Deum ab ipso mundi exordio suam dedisse revelationem, ut suo loco ostendemus, adeoque numquam Deum hominum imbecillitati defuisse.

Resp. II. quod cum agatur de dono mere gratuito neque absolute necessario, potuisse Deum pro beneplacito suo subsidium revelationis suae conferre eo tempore, eaque mensura, quae juxta sapientiae suae consilium magis expedire ei visum est. Voluit, ut homo propriam infirmitatem prius experiretur. Quandoquidem si adeo tumuit, ut sibi arrogaverit, non obstante tot saeculorum experientia, quae Deo unice accepta referre debet, quid fecisset, si illico a Deo illustratus fuisset?

CAPUT III.

DE NOTIS VERAE AC SUPERNATURALIS DEI REVELATIONIS.

39. *Notae* divinae ac supernaturalis revelationis dicuntur characteres illi, ex quibus certo ac tuto revelatio, quae ex Deo est, secerni possit ab

hominum fraude. Hae autem notae omnium consensu duae praecipue sunt: *miracula* et *prophetiae* eventu comprobatae.

40. Miraculum juxta s. Thomam [1]) est *id, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae;* vel etiam ut scribit lib. III. *Cont. gent.* [2]): *Illa simpliciter miracula dicenda sunt, quae divinitus fiunt praeter ordinem communiter servatum in rebus.* Cum vero difficile admodum sit determinare quod fit *praeter ordinem totius naturae creatae* aut *quae tantum divinitus fiunt,* eo quod nos lateant vires angelorum sive bonorum sive malorum, ac non omnia miracula *totius naturae* ordinem excedant, ad haec incommoda vitanda, aliis magis placet sic miraculum definire: *Opus sensibile, stupendum, ordini providentiae consueto et naturae legibus contrarium.* Alii alias miraculi definitiones exhibent. Parum autem refert si verbis ejusmodi definitiones discrepent, dummodo quoad rem consentiant, seu quatuor illas conditiones prae se ferant, quae ad verum miraculum constituendum requiruntur; sunt autem 1°. ut effectus sit sensibilis; 2°. ut a Deo solo sive immediate sive mediate effici possit; 3°. ut sit proinde supernaturalis, 4°. et quod consequens est, ad divina perducat. Ex his conditionibus facile erit falsas, mancas, aliove defectu laborantes definitiones a germana ac sincera secernere.

41. Prophetia seu praedictio, quae alio etiam nomine *divinatio* nuncupatur, est *praesensio* et *praedictio certa futuri alicujus eventus, qui in causis naturalibus praesciri non potest;* aut pressius: *Manifestatio rei futurae creaturis occultae.* Tres conditiones ex traditis definitionibus vera prophetia exposcit: 1°. ut praedictio sit *certa;* 2°. ut sit rei creaturis omnibus prorsus *occultae,* cujusmodi praesertim sunt, quae a libera hominis electione pendent; 3°. ut sit *determinata,* id est, nec flexiloqua neque vaga, ita ut non accommodetur eventus prophetiae, sed prophetia determinet eventum.

42. His praemissis, tum de miraculo, tum de prophetia, ad finem quem intendimus, majoris perspicuitatis gratia distinctis articulis erit nobis agendum.

ARTICULUS I.

DE MIRACULIS.

43. Tum miraculorum possibilitatem tum efficaciam ad probandam divinam revelationem adoriuntur increduli omnes. Possibilitatem praecipue Spinoza inter caeteros, et qui ejus vestigiis insistit, alter judaeo-incredulus Salvador, impugnarunt. Efficaciam vero, qui vulgo naturalistae ac rationalistae nuncupantur, e medio tollere adnisi sunt.

PROPOSITIO I.

Miracula sunt possibilia.

44. Illud enim possibile censetur et est, quod nullam intrinsecam involvit contradictionem; atqui talia sunt miracula. Etenim nulla concipi

[1]) Part. I. qu. 100. art. 4.

[2]) *Cont. gent.* lib. III. cap. 101.

potest contradictio in eo, quod naturae auctor, scilicet Deus, qui libere naturae leges constituit, possit aut contra, aut supra, aut praeter has leges aliquid agere. Porro si hoc fiat, verum ex dictis miraculum habetur. Ergo miraculum est possibile. Nec enim ejusmodi leges intrinsecae sunt corporibus, sed a sola Dei voluntate iisdem sunt constitutae, et eo modo, quo ei placuit, juxta divinae ejus sapientiae finem; si hic propterea exigat, ad gloriam conditoris luculentius manifestandam, ut diversa ratione tali loco vel tempore res creatae agant a consueto providentiae ordine, nil vetat quominus Deus id efficiat. Ergo.

DIFFICULTATES.

45. Obj. 1. Deus est immutabilis; atqui mutaretur, si posset patrare miracula: mutaret enim sua decreta, quae cum eo identificantur. 2. Miracula praeterea importarent legum naturae eversionem, quae Deo indigna esset, tum quia levitatem redoleret, tum quia imbecillitatem saperet, quasi nempe Deus ad patefaciendam omnipotentiam suam deberet ad intercalares ejusmodi exceptiones descendere, secus ac exposcat ejus sapientia. 3. Parum insuper providum se proderet, dum ad finem suum obtinendum teneretur ad instar angustae mentis legislatoris ad nova semper media se recipere. 4. Quapropter inferendum est, ita immutabiles esse leges physicas, uti sunt leges morales, quae violari nullo modo possunt, nec proinde miracula fieri umquam posse.

46. Resp. Ad 1. *D.* Deus mutaretur, si in novo opere patrando *novum* adhiberet *consilium*, ut loquitur s. Augustinus, *C.* si quae in tempore efficit, ab aeterno decrevit, *N.* Deus porro dum *opera mutat*, inquit s. Doctor [1], *non mutat consilium.* Cujus rei s. Thomas rationem praeterea subjicit, scribens [2]: *Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret, quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde, quum praeter hunc ordinem agit, non mutatur.* Falsum proinde est vel Deum in patrandis miraculis immutare decreta sua, aut etiam haec cum Deo identificari, cum non sint nisi *effectus* suae voluntatis.

47. Ad 2. *Neg.* Nec enim miraculum importat naturae legum eversionem, sed solum importat diversum a consueto providentiae ordine in peculiari casu Dei regimen. Quum vero Deus in suis legibus constituendis, quibus mundus physicus regeretur, et has exceptiones complexus sit, nec levitatem neque imbecillitatem redolet, sed sapientiam suam patefacit, cum eas ordinavit ad finem plane dignum se.

48. Ad 3. *Neg.* pariter, cum et haec difficultas rudiori omnino ratione supponat Deum in patrandis miraculis ex superveniente ac impraevisa rerum serie permoveri, quo nihil absurdius fingi potest. Exinde patet quam incongrua sit paritas improvidi legislatoris, quae adducitur.

49. Ad 4. *Neg.* illationem, quae ex falsis principiis deducitur, et paritatem inter leges physicas et morales. Quandoquidem illae a libera Dei

[1]) *Conf.* lib. I. cap. 4. [2]) P. I. qu. 105. art. 6. ad 3.

voluntate pendent adeoque aliter constitui potuerunt, istae vero non item, cum habeant pro objecto bonum aut malum morale, seu virtutem aut vitium. Caeterum immerito miracula ab adversariis legum physicarum *violationes* vocantur, cum earum non sint nisi suspensiones aut derogationes, seu etiam diversa regiminis hujus mundi in casibus particularibus ratio.

PROPOSITIO II.

Miracula certissimam divinae ac supernaturalis revelationis notam constituunt.

50. Veritatem propositionis vel ipsa miraculi notio evincit. Etenim si miraculum est id, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae, aut, si magis lubet, est opus sensibile, stupendum, consueto providentiae ordini ac naturae legibus contrarium; sequitur verum miraculum nonnisi a Deo supremo totius naturae Domino aut per se aut per ministros suae omnipotentiae patrari posse. Si igitur Deus miraculis alicujus missionem, illius scilicet qui ejusdem Dei nomine loquitur ejusque manifestat voluntates aut veritates sibi divinitus patefactas, cohonestaverit, ejusmodi miracula argumento erunt ineluctabili de divina legati a se missi illustratione.

51. Quin etiam et illud adjicimus, Deum utpote summe sapientem ac veracem non modo nos miraculis decipere haud posse, sed neque posse permittere, ut nos decipiamur falsis miraculis, ita ut invincibilis seu ineluctabilis sit error. Quoties proinde constiterit de vero miraculo, toties certi efficimur de divina illius missione in cujus favorem illud fuerit patratum seu, quod idem est, miracula certissimam divinae ac supernaturalis revelationis notam constituunt.

DIFFICULTATES.

52. I. Obj. Esto verum miraculum notam ac tesseram constituere divinae revelationis, nihil nobis ejusmodi tessera prodest: 1. quia nunquam certo inter miraculum et simplex naturae phaenomenon discernere valemus: ad hoc enim necesse esset nobis perspectas esse omnes naturae leges, cognoscere praeterea deberemus quousque se protendant aut non protendant naturae vires, quod tamen nos latet; 2. quia reipsa quovis tempore in judicio de vero miraculo ferendo plures decepti sunt, et eo facilius quo rudiores in scientia physica fuerunt; 3. quia miraculi proclamatio arrogantiam sapit incredibilem, quandoquidem potius quam propriam ignorantiam fateri in explicando aliquo extraordinario eventu, malunt homines efficaciae ac vi supernaturali illum adscribere. 4. Satius proinde erit in hisce casibus judicium cohibere, donec scientia eo pervenerit, ut causam naturalem ejusmodi effectuum detegat. Ergo.

53. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *N.* Toties enim certo purum naturae phaenomenon a vero miraculo secernimus, quoties naturae legibus bene nobis perspectis contrarium quidpiam fieri contigerit in illis praesertim rerum

adjunctis, in quibus miraculum editum perhibetur. Ut hoc autem nonnullis exemplis usu quotidiano usurpatis declaremus, nobis perspecta est lex quod gravia descendant, item quod ignis comburat, quod aqua madefaciat, os confractum per se illico non consolidetur, mortui non resurgant, aliaque ejusmodi pene innumera. Si proinde videamus vel ad imperium, vel ad nutum, vel ad contactum, vel ad precem alicujus, qui se divinitus missum proclamat, aut gravia suspensa haerere aut elevari etiam, ignem (combustibilem materiam cui inhaeret) minime incendere, aquam in quempiam supervenientem haud ipsum madefacere, confractum os subito consolidari, cadaver pene putre reviviscere; nemo profecto erit sive rudis sive doctus, qui non deprehendat in ejusmodi factis verum proprieque dictum miraculum, seu vim et efficaciam non agnoscat ejus, qui superior sit naturae legibus, Dei videlicet. Itaque falso assumunt adversarii ad judicandum de vero miraculo opus esse, ut quis cognoscat omnes naturae leges aut vires, sed satis est ut bene calleat eam peculiarem legem, cui miraculum contrarium est.

54. Ad 2. *D.* Ex defectu serii examinis, *Tr.* ex impotentia discernendi inter naturae phaenomenon verumque miraculum, *N.* Ex quo enim deceptio facile contingat, id unum sequitur, cautelam ac solertiam adhibendam esse antequam de miraculo judicium proferatur, quod non abnuimus.

55. Ad 3. *D.* Si temere id fiat, *C.* si certis fundamentis ejusmodi miraculorum proclamatio innitatur, *N.* Quaenam arrogantia, quaeso, fingi potest in eo, quod quis cernens ad thaumaturgi vocem quempiam ex mortuis reviviscere, ad ejus nutum caecum natum visum, surdum ac mutum auditum et loquelam recipere, idque sine ullo prorsus apparatu, miraculum proclamet? Puto in his rerum adjunctis adversarios ipsos conscientiae voci obsequentes id ipsum esse facturos. Intempestive autem adversarii hic inculcant modestiam et humilitatem, ne fidem adhibere cogantur indubiis notis divinae revelationis.

56. Ad 4. *Neg.* Tum quia in ejusmodi affirmatione perperam assumunt adversarii fieri posse, ut ope scientiae detegatur causa naturalis effectuum, qui nullam naturalem habent aut habere possunt; tum quia sub hoc obtentu omnis adimeretur via ad agnoscendam admittendamque divinam revelationem, quam Deus hominibus dare constituerit. Accedit, ipsos in eadem constanter hypothesi versari, quod, cum judicamus de miraculo, judicemus ex ignoratione legum physicarum, cum potius e converso de illo judicium feramus ex notissimis nobis eisdem legibus, ut patet ex dictis.

57. II. Obj. 1. Possunt et daemones vel miracula vera edere vel saltem mira patrare, quae illis quoad nos aequiparari possint. 2. Sane Exodi VII. et VIII. legimus, maleficos Pharaonis imitatos esse miracula Moysis, siquidem *fecerunt similiter.* 3. Quare Moyses pro certo sumit posse per falsos prophetas miracula fieri [1]; Christus vero praedicit [2], talia a pseudochristis et pseudoprophetis patratum iri miracula: *Ut in errorem inducantur,*

[1]) Deut. XIII, 2 et seqq. [2]) Matth. XXIV.

si fieri potest, etiam electi; id ipsum confirmat Apostolus[3], et Joannes.[4] Cum igitur dubium semper esse possit utrum miraculum a Deo an a daemone patratum sit, patet inefficax signum esse ad divinam patefaciendam revelationem.

58. Resp. Ad 1. *D.* Deo permittente, iisque in adjunctis, ut facile a Dei miraculis secerni possint, *Tr.* secus, *N.* Certum enim est daemones Dei imperio subesse, nec quidpiam agere posse absque Dei permissione. Quo principio semel constituto jam corruunt omnia, quae ex daemonum vi objici possunt. Cum enim Deus elegerit miracula uti tesseram manifestationis divinae suae voluntatis, jam ejus moralia attributa necessario poscunt, ne permittat daemonem talia moliri, quae dubiam efficerent ejusmodi notam. Quaecumque proinde supponatur daemonis vis, sive, ut nonnullis placet, vera patrandi prodigia, sive, ut verisimilius videtur, nonnisi falsa seu apparentia tantummodo, certum illud exploratumque est Deum non esse permissurum ea efficere, ita ut non possint opera daemonis ab operibus Dei secerni. Aut enim nullo modo sinet ea patrare, aut tot ac talia miracula opponet, ex quibus illius praestigiae detegantur, prout reipsa semper se gessit, quod ex dicendis clarius patebit.

59. Ad 2. *D.* Fecerunt in nonnullis *similiter,* ita tamen ut et ipsi debuerint propriam imbecillitatem fateri, *C.* in omnibus, *N.* Ad quartum siquidem signum ingenue malefici profiteri coacti sunt: *Digitus Dei est hic,* ut ibidem legitur.[5]

60. Ad 3. *D.* Quae tamen tuto distingui possint a Dei miraculis, *Tr.* quae secerni nequeant, *N.* Nempe interdum permittit aut permittet Deus, daemones falsis miraculis sive ad bonorum probationem sive ad impiorum excaecationem hominibus illudere; ast semper praesto est providentia sua, ne ineluctabilis sit error, ita ut apte animo comparati ab illis caveant, mali autem nonnisi voluntarie et ex propria malitia se decipi patiantur. Hac de causa ab Apostolo vocantur *signa mendacia* vel *mendacii*[6], quae tempore Antichristi patrabuntur.

61. III. Obj. 1. Nulla est religio, utut falsa, aut secta, quae sua non jactet miracula. Plura facta perhibentur a paganis; plura item ab haereticis et schismaticis, donatistis praesertim ac novatianis, a graecis etiam schismaticis et jansenistis. 2. Quapropter Tertullianus[7], et s. Augustinus[8] miracula veluti signa dubia habuerunt. Ergo.

62. Resp. Ad 1. *D.* Quae tamen omnia carent fundamento historico, *C.* quae certa omnino sint ac vera miracula, *N.* Ac 1°. quidem quae ab ethnicis proferuntur, nonnisi ex incerta fama, ac post aliquot saecula a tempore, quo ea contigisse dicuntur, relata ab historicis sunt. 2°. Ex incerta item fama proveniunt, quae de miraculis haereticorum et schismaticorum

[3]) I. Thess. II. 9.
[4]) Apoc. XVI. 14.
[5]) Exod. IX.
[6]) I. Thess. cap. I.
[7]) *De Praescript.* cap. 44.
[8]) *De unit. eccles.* cap. 18. n. 47.

circumferuntur. Deinde plura, quae tanquam miracula praedicabantur ab Aesculapio patrata, non fuerunt nisi sanationes ope artis medicae obtentae; alia autem, si quae vera sint, cujusmodi ea sunt, quae a Claudia vestali vel ab Eutychiano novatiano edita perhibentur, nonnisi in commendationem virtutis, aut ad fictionem detegendam, non autem ad cohonestandum aut ethnicismum aut novatianismum patrata forent. Donatistarum prodigia explodit s. Augustinus.[9] Jansenistarum, seu Diaconi Paris, excludunt Lafiteau et Bergier. Fatente demum protestante anglicano Bingham[10], ab haereticis nullum unquam miraculum editum est.

63. Ad 2. *Neg.* Sed Tertullianus et Augustinus in adductis locis solum hypothetice loquuntur, quatenus si vera essent miracula, quae pro se jactabant tam haeretici quam schismatici, non exinde inferri posse veram esse illorum sectam, cum a Salvatore contra ea praemuniti simus. Caeterum uterque veluti *fallacia* miracula illa respuit.

64. IV. Obj. 1. Nisi miracula oculis nostris usurpemus, iisdem fidem adjungere nec possumus nec debemus. 2. Potest enim prudens oboriri suspicio, aut quod veteres idoneam diligentiam non adhibuerint in factis expendendis et judicandis, aut quod decepti fuerint, voluerintque decipere. 3. Id ipsum praeterea nobis suadet vulgi indoles, quae fertur ad mirabilia, proindeque eo minus credenda sunt, quo mirabiliora haec perhibentur. 4. Historia philosophiae patefecit, plura eventa, quae tanquam prodigia proclamabantur, posse explicari ex legibus physicae, quae olim ignorabantur. 5. Caeterum certitudo physica, qua constat e. gr. mortuos non reviviscere, praevalere semper debet certitudini morali, quae inferioris est ordinis atque exsurgit ex testimonio aliorum hominum. Ergo.

65. Resp. Ad 1. *Neg.* Alioquin actum prorsus esset de auctoritate historica, quod nemo prudens admittet.

66. Ad 2. *D.* Si homines anteactorum temporum diversae naturae fuerint ab ea, qua nos praediti sumus, *C.* aliter, *N.* Homines enim semper similes sibi sunt: jure propterea praesumendum est in hisce casibus homines anterioris aetatis ea praestitisse, ut de miraculi veritate certiores fierent, quae nos praestaremus in eodem casu; eo magis quando agitur de miraculis in ordine ad novam religionem divinitus datam editis. Debebant enim ad hanc novam religionem amplectendam, non solum eam, in qua instituti et alti erant, deserere, sed jacturam facere ut plurimum et famae, et bonorum ac propriae vitae. Ad haec porro antequam homines inducantur, certe nulli industriae parcunt, nulli diligentiae, ut veritatem certo assequantur.

67. Ad 3. *D.* Nisi versetur vulgus iis in adjunctis, quae modo commemoravimus, *Tr.* in illis constitutum, *N.* ut per se patet. Accedit vulgus non ex solis rudibus coalescere, verum etiam ex viris doctis et peritis. Quo autem mirabiliora facta sunt, quae illi admiserunt, eo majorem fidem

[9]) *Tract.* XIII. in Joann. n. 17.

[10]) *Origin. antiquit. christ.* lib. XVI. cap. 5. §. 7.

merentur. Necesse enim est, ut tanto magis ingenium acuerint, quanto magis a consueto ordine illa recedebant.

68. Ad 4. *D.* Id est, nonnulla nec ad religionem spectantia, *Tr.* plura, quaeque ad divinam revelationem adstruendam edita fuerint, *N.* Hactenus enim increduli aut physici nullum, quod patratum perhibeatur ad ostendendam divinam revelationem, naturali ratione seu ex physicae legibus explicare potuerunt. Quod si ex iis, quae in historiis referuntur, nonnulla autumarunt se ex physicae legibus explicare posse, nihil nostra refert, cum ad rem praesentem non faciant.

69. Ad 5. *D.* Si certitudo physica et certitudo moralis secum pugnantes cadant in idem objectum, *C.* si in diversum objectum cadant, *N.* Tunc solum certitudo physica elidet certitudinem moralem, si quidem dari posset, quando unum idemque habent objectum. Jam vero cum certitudo physica aut potius experientia edicit mortuos homines non resurgere, de iis est, quae communiter contingunt; at certitudo moralis quae ex hominum testimonio exsurgit, dum militat pro extincto in vitam revocato, habet objectum singulare et extraordinarium. Quapropter cum certitudo physica et certitudo moralis contradictoria testimonia non praebeant de uno eodemque individuo, non pugnant inter se, neque proinde altera ab altera eliditur; atque ita ruit totum argumentum seu potius sophisma, quod adeo magni fit ab adversariis.

70. Inst. Saltem ope magnetismi animalis, quae veluti miracula vendebantur, optime explicari possunt, ac similia fieri. Etenim 1. per magnetismum animalem occulta panduntur, quae in remotissimis locis clanculum geruntur; patefiunt ac dispelluntur morbi, aliaque ejusmodi mira patrantur, dummodo magnetisanti fides habeatur, ejusque operationi ac influxui, qui morbo affecti sunt, subjiciantur. 2. Hac ratione plura saltem, quae a Christo patrata dicuntur, miracula explicantur: ipse enim in se ab aegrotis fidem exigebat, imponebat super eos manus, eosque tangebat quandoque repetitis vicibus; quae quidem omnia operationem redolent magneticam. Ergo.

71. Resp. *Neg. Ant.* si de iis sermo sit, de quibus hic agimus; nam nuspiam apparatus magneticus in illis cernitur, non *somnambulismus*, non contractiones aut convulsiones apparent, aut alia ejusmodi, quae in magnetismo animali evenire solent.

72. Ad 1. prob. *D.* Si vera essent omnia, quae a suis fautoribus de magnetismi animalis prodigiosa vi magnificantur, *Tr.* si falsa pleraque sint aut saltem exaggerata, *N.* Porro licet nonnulla ex tot, quae circumferuntur de magnetica vi, vera admittantur ac sint, certum tamen est pleraque falsa esse atque ab ipsis magnetismi patronis non paucis vel in dubium revocari aut prorsus uti falsa exagitari ac respui. Saepe etiam omnes repetiti conatus omni effectu caruerunt. Demum eis tantum medentur magnetisatores, quae ab emota phantasia pendent.

73. Ad 2. *Neg.* Siquidem nulli miraculorum Christi applicari possunt, quae ad magnetismum spectant animalem; Christus enim cum eo miracula

sua dirigeret, ut divinam suam missionem comprobaret, ideo in se ipsum exigebat fidem tanquam in Dei legatum; manus interdum imponebat super aegrotos, uti symbolum externum potentiae suae in sanitate conferenda; quandoque etiam aegros eadem de causa tangebat, atque ad excitandam illorum fidem, eo sensu, quo declaravimus. Ne autem quis suspicaretur externas ejusmodi operationes per se quidpiam conferre ad effectum obtinendum, saepe solius voluntatis nutu miracula operabatur, saepe quoque in absentes vim hanc exercebat, uti percurrenti evangelicam historiam facile patebit. Omitto caetera ejus miracula, quae ipse patrabat circa res inanimes, uti contigit in conversione aquae in vinum, in multiplicatione panum, in defunctorum excitatione aliisque ejusmodi, in quibus vis magnetica exerceri nullatenus potest.

ARTICULUS II.

DE PROPHETIIS.

74. Prout miraculis contigit, sic contigit prophetiis: earum nempe possibilitas quoque et efficacia impugnata est. Possibilitatem adorti sunt inter caeteros ex antiquis Colophonius, Epicurus atque Carneades; ex recentioribus Spinoza, sociniani, et in genere increduli ac rationalistae omnes. Efficaciam vero seu probandi vim ad evincendam revelationis divinae veritatem peculiari ratione sibi oppugnandam sumpsere rationalistae. Sic porro utrumque vindicare aggredimur.

PROPOSITIO I.

Prophetia est possibilis.

75. Prophetia seu cognitio eventuum liberorum futurorum eorumque praedictio est possibilis, si neque ex parte Dei neque ex parte rei futurae repugnat. Jam vero non modo non repugnat ex parte Dei ejusmodi sive cognitio sive praedictio, ut repugnet potius contrarium. Etenim ipsa Dei, seu entis perfectissimi ac necessarii notio postulat, ut nulla scientiae ipsius fieri possit accessio; fieret autem si non omnia semper praesentia cerneret. Sed neque repugnat ex parte rei futurae, quia quamvis haec in se seu in sua realitate actu non sit, est tamen actu uti objectum scientiae Dei suo tempore futura, adeoque et objectum revelationis. Hinc insita ea omnibus hominibus quovis tempore notio viguit. Deum omnia futura quamvis libera nosse; recepta insuper ex hac ipsa notione apud omnes divinatio velut argumentum divinitatis juxta illud Tullii effatum [1]: *Si divinatio est, dii sunt.* Ergo.

DIFFICULTATES.

76. Obj. 1. Quod non est, nihil est; sed quod nondum est, non est, ergo nihil est; ergo futurum quod nondum est, seu nihilum, nequit esse

[1]) *De Divin.* lib. I. cap. 5.

cognitionis objectum, nec proinde praedictionis. 2. Accedit, ejusmodi praecognitionem, si qua dari posset, maxime obfuturam humanae libertati; induceret siquidem fatalem humanis actibus necessitatem noceretque *moralitati*. 3. Concipi demum nequit, quomodo cognosci etiam a Deo possit quod libere futurum est, cum nec existat in se, neque in sua determinatione, quae ad opposita esse potest. Ergo.

77. Resp. Ad 1. *D.* Quod non est neque in se, neque uti objectum scientiae divinae, nihil est, *C.* quod non est solum in sua realitate, sed est uti objectum divinae scientiae, *N.* Etenim quamvis res futurae in sua reali existentia nondum sint, sunt tamen ut objectum divinae scientiae ad eum modum, quo res praeteritae, quae in se non amplius sunt, attamen adhuc existunt in memoria nostra. Est autem futurum respectu Dei, quod est praeteritum respectu nostri. Nam omnia ambit ejus aeternitas, in qua nulla est successio.

78. Ad 2. *D.* Si praevisio esset antecedens, *Tr.* si sit consequens ad facta quae praevidentur, *N.* In ordine enim logico prius est aliquid esse quam videri. Hinc non ideo res futurae sunt, quia praevidentur, sed ideo praevidentur, quia futurae sunt, praesertim si liberae sint. Non magis nocet humanae libertati actus liberi praevisio ex parte Dei, quam ejus memoria ex parte nostra.

79. Ad 3. Esto a nobis id concipi non posse, exinde tamen inferri nequit praevisionis, ut ajunt, impossibilitas. Quod a Deo res libere futurae cognoscantur, certa res est, quae tum ex Dei ipsius notione, tum, uti videbimus, ex facto certissime constat; *quomodo* autem Deus eas cognoscat, nobis liquido haud innotescit, cum de eo agatur, quod experientiae nostrae non subest. Verum ex angustia mentis nostrae concludere nec debemus ad rem ipsam inficiandam, ut in pluribus aliis contingit.

PROPOSITIO II.

Prophetia eventu comprobata certissimum exhibet divinae ac supernaturalis revelationis argumentum.

80. Res futuras liberas certo cognoscere ac praenunciare Dei solius est; ergo si semel constiterit liberas ejusmodi res fuisse certo praecognitas et praenunciatas, eventumque eis plane respondisse, argumentum aderit ineluctabile eum, qui talia edidit vaticinia, illustratum a Deo fuisse, seu quod idem est, prophetia eventu comprobata certissimum exhibet divinae ac supernaturalis revelationis argumentum.

81. Antecedens a nemine in dubium revocari potest; consequens, quod hypotheticum est, sua ipsa evidentia fulget. Tota proinde controversia ad *solum factum* revocatur, utrum nempe ejusmodi vaticinia edita sint nec ne, et reipsa fuerint ad amussim adimpleta; de quo postea.

82. Hoc confirmatur ex communi hominum sensu, qui constanter vaticinia uti notam divinitatis propriam habuerunt.

DIFFICULTATES.

83. I. Obj. 1. Prophetia vividiori phantasiae tribui debet, aut naturali rerum futurarum praesensioni, quae ut plurimum effectum sortiuntur. 2. Arte praeterea ac industria comparari potest, ut liquet ex scholis prophetarum [1], et ex Eliseo, qui ad psaltis concentum excitatus est ad edendam prophetiam. [2] Praeterea 3. notum est vaticinia, quae etiam in Scripturis habentur, aut obscura aut flexiloqua esse, ab hominibus divino Spiritu indignis edita, ac eventibus esse accommodata, ita ut nulla aperta ac determinata occurrant. Ergo.

84. Resp. Ad 1. *D.* Prophetia *fictitia*, *C. vera,* de qua nos agimus, *N.* Satis est recolere notionem, quam de vera prophetia exhibuimus, ut hae aliaeve ejusmodi difficultates dissolvantur.

85. Ad 2. eadem esto distinctio; si enim arte naturalique industria ac sagacitate partae sint prophetiae, hoc ipso excluduntur a vera prophetia, quae notam divinae revelationis constituit. Scholae porro prophetarum, de quibus in Scripturis sermo est, minime institutiones fuerunt ad artem sive docendam sive addiscendam prophetandi, quod esset absurdum, sed veluti collegia quaedam erant, in quibus juvenes ad pietatem ac litteras informabantur. Prophetae enim notio in Scripturis multiplex est. Factum autem Elisei est prorsus singulare; sonum enim psaltis ad quietem sibi conciliandam ex turbatione, in qua fuerat, depoposcit, ut idoneus fieret ad Dei voluntatem excipiendam.

86. Ad 3. *Neg.* Quamplurima enim in sacris litteris vaticinia clara, aperta, definita quoad res, loca, tempus, individua, gesta etc. reperiri paulo post ostendemus, cum agendum erit de existentia divinae revelationis. Interim haud pauca ejusmodi vaticinia in Scripturis contineri ipsa sua agendi ratione patefaciunt adversarii, dum contendunt contra omne historicum fundamentum plura post eventum fuisse conficta; prout et nonnulli ethnici, inter quos Porphyrius, eorum luce perculsi autumarunt. Quod si aliquot minus clara videntur, multiplici ex causa repeti id debet: ac 1°. ex ignoratione historiae, ac omnium adjunctorum; 2°. ex linguae indole, in qua edita sunt; 3°. ex peculiari etiam divina oeconomia, qua interdum vaticinia, quae idem objectum habent, ita fuere disposita, ut quo remotiora erant eventa praedicta, eo obscuriora essent vaticinia; quo vero propiora erant tempora, eo etiam clariora magisque distincta ederentur vaticinia, uti contigit in vaticiniis, Messianis nuncupatis. Ad eum nempe prope modum, quo in tabula, quae refert prospectivam, objecta, quae magis proxima repraesentantur, distincte cum omnibus suis lineamentis ac vividioribus coloribus pinguntur, minus vero distincte, quae magis dissita, donec in vagam desinant ac languidam effigiem, et quae remotissime sisti objecta volunt.

87. Nil porro obest interdum vaticinia edita ab hominibus divino

[1]) I. Reg. X. et alibi. [2]) IV. Reg. III. 15.

Spiritu indignis, dummodo enim constet de veritate vaticinii ac de ejus adimplemento, satis est; siquidem hoc sibi prae miraculo proprium vindicat vaticinium, ut suam probationem ex se habeat. Caeterum prophetia donum est, uti scholae loquuntur, gratis datum ad aliorum utilitatem, quo proinde quandoque homines impii ditari possunt non secus ac dono miraculorum.

88. II. Obj. 1. Ethnici etiam suos vates habuerunt, sua oracula, quae libere futura praedicerent, responsa de occultis praeberent, cujus rei historia universa testis est. 2. Sane daemones possunt plura praenunciare, quae sint ipsi facturi. Ergo prophetia indubium dici nequit divinae revelationis argumentum.

89. Resp. Ad 1. *D.* Qui nempe exercerent artem divinatoriam, *C.* qui vera ederent vaticinia juxta notionem a nobis traditam, *N.* Sic etiam: oracula habebant ethnici, quae responsa darent aequivoca, dubia, flexiloqua, aut etiam falsa, *Tr.* vel *C.* quae veras ederent prophetias, *N.* Ingens porro inter ethnicorum vates et prophetas nostros intercedit discrimen. Illi enim, utpote sua dantes, conjecturis ducebantur, nec nisi vagas ac indeterminatas praedictiones exhibebant, nullum sibi scopum peculiarem proponebant, de rebus haud longe dissitis, quaeque singularia aut individua, aut urbes et oppida attingerent; credulos populos, principes sibi faventes experiebantur; contra vero Hebraeorum prophetae certos atque determinatos eventus interdum remotissimos loco ac tempore cum suis omnibus minutissimis adjunctis praenunciant; omnes prorsus concurrunt ad eumdem scopum, nempe ad Dei gloriam providentiamque commendandam atque ad Messiam futurum praenunciandum. Pro objecto ut plurimum habent vicissitudines gentium, regnorum, imperiorum; cum vero de remotissimis eventibus loquerentur et vaticinii veritas ab adimplemento pendeat, cum populos ac principes de vitiis arguerent, incredulos ac infensos et persecutores experti eos sunt, nec apparuit divina eorum missio nisi post plura saecula, quando nempe ipsorum vaticinia ad amussim completa sunt. Nulla proinde inter utrosque vates comparatio institui potest.

90. Ad oracula vero quod spectat, notum est, pleraque sacerdotum fraudibus esse adscribenda; quae autem per daemones edita sunt, adeo obscura ac flexiloqua erant, ut cuicumque eventui aptari possent; prout reipsa historia universa testis est.

91. Ad 2. *D.* Si Dei providentiae non subessent, *C.* si ita subsint, ut non omnia, quae ipsis lubent, facere possint, *N.* Eodem quandoquidem modo, uti diximus agentes de miraculis, quo Deus, qui miracula elegit velut signum sibi proprium, non potest permittere, ut daemones talia patrent, quibus ineluctabiliter in errorem homines conjiciantur; ita nec permittet, ut illudant vaticiniis, cum et haec velut testimonium suae divinitatis elegerit.

CAPUT IV.

DE EXISTENTIA SUPERNATURALIS AC DIVINAE REVELATIONIS.

92. Non defuit Deus humanae indigentiae, sed ei auxilio fuit vel ab ipso mundi exordio et insequentibus aetatibus, quibus se communicavit hominibus a se delectis, patriarchis scilicet, Moysi, prophetis, donec completam dedit revelationem per Christum Filium suum, qui fuit scopus et objectum praecipuum revelationis ejusdem. Ad supernaturalis proinde hujus ac divinae revelationis existentiam adstruendam nos in ea sistimus, quae per Christum facta est; ex hoc autem veluti centro deinde assurgimus ad indirecte saltem evincendam veritatem revelationis anterioris, quae facta est per patriarchas, Moysen et prophetas.

93. Praemittimus porro hic a nobis supponi veritatem ac veracitatem librorum, qui universim sacrae Scripturae nomine comprehenduntur; hoc enim argumentum sibi vindicant sacrarum litterarum professores, nosque ipsi de eodem inferius agemus. Sit interim

PROPOSITIO I.

Christus divinam missionem suam miraculis ac vaticiniis eventu completis et praesertim sua a mortuis resurrectione comprobavit.

94. Juxta demonstrata, miracula ac vaticinia certissimam notam constituunt divinae ac supernaturalis revelationis; si igitur constiterit Christum reipsa missionem suam illis notis comprobasse, praesertim sua a mortuis excitatione, quae simul vaticinium ac miraculum omnium celeberrimum extitit, hoc ipso constabit divinam esse revelationem, quam idem Christus hominibus contulit. Jam vero his communivisse missionem suam ita per partes ostendimus.

95. Ac I. miracula a Christo edita evangelistae luculentissime referunt: haec autem omni suspicione carere patet ex illorum *numero,* qui ingens plane est; ex *adjunctis* omnibus, in quibus patrata sunt, nempe publice, in conspectu aemulorum suorum, in ipsa urbe hierosolymitana, examini publico interdum subjecta, quorumque fama ad reges ipsos perlata est; ex *personis* in quarum gratiam patrata sunt, quae non solum e plebe sed ex sacerdotum ac principum coetu, quae quandoque etiam absentes fuerunt. Porro si quis dolus, si qua fraus in illis latuisset, detecta omnino esset, summopere siquidem hoc Christi aemulorum intererat. Numquam tamen quidpiam ejusmodi factum est. Quin immo adeo pervulgata erant, ut numquam ejus hostes illa negaverint sive judaei sive ethnici; sed, plane illis admissis, contenti fuerint ea magicae arti adscribere, uti ex libris thalmudicis, et ex Celsi, Porphyrii, Hieroclis atque Juliani scriptis aut eorum fragmentis, quae ad nos usque pervenerunt, liquido constat.

96. II. Vaticinia item clarissima tum quae res aut personas proxime afficerent, tum quae res longissime dissitas loco et tempore cum minutissimis

adjunctis suis pro objecto habuerunt a Christo magno numero edita sunt, quaeque aut effectum sortita sunt, aut in dies sortiuntur. Talia sunt, ad primam classem quod attinet, vaticinia quae de sua passione cum omnibus suis adjunctis temporis, loci, supplicii generis multiplicis edidit Christus, quae de trina Petri negatione ante galli cantum, quae de discipulorum suorum dispersione, de Juda proditore, aliaque ejusmodi praenuntiavit. Ad alteram vero classem referuntur praedictio de futura apostolorum constantia, de mulieris quae unguento pedes suos linierat fama in mundum universum perventura; de proxima evangelii sui diffusione; de ecclesiae suae super Petrum aedificandae perpetua stabilitate, aliaque id genus non pauca. Medium inter utraque vaticinia locum quodammodo obtinet celeberrimum illud de templi, urbisque hierosolymitanae eversione intra illam eamdem generationem vaticinium, quod Matthaeus [1], Marcus [2], Lucas [3] longe antequam adimpleretur, scriptis suis evulgaverunt cum omnibus suis adjunctis eorum quae praecedere, quae comitari, quae subsequi illam eversionem debebant. Eventus, teste Josepho Flavio, nec non referentibus Tacito ac Suetonio, apprime praedictioni respondit. Quamvis vero Julianus apostata tribus post saeculis irritum reddere hoc vaticinium per novam templi molitionem adnisus fuerit, prodigiis, ab ethnico ipso Ammiano Marcellino historico relatis, a temerario ausu impeditus fuit.

97. III. Ad resurrectionem demum Christi quod attinet, toties ab eo praenunciatam clarissimis verbis *tertia die*, seu post *tres dies* ab sua morte secuturam [4], quaeque innotuerat etiam inimicis ejus [5], ita ut ad ipsius tumulum excubias posuerint, exploratissima res est illam locum habuisse, adeoque et adimpletum esse celeberrimum vaticinium, et patratum miraculorum maximum.

98. Hoc enim factum testantur 1°. apostoli et evangelistae in scriptis suis editis in conspectu adversariorum Christi, prout testati jam fuerant magna constantia Christi discipuli coram interfectoribus ejus, tum in publicis concionibus tum in publico concilio, illis exprobrantes Christi redivivi necem. [6] 2°. Testantur ipsa sua agendi ratione principes sacerdotum, seniores populi, scribae ac pharisaei, qui opponentibus sibi crimen adeo atrox nihil prorsus, quod facti veritatem attingeret, reposuerunt, neque ab excubiis ob impactam eis socordiam poenam poposcerunt; testantur quingenti fratres de quibus Apostolus loquitur [7], quorum aliqui usque ad Trajani aetatem pervenerunt; testantur innumera ac ingentia miracula, quae in resurrectionis confirmationem ab apostolis atque discipulis edita sunt; testantur quotquot primis illis ecclesiae temporibus sive ex judaeis sive ex ethnicis christianam fidem professi sunt; testantur denique, indirecte saltem, judaei ipsi scriptores, dum nobis dant tum Christum e cruce depositum in sepulcrum illatum et

[1]) Matth. cap. XXIV.
[2]) Marc. cap. XIII.
[3]) Luc. cap. XXI.
[4]) Matthaeus XII. 40; XX. 19; Marc. IX. 30; Luc. XVIII. 33; Joann. XIX.
[5]) Matth. XXVI. 61; XXVII. 40.
[6]) Act. II. 23; III. 15; IV. 10.
[7]) I. Corinth. XV.

custodibus munitum, tum post diem tertium vacuum sepulcrum fuisse repertum, atque interim nemo ullam vel probabilem hujus facti rationem reddit, alii vero absurdas causas assignant.

99. Cum igitur tum luculentissimis miraculis ac vaticiniis eventu comprobatis, tum Christi ipsius resurrectione constet divinam esse ejusdem missionem, hoc ipso constat divinam esse revelationem, quam Christus dedit hominibus. Quoniam vero Christus provocat ad libros Moysis, ad Psalmos, ac Prophetas tamquam ad *Scripturam*, seu tamquam ad libros divinitus conscriptos, exinde aperte colligitur divinam pariter esse revelationem, quae a mundi primordiis et insequentibus aetatibus per illos facta est, seu, quod idem est, constat de existentia divinae ac supernaturalis revelationis.

DIFFICULTATES.

100. I. Obj. 1. Miraculorum Christi veritas historica nutat, quae unice innititur testimonio apostolorum, qui et suspecti sunt utpote addicti magistro suo, et praeterea idonei haud erant ad rectum de illis ferendum judicium. 2. Nulla sane de illis juridica inquisitio facta est. 3. Fidem sibi sive pharisaeorum et legis doctorum, sive ipsorum apostolorum conciliare non potuerunt; illi enim turpissimae Christum morti addixerunt, isti eum penitus deseruerunt. 4. Immo et Christus ipse parum se illis fidere ostendit, dum ad doctrinam appellavit uti normam ad judicandum de miraculis, et majora a cultoribus suis expectanda promisit. 5. Idem dic de vaticiniis, quae ut plurimum conjecturalia sunt, nec sagacitatem excedunt politici indagatoris, cujusmodi certe fuit praedictio excidii hierosolymitani, cum proximae perduellionis jam germina omnia extarent, quando illam Christus praevidit ac praenunciavit. Ergo.

101. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim 1°. non a solis apostolis Christi miracula referuntur, sed, uti vidimus, a scriptoribus judaeis ac ethnicis admissa sunt, licet ea adscripserint magicae arti. 2°. Etsi a Christi discipulis referantur, nullo modo suspectum est ipsorum testimonium, quum ea referant tamquam publice ac in omnium conspectu patrata, et commentaria sua ediderint viventibus adhuc eorum plerisque, qui rei testes fuerunt, ac falsitatis argui illico potuissent. 3°. Hi ipsi, ut adhaererent Magistro suo, debuerunt bonorum omnium ac vitae discrimini se objicere, prout reipsa ad ea, quae narrant, testanda exilium, cruciatus ac denique mortem ipsam oppetierunt. Idoneos porro fuisse apostolos ad judicium ferendum de Christi miraculis exinde liquet, quod instructi essent bonis oculis et auribus; ejus enim naturae sunt Christi miracula, ut ad ea internoscenda magnis adminiculis opus non fuerit.

102. Ad 2. *Neg.* Nam de caeco nato subtilissima inquisitio facta est.[8] Id ipsum pene contigit in Lazari excitatione. Deinde cum publica essent prodigia ac frequentissima, potuissent, quoties libuisset, illam instituere;

[8]) Joann. IX.

quod si non fecerunt, ideo est, quia nullas technas ad illa infirmanda habebant, eorumque lucem pertimescebant.

103. Ad 3. *D.* Omnium eorumque praecipue, qui voluntaria caecitate laborabant, fidem sibi non conciliarunt miracula Christi, *C.* plurimorum qui melius dispositi erant, *N.* Omissis siquidem peculiaribus individuis ex coetu pharisaeorum et doctorum, Nicodemo, Jairo, aliisque haud paucis, certum est *multos ex principibus* in Christum credidisse ob ejus miracula [9]; item *turbam multam sacerdotum obedivisse fidei.* [10] Quod si caeteri obfirmarunt cor suum ob inveterata, quibus detinebantur anticipata judicia, ob invidiam, qua tabescebant, aliasque ob causas, non miraculorum defectui, sed illorum malitiae adscribi debet. Apostoli autem non ex incredulitate, sed ex timore ad tempus brevissimum deseruere Christum, cui deinceps constanter adhaeserunt insuperabili constantia et fortitudine.

104. Ad 4. *N.* Hoc siquidem non est nisi impudentissimum rationalistarum mendacium. Christus enim constanter provocat adversarios suos ad miracula, quae patrabat. [11] Dum vero promittit a cultoribus suis majora adhuc in posterum edenda, virtutem suam confirmat, non extenuat. Quomodo porro hoc intelligendum sit, exponunt interpretes, atque in his Maldonatus.

105. Ad 5. *N.* Minutissima enim adjuncta clare distincteque determinata suspicionem injectam prorsus excludunt. Dum politici regnorum eversionem sagacitate sua praevident, ignorant plane modum, quo illa contingere debet, et ea quae a fortuitis ac liberis causis pendent, cujusmodi sunt, quae Christus descripsit in Solymorum eversione, ut de aliis vaticiniis sileam, de quibus postea.

106. II. Obj. 1. Testimonium saltem apostolorum pro Christi resurrectione suspectum haberi debet, tum quia Christo addicti erant, tum quia singulare, tum denique quia magnum ex hac persuasione, quam si ingerere possent, emolumentum sibi obventurum sperabant. 2. Evangelistae in facto resurrectionis referendo inter se non consentiunt, duo praeterea ex his nonnisi per traditionem factum istud acceperunt. 3. Plura insuper sunt, quae suspicionem hanc vehementer confirmant, nempe ratio apparitionum Christi redivivi, quae subsecivae fuerunt, timor ab apostolis conceptus de phantasmatis visione, ipsorum ignoratio de subsecutura hac resurrectione atque incredulitas. 4. Sane, cur Christus ad vitam revocatus sese intuendum non praebuit adversariis suis, cum hoc eis signum toties se daturum pollicitus esset missionis suae? Cur apostoli juridicas epistolas a Pilato non petierunt hujus facti ad fidem inveniendam? 5. Hisce porro non officit custodia sepulcro apposita nec sigillum, quo sepulcrum obsignatum est; nam milites vino et argento corrumpi poterant, et sepulcrum forsan vacuum obsignatum est, integer siquidem dies effluxit antequam et milites constituerentur custodes et signaretur sepulcrum. [12] 6°. Fortasse necdum mortuus erat Christus,

[9]) Joann. XII. 42.
[10]) Act. VI. 7.
[11]) Joann. X. et alibi.
[12]) Matth. XXVII. 62—66.

cum *a discipulis* e cruce depositus est; certe Pilatus miratus est, quod tam cito mortuus esset [13]; curatus igitur diligenter amissas vires recuperavit ac se paulo post clancularío modo apostolis videndum praebuit, ut redivivus crederetur. Ergo.

107. Resp. Ad 1. *Neg.* Amor siquidem ac sequela Christi fuit in apostolis effectus et consequentia eorum, quae in ipso viderant, alioquin ei minime se addixissent, cum pro ejusmodi sequela nonnisi ingentia mala sibi impendere bene novissent, ut experientia ostendit. Singulare autem fuit ipsorum testimonium, si lubet, post eorum in diversas provincias dispersionem, quae nonnisi post decennium contigit; interim toto decennio in Judaea *magna virtute reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi.* [14] Cum vero singulares fuerunt, sibi fidem conciliabant signis et prodigiis juxta ejusdem Christi promissa. Emolumentum denique quod sibi praestolari poterant apostoli in falsa resurrectione evulganda, fuere verbera, exilium, mors denique ipsa in hoc saeculo ac aeternus interitus in altera vita. Quod emolumenti genus certe recusabunt adversarii nostri. Adde non ex solo apostolorum testimonio resurrectionis Christi veritatem constare, ut patet ex dictis in probationibus.

108. Ad 2. *D.* Id est, non conveniunt in circumstantiis accidentalibus, quaeque inter se facile componuntur, *C.* non conveniunt in facto ipso referendo, *N.* Alterum ab altero dispescendum est. Non semel apparentes dissonantiae in eventus alicujus testimonio eidem vim et robur addunt, quatenus exinde patet scriptores non ex condicto illum retulisse, aut alterum minime expressisse. Plures viae sunt evangelistis inter se componendis, quas videre est penes interpretes. Quod vero adjicitur de duobus evangelistis, qui ex traditione factum resurrectionis accepisse dicuntur, intelligi ad summum debet, quod illud habuerint ex testibus immediate oculatis. Quod quidem nihil detrahit eorum veracitati.

109. Ad 3. *Neg.* Etenim ejusmodi suspicionem 1°. non confirmant subsecivae Christi redivivi apparitiones, sed peculiarem oeconomiam patefaciunt, qua voluit Christus ostendere se non amplius versari in communi caeterorum hominum conditione. Caeterum in his apparitionibus Christus longos habuit cum apostolis et discipulis suis tractatus, se ipsis palpandum praebuit, cum iisdem manducavit et bibit, ad eorum conspectum coelum conscendit.

110. 2°. Non confirmat conceptus ab apostolis timor in subitis illis apparitionibus, januis praesertim clausis; hic enim non fuit nisi subitus motus et affectio naturalis, quae statim depulsa est ex Christi alloquiis.

111. 3°. Non confirmat ignoratio, uti adversarii autumant, de subsecutura Christi resurrectione; nam haec ignoratio non est absoluta, sed relativa ad prophetarum oracula, quae hanc praenuntiabant, ut constat ex Joann. XX. 9.

[13]) Marc. XV. 44. [14]) Act. IV. 33.

112. 4°. Non demum confirmat incredulitas apostolorum erga referentes resurrectionem Christi; siquidem ad summum haec eorum agendi ratio arguit in ipsis fidei infirmitatem, ostenditque eos non admodum credulos fuisse, nec ejus veritatem admisisse nisi convictos, quod melius pro nobis est.

113. Ad 4. ac praecise ad primam quaestionem respondeo, Christum sese redivivum minime praebuisse adversariis suis, quia noluit; quare noluerit, penes ipsum est. Hoc enim favore illi indignos se praebuerunt. De liberata autem a Christo fide circa futuram resurrectionem suam certiores effici potuerunt ex apostolorum testimonio. Ad alteram autem expostulationem dicimus, apostolos juridicis Pilati litteris non indiguisse, cum longe firmiores haberent ad sibi fidem conciliandam in virtute signorum, qua praediti erant.

114. Ad 5. *N.* Neutra porro objecta conjectura admitti potest, quin acerrimos et oculatissimos Christi hostes veluti stupidos confingamus. Quid sane fecissent adversarii nostri, si illis in adjunctis versati fuissent? Certe ante obsignationem sepulcri, et antequam excubias adponerent, diligenter solerterque certiores oculis ipsi suis se fecissent de cadavere in sepulcrum injecto, eoque solertius, quod Christi corpus pridie ab *ejus discipulis* in tumulum illatum scirent. Ita porro sese gesserunt illi, qui non minore odio in Christum aestuabant ac adversarii, quos impugnamus. Idem dic de solertia, ne custodes deessent muneri suo; in dubio enim de infidelitate militum eos quaestioni subjecissent ad veritatem extorquendam, ut moris tunc temporis erat.

115. Ad 6. *Neg.* ob easdem rationes, de quibus modo egimus. Accedit Christum in cruce graviter lancea in latere percussum fuisse, et ex corde ac pericardio aquam sanguinemque fluxisse. Quo mortali vulnere omne est dubium de ejus morte sublatum. Licet porro miratus fuerit Pilatus, quod jam Christus obiisset, praeterquam quod haec admiratio referri potest ad festinationem judaeorum in nece inferenda, nonnisi certior factus a centurione de ejus morte cadaver Josepho sepeliendum concessit. Exinde ruit aliud paradoxum de curatione, quae effecta supponitur per mixturam myrrhae et aloes, quae certe impar cicatricibus obducendis fuisset. Denique si exsanguis Christus tertia die evasisset de sepulcro, ut caetera omittamus, adeo ne hebetes ac bardi fuissent apostoli, ut id non comperissent? Nempe adeo stupidos se produnt increduli et rationalistae, dum acuti videri volunt, ut absurda quaeque devorent, potius quam victas dent manus.

PROPOSITIO II.

Doctrinae evangelicae excellentia et sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missionem mirifice confirmant.

116. Haec et insequentes propositiones sin minus apodicticae validissimum saltem ad ea, quae dicta sunt, robur adjiciunt ac mirifice confirmant. Dum autem doctrinae evangelicae excellentiam ac sanctitatem ad divinam ac

supernaturalem Christi evincendam seu confirmandam missionem urgemus, haud spectamus seorsim partem ejus theoreticam, ac seorsim partem practicam, sed simul expendimus; ex nexu siquidem et complexu vis argumenti exsurgit.

117. Jam vero ex ejusmodi nexu evangelicam doctrinam talem esse deprehendimus, ut ex parte practica homo evehatur ad perfectionis apicem tum ratione finis, tum ratione mediorum. Ratione quidem finis ultimi in omnibus tum operibus, tum desideriis ad Deum uti in summum bonum, hominumque aeternum glorificatorem intentio recta dirigitur; ratione autem mediorum, quatenus nulla pars ethices sit, quae hominem aliquo modo non perficiat sive in ordine ad Deum, sive in ordine ad seipsum, sive in ordine ad proximum in vera ac mutua ac perpetua et universali dilectione, quam aut non praecipiat aut non consulat: nihil sit quod hominis sanctificationi adversetur aut obsit, quod non damnetur vel non removeatur. Exemplar denique omnium absolutissimum in virtutibus omnibus exhibet in vita ipsius Christi, quem omnes pro viribus, ut in se exprimant, summopere pro uniuscujusque statu et conditione eluctari debent. Ex parte autem theoretica basis simul et incitamenta validissima parti practicae praebentur. Etenim patefacta origine illius ad malum pronitatis, quam omnes in se experiuntur, ac difficultatis, quam omnes sentiunt ad bonum prosequendum, per dogma de propagatione primigenii peccati, quod omnes a nativitate invadit, et quo corrupta est integra humana natura, remedium simul patefacit in mysterio Incarnationis ac Redemptionis. Hoc siquidem non modo originalis noxa, verum etiam reliquae omnes voluntariae culpae superadditae dilutae perhibentur simulque nobis uberrimae gratiae per Christi mortem promeritae ad confirmandam voluntatem nostram, ad infirmitatem nostram erigendam, et ad robur addendum, quo ardua quaeque aggredi et moliri queamus. Hoc porro mysterium, quod alteri innititur de Trinitate personarum in identitate naturae divinae subsistentium, praeter sublimissimam, quam de Deo nobis suppeditat ideam, ostendit insuper quaenam sit suprema Dei misericordia ac justitia nempe in peccato puniendo morte Filii sui, misericordia in homine peccatore, dum ei talem dedit reparatorem ac Salvatorem. Exinde acerrimi illi stimuli dimanant ad Deum vehementissime diligendum, ad culpam omnem summopere detestandam cavendamque, ad sanctitatem denique omnigenam consectandam. His demum adjicitur velut sigillum aeterna sanctio sive praemiorum sive poenarum.

118. Quae cum ita se habeant, sive absolute totum hoc doctrinae evangelicae systema sive relative seu comparative spectetur, quod intendimus, invicte demonstrat. Absolute enim sive in se spectatum ejusmodi est, ut nihil ei adjici possit, nihil ab eo detrahi; spectatum vero comparative ad conatus nempe philosophorum omnium antiquitatis, adeo istorum dictamina ab illo distant, ut puerilia videantur ac penitus evanescant. Concludendum propterea est evangelicam doctrinam super humanam omnem conditionem sese efferre, datamque proinde hominibus esse aut a Deo, aut ab

eo, qui a Deo edoctus sit, seu divinam esse Christi missionem, qui talem humano generi proposuit doctrinam.

DIFFICULTATES.

119. I. Obj. Doctrina evangelica ex neutra parte divinam ac supernaturalem Christi missionem evincit. Pars enim practica 1. non excedit humanae mentis facultatem; 2. nihil novi adjecit Christus, quod non reperiatur antea Hebraeis traditum sive a Moyse ac prophetis, sive a *moralistis* in libris sapientialibus nuncupatis, non excepta inimicorum dilectione, vindictaeque cohibitione, quidquid Christus asseruerit [1], dum legem talionis, quae magistratibus uti norma ad judicandum data est, datam perhibet privatis individuis; aut dum ait [2]: *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum;* praeterquam quod nuspiam hoc dictum esse legitur, contrarium potius, adstruitur. [3] 3. Practica Christi doctrina feminis potius quam viris informandis idonea est, prout mosaica est doctrina; 4. aut certe monachis efficiendis idealis illa perfectio magis accommodata est, quam hominibus in societate constitutis. 5. Societati quippe multis ex capitibus noxia est tum humilitatis commendatione, tum omnis usurae proscriptione, qua praeciduntur commercii nervi, tum terroribus suis, quibus homines pusillo animo et abjecti efficiuntur et ad bellum minus comparati. 6. Ex parte autem theoretica haud posse argumentum sumi ad excellentiam doctrinae christianae commendandam exinde patet, quod superet intellectus nostri captum; de qua proinde judicare non valemus. Ergo.

120. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Doctrina practica evangelica non excedit humanae mentis facultatem quatenus *absolute* cognosci posset, *Tr.* quatenus *moraliter* in suo complexu in praesenti rerum ordine possit cognosci, *N.* Contrarium enim tot saeculorum experientia, tot philosophorum conatus, tot gentium ad haec usque tempora aberrationes luculentissime evincunt. Quod si increduli et rationalistae melius sapere videntur, id illi revelationi debent in acceptis referre, cui ingrati succensent et super quam tumidi sese efferunt.

121. Ad 2. *D.* Quoad substantiam, *Tr.* quoad perfectionem pravasque ac inolitas interpretationes, *N.* Differt doctrina evangelica practica a doctrina mosaica exposita etiam a prophetis et *moralistis,* ut vocant, hebraeis, uti magis perfectum a minus perfecto, seu uti sol, qui fulget in meridie, ab aurora. Satis est levem inter utramque instituere comparationem, ut hoc discrimen percipiatur.

122. Quamvis autem talionis lex pro magistratibus constituta fuerit, cum privati tamen eam sibi in acceptis injuriis vindicandis normam sumpserint, ad omnem vindictam compescendam in discipulis suis illam sustulit Christus, eo etiam fine, ut non ex timore vindictae, sed ex sincera caritate removerentur ab aliorum laesione, prout Patres exponunt apud Maldonatum. [4]

[1]) Matth. V. 38.
[2]) Ibid. v. 43.
[3]) Exod. XXIII. 5 et Prov. XXV. 22.
[4]) *Comment.* in hunc loc.

123. Sic quod objicitur ex v. 43. s. Matthaei, facile dissolvitur, si ratio habeatur ad allusionem, cui intendit Christus in cit. verbis. Hebraei enim uti fratres et amicos habere debebant Israelitas omnes, quamvis privata jurgia ac dissensiones inter se haberent; contra vero ut inimicos habebant populos Chananitidis, cum quibus non foedera solum aut amicitias inire non poterant, sed e converso ea delere jubebantur. Christus porro qui venerat ad solvendam maceriam, qua populus judaicus a reliquis secernebatur, voluit hoc in loco, ut amor ad omnes prorsus homines extenderetur. Caeterum nuspiam in lege scriptum est, uti praecepit Christus: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Uti expendit Maldonatus. [5]

124. Ad 3. *N.* Haec enim non est nisi increduli Salvador in sua, quam vocat, *Vita et doctrina Christi Jesu*, calumniosa assertio. Experientia jugis ostendit non solum feminis, verum etiam viris philosophis ac sapientibus, immo et regibus et imperantibus informandis maxime idoneam esse evangelicam doctrinam. Quod si politicas institutiones ac leges non tulit Christus, prout tulerat Moyses, ratio est, quod Christi scopus longe alius esset a scopo Moysis, cui theocraticum ac civile regimen constituendum erat.

125. Ad 4. *D.* Si perfectionis nomine significent adversarii evangelica consilia, *Tr.* si evangelica praecepta, *N.* Illa autem nullam per se inducunt obligationem adeoque citra peccatum ab iis, qui degunt in societate, illorum observatio omitti potest. Ex ea autem parte, qua obligatoria est lex evangelica, nullo modo opponitur officiis, quibus tenentur, qui versantur in societate, quin ea potius mirifice perficit promovetque.

126. Ad 5. *Neg.* Nam neque societati nocet humilitatis commendatio, quae non modo animum non dejicit, sed erigit potius, quippe qui haud suis sed Dei viribus confisus idoneus efficitur ad ardua quaeque aggredienda et sustinenda. Neque nocet usurae proscriptio; haec enim proscriptio afficit tantummodo usuram in se, quae certe bono societatis adversatur, non autem moderatum ac legitimum lucrum, quod quisque retrahit ex usu pecuniarum suarum; quo sensu nunquam ecclesia foenus damnavit, uti etiam constat ex responsionibus vulgatissimis sive a sacra Poenitentiaria, sive a congreg. sanctae Inquisitionis nuper datis. Sed neque nocet terroribus suis societati evangelica doctrina; hi enim terrores non afficiunt nisi iniquos, ut a malo retrahantur, et sanctionem constituunt legis naturalis ipsius. Caeterum doctrina Christi caritatem potius et amorem veluti motivum efficacissimum ad bene agendum ubique spirat. Absonum porro est, quod postremo adjicitur de animi pusillitate et abjectione, deque inepta ad bellum indole, quam ingerit evangelica doctrina, quasi nempe doctrina haec sola non esset, quae summam afferat animi tranquillitatem in rite dispositis, ac proinde fortitudinem ad se mortis periculo objiciendos, et non extiterint quovis tempore in christiana seu catholica religione milites ac duces bellicosissimi ac oppido strenui.

[5]) In cap. V. Matth. v. 21.

127. Ad 6. *D.* Haud possumus de doctrina theoretica, seu de mysteriis religionis christianae judicare quoad nexum ipsorum intrinsecum, *C.* quoad nexum extrinsecum, quem habent cum doctrina practica, *N.* Uti enim ostendimus, mysteria prout in doctrina christiana proponuntur, talem nexum habent cum morali practica, ut basim firmissimam ejus constituant, et validissima incitamenta ad ejus observationem suppeditent, quae frustra requiras in quovis systemate philosophico aut religioso. Haec porro eo ipso, quod humanum captum excedunt, non potuerunt ab hominibus excogitari aut fingi.

PROPOSITIO III.

Ejusdem divinae ac supernaturalis Christi missionis veritas ex admirabili christianae religionis propagatione adstruitur.

128. Non in sola materiali christianae religionis propagatione vim argumenti constituimus, sed potissimum in ejusdem praedictione et adjunctis. Christus enim, ut paulo ante ostendimus, futuram evangelii sui per universum orbem propagationem non semel vaticinatus est. Jam vero omnia obsistere horum vaticiniorum veritati videbantur. 1°. Siquidem obsistebat ejus origo a judaeo crucifixo; 2°. obsistebat duodecim rudium piscatorum conditio; 3°. obsistebat natura ejusdem religionis menti impervia ex parte theoretica, admodum difficilis observationis ex parte practica, et bellum indicens irreconciliabile prorsus cupiditatibus omnibus; 4°. obsistebat inolita tot saeculis judaismi et ethnicismi professio; 5°. obsistebat religionis istius novitas; 6°. obsistebat philosophorum tumor, sacerdotum avaritia, imperantium politica; 7°. obsistit denique immanis, jugis ac perseverans crudelitas et persecutio.

129. His nihilominus posthabitis obstaculis, apostoli Christi promissis ac virtute freti ubique evangelium disseminarunt, prospero adeo felicique successu, ut paucos post annos Petrus, Jacobus, Judas epistolas catholicas seu ad universas gentes conscripserint; Paulus vero asserere non dubitaverit evangelium *fructificare et crescere in universo mundo*[1]; Romanorum *fidem annuntiari in universo mundo.*[2] Ex monumentis certissimis novimus, tribus prioribus a Christo saeculis ingentem ubique locorum floruisse christianorum multitudinem, ac post omnium saevissimam ecclesiae insectationem sub Diocletiano, in qua ethnici sibi blandiebantur de christiani nominis extinctione, maximam subditorum imperii romani partem christianam fuisse, adeo ut philosophi increduli Constantini conversionem politicae adscribant.

130. Jam vero hoc esse prodigiorum maximum nemo sanus inficias iverit, adeo ut jure s. Augustinus celebri suo dilemmate christianae religionis osores perstrinxerit: aut fides miraculis propagata est, et hoc ipso divina ea esse deprehenditur; aut sine miraculis, et hoc fuisset omnium miraculorum maximum, cujusmodi est intellectus convictionem et voluntatis immutationem

[1]) Coloss. I. 6. [2]) Rom. I. 8.

sine miraculis efficere, adeoque rursum divina fides esse cognoscitur, quae sic, Deo operante, propagata est.

DIFFICULTATES.

131. Obj. Celeris ac universalis religionis christianae propagatio causis naturalibus simul conspirantibus adscribi debet: 1. conspirarunt enim ut causae extrinsecae gentium collectio sub imperio romano, dispositio populorum, fatiscentibus, ope philosophorum, ethnicismo ac idololatria; excursiones praeterea barbarorum in romanum imperium, quibus factum est, ut extra imperii fines dilataretur; 2. conspirarunt causae intrinsecae cujusmodi fuerunt caritatis opera, xenodochiorum erectio, facilitas veniae peccatorum obtinendae; 3. conspiravit saevities imperatorum christianorum erga idololatras; novitatis illectio, exemplum principum. 4. Sane eadem ratione celerrime islamismus et protestantismus propagati sunt; nemo tamen dixerit ipsis supernaturalem originem tribuendam esse. 5. Demum penes quos nisi penes plebem, populum, turbam seu indoctos viros ab initio saltem christianismus propagatus est, qui idonei certe non erant ad rectum de veritate christianae religionis ferendum judicium? Ergo.

132. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Id est, causae extrinsecae commemoratae totidem media fuerunt, quibus divina usa est providentia ad facilius religionem christianam propagandam, *C.* verae causae fuerunt propagationis, *N.* Nempe ut id concedamus adversariis nostris, vehiculum fuerunt ad propagationem, et nihil praeterea; alioquin judaismus, secta Apolonii Thyanaei, sectae aliae omnes propagatae eadem ratione fuissent, cum eaedem causae extrinsecae omnibus ex aequo faverent, attamen contrarium contigit; ergo alia causa quaerenda est, nulla porro alia invenietur nisi divina.

133. Ad 2. *N.* Nam hae, quae dicuntur causae intrinsecae, proprie sunt effectus seu fructus, quos protulit religio christiana, ejusque propagationem quin efficerent, supponunt potius. Ad veniam autem peccatorum, quod attinet, facile obtinendam, caeteris praetermissis, nullam vim obtinuisset, nisi fides praecessisset de veritate religionis, alioquin absurdum fuisset ejusmodi spem concipere.

134. Ad 3. *N.* Quum imperatores christiani facti sunt, uti vidimus, pro majori sua parte romani imperii subditi christianam religionem jam profitebantur. Imperatores christiani reliquias paganismi undique collabentis sustulerunt. Novitatis porro illecebra tunc solum animos allicit, cum agitur de corruptione receptae religionis, minime vero cum agitur de transitu de una in aliam toto coelo diversam, ut in casu, de quo agimus; nam novitas potius praejudicium et obstaculum ingens creat ejusdem susceptioni. Denique exemplum principum obsistere maxime debuisset tribus prioribus saeculis christianae religionis propagationi; ast contrarium accidit.

135. Ad 4. *D.* Ast diversa plane ratione, qua propagatus est christianismus, *C.* eadem ratione, ita ut ejusmodi propagationes inter se comparari possint, *N.* Islamismus armata manu viam sibi stravit, strage ac

desolatione inter debilitata ob recentia bella, romanum ac persicum imperium. Protestantismus sub specioso reformationis praetextu, et excusso auctoritatis jugo, omnique cupiditati laxato freno, bonorum ecclesiasticorum rapina, coelibatus extinctione propagatus est seu populis illusit.

136. Ad 5. *D.* Ad exclusionem virorum doctorum, *N.* una cum ipsis, *C.* Aliud est, habita ratione multitudinis, paucos sapientes aut optimates religionem christianam ab initio amplexatos fuisse, aliud vero nullos. Prius verum est, spectato divinae sapientiae consilio, ne humanae industriae ac virtuti adscriberetur quod unice Deo in acceptis referendum est; posterius autem est falsum, ut luculenter patet ex horum catalogo, et ex documentis ecclesiasticis, quae adhuc supersunt. Populi seu plebis judicio parum fidendum est, cum subita conspiratione et inconsulta movetur; ast non item cum singulatim omnibus perpensis, cum famae, bonorum, vitaeque discrimine determinatur. Doctorum vero aetatum omnium insequentium suffragium patefecit, utrum caeco instinctu contempta plebs illa christianum institutum professa sit, an sapientissimo potius consilio. Nempe Deus confundit non semel sapientium tumorem.

PROPOSITIO IV.

Divina ac supernaturalis christianae religionis origo ex ejusdem mira conservatione evincitur.

137. Hujus propositionis probatio ac vis ex luculenta antithesi constat, quae inter obstacula, immo vero inter ingentem constantemque oppugnationem religionis christianae, atque hujus jugem victoriam omnibus pene naturalibus destitutae praesidiis.

138. Etenim in christianae, id est, catholicae ecclesiae (quae presse sola christiana religio est), historia duplex sese juge spectaculum vere admirabile offert: omnigenae ac validissimae impugnationes ex una parte, et perpetui triumphi ex altera.

139. Sane ad ecclesiae catholicae extinctionem conspirarunt primis saeculis judaei atque pagani omni vexationum genere; conspirarunt saeculis insequentibus Persae ac Islamitae; conspirarunt quovis saeculo numerosissimae sectae, quae sibi invicem successerunt a simonianis usque ad protestantes eorumque propagines, quae supra nongentas numerantur; conspirarunt schismaticae factiones a novatianis usque ad graecos, russos et anglicanos. Porro hae sectae non semel imperatorum, principum, regum potentissimorum potentia fuerunt aut etiam suffultae sunt, quae nullum medium reliquum fecerunt ad ecclesiam catholicam expugnandam armis, pecunia, confoederationibus. Conspirarunt una cum hisce externis hostibus innumeri prope perduelles ejusdem ecclesiae filii philosophi, increduli, apostatae occulti. Quidquid ad finem propositum obtinendum conferre sibi deprehendisse visi sunt, in id contulerunt, philologiam, criticam, historiam, poësim, typographiam, artes liberales et mechanicas, societatem denique biblicam.

140. Jam vero ecclesia mechanis hisce omnibus impetita mediisque plerumque omnibus destituta, principes sin minus hostiles, saltem indifferentes experta, frementibus non semel impiis, quin ab ortu suo ad saeculum usque XIX. detrimenti aliquid passa sit, secura incedit, hostes suos hinc inde deficere in dies cernit, signa victricia ad remotissimas gentes jugiter infert, recolligit insequenti saeculo filios, quos praecedenti saeculo amiserat, nova semper vita ac juventute floret, novis semper triumphis clarescit, latiusque se protendit quam anteactis aetatibus, cultum suum majestate plenum ubique explicat, tranquilla spectat insanos impiorum conatus, laeta gaudet novis viris omni virtute in summo gradu pollentibus, charismatum, quae vocant, dono insignibus, qui et divini favoris ac sanctitatis suae praecipuum constituunt ornamentum.

141. Exinde ineluctabile profluit argumentum. Divinae ac supernaturali origini adscribenda illa religio ac revelatio est, quae cunctis machinationibus per tot saecula conspirantibus adversus eam omni pene humano medio destituta non solum concuti non potuit juxta factas sibi a Conditore suo pollicitationes, verum etiam novis semper sub omni respectu incrementis crescit ac proficit. Talis autem est religio christiana seu catholica, ex hactenus demonstratis. Ergo.

DIFFICULTATES.

142. Obj. 1. Religionis christianae sive, si lubet, catholicae ecclesiae conservatio monarchicae ejus institutioni et principio auctoritatis accepta referenda est. 2. Hac ipsa naturali causa subsistunt adhuc post tot saecula judaismus et islamismus. 3. Sectae perierunt aut pereunt ob catholicorum insectationem. 4. Nihil intentatum relinquunt catholici, quo radices profundius figant; humanae proinde industriae se fidere unice ostendunt ad suae religionis conservationem. 5. Miracula siquidem aliave charismata deliramenta sunt catholicorum hoc saeculo indigna. Ergo.

143. Resp. Ad 1. *D.* Una cum divina adsistentia et praesidio, *Tr.* vel *C.* sine illa, *N.* Nisi enim Deus ecclesiam a se institutam fulciret, prorsus dilaberetur cum omni monarchica sua institutione, prout plures sectae perierunt, quamvis monarchicam servaverint institutionem, e. gr. novatiani ac donatistae, ariani, aliique pene innumeri. Principium autem auctoritatis tantum abest ut conservationi ecclesiae prospiciat, ut sit potius causa occasionalis belli, quod ei indicitur. Homines enim superbia tumentes freni cujuscumque impatientes sunt, ac jugum auctoritatis excutiunt atque a se repellunt, exinde perduelliones exsurgunt adversus auctoritatem, a qua damnantur. Haec est historia sectarum omnium. Auctoritas in eos tantum influit, qui dociles se exhibent ac duci patiuntur. Caeterum longe majorem auctoritatem exercent in suos subditos principes acatholici in negotio religionis, quam romani ipsi pontifices.

144. Ad 2. *Neg.* paritatem. Judaismi enim conservatio peculiari Dei providentiae erga hunc populum juxta prophetarum et Christi oracula

adscribi debet, prout suo loco ostendemus. Islamismus vices subit status politici, a quo pendet, neque pro ipso illa pugnant rerum adjuncta, quae in ecclesia catholica cernuntur.

145. Ad 3. *Neg.* Nam praeterquam quod earum plerasque catholici attingere nequiverunt, multo magis perire debuisset ecclesia, quae insectationibus perpetuis obnoxia fuit sub principibus acatholicis, attamen quotidie crescit; vivit enim; sectae diffluunt, quia mortuae sunt; quare ut pereant, satis est ab illis removere sustentacula.

146. Ad 4. *D.* Id est, catholici, uti par est, non negligunt naturalia media, ut subsistant ac dilatentur, *C.* illis unice fidunt, *N.* Longe potioribus naturalibus mediis acatholici interdum fuerunt instructi quam catholici; ea tamen impedire nequiverunt aut etiam nequeunt ipsorum interitum, quapropter si solis niterentur etiam catholici humanis subsidiis, et ipsi interirent. Ast Deus eos fulcit. Caeterum Deus suavi providentia sua utitur etiam ad suos fines mediis naturalibus.

147. Ad 5. *D.* Juxta incredulos et acatholicos, qui illis destituti sunt, adeoque ea spernunt atque contemnunt, *C.* juxta rei veritatem, *N.* Cum catholici provocent adversarios ad criticum miraculorum examen instituendum, quare illud recusant? Nempe formidant, quod reperire nollent. Experiantur, et certe conspicient adeo stultos aut credulos haud esse catholicos, prout ipsi fingunt. Alioquin ipsa miracula et vaticinia, quae in Scripturis relata habentur, Deo indigna essent judicanda.

PROPOSITIO V.

Divinam eamdem ac supernaturalem revelationem evincit martyrum christianorum testimonium in suis omnibus adjunctis spectatum.

148. Persecutionum haereditatem, ut ita loquar, fore verae Christi ecclesiae, non semel Christus ejus conditor testatus est, praesertim vero Joann. XV. 18; XVI. 2, 33; Matth. X. 16 et seqq.; Luc. XXIV. 18; Act. I. 8. ubi apostolos ac discipulos suos testes evangelicae doctrinae esse declarat omnibus vexationibus subjiciendos hac ipsa de causa; quibus tamen auxilium suum ac victoriam de suis inimicis pollicetur. Adjuncta autem, ex quibus divina virtus in martyrio christianorum patefit, praecipua sunt martyrum numerus, persecutorum saevities, patientium constantia et fortitudo, miracula et effectus.

149. Ingentem porro ac pene innumerabilem esse *multitudinem* eorum, qui Christo testimonium sanguine suo reddiderunt tribus continentibus saeculis Romanorum leges, auctoritas scriptorum profanorum Taciti, Suetonii, Plinii, aliorumque, nec non scriptorum ecclesiasticorum Origenis, Tertulliani, Eusebii, Lactantii, Orosii, Sulpicii Severi, nec non documenta cujusvis generis nos dubitare nullatenus sinunt.

Insectantium vero *saevities* ex truculentis suppliciorum cujusvis generis inventionibus deprehenditur, quorum descriptionem ad nos transmiserunt

scriptores pariter sacri et profani, quaeque ad nos usque magna ex parte pervenerunt. Nihil unquam tale neque adversus latrones ac perduelles, neque adversus parricidas ipsos excogitatum est.

In his tamen perferendis *constantia* christianorum martyrum cujusvis nationis, aetatis, sexus, conditionis mirifice prorsus eluxit; non modo enim patienter, verum etiam hilari saepe ac sereno vultu, exultantes pueri etiam atque puellae delicatissimae illa sustinuerunt, adeo ut tortores ipsi spectatoresque obstupescerent. Deus etiam non semel ad eos recreandos luculenta edidit *miracula* quorum testes ethnici ipsi, qui prout varie dispositi erant, vel arti magicae ea tribuebant vel divinae in servos suos opitulationi.

Nil mirum proinde si *effectus*, quos martyria christianorum tulerunt, fuerint adeo copiosi; tantum enim abest, ut martyrum tormentis a christiana professione ethnici deterrerentur, ut potius ad Christi castra turmatim quotidie confluerent; quapropter Tertullianus scribere non dubitavit [1]: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos ... plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum ... nec quidquam proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra, illecebra est magis sectae.*

150. Quae cum ita se habeant, sic juverit argumentum perstringere: martyrum christianorum testimonium divinam ac supernaturalem revelationem a Christo factam luculenter ostendit, si spectatum in omnibus suis adjunctis naturali causae adscribi nullatenus possit. Atqui ita est; siquidem solius Dei est ejusmodi fortitudinem, tranquillitatem, hilaritatem inter atrocissima tormenta communicare tot tantisque cujusvis gentis aetatis et conditionis hominibus, quot inter martyres recenset ecclesia, ita ut ad plures myriades assurgant, ejusmodi item prodigia atque effectus, quos recensuimus, producere. Ergo.

DIFFICULTATES.

151. Obj. Argumentum quod ex martyribus eruitur, aequivocum est: quandoquidem 1. ex sectae fanatismo plures ad subeundum martyrium sese offerre potuerunt, prout contigit donatistis, protestantibus pene innumeris, immo et passim contingit fanaticis in India et Japonia; 2. ex quadam gloriae cupidine; 3. ex augendae sectae inconsulto ardore. 4. Exaggeratus praeterea est martyrum numerus, neque omnes religionis tuendae causa, sed ob objecta christianis crimina atheismi, superstitionis ac maleficii, incestorum, aliaque id genus plurima. 5. Sane, deficientibus hisce causis, jam deferbuit apud catholicos ipsos martyrii studium. 6. Denique apostatae pene innumeri quovis saeculo extiterunt. Ergo.

152. Resp. *D. A.* Solitarie sumptum, *Tr.* cum omnibus suis adjunctis a nobis recensitis, *N.* In his porro argumenti robur constitutum est, a quo adversarii semper declinant.

153. Ad 1. prob. *Neg.* Fanatismus enim brevis est nec omnes invadit, multo vero minus viros doctos ac sapientes attingit. Jam vero persecu-

[1]) In *Apologet.*

tionum furor ad tria saecula perduravit, optionem dabat resipiscendi, ac eligendi inter delicias, honores illecebrasve omnes, et immanes cruciatus mortemque atrocissimam; responsa sapientiae plena, quae magna animi tranquillitate reddebant christiani, evidenter ostendunt non caeco animi furore et ex ignota causa ad mortem potius subeundam, quam ad apostasiam eligendam se fuisse permotos. Nec valet paritas ducta sive a donatistis sive ab aliis haereticis; illi siquidem vere caeco furore perciti ultro se neci dabant, isti vero ut plurimum ob sua facinora ac perturbatam societatem mulctati sunt. Caeterum haeretici non ad facta testanda, sed ad sua opinionum commenta adstruenda obierunt. Indi porro, Japones aliique, minime ab aliis morti dati sunt nec religionis causa, sed sponte ex errore sectae se illi exposuerunt aut etiam exponunt.

154. Ad 2. *Neg.* Tum quia plurimorum martyria occulta fuerunt, tum quia bene noverant per eam inanem gloriam martyrii fructum evacuari, tum denique, quia haec paucos tangere tantum potuisset.

155. Ad 3. *D.* Id est, etiam ex desiderio confirmandi ac dilatandi religionem christianam pro qua patiebantur, *C.* ex inconsulto ardore, *N.* Si enim ex causae cognitione martyrium subibant, profecto juremerito optabant, ut ipsorum mors conferret ad confirmationem veritatis, atque desiderium nutriebant, ut omnes eam agnoscerent ac profiterentur; alterum enim ab altero sejungi nequit. Inconsultum sectae amplificandae ardorem martyres haereticis relinquebant; opus enim suum non vero Dei haeretici diffundunt.

156. Ad 4. *D.* Juxta Dodwellum nonnullosque alios, *C.* juxta rei veritatem, *N.* Documenta enim, quae suppetunt ex antiquitate, contrarium evincunt. Nominum catalogus, qui ad nos pervenit eorum, qui pro Christo passi sunt, minimam partem martyrum constituit, prout eruditi ostendunt. Nec refert ob impacta crimina necem christianis illatam fuisse; haec enim non erant nisi pallium aut praetextus in illos saeviendi, quandoquidem ab hisce criminibus illico absolvebantur, qui Christum ejurassent.

157. Ad 5. *Neg.* Sed toties martyrii studium excitatum est, quoties occasio catholicis se obtulit avitam fidem sanguine obsignandi. Sane martyrum myriades qui in Japonia, in imperio sinensi, in regno tunquinensi etc., non ita pridem pro Christo occubuerunt, evidenter patefaciunt, eadem fortitudine recentiores catholicos a Christo munitos esse.

158. Ad 6. *D.* Qui proinde suam ignaviam patefecerunt, *C.* veritati ac divinitati christianae revelationis quidpiam detraxerunt, *N.* Duplex ex apostatis emolumentum provenit, alterum quod exinde pateat invicta virtus martyrum; alterum vero quod non essent martyres in statu extaseos aut imperturbabilitatis in doloribus perferendis, uti autumant adversarii nostri. Caeterum ex sola ignavia non autem ex defectu fidei objectivae, seu probationum, quibus fides innititur, apostatas, qui nobis objiciuntur, cecidisse exinde liquet, quod data ecclesiae pace, illico turmatim ad ecclesiam confluerent ad veniam obtinendam, quamvis pax nonnisi post dura ac diuturna experimenta ipsis redderetur.

CONCLUSIO.

159. Ex hactenus disputatis jam colligimus non modo possibilem esse divinam ac supernaturalem revelationem, certisque notis deprehendi secernique posse ab humanis quibuscumque commentis, verum etiam homini plane necessariam esse, prout ex tot saeculorum experimento constat, quibus homo sibi relictus aut evanuit in cogitationibus suis, aut perniciosissimis erroribus theoreticis ac practicis turpissime se coinquinavit. Deum non defuisse pro sua benignitate hominibus, ostendimus revelatione sua, quae ab ipso mundi exordio coepit ac deinceps magis aucta, prout hominum status exigebat, donec in Christo et per Christum consummata est. Christianam porro revelationem signis indubiis, miraculis ac vaticiniis omnimodis, praesertim vero Christi ipsius a mortuis resurrectione communitam esse evidenter adstruximus, eamdemque tum ex ipsius plane coelesti doctrina, tum ex veritate vaticiniorum de hujusce doctrinae evangelicae praedicatione, propagatione, ac jugi conservatione, frustra obnitentibus inferorum portis, tum denique ex ingenti martyrum numero ac fortitudine, qui mirabili prorsus ratione eamdem doctrinam sanguine obsignarunt, divinitus hominibus datam confirmavimus.

160. Ex his pariter colligimus mosaicam quoque revelationem divinam esse, quippe quae Christi testimonio infallibili divina perhibetur. Cum autem revelatio illa non fuerit nisi typica ac praeparatoria revelationis a Christo complendae et in Christo suum adimplementum habuerit, inferimus judaismum seu potius rabbinismum a veritate excidisse, tum etiam islamismum, qui religioni christianae adversatur, vanum esse seductoris commentum, cum veritas veritati opponi nullatenus possit.

161. Vidimus frustra incredulos ac rationalistas adnisos esse aut adniti ad labefactandam veritatem ac divinitatem christianae religionis, cujus vere *testimonia credibilia facta sunt nimis.* Adeo enim futilia sunt, adeo infirma immo et stulta, quae ad tenebras offundendas ab istis excogitata sunt, ut nonnisi mente ac corde corrupti homines possint ab illis permoveri.

162. Quae cum ita se habeant, restat, ut expendamus utrum Deus revelationem hanc suam societati a se constitutae seu magisterio publico ac infallibili custodiendam ac in sua integritate servandam commiserit, an vero uniuscujusque privati individui dimiserit arbitrio, interpretationi, ac placitis. Id porro efficiemus in Tractatu mox insequenti, qui est *De locis theologicis.*

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS.

PROOEMIUM.

1. Divinae ac supernaturalis revelationis existentia constituta, celebris jam exsurgit controversia inter nos atque acatholicos agitanda: num scilicet Deus hoc donum hominibus contulisse contentus fuerit, an etiam ejusdem integritati atque incolumitati per aliquam auctoritatem, quae eidem tuendo praecesset, prospectum consultumque voluerit; tum etiam utrum judicium ferre de revelatae doctrinae sensu uniuscujusque arbitrio permissum fuerit, an potius aliqua sit auctoritas constituta atque infallibilitate donata, quae quibuscumque de vero revelationis sensu controversiis exortis, germanam intelligentiam aperiendo, infallibiliter quaestiones omnes dirimeret; seu paucis, investigandum est, num ecclesia fundata a Christo sit auctoritate et infallibilitate insignita, cujus ministerio et revelatio divina hominibus innotesceret, et verus ejusdem sensus patefieret.

2. Haec discussio fundamentalis nos ducit ad tractatum *De locis theologicis* vulgo nuncupatum exponendum. Complectitur siquidem tractatio isthaec fontes, ex quibus argumenta sua haurire debet vir theologus ad veritatem statuendam ac vindicandam adversus omnes verae religionis adversarios. Jam vero hi fontes duo generatim sunt, immediatus ac mediatus: *immediatus* constituitur ex ecclesia, per quam cognoscimus; *mediatus,* qui est verbum Dei. Hi fontes aliis vocibus vocantur regula fidei *proxima,* ac *remota.* Ecclesia enim ea est, quam Deus elegit ad revelationem suam nobis tuto ac certo communicandam atque ad germanum ejus sensum proponendum. Cum vero haec divina revelatio partim libris scriptis, partim orali traditione

contineatur, per ecclesiae organum ejusmodi libros ac traditionem cognoscamus necesse est.

3. Ex his patet suapte natura tractatum hunc in duas partes dispesci, quarum altera de ecclesia, altera vero de verbo Dei aget. Cum autem humana ratio ea sit, quae in se tanquam in subjecto fidei seu revelationis objecta recipere debet, tertia adjicienda prioribus illis pars est, in qua de analogia rationis et fidei sermo erit.

PARS PRIMA.

DE ECCLESIA.

4. Ecclesia, quae est ab *ἐκκαλέω*, *convoco*, prout haec generatim sumitur, est societas a Christo instituta ad profitendam doctrinam suam. Distinguitur in docentem ac discentem. Ecclesia docens constituitur a pastoribus seu episcopis et romano pontifice illorum supremo capite; ecclesia vero discens constituitur a fidelibus, qui sub regimine sunt legitimorum pastorum.

5. Ecclesia haec universim sumpta, cum membris et capite coalescat, peculiaris de hoc capite, seu de rom. pontifice disceptatio ob rei, de qua agitur, gravitatem instituenda est. Duplex proinde prioris hujus partis erit sectio, in quarum prima de ecclesia in se spectata, in altera de rom. pontifice ejus capite disseretur.

SECTIO PRIOR.

DE ECCLESIA IN SE SPECTATA.

6. Licet, majoris perspicuitatis gratia, distinxerimus ab invicem caput et membra, prouti tamen in se est, seu in se spectata ac in sua integritate, dispesci haec nullatenus possunt. Quae proinde de Christi ecclesia dicturi sumus, ecclesiam integram afficiunt, praesertim vero docentem. Quinque porro sunt de hac ecclesia constabilienda, origo nempe, constitutio, notae, proprietates, auctoritas. De his proinde distinctis capitibus agemus.

CAPUT I.

DE ECCLESIAE ORIGINE.

7. Solent acatholici exprobrare catholicis, quod circulo vitioso laborent, dum nituntur evincere veritatem ecclesiae suae ex sacris Scripturis, et Scripturas sacras ex ecclesiae auctoritate. Validissime a catholicis disjecta semper haec difficultas est, ac intorta in acatholicos, qui certe in systemate suo numquam eam repellere poterunt, ut suo loco expendemus. Cum interim eam nobis opponere numquam desinant, idcirco ad viam ipsis omnem occludendam, aliam omnino methodum consectabimur. Si enim semel ostenderimus seposito Scripturarum, prout divinae spectantur, subsidio, ecclesiae exi-

stentiam ejusque prioritatem chronologicam Scripturis N. T., omni profecto circulationi via praecluditur. Id porro est, quod jam ostendere aggredimur.

PROPOSITIO I.

Ecclesia a Christo fundata est, antequam quidpiam Scripturis N. T. consignaretur, seu ecclesia Scripturis anterior est.

8. Duo hic enunciamus: Ecclesiae Christi institutionem, ejusque Scripturis *anterioritatem*. Facile autem utrumque evincitur.

9. Ac primo quidem Christum ecclesiam fundasse, liquet 1°. ex ipsa ecclesiae adhuc perdurantis existentia, quae a Christo nomen habet. Omnis quippe societas ad instar humani individui est instituta, ac veluti moralis persona ab ortu suo tamdiu vivit, quamdiu subsistit. Cum igitur ecclesia seu societas haec in toto terrarum orbe subsistat jugi saeculorum decursu a Christo usque, hoc ipso constat eam vitam vivere, quam a Christo semel adepta est, et quidem illis omnibus notis, dotibus ac proprietatibus, quibus est a Christo instructa. 2°. Idipsum liquet ex ejusdem ecclesiae fastis, si enim de saeculo in saeculum a nobis ad Christi usque aetatem ascendamus, nobis semper praesto sunt documenta, quae ejusdem individuae societatis existentiam patefaciunt, e. gr. episcoporum, praesertim vero rom. pontificum, numquam interrupta series ab ipsa primaeva ecclesiae institutione ad nos usque pertingens; Patrum ac Doctorum continuatio; conciliorum sive particularium sive generalium convocatio, aliaque id genus innumera. 3°. Demum institutionem et originem cum omnibus suis adjunctis nobis exhibent Scripturae, quas hic uti documenta historica afferimus, ex quibus deprehendimus Christum fundamenta societatis seu ecclesiae suae jecisse vel in ipso suo praedicationis exordio, dum selegit apostolos, quibus Petrum praefecit, ac super eo tanquam super immobili petra eam aedificare profitetur. Eisdem missionem contulit praedicationis evangelicae in omnem locum et in omne tempus. Hanc porro ecclesiam sacro ipso Pentecostes die plene institutam ac missionis sibi commissae munere fungentem exhibent Acta apostolica, quae pariter ejus progressum, dilatationem, episcoporum inaugurationem referunt, quae deinceps a ministerio suo obeundo ad nos usque numquam interrupto cursu cessavit.

10. Jam vero divinam esse ecclesiae originem ac institutionem ex Christo ejus conditore, cujus in altero tractatu divinam vindicavimus missionem, atque ex omnibus credibilitatis motivis, quae pariter expendimus, abunde constat. Eadem siquidem motiva credibilitatis, quae militant pro christianismi divinitate, aeque militant pro divina ecclesiae institutione, eo magis, quod Christus praecise ecclesiam fundaverit in concreto, in qua verus christianismus seu vera religio christiana ab ejusdem ecclesiae filiis teneretur.

11. Quod autem secundo loco proposuimus, anteriorem scilicet ecclesiam esse Scripturis seu libris omnibus N. T. evidens est, nec ipsi

adversarii diffiteri possunt. Ex historia enim certiores efficimur apostolos ac discipulos nonnisi post plures annos ab ecclesiae institutione, ejusque longe lateque propagatione scriptis Christi gesta ac doctrinam consignasse. Ex quo colligimus universos Christi fideles et ecclesiae veritatem ejusque dotes et proprietates novisse, antequam istae scriptis aut editis libris vulgarentur, nec nisi ab ecclesia ipsa, haec scripta uti divina seu afflante Spiritu S. edita, accepisse. Receperunt Baptisma et sacramenta reliqua, orationem dominicam recitarunt juxta ecclesiae magisterium, seu prout ab ecclesia viva voce edocti fuerant.

12. Constat igitur quod evincendum proposuimus, tum videlicet ecclesiam a Christo fundatam esse, tum esse anteriorem origine sua Scripturis N. T. omnibus.

DIFFICULTATES.

13. Obj. 1. Supponitur in allatis probationibus identitas ecclesiae praesentis cum ecclesia primitiva et originali, quod tamen sin minus falsum, incertum saltem est; 2. subiit enim ecclesia vel ab ipso exordio suo plures phases ac modificationes, quibus altera penitus effecta est. 3. Sane sectae omnes, quae per singula saecula prodierunt, se ad primaevam doctrinam ac disciplinam revocandam exortas esse protestatae sunt; ecquis porro judex erit, penes quam vera ecclesia perseveraverit? 4. Quod si traditione prius ecclesia extitit quam commentaria ederentur, hoc ipso infertur mythica ejus origo. 5. Idealis enim Christi conceptus efformatus est, qui paulo post magis evolutus et amplificatus primum evangelio Aramaeo, et exinde tribus Evangeliis synopticis Matthaei, Marci, ac Lucae consignatus est; demum Evangelio Joannis. 6. Facilius autem fuit progressus ex typo illo ideali ad societatem sive ecclesiam inde promanantem excogitandam et stabiliendam, quae ideale illud prototypum prae se ferret. Ergo.

14. Resp. Ad 1. *D.* Supponitur et probatur, *C.* gratuito tantum supponitur, *N.* Documenta, quae attulimus, ejusmodi sunt, ut vel fides detrahenda sit cuicumque historiae, immo historica ipsa certitudo ableganda sit, vel identitas ecclesiae originariae ac primitivae cum praesenti sit prorsus admittenda.

15. Ad 2. *D.* Plures phases ecclesia subiit quoad evolutionem ac manifestationem principiorum suorum, aut in disciplina ecclesiastica, *Tr.* vel *C.* eas subiit quoad suam naturam, *N.* Ecclesia in se eadem semper extitit, ast germina doctrinae et auctoritatis suae, ita exposcentibus rerum adjunctis, magis jugiter ac magis evoluta sunt, donec hac in parte perfectionem suam adipisceretur, ad eum modum, quo infans labentibus annis suam virilem attingit perfectionem. Phases tamen, quibus Christi ecclesia altera seu diversa efficeretur, nullas subiit, nec subire poterat.

16. Ad 3. *D.* Id est, sectae exinde ortae, quod tegerent perduellionem suam eamque cohonestarent, praetexuerunt reformationem, *C.* vera haec causa extitit perduellionis, *N.* Verum est sectas omnes, quae ab apostolica ipsa

aetate exortae sunt usque ad praesentem diem, ut in populorum conspectu suam apostasiam ab antiqua ecclesia colore aliquo tegerent, reformationem in doctrina, moribus aut disciplina proclamasse. Ast et illud exploratum est personam seu larvam hanc ex earum vultu cito decidisse, verasque causas fuisse substitutionem spiritus privati auctoritati ecclesiae docentis, excussionem auctoritatis jugi, novitatis amorem aliasque ejusmodi, quaeque omnes ex superbia profluunt. Exinde pronum est colligere, an apud istas perduelles sectas an apud societatem originariam ac jugiter permanentem vera perseveraverit ecclesia; satis est voluntarie se non excaecare, ut id apertissime cognoscatur; eo magis, quod ecclesia illa primitiva omnium sectarum et ortum viderit, et plerarumque interitum ac dissolutionem.

17. Ad 4. *Neg.* illationem. Traditione siquidem ecclesiae doctrina primum teneri coepit viventibus adhuc illis, qui immediate in Christi schola edocti fuerant, et sub quorum oculis tria priora Evangelia litteris consignata sunt. Unde igitur origo mythica erit eruenda? Apostoli primi extiterunt ecclesiae pastores, quam ipsi ex conversione judaeorum et ethnicorum collegerant.

18. Ad 5. *Neg.* suppositum de ejusmodi ideali conceptu, qui nunquam idealis fuit nisi in mente Straussii ejusque asseclarum. In hac hypothesi pauci homines illitterati ac rudes talem confixissent idealem perfectionis typum, quem nunquam vel sapientissimi ipsi philosophi excogitare potuerunt. Pro hoc ideali conceptu innumeris prope calamitatibus ac vexationibus, suppliciis ac morti se ipsi exposuissent. Innumeri utriusque sexus omnisque conditionis ac aetatis homines id ipsum per tria saecula praestitissent. Quis haec absurda devoret praeter mythicos nostros? Tandem nonne Straussius ipse evidentia compulsus, post eam, quam inscripsit *Christi vitam*, fassus est saltem Evangelium Joannis genuinum esse. Quod si genuinum est Evangelium Joannis, quo abit totum mythicum ejus systema? Quod attinet ad evangelium Aramaeum, atque ad Evangelia synoptica inde derivata, nunc a criticis ipsis biblicis ad fabulas amandatur.

19. Ad 6. *Neg.* Everso enim fundamento, ruit superstructum aedificium. Novum hoc portentum esset, quod innumeri homines ex diversis regionibus in unam societatem coaluerint suis legibus instructam, atque supremis moderatoribus ob conceptum idealem. Dum nonnulli increduli homines sapientes videri volunt, in eas dilabuntur insanias, quibus vel rudissimum hominem assentiri puderet. Ita nempe Deus superbis resistit.

CAPUT II.

DE CHRISTI ECCLESIAE CONSTITUTIONE.

20. *Constitutionis* nomine hic significamus elementa ac partes, ex quibus ecclesia Christi coalescit et constat. Cum vero Christus ecclesiam suam veluti moralem personam, seu societatem instituerit, ad instar humani individui, sive, ut aliis lubet, ad instar sui, seu dominicae Incarnationis,

sequitur eamdem constare ex anima et corpore, ac mutuo inter corpus et animam nexu seu commercio, ut vivens sit ac dici possit; aut etiam ex elemento divino et humano, quod a divino penetratur et regitur in unitate personae. Ex hac notione patet nos agere debere de ecclesiae anima, de ecclesiae corpore, ac de unione animae et corporis, sive de utriusque elementi divini ac humani in unitatem consociatione. Haec porro in tres articulos distinguimus, ne simul pertractata confusionem pariant.

ARTICULUS I.

DE ECCLESIAE ANIMA.

21. Ecclesiae animam gratia sanctificans, fides, spes, caritas cum donis annexis constituunt. Ad eam spectat ecclesiae pars, quae *invisibilis* dicitur, quaeque solum ex ejus externis operationibus se prodit ac manifestat. Novatores autumarunt ad ecclesiae animam pertinere solos electos ac praedestinatos, sive actu justi sint sive peccatores. Doctrina vero catholica est omnes ac solos justos ad ecclesiae animam spectare; hanc proinde doctrinam nobis evincendam proponimus.

PROPOSITIO.

Omnes ac soli justi pertinent ad ecclesiae animam.

22. Cum omnes ac solos justos ad ecclesiae animam pertinere asserimus, eos etiam comprehendimus, qui licet extra ecclesiae corpus sint, iis tamen dotibus instructi sunt, quibus justi ac Deo accepti efficiuntur. Tales censentur catechumeni caritate flagrantes, materiales haeretici aut schismatici, qui pariter gratia sanctificante sunt ornati.

23. Porro omnes et solos justos ad ecclesiae animam spectare, patet 1°. ex ipsa, quam praebuimus, ecclesiae notione. Etenim si ecclesiae anima ex gratia sanctificante constituitur, fide, spe et caritate, evidens est, eos omnes et solos ad eam pertinere, qui actu essentialia illa animae constitutiva possident, qui profecto alii non sunt nisi omnes et soli justi. Patet 2°. ex divinis eloquiis, quae vitam seu principium vitae iis omnibus tribuunt, qui Deo adhaerent, et manent in caritate; haec porro innumera prope sunt. Unum vel alterum attigisse sufficiat: *Qui adhaeret Domino,* inquit apostolus [1], *unus spiritus est;* et [2]: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus ... in fide vivo Filii Dei.* Sic Joann. [3]: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo;* et alibi passim. Nec alia profecto est sententia Patrum, qui illud quod Christus Matth. XXII. 11, 12. de homine non habente *vestem nuptialem* tradidit, de caritate exponunt, qua justi in ecclesia efficimur; *quae sola,* inquit s. Gregorius M., *nos speciosos exhibet.*

24. Igitur nec omnes nec soli electi spectant ad ecclesiae animam, fieri

[1]) I. Cor. VI. 17.
[2]) Galat. II. 20.
[3]) I. Ep. IV. 16.

siquidem potest, ut aliqui electi nedum gratiam habeant, sed neque ipsam fidem, qualis fuit apostolus Paulus ante suam conversionem, qui persequebatur ecclesiam Dei, et nonnulli electi, qui actu sunt in statu lethalis peccati.

25. Licet vero, ut diximus, anima constet ex gratia sanctificante, fide, spe, caritate annexisque donis; attamen fides praecipuum locum obtinet, utpote totius justificationis radix et fundamentum. Quo fit, ut peccatores fideles, etsi gratiam et caritatem amiserint gravi aliqua culpa, tamen ad ecclesiae animam aliqua ratione adhuc pertineant, seu sub aliquo respectu, quatenus fidem et spem adhuc retinent, quibus, divina gratia opitulante, amissam caritatem et gratiam sanctificantem recuperare possunt.

DIFFICULTATES.

26. Obj. 1. Scripturae passim docent ecclesiae animam omnes ac solos electos seu praedestinatos complecti. Sic legitur[4]: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis,* et Apostolus: *Cognovit,* inquit[5], *Dominus, qui sunt ejus.* 2. Hinc s. Augustinus subdit[6]: *Quidam, qui filii Dei, propter susceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo,* et alibi. 3. Certe Christus loquens de ecclesia sua sub ovilis figura: *Alias oves habeo,* inquit[7], *quae non sunt ex hoc ovili... et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum.* Ergo.

27. Resp. Ad 1. *D.* Docent Scripturae solos praedestinatos ecclesiam complecti in ordine ad consecutionem finis, *C.* in ordine ad praesentem justitiam, *N.* Alius enim est ordo praedestinationis, alius vero ordo actualis justitiae. Si ad primum attendatur, vere dicitur in Scripturis solos electos perseverare in gratia accepta usque ad mortem, ac oves, quae hoc ipso sensu congregandae sunt in Christi ovili, in aeternum non perire; item Deum cognoscere qui sunt ejus, aliaque ejusmodi. Si ad alterum ordinem attendatur, certum pariter est nonnisi per gratiam viventes spectare ad ecclesiae animam, hinc illud[8]: *Nomen habes, quod vivas, et mortuus es.* Qui porro mortuus est, licet sit in ecclesiae corpore, cujusmodi profecto erat angelus seu episcopus Sardis, ab anima haud vivificatur.

28. Ad 2. et 3. eadem esto distinctio. Sane post objecta verba subdit Augustinus: *Non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt;* quibus datam distinctionem s. Doctor confirmat.

ARTICULUS II.

DE ECCLESIAE CORPORE.

29. Humanum individuum vivens non solum anima, sed etiam corpore constat; hinc etiam Christi ecclesia, quae ad instar humani individui con-

[4]) I. Joann. II. 19.
[5]) II. Tim. IV. 19.
[6]) *De corrept. et grat.* cap. 9. n. 20.
[7]) Joann. X. 16—28.
[8]) Apoc. III. 1.

stituta est, praeter animam formam visibilem et externam seu corpus habeat necesse est. Humanum insuper corpus organicum est et in caput ac membra apte disposita ac invicem coordinata et subordinata distribuitur; hinc pariter ecclesia in unum corpus seu societatem visibilem coalescit ex supremo capite, romano videlicet pontifice, de quo apposite suo loco, episcopis, presbyteris et ministris, seu ecclesiastica hierarchia, et populo fideli seu laicis.

30. Non pauci circa ecclesiae corpus identidem errores exorti sunt. Etenim protestantes omnem ecclesiasticam hierarchiam, quae divinitus sit constituta, inficiati sunt, nullum interponentes jure divino inter clericos et laicos discrimen. Rursus iidem invisibilem prorsus ecclesiam esse, quae nimirum ex solis justis constet, passim docuerunt. Alii ex adverso ecclesiam constitui affirmarunt ex omnibus sectis, aut saltem sectarios omnes posse in propria communione ad aeternam pervenire salutem, dummodo in Christum credant. Adversus quos errores sit

PROPOSITIO I.

Ad Christi ecclesiae corpus spectant fideles omnes tam justi quam peccatores.

31. Ecclesia enim ex ea parte, qua visibilis est, seu quoad corpus ejusque formam externam, est societas veram Christi doctrinam profitentium, qui profecto tum justi tum peccatores esse possunt.

32. Hanc ecclesiae notionem nobis exhibent in primis sacrae litterae; siquidem Christus ecclesiam a se instituendam comparat modo sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti [1], areae in qua una cum frumento paleae continentur [2]; convivio nuptiali cui boni ac mali interfuerunt, immo et homo non vestitus veste nuptiali; decem virginibus prudentibus ac fatuis, etc. Apostolus praeterea magnae domui comparat ecclesiam, in qua sunt vasa aurea et argentea, lignea quoque et fictilia [3]: *Et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* Sane incestuosus Corinthius, de quo sermo est I. Cor. V. 3, tamdiu permansit in ecclesia, quamdiu ab ea separatus non est.

33. Patres vero, adversus novatianos ac donatistas contendentes, et ipsi solos justos ad ecclesiam pertinere, ecclesiam tum ex justis, tum ex peccatoribus constare propugnarunt, praesertim ss. Cyprianus, Optatus, Pacianus et Augustinus.

34. Christi praeterea scopus in ecclesia instituenda necessario postulat, ut ea visibilis sit; instituit enim eam ad depositum suae doctrinae intemerate custodiendum, ad vocandas gentes easque Baptismate tingendas, ad administranda sacramenta reliqua, ad reconciliandos peccatores; quae quidem omnia aliaque ejusmodi ministerium visibile et externum exigunt. Talis porro non esset ecclesia, si ex justis tantum soli Deo notis coalesceret. Ergo.

[1]) Matth. XIII. 47.
[2]) Ibid. III. 12.
[3]) II. Tim. II. 20.

DIFFICULTATES.

35. Obj. 1. Ecclesia ex Scripturis est sancta et immaculata, *non habens maculam aut rugam,* ut loquitur Apostolus.[4] 2. Ad eam pertinent, *qui inscripti sunt in coelis,* ut idem loquitur.[5] 3. Sane Christus, qui caput ecclesiae est, non potest habere nisi membra sancta: *Quae enim conventio Christi ad Belial?* ut idem subdit Paulus.[6] 4. Quapropter Patres passim docent peccatores *non esse de ecclesia, vel esse eos de ecclesiae macula, non pertinere ad sanctam ecclesiam Dei, quamvis intus videantur,* uti Hieronymus, Pacianus et Augustinus. 5. Quod si peccatores de ecclesia non sunt, jam sponte sequitur ecclesiam esse invisibilem, quod etiam liquet ex symbolo apostolico, in quo profitemur credere *ecclesiam* et quidem *sanctam;* porro quod videtur, fidei objectum esse nequit. 6. Hoc ipsum ratio etiam suadet; nam quod sanctum est, non potest coalescere ex peccatoribus, et qui Deum patrem non habet, neque ecclesiam matrem habere potest.

36. Resp. Ad 1. *D.* Ecclesia est *sancta* etc., sub multiplici respectu, *C.* ad exclusionem peccatorum, *N.* Ecclesia igitur sancta est in se, quatenus et caput, et doctrinam, et sacramenta, et potiora membra sancta habet; sancta praeterea est, quatenus ordinata est ex intentione Christi ad omnimodam sanctitatem gignendam: peccatores vero praeter Christi intentionem et ecclesiae finem in peccatis sordescunt. Caeterum, si peccatores ecclesia in suo sinu haud contineret, perperam pro ipsis institutum esset sacramentum Poenitentiae, seu data eidem a Christo potestas clavium ad ligandum atque solvendum, prout ipse praestituit, et suo loco ostendemus.

37. Ad 2. *D.* Relate ad eos, qui ex militante ecclesia ad triumphantem jam pervenerunt, *C.* relate ad eos, qui adhuc in ecclesia militant, *N.* Adhortatur enim in cit. loco Apostolus fideles ad sanctitatem sibi comparandam juxta novae legis spiritum, illosque admonet, ut pertinere studeant ad ecclesiam sanctorum, quorum aliqui adhuc militant, alii autem coronam jam adepti sunt.

38. Ad 3. *D.* Christus non potest habere nisi membra sancta, quae vel talia sint vel ordinata ad sanctitatem, *C.* quae nonnisi actu sancta sint, *N.* Jam vero quamvis peccatores actu ac *formaliter* sancti non sint, cum tamen per Baptismum ac fidem, sanctitatem, ut ita loquar, inchoatam saltem habeant, et ad eam assequendam ordinati sint, sub hoc respectu membra Christi esse perseverant. Per gratiam actualem praeterea jugiter ad sanctitatem exstimulantur, et mediis omnibus ad eam vel assequendam, vel recuperandam instructi a Christo sunt in ecclesia sua. Apostolus porro loquitur de idololatris et infidelibus.

39. Ad 4. *D.* Ex Patribus peccatores *non sunt de ecclesia* etc., nempe ut membra viva corporis vivi, *C.* ut membra mortua corporis vivi, *N.*

[4]) Ephes. V. 16.
[5]) Hebr. XII. 18.
[6]) II. Cor. V. 14.

Ecclesia duplici sub respectu considerari cum possit, et prout est corpus vivum habens membra viva, quae potiorem ejus partem constituunt, et prout est corpus vivum, quod habet membra mortua, quae constituunt ejusdem partem deteriorem, Patres interdum coarctant ad primum respectum ecclesiae significationem, inficianturque peccatores esse de ecclesia, ad eam pertinere, etc. Interdum vero sub utroque respectu eam spectant, et profitentur, immo tuentur adversus novatianos, luciferianos et donatistas, peccatores *in* ecclesia, ac *de* ecclesia esse.

40. Ad 5. *D.* Profitemur in Symbolo credere ecclesiam, et quidem sanctam, quatenus ecclesia Christi est, seu ab eo instituta, cujus ipse sit caput, *C.* quatenus societas hominum est, quae sub oculos cadit, *N.* Aliud enim est societatem quamdam profiteri ac praedicare se talem esse, aliud vero reipsa esse. Etiam haeretici et schismatici tenent suas societates, suos coetus esse Christi ecclesiam, quae tamen non sunt nisi synagogae satanae et perduellium; contra vero nos profitemur fide credere ecclesiam sanctam *catholicam* veram esse Christi ecclesiam.

41. Ad 6. *D.* Quod sanctum est sanctitate *formali*, *C.* quod sanctum est sanctitate inchoata et ad sanctitatem ordinatum est, *N.* Responsio patet ex dictis. Sic etiam: peccatores nec Deum patrem habent, neque ecclesiam matrem in ordine ad sanctitatem actualem, qua destituti sunt, *C.* dispositive et ratione finis et mediorum, *N.* Ex his enim aliisque ejusmodi difficultatibus non aliud conficitur, quam peccatores non pertinere ad ecclesiae animam, non item vero non spectare ad corpus, quod unice exsurgit ex professione ejusdem fidei, ex susceptione et usu eorumdem sacramentorum atque ex subjectione legitimis pastoribus, ex quibus coalescit exterior ipsa societas.

PROPOSITIO II.

Constituitur ecclesiae corpus ex hierarchia divinitus instituta, et ex coetu fidelium seu ex clericis et laicis divino jure a se invicem distinctis.

42. *Hierarchiae* seu *sacri principatus* nomine significamus episcopos, presbyteros et ministros, qui divina ordinatione instituti sunt ad regendam et instruendam ecclesiam, seu coetum fidelium.

43. Protestantes nonnisi democratiam agnoscunt tum quoad sacerdotium, quod contendunt fidelibus omnibus esse commune, tum quoad regimen et auctoritatem quam in populo residere autumant, qui per delegatos a se ministros eam exercet pro eo gradu, quem eis concedit. Richerius suum systema a protestantibus mutuatus est, dum statuit Christum claves fidelium communitati immediate contulisse, cujus ministri sunt rom. pontifex, episcopi, caeterique ecclesiae pastores, in quos a communitate omnis potestas promanat. Janseniani ac pistorienses eumdem errorem professi sunt, ac propterea vocant ecclesiam *collegium aequalium*, episcopos *primos inter pares*, rom. vero pontificem caput *ministeriale*.

44. At vero ecclesiam constare ex hierarchia et populo, seu clericis

et laicis divino jure ab invicem distinctis, patet ex Scripturis atque ex perpetua Traditione.

45. Etenim ex Scripturis discimus Christum iisdem clericis contulisse auctoritatem et commisisse ecclesiae regimen, quos instruxit sacerdotio. Siquidem apostolis solis claves regni coelorum, seu potestatem ligandi atque solvendi tradidit [1]; iisdemque potestatem conficiendi Eucharistiam contulit [2]; administrandi Baptisma docendique omnes gentes [3]; iisdem solemnem contulit missionem illis verbis [4]: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quapropter cum primum ecclesia proprie coeperit solemni Spiritus Sancti inauguratione die Pentecostes, apostoli non modo commissam sibi auctoritatem exercuere, verum etiam delectis a se hominibus eam communicarunt primo quidem septem diaconis [5], deinde vero aliis, quos utroque sacerdotii gradu presbyteriali et episcopali instruxerunt. Nam Paulus et Barnabas, qui a Spiritu S. in opus ministerii assumpti fuerant [6], constituerunt per singulas civitates presbyteros sacra inauguratione [7], quos a Spiritu S. positos esse episcopos *ad regendam ecclesiam Dei,* declarat Apostolus [8], qui praeterea et Timotheum ephesinae ecclesiae [9] et Titum cretensi praefecit [10], iisdemque regulas ac monita dedit ad rite gubernandas commissas sibi ecclesias cum omni imperio, et ad caeteros deligendos in eodem ministerio, seu sacro regimine. Idipsum praestitit Joannes quoad omnes ecclesias Asiae, et Petrus quoad ecclesias omnes occidentales, uti ex certissimis antiquitatis documentis manifeste constat.

46. Exinde factum est, ut ab ipsis ecclesiae initiis comperiamus illam sacerdotii successionem in triplici suo gradu episcopatus, presbyteratus et diaconatus jugiter ad nos usque perseverantem in ecclesia universa, uti omnia documenta ecclesiastica testantur. Patres apostolici communi consensu affirmant eos constitutos et praepositos ecclesiae suae a Domino esse, uti Clemens romanus [11] et Ignatius M. [12] Item vocant episcopos ecclesiarum *praesides,* uti Hermas [13]; eos praeesse Dei loco, quibus proinde parendum sit, ut Dei mandato, ut Deo patri, uti Clem. rom., Ignatius, Hermas. His Patres insequentes consentiunt, uti Tertullianus [14], Ambrosius [15], Hieronymus [16], ut posteriores omittamus.

47. Si igitur Christus apostolis, cum nondum ecclesia esset instituta, auctoritatem contulit in societatem eorum praedicatione efformandam: si apostoli hanc eamdem auctoritatem delectis a se hominibus in posteros trans-

[1]) Matth. XVIII.
[2]) Ibid. XXVI.
[3]) Ibid. XXVIII.
[4]) Joann. XX. 21.
[5]) Act. VI.
[6]) Ibid. XIII.
[7]) Ibid. XIV.
[8]) Ibid. XX.
[9]) I. Tim. I.
[10]) Tit. I.
[11]) I. ad Cor. cap. XIII.
[12]) Ad Ephes. cap. IV. et alibi passim.
[13]) *Pastor*, lib. I. vis. III. 5.
[14]) *De Bapt.* cap. 7.
[15]) *De Sacram.* lib. III. cap. 5.
[16]) *Dial. adv. Lucifer.* et *Epist. ad Asellam.*

mittendam communicarunt independenter a fidelibus, quibus potius eos praefecerunt: si demum hac ratione ad nos usque eadem auctoritas propagata est; plane consequitur 1°. divino jure ecclesiasticam hierarchiam a populo seu a laicis distingui; 2° nullo modo democraticam esse ecclesiae constitutionem; 3°. demum non ab ecclesia seu a communitate fidelium, sed a Deo ipso auctoritatem suam ecclesiasticam hierarchiam derivare.

DIFFICULTATES.

48. Obj. Hierarchiae existentia abhorret a Christi consilio. Etenim 1. Christus apostolos suos omni principatu interdixit, dicens [17]: *Principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Qua in schola institutus Petrus, sic ecclesiae pastores alloquebatur [18]: *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* 2. Pariter apostoli reliqui, et in his Paulus, non se principes aut hierarchas appellabant, sed profitebantur se Christi servos, ministros, ac dispensatores mysteriorum Dei. 3. Hinc factum est ut nonnisi populi suffragio eligerent suos cooperatores, ut patet ex electione Matthiae, septem diaconorum et Barnabae. 4. Quod concilia pariter confirmant, dum quem *populus elegerit*, eum, defuncto episcopo, sufficiendum decernunt, inter quae eminet conc. nicaenum in epist. synodica apud Theodoretum. [19] Quam quidem agendi rationem 5. s. Cyprianus ex traditione *divina et apostolica* descendere affirmat. [20] 6. Nil mirum proinde si Germania mirata est, teste Sarpio, cum scivit a Tridentino sancitam, veluti fidei articulum, hierarchiam ecclesiasticam, aut miratura si *hieroduliam*, aut *hierodiaconiam* seu *sacram servitutem*, aut *sacrum ministerium* sanxisset. Ergo.

49. Resp. *N. A.* Ad 1. probat *D.* Interdixit apostolos omni principatu, qui fastum saperet et ostentationem, *C.* principatu, qui consistat in recto auctoritatis usu, *N.* Alioquin ipsemet Christus auctoritatem apostolis non tribuisset, eos non praetulisset discipulis, iisdem apostolis non praefecisset Petrum. Item non eis dixisset: *Qui vos audit, me audit;* neque claves regni coelorum eis contulisset; non dixisset Petro: *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas,* quod quidem pascendi munus auctoritatem poscit, ut patet ex vi graeci textus, et ex ipsa rei natura. Neque alio sensu loquitur Petrus, quod liquet vel ex ipsa orationis serie, dicens: *Pascite;* ne autem in hoc munere obeundo se extollerent, acerbitatem ac dominationem sectarentur, ideo illis modum patefacit, quo leniter officium suum expleant.

50. Ad 2. *D.* Numquam apostoli se hierarchas aut principes appellarunt, si voces spectes, *C.* non sibi tribuerunt potestatem illis vocibus significatam, *N.* Quaestio porro est de re. Jam vero apostolos, et in his

[17]) Matth. XX. 25, 27.
[18]) I. Ep. V. 3.
[19]) *Hist. Eccl.* lib. I. cap. 9.
[20]) Ep. LXVIII.

Paulum, hanc sibi potestatem vindicasse evidenter constat ex iis, quae inter caetera ipse scribit [21]: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam;* et [22]: *Praedixi et praedico . . . quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Itaque apostoli sunt *servi, ministri*, respectu Christi, sed *pastores, praepositi, principes* sunt respectu fidelium.

51. Ad 3. *D.* Ex quadam dispensatione et oeconomia nec tamen semper, *Tr.* vel *C.* constanter et ex necessitate, *N.* Etenim Paulus et Barnabas *constituerunt* per civitates presbyteros, seu episcopos absque plebis suffragio vel electione; Paulus item praefecit auctoritate sua Timotheum ecclesiae ephesinae, et Titum cretensi: *Constitui,* inquit, *te Cretae.* In monitis ad eosdem datis circa electionem diaconorum et presbyterorum nullam ejusmodi popularis electionis mentionem injecit, non omissurus in systemate adversariorum.

52. Ad 4. *D.* Ex disciplina variabili eaque libera, *C.* ex institutione Christi, *N.* Ratio enim electionis varias diversis temporibus formas subiit, interdum enim fiebat a populo, interdum excludebatur ab electione populus et a solis provinciae episcopis pendebat; interdum vero a clero simul et populo, uti ex certissimis ecclesiasticis documentis constat, quae magno numero a Thomassinio, Hallierio, Nat. Alexandro proferuntur; a Christo igitur repeti nequit popularis illa electionis forma, ut autumarunt protestantes, alioquin irrita fuisset, quoties ab ea discessum est.

53. Ad 5. *D.* Quatenus illa traditio et observatio exemplis innititur ex Scriptura depromptis et in ordine ad suffragium seu testimonium, quod de eligendorum moribus plebs ferebat, *C.* traditio divina et observatio presse sumpta, *N.* Huic enim posteriori sensui obstant illa omnia, quae prolata a nobis sunt. Prior vero innititur verbis Apostoli [23]: *Oportet autem illum* episcopum *et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.*

54. Ad 6. *D.* Mirata est Germania protestans, *C.* catholica, *N.* Certe non poterat non mirari Germania protestans, quod Tridentinum contra principia democratica, quae ipsa profitebatur in regimine et constitutione ecclesiastica, definierit ex divina institutione constitutam hierarchiam. Hac siquidem definitione plane eversum est democraticum protestantium systema. Quod si Tridentinum definivisset esse in ecclesia *hieroduliam* aut *hierodiaconiam,* sanxisset protestantium errorem. Caeterum, Germania catholica magna veneratione, prout reliquae ecclesiae per universum orbem, definitionem concilii tridentini suscepit.

[21]) II. Cor. X. 6.
[22]) Ibid. XIII. 3.
[23]) I. Tim. III. 7.

ARTICULUS III.

DE MUTUO INTER ECCLESIAE ANIMAM ET CORPUS COMMERCIO.

55. Parum est ecclesiam anima corporeque constare; ut enim vere vivere ea dicatur, necesse praeterea est ut inter ejusdem animam et corpus intercedat commercium, seu nexus ille, ex quo anima in corpus et corpus in animam ad invicem agant et reagant, prout in omni individuo vivente contingit. De mutuo hoc commercio hic agere constituimus, ut inde pateat ecclesiam Christi vita supernaturali pollere, et inferamus discrimen, quod inter solam Christi ecclesiam et sectas ab ea divisas, quaeque immerito sibi ecclesiae nomen adsciscunt, interponitur. Sit proinde

PROPOSITIO.

Mutuum existit inter ecclesiae a Christo institutae animam et corpus commercium, quo illam vita supernaturali jugiter vivere et operari certissime deprehenditur.

56. Ecclesiae animam ex gratia sanctificante, fide, spe, caritate caeterisque virtutibus adnexis aut profluentibus constare, corpus vero ex visibili fidelium omnium societate sub legitimis pastoribus eamdem fidem profitentium iisdemque utentium sacramentis coalescere, paulo ante confecimus. Ut igitur evincamus inter utramque ecclesiae partem intercedere commercium, restat ut ostendamus et corpus in animam, et animam in corpus agere.

57. Jam vero ut a primo exordiamur (siquidem prius est etiam in physico individuo corpus evolvi quam spiritu informari), ecclesiae corpus per ministerium suum, administrationem sacramentorum, potissime vero Baptismi quoad infantes, praedicationem praeterea verbi Dei, et collationem Baptismatis quoad adultos gignere in anima sanctitatem, nemo est qui ambigat. Item animam agere in corpus per fidei actus exteriores, spei et caritatis, mediantibus operibus bonis ac sanctis, in dubium pariter revocari nequit.

58. At enim cum ex parte saltem singulorum individuorum incertum semper esse possit, utrum attulerint necessarias dispositiones ad gratiam sanctificantem obtinendam, utrum fides et spes sint caritate *informatae*, ut ajunt, utrum, ut verbo dicam, veram sanctitatem possideant, Deus quodam veluti sigillo nonnullorum praecipuorum ecclesiae suae membrorum sanctitatem obsignare constituit per charismatum dona, ut pateret omnibus ea vita reipsa supernaturali vivere, adeoque vivum esse illud corpus, quod ejusmodi viva membra producit. Insuper cum alterum vitae signum sit foecunditas, hac proprietate pariter sive hoc dono ecclesiam suam insignivit Deus. Novos proinde quotidie filios Christo parit, quos vel ex haeresi vel ex gentilitate convertit; eidem acceptam referre debemus omnium plane gentium conversionem, dum sectae omnes ab ea divisae sterilitate laborant, quamvis innumeris pene humanis abundent subsidiis. Sectarum vis, ut jam suo

tempore adnotaverat Tertullianus, in corrumpendis ac pervertendis pessimis catholicis, quos ab ecclesia abducere omnibus malis artibus satagunt, tota consistit.

59. Quae cum ita se habeant, jure merito concludimus, ex duobus recensitis characteribus solius ecclesiae propriis luculenter constare tum eam vivere, tum proinde, quod consequens est, intercedere seu existere illud, quod enunciavimus, commercium inter ecclesiae corpus et animam seu nexum, ex quo uti individui physici, sic et individui moralis vita pendet.

DIFFICULTATES.

60. Obj. 1. Nexus seu commercium, quod constituitur inter ecclesiae animam et corpus, gratuitum prorsus est; 2. aut saltem inutile ad finem, qui intenditur, cum quaelibet secta illud sibi vindicare possit. 3. Sane unaquaeque secta sanctitatem adeoque vitam, de qua agimus, sibi tribuit ex doctrina, fide, ac morum integritate. 4. Quamquam ad signa, quod attinet, parum de illis sectae sollicitae sunt, cum nulla jam ambigat ea inter mythos recensenda esse, si sermo sit de biblicis, aut inter pias fictiones, aut ignorantiae et credulitatis documenta, si de recentioribus loquamur. 5. Patres ipsi, inter quos s. Augustinus et s. Gregorius M., aperte fatentur miracula jamdiu in ecclesia cessasse. 6. Quod si contendant catholici miracula valorem aliquem habere realem, cum sectae idem sibi donum tribuant, hoc ipso patet hoc signum vitae aequivocum esse. 7. Quod porro dictum est de miraculis aliisque charismatibus, applicari etiam debet alteri vitae indicio, quod ex foecunditate eruitur; notum enim est, quot progressus nunc temporis faciant sectarii in *bono nuncio* ferendo apud infideles. Ergo.

61. Resp. Ad 1. vel *N.* vel *D.* Non ejusmodi est, quale intercedit in individuo physico vivente, *C.* quale per analogiam competit in ordine supernaturali individuo morali, *N.* Profecto hic nexus, ex quo commercium pendet inter animam et corpus ecclesiae, substantialis ac hypostaticus non est; existit tamen, prout ipsa rei natura fert, inter animam et gratiam sanctificantem, quae inhaeret justo. Hinc illud Apostoli: *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.*[1] *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus.*[2] Adeoque vita ac proinde commercium, de quo agimus, verum habet biblicum fundamentum.

62. Ad 2. *D.* Quaelibet secta illud sibi vindicare potest sine ullo prorsus fundamento, *C.* jure merito, *N.* Hoc enim solius ecclesiae a Christo institutae privilegium est, nulla ratione sectae cuique communicabile, ut patet ex dictis.

63. Ad 3. *D.* Unaquaeque secta sibi vindicat sanctitatem fucatam et politicam seu externam, *C.* veram, *N.* Etenim fieri nequit, ut societas seu coetus, qui vexillum erexit perduellionis adversus unicam ecclesiam a Christo institutam, sibi veram possit vindicare sanctitatem. Hinc optime s. Augu-

[1]) Gal. V. 25.

[2]) Ibid. II. 20, et alibi passim.

stinus: *Vis ergo*, inquiebat [3], *et tu vivere de spiritu Christi? in corpore esto Christi... Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi.* Vitis non influit nisi in palmites sibi adhaerentes. Cum igitur sectae a Christi corpore separatae diversam ab eo fidem profiteantur objectivam, diversam doctrinam, haec necessario debet falsa esse, quia verum vero opponi nequit; et si quam habent morum integritatem, haec non constituit nisi honestatem moralem ac naturalem, quae nihil commune habet cum illa supernaturali sanctitate, de qua est sermo.

64. Ad 4. *D.* Quia illam nec habent neque habere possunt, *C.* alia de causa, *N.* Sectae spernunt miracula ad eum modum quo vulpes, de qua fabula, sprevit uvam quam attingere non potuit. Dona siquidem haec ex Christi promissione soli verae sponsae ejus reservantur. Quod vero sectae jam vulgo mythis accenseant miracula biblica, id provenit ex progressu illarum in incredulitatem, quo magis confirmatur eas vita plane destitutas esse, proindeque in dies dissolvi; uti cadavera, quae in tabem ac putredinem dissolvuntur. Nil mirum proinde si credulitati ac ignorantiae tribuant miracula, quae passim in Christi ecclesia patrantur, quamvis ea publica sint ac testimoniis locupletissimis adstructa.

65. Ad 5. *D.* Id est, Patres fatentur prodigia non amplius in ecclesia esse communia, ut in ejusdem initiis erant, *C.* fatentur plane cessasse, *N.* Hoc patet ex amborum, qui nobis objiciuntur, contextu; etenim s. Augustinus declarat [4], quo sensu in lib. *De vera Relig.* scripserit: *permissa non esse miracula in nostra tempora durare*, nempe eo numero, quo olim patrabantur; deinde refert miracula a se visa. Sic etiam s. Gregorius M. dicit [5], quod olim frequentiora essent, tamen et nunc *per multos, cum opportunitas exigit, eduntur;* et ipse plura refert, quae contigerunt sua aetate in lib. *Dialogor.* Ambo demum rationem reddunt hujus discriminis, quod scilicet ab initio necessaria fuerint ad fidem propagandam, postea vero haec necessitas cessaverit.

66. Ad 6. *Neg.* Nam eodem jure sibi tribuunt sectae signa et charismata, quo sibi tribuunt veram doctrinam aliasque ejusmodi, nempe falso ac perperam. Catholici, qui solam veram Christi ecclesiam constituunt, ut paulo post ostendemus, et signa et ineluctabilia documenta ad illorum veritatem adstruendam proferunt. Sectarii nonnisi verba ac nihil praeterea proferunt, immo ut vidimus, cum nulla habeant, contemnere ea superbo supercilio affectant.

67. Ad 7. *D.* Si pronas aures praebeamus sectariorum declamationibus, *C.* si inquiramus in rei veritatem, *N.* Etenim plura certe ipsi buccinant de ingentibus fructibus, quos profert communis illis omnibus societas biblica; sed, si quae referunt, examini subjiciantur, patebit praeter aurum, argentum ac biblia ad veros corrumpendos fideles seu catholicos distributa, nihil aliud eos egisse. Nempe, ut jam aetate sua adnotaverat Tertullianus, gloria haereticorum tota ac sola consistit in evertendis infirmorum ac perditorum catho-

[3]) *Tract.* XXVI. *in Joann.* n. 13.
[4]) Lib. I. *Retract.* cap. XIII. n. 7.
[5]) Lib. XXVII. *Moral.* cap. XVIII. n. 36.

licorum animis. Cum vero numquam desint, qui lucrum animae saluti ignaviter praeferant, isti constituunt sectariorum triumphos. Caeterum ad infideles vere convertendos plane impotentes sunt, et propriam circa hos imbecillitatem produnt.

ARTICULUS IV.

DE IIS QUI EXCLUDUNTUR A VERA CHRISTI ECCLESIA.

68. Ordo postulat, ut postquam disseruimus de membris, quibus constituitur seu constat ecclesiae corpus, de iis verba faciamus, qui ab illorum censu exclusi sunt. Nec enim defuerunt, qui contenderent atque etiamnum contendant, ecclesiam Christi coalescere ex omnibus sectariis, haereticis, schismaticis, qui voce negativa *acatholici* appellantur, adeoque ecclesiam romanam, quam paulo post ostendemus unice veram esse ecclesiam Christi, non esse nisi partem totius ecclesiae catholicae, cujus aliae partes sint, uti ecclesia *catholica*-anglicana, ecclesia *catholica*-graeco-russa, ecclesia *catholica*-evangelico-anglicana, et ita porro. Exinde fit, ut isti viam salutis aperiant sectariis omnibus, saltem qui in fundamentalibus articulis conveniunt, et intolerantiae accusant ecclesiam romanam in articulo, quem profitetur, extra unicam veram ecclesiam nullam dari salutem. Adversus quos insequentes statuimus propositiones:

PROPOSITIO I.

Quotquot in communione non sunt cum vera Christi ecclesia, ad eam pertinere nullatenus possunt.

69. Qui in communione ecclesiae externa, de qua loquimur, non inveniuntur, sunt aut haeretici, qui diversam ab ecclesia fidem profitentur; aut schismatici, qui obedientiam detrectant legitimis pastoribus, praesertim vero supremo; aut excommunicati excommunicatione, uti vocant, vitanda, et qui ea perculsi sunt, arcentur a participatione praecipue sacramentorum. De excommunicatis hic solliciti non sumus; verum nobis res est cum haereticis et schismaticis, qui in coetus coëunt divisos ab ecclesia, quam Christus instituit, atque ut modo loquendi usus invaluit, *communiones* separatas efficiunt, sub quocumque nomine veniant, sive protestantium, sive reformatorum, sive anglicanorum, aut graecorum, aut graeco-russorum.

70. Hos porro omnes ad Christi ecclesiam minime pertinere, ac proinde Christi ecclesiam haud constituere uti partes essentiales aut integrales, ostendere, ex dictis operosum non est.

71. Ac primo Christus in apostolis et per apostolos condidit ecclesiam suam ad instar individui jugiter viventis, cui praefecit hierarchiam, quam depositariam et custodem reliquit veritatum, quas e coelo detulit, cuique commisit munus docendi regendique coetum fidelium, quos sive ex judaismo sive ex ethnicismo per praedicationem et Baptismum convocasset et cooptasset

in sinum suum, expellendique proinde novatores et contumaces, qui aut fidei depositum labefactare, aut obedientiam detractare ausi fuissent. Quotquot proinde alterutrius aut utriusque etiam criminis rei extiterunt ac vexillum perduellionis erexerunt, ab ecclesia, divinitus sibi tradita auctoritate, penitus expulsi sunt ac recisi e sinu suo, ne membra ejus sana inficerent et contaminarent. Ergo quemadmodum membra a corpore amputata, palmites a vite recisi, rivi a fonte separati non amplius constituunt aut corpus, aut vitem, aut rivum ex fonte manantem, sic haeretici et schismatici ab ecclesia damnati, rescissi, amputati non amplius ecclesiam constituunt.

72. Huc pertinent Scripturarum oracula Joann. XX: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Matth. XXVIII: *Euntes docete . . . servare omnia, quaecumque mandavi vobis: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sacculi.* Luc. X. 16: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Matth. XVIII. 17: *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Gal. I. 8: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizaverit vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis; anathema sit.* Ad Titum III. 10: *Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est,* aliaque ejusmodi innumera, quae eamdem ideam constanter ingerunt.

73. Atque haec est historia omnium sectarum continentibus saeculis ab aetate apostolica usque ad nos. Apostoli, quotquot voluerunt sensum suum privatum opponere, magisterio suo ab ecclesia expulerunt, uti Hymenaeum, Philetum ac Alexandrum [1]: *Ut discerent non blasphemare;* nicolaitas, de quibus Joannes in Apocalypsi [2]; docetas et cerinthianos, adversus quos idem evangelista et epistolas suas et Evangelium conscripsit, et apostoli reliqui plerasque etiam epistolas suas scripserunt, ut praemunirent fideles adversus illos seductores et antichristos; defunctis apostolis, ecclesia seu successores apostolorum coeptum opus continuarunt damnantes et ejicientes gnosticos cum eorum familiis, sabellianos, arianos, nestorianos, eutychianos, novatianos, donatistas, et ita porro usque ad lutheranos, calvinistas, socinianos, protestantes omnes, anglicanos cum omnibus eorum surculis. Ergo tantum abest, ut sectae istae ecclesiam constituant, sintque ejus partes aut essentiales aut integrales, ut potius sint totidem satanae synagogae, ut Scriptura loquitur, humanae superbiae documento, a Christi ecclesia prorsus extraneae, *sectae perditionis.*

DIFFICULTATES.

74. Obj. 1. De sectis, quas vocant, haereticis et schismaticis respectu ecclesiae idem ad summum censendum, quod de samaritanis et sadducaeis respectu synagogae. Jam vero tum samaritani, tum sadducaei perinde ac herodiani, pharisaei et essenii vere ecclesiam judaicam constituebant. 2. Sane Baptismus, quo cooptamur in Christum efficimurque ejus membra, communis

[1]) II. Tim. II. 17; et I. Tim. I. 20. [2]) Cap. II. 6, 15.

est sectis omnibus. 3. Sectae omnes profitentur Christi fidem, caeteraque adimplent, quae ex Christo ipso requiruntur et sufficiunt, ut quis discipulus ejus sit. Ait enim [3]: *Creditis in Deum, et in me credite;* et iterum [4]: *Qui credit in me, habet vitam aeternam;* denique [5]: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* 4. Romanensium propterea intolerabile principium est se solos constituere veram Christi ecclesiam, adeo ut quicumque ab ea separati sunt, sectas spurias constituant et satanae synagogas. 5. Hoc inauditum plane fuit aetate apostolica, quando jugum auctoritatis nondum invectum fuerat, sed unusquisque, prout sibi videbatur, sentiebat. 6. Incognitum praeterea erat aetatibus insequentibus, ut patet ex celebratione paschatis ex parte Asianorum et ex parte Romanorum, utraque pars in suo sensu abundare permissa est, ac licet schisma acacianum eruperit, tamen discissa ecclesia non est, et plures ex iis, qui dicebantur schismatici, inter Sanctos relati sunt uti Macedonius, Ephemius, aliique non pauci. 7. Cum igitur ecclesia non alio sensu catholica dicatur et sit, nisi quatenus coalescit ex christianis omnibus, qui in mundo sunt, perperam Romanenses, qui nonnisi pars totius sunt, se solis constare ecclesiam autumant. Ergo.

75. Resp. Ad 1. *Neg.* in primis paritatem, cum aliter Christus instituerit ecclesiam suam, uti patet ex dictis. Deinde *D. min.* Samaritani seu decem tribus fuerunt schismaticae in ordine politico seu theocratico, *C.* in ordine religioso, *subd.* plerique, *C.* omnes, *N.* Plures semper extiterunt, qui communicabant exterius cum ecclesia judaica, pluresque autem qui metu detinebantur, saltem spiritu communicabant cum synagoga, licet exterius reipsa ab ea extorres essent.

76. Quod vero attinet ad diversas sectas, distinguendi sunt sadducaei a sectis reliquis; nam illi revera increduli ac epicurei fuerunt, prout sunt increduli nostrorum temporum, qui si permanserunt in synagoga, ideo est, quia nullo solemni judicio fuerunt ab ea expulsi, prout expulsi non sunt increduli nostri ab ecclesiae corpore, nec coetum separatum constituunt. Quod attinet ad sectas reliquas, fuerunt ipsae potius scholae diversae quam sectae proprie dictae.

77. Ad 2. *D.* Baptismus est conditio, sine qua nemo potest cooptari in ecclesiam seu ecclesiae corpus, *C.* solus sufficit ad constituendum ecclesiae membrum, ac proinde Christi, *N.* Itaque per Baptismum, si de infantibus sermo sit, fiunt quidem illi, quibus administratur, Christi et ecclesiae membra; desinunt vero talia esse, quum adulta aetate adhaerent vel haeresi vel schismati, cum fidei ejusdem professio et subjectio legitimis pastoribus duae aliae conditiones sint, sine quibus nemo ad ecclesiae corpus spectare potest: si de adultis agatur, qui Baptismum suscipiunt, si tingantur extra ecclesiam, ad eam minime spectant, saltem quoad corpus; pertinent vero ad eam, si in ecclesia sacro lavacro initientur.

[3]) Joann. XIV. 1.
[4]) Ibid. VI. 47.
[5]) Ibid. XII. 35.

78. Ad 3. *D.* Ita ut haec requirantur, *C.* ut sufficiant, *N.* Oportet enim profiteri eam fidem, quam proponit ecclesia profitendam, non autem eam, quam quilibet sibi fingit, et subjectum esse eidem ecclesiae quam Christus constituit. *Docentes eos*, baptizatos, *servare omnia quaecumque mandavi vobis*, ait Christus. [6]

79. Ad 4. *D.* Quia ipsi soli sunt fundati super *petram*, super quam Christus aedificavit ecclesiam suam, *C.* secus, *N.* Certe non est alia vera Christi ecclesia praeter eam, quam Christus super petram, id est, super Petrum aedificavit. Qui non communicant cum hac petra, seu extra petram hanc sunt, numquam Christi ecclesiam constituent, sed synagogas satanae ac sectas perditionis.

80. Ad 5. *Neg.* Apostoli enim quotquot contumaces repererunt in aliquo errore contra fidem ac doctrinam a se annunciatam, extra ecclesiam expulerunt, et in censum haereticorum et sectariorum retulerunt. Ita Petrus egit cum Simone mago. Paulus cum Hymenaeo et Phileto et Alexandro Aerario; ita Joannes cum docetis et cerinthianis; ita rursum Petrus et Judas cum sectariis, contra quos suas epistolas scripserunt. Praecepit praeterea Paulus Tito ut *haereticum* hominem post unam aut alteram correptionem devitaret, et Joannes ne sectariis vel *ave* fideles dicerent. Eadem ratione quovis tempore se gessit ecclesia cum *reprobis omnibus circa fidem*, id est, haereticis a saec. I. ad saec. XIX. et ita porro se geret usque ad consummationem saeculi.

81. Quartodecimani innoxii fuerunt, donec non restiterunt ecclesiae aliter decernenti.

82. Acaciani, de quibus agitur, communionem sectabantur ecclesiae romanae, nec admissi in communione sunt, nisi postquam ex sacris diptycis nomen Acacii abstulerunt. Hac de causa Macedonius et Euphemius in sanctorum numerum relati non sunt, uti ostendit Natalis Alexander [7], ac deinceps fusius exponit Petr. Ballerinius. [8]

83. Ad 7. *Neg.* sequel. ex dictis. Ecclesia enim *catholica* dicitur non ex collectione sectarum omnium, quibus potius ecclesia dicit indiscriminatim omnibus: *Nescio vos, vestris copiis auxiliaribus non egeo, qui non est mecum, contra me est;* sed quia ipsa sola omnia loca, omnia tempora, omnes vere christianos complectitur in unitate sua, ut inferius ostendemus. Romanenses proinde, ut adversarii loquuntur, optime se solos dicunt constituere ecclesiam Christi.

PROPOSITIO II.

Quoad illos omnes, qui culpabiliter extra ecclesiam ex hac vita decedunt, nulla datur salus.

84. Nemo damnatur ex adultis sine culpa propria, multo igitur minus, qui Baptismo renati sunt. Contrarium siquidem iterum ac saepius ab ecclesia

[6]) Matth. ult.

[7]) *Hist. eccl.* saec. IV. cap. 6. art. 11.

[8]) *De vi ac rat. primatus*, append. ad §. 1. cap. 2.

proscriptum est. Quamdiu igitur aliquis ignorantia invincibili detinetur circa falsitatem propriae sectae, licet extra ecclesiae corpus inveniatur, potest ad ejus animam pertinere, adeoque in via salutis reperiri.

85. Tota igitur theseos propositae vis cadit in vocem *culpabiliter*. Hoc porro sensu determinata thesi, ecquis est qui eam in dubium revocare possit? Huc enim reducitur: Quicumque gravi culpa inquinatus ex hac vita decedit, aeternum peribit, seu nulla ei salus obtingere potest; atqui tales sunt, quotquot ex propia culpa ac malitia decedunt ex hac vita extra ecclesiam constituti; ergo iis, qui culpabiliter extra ecclesiam ex hac vita decedunt, nulla datur salus. Major propositio sua evidentia fulget; minor autem vera est ex suppositione; ergo conclusio nullo modo eludi potest. Ut haec impugnaretur, aut necesse esset adstruere non incurrere aeternum exitium quotquot in gravi peccato moriuntur; aut non peccare graviter, qui scientes volentesque extra unicam veram Christi ecclesiam degunt, impugnantes fidem, quam illa profitetur et docet esse tenendam, aut qui protervi resistunt ejus auctoritati, obedientiamque detrectant illis legitimis pastoribus, quos Christus ipse praefecit ecclesiae suae. Cum vero neutrum sine summa impietate a sanae mentis homine negari possit; necessario sequitur eos, qui in tali statu moriuntur, aeternum perire.

86. Post haec supervacaneum ducimus plura testimonia ex Scripturis congerere, quibus haereticos aut schismaticos *formales*, ut supponitur, ab aeterna excludi salute ac poenis aeternis addici demonstretur. Nonnulla tamen placet attingere, quibus res magis ac magis patefiet. Postquam apostolus Paulus scripsit [1]: *Haereticum hominem devita*, subjicit: *Quia subversus est, et proprio judicio condemnatus;* apostolus Petrus eos dicit *introducentes sectas perditionis, superducentes sibi celerem perditionem.* [2] S. Joann. haereticos vocat *antichristos* [3], qui non manserunt cum veris fidelibus, seu in ecclesia Christi, et in Ep. II. vocat *seductores*, admonetque christianos ne ipsis adhaerentes perderent quae operati sunt, addens v. 9: *Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* Non permanet autem in doctrina Christi, qui non permanet in doctrina ecclesiae, cui in apostolis ipse dixit: *Euntes docete.* S. Judas, in epistola sua v. 13. loquens de haereticis ait: *Quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.* Christus demum generatim pronunciat [4]: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

87. De Patribus nulla est controversia, qui uno animo haereticos et schismaticos formales sarmentis comparant a vite recisis, aut paleis extra aream rejectis destinatisque ad ignem.

DIFFICULTATES.

88. Obj. 1. Inhumanum, immo absurdum est docere innumeros prope homines aeternis addici poenis, ob solam opinionum discrepantiam. 2. Eo

[1]) Tit. III. 10.
[2]) II. Ep. II. 1.
[3]) I. Ep. II. 18.
[4]) Matth. XVIII.

magis quod haeresis sit omnium peccatorum levissimum veniaque dignum. 3. Sapit intolerantiam deterrimam. 4. Homines inducit ad mutuum odium, cum fieri nequeat ut diligantur illi, quos profitemur in aeternum iri damnatum. 5. Satius igitur est quempiam sentire et credere in religionis negotio prout libet, ac bene de omnibus sperare, caritatemque mutuam fovere. Ergo.

89. Resp. Ad 1. *D.* Perinde ac inhumanum ac absurdum esset lethali peccato obstrictum aeternis poenis addici, *C.* secus, *N.* Id evidenter patet ex theseos expositione. Ergo aut peccatores omnes ex hac vita decedentes coelo inserendi sunt, aut una cum illis formales haeretici et schismatici poenis aeternis erunt addicendi. Seligant adversarii. Non agitur de mera opinionum discrepantia, sed agitur de formali seu culpabili haeresi et schismate per oppositionem ad ecclesiae doctrinam.

90. Ad 2. *D.* In adversariorum hypothesi, quod haeresis non consistat nisi in opinionum discrepantia, *C.* in se, *N.* Responsio patet ex modo dictis in resp. ad 1. Caeterum, haeresis est peccatum omnium gravissimum, cum tendat ad fidei destructionem, detrectetur per eam Dei veracitati, et ecclesiae auctoritati.

91. Ad 3. *D.* Sapit intolerantiam erroris, *C.* personarum, *N.* Intolerantia porro erroris saluberrima est, nec nisi atheus aut indifferens eam impugnare potest.

92. Ad 4. *Neg.* Vera enim religio docet, prout docet ecclesia, in qua vera religio est, errores insectari, homines vero diligere, juxta illud effatum: *Diligite homines, interficite errores.* Christianus nescit odisse nisi peccatum; quoad eos vero, qui extra viam salutis sunt, dolore afficitur, in rectam veritatis semitam revocare satagit, demum luget super eorum pertinaciam.

93. Ad 5. *Neg.* Si res esset cum incredulis, admitti posset ejusmodi conclusio, utpote ipsorum digna et epicureorum, non item vero si agatur cum illis, qui adhuc religionem se profiteri autumant. In negotio tanti momenti, a quo aeterna salus pendet, prudentia dictat nullum examen omittendum esse, donec perveniatur ad veritatem agnoscendam et amplectendam; quod, divina adspirante gratia, interposita etiam oratione et humilitate, pertingere difficile non est.

CAPUT III.

DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

94. Egimus hactenus de Christi ecclesia in genere, quin, data opera, inquireremus quaenam ex tot societatibus, quae sibi ecclesiae Christi nomen et dignitatem tribuunt, vera reipsa Christi ecclesia sit. Hoc autem efficiemus expendendo proprietates et notas, quae uni verae ecclesiae competunt. Harum enim applicatio nos ad verae Christi ecclesiae cognitionem adducit. In tres proinde articulos caput istud distinguimus, in quorum primo de proprietatibus, in altero de notis, in tertio denique de illarum applicatione sermonem instituemus.

ARTICULUS I.

DE ECCLESIAE CHRISTI PROPRIETATIBUS.

95. In eo distinguuntur *proprietates* a *notis*, quod illae intrinsecae sunt et essentiales, seu eas exposcit ac exigit natura ipsa rei, ad quam pertinent; notae vero sunt extrinsecae, atque exterius prodeunt ad patefaciendas illas internas proprietates, quarum notae indicia sunt et in omnium oculos incurrunt. Illae propterea rei naturam ingrediuntur, hae vero illam patefaciunt. Eas proprietates ad tres praecipue revocamus, nempe ad unitatem, visibilitatem, et perpetuitatem.

PROPOSITIO.

Vera Christi ecclesia necessario una esse debet, visibilis atque perpetua.

96. Ecclesiam Christi unam necessario esse debere luculenter patet: 1°. ex unitate fidei seu doctrinae, quam Christus docuit; nec enim potuit diversam doctrinam tradere, hoc enim repugnat veritati, quae individua ac indivisibilis est: est siquidem aut non est veritas, nullum medium datur. Possunt dari diversa objecta veritatis, ast veritas in se nonnisi una est aut esse potest in suo conceptu. Patet 2°. ex unitate societatis, quam Christus instituit ad modum individui, quamque voluit ut prae se ferret imaginem sui super terram, cum ipse ex ea visibiliter discesserit, quapropter ut una semper consisteret, caput eidem visibile praefecit, ut suo loco ostendemus, cujus esset in hac individua unitate eam conservare ac regere.

97. Huc referuntur quae in Scripturis passim leguntur; volens siquidem Christus exhibere ideam ecclesiae a se instituendae, eam nunquam numero plurali, sed semper constanterque singulari nominat, eam vocans *gregem suum, ovile suum*, et quidem *unum* cui praesit *unus* pastor, *regnum suum, ecclesiam suam.* Apostolus vero eam appellat *corpus Christi*, quod certe multiplex esse non potest; et expresse, Eph. IV. 2: *Unus*, inquit, *Dominus, una fides, unum Baptisma.* Demum in symbolo apostolico fides proponitur de *ecclesia catholica.* Fieri itaque non potest quin vera ecclesia Christi *una* sit.

98. Sed praeterea necessario vera Christi ecclesia *visibilis* est. Instituta enim est veluti societas ex hominibus coalescens, ut per eam et in ea homines media ad salutem consequendam haberent, per Baptismum in eam introirent, per reliqua vero sacramenta in pietate alerentur, eamdemque profitentes fidem legitimis, quos Christus ipse constituit, superioribus subjecti forent; quae quidem omnia sine visibilitate nec supponi neque concipi possunt.

99. Hinc Christus visibiliter in terris apparuit ad ecclesiam suam aedificandam, visibili ratione discipulos suos auctoritate instruxit, misit in mundum universum ad docendum omnes gentes; Spiritus Sanctus visibiliter

sacro Pentecostes die ad inaugurandam ecclesiam super apostolos descendit. Christus rursum comparat ecclesiam suam modo areae, modo civitati super montem positae, ut omnium pateret aspectui, modo agro etc.; quibus patefacere voluit ecclesiam suam vere adspectabilem esse debere atque visibilem.

100. Demum *perpetuam* fore hanc ecclesiam ex dictis manifeste elucet. Etenim cum instituta sit, ut per eam omnes aetatum omnium homines media salutis haberent, tamdiu perdurare debet quamdiu homines salvandi erunt super terram, nempe in saeculorum finem. Perpetuum propterea exercebitur ministerium praedicationis, administrationis sacramentorum, professionis fidei, auctoritatis et subjectionis, cooptationis in ecclesiam aut expulsionis, si opus erit, aliorumque ejusmodi. Ac proinde, quod consequens est, ecclesia Christi necessario debet esse perpetua ex natura sua, seu juxta Christi institutionem.

101. Exinde quae in Scripturis passim occurrunt de hac perpetuitate immo et perennitate: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; et regni ejus non erit finis; portae inferi non praevalebunt adversus eam;* aliaque ejusmodi, quae praedictam proprietatem mirifice declarant.

102. Conceptus itaque biblicus, ratioque institutionis a Christo factae aperte involvunt has proprietates unitatis, visibilitatis ac perpetuitatis verae Christi ecclesiae, quae ab ea nullo modo abesse possunt.

DIFFICULTATES.

103. Obj. 1. Unitas ecclesiae non est nisi idealis exsurgens ex materiali fidei formula, cujus subjectivi conceptus tot sunt, quot individua illam pronunciant. 2. Nulla alia proinde unitas fingi potest praeter eam, quam parit rationis persuasio, non autem quam imponat auctoritas. 3. Absurdum siquidem est unitatem fidei, ac proinde ecclesiae, pendere posse aut debere ab auctoritate unius aut plurimorum hominum. 4. Sane Christus fundavit ecclesiam seu potius christianismum, non autem formas accidentales et extrinsecas romanismi, anglicanismi, protestantismi, graeco-russae communionis, etc. Ecclesia proinde in se quidem una est, licet formae istae a se discrepent, cum haec extrinseca discrepantia haud officiat ecclesiae unitati. 5. Quo pariter sensu, si lubet, ecclesia quoque visibilis est, atque perpetua. 6. Alioquin cum formae istae sint transeuntes et mutabiles, periret profecto ecclesia ipsa. Ergo.

104. Resp. Ad 1. *Neg.* Materialis porro, quam adversarii vocant, fidei formula, seu symbolum determinat mentis conceptus, efficitque ut omnes, qui eam usurpant, idipsum sentiant et dicant. Quod si pro diversa intelligentiae capacitate et gradu alius magis, alius vero minus vim assequatur eorum, quae per formulam profitetur, hoc non officit rei substantiae. Commendabat proinde Apostolus Timotheo, ut *formam haberet sanorum verborum*, quia ex illius defectu magna oritur discrepantia conceptuum et sententiarum.

105. Ad 2. *D.* In iis, quae ordinis naturalis sunt, ac subsunt rationis

officio, *Tr.* vel *C.* in iis, quae divinitus revelata sunt, seu in rebus fidei, cui ratio subjici debet, *N.* Cum Deus loquitur, ejusque revelationis objectum per auctoritatem infallibilem proponitur credendum, ratio ipsa dictat captivandum omnino esse intellectum in obsequium fidei, et ex solo ejusmodi obsequio unitas fidei, ac propterea ecclesiae pendet; alioquin sectae ac divisiones necessario oriuntur.

106. Ad 3. *D.* Si haec unius aut plurium auctoritas humana esset, nec praetergrederetur humani ingenii vires, *Tr.* vel C. si divinitus constituta in hunc finem sit, et infallibilitatis dono sit instructa, *N.* Dum protestantes ita arguunt, ex propriis principiis progrediuntur, quin cogitent falsa haec esse, ut paulo post ostendemus. Quod si infallibilitatis praerogativa a Deo conceditur, profecto aeque Deus ea instruere potest unum ac plures.

107. Ad 4. *D.* Si quas adversarii vocant formas accidentales illae sint, quas homines proprio arbitrio invexerunt, *C.* si intrinsecae ecclesiae constitutioni sint et ex ea profluant, *N.* Libenter admittimus formas graecanicam, graeco-russicam, anglicanam, protestantem etc., formas plane accidentales esse ab hominum arrogantia ac perduellione superinductas, ac proinde transeuntes prout sunt opera hominum; verum non ita est de forma catholica, siquidem catholicitas inhaeret ipsi ecclesiae a Christo institutae, nec unquam ab ea abesse potest, quin pereat ecclesia ipsa; haec proprietas inseparabilis est. Quapropter jubemur credere sanctam ecclesiam *catholicam*. Quod si haec catholica ecclesia *romanae* nomen adepta est, ideo id contigit, quia summus pontifex, Petri in primatu successor, ac proinde ecclesiae catholicae centrum, romanus episcopus est. Quapropter ecclesiae omnes, quae communicant cum hoc centro communi, *ecclesiae romanae* denominatione fruuntur. Tum etiam hoc nomen invaluit ad secernendam unice veram catholicam ecclesiam ab illis symmystis, quae dum abhorrent ab ecclesia catholica eamque odio habent, nihilominus se *catholicam* ecclesiam vocare affectant. Hinc ecclesia *catholica graeco-russa*, ecclesia *catholica anglicana*, quae eo sensu tantum vocari possunt catholicae, quo Scipio *Africanus* nuncupatus est.

108. Ad 5. *Neg.* Etenim ecclesia Christi sine illarum sectarum subsidio tum visibilis, tum catholica est atque perpetua.

109. Ad 6. *D.* Formae fictitiae sectarum omnium, *C.* proprietates intrinsecae et constitutivae ecclesiae a Christo institutae, *N.* Certe formae haereticorum et schismaticorum sunt plane accidentales et transeuntes, uti paulo ante diximus. Ecclesia lutherana induit non ita pridem formam *evangelicam*, nunc induet *hegelianam*, et ita porro.

ARTICULUS II.

DE NOTIS VERAE ECCLESIAE.

110. *Notae* in eo distinguuntur a proprietatibus, quod istae intimae sint ac essentiales, notae externa sint indicia ad illam ecclesiam cognoscendam, quae praedictis ac vindicatis proprietatibus gaudet. Hinc notae non

ad arbitrium confingendae sunt, sed debent oriri ac efflorescere ex ipsa rei natura et constitutione. Hae proinde aliae non sunt nisi *unitas*, *sanctitas*, *catholicitas* et *apostolicitas;* si quae aliae praeterea numerantur, ad eas revocantur aut in illis includuntur. Istae praeterea notae ita inter se connexae sunt, ut una ex altera dimanet, et omnes aut nullae habeantur, quia exhibent naturam ecclesiae, cujus notae sunt. Animadvertendum autem est tres posteriores pendere ab unitate, unitatem vero non esse confundendam cum *unione* materiali; sed ut unitas vere sit, necesse omnino est ut et ipsa pendeat a suo principio, a quo constituitur, quod aliud non est nisi *auctoritas.* His praemissis sit

PROPOSITIO.

Notae verae ecclesiae sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.

111. Ex dictis notae in re, de qua agimus, sunt externa indicia illarum proprietatum, quibus vera Christi ecclesia praedita est una cum principio, ex quo illae profluunt atque existunt. Cum vero proprietates essentiales verae Christi ecclesiae, ex demonstratis, sint unitas, visibilitas ac perpetuitas, jure merito infertur notas, quibus illae patefiunt ac propterea quibus vera Christi ecclesia internoscitur, esse debere externam unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem.

112. Jam vero unitas externa et *formaliter,* id est, cum principio, ex quo ea enascitur, ex duobus constituitur, ex professione videlicet ejusdem fidei, et ex omnium membrorum, quibus ecclesia coalescit, communione; principium autem, ex quo et unitas ejusdem fidei et unitas communionis oriuntur, est auctoritas eaque externa. Ac primo quidem quod attinet ad ejusdem fidei professionem, patet ex Christi verbis [1]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* loquitur porro Christus de universa fide objectiva cujus praedicationem commiserat apostolis; hanc autem fidem debere omnes profiteri declarat Apostolus scribens [2]: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* et iterum [3]: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quod vero spectat ad unitatem communionis seu ut etiam dicitur *caritatis,* nota sunt verba Christi Domini, quibus rogat Patrem suum [4]: *Serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* Immo hunc finem praecipuum esse missionis suae declarat Joannes, scribens propterea morti addicendum Christum, ut *filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* [5] Duo haec complexus est Paulus, dum sic fideles alloquitur: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus . . . donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Principium demum ex quo utraque unitas fidei et communionis pendet esse auctoritatem, exinde constat, quia sine ea nulla ratio suppetit, qua omnes conveniant in eadem fidei professione,

[1]) Marc. ult.
[2]) Rom. X. 10.
[3]) Ephes. IV. 3.
[4]) Joann. XVII.
[5]) Ibid. XI. 52.

aut révocentur ab erronea doctrina, quam quispiam semel imbuerit; idem dic de unitate communionis, quae, spectata humanae naturae conditione, diu consistere nequit sine centro, ad quod radii omnes referantur, uti experientia demonstrat in omni etiam politica societate.

113. Haec autem unitas externa nisi vita praedita sit, non prae se ferret nisi cadaver bene compactum, seu non esset nisi unitas materialis, nec responderet fini, quem Christus in ea constituenda intendit. Porro haec vita ex sanctitate innotescere debet, quae est altera nota verae Christi ecclesiae, et quidem prout se exterius prodit. Haec autem nota ita specifica esse debet verae ecclesiae, ut alteri communioni competere nullatenus possit, adeoque satis non est eam repetere ex capite ejus invisibili, quod est sanctum, ex sanctitate doctrinae, ex sanctitate mediorum, ex sanctitate etiam plurimorum membrorum, quum haec omnia, jure vel injuria, sibi vindicent communiones omnes. Itaque praeter haec omnia fulgere debet haec sanctitas ex jugibus donis extraordinariis, charismatibus, miraculis, quibus Deus exterius manifestat sanctitatem ecclesiae suae. Dixit enim Christus indefinite [6]: *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt.* Item [7]: *Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet;* et alibi passim. Cum vero ad nullum tempus has promissiones restrinxerit Christus, exinde patet dona haec in ecclesia sua jugiter adimpleri. Hoc est veluti divinum testimonium, quo ostendit Deus corpus illud seu societatem, ad quam spectant membra illa, quae his donis insignita sunt, vivere reipsa, ac proinde sanctam esse et cum qua Deus sit. Igitur societas illa, quae sanctos viros gignit, his donis instructos, sola est cui vere nota sanctitatis competat.

114. Rursum: si ecclesia est una, hoc ipso eidem competit catholicitas, quae tertia nota est, quaeque innotescere debet per universalitatem *doctrinae, temporis, et diffusionis.* Etenim quod attinet ad doctrinam, debet ecclesia eamdem semper fidem profiteri; quoad tempus eadem semper esse debet, et eadem ubique esse quoad locum. Alioquin jam non esset una ac universalis seu catholica. De hac nota nos dubitare haud sinunt divina eloquia; Christus siquidem de evangelio suo non semel praedixit praedicandum esse in universo mundo, quod regnum suum sit perduraturum in omnia saecula; nemo porro ignorat regnum Christi in his terris esse ecclesiam suam.

115. Demum si ecclesia una est, visibilis atque perpetua, eidem nota apostolicitatis deesse nequit. Quae nota quidem postulat, ut per nunquam interruptam successionem pastorum suorum ab apostolis perseveret in aetates omnes insequentes. Haec autem successio haberi potest aut per seriem praesulum, qui se invicem exceperint in linea recta, aut saltem ori-

[6]) Marc. ult. [7]) Joann. XIV. 12.

ginem habeat et servet communionem cum iis, qui ab apostolis immediate descenderunt. Ubi haec interrupta fuerit, quacumque de causa, jam deficit necessario ipsa apostolicitas. Hinc solis apostolis eorumque legitimis successoribus Christus praedicare mandavit, cum iis pollicitus est se cunctis diebus esse usque ad consummationem saeculi.

DIFFICULTATES.

116. Obj. 1. Inutili se labore conficiunt catholici, dum nituntur adstruere notas ad cognoscendam ecclesiam jam notam, nisi enim nota jamdiu ecclesia esset, non possent ejusdem notae assignari. 2. In Scripturis porro non alia nota assignatur verae ecclesiae praeter caritatem: *In hoc cognoscent,* inquit Christus, *quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* 3. Sane ad nihil inservit unitas, quae in eadem fidei professione, et communione caritatis consistat, cum, utraque deficiente, unitas adhuc non dissolvatur, ut patet ex novatianis, semipelagianis quoad antiquos, et jansenistis quoad recentiores, qui licet diversam ab ecclesia catholica doctrinam profiterentur, non ideo tamen putati sunt ab ecclesiae corpore separati. Idem de quartodecimanis et acacianis dicatur. 4. Catholicitas pariter non inhaeret necessario ecclesiae, quae ab initio certe fuit *catholica*, id est, universalis, quaeque etiam nunc ita coarctari potest, ut non amplius quam ad unam provinciam pertineat. 5. Sanctitas vero semper aequivoca erit, tum quia Christus nuspiam extraordinaria dona perpetua fore in ecclesia sua promisit, tum quia illa communia etiam scelestis esse non semel praedixit; tum quia denique etiam sectae illa passim sibi tribuunt. 6. Demum ad apostolicitatem satis est tenere doctrinam apostolorum, quin necesse sit ut habeatur successio sive immediata, sive mediata ab apostolis. 7. Cum vero hoc sensu notae recensitae communes esse possint confessionibus, uti vocant, seu societatibus omnibus christianis, consequitur illas prorsus inutiles esse. Ergo.

117. Resp. Ad 1. *D.* Nisi nota jam esset ecclesia quoad suas proprietates essentiales, ex quibus notae necessario profluunt, *C.* absolute, *N.* Itaque in hoc processu prius noscere debemus cujusmodi a Christo instituta ecclesia sit, quibusque proprietatibus instructam esse voluerit, deinde per applicationem indiciorum seu notarum, quae ex illis efflorescunt, debemus inquirere cuinam ex illis omnibus societatibus, quae christianae appellantur, eae proprietates constitutioque conveniant. Ope autem harum notarum veram a spuriis tuto internoscimus. Uti si quis dicat Romam urbem illam esse, quae aedificata est supra septem colles, quamque fluvius intersecat, de urbe in urbem progrediendo, ex illis indiciis quaenam sit illa, quam inquirimus, invenimus.

118. Ad 2. *N.* Ad prob. vero, *D.* Ex mutua dilectione veri ac genuini Christi discipuli cognoscuntur, *C.* discipuli simpliciter, *N.* De dilectione enim disserit Christus in objecto loco prout privata, ut ita loquar, ac domestica virtus est, non autem de essentiali illa, ex qua ecclesiae compago

subsistit, alioquin ad ecclesiam non pertinerent quicumque privatas simultates habent erga alios, quod esset absurdum.

119. Ad 3. *N.* Ad prob. deductam ex novatianis, quartodecimanis, acacianis ac jansenistis, *D.* Istorum defectus in fidei professione et communione non obfuit unitati ecclesiae, quamdiu ab eadem expulsi non sunt nec in coetus separatos coiverunt, *C.* post solemnem expulsionem, haeresisque aut schismatis declarationem, *N.* Duo in his distinguenda sunt tempora et personae; ad tempus isti tolerati sunt resipiscentiae spe, postquam vero contumaciam prodiderunt propriam, separati prorsus ab ecclesia sunt, coeperuntque esse formales haeretici aut schismatici. Cum vero non omnes se in peculiares coetus receperint, sed perrexerint in ecclesia latere, isti coram Deo veri haeretici aut schismatici fuerunt, coram ecclesia autem semper de ejus corpore habiti sunt, uti plures semper extiterunt et adhuc sunt increduli, athei, pyrrhonistae etc., qui sibi nocent, non unitati ecclesiae.

120. Ad 4. *D.* Catholicitas quoad diffusionem materialem, *Tr.* quoad suam notionem formalem, quae in identitate doctrinae consistit et quoad omnia tempora et loca extenditur, *N.* Satis est in mentem revocare, quae circa notionem hujus notae diximus, ut omnis evanescat difficultas.

121. Ad 5. *Neg.* Aliud porro est interdum a pseudo-christis et pseudoprophetis falsa miracula edi, aut etiam ex peculiari Dei providentia vera nonnulla fieri in nonnullis casibus, aliud vero per continuatam saeculorum seriem, ac longe lateque ordinaria ratione signa patrare. Hoc porro donum solius ecclesiae Christi est, ac nulla prorsus secta hoc dono gaudet. Quo sensu nota verae sanctitatis est illius societatis, ad quam sancti ejusmodi spectant. Solum illud intercedit discrimen inter statum ecclesiae primitivae, et ecclesiae insequentium saeculorum, quod tunc communia fuerint et frequentissima signa illa, quia aetatis illius adjuncta id exposcebant, postea vero adjunctis illis cessantibus, rariora evaserunt.

122. Ad 6. vel *N.* vel *D.* Si posset transmitti doctrina sine ejusdem praeconibus, *C.* si alterum ab altero sejungi nequeat, *N.* Successio personarum seu legitimorum pastorum est unica tessera, qua probetur continuatio doctrinae ab apostolis praedicatae; alioquin potuisset deficere magisterium et continuari doctrina, quod fieri non potest, cum ecclesia sit semper jugiter vivens et docens. Eadem latet aequivocatio in eo, quod dicitur de mediata aut immediata ab apostolis successione; si enim intelligatur de illis ecclesiis singularibus, quae processu temporis exortae sunt ac incertae ecclesiae universali, verissimum est sufficere mediatam successionem, secus vero si de iis, quae abruperunt communionem cum legitimis apostolorum successoribus.

123. Ad 7. *Neg.* Si enim rite intelligantur propositae ac vindicatae notae, tales sunt, ut ne una quidem possit sectae cuicumque competere. In sectis siquidem omnibus necessario deest semper unitas cum suo principio, ex quo profluit, ac proinde caeterae, quae ab illa pendent.

ARTICULUS III.

DE PRAEDICTARUM NOTARUM APPLICATIONE.

124. Propositis vindicatisque verae Christi ecclesiae notis, iter nostrum insistentes, inquirendum habemus in quanam societate ex tot, quae christianae ecclesiae sibi nomen usurpant, illae reperiantur. Dicimus porrò eas in sola ecclesia romana inveniri; ex quo legitimè inferimus veluti corollarium, tum illam solam esse veram Christi ecclesiam, sectas tum omnes ab illa divisas falsas ecclesias esse larvatasque christianas societates. Sit igitur

PROPOSITIO.

Recensitae et vindicatae verae Christi ecclesiae notae nonnisi ecclesiae romanae competunt atque competere possunt.

125. Ipsa romanae ecclesiae constitutio recensitas ac vindicatas notas exterius, ut ita dicam, ex se emittit atque patefacit. Etenim ex principio auctoritatis non modo una est unitate fidei atque regiminis, sed necessario exposcit eamdem ab omnibus professionem fidei, subjectionemque legitimis pastoribus, summo praesertim pontifici, ex quo arcta totius corporis compago exsurgit, ita ut ad eam pertinere nemo sibi adblandiri possit, qui ab utraque, aut alterutra desciscat. Ecclesia itaque romana non solum unitatem habet cum suo principio formali seu medio, ex quo progignitur, sed ita habet ex essentiali constitutione sua, ut ea carere nequeat.

126. Jam vero cum ex dictis notae reliquae veluti ex fonte suo sponte ex unitate dimanent, pronum est ex ea inferre in primis sanctitatem, non solum ex sanctitate finis, doctrinae et mediorum, quibus eadem ecclesia utitur ad eam in animis gignendam, augendam, perficiendamque, neque etiam solum ex viris omni sanctimonia praestantissimis, quos jugiter efformat, verum etiam ex donis extraordinariis et charismatibus, quibus non pauca ipsius membra quovis saeculo, et ubique locorum instructa apparent, uti ex certissimis ejus fastis compertum est. Numquam ipsa quempiam in sanctorum album refert, quin prius tum de virtutibus omnibus in summo gradu, quem *heroicitatem* vocant, tum miraculis floruisse non fuerit juridice comprobatum; per singula autem saecula plures ad eum evehit honorem. Quapropter in oculos omnium incurrit sanctitatis nota, qua ecclesia romana, quae sanctos efficit, instructa est.

127. Idem dic de nota catholicitatis, quae in suo involvit conceptu identitatem doctrinae et existentiae respectu temporum et locorum omnium; cum enim romana ecclesia essentialiter una sit, consequitur plane notam catholicitatis ei deesse non posse. Sane eadem ab ortu suo, id est, ab apostolica aetate usque in praesentem diem extitit rom. ecclesia sive quoad universalitatem doctrinae, sive quoad diffusionem suam, sive denique quoad continuationem, ita ut nulla prorsus possit assignari epocha, in qua primum

coeperit, in qua mutaverit doctrinam suam, in qua diversa a se ipsa alicubi fuerit.

128. Apostolicitas pariter adeo est manifesta, ut vel invitissimos animos sua perspicuitate percellat; siquidem ab apostolis, Petro praesertim, originem romana ecclesia habuit, continenti successione ejus pontifices ad nos usque perseverant, cum quibus ecclesiae totius orbis communicarunt atque communicant; per eos doctrina fidei in aetates omnes ab apostolis promanavit, proindeque vera apostolicitatis nota romana fulget ecclesia.

129. Porro hasce notas ita soli romanae ecclesiae competere, ut nulli societati, coetui aut communioni competere possint, eadem facilitate adstruitur. Uti ex singularum ejusmodi communionum genesi apparet, ortae sunt omnes ex separatione ab ecclesia romana, prout liquet ex haereseologia, ita ut uniuscujusque epocha determinari possit. Destitutae propterea ad unam omnes sunt unitate praesertim *formali* seu cum principio ac medio unitatis gignendae aut conservandae, quod in auctoritate consistit. Quam enim auctoritatem sibi tribuere possunt coetus, qui ab auctoritatis fonte secti sunt? Hinc neque eamdem fidei professionem, neque unitatem regiminis habere possunt; quae ratio potissima est, ob quam paulatim dissolutae pleraeque ejusmodi societates sunt, donec evanuerunt. Sic etiam nullam sanctitatis notam sibi arrogare possunt, quae sine fide et caritate concipi nequit; quam enim sibi fidem tribuunt, non est nisi persuasio arbitraria ac subjectiva, omnique regula destituta; multo vero minus signis externis sanctitatis praeditae sunt; nulla proinde est, quae juridicam instituat inquisitionem tum virtutum tum miraculorum, quia esset inutilis labor. De catholicitate non est, quod ultra adjicere debeamus, siquidem omnes ab intrinseco destitutae sunt sectae identitate doctrinae, perdurationis, et diffusionis. Locales singulae sectae sunt et temporales, uti patet ex dictis. Quapropter et apostolicitate necessario carent; nulla in illis successio pastorum reperitur, quae ad apostolos usque assurgat, et ex qua apostolica doctrina propagari debuit.

130. Quod autem diximus de sectis haereticis, dici eodem jure debet de sectis schismaticis, quarum pariter nulla est, ob eadem modo recensita motiva, quae vel una verae Christi ecclesiae nota fruatur, aut frui queat.

DIFFICULTATES.

131. I. Obj. Vere insaniunt Romanenses, dum sibi et quidem solis verae ecclesiae notas tribuunt, cum ne una quidem fruantur. Nam 1. deest *unitas* fidei sive formalis sive materialis, nempe professionis: *formalis* quidem, quia adhuc inter se disceptant circa subjectum auctoritatis, utrum sit rom. pontifex an vero concilium, rursum quaenam sint habenda concilia vere oecumenica; *materialis*, quia plures semper in ecclesia romana extiterunt et extant jansenistae, increduli, indifferentistae, qui eam veluti obruunt. 2. Deest unitas communionis, quia schismaticis *conventionalibus* referta hactenus fuit; 3. et praeterea dissensiones acerbae vigent inter diversas Romanensium scholas, et si quae unitas viget, coactiva est, non persuasionis.

4. Deest nota *sanctitatis*, cum foveant Romanenses corruptelas pene innumeras, ipsorum autem membra, praesulibus et sacerdotibus non exceptis, in omnia vitia effusa sint. 5. Nec ipsis opitulantur Sancti, quos jactant, tum quia plerique ex incerta fama proclamati sunt, tum quia miracula, quibus insequentes pontifices innixi sunt ad eorum *canonizationem* celebrandam, dubia sunt et incerta. 6. Nemo demum negaverit innumeros prope abusus apud ecclesiam romanam irrepsisse, quae locum dederunt reformationi Lutheri et caeterorum, qui opus inceptum perfecerunt. 7. Deest *catholicitas:* nam hoc ipso quod ecclesia haec *romana* dicatur, patet coarctatam eam esse apud solos Romanenses, nequit proinde esse universalis. 8. Saltem usque ad saec. XVI. intra solius Europae fines conclusa fuit, nondum altero detecto hemisphaerio. 9. Deest denique *apostolicitas,* cum successio continuata ab apostolis usque ad nos admodum incerta sit; mira siquidem viget varietas in rom. pontificum catalogis, quorum alii abundant, alii deficiunt. 10. Plures itidem illegitimi regnarunt pontifices simoniaci, intrusi, corruptissimi. Ergo.

132. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *Neg.* iterum. Ac primo quidem numquam defuit ab ecclesia rom. fides *formalis;* controversia si qua viget inter theologos circa subjectum auctoritatis, est prout rom. pontifex et concilium seorsum considerantur; nemo autem inficiatus ex catholicis est auctoritatem eamque infallibilem residere in concilio una cum rom. pontifice, quod nobis in praesentiarum sufficit; idem dic de ecclesia dispersa conjuncta cum rom. praesule.

133. Rursum numquam dubium motum est circa concilia vere oecumenica; si qua dissensio extitit, afficit ea concilia, de quibus incertum est, utrum omnes conditiones requisitas habuerint nec ne.

134. Quoad fidem materialem, quam vocant, seu eamdem fidei professionem, necessario constanter vigere debuit in rom. ecclesia ex ipsa ejusdem constitutione. Qui vero privatim diversam fidem profitentur, ab ea, quam ecclesia tenendam proponit, aut etiam omnem abjiciunt, uti increduli et indifferentistae, sibi solis nocent, qui desciscunt a regula. Regula viget intacta, quemadmodum viget regula morum illaesa, etsi plures homicidiis, fornicationibus, perjuriis se commaculent. Itaque recensitae classes, seu potius individua in ecclesia quidem sunt quatenus coetus separatos non constituunt, sed non sunt de ecclesia, quia haec eos ut suos non agnoscit, immo a se repellit.

135. Ad 2. *D.* Id est, nonnulli extiterunt contumaces schismatici *conventionales* ab ecclesia separati, *C.* ad ecclesiam spectantes, *N.* Sane quoties istiusmodi homines poenitentia ducti mori voluerunt in ecclesiae unitate, se subjecerunt legitimis pastoribus, et schisma ejurarunt, uti ex innumeris prope exemplis luculenter constat.

136. Ad 3. *D.* Dissensiones viguerunt aut adhuc vigent inter diversas catholicorum scholas in accidentalibus et nondum ab ecclesia definitis, *C.* in essentialibus ac definitis, *N.* Alioquin jam catholici non essent. Falsum porro est, quod adjicitur, unitatem coactivam potius quam persuasionis esse;

nemo enim teneret veritates ab ecclesia definitas uti fidei dogmata, nisi persuasus esset de infallibili ecclesiae auctoritate. Ecclesia solum animadvertit poenis suis in perturbatores, scandala et dissensiones serentes.

137. Ad 4. *Neg.* Provocamus autem fidenter adversarios, ut ostendant certis documentis ecclesiam romanam quamlibet vel minimam unquam corruptelam fovisse. Aliud est asserere, aliud probare. Quod si aliquot aut plura etiam ejusdem ecclesiae membra vitiis personalibus scatent, ut hoc adversariis liberaliter demus, sunt illae totidem infractiones legis et eo deteriores, quo magis ab eorum, qui legem violant, dignitate abhorrent, et nihil amplius. Nescio an protestantes, et ii etiam qui ministri apud eos audiunt, immunes a vitiis sint. Ipsi melius noverunt. Dum haec objiciunt, oculos avertunt a tot praeclaris hominibus, qui honorant statum suum.

138. Ad 5. *N.* Ad prob. autem, *D.* Non eodem rigore semper usa est ecclesia in causis sanctorum expendendis quo nunc utitur, *Tr.* vel *C.* absque delectu et sufficienti fundamento, *N.* Primis utique saeculis non iisdem formis juridicis ecclesia usa est, ast remotissima documenta ostendunt non sine praevio examine ab episcopis probatum fuisse sancti cujusvis cultum, uti ostendit Benedictus XIV. in op. *De Beatif. et Canonizat. Sanct.* lib. I. Nonnullorum episcoporum facilitas in causa fuit, quare apostolica sedes ad se revocaverit hoc negotium. Major autem, quae nunc obtinet severitas, in laudem cedit ejusdem ecclesiae, quae sanctos gignit, de quorum eximia virtute et miraculis constat per examen, cui nullum comparari potest.

139. Ad 6. *D.* Irrepserunt abusus in ecclesiam ex parte privatorum, *C.* ex parte ecclesiae ipsius, *N.* Hos enim abusus ecclesia constanter improbavit, eique propterea adscribi nullo modo possunt. Reformatio porro Lutheri ejusque asseclarum non fuit nisi congeries impietatum ac scelerum, quae viam aperuit non minus fidei extinctioni quam morum dissolutioni, prout universa protestantismi historia patefacit. Ipsi domum incenderunt ad eam a sordibus purgandam.

140. Ad 7. *D.* Si ecclesiae romanae nomine sola ecclesia intelligatur, quam per se regit rom. pontifex, *C.* si intelligatur ecclesiarum omnium collectio, quae subduntur rom. pontifici et cum eodem communicant, *N.* Detecta porro misera hac aequivocatione, ruit confectum inde argumentum.

141. Ad 8. *N.* Sed romana ecclesia in sensu nuper exposito extra Europae fines se protendit, in universum nempe mundum cognitum, quamvis non ubique uti in Europa dominaretur. Absurdum autem est contendere catholicitatem pendere ex orbis plagis incognitis. Actualis diffusio est pars materialis catholicitatis, formalis a diffusione hac independens est, alioquin ecclesia non fuisset catholica ab ortu suo et per plura saecula. Satis igitur est ad eam constituendam, ut natura sua ad omnia tempora, et omnia loca per suam identitatem ordinata sit.

142. Ad 9. *N.* Nam successio certissima est, catalogi autem pontificum varietas non attingit nisi accidentales et criticas diversitates circa peculiare individuum, mediatum aut immediatum successorem in serie XVIII saecu-

lorum, quae proinde nullius momenti est, et occurrit in omnibus regnis et imperiis longioris alicujus durationis.

143. Ad 10. *D.* Quorum tamen in electione vitium si quod extitit, per ecclesiae universalis recognitionem sanatum est, *C.* secus, *N.* Qui autem non ea, qua par erat, sanctitate pontifices se gesserunt, sibi nocuerunt, non autem ecclesiae, saltem directe. Incolume semper fidei morumque depositum ab illis servatum est.

144. II. Obj. Perperam Romanenses contendunt recensitis notis destitui communiones omnes ab ecclesia romana separatas. 1. Quidquid de aliis sit, protestantismus, ecclesia graeca, et graeco-russa, britannicae praesertim certissime his notis fulgent. 2. Etenim unitatem non solum materialem in symbolicis libris suis habent, sed et formalem cum suo principio: protestantismus Scripturam solam; ecclesia graeca habet praeterea suum patriarcham oecumenicum; graeco-russa sanctam synodum permanentem; britannicae Scripturam et traditionem, nec non hierarchiam sub suo principe et primate, archiepiscopo videlicet cantuariensi. 3. Catholicitatem sibi vindicant per diffusionem in omnes terrae partes, et per identitatem doctrinarum suarum cum doctrina biblica, si de protestantismo sit sermo, ac etiam traditionali, si de caeteris agatur. 4. Sanctitatem nemo, qui vecors non sit, illis denegaverit, cum omnes se a romanae ecclesiae abusibus et superstitionibus purgaverint, quo factum est, ut ecclesiae istae defaccatae omnino sint, et membra sua unaquaeque ad sanctitatem informet, conspicuosque sanctos ediderit; nec charismatibus ac miraculis carent, quae si et ipsi buccinare vellent, ut Romanenses faciunt, iis se in his minime inferiores ostenderent. 5. Apostolicitatem denique ostendunt sin minus ex successione ministrorum, saltem ex conformitate doctrinae, quam singulae profitentur cum doctrina apostolica. Ergo.

145. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. Resp. Eo ipso quod omnes sectae istae sive haereticae sive schismaticae notis verae ecclesiae communitas se esse praetendant, illis pariter destitutas esse. Alioquin plures darentur verae Christi ecclesiae ab invicem dissentientes in gravissimis articulis et ipsa constitutione sua. Quod est absonum et absurdum.

146. Ad 2. *N.* Neutram enim habent; ac primo non habet protestantismus eamdem fidei professionem objectivam, tum quia unaquaeque protestantismi secta sua peculiaria symbola habet, quae a se invicem discrepant; tum quia protestantismus ex sua natura quaevis symbola respuit, et plerique protestantes de facto respuunt juxta principium independentiae individualis circa fidem. Non habet formalem, quia Scriptura est principium, quod sectae haereticae omnes, nulla excepta, ab ipso rei christianae exordio sibi uti regulam assumpserunt sed exponendam privato uniuscujusque sensu, adeoque vel omnibus illarum erroribus saepe contradictoriis favet, vel nulli omnino favet sectae.

147. Sic etiam ecclesia graeca, et ecclesia graeco-russa utraque fidei unitate destitutae sunt. Nam graeca proprie dicta, quamvis praeter Scripturam

traditioni se inhaerere profiteatur, cum tamen utramque pariter sensu privato interpretetur, fit ut id credat quod lubet, non quod reipsa Scripturae et traditio docent, uti patet ex articulis de processione Spiritus Sancti, de purgatorio, primatu rom. pontificis, aliisque ejusmodi. Idem contigit ecclesiae graeco-russae. Cum porro utraque ecclesia supremo capite divinitus instituto careat, infallibili propterea auctoritate careat necesse est; hinc etiam formali fidei unitate, seu medio unitatis constituendae, et conservandae destitutae sunt. Patriarcha oecumenicus constantinopolitanus non est nisi nomen sine re; synodus petropolitana est instrumentum passivum autocratis regnantis, ab ejusque nutu pendet.

148. Ecclesiae britannicae, seu verius ecclesia *anglicana* est institutio *politico-religiosa* perpetuis obnoxia varietatibus, cujus membra nondum conveniunt circa sensum XXXIX articulorum, quos senatus (*parlament* seu *chambres*) uti fidei tesseram ex arbitrio proposuit. Haeccine unitas est?

149. Ad 3. *N.* Omnes enim sectae ab ecclesia romana divisae nationales sunt, nec ultro se porrigunt quam fines regiminis politici, a quo pendent; vices proinde politicas subeunt ejusdem regiminis. Ita ecclesia evangelica est in Borussia, graeco-russa in imperio russiaco, anglicana in imperio britannico, et ita porro; nec ita dominantur, ut non plures semper apud eas reperiantur catholici. Identitas fidei, quam se habere jactant, est opus musivum, quod ex diversis coloribus exsurgit. Protestantes ex Scripturis monstra omnia sibi fingunt; caeterae, quae dicuntur ecclesiae, traditionem perinde ac Scripturam suis placitis accommodant, aut etiam plane rejiciunt.

150. Ad 4. *D.* Purgarunt se omnes ab abusibus inolitis in ecclesia romana per destructionem regulae fidei et morum, *C.* alio sensu, *N.* Nempe rebelles ac perditi homines in omnem licentiam effusi praetexuerunt abusus, ut sibi accommodarent religionem, quae facilior evaderet per abolitionem jejunii, coelibatus, confessionis, necessitatis bonorum operum ad justificationem et ad salutem, dependentiae a legitima auctoritate, plurium sacramentorum, aliorumque fidei articulorum. Eo vero progressa est labente tempore haec defaecatio, ut omnem abjecerint fidem objectivam ac positivam. Foecundae hac ratione fuerunt plurimorum sanctorum, quorum miracula, prudenter sane, non evulgant.

151. Ad 5. *D.* Ecclesiae istae apostolicae sunt sine apostolis, *C.* cum apostolis Christi, *N.* Doctrina profecto transmittitur per publicum, activum et perenne magisterium, quod sine interrupta legitimorum pastorum successione concipi nequit, alioquin mansisset doctrina in charta et in membranis. Caeterum veri istarum sectarum apostoli quoad Graecos et Russos fuerunt Photius et Michael Cerularius, Lutherus et Calvinus cum asseclis quoad protestantes, Henricus cum sua Anna Bolena quoad anglicanos. Nisi ejusmodi homines insurrexissent ad devastandum dominicum gregem, adhuc ignorarentur ejusmodi novae ecclesiae.

CAPUT IV.

DE CHRISTI ECCLESIAE DOTIBUS.

152. Christus ecclesiam suam illis munivit praerogativis, quae necessariae omnino sunt ad finem, quem ipsi commisit, ducendi homines ad aeternam felicitatem, quasque nos *dotes* nuncupamus. Ecclesia siquidem ad exercendum munus suum debet jugiter existere, docere ac regere. Eam propterea Christus instruxit *indefectibilitate* in existendo, *infallibilitate* in docendo, *auctoritate* in regendo. De his singillatim disseremus.

ARTICULUS I.

DE ECCLESIAE INDEFECTIBILITATE.

153. *Indefectibilitatis* nomine eam significamus dotem, qua ecclesia immunis evadit a quacumque in existendo mutatione, et cujus propterea vi in eodem constitutionis suae statu perseverat, quamdiu in his terris militat, videlicet usque ad mundi finem, cum nempe omnium adversariorum suorum victrix in coelis aeternum triumphabit. Permisceri nequit haec ecclesiae praerogativa cum visibilitate, quae invisibilitati opponitur; ejus formalis conceptus consistit in identitate permansionis.

PROPOSITIO.

Christi ecclesia est indefectibilis.

154. Sane ecclesia a Christo instituta est, ut in ea et per eam universi cujusvis aetatis homines possent media obtinere salutis; numquam igitur a statu suo deficere aut ita immutari potest, ut per notas suas agnosci et distingui nequeat. Si enim immutari ac deficere posset, ita ut ipsa tamquam vera Christi ecclesia recognosci nequiret, Christus in ea constituenda finem suum neque assecutus esset, neque assequeretur. Ex quo igitur coepit ecclesia existere, ita perseverare debuit, uti instituta est cum suis omnibus internis proprietatibus et notis externis. Quod quidem consonat illi Christi promissioni: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

155. Huc etiam refertur, quod de ecclesiae constitutione diximus ad instar individui jugiter viventis, ac prae se ferentis imaginem seu praesentiam Christi ipsius in his terris.

156. Demum ex facto ipso id ipsum adstruitur; nulla enim assignari epocha potest, in qua aliter ecclesia esse coeperit, quam a Christo instituta est.

DIFFICULTATES.

157. Obj. 1. Non ita alligata est hominum salus mediis externis, ut illorum defectui suppleri nequeat internis animi dispositionibus. Ruit igitur argumentum, quod ex fine, quem Christus habuit in ecclesiae institutione,

depromunt catholici. 2. Si ecclesia ita deficeret, ut internosci non posset, hoc ipso ineluctabilis esset ignorantia aut error, satis proinde esset hoc in casu animo verae adhaerere ecclesiae. 3. Hunc porro casum, seu hypothesim contingere posse, theoretice et practice facile ostenditur. Patres enim accidere id posse pro certo assumunt, dum affirmant ecclesiam adeo impiorum factionibus obrui posse, ut nuspiam appareat; notum praeterea est s. Hieronymi effatum: *Conclamata est nicaena fides, totus orbis ingemuit et se esse arianum miratus est.* 4. Sane Christus ait [1]: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* et Paulus loquens de Antichristo [2]: *Nisi,* inquit, *venerit discessio primum, et revelatus fuerit filius peccati.* 5. Christi proinde promissiones de indefectibilitate ecclesiae suae necessario imbibunt conditionem, *nisi homines voluntarie a fide et ecclesia defecerint.* Ergo.

158. Resp. Ad 1. *D.* Si media externa in hominum potestate non sint, *C.* si praesto illa habeant, *N.* Si homines voluntarie luci terga vertant, sibi imputare debent, si lumen non videant. Haeretici nolunt veram agnoscere ecclesiam, et confugiunt ad media interna. Hinc negatur hypothesis adversariorum.

159. Ad 2. *D.* Si ita reipsa deficeret, *C.* si nec deficeret unquam nec deficere posset, *N.* Argumentum hoc pariter falsa hypothesi laborat.

160. Ad 3. *N.* Neque enim Patres uspiam id docent, immo contrarium adstruunt, si de universa ecclesia sermo sit, quam soli comparant, inter quos s. Hieronymus; ejus propterea effatum non de ecclesia intelligi potest, sed de patribus ariminensibus, qui astutia et dolo arianorum decepti sunt, dum subscripserunt formulae in specie catholicae, cui deinde haereticum sensum ariani suffecerunt. Certe nemo ingemiscit et miratur se esse quod vult, sed potius immo unice de eo, quod nec est nec esse vult.

161. Ad 4. *D.* Et loquitur Christus in objecto textu de fide viva seu informata caritate, vel etiam de plurimorum defectione, *C.* de fide absoluta ac totali defectione, *N.* Alioquin Antichristus non oppugnaret ecclesiam, quae defecisset. Ex hoc etiam germanus sensus colligitur verborum Apostoli, quae Patres diversimode exponunt, perinde ac verba Christi.

162. Ad 5. *Neg.* Alias enim promissiones Christi essent supervacaneae, si enim tantumdem valerent, ac ecclesia non deficiet, quamdiu homines fidei obtemperabunt, hic esset sensus: non deficiet donec non deficiat. Praeclarum vaticinium! Attamen anglicani oxonienses serio hanc difficultatem proponunt. In hac hypothesi Christus auxilio suo fortiter suaviterque non posset efficere, ut homines in ecclesia persisterent, quod dictu impium est.

[1]) Luc. XVIII. 8. [2]) II. Thess. II. 3.

ARTICULUS II.

DE ECCLESIAE INFALLIBILITATE.

163. Haec dos afficit, ut innuimus, munus quo ecclesia fungitur in docendo. Objectum hujus magisterii sunt res fidei ac morum, nec non quae ad has fidei morumque doctrinas sartas tectasque tuendas referuntur. Adversus hanc ecclesiae infallibilitatem insurrexerunt omnes sectarii, illa enim semel constituta, actum esset de sectis ipsis. Quod vero magis arguit paradoxum sectariorum, est substitutio alterius infallibilitatis, qua singula individua gaudeant; dum igitur denegant infallibilitatem ecclesiae, hanc tot liberaliter concedunt, quot se ecclesiae opponunt. Diximus objectum infallibilitatis esse res fidei et morum, et quae ad eas tuendas referuntur; exinde duplex infallibilitas ecclesiae adstruenda est, absoluta scilicet, et facta dogmatica respiciens, sine hac enim illa inutilis evaderet, uti ostendemus. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Ecclesia infallibilis est in iis omnibus, quae ad fidem moresque pertinent.

164. Ecclesia triplici munere fungitur in rebus fidei et morum, nempe *testis, judicis*, et *magistrae*. Testis quidem in proponendis veritatibus, quas a Christo et apostolis accepit; judicis in dirimendis exortis controversiis; magistrae in instituendis populis sibi commissis vivo ac jugi ministerio suo. Sub triplici hoc respectu infallibilitatem ecclesiae adstruimus ac vindicamus.

165. Hanc infallibilitatem primo postulat missio, quam Christus ecclesiae commisit. Etenim Christus ecclesiam instituit, ut tuto omnes prorsus homines viam salutis doceret, atque ut fidem penes eos inveniret, eam communivit miraculorum dono. Qui interiori Dei gratia praeventi his miraculis permoti crediderunt, crediderunt ecclesiae tanquam divinam missionem ad eos edocendos habenti, atque adeo certi effecti sunt se iis, quae docebantur, assentiendo, nequaquam decipi posse; seu quod idem est: crediderunt ex principio infallibilitatis ecclesiae a Deo tributae ad docendas omnes gentes, ac proinde plena fiducia se committebant ecclesiae magisterio; certi quod in errorem induci non possent, quin deceptio et error in Deum refunderetur, qui credibilitatis motivis ecclesiam instruxit.

166. Porro haec missio duplex jugiter objectum habuit, nempe et eos, quos jam in sinum suum cooptaverat haec ecclesia docens, et eos, qui ex infidelitate ad fidem profitendam per eam advocandi erant. Ad utrumque autem hoc objectum infallibilitate opus est: necessaria est quoad primos, ut in fidei unitate contineantur, ac ne decepti diffluant; quoad secundos, ut tuto credant. Tamdiu igitur haec praerogativa perdurare debuit ac debet in ecclesia, quamdiu et fideles in recta fide continendi sunt, et quamdiu infideles remanent convertendi, scilicet usque in saeculi finem.

167. Hac infallibilitate freta ecclesia ab exordio suo usque in praesens

quotquot moliti sunt insurgere adversus doctrinam a se praedicatam et contumaces in suo sensu permanserunt, expulit e sinu suo, delevit ex censu filiorum suorum, abscidit uti ramos inutiles, ut rivulos venenatos, ne inficerent filios obsequentes doctrinae suae. Jure autem merito ita ecclesia se gessit, posita ejus infallibilitate; injuste, contra, hac destituta; potuisset siquidem errare, dum eos damnavit, qui veritatem sectari potuissent in placitis suis. Hoc porro admitti nequit sine gravi in Christum injuria, qui eam nobis praebuit ut magistram ac ducem, cui auscultare tanquam sibi ipsi teneremur, juxta ea: *Qui vos audit, me audit. Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Baptizate docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*, aliaque ejusmodi; ergo dicendum est ecclesiam infallibilitate pollere, adeoque haereticos et sectarios esse, quotquot ab ecclesia uti tales damnati sunt.

168. Rursum, nisi ecclesia infallibilis esset in docendo, actum omnino esset de quovis fidei articulo, immo et de fide ipsa; siquidem hac infallibilitate sublata, incerti semper haerere deberemus circa quemlibet articulum, num scilicet revelatus sit nec ne, et quo sensu debeat revelatio intelligi. Fides praeterea nullum haberet objectum certum, sed totum consisteret in persuasione subjectiva ac individuali, in qua alter ab altero differt, immo saepe idem a se ipso, prout patet ex omnibus sectis haereticis et ex protestantismo, in quo fides est in perpetuo fluxu ac mutatione. Qui proinde huic duci se committit, relicta ecclesiae auctoritate, necessario fide destitutus est, haeretque in dubio, aut in opinione plus minusve probabili.

169. Igitur nisi admittatur in ecclesia docente infallibilitas, nuncium fidei ipsi esset remittendum, sectae omnes tum antiquiores tum recentiores possent esse verae, quamvis saepius oppositae, atque ideo actum esset de ipsius christianismi veritate. Quae cum impia et absurda sint, restat ut infallibilitas in ecclesia sit agnoscenda et admittenda.

DIFFICULTATES.

170. Obj. 1. Infallibilitas commentum est perniciosum, cum foveat fanatismum, ignorantiam, intolerantiam. 2. Est gratuitum, cum nullo fulciatur biblico testimonio, quae enim adduci solent, e. gr. Matth. XVI: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, vel non agunt nisi de morte, vel de futura resurrectione, vel de existentia ecclesiae adversus persecutorum impetus; sic illud I. Timoth. III. 15. ubi ecclesia vocatur *columna et firmamentum veritatis*, aut debet intelligi de ecclesia quatenus asservat Scripturas, quae nos docent veritatem, aut de ecclesia particulari ephesina, cui nemo certe infallibilitatem tribuit. 3. Est commentum purum, nunquam siquidem Christus aut apostoli fidem ad materiales formulas redegerunt, qui potius non semel libertatem, spiritum libertatis, commendarunt. 4. Est commentum evertens animorum unitatem et pacem, siquidem ex eo factum est, ut discordiae sererentur inter catholicos et haereticos, bella, jurgia, divisiones

innumerae. 5. Ecclesiam constituit supra Scripturas, quia non quod Scripturae docent, sed quod docet ecclesia, esset tenendum, juxta sensum quem illis ecclesia affingit, minime vero juxta illum quem Scripturae reipsa habent. 6. Evertit ipsam ecclesiae immo et religionis ipsius substantiam, quae in caritate Dei et proximi tota consistit. 7. Est contra factum, cum exploratum sit, saepe ecclesiam damnasse uti fidei contrarium, quod postea uti dogma sanxit, ut patet ex collatione concilii nicaeni II. et francofordiensis in ordine ad imaginum cultum. 8. Quod si controversiae circa fidem oriantur, amica transactione communique concilio dirimi possunt, aut etiam quod constitutum sic per transactionem est, communiri principum sanctione, ne publica pax perturbetur, et interea quisque dimitti potest, ut quod sibi videbitur, quisque sentiat. Ergo.

171. Resp. Ad 1. *N.* Etenim in primis non fovet infallibilitas fanatismum, alioquin Christus et apostoli utpote infallibiles in tradenda evangelica doctrina fanatismum fovissent, omnis fides hac in hypothesi abjicienda esset; itaque fovet humilitatem. Non fovet deinde ignorantiam, quia potest homo se exercere in iis, quae de fide constituta sunt, inquirere in eorum fundamenta, ea evolvere prout res subjectae patiuntur; itaque fovet scientiam potius, ut experimentum omnium saeculorum patefacit. Non fovet denique intolerantiam, nempe civilem et politicam, cum nihil habeat commune intolerantia civilis cum fidei definitione; et aliunde, uti ex experientia constat, magis intolerantes sint acatholici, qui non admittunt infallibilitatem ecclesiae, quam catholici. Haeretici inter catholicos pace fruuntur et politicis omnibus emolumentis, catholici omnibus vexationibus plerumque obnoxii sunt degentes inter haereticos et schismaticos. Intolerantia theologica seu religiosa in sua notione non dicit nisi negationem indifferentismi, quem vocant, et exclusionem erroris a veritate; alioquin idem sub eodem respectu posset esse verum et falsum, quod implicat.

172. Ad 2. *N.* Inficiamur praeterea verbis illis *et portae inferi,* significari aut mortem, aut infernum, uti nonnulli recentiores protestantes philologi somniarunt; sed significari dicimus cum universa antiquitate, cui adstipulantur etiam interpretes protestantes Rosenmüller et Kuinoel cum aliis multis, conatus impietatis et impiorum, haeresis et haereticorum adversus ecclesiam. Sane s. Alexander inter caeteros [1]: *Unam solam,* inquit, *catholicam et apostolicam ecclesiam* confitemur, *quae semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet: victrix autem est omnis impiae factionis haereticorum, qui adversus ipsam consurgunt.* S. Isidorus Pelusiota scribit [2]: *Per inferi portas divinus sermo impiorum vexationes atque haeresum blasphemias intelligit, quibus omnibus obsistens Dei ecclesia, eas quidem frangit et expugnat, ab iis autem vinci non potest.* Demum, caeteris omissis, s. Augustinus: *Ipsa,* inquit [3], *est ecclesia sancta, ecclesia*

[1]) *Epist. de ariana haeresi.*
[2]) Lib. I. ep. 238.
[3]) *Serm.* I. *de Symb.* cap. 6.

una, ecclesia vera, ecclesia catholica, contra omnes haereses pugnans: impugnari potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa: ipsa autem manet in radice sua, in caritate sua. Portae inferi non vincent eam. Quod postremo loco adjicitur de existentia sua materiali inter impiorum impetus, absonum est; ad quid inserviret ejusmodi materialis existentia, si errorum ipsa esset seminarium et falsae doctrinae?

173. Quod vero attinet ad illud Apostoli: *Ecclesia est columna* etc., si non foret columna veritatis, nisi quatenus armarium esset bibliorum, omnes librariorum officinae totidem essent columnae et firmamenta veritatis. De sola porro seu peculiari ephesina ecclesia intelligi non posse Apostoli verba patet ex ipsa phrasi: *Ecclesia Dei vivi*, qua ipse utitur; ecclesia enim Dei vivi est ecclesia una, universalis, catholica, quae coalescit ex ecclesiis omnibus particularibus sub uno capite. Alioquin ecclesia multiplex esset, prout reipsa sunt coetus haereticorum et protestantium, qui variant pro diversitate regionum et principum, quibus subsunt; quod est absurdum.

174. Ad 3. *N.* Siquidem et Christus et apostoli reipsa doctrinam nobis exhibuerunt fidei sub certis formulis. Christus alloquens caecum natum dixit ei [4]: *Credis in filium Dei?* et eunuchus fidem *formulariam*, ut vocant adversarii, edidit ad obtinendum Baptismum dicens [5]: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Apostolus Timotheo eam commendat illis verbis [6]: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide.* Symbolum apostolicum exinde prodiit quo instruebantur catechumeni; deinde exigente necessitate ob novas semper exsurgentes haereses, novae semper formulae editae sunt, donec amplior et in concilio nicaeno et constantinopolitano I. fuit promulgata. Quod vero dicitur de spiritu libertatis, ad legem mosaicam refertur, quae quoad partem ritualem et judicialem abolita est, et ab ejus jugo christiani liberati sunt.

175. Ad 4. *N.* Immo vero, si quid est, quod conferat ad animorum unitatem, certe est principium auctoritatis. Ut enim constat ex haeresum indole, istae divisionem necessario pariunt, caeteris enim haeresibus omissis, luculenter id evincunt innumerae prope sectae, quae tamquam locustae ex protestantismo ortae sunt. Nonnisi perduelles et contumaces, qui auctoritati legitimae incredibili superbia resistunt, conqueruntur de divisione animorum, quia nempe ipsi nolunt se subjicere. Sibi propterea solis debent in acceptis referre bella, jurgia contentionesque.

176. Ad 5. *N.* Eadem ratione, qua judices legis interpretes ad lites dirimendas circa legis sensum exortas non sunt supra legem. Si privata individua juxta spiritum suum privatum, prout omnes haeretici faciunt, Scripturam interpretarentur, utique sensus, quem ei tribuunt, esset sensus Scripturae confictus eique appositus; si legitimi interpretes ad id delegati

[4]) Joann. IX.
[5]) Act. VIII. 37.
[6]) II. Timoth. IV. 13.

ab ipso legislatore sensum declarent, is sensus non est affictus legi, sed ejus germanus ac legitimus sensus censendus est. Talis autem est ecclesia a Christo ipso instituta custos et interpres doctrinae suae.

177. Ad 6. *Neg.* Immo vero mirifice caritatem Dei et proximi confirmat dogmatica ac infallibilis ecclesiae definitio, cum lites per eam dirimantur, et animi ad unitatem componantur. Quaenam porro caritas fingi potest in eo systemate, in quo liberi homines ab obsequio Deo debito evaderent? Quaenam caritas proximi haberi potest in eo, quod homines vagari in errores omnigenos relinquerentur? Talis est idea substantiae religionis, quam sibi cudunt vel fingunt haeretici, nempe quod substantia haec consistat unice in apostasia et infidelitate. Caeterum substantia religionis non in sola caritate, sed praeterea in fide consistit, sine qua vera caritas haberi nequit.

178. Ad 7. *N.* Nec ullum exemplum proferri potest ab adversariis, quo ostendatur ecclesiam toto XVIII saeculorum tractu definitionem emisisse, quae alteri prius latae opponeretur. Quod objiciunt ex contradictione concilii francofordiensis cum concilio nicaeno II., non est nisi apparens, siquidem patres francofordienses conveniebant cum concilio II. nicaeno et cum universa ecclesia circa imaginum cultum; ast errore facti decepti erant ex defectu sincerae versionis actorum illius concilii circa modum, quo talis cultus esset deferendus. Exinde patet mala adversariorum fides, dum ejusmodi contradictionem in ecclesiae dogmaticis decretis confingunt.

179. Ad 8. *N.* Transactiones fiunt de rebus propriis, non autem de bonis aliorum. Ecclesia domina non est veritatum, quas a Deo in depositum habuit, adeoque cum errore numquam transigere potest neque cum haereticis. Si isti nolunt acquiescere suis definitionibus, e sinu suo eos rejicit, uti constanter se gessit. Has transactiones relinquimus protestantibus, qui cum nullam fidem habeant aut habere possint, ex suo principio possunt facillime invicem cedere ex erroribus, quos sectantur, uti factum est in constructione novae ecclesiae evangelicae ex cessione lutheranorum et calvinistarum, quae vere per principis sanctionem munita est. Christus non principes, sed ecclesiam suam magistram infallibilem et controversiarum fidei judicem constituit. Verissimum porro est quemquam dimitti in protestantium coetibus, ut interius sentiat quid velit, siquidem ridiculum est interiorem fidem pendere a principum arbitrio.

PROPOSITIO II.

Ecclesia infallibilis pariter est in factis dogmaticis decernendis.

180. Factum dogmaticum dicitur doctrina in sensu auctoris accepta in ordine ad ejusdem doctrinae orthodoxiam aut heterodoxiam. Sensus auctoris est sensus objectivus, quem scilicet prae se fert indoles auctoris, nec non scopus, et orationis series. Itaque *factum* est sensus objectivus scriptoris; *dogmaticum* dicitur propter habitudinem quam ejusmodi sensus habet relate ad fidem, cui consonus vel absonus est. Ut haec exemplo declaremus: haec

propositio. *fides justificat,* in scriptis Lutheri est haeretica, quia ejus sensus juxta indolem, scopum, orationis seriem Lutheri est: *fides sola formaliter justificat;* in scriptis auctoris catholici est orthodoxa, quia juxta analogiam fidei sensus hic esset: *fides una cum reliquis ad id necessariis dispositive justificat.* Patet proinde orthodoxiam aut heterodoxiam alicujus propositionis pendere ex sensu auctoris, seu in facto fundari, cum quo jus est inseparabiliter connexum. Definitio ecclesiae non cadit directe in factum, quod spectatur uti praeambulum certum et cognitum ope historiae vel critices; sed cadit directe in jus, quatenus innititur illi facto. Hinc definiri potest factum dogmaticum *factum ex quo pendet jus,* aut etiam *jus in facto fundatum.*

181. Janseniani omnium primi, duce Arnaldo factionis coryphaeo, ut se subducerent a damnatione quinque propositionum Jansenii, coeperunt distinguere inter *jus* et *factum.* Jansenii idcirco propositiones in se spectatas haereticas esse professi sunt, sed negarunt aut tales propositiones reperiri in op. Jansenii inscripto *Augustinus,* aut saltem haereticas esse in sensu Jansenii, circa quod factum nonnisi obsequiosum silentium adhibendum esse autumarunt.

182. Jam vero infallibilem ecclesiam esse in decernendis factis dogmaticis, ita ostendimus: Christus non solum ecclesiam *testem* instituit veritatum, quas ipse revelavit, sed eam praeterea dedit uti *judicem,* et *magistram.* Aperta sunt Salvatoris verba [1]: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Qui vos audit, me audit* [2]; item [3]: *Docete omnes gentes;* et ad Petrum dixit: *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas.* Insuper in hac schola informatus Petrus scribebat ad episcopos: *Pascite qui in vobis est gregem Dei;* et apostolus Paulus alloquens pariter episcopos [4]: *Attendite,* inquit, *vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. . . Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate.* Atqui ecclesia neque judicis neque magistrae munus obire posset ejusmodi infallibilitate destituta, siquidem errare posset declarando haereticam doctrinam aliquam quae est catholica, vel e converso nec tenerentur hac in hypothesi fideles suum intellectum subjicere ecclesiae definitioni, aut se illi conformare. Non posset unquam arcere fideles a venenatis pascuis, ita ut isti possent venenum haurire unde sanum se nutrimentum accipere arbitrarentur. Supervacaneum proinde redderetur ejus magisterium ac judicium. In hac praeterea hypothesi posset ecclesia decipi, dum ex scriptis Patrum et Doctorum eruit testimonia ad tutandum catholicum dogma, dum proponit illorum lectionem. Quae omnia absona sunt et contraria fini, quem sibi Christus praestituit in ecclesiae docentis institutione.

183. Quapropter divina adsistentia ac promissionibus sibi factis ecclesia

[1]) Matth. XXVIII. 17.
[2]) Luc. X. 16.
[3]) Matth. ult.
[4]) Act. XX.

freta constanter scripta aut propositiones in sensu auctorum vel probavit uti catholica, vel rejecit uti haeretica. Sic in concilio nicaeno damnavit ut impium librum *Thalia* inscriptum, in conc. chalcedonensi uti catholica probavit scripta edita a s. Cyrillo alex. adversus Nestorium, damnavit uti haeretica scripta Nestorii adversus Cyrillum. In concilio constantinopolitano II. seu oecumenico V. damnavit tria capitula Theodori Mopsuesteni, Ibae Edesseni, et Theodoreti, et ita porro. Fideles omnes his judiciis acquieverunt. Ex ipsa igitur agendi ratione patet hanc persuasionem de ecclesiae infallibilitate etiam relate ad dogmatica facta perpetuo obtinuisse.

184. Ergo nisi velimus tum Christum ecclesiam suam mediis idoneis ad munia sibi commissa obeunda destitutam reliquisse, tum ecclesiam ipsam jus sibi indebitum sua agendi ratione usurpasse, fatendum est eam etiam in factis dogmaticis decernendis infallibilitate gaudere, sine qua vel ipsa infallibilitas in rebus fidei et morum, cum semper eludi posset, vix non inutilis redderetur.

DIFFICULTATES.

185. Obj. 1. Factum dogmaticum non continetur in revelatione; ergo non potest esse objectum infallibilitatis. 2. Assecutio mentis aut sensus alicujus auctoris pendet a logica, arte critica, hermeneutica, in quibus certe ecclesia infallibilis non est. 3. Profecto si in factis dogmaticis infallibilis esset ecclesia, novos semper ac novos articulos condere posset, quot nempe sunt dogmatica facta. 4. Quum proinde definitio facti dogmatici credi non possit fide divina ac theologica, restat ut admittatur fides humana, quae numquam caret errandi formidine. 5. Nova praeterea haec doctrina est, quam veteres pontifices romani ignoraverunt, uti s. Leo, Pelagius II., Gregorius M., qui apprime distinguentes inter fidem et factum, in fide quidem declararunt ecclesiam infallibilem esse, in facto autem non item. 6. Hac de causa non coëgerunt reluctantes se subjicere decretis concilii V. in damnatione scriptorum Theodori, Ibae ac Theodoreti. 7. Cardinales Bellarminus et Baronius censuerunt errasse concilium VI. in damnando Honorio ejusque scriptis veluti labe haeretica infectis, hac praecise de causa, quod in his factis ecclesia infallibilis haud sit. Ergo.

186. Resp. Ad 1. *D.* Factum *materiale* prout praebet fundamentum juri, *C.* factum *formale* prout est cum jure connexum, *N.* Fatemur factum e. gr. Jansenii, quod haec vel illa scripserit et sensum ejus subjectivum aut etiam objectivum non contineri in revelatione, neque de hoc est disceptatio; ast factum formale, seu prout dogmaticum est, id est, orthodoxiam vel heterodoxiam alicujus doctrinae non contineri in revelatione falsum omnino est. Continetur enim sive directe sive indirecte: directe si agatur de fide orthodoxa, indirecte si de heterodoxa, continetur enim ejus doctrina contradictoria. Porro ecclesia, quatenus est magistra et controversiarum judex, infallibilitate pollet in decernenda orthodoxia vel heterodoxia alicujus doctrinae, quam exhibet auctor per scopum, orationis seriem, per loca parallela, aliaque ejusmodi.

187. Ad 2. *D.* Et hac proinde de causa haec omnia diximus praeambula esse ac praeliminaria judicii, quod fert ecclesia, *C.* in haec cadere docemus infallibile judicium ecclesiae, *N.* Diximus enim definitionem infallibilem ecclesiae cadere praecise in jus, quod facto illi praeliminari innititur et a quo jus pendet.

188. Ad 3. *D.* Id est, toties per collationem aut applicationem doctrinae catholicae ad scripta vel propositiones auctorum judicat haec scripta vel has propositiones consentire cum doctrina catholica vel ab ea dissentire, *C.* novos emittit articulos fidei, *N.* Nec enim permisceri inter se debent judicia dogmatica de orthodoxia vel heterodoxia scriptorum vel propositionum alicujus auctoris cum articulis fidei proprie dictis, cum illa sine istis consistere possint.

189. Ad 4. *N.* In sensu siquidem exposito, vere fide divina ac theologica credendum est, doctrinam uti catholicam vel haereticam declaratam ab ecclesia in propositionibus auctorum, talem reipsa esse; idque tum ex consonantia vel discrepantia talis doctrinae a doctrina revelata, tum ex infallibilitate ecclesiae in tali judicio ferendo.

190. Ad 5. *D.* Nova est quoad formulam qua designari coepit, *C.* nova est in se, *N.* Ostendimus enim ex intima rei natura, ex officio nempe, quod Christus ecclesiae suae commisit, hanc praerogativam ecclesiae competere, eamque jugiter ecclesiam exercuisse. Nec ullus unquam, si haereticos forsan excipias, hanc dotem ecclesiae denegavit. Ea autem doctrina designari hac formula coepit ac propugnari, postquam jansenistae eam in dubium revocarunt, aut etiam omnino inficiati sunt. Objecti porro romani pontifices distinxerunt inter factum *personale* et fidem, ac fassi sunt ecclesiam in facto mere personali ac subjectivo expendendo non esse infallibilem, quod et nos damus. Id patet ex ipsorum scopo defendendi judicium concilii chalcedonensis circa personas Theodori, Ibae et Theodoreti. Numquam vero inficiati sunt ecclesiam infallibilitate praeditam esse in factis dogmaticis, ut pariter ex eorumdem scopo elucet, defendendi condemnationem scriptorum, quae ab illis edita erant, factam in concilio V.

191. Ad 6. *D.* Id est, tolerarunt ad tempus reluctantes, causa nondum eliquata, *C.* cum omnis dubitatio sublata est circa verum rei illius statum, *N.* Rumor enim per id temporis provincias haud paucas occidentales pervaserat, una cum scriptis, recensitas quoque personas, quas conc. chalcedonense absolverat, fuisse a concilio V. damnatas. In tanta animorum perturbatione prudentissime objecti romani pontifices quadam oeconomia usi sunt, donec major lux affulserit, ne tot provincias ab ecclesia separarent. Re demum satis discussa et eliquata, omnes coëgerunt ad admittendum decretum concilii V. et contumaces, qui permanserant, uti schismaticos habuerunt, ut patet ex schismate aquilejensi, quod nonnisi serius sublatum est.

192. Ad 7. *Neg.* Quandoquidem ambo Cardinales non disseruerunt nisi de facto personali Honorii ac de sensu ejus subjectivo, in quibus profecto, uti diximus, ecclesia infallibilis non est, non autem de facto dogmatico aut

de sensu objectivo Honorii. Cum nondum formula hujus controversiae determinata esset ante jansenistas, hinc mirum esse non debet, si obscuriore ratione locuti fuerint.

ARTICULUS III.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE.

193. *Auctoritatis* voce hic significamus potestatem, quam ecclesia habet fideles regendi in ordine ad disciplinam exteriorem. Complectitur porro haec auctoritas facultatem sanciendi leges disciplinares earumque observationem exigendi. Est proinde in ordine suo *suprema, legislativa et coactiva.* Objectum disciplinae adeoque et legum disciplinarium est, quidquid conferre potest ad fidei defensionem, morumque sanctitatem obtinendam. Hinc exterior Dei cultus; administratio sacramentorum; politia et correctio cleri; divisio particularium dioeceseon; recta dispensatio ecclesiasticorum bonorum; regula morum in ordine ad Deum, proximum ac semetipsos, aliaque ejusmodi totidem objecta sunt legislativae, coactivae ac supremae potestatis, quam habet ecclesia a Christo.

194. Protestantes, qui excutientes ecclesiae jugum inciderunt sub jugum principum saecularium, ad hos detulerunt totam disciplinae exterioris moderationem et potestatem per identitatem ecclesiae et status. Anglicani illorum principium adoptarunt et in praxim deduxerunt, non aliam potestatem seu caput ecclesiae agnoscentes nisi regem aut reginam. Pistorienses ac neoterici non pauci aulici scriptores veriti non sunt illorum pariter vestigia premere.

195. Catholici autem nonnisi ecclesiae praesidibus ex Christi institutione ejusmodi auctoritatem competere propugnant. Sane Pius VI. in Constit. dogmatica Auctorem fidei propositionem IV. synodi pistoriensis affirmantem: *Abusum fore auctoritatis ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per eam exigendo id, quod pendet a persuasione et corde; tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis. Quatenus indeterminate illis verbis extendendo ad res exteriores notet velut abusum auctoritatis ecclesiae usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsi apostoli in disciplina constituenda et sancienda,* damnavit uti *haereticam; qua parte vero insinuat, ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; quatenus intendat ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi,* proscribit *ut inducentem in systema alias damnatum ut haereticum.* Ex qua censura intelligimus, adversari pseudosynodi pistoriensis doctrinam doctrinae ecclesiae catholicae, quam insequenti propositione propugnandam aggredimur.

PROPOSITIO.

Ecclesia divinitus accepit auctoritatem independentem atque supremam sanciendi per leges exteriorem disciplinam, cogendique fideles ad earum observationem, et coercendi salutaribus poenis devios et contumaces.

196. Tres enunciata propositio continet partes, potestatem nempe qua divinitus pollet ecclesia sanciendi per leges disciplinam exteriorem; ejusmodi potestatem esse in ordine suo supremam ac independentem; denique coactivam esse. Ob arctam tamen, quam inter se necessitudinem habent, per modum unius eas adstruemus.

197. Ex Christi institutione ecclesia est perfecta societas eaque visibilis, constans e superioribus ac subditis, hierarchia et laicis. Jam vero ubi est societas perfecte instituta et quidem constans e superioribus, qui sunt subjectum auctoritatis, et inferioribus, qui sunt objectum auctoritatis, necessario in ea debet inesse potestas legislativa, quae vim habeat ea constituendi, quae ad bonum ejusdem societatis regimen conferunt, cogendique ad obedientiam membra ejusdem societatis. Praeterea si haec societas sui generis sit, nempe supernaturalis ac divinae originis, debet hanc potestatem habere ex se, seu supremam ac independentem. Talis porro ex hactenus vindicatis est ecclesia; ergo ecclesia vi suae institutionis pollet potestate leges ferendi, quae habeant pro objecto res disciplinares, seu bonum regimen societatis ejusdem, eaque in ordine suo suprema ac independente.

198. Huc proinde referuntur verba Christi: *Qui vos audit, me audit. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* aliaque ejusmodi, quae patefaciunt auctoritatem quam Christus contulit apostolis in bonum ecclesiae suae, adeoque et eorum successoribus.

199. Sane apostoli hac potestate usi sunt sive dum in communi statuerunt fidelibus abstinendum a sanguine et suffocato [1]; sive in particulari Petrus, dum perlustravit ecclesias universas, in eis profecto statuens aut corrigens pro opportunitate, quae ad earum profectum conferebant. Item apostolus Paulus, dum scripsit Tito: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae . . . ut ea, quae desunt, corrigas;* et cum ea, quae ad legitimam conjugiorum celebrationem pertinent [2], et modum, quo agendae essent sacrae synaxes, determinavit adjiciens [3]: *Caetera, cum venero, disponam.* Denique ad eosdem Corinthios scribit [4]: *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in destructionem, non erubescam,* ut alia ejusmodi praeteream.

200. Exinde factum est, ut apostolorum successores in conciliis habitis tribus prioribus saeculis, seu antequam ulli principes christiani essent, con-

[1]) Act. XV.
[2]) I. Cor. VII.
[3]) I. Cor. XI. 34.
[4]) II. Cor. XIII.

diderint canones disciplinares circa festos dies celebrandos, circa jejunia frequentanda, circa ministrorum ecclesiae electionem, et clericorum vivendi rationem, circa conjugia aliaque pene innumera, sanctiones opportunas adjicientes, ut patet ex collatione conciliorum.

201. Postquam vero Constantinus dedit ecclesiae pacem et imperatores christiani effecti sunt, Patres eos admonuerunt, ne se ingererent rebus ecclesiasticis, quas solis episcopis Christus commiserat. Inter caeteros Hosius cordubensis ita ad imperatorem Constantium scribebat [5]: *Ne te rebus misceas ecclesiasticis: neu nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias: Reddite, scriptum est, quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo.* Sic etiam s. Ambrosius alloquebatur Valentinianum imperatorem: *Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere ... ad imperatorem palatia pertinent, ad nos ecclesiae;* et ita porro Patres reliqui.

202. Contraria vero doctrina provenit ex praepostero protestantium principio eoque duplici: altero de identitate status et ecclesiae, quo ecclesiae politicae, regionariae ac locales fiunt; altero de forma democratica data juxta ipsos a Christo ecclesiae suae. Cum vero ambo ex dictis falsa et absurda sint, exinde patet veritas catholicae doctrinae.

DIFFICULTATES.

203. Obj. 1. Perperam innituntur catholici agendi rationi apostolorum ac trium priorum ecclesiae saeculorum: quae enim ab illis constituta sunt, pro objecto habent essentialia religionis. 2. Nec enim poterant apostoli eorumque successores sibi tribuere, quod contra Christi mentem fuit, qui professus est se non venisse legem solvere, sed adimplere; lex porro vetus utramque conjungebat auctoritatem politicam et sacram, utpote theocratica. 3. Apostolus propterea non solum praecipit subjectionem *sublimioribus* potestatibus [6]; sed insuper, 4. suo exemplo id confirmavit, dum ad caesarem appellavit. 5. Idque patet ex intima rei ipsius inspectione; nam res disciplinares externae afficiunt publicum bonum, pacem, tranquillitatemque civium, quos moderari debent politici principes. 6. Quod probe intelligentes, antiqui Patres sanctiones conciliorum subjecerunt imperatorum ac principum confirmationi, ut vim sortirentur obligandi. 7. Imperator Constantinus se *episcopum exteriorem* vocabat. 8. Tum ipse tum insequentes imperatores christiani plura statuerunt spectantia ad exteriorem ecclesiasticam disciplinam, cujus rei testes locupletissimi sunt codices theodosianus et justinianeus. 9. Hoc exemplum secuti sunt reges Gothi,

[5]) Apud s. Athanas, in *Hist. Arian.* num. 44.

[6]) Rom. XII.

Francici, Longobardi, ut pariter constat ex superstitibus eorum codicibus. 10. Quamvis itaque daretur ecclesiam aliqua hac in parte auctoritate pollere, numquam haec erit suprema et independens, multo vero minus coactiva, utpote odiosa et aliena ab indole pacifica ecclesiae. Ergo.

204. Resp. Ad 1. *N.* Uti patet ex adductis exemplis de ratione celebrandi synaxes, conveniendi in ecclesiam, de festis diebus, jejuniis, de jungendis connubiis, de coelibatu ecclesiastico, de oblationibus ad altare, aliisque ejusmodi sexcentis, de quibus tum apostoli tum concilia priorum trium saeculorum plura constituerunt: haec porro spectare ad essentialia religionis, aut esse cum illis necessario connexa, nemo sanus dixerit.

205. Ad 2. *D.* Christus professus est se non venisse legem solvere sed adimplere moralem et figurativam seu typicam, *C.* judicialem et ritualem, *N.* Negamus praeterea utramque potestatem religiosam ac politicam coaluisse in principibus judaeorum; siquidem res religiosae ex mosaica constitutione concreditae erant exclusive solis sacerdotibus, politicae vero reservatae erant imperantibus, nisi excipias casum accidentalem, in quo sacerdotes ipsi judices aut imperantes essent, ut contigit Samueli ac Machabaeis. Ast hic casus aperta fronte adversatur adversariorum theoriae. Caeterum cum Christus novam instituerit societatem seu ecclesiam suam, cui novam dedit constitutionem, dum illius regimen solis apostolis commisit, nullum evadit argumentum, quod ex analogia veteris regiminis instituitur.

206. Ad 3. *D.* Apostolus praecipit subjectionem potestatibus *sublimioribus* in iis, quae politicae auctoritatis sunt, *C.* in iis, quae sunt auctoritatis ecclesiasticae et habent pro objecto res spirituales, aut quae ad spiritualia referuntur, *N.* Alioquin ipsemet res disciplinares disponens sine dependentia a Caligula et Nerone principium hoc suum violasset. Vocavit autem potestates politicas *sublimiores,* seu potius, ut fert graecus textus, *valde sublimes* in ordine suo, non vero relative ad ecclesiam.

207. Ad 4. *D.* Appellavit ad caesarem ob impactum sibi seditionis crimen adeoque politicum, *C.* ob negotium ecclesiasticum, *N.*

208. Ad 5. *D.* Res disciplinares externae habent pro objecto bonum spirituale et homines afficiunt, prout sunt fideles seu christiani, *C.* bonum politicum et afficiunt homines, prout sunt cives, *N.* Non omnis humana actio ex eo, quod sit exterior, efficitur objectum politici regiminis, alioquin omnes prorsus actus externi, cujusmodi esset traditio doctrinae, administratio sacramentorum, immo et sacramenta ipsa subderentur potestati civili, quod nec adversarii contendunt, et esset absurdum. Hinc quemadmodum ecclesia a statu distinguitur, sic actiones, quas homo exhibet tanquam ecclesiae filius, ab illis optime distinguuntur, quas idem tamquam societatis membrum exercet. Exhibent eas ut filii ecclesiae, quae ab ecclesia constitutae sunt et habent objectum spirituale, exhibent ut cives et membra societatis, quae institutae sunt a regimine politico et habent pro objecto temporale seu politicum societatis bonum. Si quae vero materiae mixtae sunt, fieri possunt conventiones

inter ecclesiam et statum, ut pax quiesque promoveantur et conserventur, prout passim factum est. Sic possunt principes bono civium et tranquillitati prospicere.

209. Ad 6. *D.* Subjecerunt Patres conciliorum sanctiones confirmationi extrinsecae, *C.* intrinsecae, *N.* Cum ecclesia in iis, quae ad disciplinam pertinent, ex Christi institutione vere *autonoma* sit, ipsius leges omnem obligandi vim ex ipsa mutuantur, neque intrinsecus iis valor aut robur adjici potest; sed cum plures saepe inveniantur perversi fideles, inobedientes, contumaces, qui magis timent poenas corporales quam spirituales, magis homines quam Deum, ideo Patres a principibus exquisierunt tutamen, praesidium, protectionem externam, quibus practica earumdem legum observatio etiam ab istiusmodi haud bene comparatis hominibus obtineretur. Sane ipsi Patres leges a se in conciliis constitutas communiverunt propria sanctione, ac anathemate et excommunicatione adversus transgressores.

210. Ad 7. *D.* Ad significandum officium boni principis, quod est invigilare executioni ecclesiasticarum sanctionum, ac promovere quantum in ipso erat conversionem infidelium, quasi per jocum illud protulit effatum, *C.* ad arrogandam sibi potestatem aliquam in res spirituales et ecclesiasticas, *N.*

211. Ad 8. *D.* Vel de consensu episcoporum vel ad tutelam sanctionum ecclesiasticarum, *C.* ex se seu auctoritate propria, *subd.* quae vim tamen obligandi non habuerunt nisi ex acceptatione et sanctione ecclesiae, *C.* ante ejusmodi acceptationem et sanctionem, *N.* Sane imperatores christiani non semel in ejusmodi legibus sanciendis aperte professi sunt eas statuere vel rogatu episcoporum, vel ad tutelam custodiamque sacrorum canonum et ad illorum urgendam executionem. Quod si novas aliquas disciplinares constitutiones ediderunt, vel nullam obligandi vim habuerunt, quamdiu eas ecclesia non acceptavit suasque effecit, vel eas ob reluctantiam potestatis ecclesiasticae retractaverunt. Haec omnia allatis documentis ostendunt Thommassinus ac Natalis Alexander praeter alios multos.

212. Ad 9. Eadem esto responsio.

213. Ad 10. *Neg.* sequelam, quae ex falsis praemissis deducitur. Etemim si potestas civilis et politica, prout contendunt adversarii ipsi, est in ordine suo absoluta, suprema et independens, quia habet pro objecto bonum civile et politicum, cur non erit absoluta, suprema et independens potestas ecclesiae, quae habet pro objecto bonum spirituale fidelium, et a Christo praeterea conditore sine ulla a principibus dependentia immediate instituta? Ostendant adversarii Christum ecclesiam suam aliquando subjecisse potestati politicae in rebus fidei aut disciplinae, et causam obtinebunt; quod si hoc praestare nequeunt, desinant indebitae servituti ecclesiae libertatem subjicere. Quod vero postremo loco adjiciunt de potestate coactiva, quae odiosa est atque ab ecclesiae indole abhorrens, non afficit nisi modum ejus in praxim deducendae; modus porro permisceri nullatenus debet cum jure, de quo disserimus. Hic autem modus potest accommodari locorum, temporum ac

personarum adjunctis. prout semper factum ab ecclesia est. Interdum sufficit sanctio spiritualis. interdum vero etiam corporali opus est; cum autem pro fine emendatio delinquentis habeatur, patet eam non repugnare ecclesiae indoli. Certe s. Petrus Ananiam et Saphiram, Paulus incestuosum Corinthium. Hymenaeum et Alexandrum non solis poenis spiritualibus mulctarunt.

214. Inst. 1. Teste Optato [7], *non respublica est in ecclesia, sed ecclesia in republica est.* Ad rempublicam proinde spectat ecclesiasticam disciplinam statuere. aut certe non sine subjectione a republica potest ecclesia leges suas condere. 2. Accedit quod rom. pontifex extra suae temporalis ditionis fines est princeps extraneus. 3. Non semel auctoritate sua abusus est in ejusmodi legibus sanciendis. ad ejusmodi proinde abusum avertendum jure merito vetitum est. quominus ecclesiasticae sanctiones absque *placito regio* admittantur. 4. Eo vel magis quod facile possint ecclesiastica decreta adversari legibus civilibus. aut noxia evadere. ratione habita civilis constitutionis vel usuum aut indolis populorum. Ergo.

215. Resp. Ad 1. *D.* In ordine ad publicam quietem, *C.* in ordine ad mutuam relationem. *N.* Objectum effatum a s. Optato adhibitum est ad significandum non esse imperatoribus maledicendum, uti faciebant donatistae, cum multa bona consequerentur christiani degentes sub imperio romano, quod ipsos tuebatur bellis. legibus, aliisque adminiculis politicae potestatis propriis. Non autem protulit ad significandam relationem reipublicae et ecclesiae. cum perspectum haberet s. Optatus veram religionem anteriorem esse qualibet civili republica. et ecclesiam in sinum suum recepisse cives post abjectam idolorum superstitionem. Se habet ecclesia ad statum, uti se habet anima ad corpus. quod ab ea informatur et regitur. Tantum abest, ut exinde inferri possit potestatis civilis esse sibi subjicere, aut regere ecclesiam in iis. quae ordinis spiritualis sunt. ut debeat potius respublica seu status civilis subjici ecclesiae ab eaque regi.

216. Ad 2. *N.* Tam enim late patet auctoritas spiritualis rom. pontificis, qua late patet ecclesia Christi, cujus regimen a Christo ipsi commissum est. Contraria propositio uti haeretica et schismatica a sacrae inquisitionis congregatione damnata est.

217. Ad 3. *Neg.* ecclesiam, prout ecclesia est, posse aliquando sua auctoritate abuti; si qui abusi sunt, hi alii esse nequeunt, quam particularia individua. Verum hoc omisso, certe adversarii hoc argumentum minime admitterent, si de regimine ageretur politico, ex eo nempe quod interdum regimina politica abusa fuerint aut abuti possint propria auctoritate. illorum leges promulgari nequeant absque *placito ecclesiastico.* Placitum itaque regium est recens inventum, toti incognitum antiquitati, ex protestantismo proveniens, et ab aulicis adoptatum, et inducens servitutem in ecclesiam, secus ac postulet divina ejus institutio; scaturigo et fons est

[7]) Lib. III. *Hist. Donatist.*

innumerorum fere malorum, quae persequi fusius non vacat, cum de re nimis odiosa agatur, et in omnium oculos incurrant.

218. Ad 4. Resp. In ejusmodi casibus obviam rationem patere conciliationis; siquidem nihil prohibet, quominus politica potestas haec incommoda s. Sedi patefaciat, quae pro prudentia et pacis amore, quo pollet, si vera esse deprehenderit, et moderamine seu temperamento in praesentibus adjunctis opus esse viderit, profecto non abnuet per conventionem aliquam ejusmodi exigentiae res accommodare, prout saepius factum est.

SECTIO POSTERIOR.

DE ROMANO PONTIFICE.

219. Ecclesiae catholicae unitas ac vis a romano pontifice, visibili ejus capite, omnino pendent; peculiari proinde ratione de eodem agendum est. Quotquot extra communionem ecclesiae catholicae reperiuntur, conatus omnes in id contulerunt et conferunt ut, si fieri posset, centrum hoc unitatis catholicae penitus tollerent, a quo se premi sentiunt. Labores proinde nostros omnes e converso ad illud propugnandum atque tuendum conferamus necesse est.

220. Quae ad hanc tractationem spectant, revocari facile possunt: 1°. ad Petri primatum; 2°. ad successionem in hoc primatu; 3°. ad hujus primatus naturam; 4°. denique ad ejusdem primatus dotes ac praerogativas. De his proinde singillatim agemus.

CAPUT I.

DE PETRI PRIMATU.

221. *Primatus* nomine significamus praeeminentiam honoris et jurisdictionis in universam visibilem ecclesiam. Ejusmodi primatum Christum instituisse ac peculiari individuo contulisse, alii omnino inficiantur; alii vero instituisse quidem illum Christum fatentur, sed contulisse immediate contendunt ecclesiae ipsi, quae per aliquem a se delectum ipsum exercere potest, seu alicui peculiari individuo tribuere aut etiam de uno in alium transferre. His erroribus totidem opponimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Christus b. Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam ecclesiam contulit, cui propterea eum caput praefecit.

222. Christus b. Petro promisit se eum constituturum fundamentum ecclesiae a se aedificandae, se ei daturum claves ecclesiae suae, et reipsa

universum gregem suum pascendum ac regendum commisit. Ergo Christus Petro contulit primatum super ecclesiam suam, eique ipsum uti caput praefecit.

223. Et ad primum quidem quod attinet, nota sunt Christi verba, Matth. XVI. ubi, cum interrogasset discipulos suos quem se esse dicerent, respondit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es, Simon Barjona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* His porro verbis comparat Christus ecclesiam suam aedificio materiali, et Petrum ejusdem fundamento, cui aedificium superextruitur. Jam vero ita se habet fundamentum ad domum, uti se habet caput ad corpus. Cum igitur Christus Petrum fundamentum ecclesiae suae constituerit, hoc ipso praefecit eum uti caput ecclesiae suae, seu ipsum primatem ecclesiae suae effecit, cum capitis sit corpori praeesse illudque regere, quemadmodum fundamenti est domum sustentare. Rursum: Traditio clavium alicujus domus vel civitatis ex ritu omnium ferme gentium, praesertim vero judaicae, symbolum est et insigne potestatis, quae super domum vel civitatem alicui confertur; cum vero ex adductis verbis Christus Petro promiserit se ei daturum claves ecclesiae suae, hoc ipso plenae, id est, supremae potestatis super ecclesiam suam collationem promisit.

224. Quod autem spectat ad alterum, constat ex Joann. XXI. ubi Christus post trinam a Petro amoris erga se protestationem, dixit: *Pasce agnos meos . . . pasce oves meas;* id est, pasce, seu edoce universum gregem meum, ac rege universum gregem meum, uti fert duplex vis graecae locutionis *βόσκε* et *ποίμαινε*, quibus usus est Christus, et quibus promissionem suam solvit.

225. Exinde videmus in Scripturis Petrum prae caeteris apostolis omnibus distinctum exhiberi. Etenim Christus Luc. XXII. pro Petro speciali modo orationem fecit, ut posset confirmare in fide hos ipsos apostolos, ut ei praecepit; semper primo loco inter apostolos recensetur, etsi primus non fuerit ad apostolatum vocatus; ipse omnium primus dignus effectus est, qui Salvatorem redivivum conspiceret; electionem alterius apostoli, qui sufficeretur Judae proditori, proposuit; omnium primus evangelium judaeis et gentibus praedicavit; primus ex iis fideles in ecclesiam cooptavit; solus invisit universas ecclesias; primus in concilio sententiam dixit, cui caeteri adstipulati sunt; ipsum adivit Paulus, ut cum eo evangelium conferret, quod praedicabat, ne *in vanum curreret aut cucurrisset.* Hujus epistolas ipse probavit. Quae quidem omnia tum Petrum primatem universae ecclesiae perhibent, tum hunc primatum honoris et jurisdictionis exercentem.

226. Haec omnia praeterea congruunt consilio, quod Christus habuit, fundandi ecclesiam suam visibilem cum suo capite visibili, ut sic eam efficeret *unam,* et typum etiam compleret hujus ecclesiae, qui praecesserat

in synagoga in qua summus sacerdos caput erat, ipsis fatentibus fidei catholicae infensissimis hostibus, ne ecclesia esset acephala ac dissiparetur.

DIFFICULTATES.

227. I. Obj. 1. Allata ex Scripturis testimonia nihil efficiunt, siquidem loquuntur aut de praerogativa personali Petri, quatenus erat major natu caeteris apostolis, ac primus vocatus ad Christi sequelam, aut ob zelum dilectionemque erga Christum, prout Patres passim docent. 2. Sane Scripturae pares apostolos omnes exhibent in potestate, quam Christus eis ex aequo contulit et in missione quam eis commisit. 3. Quapropter Paulus, apostolos *primum* in ecclesia Deum posuisse docet.[1] 4. Receptum exinde est, ut Patres dixerint apostolos omnes vel *aequales*, vel *judices universales, rectoresque totius mundi*, vel *pares in honore et dignitate*, vel vocaverint absolute apostolatum *fastigium dignitatum, radicem caeterarum et fundamentum*. 5. Inter hos eminet s. Cyprianus, qui aperte scribit[2]: *Hoc erant utique apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis*. 6. Licet proinde videamus Petrum zelo et activitate caeteris praestitisse, numquam tamen in apostolos potestatem exercuisse aliquando legimus. Ergo.

228. Resp. ad 1. *N*. Ad prob. autem. *D*. Loquuntur Scripturae de praerogativa personali Petri tanquam causa occasionali, qua Christus permoveretur ad eligendum Petrum potius quam alium apostolum, cui conferret primatum, *Tr*. ad exclusionem primatus Petro collati, *N*. Recensitae Petri qualitates ad summum influere potuerunt, ut ipse prae aliis a Christo eligeretur, minime vero ad institutionem primatus ipsius, qui ex Christi scopo de unitate ecclesiae suae instituenda et conservanda jam necessarius erat. Nec alio sensu Patres loquuntur, dum alii aliam Petri dotem recensent, cum volunt rationem aliquam et quidem conjecturalem afferre, quare Petrus prae aliis electus fuerit. Cum vero iidem Patres de fine institutionis ipsius primatus disserunt, uno animo eum institutum ad ecclesiae unitatem constituendam et conservandam a Christo fuisse docent.

229. Ad 2. *D*. Scripturae pares apostolos omnes exhibent in apostolatu seu munere et officio apostolico, *C*. in primatu qui praeter apostolatum institutus est et in potestate officiisque primatus propriis, *N*. Quandoquidem quoties Scripturae de missione apostolorum et de facultatibus apostolatui adnexis loquuntur, toties in communi seu una cum Petro eas collatas referunt; cum vero disserunt de primatu, qui Petro traditus est, et de hujus primatus insita potestate, constanter de uno Petro seorsim loquuntur.

230. Ad 3. *D*. Paulus docet apostolos Deum in ecclesia *primum* posuisse inter caetera quae ibidem recenset *charismata*, *C*. in gradus auctoritate, *N*. Alioquin gradus hierarchicos dinumerasset, de quibus tamen nec verbum habet.

231. Ad 4. *D*. Patres talia dixerunt de apostolis et apostolatu in ordine

[1]) I. Cor. XII. 28.

[2]) *De unit. eccles.*

suo, *C.* absolute, *N.* Quum proinde Patres praeconiis suis efferunt apostolatum, absque primatus detrimento id faciunt, qui juris sui est et ab apostolatu plane distinctus. Quo sensu apostolos *aequales* vocant, *supremos* etc., in potestate nempe apostolica; non autem de apostolis aut apostolatu disserunt relative ad primatum.

232. Ad 5. *D.* S. Cyprianus affirmat apostolos pari fuisse consortio praeditos honoris et potestatis cum Petro quoad apostolatum, ac facultates et munia eidem adnexa, *C.* sub omni respectu, *N.* Subdit enim ibidem: *Tamen ut unitatem manifestaret* Christus, *unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. . . Exordium ab uno proficiscitur, ut ecclesia una monstretur.* Quae quidem hoc mirifice confirmant, ad constituendam scilicet servandamque ecclesiae unitatem, salva inter apostolos omnes apostolatus paritate, Petrum uti primatem omnibus fuisse praefectum.

233. Ad 6. *D.* Id est, non legimus Petrum super reliquos apostolos potestatem coactivam exercuisse, eo quod ea apostoli non indigerent, *C.* non exercuisse ullo modo inter apostolos officia primatus, *N.* Haec enim officia Petrum obivisse illa omnia evincunt, quae in probationibus enumeravimus.

234. II. Obj. 1. Si juxta Patrum multiplices expositiones textus Matth. XVI. rem discutiamus, patebit ex eo primatum a Christo minime promissum Petro fuisse. Etenim 2. ex Patribus alii Christi verba *de apostolis in genere* exponunt, qui et ipsi *petra* seu *fundamentum* ecclesiae fuerunt; alii exponunt vocem *petrae* de Christo ipso juxta illud apostoli: *Petra autem erat Christus;* alii exponunt de fide Petri, seu de fide a Petro professa circa Christi divinitatem, qui plerique sunt; alii demum *petram* de *Petro* intelligunt. Ecquis porro dicet in tam varia Patrum expositione aliquid certi colligi pro Petri primatu posse? 2. Nec res melius conficitur ex collatione clavium Petro facta, siquidem Patres communi consensu, teste Dupinio, docent claves *universae ecclesiae datas esse in persona Petri;* nihil igitur in particulari Petrus per claves accepit, quodque commune non fuerit apostolis reliquis. 3. Ad summum ex *fundamenti* et *clavium* metaphoris significatur Petrum omnium primum debuisse ecclesiam inchoare judaeorum et infidelium cooptatione per praedicationem et Baptismum, et proinde aperire ecclesiae januam illis hactenus clausam, prout fundamentum est prima aedificii pars, quae construitur, et claves ingressum in domum patefaciunt, quod jamdiu animadverterant Ambrosiaster et Tertullianus. Ergo.

235. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Patres varias ejusmodi expositiones textus Matth. XVI. dederunt, supposita ac salva expositione litterali ac originaria ejusdem textus, *C.* hac exclusa, *N.* Itaque animadvertendum est ad propositae distinctionis intelligentiam, litteralem ac originariam textus Matthaei expositionem esse de Petri persona, quam Christus designavit visibile fundamentum visibilis ecclesiae suae, adeoque *petrae* nomine significari ipsum Petrum, ut series orationis postulat, et nunc vel ipsi rationalistae biblici Kuinoel, Rosenmüller, aliique fatentur. Hanc interpretationem Patres omnes quatuor priorum saeculorum constanter exhibuerunt.

236. Patres, qui deinde floruerunt, ob peculiaria motiva per quamdam, ut ita dicam, ampliationem et extensionem, supposita semper ac numquam repudiata litterali et originaria traditionali expositione, Christi verba vel de apostolis in genere intellexerunt vel de apostolatu quoad ejus partem *essentialem* et *intrinsecam,* evangelium scilicet praedicandi, fundandi ecclesias, aliaque ejusmodi peragendi, quae erat juxta dicta apostolis omnibus communis, quo sensu vere apostoli fuerunt ecclesiae fundamenta, sed una cum Petro, et *secundario* respectu Petri, qui solus constitutus est fundamentum *primarium,* radix ac principium unitatis; et hoc ad evincendam ecclesiae unitatem; vel Christi verba intellexerunt alii Patres etiam de Christo ob allusionem ad allegata verba Pauli, atque ad significandum principium soliditatis, quam habuit Petrus ex Christo petra principali, ac etiam ad significandum adversus donatistas virtutem sacramentorum independentem esse a personalibus ministrorum meritis, uti s. Augustinus. Hac de causa idem s. Doctor in lib. *Retract.* facultatem tribuit lectori alterutram eligendi interpretationem vel de petra Petro, vel de petra Christo.

237. Sic quoad interpretationem quam plerique Patres saec. V et VI. exhibuerunt *de fide Petri* uti fundamento ecclesiae, haec priorem litteralem et originariam supponit, de Petro nempe in concreto confitente fidem in divinitatem Christi, quatenus, ut loquitur s. Ambrosius, Christus non fundavit ecclesiam super *Petri carnem et ossa,* sed super Petrum confitentem divinitatem suam. Cum vero haec fides objectiva sit articulus fundamentalis religionis christianae seu ecclesiae catholicae, ideo Patres sumpserunt occasionem improperandi arianis, quod ipsi destruerent fundamentum ecclesiae.

238. Ad 2. *N.* Siquidem hoc factum in sensu, quo obtruditur, non est nisi figmentum Dupinii caeterorumque jansenistarum, qui autumarunt Christum immediate claves contulisse ecclesiae ac per eam Petro, quod apposita propositione refellemus.

239. Ad 3. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Nec enim fundamentum prima pars ejus, quod erigitur aedificii, tantummodo est, sed illa praeterea est, quae erectum aedificium sustentare ac regere pergit. Talis proinde fuit Petrus, qua de causa Christus non solum dixit: *Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam,* sed adjecit: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Idem dic de clavibus, quae non modo conferuntur ad aperiendum prima vice quod clausum hactenus fuit, sed ad continuandam jugem potestatem in domum vel civitatem, cujus illae sunt. Eo vel magis quod ex Scripturarum loquendi usu claves prae se ferant insigne potestatis et principatus.

240. Nec alio sensu objectus auctor intelligendus est, uti patet ex orationis ejus serie, subdit enim immediate post allegata verba: *Et tanquam saxum immobile totius operis christiani compagem molemque sustinent.* Ideo igitur ex hujus scriptoris mente s. Petrus omnium primus judaeos ac gentiles in ecclesiam cooptavit, illisque ingressum ecclesiae aperuit, quia constitutus a Christo fuerat fundamentum ecclesiae, ejusque claviger.

241. Quod vero spectat ad Tertullianum, nulla ejus interpretationis

ratio haberi potest, quia ad absurdam montanistarum haeresim adstruendam eam protulit, de cessata per apostolorum mortem facultate in ecclesia remittendi gravia peccata lapsis post Baptismum, et quia haec contradicit alteri interpretationi, quam ipsemet catholicus dederat.

242. III. Obj. Saltem nihil evincitur pro Petri primatu ex Jo. XXI. 1. Pascendi enim onus non potestatem, sed *officium* importat. 2. Verba Christi ex interpretatione Chrysostomi *admonitionem* continent. 3. Deinde Patres passim eadem verba ad omnes apostolos extendunt, immo ad omnes curam animarum gerentes, exploratum siquidem est apostolis omnibus dixisse Christum: *Docete omnes gentes.* 4. Quod vero Christus per *oves* et *agnos* voluerit significare populos et pastores incertum est; alii enim, inter quos Theophylactus, de fidelibus *perfectis et imperfectis* Christi verba intelligunt. 5. Quapropter ad summum dici potest Christum ea Petro dixisse quatenus *repraesentabat* universam ecclesiam. Ergo.

243. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D. Officium* pascendi onus importat una cum *potestate, C.* officium sine potestate, *N.* Id enim liquet tum ex duplici voce, qua usus est Christus, quaeque utrumque significat; tum ex archaeologia biblica et loquendi Scripturarum usu, quo factum est, ut principes ipsi ac reges pastores vocarentur; tum denique ex ipsa officii natura, quae postulat potestatem super oves pascendas, ne hae sibi perniciem consciscant.

244. Ad 2. *D.* Continent verba Christi *admonitionem* praeter *potestatem, C.* ad hujus exclusionem, *N.* Sane utramque conjunxit s. Jo. Chrysostomus exponens Christi verba, in loco ipso, qui nobis objicitur. Sic enim scribit [3]: *Et cur aliis praetermissis* apostolis *de his hunc alloquitur? Eximius erat inter apostolos, os discipulorum, et coetus illius caput. Ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei praefecturam committit. . . Dicit autem: Si amas me, fratrum praefecturam suscipe.*

245. Ad 3. *D.* Patres passim Christi verba ad apostolos reliquos, et ad animarum pastores extendunt per quamdam communicationem et participationem, salvo Petri primatu, *C.* hoc excluso, *N.* Siquidem hoc Petri primatu prius constituto, ad alios etiam Christi verba extendunt, quatenus et ipsi in partem sollicitudinis vocati sunt, adeoque specialem ab his erga Christum dilectionem exigunt, ut rite tanto munere fungantur. Quod si apostolis omnibus missionem ex aequo contulit docendi omnes gentes, certe absque primatus laesione eam contulit, cum primatus permisceri nequeat cum apostolatu.

246. Ad 4. *D.* Respectu illius distinctionis inter agnos et oves, *Tr.* respectu gregis ipsius universi, *N.* Certe cum grex universus ex ovibus et agnis coalescat, et oves et agnos suos curae Petri commiserit Christus, hoc

[3]) *Homil.* LXXXVIII.

ipso universum gregem ei subjecit. Nec huic opponitur expositio Theophylacti, quia reipsa grex constat *perfectis* et *imperfectis*.

247. Ad 5. vel *N.* vel *D.* Petrus claves accepit prout universam repraesentabat ecclesiam, uti princeps vel pater familias status aut familiae personam moraliter gerit, *C.* uti deputatus, *N.* Verum de hoc paulo post apposite disseremus.

248. IV. Obj. 1. Si Christus reipsa Matth. XVI. promisisset Petro primatum, de hoc primatu non potuissent amplius contendere inter se apostoli, uti refert idem evangelista cap. XX., neque Christus ad eam contentionem compescendam respondisset: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* 2. Sane cum Christus interrogasset discipulos omnes, *vos autem quem me esse dicitis?* Petrus autem omnium nomine respondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* si quid Petro contulit, profecto contulit in ejus persona apostolis omnibus. 3. Quod magis elucet ex eo, quod Matth. XVIII. illas easdem claves, quas in persona Petri omnibus promisit, tradiderit omnibus dicens: *Quaecumque alligaveritis,* etc. 4. Hinc Act. VIII. legimus apostolos *misisse* Petrum et Joannem Samariam. 5. Jacobus etiam episcopus hierosolymitanae ecclesiae, nempe matris omnium ecclesiarum, primus habitus est, et prior Petro nominatus est a Paulo.[4] Paulus item 6. passim a Patribus celebratur velut *apostolorum dux, coryphaeus, protocoryphaeus, supremus* etc., qui 7. et Petro in *faciem restitit,* quia reprehensibilis erat.[5] 8. Episcopus item Romae fuit, et cui ipsi romani pontifices aequalem honorem tribuunt. Ergo.

249. Resp. Ad 1. *D.* Non potuissent apostoli de primatu contendere, si Christi verba probe intellexissent, *Tr.* vel *C.* si illorum sensum assecuti non sunt, *N.* Hoc siquidem saepius apostolis adhuc rudibus contigit, neque semel hac de causa a Christo redarguti sunt. Cum proinde Christus de re futura locutus fuerit sub binae metaphorae velo, nil mirum si tunc rudes apostoli apprime ejus mentem assecuti non fuerint. Aliquid tamen suspicati sunt, et exinde orta contentio, quae ex quadam ambitione originem traxit, quam proinde compescuit Christus eos ad humilitatem hortando, proposito etiam exemplo sui.

250. Ad 2. *D.* Christus interrogavit omnes, et tamen solus Petrus, cui Pater revelaverat, divinitatem Christi professus est, et omnes assensi sunt Petro confitenti, *C.* Petrus confessus est omnium nomine quasi delegatus, *N.* Exinde sequitur soli Petro Christum contulisse seu potius promisisse primatum, uti etiam colligitur ex universa orationis serie: *Pater revelavit tibi . . . et ego dico tibi.*

251. Ad 3. *D.* Omnibus apostolis contulit Christus claves, quas Petro promisit, ast diversa ratione ab ea, qua promisit ac deinde contulit Petro, *C.* eadem ratione, *N.* Nam quod omnibus simul collectis apostolis Christus contulit, etiam Petro contulit, qui unus ex illis erat; at non e converso,

[4]) Gal. II. 9.

[5]) Gal. II. 11.

neque cum detrimento ejus, quod singulariter Petro promisit. Ea clavium potestas collegio apostolico collata est, quae corpori una cum capite competit, Petro autem ea quae capiti seorsim; illa est dependens ac subordinata capiti, ista est independens ac omnino suprema.

252. Ad 4. *D. Miserunt* apostoli Petrum et Joannem missione consilii, suasionis, ac precis, *C.* missione imperii et auctoritatis, *N.* Cum ageretur de negotio arduo ac perhonorifico, apostoli Petrum et Joannem miserunt Samariam ad praestigias Simonis Magi dissolvendas. Alioquin sequeretur non solum aequales inter se fuisse apostolos omnes, sed invicem superiores auctoritate proprie dicta, quod est contra adversariorum hypothesin.

253. Ad 5. *Neg.* Numquam enim Jacobus primus existimatus est, cum praesertim inter criticos quaestio vigeat, utrum Jacobus Hierosolymorum episcopus fuerit reipsa apostolus, an vero tertius Jacobus ex septuaginta discipulis. Ecclesia porro hierosolymitana mater interdum vocata est ecclesiarum ratione originis ac temporis, non autem ratione gradus. Sane usque ad concilium nicaenum subjecta fuit metropolitano caesareensi, nec nisi honoris causa quartum locum obtinuit inter ecclesias patriarchales. Quod si Paulus prius nominat Jacobum quam Cepham [6], non ratione majoris auctoritatis, quam in ipso agnoverit, id fecit, sed ratione cognitionis quam ejus habuit ante Petrum seu potius Cepham.

254. Ad 6. *D.* Illis titulis decoratus est Paulus a Patribus, ratione habita laborum ipsius, *C.* auctoritatis, *N.*

255. Ad 7. *D. Ut inferior superiori ex officio caritatis, C. ut superior inferiori, aut aequalis aequali, N.* In quo, dummodo ea, qua par est, modestia fiat, nullum est inconveniens. Et hoc in hypothesi quod Cephas, in cujus faciem se restitisse Paulus refert, sit Petrus, quod alii inficiantur.

256. Ad 8. *D.* Paulus episcopus Romae fuit tanquam Petri adjutor, *Tr.* uti aequalis, titularis et independens, *N.* Quod si romani pontifices aequalem honorem utrique tribuunt, ut hoc adversariis detur, non ad significandam aequalem in utroque auctoritatem id praestant, sed quia utriusque sudore et sanguine romana ecclesia irrigata est, et ad implorandum amborum patrocinium.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ex traditione adstruitur.

257. Haec traditio, qua Petri primatus adstruitur, non ex uno tantum aut altero Patrum testimonio comprobatur, sed pleno alveo fluit ex constanti universae antiquitatis doctrina.

258. Etenim ex Patribus hanc veritatem I. evincunt illi omnes, qui Christi verba Matth. XVI. de Petri persona intellexerunt, et exinde ejus super universam ecclesiam praeeminentiam deduxerunt; sunt porro, adver-

[6]) Gal. II.

sariis ipsis fatentibus, quotquot quatuor prioribus ecclesiae saeculis floruerunt; suntque septemdecim numero.

259. II. Evincunt quotquot duobus insequentibus saeculis eadem Christi verba *super hanc petram*, de fidei confessione in concreto a Petro facta exposuerunt; siquidem hi omnes docuere supra Petrum divinitatem Christi profitentem, veramque doctrinam edicentem aedificatam ecclesiam esse, a quo piaculum sit vel minimum recedere; tales porro, adversariis item fatentibus, sunt numero quadraginta duo.

260. III. Evincunt quotquot rationem reddunt, quare Christus in Petro primatum instituerit, eamque repetunt ex ejus necessitate ad constituendam conservandamque in ecclesia utriusque, fidei scilicet et communionis, unitatem. Jam vero isti tot sunt, quot hanc tesseram adstruunt ad secernendos haereticos et schismaticos, id est, acatholicos omnes a catholicis, falsos nempe a veris sincerisque christianis; adstruunt autem hanc tesseram ii omnes, qui adversus haereticos et schismaticos scripserunt, Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, Optatus, Pacianus etc.

261. IV. Evincunt quotquot Christi verba Joann. XXI. de suprema Petro collata auctoritate in universos apostolos et ecclesiam universam intellexerunt, qui sexdecim ad minus numerantur, praeter ecclesiae orientalis episcopos omnes in epistola ad Symmachum Papam.

262. V. Evincunt Patres illi, qui iis titulis condecorarunt Petrum, ut nonnisi supremo totius ecclesiae capiti competere possint; tales sunt qui Petrum vocant apostolorum *caput, principem, verticem, os, primum mundi praesidem, apostolatus primatem, petram ecclesiae, petram infrangibilem, fundamentum* etc., aliisque supra quadringentos, quos collegit Theophilus Raynaudus in *Corona aurea super caput rom. pontificis.*

263. VI. Evincunt Patres illi, qui docent Petrum per rom. pontifices successores suos locutum esse et ecclesiam veritatem docuisse, cujusmodi sunt praeter s. Petrum Chrysologum patres conc. chalcedonensis et constantinopolitani III.

264. VII. Demum evincunt, quotquot edixerunt romanam ecclesiam esse omnium ecclesiarum maximam, matricem, matrem, principium et originem unitatis, quod fere omnes fecerunt. Haec autem praedicarunt ob primatum Petri, primi hujus ecclesiae fundatoris ac episcopi, ut postea ostendemus.

265. Ex hac igitur constanti, universali ac multiplici traditione necessario infertur universam antiquitatem agnovisse in Petro verum auctoritatis primatum jure divino in totam ecclesiam.

DIFFICULTATES.

266. Obj. 1. Patres dum efferunt Petri praeeminentiam, alludunt ad personalem ejusdem praerogativam, quod scilicet vel major natu esset, vel caeteris ferventior, etc. 2. Siquidem iidem Patres constituunt *aequalitatem* omnium apostolorum, *supremamque* apostolatus potestatem. 3. Quod si

s. Leo M., aliique rom. pontifices aliquid peculiare tribuere videantur Petro prae apostolis reliquis, id provenit ex veniali desiderio, quo episcopi propriae sedis privilegia amplificandi flagrant, ideoque ipsis ignoscendum est. 4. Inferri proinde nequit ex Patrum locutionibus *officialis* Petri primatus ut articulus fidei; 5. eo vel magis quod vel ipsi catholici fateantur, omnes apostolos pares inter se fuisse quoad potestatem intrinsecam, adeo ut nullus super alium habuerit auctoritatem; eam autem, quam Petrus habuit, *extrinsecam* atque *accidentalem* fuisse. Ergo.

267. Resp. Ad 1. *Neg.* Loquuntur enim de praeeminentia, quam Petrus habuit vi primatus eidem collati, qua de causa vocant *caput apostolorum, principem, coryphaeum, verticem, reliquis majorem, potentiorem, praesidem, pastorem pastorum*, aliaque ejusmodi, quae si referrentur ad solam illam praerogativam, quod Petrus fuerit reliquis major natu, aut ferventioris spiritus, falsa, immo et ridicula essent.

268. Ad 2. *D.* In munere apostolico, ut paulo ante exposuimus, *C.* in auctoritate primatus, quo caeteris excelluit, *N.* Diximus pariter apostolatum fuisse a Patribus vocatum potestatem supremam in *ordine suo* non autem absolute, alioquin turpiter sibi contradixissent.

269. Ad 3. *N.* Tum quia id sine summa tot rom. pontificum injuria nequit affirmari; tum quia non solum verbis sed factis praeeminentiam verae jurisdictionis, qua ob Petri primatum fruitur eorum sedes, ostenderunt; tum denique quia alii episcopi, praesertim orientales, numquam passi fuissent cum propriarum sedium detrimento romanam sedem ita extolli, ac auctoritatem super se propriasque sedes exercere. Nemo enim ignorat Orientalium aemulationem erga ecclesiam romanam antiquam esse. Porro quin obstiterint ejusmodi exaltationi ac praeeminentiae, eam non semel vel in ipsis conciliis oecumenicis asseruerunt et confirmarunt.

270. Ad 4. *D.* Si ab uniuscujusque privato sensu penderet aliquam veritatem uti fidei articulum ex Scriptura aut traditione decernere, *Tr.* si hoc ab unico ecclesiae magisterio pendeat, *N.* Hoc est protestantium adeoque et anglicanorum falsum principium, posse quemlibet privatum ex se decernere quidpiam de fide esse aut non esse per solam Scripturarum aut Patrum lectionem; qua fit ut ab invicem discrepent in articulis fidei constituendis. Nos, quibus unica credendorum fidei regula proxima ecclesia est, hunc Petri primatum uti fidei articulum habemus, cum hanc fidei veritatem oecumenica concilia lateranense IV, lugdunense II, et florentinum definierint, innixa Scripturarum ac traditionis perpetuae auctoritati.

271. Ad 5. *D.* Ea auctoritas, quam Petrus peculiarem habuit, *extrinseca* et *accidentalis* fuit respectu apostolatus, *C.* in se et respectu ecclesiae, *N.* Omnes certe apostoli in munere apostolico pares fuerunt, ac proinde Petrus uti apostolus nulla fruebatur supra reliquos auctoritate; sed cum ejus apostolatui Christus adjecerit primatum, haec primatus auctoritas respectu apostolatus *extrinseca* est, *accidentalis, superaddita,* cum Christus potuisset eam Petri apostolatui non adjicere. Ast in se et respectu ecclesiae, posita ejus

collatione, intrinseca est et essentialis; alioquin deesset corpori visibili caput, principium et centrum unitatis contra ipsius Christi consilium et finem in primatu instituendo.

PROPOSITIO III.

Petrus jurisdictionis primatum in universam ecclesiam immediate a Christo, non autem ab ipsa ecclesia accepit.

272. Est adversus richerianos, febronianos, quesnellistas ac pistorienses, autumantes regimen democraticum a Christo in ecclesia institutum fuisse, fidelium proinde coetum *subjectum* esse auctoritatis, quod per rom. pontifices, episcopos reliquosque pastores exercent, delegata ipsis in diverso gradu auctoritate ad id necessaria.

273. Adversari porro ejusmodi systema Christi institutioni, sic facile evincimus: Christus ex demonstratis Petro soli adducta verba: *Tu es Petrus* etc., et *Pasce agnos* etc., quibus promisit et contulit primatum jurisdictionis, protulit; ita ut caeteris nonnisi per quamdam amplificationem et in sensu accommodato convenire possint; ergo hunc primatum non immediate ecclesiae, sed Petro Christus immediate contulit.

274. Rursum: Non possunt adducta verba de ecclesia intelligi, si nondum ecclesia seu fidelium coetus existebat, qui coalesceret in societatem constitutione ac legibus communitam et coordinatam. Jam vero ejusmodi ecclesia nondum existebat, siquidem nonnisi sacro Pentecostes die coepit. Ergo.

275. Accedit, tantum abesse ut Christus voluerit conferre ecclesiae claves communicandas per ipsam Petro, ut potius voluerit, ut ecclesia a Petro penderet, ac nonnisi mediante Petro, omnibus praerogativis, privilegiis ac dotibus frueretur, quibus eam cumulavit. Etenim Christus prius instituit caput, quam corpus efformaretur, prius designavit fundamentum, quam super ipsum aedificaret aedificium suum, ex hoc vero capite voluit ut universum corpus regeretur, et in hoc fundamento ecclesiae aedificium soliditatem obtineret. Exinde ecclesiae unitas, catholicitas, infallibilitas et omnimoda auctoritas profluunt. Dempto enim Petri primatu, haec omnia evanescunt.

276. Demum nemo unquam ex sanctis ecclesiae Patribus ejusmodi doctrinam de regimine democratico vel suspicatus est, immo vero contrarium Patres ubique docent; sic Tertullianus: *Memento*, inquit [1], *claves ejus hic Dominum Petro, et per eum ecclesiae reliquisse.* S. Cyprianus: *Quo venturus est*, scribit [2], *qui sitit ... an ad ecclesiam, quae una est, et super unum, qui et claves ejus accepit?* Firmilianus item [3]: *Hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit: Quaecumque ligaveris*, etc.

[1]) *Scorpiac.* cap. X.
[2]) Epist. LXXIII.
[3]) Epist. ad Cyprianum.

S. Optatus[4]: *B. Petrus ..... claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit;* ut alios praeteream. Ergo.

DIFFICULTATES.

277. Obj. 1. Christus omnes alloquitur discipulos seu fideles, dum Matth. XVIII. dixit: *Quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis.* 2. Quod magis patet ex eo, quod ibidem Christus constituerit *ecclesiam*, id est, fidelium coetum ultimum tribunal dicens: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* 3. Nec obstat Petro claves collatas esse a Christo, cum nemo ignoret ex communi Patrum interpretatione, praesertim vero s. Augustino, Petrum accepisse claves, quatenus *ecclesiae propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam;* quae verba Augustini sunt ex *Tract.* CXXIV. *in Joann.,* quod et saepius alibi repetit. 4. Hoc ipsum rei natura exposcit, si quidem Deus et natura prius et *immediatius* ad totum intendunt, quam ad aliquam ejus partem utut nobilissimam, cum in gratiam totius pars constituatur et ordinetur. 5. Quamvis proinde daretur Petri personae collatas a Christo claves esse, atque idcirco potestatem, cum tamen ipse pars fuerit totius, totum, id est, ecclesiae corpus seu subjectum eam exercet per ipsum aut per alios ad eum modum, quo subjectum seu individuum utitur facultate visiva, quae residet in oculo, eam dirigit quo voluerit, quod et de pedibus aut manibus dici debet in ordine ad tactum et ambulationem. Nam haec omnia *hominis* sunt. Ergo.

278. Resp. Ad 1. *D.* Christus Matth. XVIII. alloquitur discipulos, id est, *apostolos, C.* fideles, *N.* ut patet ex toto capite. Quis in Scripturis versatus ignorat duodecim promiscue *apostolos* et *discipulos* appellari?

279. Ad 2. *D.* Constituit ecclesiam, quae constat ex capite et membris, id est, pastoribus, ultimum tribunal, *Tr.* coetum fidelium, qui nondum ex dictis existebat, *N.* Hinc Patribus verba illa: *Dic ecclesiae*, perinde valent ac *dic ecclesiae praelatis,* uti exponit inter caeteros s. Joann. Chrysostomus. Quod ex ipsa substrata materia colligitur; agitur enim de potestate excommunicationis, quae nonnisi in superioribus residet, fideles autem omnes pares inter se sunt.

280. Ad 3. *D.* Petrus, cum claves accepit, ex communi Patrum interpretatione gerebat figuram ecclesiae, quatenus non pro se sed in bonum ac utilitatem ecclesiae eas accepit, *C.* quatenus eas accepit ut delegatus a communitate, *N.* Hoc enim absurdum est, quia, ut saepius inculcavimus, haec uti unitas *organica* nondum existebat. Nunquam propterea Patres hoc sensu potuerunt affirmare Petrum claves accepisse, prout ecclesiae in se gerebat personam. Hoc magis patefit ex ipsorum scopo adstruendi adversus montanistas ac novatianos post Petri caeterorumque apostolorum obitum minime in ecclesia desiisse potestatem clavium, quia Petro collatae sunt, ut ipsi loquuntur, cum *jure traducis*, eo ipso quod *finaliter* in bonum ecclesiae,

[4]) Lib. VII.

quae semper perdurare debuit, traditae illae fuerint. Quoniam vero adversarii s. Augustini potissimum auctoritate abutuntur, juverit ejus verba afferre, quae sic se habent [5]: *Aut non sunt istae in ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat ecclesiae, quod illi uni datum est, ecclesiae datum est.*

281. Ad 4. *D.* In ordine *intentionis* et *finis*, *C.* in ordine ad *media*, *N.* Certe cum Deus aut natura, ut adversarii loquuntur, aliquid moliri intendunt, prius rationem totius habent quam partis; ast quum de mediorum electione agitur ad finem obtinendum, rationem prius habent medii quam totius, cum medium ad totum ordinetur. Proinde cum Christus intenderit totius ecclesiae bonum, hoc ipso ad hunc finem debuit prius eligere medium aptum et idoneum et hoc ordinare ad ejusmodi finem. Hinc huic medio, scilicet capiti aut fundamento, in subjecta materia, contulit illam auctoritatem et firmitatem, quae requiruntur ad ecclesiam regendam et constabiliendam. Inde enim unitas et firmitas prodeunt ejusdem ecclesiae, quae maximum ejus bonum constituunt. Ita se gerunt sapientes pictores et architecti.

282. Ad 5. *D.* Si eadem ratio esset de corpore morali ac de corpore physico, *C.* si diversa plane sit, *N.* Cum Christus voluerit ecclesiae suae regimen monarchicum esse, plenam contulit potestatem Petro, quem primatem ejusdem constituit, ut eam regeret, non autem ecclesiae, ut ipse ab ea regeretur; quod constat ex aliis metaphoris et similitudinibus, quibus usus hac in re est. Ecclesiam quippe suam Christus comparat aedificio, Petrum vero comparat fundamento, quod aedificium sustentat; comparat item ecclesiam ovili, Petrum autem pastori, qui ovile gubernat et pascit. Nisi proinde dicere velimus fundamentum ab aedificio sustentari debere, pastorem gubernari ab ovibus, fatendum est omnem potestatem ita residere in Petro tanquam in subjecto, quod propria fruitur activitate, non autem uti facultas visiva, aut pedes aut manus in homine, a quo illa facultas aut membra reliqua pro libitu adhibentur.

CAPUT II.

DE PETRI PRIMATUS IN ECCLESIA PERPETUITATE.

283. Duplex est hujus capitis objectum: Christum instituisse in ecclesia primatum, ut in ea perpetuus esset; hunc primatum jure divino transiisse ad Petri successores in episcopatu romano, quem ipse erexit tenuitque usque ad obitum suum. Cum vero successio haec pendeat ab adventu Petri in romanam urbem, ejusque episcopatu usque ad mortem, patet tria esse a nobis ostendenda: 1°. perpetuitatem videlicet primatus a Christo Petro collati; 2°. Petri in Urbem adventum ejusque episcopatum, quem gessit usque ad obitum suum, ut inde 3°. colligamus rom. pontifices Petri in hoc ipso

[5]) *Serm.* CXLIX. *de diversis*, n. 7.

episcopatu successores jure divino eodem potiri primatu, quo b. Petrus instructus fuit. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Primatus a Christo Petro collatus debuit in ecclesia esse perpetuus.

284. Primatus partem essentialem constituit ecclesiae Christi, tamdiu igitur perdurare debet quamdiu perdurat ecclesia ipsa, seu usque ad consummationem saeculi. Consequens ex antecedente necessario fluit; nobis igitur unice onus incumbit antecedens propositi argumenti adstruendi.

285. Sic porro hoc facile evincimus: Christus ex dictis primatum instituit contulitque Petro, ut unitas tum fidei tum regiminis, ac proinde ecclesiae ipsius exsurgeret et conservaretur; unitas autem constituit proprietatem essentialem ecclesiae Christi, igitur et primatus, ex quo illa unice consurgit ac efflorescit.

286. Sane Christus instituit ecclesiam suam ad instar aedificii, cui propterea fundamentum visibile in Petro tanquam in petra aut rupe immobili posuit; ad instar ovilis cujusdam universalis, cui propterea ut pastorem universalem praefecit Petrum, cui onus illius regendi, pascendi confirmandique in fide commisit; ad instar regni, cui propterea principem in Petro dedit, cui contulit hujus principatus insignia per claves; ad instar individui jugiter viventis, cui propterea caput in Petro constituit, quod corpus universum moderaretur; ad instar denique ejusdem incarnationis, cui propterea Petrum ut vices sui ipsius in terris obiret praepositum ac praefectum voluit.

287. Patres omnes uno animo, nemine prorsus excepto, unitatem ecclesiae esse finem institutionis primatus, quem Christus Petro contulit, constanter docent. S. Irenaeus [1], propter *principalitatem* seu *primatum* Petri infert necessitatem, quam fideles omnes undique habent, conveniendi in fide et unitate ecclesiae. S. Hieronymus scribit [2], Christum contulisse Petro primatum, *ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* S. Cyprianus [3]: *Ut unitatis originem et unam ecclesiam institueret.* S. Optatus adjicit [4], *bono unitatis b. Petrum apostolis omnibus praeferri meruisse,* et *ut unitas ab omnibus servaretur.* S. Pacianus: *Ut unitatem*, scribit [5], *fundaret ex uno.* Hinc inferebat s. Ambrosius [6], *ibi esse ecclesiam, ubi est Petrus,* et s. Augustinus [7], ut *in uno Petro firmaret ecclesiam;* qui hac de causa saepius inculcat Petrum *unitatem significasse ecclesiae, personam gessisse ecclesiae,* et ita porro.

288. Nec abnuunt adversarii ipsi non pauci, qui supposita ecclesiae *unitate,* non alia potiori ratione, fatentur ipsi, prospici potuisse quam per primatum ecclesiae universalis, uni nempe Petro collatum.

[1]) *Cont. Haeres.* lib. III. cap. 3.
[2]) Lib. I. *adv. Jovinianum,* n. 25.
[3]) Ep. LV et LXX.
[4]) Lib. VII. *cont. Parmenion.*
[5]) Ep. III. *ad Sempron.*
[6]) *In Ps.* XL. n. 30.
[7]) *Serm.* CXXXVII. *de verbis Evang. Joann.* n. 3.

289. Nisi igitur contendant adversarii vel ecclesiam in sua parte essentiali atque praecipua desinere debuisse, vel unitatem temporariam Christum instituere voluisse, fateantur necesse est primatum a Salvatore institutum ac Petro collatum perpetuum in ecclesia esse debere.

DIFFICULTATES.

290. Obj. 1. Nuspiam in Scripturis expresse dicitur institutionem primatus fuisse *objectum permanens,* seu ex eo pendere conservationem unitatis. 2. Solis proinde conjecturis ac desiderio nostro hoc innititur; nec obest 3. nonnullos Patres identidem huic ideae favere, siquidem unus aut alter Pater praebere nequit articulo fidei fundamentum. 4. Quum enim de fide agitur, ut scite Veronius et Bossuetus animadvertunt, *promissionibus certis et certae traditioni* insistere debemus. 5. Similitudines demum, quibus usus est Christus ad designandam ecclesiam suam, *aedificii, regni, ovilis, corporis,* solum evincunt ecclesiam esse societatem ordinatam. Ergo.

291. Resp. Ad 1. *D.* Conceptis verbis, *Tr.* aequivalentibus, *N.* Alioquin si nihil admitti deberet ut veritas fidei, praeterquam quod expresse in Scripturis legitur, praecipua dogmata fidei nostrae abjicere possemus, secus ac adversarii contendant adversus socinianos ac rationalistas. Cum igitur Christus ecclesiam suam *unam* condiderit in fide et communione, cumque hanc unitatem ex primatu constitui ac conservari voluerit, profecto hunc primatum ut *objectum permanens* instituit, et hoc de fide est, etsi Scriptura conceptis id verbis haud expresserit, prout numquam expressit *trinitatem personarum* in Deo, aut *dualitatem naturarum* in Incarnatione.

292. Ad 2. *N.* Quandoquidem probationes, quas ex Scripturis et Patribus attulimus, non conjecturam fundant aut desiderium, sed rem ipsam, alioquin actum prorsus esset de ecclesiae unitate, adeoque de ecclesia ipsa.

293. Ad 3. *D.* Si unus tantum reipsa aut alter Pater esset, qui huic ideae faveret, uti adversarii autumant, *Tr.* vel *C.* si omnes prorsus sunt, *N.* Tot enim Patres huic ideae favent, seu potius dogma docent, quot docent *unam* ecclesiam esse, jam vero nemo ab hoc discrepat. Attulimus praeterea ipsorum textus formales, quibus hanc veritatem de perpetuitate primatus Petro collati tradunt, aliosque paulo post afferemus.

294. Ad 4. *D.* Et hisce propterea de causis primatus perpetuitatem inter fidei dogmata referimus, *C.* sine illis, *N.* Utique fidei dogma verbo Dei inniti debet sive scripto sive tradito una cum ecclesiae declaratione, prout adducti auctores affirmant. Cum porro uterque auctor adstruat successionem rom. pontificum jure divino in Petri primatu, hoc ipso juxta regulam ab ipsis constitutam sequitur hanc perpetuitatem in verbo Dei contineri, et hac de causa ab ecclesia fuisse ut fidei dogma declaratam. Profecto expressa promissio continetur in verbis Christi: *Super hanc petram* nempe Petrum *aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* adversus ecclesiam scilicet supra Petrum fundatam. De traditione vero constat tum ex dictis, tum ex dicendis.

295. Ad 5. *D.* Ostendunt ecclesiam esse societatem ordinatam, sed ad modum *aedificii, regni, ovilis, corporis,* quae omnes similitudines ad unitatem significandam referuntur, *C.* quae hanc non supponant aut excludant, *N.* Hoc ipso quod hae similitudines conspirent ad nobis ideam exhibendam perfectae unitatis, quae exsurgit ex unitate *fundamenti, principis, pastoris, capitis,* sequitur non alio sensu nobis eas exhibere ordinationem hujus societatis quam per unitatem. Tolle unitatem, et nullum amplius scopum, nullum objectum habent illae similitudines.

PROPOSITIO II.

Petrus Romam venit, in eaque episcopatum instituit, rexitque usque ad obitum suum.

296. Tria in hac propositione enunciamus: 1°. Petrum Romam venisse; 2°. romanum episcopatum fundasse; 3°. in hoc episcopatu gerendo mortem seu martyrium obiisse. Tria porro haec simul hoc argumento adstruimus: Universa antiquitas tria hic enunciata testatur; ergo aut fides omnis historica abjicienda est, aut tria illa necessario admitti debent.

297. Et sane horum trium testes sunt I. scriptores omnes aut coaevi aut suppares, qui de Petro scripserunt, cujusmodi sunt Clemens romanus, Ignatius M., Papias; item Dionysius Corinthiorum episcopus, Irenaeus, Cajus, Clemens alex., Origenes, Cyprianus; deinde vero Eusebius, Lactantius, Athanasius, Epiphanius, Julianus apostata, Augustinus, Palladius, aliique non pauci, quorum testimonia singillatim proferunt protestantes Pearsonius in *Tractatu de successione primorum Romae episcoporum,* Caveus in *Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria* praeter scriptores catholicos.

298. Testes sunt II. quotquot catalogum roman. pontificum ad nos transmiserunt, qui omnes a s. Petro exordiuntur; tales sunt Irenaeus, Tertullianus, Eusebius, Optatus caeterique posteriores omnes, quos exhibent Schelstrate [1] et Franc. Blanchinius in praef. ad *Vitas pontificum Anastasio bibliothecario attributas.*

299. Testes sunt III. quotquot ex antiquis tradiderunt Marcum fuisse Petri interpretem, ac Romae, prout Petrum referentem audierat, Evangelium scripsisse quod Petrus probavit; hi porro sunt Papias, Clemens alex., Irenaeus, Origenes, Tertullianus, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, quorum testimonia profert Fogginius in *Romano divi Petri itinere et episcopatu, Exercit. XI.* Quibus consonat versio syriaca.

300. Testes sunt IV. monumenta antiquissima cujusmodi sunt picturae, nummi, parietes ac sepulcrum, quod Cajus presbyter ad confundendos Cataphrygas haereticos provocabat saec. III. apud Eusebium [2], qui praeterea ibidem meminit imaginum apostolorum Petri et Pauli, quae Romae asservabantur. [3]

[1]) *Antiquitas ecclesiae,* tom. I. diss. 3.
[2]) *Hist. Eccl.* lib. II. cap. 25.
[3]) Lib. VII. cap. 18.

301. Testis V. denique est christianus orbis universus tum in peregrinationibus, quas ab antiquissimis temporibus suscepit ad sepulcrum ss. apostolorum Petri et Pauli honorandum a longe dissitis regionibus orientalibus et occidentalibus; tum in festo ubique recepto de Cathedra s. Petri romana; tum in subjectione quam hac de causa professus est erga s. romanam Sedem.

302. Nisi igitur velis auctoritatem historicam omnem rejicere, quod perfatuum esset et scepticum, fatearis necesse est tum Petrum in Urbem venisse, tum ibi episcopatum romanum instituisse, tum denique eum rexisse donec eum sanguine suo irrigavit per gloriosum quod in eo subiit martyrium.

DIFFICULTATES.

303. I. Obj. 1. Nuspiam legimus in Scripturis Petrum Romam venisse, ibique episcopum fuisse, aut mortem obivisse. 2. Immo vero contrarium adstruere illae videntur; numquam enim aut Paulus Romae scribens illius mentionem injicit, aut ad Romanos scribens illi salutem dicit. 3. Praeterea in Epist. ad Roman. ea scribit, quae cum Petri Romam adventu aut episcopatu conciliari nequeunt, uti cum patefacit desiderium suum veniendi ad ipsos [4], ut aliquid impertiretur gratiae spiritualis ad eos confirmandos; tum etiam cum propositum suum aperit praedicandi, ubi nullus alius apostolus praedicasset: *Ne super alienum fundamentum aedificaret.* [5] Sed 4. Petrus ipse non obscure id ipsum tradit; etenim Epistolam suam priorem scripsit *Babylone,* metropoli Assyriorum; et proinde posteriorem quam ad eosdem dedit, quamque paulo ante obitum suum exaravit, adeoque Romae mori non potuit. 5. Et haec ex sacris litteris; quod enim attinet ad traditionem, haec incerta est ex origine sua: Papias enim vir mediocris ingenii auctor ejus est, et ex ipso posteriores scriptores decepti sunt. 6. Monumenta autem, quae adducuntur, nihil pariter evincunt, nisi ostendatur haec fuisse coaeva, quod certe ostendi nequit. Ergo.

304. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut illarum silentium, si quidem reipsa adesset, abunde suppleant certissima historica documenta, *C.* ita ut non suppleant, *N.* Negare Petri in Urbem adventum eo quod Scripturae de ipso taceant, perinde est ac negare existentiam Neronis aut Domitiani eorumque imperium ac principatum, eo quod nullam eorum Scripturae mentionem injiciant. Quapropter cum ineluctabilia historica documenta, quae superius attulimus, nos de illo adventu certiores faciant, insanae mentis est illum negare ex praetextu biblici silentii.

305. Ad 2. *N.* Ad prob. autem allatam ex Pauli silentio, *D.* Cujus tamen probabiles rationes dari possunt ad ejusmodi argumentum *negativum* dissolvendum, *C.* secus, *N.* Scimus enim Petrum frequentes excursiones fecisse sive in proximas sive in dissitas civitates aut provincias ad evangelium disseminandum. Fieri proinde potuit, ut cum Apostolus aut ex Urbe epistolas misit, sive cum scripsit ad Romanos, absens Petrus fuerit. Idem

[4]) Rom. I. 11. [5]) Ibid. XV. 20.

silentium urgeri posset ex epistola ad Hebraeos, in qua nullam mentionem facit apostolus de Jacobo Hierosolymorum episcopo, aut de episcopis Galatiae, Ephesi, Thessalonicae in epistolis ad horum ecclesias datis, quin tamen inferri possit, nullum in illis regionibus episcopum fuisse.

306. Ad 3. *N.* Etenim desiderium quod Paulus exponit invisendi Romanos, refertur ad consolationem mutuam, ut ipsemet declarat adjiciens [6]: *Id est, simul consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam.*

307. Quod vero additur de Pauli proposito non praedicandi ubi alius apostolus praedicasset, afficit Hispanias, et hac de causa scribit se tantum per Urbem transiturum. [7] Hinc recte infertur ex hoc ipso, quod alius apostolus, nempe Petrus, ibi evangelium praedicaverit, fundaveritque illam florentissimam ecclesiam, cujus fides annunciabatur in universo mundo.

308. Ad 4. *N.* Ad prob. autem, *D.* Priorem epistolam suam scripsit ex Babylone Assyriorum metropoli, juxta audaciores criticos protestantes et eos qui illos secuti sunt, *C.* juxta rei veritatem innixam argumentis intrinsecis et extrinsecis, *N.* Jam pene obsoleverat critica haec controversia, cum protestantes doctiores victi argumentis catholicorum demum fassi fuissent, Babylonis nomine Romam a Petro significari, donec auctore Michaelisio potissimum recruduit, quem audaculi recentiores protestantes passim secuti sunt. Caeterum quae in eadem epistola leguntur, componi non possunt cum sententia de Babylone Chaldaeae, aut alia qualibet, quum in ea commonefiant fideles de ingruente persecutione, quam instare Petrus Romae didicerat; commendat et ipse fidelibus subjectionem summis potestatibus, quod utique congruum erat quoad imperii subditos; meminit Marci scriptoris epistolae, quem novimus Romae fuisse Petri interpretem seu amanuensem; meminit Silvani noti in illis regionibus, utpote prius comitis Pauli, deinde Petri cum Romae degeret. Demum conveniunt in Babylone de Roma intelligenda scriptores omnes ac Patres antiquissimi, qui praeterea varias rationes afferunt quare Petrus Romam Babylonem vocaverit. Idem propterea dicendum de posteriori ejus epistola, ut omittam argumenta ex chronologia petita, quae contrariam sententiam plane subruunt. Exinde vero colligimus nobis nec deesse argumenta biblica ad adstruendum Petri in Urbem adventum et mortem.

309. Ad 5. *N.* Ad prob. vero pariter, *N.* Quamvis enim Papias mediocris fuerit ingenii, adeoque parum idoneus ad quaestiones speculativas persequendas, cum tamen agitur de facto adstruendo, quod sub sensus cadit, mediocritas ingenii nihil officit, alioquin sublimioris ingenii viri in testes solum essent accersendi, quod nemo dicet. Sed praeter Papiam adduximus s. Ignatium, et Clementem romanum, qui cum Petro conversari potuit. Demum non est censendum veteres omnes scriptores, Irenaeum, Tertullianum etc. fuisse ita stupidos, qui facili adeo ratione se decipi ab uno paterentur.

310. Ad 6. Resp. Reipsa monumenta illa coaeva fuisse, alioquin

[6]) Rom. I. 12.

[7]) Ibid. I. 8; coll. XVI. 19.

Cajus anno 210. minime ad ea provocare potuisset Cataphrygas, qui certe de recenti illius sepulcri seu *trophaei*, uti vocatur, aetate aut suppositione non tacuissent, confusi tamen sunt. Igitur ad aetatem illius morti proximam sepulcrum pertinebat.

311. II. Obj. Incertus saltem est romanus Petri episcopatus; nam 1. is non eruitur ex eo, quod romana sedes ab antiquis *Cathedrae Petri* nomine insignita fuerit, aliae siquidem sedes eadem denominatione condecoratae sunt, earumque episcopi *Petri successores* interdum fuerunt nuncupati; 2. quia numquam apostoli peculiarem episcopatum gesserunt; 3. quia munia apostolatus, qui ad universam extenditur ecclesiam, cum muniis episcopatus, qui ad unam peculiarem ecclesiam coarctatur, componi minime possunt. Ergo.

312. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Sedes aliquae *cathedrae Petri* nomine insignitae interdum sunt, earumque episcopi vocati Petri successores abusive et improprie, *C.* proprie, *N.* Numquam enim in illarum sedium aut episcoporum catalogis Petrus primo loco recensetur, uti constanter in iis, quos romana exhibet ecclesia, fit; nunc vero addo rationes omnes, ob quas aut peculiares illae sedes *cathedrae Petri* nomine donatae sunt, aut illarum episcopi dicti interdum sunt Petri successores, mirifice romanum Petri episcopatum confirmare. Ideo enim illae denominationes adscitae identidem sunt, tum quia sedes illae seu ecclesiae a Petro aut ab aliquo ejus successore romano pontifice fuerunt fundatae; tum quia in communione erant cum sede romana, seu Petri sede omnium ecclesiarum occidentalium fonte, omniumque prorsus centro et capite, ac propterea unam constituebant cum cathedra Petri ecclesiam.

313. Ad 2. *Neg.* Quandoquidem Jacobus ab apostolis ipsis constitutus est Hierosolymorum episcopus, ut ipsi adversarii contendunt.

314. Ad 3. *N.* Ut patet ex episcopatu Jacobi; quod si Petrus episcopatum peculiarem instituit atque adscivit, secus ac reliqui apostoli, excepto Jacobo, fecerint, ratio est quia praeter apostolatum habuit praeterea primatum, in qua dignitate debuit habere successorem determinatum ac fixum; huic vero consuluit successioni per peculiarem episcopatum romanum. Caeterum semel episcopatu hoc constituto, nihil impediebat quin, relicta ejus administratione, alicui a se delecto, ipse uti apostolus alio excurreret ad disseminandum evangelium et fundandas ecclesias, prout reipsa eum fecisse antiquissima historica documenta testantur.

PROPOSITIO III.

Romani pontifices Petri in episcopatu romano successores illius primatum divino jure obtinuerunt, non autem humana, sive ecclesiastica sive politica, dispositione.

315. Apprime hic secerni debet romanorum pontificum successio in Petri episcopatum aut romanam sedem seu cathedram, ab eorumdem successione in ejus primatum; etenim illa nonnisi juris ecclesiastici est, haec vero

juris divini; illa se habet ut conditio ad successionem in primatum, quia utramque dignitatem Petrus in sua persona conjunxit, ita ut ille esset primus, qui succederet in ejus episcopatum.

316. Acatholici omnes uno animo insurgunt adversus romani pontificis primatum, atque hunc jure divino illi competere acerrime impugnare conantur; etsi non abnuant aut primum locum inter episcopos eidem concedere, aut humana, sive ecclesiastica sive politica, dispositione rom. pontifices hunc esse primatum consecutos. Verum enim vero frustra haec ab ipsis propugnari sic ostendimus.

317. Si Christus primatum ad ecclesiae unitatem constituendam, conservandamque in perpetuum instituit ac Petro contulit, profecto in Petri successores ex divina institutione transmitti debuit; porro non alii successores Petri censeri possunt, quam qui in ejus episcopatum succedunt, ejusque cathedram occupant, qui alii non sunt nisi romani pontifices; ergo divina dispositione seu jure divino pontifices romani succedunt in Petri primatum.

318. Et sane Petrus, uti vidimus, hac de causa peculiarem sedem elegit, in semetipso hac in sede seu cathedra utramque, episcopatus scilicet et primatus, auctoritatem conjunxit, seu identificavit in propria persona; ergo qui hanc sedem occupant, hoc ipso in se utramque pariter auctoritatem conjungunt atque identificant. Eo magis quod post Petri obitum inseparabiles factae fuerint hae dignitates in romana sede, quas Petrus in vivis adhuc potuisset separare, alio transferendo sedem suam, prout jam fecerat quoad sedem antiochenam, quam per aliquot annos rexerat. Nisi igitur Petri successores, ut recte observavit Bossuetus [1], velimus e coelo descendere debuisse, fatendum est alios hos non esse nisi ejus successores in romano episcopatu.

319. Exinde factum est, ut illa, quam vocat Maistrius, *realis praesentia* dimanaverit primatus romani, quae vel ab exordio rei christianae ubique se prodit, in gestis scilicet rom. pontificum, dum vel haereses configunt, vel ecclesiasticam sanciunt disciplinam in ecclesia universa, vel exortas ubique gentium fidei controversias dirimunt, vel in oriente et occidente detrectantes episcopos ad obedientiam redigunt, aut contumaces deponunt, aliaque id genus plura auctoritatis et jurisdictionis acta praestant, idque vel tribus ipsis prioribus ecclesiae saeculis.

320. Nec soli romani pontifices hanc sibi potestatem tribuerunt, sed episcopi per universum terrarum orbem facto ipso agnoverunt. Quaecumque enim in propriis ecclesiis sive haeresis sive controversia oriretur, eam illico ad rom. sedem deferebant; haereticis et schismaticis auctoritatem rom. pontificis opponebant, ad eos confundendos ostendendumque eos esse ab ecclesiae unitate extorres, eo quod non communicarent cum romano episcopo, a quo damnati erant. Hinc certatim vocabant romanam sedem *petram ecclesiae*

[1]) *Defens. declar. cleri gallic.* lib. X. cap. 5.

principalem, uti Cyprianus [2]; *ecclesiarum omnium matricem*, ut idem Cyprianus loc. cit., qui praeterea subdit [3]: *Ex qua unitas sacerdotalis exorta est;* vocabant *ecclesiam potentiorem, cum qua necesse est convenire omnes, qui sunt undique fideles*, ut s. Irenaeus [4]; *Petri cathedram, contra quam numquam praevaliturae sint superbae inferorum portae*, ut s. Augustinus. [5] Et ita porro.

321. Exinde appellationes ad roman. pontifices ex omnibus terrae partibus vel a remotissima aetate sunt repetendae; agendi pariter ratio, quam haeretici tenuerunt Romam se conferendi, potestatem rom. pontificis extollendi quamdiu illis spes aliqua affulsit evadendi promeritam condemnationem; conciliorum oecumenicorum constans praxis ad rom. pontificem mittendi acta, ut ab eo confirmarentur; aliaque ejusmodi quibus referta est universa ecclesiastica historia, quae perspicue evincunt quovis tempore, id est, etiam ante celebrationem conciliorum oecumenicorum atque ante datam per Constantinum ecclesiae pacem, primatum agnitum fuisse in rom. pontifice, non alio titulo, quam ex ejus successione in cathedram Petri, ex divina proinde dispositione, non autem humana qualibet sive ecclesiastica sive politica.

322. Jure proinde meritoque florentini Patres ejusmodi dedere definitionem in *Decreto Unionis: Definimus sanctam apostolicam sedem, et rom. pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse b. Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi et gubernandi universam ecclesiam a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.*

DIFFICULTATES.

323. I. Obj. 1. Ecclesiae romanae praeeminentia adjunctis internis et externis accepta adscribenda est. Quoad interna adjuncta, sunt numerus ingens plebis et cleri sui; ejus divitiae et caritas; origo ejus apostolica utpote a Petro et Paulo fundata, qua de causa *sedes Petri* a Patribus nuncupatur; puritas ejus fidei. Quoad externa, haec sunt: Urbis imperium, amplitudo, dignitas. 2. Sane chalcedonensis synodus can. XXVIII. posterius recensitum motivum assignat uti causam, quare Patres privilegia huic sedi contulerint his verbis: *Etenim antiquae Romae throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt; et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt;* prout et Cyprianus et Theodoretus illud pariter commemorant. 3. Cum proinde rom. episcopus in magna Italiae parte jurisdictione fruetur, hanc eidem confirmat synodus nicaena can. VI: *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romae episcopo*

[2]) Ep. LV.
[3]) Ibid. XLV.
[4]) Lib. III. *cont. haeres.* cap. 3.
[5]) *Psalm. cont. part. Donati.*

parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam caeterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis; aut prout legitur in Rufini versione seu potius compendio: *Et ut apud Alexandriam, et in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem geret.* 4. His alia privilegia ecclesiae rom. adjecit conc. sardicense, can. III, IV, VII, sect. IV. 5. Id ipsum praestiterunt imperatores christiani, praesertim vero Gratianus et Valentinianus. Ergo.

324. Resp. Ad 1. *N.* Etenim non fuerunt adjuncta interna praeeminentiae rom. pontificis *causa*, sed ea potius fuerunt *effectus.* Siquidem et numerus fidelium et cleri, divitiae et caritas, fideique puritas repeti debent ex eo quod Petrus ecclesiam rom. fundaverit, eamque uti episcopus rexerit, cujus successores in hoc episcopatu primatum ejus, qui debebat usque ad consummationem saeculi in ecclesia perseverare, jure haereditario consecuti sunt. Adjuncta vero externa in causa fuerunt quare Petrus Romam potius quam urbem aliam quamlibet elegerit in sedem suam, ut metropolis ethnicismi fieret, post Solymorum reprobationem, metropolis christianismi; quod vel ipsi christiani nominis hostes fassi sunt.

325. Ad 2 et 3. *D.* Et objecti canones nicaenus et chalcedonensis una cum constantinopolitano de juribus agunt patriarchatus, *Tr.* vel *C.* de jure primatus, *N.* De hoc siquidem posteriore jure agere nequeunt canones illi, quum, uti ex allatis probationibus constat, longe ante ipsos seu ab ipsis ecclesiae primordiis et exercitum et agnitum ab universa ecclesia fuerit. Restat igitur, ut loquantur de juribus patriarchatus, quae contra schismaticos et factiosos conc. nicaenum sarta tectaque sedibus alexandrinae et antiochenae servari voluit, adducto exemplo alterius sedis patriarchalis, nempe romanae. Patres autem constantinopolitani et chalcedonenses cum voluerint ob magnitudinem novae Romae, ut Graeci Constantinopolim appellare affectabant, cum detrimento patriarchatuum alexandrini et antiocheni, privilegia ejusdem Urbis in episcopos conferre in cit. canonibus, ideo constanter a rom. pontificibus reprobati sunt. Nec nisi saec. XIII. ac deinceps saec. XV. immutata rerum facie probati sunt.

326. Ad 4. *D.* Id est, concil. sardicense asseruit ac vindicavit rom. pontifici jus appellationum adversus factionem arianorum, et amplificavit quoad illius exercitium, *C.* vere nova privilegia contulit, quibus prius rom. pontifex jure divino non frueretur, N. Aegre ferebant ariani Julium pontificem appellationem admisisse Athanasii, Marcelli, Asclepae, Pauli aliorumque antistitum, qui ob catholicam fidem injuste fuerant a suis sedibus dejecti, adeoque insitum hoc appellationum jus rom. sedi impugnarunt, sardicenses propterea hoc idem jus eidem sedi asseruerunt solemnibus decretis. Quin immo quoad disciplinam sive usum hujus juris, qui tunc temporis obtinebat, statuerunt ut forma illa posset praetermitti per immediatum recursum ad s. Sedem, uti eruditi viri ostenderunt.

327. Ad 5. *D.* Imperatores christiani praerogativas *externas* tribuerunt rom. pontificibus, eo quod Petri successores essent, *C.* tribuerunt augmentum

intrinsecum illorum dignitati, *N.* Hoc enim absurdum est, nemo siquidem dat quod non habet; dederunt igitur quod dare potuerunt, exemptiones scilicet et privilegia extrinseca, quae afficerent politicum regimen, ut liberiores scilicet pontifices essent in administratione illius primatus, quo divinitus potiebantur. Quod quidem expressit Valentinianus his verbis [6]: *Cum sedis apostolicae primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi* nicaenae *firmarit auctoritas*, etc.

328. II. Obj. Traditio alte silet de primatu rom. pontificis *jure divino.* 1. Quamvis enim ejus praeeminentiam extollant Patres, nuspiam tamen eam ex jure divino repetunt. Si qui vero id asserant, illorum quae afferuntur testimonia apocrypha sunt, uti can. VI. nicaen., qui interpolatus a Paschasino prolatus est in conc. chalcedonensi, et s. Athanasius in *Epist. ad Felicem*, dum asserit quod Christus *apostolicos praesules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere praecepit.* 2. Et sane a divino jure repeti nequit, quod a facto humano omnino dependet; jam vero in Petri arbitrio erat Romam potius quam Lutetiam eligere in sedem, aut etiam post electionem primatum ab episcopatu dispescere; 3. hinc non pauci nec infimae notae theologi censuerunt in ecclesiae potestate esse primatum ab ecclesia romana in aliam, e. gr. parisiensem, mediolanensem, petropolitanam etc. transferre. Ergo.

329. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Id est, Patres usi non sunt ea formula *ex jure divino*, *C.* non docuerunt quod hac formula significatur, *N.* Profecto Patres ea formula usi non sunt disserentes de rom. pontificis primatu, cum recens ea sit et a theologis invecta; ast rem ipsam, seu successionem rom. pontificis in Petri primatum ex Christi dispositione, voluntate, institutione, Patres uno animo docuerunt: alii quidem *indirecte*, alii *directe* atque conceptis verbis.

Ac primo quidem *indirecte* tot tradiderunt quot praedicarunt primatum fuisse a Christo institutum in ecclesiae bonum, ad ejusdem ecclesiae unitatem efficiendam et conservandam in unitate fidei et communionis, adeoque in perpetuum; et hunc primatum peculiari Petri personae collatum ut ad ejus successores transmitteretur. Hi autem sunt Patres omnes, qui adversus haereticos et schismaticos scripserunt, quemadmodum ex documentis allatis manifestum est. *Directe* autem et conceptis verbis id ipsum praestiterunt, qui non modo rom. pontifices *Petri* vocarunt *successores*, sedemque romanam *Cathedram Petri*, *ecclesiarum matricem*, *verticem*, *caput* etc., verum etiam edixere rom. pontificem illum esse *cui vineae (ecclesiae) custodia a Salvatore commissa est*, uti Patres conc. chalcedonensis [7], qui addunt, sibi eum *sicut membris caput praeesse;* super rom. pontificem veluti super petram *aedificatam ecclesiam a Christo esse*, uti Hieronymus [8] et s. Augustinus [9];

[6]) ***Novella*** III.
[7]) Epist. ad Leonem M.
[8]) Epist. ad Damasum.
[9]) ***In Ps. cont. partem Donati.***

pontifici in persona Petri a Christo pascendum fuisse traditum universum gregem suum, ut iterum s. Augustinus [10], et alii passim quos longum esset recensere. Tam falsum proinde est traditionem *alte de hoc articulo silere*, quam verum est traditionem universam *alte illum proclamare*.

330. Quod vero adjicitur de documentis spuriis, quae a nonnullis afferuntur, reponimus nonnulla reipsa spuria esse, cujusmodi est textus Athanasio tributus, quo non indigemus; et si quae alia sint minus sincera, pariter dimittimus adversariis, quia in tanta testimoniorum segete, quae nobis genuina suppetunt, absonum esset velle suppositititia consectari. Falsum porro est, quod asserunt de canone nicaeno VI. perinde ac si interpolatus a Paschasino in concilio chalcedonensi intrusus fuerit; sed, ut plerisque criticis placet, ipse legit canonis titulum, qualis habebatur in rom. ecclesiae codice, qui, ut ex plurimorum codicum collatione compertum est, ab ecclesiae graecae codicibus discrepabat.

331. Ad 2. *D.* Si a facto humano pendeat in sua institutione, *C.* si a facto humano pendeat tantummodo uti conditione, ut quod divinitus institutum est, ad effectum deducatur, seu in sua executione, *N.* Jam vero Christus ex dictis primatum instituit in ecclesia perpetuum, illumque contulit Petro, ut in eo et per eum in ecclesia perseveraret, quo haec una semper permaneret. Porro Petrus nulla alia ratione potuit hunc primatum suum in posteros transmittere quam per successionem in ejus episcopatum, ita ut qui ei in episcopatu succederet, hoc ipso haeres fieret primatus sibi divinitus collati. Quapropter in arbitrio quidem Petri fuit hanc prae illa civitatem in sedem eligere; ast posteaquam unam elegerit ibique decesserit in qua utraque, episcopalis scilicet et primatialis dignitas, identificatae sunt, qui ei succedit in episcopatu, hoc ipso eidem divino jure succedit in primatu. Quod ut aliquo exemplo illustretur: ex Christi institutione per consecrationis verba panis fit corpus Christi, in potestate sacerdotis est super hunc potius quam super illum panem verba consecrationis proferre; at postquam super unum verba protulit, in arbitrio jam non est aut illius aut alterius cujuscumque efficere ut, conditione adimpleta, panis ille jure divino consecratus non sit.

332. Ad 3. *D.* Sed immerito, *C.* jure merito, *N.* ut patet ex modo dictis. Fieri utique potest, ut *residentia* rom. pontificis ex uno in alium locum transferatur, uti interdum reipsa factum est, et justa causa interveniente, quaecumque ea demum sit, ut iterum fiat; ast fieri prorsus nequit a quavis humana potestate, ut transferatur primatus in aliam sedem, in qua non verificetur, quod ejus episcopus sit in Petri episcopatu successor.

[10]) Lib. *cont. epist. fundamenti*, cap. 4.

CAPUT III.

DE NATURA ET JURIBUS PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

333. Omnes pontificiae potestatis osores, quamvis specie tenus videantur primatum eumque jure divino in rom. praesule admittere, ejusdem tamen ita extenuare naturam ac jura adnituntur, ut vix ad purum nomen eum non revocent. Alii quidem ad patriarchicam aut archiepiscopalem auctoritatem illius naturam coarctant; alii eam subesse episcopis collective sumptis contendunt, sive dispersis sive in concilium collectis; alii primatus jura distinguunt in originalia et derivata, et ita porro. Nostrum igitur erit ostendere naturam primatus esse episcopalem, ac ita ut sese ad universam ecclesiam extendat; et proinde, quod consequens est, rom. pontificem praeesse universae ecclesiae, sive dispersae sive in conciliis congregatae; commentitiam denique esse nuper invectam jurium in originalia et derivata distinctionem.

PROPOSITIO I.

Auctoritas primatus, quo divino jure pollet romanus pontifex, auctoritas est episcopalis, quae omnes complectitur Christi fideles, etiam episcopos.

334. Auctoritas episcopalis in potestate consistit immediata et ordinaria pascendi ac regendi gregem seu populum sibi commissum. Jam vero talis est potestas, quae vi primatus collata Petro est adeoque successoribus ejus quoad universam ecclesiam. Etenim Christus eum constituit fundamentum ecclesiae suae [1], contulitque seu promisit claves cum plena potestate quodcumque ligandi atque solvendi in ecclesia universa. Rursus eidem Petro dixit Christus [2]: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, apostolos videlicet, quemadmodum et ejus successores in primatu confirmare in fide debent episcopos; demum Christus eidem universum gregem suum pascendum commisit, qui ex ovibus et agnis constat, populo scilicet et pastoribus, dicens [3]: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.*

335. Indidem illae Patrum locutiones originem habuere, quibus ipsi rom. pontificem passim *episcopum episcoporum, pontificem universalem, episcopum universalem, pastorem pastorum, caput capitum* nuncuparunt; siquidem ad unum omnes in recitatis ex Joanne verbis agnoverunt universam ecclesiam, populum ac pastores, a Christo ipsius curae ac regimini fuisse commissam, nominatim vero s. Ambrosius [4], Eusebius emisenus, seu auctor sermonis *De natali apostolorum*, et s. Bernardus, qui sic Eugenium pontificem alloquitur [5]: *Habent illi* episcopi *sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi*

[1]) Matth. XVI.
[2]) Luc. XXII.
[3]) Joann. XXI.
[4]) Lib. X. *in Lucam*, n. 176.
[5]) Lib. II. *De considerat. ad Eugenium* III. cap. 8. n. 15.

crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini ... pasce oves meas. Quapropter jure merito conc. lateranense IV. decrevit quod *ecclesia romana, disponente Domino, super omnes alias ordinaria potestate obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.* Cui consonat Florentinum definiens: *Traditam esse rom. pontifici in b. Petro plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universam ecclesiam.*

336. Romani proinde pontifices ab aetate apostolica ad nostros hos dies hanc potestatis plenitudinem, quoties occasio aut necessitas postulavit, in ecclesiae universae bonum exercuerunt. Quoties haereses exortae alicubi sunt, aut excitatae controversiae: quoties injuste episcopi e sedibus suis fuere dejecti, appellarunt ad rom. pontificem: quoties item in qualibet mundi plaga episcopi aut patriarchae ab officio desciverunt aut in haeresim lapsi sunt: quoties actum est de ecclesiae disciplina sancienda; toties intervenit auctoritas pontificis romani. Id ipsum factum est cum ageretur de dioeceseon amplificatione, circumscriptione, episcoporum translatione, aliisque ejusmodi, cujus recens et locupletissimum exemplum suppetit in conventione quae anno 1801 inter immortalis memoriae Pium VII. et Napoleonem facta est quoad episcopos Galliae, et nunc inter summum pontif. Pium IX. et Franciscum Josephum Austriae imperatorem anno 1855.

337. Et sane supremam ejusmodi episcopalem auctoritatem, quae sese ad universam ecclesiam porrigat, exposcit vel ipsa ecclesiae natura et constitutio. Etenim dempta episcopali hac primatus auctoritate, pastor deesset universalis, qui episcopos regeret; plures essent particulares ecclesiae quidem, non autem ecclesia universalis, quae ex illis coalesceret per modum unius ovilis, cui unus pastor praeesset: nemo foret qui episcopos in officio contineret, amoveretque reluctantes et contumaces, aliaque praestaret, quae ad bonum ejusdem ecclesiae omnino necessaria sunt.

DIFFICULTATES.

338. I. Obj. 1. Episcopus romanus et episcopus universalis est pugna in terminis, siquidem esset episcopus particularis et non esset. 2. Posito semel episcopo universali, actum est de episcopis singulis, qui illius meri vicarii essent, secus ac postulent divina episcopatus origo et institutio. 3. Nomen episcopi *oecumenici* seu universalis velut *nomen blasphemiae temerarium ac profanum* rejecit s. Gregorius M.[6] 4. Et jure merito, siquidem, ut jam sua aetate scribebat s. Cyprianus[7]: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur;* qui propterea 5. veluti tyrannidem in suo conc. carthaginiensi spectabat auctoritatem, quam vellet episcopus in alios episcopos exercere, aut se *episcopum episcoporum* vocare; 6. et s. Hieronymus[8]: *Si auctoritas quaeritur,* scribebat, *orbis major est urbe. Ubicumque*

[6]) *Epist. ad Eulogium* et *Joannem jejunatorem.*

[7]) *De unit. eccles.*

[8]) *Epist. ad Evangelum.*

fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli ... ejusdem meriti et ejusdem est sacerdotii. Ergo.

339. Resp. Ad 1. *D.* Si sub eodem respectu esset episcopus romanus et universalis, *C.* si sub diverso respectu, *N.* Porro rom. pontifex est episcopus romanus, prout per se tenet ac regit sedem romanam; est episcopus universalis, prout primas est universae ecclesiae ac sub se habet praeter universos Christi fideles etiam episcopos. In quo profecto nulla est pugna.

340. Ad 2. *Neg.* Siquidem primatus, quem habet pontifex romanus, licet natura sua sit auctoritas episcopalis, non impedit quominus episcopi in sua quisque dioecesi jurisdictione polleant ordinaria, subordinata tamen primatis auctoritati; quemadmodum auctoritas episcopalis uniuscujusque praesulis non obstat, quin parochi veram et ipsi auctoritatem obtineant ordinariam in propriis paroeciis, quae tamen praesuli subjecta est.

341. Ad 3. *D.* Rejecit nomen episcopi *oecumenici* ob pravum ejusdem abusum et ad ambitionem constantinopolitanorum praesulum eliminandam, *C.* rejecit in se et quoad rectam ejusdem significationem, *N.* A multo enim tempore praesulum constantinopolitanorum menti insederat falsa sententia ex ambitione concepta, sedium praelationem ex urbium amplitudine ac splendore pendere. Hinc postquam cum alexandrini et antiocheni patriarchatuum detrimento extenderant dominationem suam, id ipsum moliebantur pertentare in patriarchatum occidentalem, licet subdole et caute. Coeperunt itaque nomen episcopi oecumenici sibi vindicare, et cum titulo rem. Quapropter s. Gregorius M., cui artes illae bene erant perspectae, fortiter obstitit, ne malum ingravesceret. Quum vero nomen hoc interdixisset Joanni, ab eodem assumendo ipse abstinuit, quamvis ostendat jure sibi competere posse, et luculentissimis gestis reipsa super ecclesiam universam potestatem suam auctoritatemque se extendere patefecit. Humilitatis tamen gratia *servi servorum Dei* sibi titulum adscivit.

342. Ad 4. *D.* Episcopatus unus est ratione sui seu naturae et originis, *C.* ratione auctoritatis quoad episcopos singulos, seu quoad auctoritatem quae in singulis residet, *N.* Significat igitur hoc celebri effato s. martyr identitatem auctoritatis episcopalis in abstracto, ut ita dicam, spectatae, quae quidem tota in sua natura residet in singulis episcopis, cum non scindatur in partes pro multitudine episcoporum; attamen in diverso gradu possidetur pro uniuscujusque auctoritate, quam eorum quilibet obtinet in ecclesia. Jam vero rom. pontifex eam totam obtinet in gradu summo, quatenus complectitur non solum omnes fideles, verum etiam episcopos, quorum ipse episcopus est.

343. Ad 5. *D.* Ad plenam significandam suffragiorum libertatem, quae in conciliis eminere debet, *C.* ad rom. pontificis, nempe Stephani, auctoritatem vellicandam, *subd.* in falsa hypothesi de ejus abusu in ea, quae agitabatur quaestione, *C.* in se, *N.* Alioquin turpiter sibi s. Cyprianus contradixisset, cum alibi tam aperte, tam clare, tamque crebro supremam in rom. pontifice auctoritatem agnovisset. Nonnihil praeterea ei indulgendum est in aestu,

quo fervebat disputationis, si ad severiorem trutinam singula verba sua non revocaverit.

344. Ad 6. *D.* Episcopi ejusdem omnes meriti ac sacerdotii sunt, *C.* ejusdem potestatis ac jurisdictionis, *N.* Etenim s. Hieronymus loquitur in objecta epistola de potestate ordinis, in qua profecto episcopi omnes pares sunt, non item vero de potestate jurisdictionis, quae potest major aut minor esse pro diverso gradu, quem singuli in ecclesia obtinent.

PROPOSITIO II.

Romanus pontifex vi sui primatus suprema auctoritate gaudet in omnes episcopos, etiam in generali synodo collectos.

345. Cum hic agimus de praeeminentia rom. pontificis super universos episcopos etiam in generali synodo collectos, loquimur de rom. pontifice legitimo, certo ac vivente, non autem de pontifice aut illegitimo, aut dubio, aut vita functo; loquimur item de pontifice atque concilio seorsum sumptis, minime vero de concilio cui praesit rom. pontifex sive per se sive per legatos suos, quodve confirmaverit ipse pontifex. In hac enim posteriori hypothesi, perinde esset ac statuere pontificem esse supra pontificem, quod esset absurdum. In priori itaque sensu tantummodo thesis statui potest, ac revera statuitur sive a Gallicanis, cum adstruunt concilium esse supra pontificem, sive ab aliis theologis, qui censent rom. pontificem esse supra concilium.

346. Hoc sensu exposita, fere supervacanea videri posset enunciata thesis, cum numquam casus in concreto, ut ajunt, contingere queat, ut solus pontifex sit, et ecclesia universa stet contra caput suum. Utrumque enim foret contra rei naturam et contra Christi promissiones. Cum tamen exinde occasionem turbidi ingenii homines nanciscantur aut schismata fovendi, aut detrahendi pontificis majestati, cogimur propterea ejus veritatem adstruere.

347. Ex demonstratis in praecedente propositione rom. pontificis primatus consistit in auctoritate episcopali, qua gaudet super universos Christi fideles atque episcopos etiam; ergo sese extendit praeeminentia seu auctoritas rom. pontificis vi primatus sui etiam super episcopos in concilio congregatos.

348. Consequentia patet: siquidem si qua fieri posset exceptio, unice haec repeteretur ex distinctione inter episcopos sive ecclesias *distributive* sumptas, et episcopos sive ecclesias sumptas *collective,* prout reipsa a Gallicanis fieri consuevit. Jam vero hujuscemodi distinctionis nullum apparet fundamentum, vestigium nullum, sive in Scripturis sive in Patribus. Sane Christus Petro regendam commisit ecclesiam *suam;* Petrum ecclesiae *suae* constituit fundamentum, tradidit ei claves regni coelorum seu ecclesiae, *suos* agnos et oves eum pascere jussit. Quid porro ecclesia Christi est nisi collectio omnium ecclesiarum particularium, quae corpus Christi mysticum constituunt, unicum ovile, unum gregem, unam ecclesiam catholicam? Patres vero, uti vidimus, ex adductis testimoniis collegerunt primatum in perpetuum Petro ejusque successoribus collatum a Christo. Exinde illae appellationes,

quibus Petrum aut rom. pontificem absolute *principem pastorum, caput ecclesiae, pastorem pastorum, caput supremum* etc. nuncuparunt, quin unquam suspicionem ingerant illius neotericae distinctionis.

349. Praeterea nonne et ipsi episcopi in conciliis oecumenicis congregati rom. pontificem sibi superiorem professi sunt? Quandoquidem Patres concilii chalcedonensis scribentes ad Leonem M. declararunt *a Domino vineae suae*, id est, ecclesiae *praefectum fuisse, ac sibi tanquam membris caput praeesse*, quaelibet concilia ad rom. pontificem probanda decreta et confirmanda transmisere.

350. Demum vel ex ipsa analogia domus, ovilis, corporis, quibus Christus et apostoli ecclesiam significarunt, distinctio illa evertitur. Alioquin sequeretur fundamentum sustentare quidem lapides singulos, sed, prout in aedificio conjuncti sunt, ipsos sustentare fundamentum; vel oves quidem singillatim pasci a pastore, prout vero gregem seu ovile efficiunt, ab ovibus pasci pastorem; sic membra seorsum sumpta regi a capite, simul vero sumpta caput regere, seu dirigere ac gubernare; quae quidem absona sunt adeo, ut communis sensus ab iis refugiat, prout vel ipsi praestantiores protestantes adnotarunt.

351. In hac hypothesi numquam possent pontifices leges ecclesiae dare, nec vim haberent illae, donec ab ecclesia sancirentur, quod est prorsus inauditum. Concludamus igitur ex praejactis principiis, rom. pontificem vi primatus sui suprema pollere auctoritate super episcopos etiam in generali synodo congregatos.

DIFFICULTATES.

352. I. Obj. 1. Christus, Matth. XVIII. non Petrum, sed ecclesiam declaravit supremum tribunal, eidem propterea Petrus seu rom. pontifex subjici debet; 2. praesertim cum et ipse in *fratrum* censum veniat, qui peccare in fratrem potest, adeoque puniri. 3. Christus praeterea professus ibid. est se in medio esse, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine suo, seu in oecumenico concilio. 4. Atque hinc factum est, ut ecclesia praxi sua patefecerit concilii auctoritatem superiorem esse auctoritati pontificis; Cyprianus enim restitit Stephano, Asiani restitere Victori. 5. Quamvis plures haereses a summis pontificibus fuerint damnatae, iterum per concilia damnatae sunt. 6. Quid plura? S. Gregorius M. quatuor priora oecumenica concilia veluti quatuor evangelia se venerari professus est [1], et Innocentius III. *ordinis et officii sui periculum* se vereri patefecit [2], si quidpiam absque generali concilio, in casu de quo agebatur, ausus esset moliri. Ergo.

353. Resp. Ad 1. *N.* Etenim si ecclesia absque capite consistere nequit, fieri non potest ut Christus eam supremum tribunal constituerit, nempe supra Petrum, quin dicere velimus congregationem acephalam capiti supremo Christum praeposuisse, quod absurdum est. Quod si dicatur Chri-

[1]) Lib. I. Epist. XXV.

[2]) *Epist.* CVI. *ad Philippum Augustum.*

stum ecclesiam cum suo capite praefecisse Petro, consequens erit caput capiti praefecisse, cum omnem auctoritatem ecclesia a capite, seu mediante capite, mutuetur.

354. Ad 2. *D.* Rom. pontifex venit in censu *fratrum* sub aliquo respectu, e. gr. in fide, caritate etc., *C.* sub omni respectu, *N.* Etenim omnium christianorum pater est, nec proinde illorum judicio subjici potest.

355. Ad 3. *D.* Christus professus est se esse in medio fratrum, qui legitime congregati fuerint, *C.* illegitime, *N.* Jam vero legitime ac in nomine Christi congregati dici nequeunt, qui absque pontifice, immo adversus pontificem supremum congregantur. Nec omittendum nimis adversarios hoc argumento probare, siquidem etiam concilia provincialia, immo et synodi dioecesanae supra pontificem essent.

356. Ad 4. *Neg.* Quod si s. Cyprianus restitit Stephano et Asiani Victori, ex errore facti in re disciplinari, seu quae saltem uti disciplinaris censebatur, ita sese gesserunt: Cyprianus quidem eo quod falsam censuerit traditionem, quae ipsi objiciebatur; Asiani vero quod putarent ignorari a Victore traditionem, quam ipsi a s. Joanne acceperunt circa celebrationem paschatis luna XIV. Caeterum, etiam post concilium nicaenum tum quartodecimani tum rebaptizantes perseveraverunt.

357. Ad 5. *D.* Iterum damnatae sunt ab oecumenicis conciliis haereses jam damnatae a rom. pontificibus ad extrinsecam adjiciendam auctoritatem et solemnitatem, *C.* ad auctoritatem intrinsecam conciliandam et absque rom. pontificibus, *N.* Nec praetereundum silentio est extra causam, de qua agitur, haec objici; in causa enim nostra praecise agitur de oecumenici concilii acephali auctoritate supra pontificem, et quidem unice in causa disciplinari, ut ex praemissis patet, seu utrum concilium acephalum possit cogere rom. pontificem reluctantem eumque deponere.

358. Ad 6. *D.* Vere oecumenica et in causa fidei, *C.* acephala et in potestate coactiva supra pontificem, *N.* Talis numquam insedit s. Gregorio mens. Quod si Innocentius III. veritus est ne periculum officii sui subiret in peculiari illo casu decernendo, allusit ad Christi verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* in quae impegisset, si validum matrimonium, ut petebat Philippus, dissolvisset; tum etiam volebat hac ratione pontifex moras nectere, donec Philippus resipisceret, uti reipsa factum est.

359. II. Obj. 1. Concilium esse supra pontificem declaravit conc. constantiense; decretum constantiense quinquies conc. basileense confirmavit, cujus acta probarunt Martinus V, Eugenius IV, et Pius II. 2. Nota praeterea est *Declaratio cleri gallicani* anno 1682. quae idipsum statuit. 3. Huic declarationi recta ratio suffragatur, quae dictat tum totum majus esse sua parte, cujusmodi est pontifex respectu ecclesiae; tum amputanda membra ea esse, quae totum corpus inficiunt, quale esset pontifex male vivens. 4. Huc accedit, sententiam de praeeminentia pontificis supra concilium vix obsoletam non esse. Ergo.

360. Resp. Ad 1. *D.* Supra pontificem *dubium*, *C.* supra pontificem

certum, N. Illud enim solum poscebat concilii scopus: *Pro extirpatione praesentis schismatis,* ut ibid. dicitur. Incertum praeterea est, num concilium constantiense fuerit oecumenicum et legitimum in prioribus quatuor sessionibus, quod plures negant. Falsum praeterea est concilium basileense fuisse hac in parte confirmatum a praedictis pontificibus, qui potius et dictis et factis illud improbarunt.

361. Ad 2. *D.* Quae tamen nullius roboris est, tum quia improbata est a suis auctoribus atque a rom. pontificibus, tum quia cleri Gallicani perperam dicitur, *C.* quae sit alicujus auctoritatis, *N.* Denuo enim eam improbavit Pius VI. in Constitutione Auctorem fidei. Vel ipse Bossuetius: *Abeat,* inquiebat, *declaratio quo libuerit.*

362. Ad 3. *Neg.* Ad primam autem prob. *D.* Dictat ratio totum majus esse sua parte, si sermo sit de toto aut parte *physica, C.* si de *morali, N.* Haec enim unice pendet ex auctoritatis gradu, supremus autem hic est in pontifice. Ad alteram vero, *D.* Amputanda sunt membra minus praecipua, *Tr.* praecipua et essentialia, cujusmodi caput esset, *N.*

363. Ad 4. *D.* Apud neotericos, *Tr.* apud sanos theologos, qui venerantur, ut decet, apostolicas sanctiones, *N.*

PROPOSITIO III.

Ad solum romanum pontificem vi sui primatus spectat concilia oecumenica cogere, iis praesidere eaque confirmare.

364. Jus istud suapte natura profluit ex natura primatus, quo in universam ecclesiam ac in omnes episcopos sive distributive sive collective sumptos rom. pontifex divina dispositione gaudet. Siquidem illius tantum est recensita praestare, qui suprema tamquam caput auctoritate divinitus pollet super episcopos omnes, quos convocare in concilium, et convocatis praeesse potest, cujusmodi certe alius nec est, nec fingi potest, praeter romanum pontificem. Idem dic de confirmatione decretorum, quaecumque ea demum sint, sive fidei, sive morum, sive disciplinae, praesertim si concilio nec per se nec per suos legatos summus pontifex interfuerit. Ecclesia enim eatenus infallibilis est, quatenus est corpus integrum membris constans et capite; hoc autem dempto, cum acephala sit, hac dote minime fruitur. Quod si de decretis disciplinaribus sermo sit, haec non aliter potuerunt obligationem inducere in ecclesiam universam, quam cum ab ejusdem ecclesiae capite sancita fuerint.

365. Et haec quidem quod attinet ad convocationem, praesidentiam et confirmationem, quam vocant, *formalem,* quae a legitima auctoritate profluat; quod enim spectat ad *materialem,* extrinsecam, politicam, fieri potest ut principes saeculares concurrere ad eam valeant et subsidia praestent; verum hoc non venit in praesentem quaestionem. Vehementer proinde decipiuntur sive acatholici, sive etiam haud pauci aulici catholici scriptores, dum ob ejusmodi partes extrinsecas, quae interdum principibus tribuuntur in coactione

et celebratione conciliorum, deferunt illis jus formale convocationis, celebrationis et confirmationis synodorum oecumenicarum, quo nihil absurdius excogitari potest.

DIFFICULTATES.

366. I. Obj. 1. Octo priora concilia oecumenica ab imperatoribus indicta sunt; 2. et quidem jure, cum eorum sit non minus temporali quam spirituali populi sibi commissi felicitati prospicere; 3. et ipsorum praeterea sit territorium concedere, in quo episcopi congregentur. 4. Quod si insequentibus saeculis rom. pontifices concilia indixerunt, id ab expressa vel tacita principum indulgentia repeti debet, cum nulla divina aut ecclesiastica lex jus istud pontifici reservet; 5. aut etiam ex rom. praesulum usurpatione in tanta quae medio aevo vigebat jurium *confusione*. Ergo.

367. Resp. Ad 1. *D.* Indictione *materiali* juxta dicta, et ex consensu apostolicae sedis, *C.* indictione *formali* seu jure sibi proprio, *N.* Nam cum imperatores nulla spirituali auctoritate polleant super episcopos, fieri nequit ut eos in concilium cogant. Nec desunt documenta ex antiquitate, quibus patescat, non sine rom. praesulum consensu imperatores priora illa concilia generalia convocasse.

368. Ad 2. *D.* Principum est etiam spirituali felicitati suorum subditorum prospicere per media sibi propria, *C.* quacumque ratione, *N.* Nempe cum bonum etiam spirituale subditorum suorum exposcit, debent principes commonefacere episcopos et romanum pontificem, ut ipsi, prout officium sibi divinitus commissum exigit, provideant illorum necessitati, et mala, si quae impendant, avertant. Principes porro spirituali potestati suppetias ferent, ut sic ex utriusque potestatis conjunctione et conspiratione felicitatem populi christiani promoveant.

369. Ad 3. Resp. Imprimis negari potest rom. pontificem territorio destitui, in quo celebretur concilium; verum et hoc praetermisso, quod satis ridiculum est, eo ipso quod principis est consulere felicitati etiam spirituali subditorum, tenetur ad media, quae huic fini assequendo necessaria sunt, inter quae territorium, in quo cogatur concilium, recensetur.

370. Ad 4. *Neg.* suppositum adversariorum, dum hi assumunt quod falsum est, jus nempe istud inhaerere principibus, ex quo solum inferre possunt pontifices et tacito vel expresso principum consensu insequentibus saeculis concilia convocasse. Falsum pariter est nulla divina lege reservari pontifici jus concilia oecumenica cogendi; provenit enim hoc jus ex primatu, quo romanus praesul divinitus super ecclesiam universam pollet.

371. Ad 5. *Neg.* Hoc enim effugium, immo calumnia quae pseudo-isidorianae collectioni innititur, jamdiu obsoleta est, ex quo catholici hoc argumentum omni ex parte rimati sunt.

372. II. Obj. 1. Concilio nicaeno praefuit Hosius episcopus cordubensis, certe aut imperatoris nomine, aut ex demandato ei munere ab ipso concilio ob praeclara ipsius in ecclesiam merita. 2. Concilio constantino-

politano I. nemo praefuit nomine pontificis romani, prout 3. nemo partes pontificis romani sustinuit in concilio ephesino; licet vero Vigilius Constantinopoli moraretur, cum celebratum est concilium oecumenicum V. eidem minime praefuit. 4. Si enim rom. pontifex praesideret conciliis, ut recte animadvertit De Marca, aut episcoporum libertas periclitaretur, aut pontificis dignitas. Ergo.

373. Resp. Ad 1. *D.* Praefuit Hosius uti legatus s. Sylvestri una cum Vitone et Vincentio presbyteris, *C.* praefuit ex nomine imperatoris, aut ex delegatione concilii, *N.* Etenim praesedisse Hosium uti legatum s. Sylvestri, testantur Gelasius cyzicenus graecus scriptor in sua hujus concilii historia, nec non Eusebius caesariensis apud eumdem, et antiqua canonum collectio. Ipso Fleuryo fatente, nulla ratio assignari potest quare Hosius praefuerit, si hanc demas. De delegatione concilii altum est apud veteres silentium. Constantinus vero ultimo loco post episcopos affuit concilio nicaeno, ejus proinde nomine praeesse non potuit Hosius. Quod si Hosius non declaravit in subscriptione se legatum esse Sylvestri, prout praestiterunt Vito et Vincentius, ratio est, quia omnibus erat perspecta ejus legatio ad negotia orientalis ecclesiae componenda.

374. Ad 2. *D.* Eo quod concilium istud ab initio, seu convocatione et celebratione non fuerit oecumenicum, atque uti tale nonnisi per subsequentem rom. pontificis approbationem et confirmationem fuerit habitum, *Tr.* vel *C.* ex defectu juris praesidentiae in pontifice, *N.*

375. Ad 3. *N.* Etenim teste Evagrio [1], consentientibus actis concilii ephesini act. I. s. Cyrillus una cum tribus aliis Roma missis praefuit huic concilio: *Coelestini quoque romanae urbis episcopi vices gerens*, seu *Coelestini locum tenens.* Concilio porro oecumenico V. Vigilius oeconomiae causa interesse noluit, nec *praesidere,* quamvis ut ipsi *praeesset* trina legatione a Patribus invitaretur, uti ex actis ejusdem concilii apud Harduinum patet. [2]

376. Ad 4. Resp. Optime duo haec inter se conciliari, si spectentur episcopi uti *conjudices* cum rom. pontifice. Per modum enim unius sententia a concilio emittitur sive pontifex prius nihil constituerit, sive jam eam protulerit; in priori siquidem hypothesi, ut per se constat, plena habetur suffragiorum libertas, in posteriori autem per assensum, quem tanquam judices episcopi praebent sententiae rom. pontificis. Nec enim essentia potestatis judicialis in facultate dissentiendi consistit.

377. III. Obj. Saltem confirmationem conciliorum oecumenicorum ad solos imperatores spectare constat 1. ex eo quod octo priora concilia ab imperatoribus confirmata sint; 2. ex agendi ratione conciliorum, quae ejusmodi confirmationem ab imperatoribus interdum petierunt, prout inter caetera postulavit a Theodosio concilium IV. ut *ratum* haberetur; 3. ex ipsis rom. pontificibus, e. gr. Leone II. qui, scribens ad Constantinum Pogonatum, a quo confirmata fuerat sexta synodus, dicit tum concilii sententia, tum ejus

[1]) *Hist. eccl.* lib. I. cap. 4. [2]) Tom. III. col. 62.

confirmatione, tamquam gladio ancipiti haereticos fuisse confixos. 4. Confirmatio enim rom. pontificis derogaret conciliorum auctoritati, suspensa siquidem illorum maneret sententia in haereses lata, quamdiu a pontifice romano probata non fuerit. Supervacanea praesertim videri potest pontificia confirmatio, si romanae sedis legati iisdem praesederint. Ergo.

378. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* In ordine ad executionem, *C.* in ordine ad intrinsecam et formalem obligationem seu autoritatem, *N.* Non alia sane confirmatio ex parte principum excogitari potest quam extrinseca ut executioni mandentur, quae a conciliis sancita et constituta sunt. Plures enim semper inveniuntur contumaces, qui obedire detrectant, nisi proinde poenarum adigerentur timore, nihili facerent infallibilem ecclesiae auctoritatem. Sane non principibus sed Petro dictum a Christo est: *Confirma fratres tuos.*

379. Ad 2. *D.* Ad obtinendam confirmationem extrinsecam, juxta dicta, *C.* ad obtinendam intrinsecam firmitatem, *N.* Hoc enim esset absurdum.

380. Ad 3. eadem esto responsio. Nec aliud significare voluit Leo II. quam utriusque potestatis, ecclesiasticae videlicet ac politicae, conspiratione haereticos ad officium revocari.

381. Ad 4. *N.* Quandoquidem confirmatio pontificis illud robur illamque irreformabilem firmitatem conciliorum definitionibus sanctionibusque adjicit, quam illa per se non haberent. Etenim exsurgere haec debet ex membrorum et capitis conjunctione. Quod si pontifices per suos legatos conciliis interfuerint, supervacanea tamen ipsorum confirmatio censeri nequit, cum ea ad instar obsignationis sit, qua declaratur omnia rite in conciliis fuisse peracta.

PROPOSITIO IV.

Decreta dogmatica concilii oecumenici, confirmati a rom. pontifice, irreformabilia sunt ex se seu ante consensum et acceptationem ecclesiae.

382. Duo complectitur enunciata propositio: alterum adversus protestantes, quod infallibile prorsus sit concilium convocatione, celebratione et exitu, seu confirmatione rom. pontificis in decretis dogmaticis; alterum adversus jansenistas et febronianos, quibus adstipulatus est ante suam conversionem Oxoniensis Palmerius, quod concilium hac infallibilitate ex se non polleat, nempe ante quamcumque ecclesiae supervenientem acceptationem.

383. Probatur vero prima pars: 1°. Ex infallibilitate ecclesiae, cujus concilia organum sunt, seu ecclesia repraesentativa; si proinde ecclesia dispersa infallibilis est, uti ex demonstratis suo loco constat, infallibilia pariter esse debent concilia, quae sunt ecclesia congregata, aut ejusdem ecclesiae organa, eamque repraesentant; 2°. ex eo quod concilia legitime celebrata possunt ad instar prioris concilii apostolici dicere: *Visum est Spiritui Sancto et nobis;* porro quod *Spiritui Sancto visum est*, non potest non esse infallibile; 3°. ex sensu totius antiquitatis, quae constanter uti haereticos

et schismaticos habuit detrectantes oecumenicorum conciliorum dogmaticis definitionibus se subjicere, atque uti martyres habuit quotquot pro fide in conciliis oecumenicis sancita passi sunt; quae quidem infallibilitatem, de qua disserimus, supponunt; 4°. ex aperta et expressa unanimi sanctorum Patrum doctrina, qui in eo conveniunt, ut vocent *ultimum ecclesiae judicium* definitionem dogmaticam conciliorum; aut *haereticos* pronuncient illius refragatores; aut *divina et a Spiritu S.* edita affirment conciliorum decreta; aut ea profiteantur tamquam *evangelia* venerari; aut denique moriendum potius quam vel latum unguem discedere ab oecumenicis sanctionibus dogmaticis doceant. Quae sane omnia luculenter evincunt nullo non tempore uti infallibilia habita fuisse concilia oecumenica legitime celebrata.

384. Probatur vero altera pars: 1°. Ex sensu totius pariter antiquitatis, quae nullo ulteriori expectato ecclesiae consensu aut acceptatione, velut haereticos illico habuit quotquot dogmaticis conciliorum definitionibus restiterunt; 2°. ex anathemate quo concilia perculerunt eos omnes, qui non sentirent et crederent prout a conciliis definitum erat; 3°. ex tessera unica quae semper adhibita est ad secernenda concilia legitima ab illegitimis, nempe confirmatione romani pontificis, uti ex Ferrando diacono, Marciano imperatore, et concilio oecumenico VII. seu nicaeno II. patet; 4°. ex facto ipso; exploratum siquidem est illa tantum concilia tanquam infallibilia spectata fuisse, quae confirmata fuere a romanis pontificibus, illa vero ab hoc censu fuisse exclusa, quae hoc suffragium pro se non tulerunt, nullo habito respectu ad ulteriorem ecclesiae approbationem, quae subsecuta sit pontificum confirmationem. Ex qua postrema observatione consequitur absurdum esse ad dignoscendum legitimum concilium, ejusque proinde infallibilem auctoritatem profitendam praeter pontificiam confirmationem requirere consensum ecclesiae ulteriorem, cum haec, quatenus distinguitur a coetu pastorum, teneatur illius decretis dogmaticis assentiri, nec fieri possit ut ab illis aliquando dissentiat, suumque cohibeat assensum.

DIFFICULTATES.

385. I. Obj. Si irretractabilia essent dogmatica conciliorum oecumenicorum decreta, 1°. neque s. Gregorius nazianzenus potuisset profiteri [1] se ab episcoporum coetibus fugere eo quod nullius concilii exitum felicem compererit; 2. neque s. Augustinus potuisset affirmare [2], concilia *plenaria* priora a posterioribus emendari; 3. neque in disputatione adversus Maximinum arianum, neglectis conciliis nicaeno et ariminensi, contendisset disputationem deducendam esse ad solam Scripturarum auctoritatem et rationum pondera. 4. Sane si infallibilia essent ejusmodi decreta, nullum interponeretur discrimen inter concilia oecumenica et Scripturas canonicas; 5. nuspiam proinde haec conciliorum infallibilitas aliquo canone sancita est. Ergo.

386. Resp. Ad 1. *D.* Profitetur s. Gregorius naz. se fugere a

[1]) *Epist.* LV. *ad Procopium.* [2]) Lib. II. *de Bapt.*

coetibus, in quibus ariani episcopi dominabantur, *C.* a conciliis oecumenicis rite celebratis, *N.* Infelici siquidem illa aetate ariani omnia miscebant, nec ullus certe tot conciliorum felix exitus fuit, a quibus proinde abhorrebat Gregorius. Ast concilia vere oecumenica, cujusmodi sunt nicaenum et constantinopolitanum I. semper s. Doctor veneratus est: primi enim auctoritatem semper adstruxit et arianis opposuit; alteri autem, in quo proscripti sunt macedoniani, ipsemet praesedit.

387. Ad 2. *D.* Ita ut per concilia *plenaria* significaverit s. Augustinus concilia provincialia aut nationalia, prout ferebat illius aetatis loquendi usus, *C.* ita ut significaverit concilia oecumenica, *N.* Tum enim ex subjecta materia, de qua agebatur, nempe de concilio sub Cypriano celebrato, quo donatistae abutebantur; tum ex facto de duobus tantum conciliis oecumenicis aetate s. Augustini celebratis, nicaeno et constantinopolitano I. a quo certe nicaenum emendatum non fuit, s. Doctoris mens patet.

388. Ad 3. *D.* Argumentatione ad hominem ac *praescindendo, C.* absolute et *excludendo* auctoritatem concilii nicaeni, *N.* Cum enim Maximinus repugnaret concilio nicaeno et efferret concilium ariminense, hinc s. Augustinus ad tricas omnes amovendas revocavit disputationem ad Scripturarum auctoritatem.

389. Ad 4. *Neg.* Scriptura enim canonica Spiritu S. afflante conscripta est, decreta autem dogmatica conciliorum per solam ejusdem adsistentiam eduntur.

390. Ad 5. *D.* Eo quod uti certam semper hanc infallibilitatem habuerit ecclesia, *C.* secus, *N.* Addo ejusmodi definitionem dari non posse, quin prius supponatur infallibilitas ejusdem ecclesiae, alioquin nullam vim haberet.

391. II. Obj. 1. Necessarius saltem est universae ecclesiae assensus, ut nobis certo constet utrum in celebratione concilii omnes conditiones adimpletae fuerint, quae requiruntur. 2. Hac enim ratione ostendit s. Athanasius adversus arianos legitimum et oecumenicum fuisse concilium nicaenum in *Epist. ad Afros,* quod illi *universus orbis assensum praebuit.* 3. Sane intelligi nequit quomodo ex confirmatione solius pontificis, qui ex sententia Gallicanorum fallibilis est, possit infallibilitas concilio communicari. 4. Christus enim toti apostolorum collegio in solidum infallibilitatem promisit; nequit igitur minori episcoporum parti etiam cum rom. pontifice competere, sed opus est ut accedat episcoporum reliquorum consensus. 5. Quo consensu factum est, ut plura conciliorum provincialium decreta irrefragabilia evaderent. 6. Hinc damnata est a facultate sorbonica propositio, qua omnimoda conciliorum oecumenicorum adstruebatur necessitas; 7. eo vel magis quod infallibilitas concilii oecumenici etiam a pontifice confirmati intra *opinionum,* quae, salva fide, rejici possunt, contineatur cancellos. 8. Simplex porro opinio numquam poterit basin constituere fidei. Ergo.

392. Resp. Ad 1. *Neg.* Sufficit enim ad illam certitudinem assequendam pontificia confirmatio juxta regulam et praxim, quam universa tenuit

antiquitas. Quaevis alia excogitetur, incerta erit et innumeris incommodis obnoxia.

393. Ad 2. *D.* Id est, s. Athanasius ostendit universum orbem concilio nicaeno assensum praebuisse, eo quod oecumenicum et legitimum fuerit, *C.* ut oecumenicum et legitimum fieret, *N.* Haec duo valde inter se differunt; prius asserit Athanasius, posterius de suo adjiciunt adversarii.

394. Ad 3. *D.* Rom. pontifex ex sententia Gallicanorum fallibilis est seorsum sumptus, *C.* una cum concilio, *N.* Nemo siquidem catholicorum unquam posterius hoc in dubium revocavit. Imponit igitur Palmerius Gallicanis, dum ipsis hanc sententiam affingit.

395. Ad 4. *D.* Id est, promisit Christus infallibilitatem apostolis in communi cum Petro et sub Petro, *C.* apostolis seorsum a Petro, *N.* Porro si apostoli cum Petro, seu potius episcopi cum romano pontifice infallibilitate juxta Christi promissa fruuntur, jam sequitur caeterorum assensum minime ad ejusmodi infallibilitatem necessarium esse, immo sequitur caeteros necessario debere, si catholici esse velint, ejusmodi assensum praebere.

396. Ad 5. *D.* Praecipue vero romani pontificis, *C.* sine illo, *N.* Numquam accedit ecclesiae assensus, si conciliis provincialibus auctoritas pontificis refragetur.

397. Ad 6. *Nego conseq.* Nec enim sequitur ex eo, quod necessaria ad haereses damnandas non sint oecumenica concilia, haec esse fallibilia, si celebrentur. Logici ejusmodi consequentiam non admittunt.

398. Ad 7. *Neg.* Ut ex dictis in resp. ad 3. patet.

399. Ad 8. *D.* Si esset reipsa simplex *opinio* doctrina de infallibili concilii oecumenici auctoritate, *C.* si fidei dogma inconcussum apud omnes catholicos sit, *N.* Jam vero, ut saepius diximus, nemo catholicorum est, qui aliquando in dubium revocaverit infallibilem esse concilii vere oecumenici auctoritatem in rebus fidei et morum.

PROPOSITIO V.

Commentitia est ac naturae pontificii primatus prorsus adversatur nuper invecta distinctio inter jura primatus essentialia et accidentalia sive accessoria.

400. Est adversus febronianos qui, ut attenuent auctoritatem rom. pontificis, distinguunt inter jura essentialia provenientia ex jure divino, quaeque necessarium nexum habent cum primatu, et jura accidentalia et accessoria, quae ex jure tantum ecclesiastico promanant, seu ex concessione ecclesiae. Verum quo magis coarctant priora, eo magis amplificant posteriora, ut finem sibi propositum assequantur.

401. Verum perperam eos adlaborare, sic evincimus: Commentitia distinctio illa est censenda et naturae primatus contraria, quae arbitraria est, falsoque innititur principio: quae naturam ipsam primatus destruit, divinitus Petro ejusque successoribus collati: quae denique incognita fuit toti antiquitati. Sic porro se res habet.

402. Etenim primo arbitraria est ratione temporis, siquidem gratis prorsus adversarii eam repetunt ex medio aevo, aut post sex priora saecula, sine ullis documentis; innititur falso principio, nexu nempe necessario vel non necessario cum primatu, cujus ipsi soli adversarii judices sunt; in quo praeterea historiae adversantur, ex qua novimus rom. pontifices longe ante pseudo-isidoriana decretalia usos esse illis juribus, quae adversarii inter accidentalia et accessoria recensent; tum etiam in eo quod iidem assumunt jus antiquum esse prorsus immutabile, ita ut corruptela censeri debeat quidquid, secus ac ferret jus antiquum, postea induci coepit. Permiscent scilicet in hoc adversarii *jus* cum *exercitio* juris; illud immutabile est, istud mutationi est obnoxium, pendetque a praesentibus rerum adjunctis, uti reipsa semper factum est.

403. Adversari autem naturae primatus, Petro ejusque successoribus divinitus collati, distinctionem istam, patet ex natura ipsius primatus, quam ostendimus in episcopali auctoritate consistere, quae universam complectitur ecclesiam; ejusdem proinde primatus vi potest rom. pontifex statuere quidquid ad ejusdem ecclesiae bonum et aedificationem pertinet. Qui proinde distinctionem inducunt inter jura essentialia et accidentalia, ejusdem primatus naturam labefactant.

404. Incognitam demum esse ejusmodi distinctionem toti antiquitati, abunde liquet tum ex eo, quod rom. pontifices, exposcente ecclesiae utilitate, amplissimam, nemine reclamante, exercuerint auctoritatem; tum ex eo quod illa ipsa jura, immo et ampliora, quam pontifici tribuant isidorianae merces, exercuerint romani praesules; tum denique ex eo quod nemo ante Febronium ejusque gregales illam excogitaverit.

405. Quaquaversus igitur nova haec distinctio spectetur, commentitia deprehenditur, non minus tot rom. pontificibus quam ecclesiae ipsi injuriosa et inducens in schismata et perduellionem.

DIFFICULTATES.

406. I. Obj. 1. Christus non soli rom. pontifici, sed etiam episcopis ecclesiam regendam commisit; jura proinde ordinaria episcoporum imminui nulla ratione possunt. 2. Jam vero ex antiquitatis praxi rom. pontifici semper reservatum fuit jus supremae inspectionis, supremi provisorii regiminis, conciliorum confirmationis; episcopis autem jus erat plura praestandi, quae nunc sibi rom. pontifices reservarunt. 3. Hinc nisi suis limitibus coarctetur primatialis auctoritas, poterit rom. pontifex omnia ad se revocare, ex arbitrio ecclesiam regere; episcopis vero sola obsequendi necessitas relinqueretur. 4. Alioquin non alius conceptus potestatis primatialis haberi posset, quam qui exsurgit ex omnium jurium essentialium et accidentalium collectione; quod absonum omnino videtur. Ergo.

407. Resp. Ad 1. *D.* Christus etiam episcopis ecclesiam regendam commisit, seu jurisdictionem contulit vel mediate vel immediate, *C.* immediate, *subd.* cum subjectione tamen ac dependentia quoad exercitium a rom.

pontifice seu ecclesiae capite, *Tr.* absque subjectione et dependentia, *N.* In primis non omnes theologi tenent jurisdictionem immediate episcopos habere jure divino, sed immediate a rom. pontifice, qui non pauci sunt iique insignes. Verum et hoc praetermisso, nemo est vel ex iis, qui docent episcopis ejusmodi jurisdictionem immediate jure divino competere, qui in dubium revocet illam quoad exercitium subjici romano pontifici. Quapropter nullorum juri detrahit rom. pontifex, si, cum utilitas ecclesiae postulet, illam jurisdictionem coarctet.

408. Ad 2. *D.* Ita tamen ut praxis illa unicam jurium normam non constituat, *Tr.* ita ut aliter fieri nequeat, *N.* Ipsis adversariis fatentibus, plurium etiam saeculorum praxis et usus nequit jus determinare, alioquin, cum nova disciplina a pluribus saeculis obtinuerit, jus illud constitueretur, quod ipsi impugnant. Fieri proinde potuit, ut potestas primatialis, ut ipsi loquuntur, illa evolutione non indiguerit, quae, mutatis rerum adjunctis, postea necessaria fuit. Ex diversa proinde praxi nihil inferri potest pro distinctione jurium essentialium et accidentalium. Accedit, quod plura jura, ut antea animadvertimus, quae tribuunt adversarii isidorianae collectioni, quaeque inter accidentalia recensent, fuerint a rom. pontificibus ante apparitionem illius collectionis exercita. Supponunt praeterea adversarii in hac difficultate, quod in quaestione versatur, veritatem et existentiam nempe distinctionis illius, quam gratuitam esse et commentitiam ostendimus.

409. Ad 3. *D.* Omnia posset rom. pontifex vi sui primatus, quae in aedificationem ecclesiae cederent, *C.* quae in ejus destructionem vergerent, *N.* Hic solus et non alius a Christo constitutus est terminus ac limes primatui vicarii sui. Quicumque alius excogitetur, erroneus erit et arbitrarius. Neque exinde timendum est de auctoritate ordinaria episcoporum, cum longa saeculorum experientia ostenderit nullum detrimentum ex jurium rom. pontificis exercitio provenire. Dum vero adversarii incommoda indidem profluentia exaggerant, non indulgent nisi malo ipsorum animo; eo vel magis quod conciliorum oecumenicorum declaratione probata praesens praxis sit.

410. Ad 4. *Neg.* absonum esse illum conceptum auctoritatis primatialis admittere, uti ex dictis patet.

411. II. Obj. 1. Metropolitae ac synodi provinciales pacifica plurium saeculorum possessione juribus illis potitae sunt, quae deinceps sibi reservarunt rom. pontifices. 2. Nulla porro sive justa sive injusta causa poterat illos suis juribus privare. 3. Damna quae ex nova disciplina inducta sunt, amare deflet s. Bernardus [1], dum queritur *de ecclesiarum detruncatione, qua subducuntur abbates episcopis, isti metropolitanis, hi patriarchis ac primatibus.* 4. Exinde derivanda regularium enervata disciplina, depravatio clericorum, aliaque non pauca. 5. Demum periculum instat ne pontifices sibi omnia vindicent. Ergo.

412. Resp. Ad 1. *D.* Potitae sunt synodi aut etiam metropoliticae

[1]) Lib. II. *de consid.* cap. 14.

sedes juribus illis ex consensione revocabili rom. pontificum, *C.* ea habuerunt ex se, aut ex consensione irrevocabili, *N.* Jura ecclesiastica, seu quae ex potestate ecclesiastica pendent, ab auctoritate supremi capitis universae ecclesiae necessario repeti debent; alioquin episcopi et metropolitae totidem essent *autocephali,* nec rom. pontifici subjicerentur, quod adversarii non admittunt; ergo natura sua revocabilia sunt, quoties nempe illorum revocationem aut coarctationem ecclesiae utilitas exposcat.

413. Ad 2. *D.* Ex injusta causa, *Tr.* vel *C.* ex justa causa, *N.* Responsio patet ex modo dictis.

414. Ad 3. *D.* Deflet s. Bernardus abusus in administratione, *Tr.* vel *C.* deflet administrationem ipsam, seu jus et potestatem pontificiam, *N.* Cum nonnulli abusus irrepsissent ex parte subditorum, qui nacta occasione exemptionis, quam justis intercedentibus causis a sancta Sede obtinuerant, sese extollebant respective sive abbates adversus episcopos sive isti adversus metropolitas, s. Bernardus hos abusus deflet, rogatque pontificem, ne extra necessitatis casum has facile concederet exemptiones, quibus perturbabatur ordo regiminis in ecclesia sapientissime institutus, utereturque plenitudine potestatis, qua divinitus fruitur in aedificationem et non in destructionem. Distingui proinde debet *jus* et potestas ab ejusdem juris aut potestatis *exercitio,* prout s. Abbas apprime distinguit; et dum aliquid in exercitio carpit, jus et potestatem mirifice extollit atque confirmat.

415. Ad 4. vel *N.* vel *D.* Quae aeque locum habuissent et habent absque nova disciplina, *C.* secus, *N.* Historia ecclesiastica cujusvis aetatis ineluctabile documentum suppeditat ejusmodi malorum, quae adversarii exaggerant; satis est oculos conjicere in scripta Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Hieronymi, Augustini, deinde vero Ratherii veronensis, aliorumque auctorum illius aetatis, in qua nondum exempti erant monachi ab ordinariis, ut quisque persuasum habeat, quovis tempore humanae fragilitatis exempla ac depravatae disciplinae occurrere, ac fortasse pejora illis, quae insequentibus saeculis data sunt. Ad clericos speciatim quod attinet, illorum ad s. Sedem appellationes vitia haud fovere liquet ex dispositione Tridentini [2], qua cautum est ne ejusmodi appellationes executionem sententiae suspenderent, ac pluribus in casibus posse episcopos procedere uti delegatos apostolicos.

416. Ad 5. *Neg.* Eam siquidem solam rom. pontifex potest sibi vindicare potestatem, quae in bonum ac utilitatem ecclesiae cedat, prouti paulo ante adnotavimus.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS PRIMATUS DOTIBUS.

417. Cum rom. pontifex vi primatus sui caput totius ecclesiae sit, patet easdem dotes infallibilitatis et auctoritatis rom. pontifici excellentiori etiam ratione competere, quibus fulget universa ecclesia, quae, prout distincta

[2]) Sess. XIII. cap. 1. *de Reform.;* item Sess. XIV. cap. 1.

a capite spectatur, illis mediante rom. pontifice condecoratur. Porro duas praecipuas ecclesiae dotes enumeravimus, infallibilitatem scilicet in docendo et auctoritatem in regendo; quod enim attinet ad indefectibilitatem in existendo, quae tertia dos est ecclesiae, locum hic ea non habet, nisi fortasse in serie pontificum, quo sensu identificatur cum ecclesia ipsa. Ex duabus illis dotibus infallibilitatis et auctoritatis, priorem tantum discutiendam assumimus; siquidem post ea, quae hactenus de natura primatus disseruimus, supervacaneum est de pont. auctoritate verba facere, cum natura sua suprema sit.

418. Jam vero cum de pontificis in docendo infallibilitate sermo est, intelligi ea debet de dogmaticis definitionibus universae ecclesiae propositis, seu, ut vulgo dicitur, cum pontifex loquitur *ex cathedra.* Duae porro conditiones requiruntur, ut dici possit pontificem *ex cathedra* loqui: 1°. Ut ejus definitiones habeant pro objecto res fidei et morum, sive ut decernatur credenda, sive respuenda tanquam fidei et moribus contraria doctrina aliqua; 2°. ut solemni ratione ac sub censuris doctrinam universae ecclesiae sive tenendam sive respuendam proponat. Falluntur proinde vehementer, qui censent a nobis adstrui pontificis infallibilitatem sive in factis personalibus, sive in privatis aut publicis ejus dictis, sive in decretis et rescriptis aliisve ejusmodi, in quibus nemo catholicorum infallibilitatem pontificis adstruit.

419. His limitibus circumscripta seu definita pontificis romani infallibilitate, quaestio agitatur utrum illa pontifici antecedenter ad ecclesiae consensum tribuenda sit an non; seu utrum pontifex se solo illam infallibilitatem habeat, an vero dependenter a praevio sive expresso sive tacito ecclesiae illius definitionibus consensu. Sanior et communis theologorum pars docet infallibilitate pontificem pollere, adeoque irreformabilia esse dogmatica ejus decreta ante ejusmodi ecclesiae consensum; theologi gallicani plerique, praesertim post celebrem sic dictam cleri gallicani declarationem anno 1682. tenent reformabilia ab ecclesia esse dogmatica rom. pontificis decreta, adeoque ipsum se solo infallibilitate minime praeditum esse.

420. Magna haec controversia est, si in *abstracto*, ut ajunt, spectetur, nulla aut pene nulla si in *concreto;* seu magna est in *ideali*, nulla in *reali.* Etenim 1°. pontifex reipsa numquam seorsum ab ecclesia, cum qua unum corpus integrum efficit, reperitur; 2°. numquam solus est in decernendo, cum plures semper ei episcopi adhaereant; quod si episcopi ab invicem divisi sint, illi ecclesiam constituunt, qui cum rom. pontifice sunt, juxta tritam regulam a s. Ambrosio traditam: *Ubi Petrus ibi ecclesia;* 3°. ut plurimum episcopi, in quorum provincia error aliquis aut neoterica doctrina exsurgit, in eam insurgunt, concilia etiam quandoque celebrant, scriptis impugnant, deferunt ad apostolicam Sedem ut eam damnet. S. Sedes accurato examini eamdem doctrinam subjicit, interim scripta hinc inde vulgantur, demum decretum post plures annos emittitur. Ita fert praxis, ut plurimis exemplis confirmari posset. Quae cum ita se habeant, patet numquam fieri posse, ut pontifex solus sit in dogmaticis constitutionibus edendis, nec

proinde controversiam hanc, si ad praxim revocetur, locum habere. Addo plerumque eos, qui irrident doctrinam de infallibilitate rom. pontificis, a radice latente incredulitatis permoveri, quum non concipiant, qua ratione uni individuo praerogativa haec competere possit; sed si Deo eam acceptam referrent, qui assistentia sua in bonum ecclesiae praesto illi est, prout eadem munit episcopos cum pontifice sive dispersos sive in concilio congregatos, omnis admiratio cessaret, cum Deo difficile magis non sit uni potius quam omnibus dotem hanc communicare. Verum isti tacite uni prudentiae humanae ac industriae felicem exitum adscribunt.

421. Quidquid porro sit, communem de rom. pontificis infallibilitate doctrinam vindicaturi tres constituimus propositiones, quarum prima eam adstruimus ex sacris litteris, secunda eamdem ostendimus ex traditione, tertia demum id ipsum conficimus ex facto ipso. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Romanus pontifex ex cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat ecclesiae consensus, sunt prorsus irreformabilia; prout in primis sacrae litterae ostendunt.

422. B. Petrum adeoque roman. pontificem, dum uti ecclesiae universae primas publico magisterio fungitur, infallibilitatis dote instructum esse, ita ut irreformabilia sint dogmatica ejus decreta absque praevio ecclesiae consensu, tria potissimum oracula publica evincunt.

423. Primum est quod legitur Luc. XXII. 31. ubi sic Christus Petrum alloquitur: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Christus igitur his verbis, praenunciata futura Petri et apostolorum reliquorum tentatione, firmitatem in fide, vi orationis suae pro Petro fusae, eidem pollicitus est, eidemque uti primati designato ecclesiae suae munus committit confirmandi in fide fratres suos; tamdiu ergo durare debet haec firmitas et hoc munus, quamdiu primatus ejus; atqui ex demonstratis debet hic esse perpetuus; ergo etiam firmitas ex oratione Christi proveniens et munus Petro commissum: eo vel magis, ut scite animadvertit in hunc locum Bossuetius ipse, quod minus firmi in fide futuri essent apostolorum successores sive episcopi, quam essent apostoli. Rursum: Nisi firmitas haec omnimoda perduratura esset in Petri successoribus uti ecclesiae primatibus, istorum firmitas ab ecclesia penderet, et episcopi deberent in fide confirmare rom. pontificem, cum e converso et ecclesiae firmitas a Petri successoribus primatibusque pendere debeat et ab ipsis in fide confirmandi episcopi sint; prout ex his verbis, ut postea videbimus, collegerunt ecclesiae Patres.

424. Alterum est quod Matth. XVI. 17 seqq. occurrit: *Beatus es, Simon Bar-Jona... Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ideo

ex his verbis portae inferi numquam praevalere poterunt adversus ecclesiam, quia haec aedificata est super Petrum tamquam super firmam petram solidumque fundamentum. Si igitur in adversariorum hypothesi posset ecclesia reformare dogmatica rom. pontificum decreta, utpote erroribus fidei obnoxia, ecclesia nec robur suum nec suam firmitatem mutuaretur a fundamento, sed fundamentum ab aedificio, quod est aperte contra consilium et mentem Christi Domini, tum hic tum alibi expressam.

425. Tertium desumitur ex Joann. XXI. 15 seqq.: *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Hic Petrum ceu supremum ac universalem totius ecclesiae suae pastorem Christus constituit, eique munus commisit pascendi agnos et oves suas universas: cum vero pastoris munus praecipue consistat in pascuis salubribus praebendis gregi, ac in eo avertendo a veneficis et noxiis, patet minus idoneum huic muneri adimplendo, immo plane ineptum Petrum ejusque successores fore, si in fide errare aliquando possent, dum ex officio munus sibi commissum exercent. In sententia, quam impugnamus, non pastor oves regeret ac pasceret, sed regeretur ac pasceretur pastor ab ovibus, ab his pastor ipse arceretur a noxiis pascuis, quod plane absonum est. Immo cum ei obsequendum a nobis sit ex Christi ipsius dispositione, tamdiu in errore versari deberemus, quamdiu ab ovibus et ipse et nos ab errore non revocaremur. Quaquaversus igitur res spectetur, constat Christum infallibilitatis dote voluisse Vicarium suum in docendo praeditum esse, ejusque dogmatica decreta, ex cathedra edita, esse prorsus irreformabilia ante omnem ecclesiae consensum.

DIFFICULTATES.

426. I. Obj. Quod legitur Luc. XXII. non est ad rem; ibi enim 1. agitur de proximo lapsu Petri deque ejus conversione mox secutura; oratio proinde Christi pro objecto unice habet personam privatam Petri. 2. Illa propterea confirmatio coarctatur ad apostolos trepidos post Christi mortem. 3. Demum Christi oratio habet pro objecto ecclesiam ipsam cujus ipse bono semper prospexit, et in ecclesia suum habet effectum. Ergo.

427. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Ita ut hic lapsus et haec conversio occasionem Christo praebuerint adducta verba proferendi, *C.* ita ut ultra non se protendant, *N.* Haud diffitemur Christum in adductis verbis respexisse etiam ad imminentem Petri lapsum ejusque resipiscentiam; verum et illud contendimus, ejus orationem speciatim fusam esse pro Petro uti primate ecclesiae constituendo, cui munus injunxit confirmandi fratres suos seu cooperatores in ecclesiae regimine, adeoque in gratiam primatus ipsius perpetuo in ecclesia duraturi, prout etiam interpretati ea sunt sancti ecclesiae Patres.

428. Ad 2. *Neg.* Ut patet ex modo dictis, et ex aperta confessione ipsiusmet Bossuetii.

429. Ad 3. *D.* Habet pro objecto mediato et ultimo bonum ecclesiae, *C.* proximo et immediato, *N.* Ex his potius eruitur firmitatem ecclesiae ex Petri munere et primatu pendere.

430. II. Obj. 1. Christus Matth. XVI. Petrum petram vocat ratione primatus, non autem ratione infallibilitatis. 2. Ecclesia firmitatem suam a fundamento primario, quod est Christus, mutuatur, non autem a fundamento secundario, quod est Petrus. 3. Petrus igitur, seu potius ejus in primatu successores tamdiu consistunt, quamdiu ecclesiae firmiter adhaerent, nec ullo errore vel haeresi se commaculant. Ergo.

431. Resp. Ad 1. *D.* Etiam ratione primatus, *C.* solum, *N.* Ratione enim utriusque a Christo petra dici potuit; immo ideo infallibilis est Petrus, quia est primas. Alioquin si ipse ut publicum munus docendi exercens errare in fide posset, deberet ad officium revocari ab ecclesia acephala, cui numquam Christus infallibilitatem pollicitus est.

432. Ad 2. *D.* Mediante Petro, *C.* ad ejus exclusionem, *N.* Omnes enim praerogativas suas ecclesia habet cum Petro et per Petrum, adeoque et firmitatem, quam Christus et Petro et per eum ecclesiae communicat, uti patet ex similitudine aedificii et fundamenti.

433. Ad 3. *Neg.* suppositum, quod ecclesiae primates possent aliquando ab ecclesia sejungi, cum publico magistri munere funguntur. Hoc enim praecise est, de quo agitur. Quod si uti privati doctores absolute possunt in errorem contra fidem labi, praeterquam quod vix aut ne vix quidem in concreto fieri id unquam possit, prout numquam factum est, ita divina peculiari providentia disponente, jam non essent amplius de ecclesia, nec proinde ejus primates; loquimur porro, ut patet, in stulta ideali hypothesi quod rom. aliquis pontifex profiteretur errorem contra aliquem articulum fidei definitum, aut qui manifeste in revelatione contineatur.

434. III. Obj. Nihil saltem conficitur ex Joann. XXI. Nam 1. quamvis episcopi in propria dioecesi pastores sint, eisque subditi obtemperare debeant, exinde non sequitur eos infallibiles esse. Hinc etiamsi rom. pontifex universali ecclesiae praesit, eique singuli obsequi teneantur, non sequitur ipsum infallibilitate donari. 2. Prout vero ecclesia universim spectatur, rom. pontifice superior est, cui utpote membrum ipse obtemperare debet, non e converso; nisi 3. dicatur pontifici ecclesiam subjici *sana rectaque suadenti*, ut loquitur Gelasius [1]; quod ut sciat, ecclesia tenetur examini subjicere decreta dogmatica pontificia, et ubi ea compererit rectae fidei conformia, ea admittet, secus respuet. 4. Comparatio autem pastoris et ovium ad vivum resecari non debet; cum enim episcopi depositarii et ipsi revelationis divinitus constituti sint, poterunt utique, si aberraverit pontifex, eum in viam rectam revocare. Ergo.

435. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Nego* paritatem, tum quia error uniuscujusque episcopi, qui falleretur, in hac hypothesi nonnisi paucos inficeret; tum quia innumerae prope suppetunt viae ad errorem corrigendum, secus ac eveniat in supremo capite in ordine ad universam ecclesiam. Nam cum ecclesia infallibilitate praedita non sit nisi mediante rom. pontifice, et

[1]) *Comment. ad Faustum.*

quatenus cum capite unum corpus efficit, vix ineluctabilis non esset illius error.

436. Ad 2. *Neg.* Ecclesia enim sine capite est acephala, nequit proinde superior esse capite suo pontifice; sine capite ecclesia nulla praerogativa gaudet, cum Christus, quidquid ecclesiae contulit, contulerit corpori integro atque perfecto, seu prout constat capite et corpore; quapropter fieri nequit ut rom. pontifex seu caput corpori acephalo subjici debeat.

437. Ad 3. *D.* Si ovium esset de pastore suo judicare, *C.* si secus, *N.* Intempestive porro adducitur Gelasii effatum, quasi nempe ipse vel insinuaverit sub conditione parendum apostolicae Sedi, cum potius totus in eo sit doctus hic pontifex in objecto loco, ut supremam Sedis apostolicae auctoritatem adstruat adversus acacianos, ita ut ipsa de omnibus judicare, a nullis vero judicari possit, ut videre est apud Harduinum. [2] Exinde corruit adjecta animadversio de examine praemittendo consensui.

438. Ad 4. *D.* Ita tamen ut comparatio in principali subsistat, *C.* in aliis, *Tr.* vel *N.* Porro comparatio inter gregem et pastorem principaliter versatur in illius obedientia et subjectione pastori. Adde, quod saepe adnotavimus, ecclesiae acephalae haud posse competere infallibilitatem, saltem activam, nec proinde facultatem revocandi pastorem aberrantem a via; in quo latet praeterea vitium falsi suppositi in re, de qua agimus.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas evincitur ex sensu traditionali.

439. Constans hac in parte traditionalis sensus ostenditur tum ex dictis tum ex factis. Ac primo quidem ad dicta quod spectat, veniunt Patres illi, qui adducta Scripturarum testimonia de Petri ejusque successorum infallibilitate interpretantur. Etenim verba Christi Luc. XXII. de hoc privilegio exponunt antiquus auctor *Quaestionum ex N. T.,* s. Leo M., Gelasius, Pelagius II, Hadrianus I, nec non s. Agatho in Epist. ad imp. Constantinum, quaeque in sexta synodo lecta et probata est; item Arnulphus, Paschalis II, Innocentius III, qui uno animo exinde colligunt munus primatus confirmandi fratres in fide. Nos hic unius s. Bernardi auctoritatem proferemus, qui ita scribit [1]: *Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damnum fidei ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim aliquando dictum est: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur:* Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Idem pariter Patres praestant in expositione textus Matth. XVI. Nam Origenes: *Nec enim,* scribit [2], *adversus petram super quam Christus ecclesiam aedificat, nec adversus ecclesiam portae inferi praevalebunt.* Eadem habent

[2]) Tom. II. col. 885.
[1]) Epist. CXC. ad Innoc. II.
[2]) Tom. XII. in Matth.

Hilarius, Ambrosius, Augustinus, qui, rom. pontificum serie commemorata, subdit [3]: *Ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae;* ita etiam Cyrillus alex., Simplicius Papa, Leo M., Gelasius.

Idem demum Patres docent explanantes verba Joann. XXI. qui ex officio Petro ejusque successoribus a Christo commisso universum gregem suum pascendi, colligunt hanc errandi in fide immunitatem, quae perseverat in rom. pontificibus, dum publico ejusmodi munere funguntur, uti s. Augustinus, s. Maximus taurinensis aliique omnes apud Bellarminum et Ballerinium. [4]

440. Hoc ipsum adstruit communis Patrum doctrina, cujusmodi est necessitas quam inculcant conveniendi ad rom. cathedram, ut quis fidelis haberi possit; tessera ad cognoscendum vere catholicum, quae consistit in profitenda fide ecclesiae romanae; assertio quod *causa finita sit ad rescripta rom. pontificis;* quod Petrus in propria sede jugiter vivat ac praesideat, ut *praestet omnibus quaerentibus fidei veritatem;* quod ad rom. Sedem *perfidia habere non possit accessum;* aliaque id genus multa praedicant Patres, quae luculenter hanc dotem in rom. pontifice ex cathedra docente vel supponunt vel adstruunt, quaeque videri possunt collecta apud citt. auctores.

441. Verum facta luculentius adhuc quam dicta rem nostram confirmant. Ex his enim deprehendimus 1°. catholicos illico habuisse uti novatores et haereticos a solo rom. pontifice damnatos ante celebrationem cujuscumque oecumenici concilii; et quod consequens est, uti haereses spectasse errores fidei adversantes damnatos ab eodem rom. praesule; 2°. numquam oecumenicorum conciliorum uti dogmatica decreta irreformabilia spectata fuisse ante rom. pontificis confirmationem, ac interdum hujus defectu rejecta fuisse; 3°. episcopos undique ad rom. pontificem confugisse cum in suis respective dioecesibus aut controversiae excitatae sunt, aut errores exorti, ut promeret, quid esset sentiendum; 4°. catholicos omnes constanter acquievisse decretis dogmaticis rom. pontificum nec esse obluctatos nisi solos haereticos; 5°. universam ecclesiam Hormisdae formulam, in qua infallibilis Sedis apostolicae auctoritas adstruitur, acceptasse; 6°. demum hanc Petri successorum praerogativam in publica ipsa liturgia assertam fuisse; quae quidem omnia adductis monumentis ostendunt Card. Orsi in op. *De irreformabili romani pontificis in definiendis fidei controversiis judicio;* Petididier in *Tractatu theologico de infallibilitate romani pontificis*, et Ballerinius in op. citat.

442. Haeretici ipsi dotem hanc in rom. pontifice, quamdiu spes ipsis affulsit evadendi promeritam damnationem, agnoverunt, uti constat ex agendi ratione Nestorii, Eutychetis, Pelagii atque Coelestii. Adeo nempe fixum ratumque erat in antiquitate irreformabile esse romani pontificis dogmaticum judicium, adeoque infallibilem esse ipsius auctoritatem in fidei articulis decernendis.

[3]) *In Psalm. contra partem Donati.* [4]) *De vi et ratione primatus*, cap. 15.

DIFFICULTATES.

443. I. Obj. 1. Haec quaestio seriore tantum aetate agitari coepit, ergo frustra pro ea sensus traditionalis urgetur. 2. Adducta praeterea testimonia non de solis rom. pontificibus loquuntur, sed aut de *Petro,* aut de *ecclesia catholica,* aut de *sede romana.* 3. Quod si nonnulli Patres de rom. pontificibus disserunt, non de *singulis,* sed de eorum *serie* loquuntur, in qua fides numquam deficere potest, quia si quispiam erraret, ab alio error emendatur. 4. Infallibilitas inhaeret *sedi* non autem *residenti*, juxta illud Leonis M.: *Aliud sunt sedes, aliud praesidentes.* 5. Patrum autem effata haud semper presse intelligenda sunt. Ergo.

444. Resp. Ad 1. *D.* Sub ea verborum formula, qua postea proposita est, et quia de hac veritate nemo ambigebat, *C.* secus, *N.* Quid senserit antiquitas hac de re, abunde constat ex allatis documentis. Proposita porro non fuit sub ea formula, qua nunc proponitur quaestio ista, quia id usus non ferebat, prout in aliis innumeris contigit.

445. Ad 2. *D.* Prout Petrus primus ecclesiae est, et ecclesia catholica Petrum ut caput aut fundamentum habet, ac romana sedes a Petro ejusque successoribus regitur, *C.* alio sensu, *N.* Deme siquidem a Petri successoribus primatum eorumque infallibilitatem, nulla amplius reddi potest illarum locutionum Patrum ratio.

446. Ad 3. *Neg.* Pro iis enim efficax fuit oratio Christi, quibus munus incumbit confirmandi fratres in fide; atqui incumbit illud onus pontificibus singulis, non autem seriei tantum; ergo eodem in sensu Patres pontificibus romanis hanc praerogativam asseruerunt.

447. Ad 4. *Neg.* Ut patet ex resp. ad 2 et 3. Leonis autem effatum afficit jura sedium, quae amitti nequeunt ex demeritis aut pravitate personali sedentium.

448. Ad 5. *Nego,* habita ratione adjunctorum et finis, in quibus illa Patres protulerunt.

449. II. Obj. 1. S. Leo M. in Epist. ad Theodoretum contrarium plane statuit, scribens de epistola sua dogmatica probata a conc. chalcedonensi: *Quae nostro prius ministerio definierat* Deus, *universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu: sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas:* ergo solius concilii seu ecclesiae consensu *irretractabile* evadit dogmaticum pontificium decretum; et hic consensus liber est, utpote ab examine instituto decreti profluens. 2. Hac de causa celebrata tot oecumenica concilia sunt, ad irretractabile nempe robur adjiciendum pontificiis definitionibus; et 3. ab his appellatum ad generale concilium; 4. alioquin supervacanea prorsus oecumenica concilia evaderent. Ergo.

450. Resp. Ad 1. *Neg.* Ad 1. autem sequelam, *D.* Quatenus Patres chalcedonenses epistolae dogmaticae assenserunt, illorum consensus *irretractabilis* evasit, *C.* irretractabile factum est decretum Leonis per accessum consensus Patrum chalcedonensium, *N.* Alioquin potuisset esse retractabile

quod *Deus definierat* per Leonem, quod est absurdum et alienum a Leonis mente.

Ad 2. autem sequelam, negamus hic agi de assensu dubitativo ac libero seu cum facultate dissensus, quod pariter adversatur expresse s. Leonis declarationi, qui scribens ad imp. Marcianum eum rogavit, ne pateretur fidem *quasi dubiam* in synodo *retractari*. Ergo agit de examine *confirmativo*, seu, ut alii loquuntur, *revisionis*. Neque exinde censeri potest Patrum imminuta libertas, quia uti *conjudices* de fide egerunt cum s. Leone.

451. Ad 2. vel *N.* vel *D.* Ad adjiciendum robur extrinsecum, *C.* intrinsecum, *N.*

452. Ad 3. *D.* Appellatum est a novatoribus, *C.* a catholicis, *N.* Nullum siquidem documentum afferri potest ex tota antiquitate, quod catholici aliquando a decretis dogmaticis rom. pontificum appellaverint ad concilium. Hoc vere novum est, et a jansenianis post lutheranos excogitatum.

453. Ad 4. *N.* Utilia enim, immo quandoque necessaria sunt oecumenica concilia, cum nempe ea poscunt rerum adjuncta, ob extrinsecam illorum auctoritatem, qua fit ut facilius illis novatores acquiescant, infirmiores constabiliantur, et magis pateat expressa adhaesio episcoporum pontificum romanorum dogmaticis sanctionibus. Qui vero malo animo se gerunt non minus rom. pontificibus quam conciliis obsistunt, uti ex jugi experientia patet.

454. III. Obj. 1. Christus per modum unius, ecclesiae seu pontifici cum episcopis infallibilitatem contulit; ergo istorum consensus necessarius est, ut irretractabile dogmaticum habeatur decretum. 2. Adhaerendum porro est fidei pontificum in *decisis*, non autem in *decidendis*; 3. alioquin haeretici essent censendi, quicumque reluctarentur ejusmodi definitionibus pontificiis, quod nemo dicet. 4. Satis proinde erit *provisorie*, ne pax turbetur, illis assentiri donec assensus ecclesiae accesserit; 5. alioquin teneremur de fide credere quod emanat ex auctoritate, quam de fide non est esse infallibilem; 6. eo vel magis quod semper incerti simus utrum rom. pontifex in suis decretis dogmaticis edendis omnes conditiones adimpleverit necessarias, ut dici possit ex cathedra locutus. Ergo.

455. Resp. Ad 1. *D.* Etiam, *C.* solum et ad exclusionem rom. pontificis, *N.* Sane nemo inficiatur ecclesiae toti, seu ecclesiae constanti ex capite et membris, Christum infallibilitatem contulisse. Verum quaestio in eo versatur, utrum soli etiam pontifici eam communicaverit nec ne. Porro cum ecclesia infallibilitate non gaudeat, nisi mediante rom. pontifice, hoc ipso patet eam in pontifice inesse debere, cum Christus per eum ecclesiam infallibilem esse voluerit. Nam ideo inferorum portae praevalere non possunt adversus eam, quia aedificata est super firmam petram, seu super Petrum ejusque successores.

456. Ad 2. *Neg.* Nam et in *decisis* ac in *decidendis* rom. pontifici adhaerendum est, alioquin nihil Christus primati ecclesiae suae contulisset, quod non esset commune alteri cuilibet veram fidem profitenti; quotquot pontificem rom. antiquitus consuluerunt, de *decidendis* consuluerunt; idem

dic de conciliis sive particularibus sive oecumenicis, cum confirmari petierunt. Decreta ediderunt dogmatica romani praesules circa nondum decisa. Demum magisterium non est pro *decisis* tantum, sed potissimum pro *decidendis*.

457. Ad 3. *D.* Si infallibilitas pontificia certa esset certitudine fidei, *C.* si certa non sit nisi ea certitudine quae exsurgit ex demonstratione, *N.* Porro cum quaestio nondum definita sit, hinc qui contumaces resistunt pontificiis ejusmodi sanctionibus, graviter quidem peccant contra fidem, attamen in foro externo formaliter ab ecclesia divisi non sunt, neque formales haeretici.

458. Ad 4. *N.* Haec enim *provisoria* externa observantia absque sincera interna adhaesione turpis hypocrisis est ac simulatio christiano homine indigna, prout vel ipsi Galli episcopi declararunt in litteris ad Innocentium X. datis anno 1653; et a rom. pontifice, in Const. Vineam Domini Sabaoth, ipsa resolutio celebris casus conscientiae, a jansenistis data circa *obsequiosum silentium*, damnata est. Sane absonum est adhaerere *provisorie* doctrinae, de qua anceps quis haeret, utrum orthodoxa an erronea aut haeretica sit.

459. Ad 5. *D.* Si praeterea auctoritas illa jus non haberet ad exigendum internum obsequium ac veram obedientiam mentis et cordis dogmaticis suis definitionibus, *Tr.* vel *C.* si hoc jus habeat, *N.* Porro omnes catholici id fatentur; insuper vero doctrina, quam adstruimus, certitudine morali saltem gaudet, adeoque nullum omnino inconveniens in eo reperitur, quod omnes debeant suum interiorem assensum illi praebere.

460. Ad 6. *D.* Si rom. pontificis infallibilitas dependeret a consultatione sive cleri romani, sive Cardinalium, *C.* si personale privilegium sit adnexum primatui, *N.* Jam vero Christus absolute Petro uti ecclesiae primati ejusque successoribus ejusmodi privilegium contulit, adeoque independens est a quavis conditione. In dubio utrum media idonea adhibuerit rom. pontifex ad suam edendam definitionem, praesumptio semper pro parte affirmativa habenda est, alioquin vel de ipsis definitionibus editis a conciliis oecumenicis eadem dubitatio excitari posset.

PROPOSITIO III.

Idipsum confirmatur ex facto romanorum pontificum, quorum neminem in dogmaticis definitionibus errasse ostendi potest.

461. Duae ex dictis necessario conditiones requiruntur ut rom. pontifices in dogmaticis definitionibus errasse dicendi sint: 1°. ut error reipsa sit contra fidem; 2°. ut eum ex cathedra docuerint, seu proposuerint tenendum universae ecclesiae. Atqui ex tot rom. pontificibus, qui olim de errore accusabantur, ne unum quidem reperire est, in quo duae istae conditiones verificentur. Ergo facto ipso ostenditur rom. pontifices infallibilitatis privilegio praeditos divinitus esse.

462. Etenim in lapsu Petri, qui objici solet, ambae conditiones desunt; nec enim ipsi defecit fides, sed constantia; praeterea personalem suam

negationem non proposuit universae ecclesiae tenendam, cum nondum ecclesia solemniter fuerat instituta, nec ipsi primatus collatus.

463. In lapsu Liberii, si verus historice est, quod nunc recentiores plerique critici negant, pariter ambae conditiones desiderantur. Formula enim sirmiensis, cui in adversariorum hypothesi Liberius subscripsisset, ex defectu pariter constantiae sensum catholicum prae se ferebat; nec imitandum exemplum suum ecclesiae universae proposuit, immo contrarium egit.

464. Probatio autem, quam libris Coelestii dedit Xystus, s. Augustino teste, non perversam Coelestii doctrinam afficiebat, sed quam fingebat versutus ille bonam voluntatem, cum Innocentii I. decretis adversus Pelagium ejusque placita editis subscripserit; neque orthodoxiam libri Coelestii universae ecclesiae tenendam proposuit.

465. Sed neque in Honorio, qui Achilles est adversariorum, duae recensitae habentur conditiones. Nam 1°. non erravit in fide, unam naturalem in Christo adstruendo operationem ac voluntatem; immo expresse in II. *ad Sergium epistola* data, ob quam praecipue accusatur, dogma catholicum profitetur dicens: *Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet . . . utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterutrius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem quae Dei sunt operantem et humanam quae carnis sunt exequentem;* et iterum: *Duas naturas, id est, divinitatis et carnis assumptae, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise et inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes* oportet. Quae quidem confessio desumpta ab ipso est ex dogmatica s. Leonis *Epistola ad Flavianum* probata ab universo concilio, addita etiam ampliori hujus dogmatis declaratione. Sed praeterea epistolae Honorii nec definitionem continent, neque datae sunt ab ipso universae ecclesiae. Sane Honorius in *Epist.* I. scribit: *Non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare;* relegans hoc negotium discutiendum grammaticis. Deinde ad consultationem respondit Sergii circa oeconomicum silentium, quod subdole ille proposuerat de una vel duplici in Christo operatione et voluntate.

466. Cum igitur in nullo rom. pontifice, ex tot qui incusabantur, aut ambae conditiones aut alterutra saltem omnino locum non habuerint, manifeste colligitur, frustra adversarios conniti in impugnanda thesi nostra, sed potius ex facto ipso confirmari quod adstruximus, cum nonnisi Dei peculiari providentia fieri potuerit, ut tot saeculorum lapsu nec unus pontifex umquam erraverit ex cathedra docens.

DIFFICULTATES.

467. I. Obj. 1. Honorius epistolis suis respondit Sergio, ac eo mediante, Cyro eum consulentibus; ergo dogmaticae censendae illae sunt. 2. In his probavit consilium utriusque, et improbavit Sophronium orthodoxe sentientem, adeoque erravit in fide. 3. Sane ineptum esse judicavit *sentire et promere* unam aut duplicem esse in Christo operationem. 4. Unam adstruxit in

Christo voluntatem scribens in *Epist.* II: *Unam voluntatem fatemur D. N. J. C.* 5. Quod si orthodoxe cum s. Leone loqui visus est, idipsum praestitit Sergius, qui tamen verus monothelita fuit. Ergo.

468. Resp. Ad 1. *D.* Consulentibus circa oeconomicum silentium, *C.* circa fidem ipsam, *N.* Immo timebant subdoli illi haeretici Honorium de fide ipsa consulere, quum probe scirent ipsum orthodoxe sentire; sed pacis praetextu voluerunt illum inducere ad excogitatam oeconomiam probandam, et istorum laqueo Honorius captus est.

469. Ad 2. *D.* Quod exposuimus, *C.* haereticum errorem probando, *N.* Cum vero Sophronius, qui melius callebat illorum perfidiam, obsisteret huic inconsulto silentio, ideo Honorius, deceptus Sergii artibus, improbavit agendi rationem, non autem *doctrinam* Sophronii.

470. Ad 3. *D.* In ordine ad vocabula usurpanda et ad praedicationem, *C.* in ordine ad veritatem catholicam, *N.* Alioquin sibi in eadem epistola turpiter Honorius contradixisset, uti ex dictis constat.

471. Ad 4. *D.* Unam adstruxit voluntatem *humanam* ad exclusionem pugnae, quam nos experimur inter carnem et spiritum, *C.* absolute, *N.* Patet ejus mens ex ratione quam reddit Honorius suae affirmationis, quod nempe fuerit Christi humanitas, qualis *ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata;* prout etiam testantur Joannes abbas, qui Honorio fuit a secretis, Joannes IV, Honorii successor, et s. Maximus martyr.

472. Ad 5. *D.* Id ipsum praestitit Sergius, sed mente omnino diversa, ut patet vel ex ipsa ejus loquendi ratione, *C.* mente orthodoxa, ut Honorius, *N.* Nam dum orthodoxe Sergius ex timore loqui videbatur, occulte Heraclio imperatori se haeretice sentire patefaciebat.

473. II. Obj. Ergo erravit concilium oecumenicum VI. dum sexies damnavit Honorium eo quod ejus epistola *dissentanea* sit a Patribus; quod mentem Sergii in omnibus sit secutus ac dogmata confirmaverit; quod praedicaverit unam voluntatem et operationem; cum eum proinde ceu haereticum non secus ac Sergium, Cyrum, Pyrrhum aliosque monothelitas damnavit et anathematizavit, ejusque scripta uti caeterorum haereticorum flammis addixit. Ergo.

474. Resp. *Neg.* sequelam; ad probationes autem adductas, *D.* Et haec omnia inconsultam ac imprudentem Honorii oeconomiam seu agendi rationem cum monothelitis afficiunt, *C.* haeresim ejus formalem, *N.*

475. Enim vero cum Honorius pro munere sibi divinitus commisso debuisset fratres suos in fide confirmare, fraudibus deceptus Sergii ac Cyri monothelitarum, silentium imposuit asserentibus duplicem in Christo operationem et voluntatem. Hoc totum ac unicum ejus crimen fuit, uti expresse declaravit s. Leo II. in Epist. ad Constantinum Pogonatum, qui et ipse anathematizat *Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina illustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit;* et in Epist. ad episcopos Hispaniae subdit: *Qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed*

negligentia confovit. His assentitur vel ipse imperator Constantinus, qui in suo *edicto* pro concilio Honorium papam vocat *hujusmodi haereseos* monotheliticae *confirmatorem.*

476. Quae si prae oculis habeantur, omnia quae ex concilio constantinopolitano VI. proferuntur, facilem expositionem accipiunt. Quod nempe ejus epistola sit *dissentanea* a Patribus, qui numquam passi essent errorem confirmari jussione silentii; quod mentem Sergii in omnibus sit secutus ejus consilium probando, ac indirecte saltem ejus dogmata confirmaverit, illis non obsistendo, uti par erat; hoc ipso in sensu dicitur a synodo Honorius unam praedicasse voluntatem et operationem non formaliter, ut ita dicam, quod falsum esset, uti ex adductis probationibus constat, sed quatenus indirecte unam praedicari permisit. Exinde etiam colligitur non alio sensu eum *haereticum* fuisse vocatum, nisi quatenus (uti tunc hujusce vocis usus ferebat) fautorem haereticorum, cujusmodi fuerunt Sergius et Cyrus, sese exhibuerit. Scripta denique Honorii igni addicta sunt eadem de causa, atque ut horror in haeresim illam major excitaretur.

Hactenus de ecclesia ejusque supremo capite romano pontifice.

PARS SECUNDA.

DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO.

PROOEMIUM.

1. Ecclesia Christi, quemadmodum superius demonstravimus, tum scripta omnia, quibus Christi doctrina consignata est, tum traditiones omnes dogmaticas, quae omni monumentorum genere ad nos fuere transmissae, existentia sua antecedit. Eadem pariter ecclesia divinae revelationis, quae Scripturis sacris divinisque traditionibus continetur, custos a coelesti suo Conditore atque infallibilis interpres constituta est. Quaenam igitur sint Scripturae canonicae, proindeque genuinae ac divinitus inspiratae: quinam germanus et dogmaticus earum sensus: quaenam demum dogmaticae et divinae traditiones; ex uno ecclesiae testimonio et magisterio certe nobis constare potest. Ordo proinde postulat, ut postquam Christi ecclesiam ejusque dotes propugnavimus, de verbo Dei tum scripto tum tradito agamus.

Quare in duas sectiones secundam hanc tractatus nostri partem dividere visum est, in quarum altera de verbo Dei scripto, in altera vero de verbo Dei tradito disserendum erit.

SECTIO I.

DE VERBO DEI SCRIPTO.

2. Quae de verbo Dei scripto dicenda censuimus, ea ad librorum canonem, inspirationem, dogmaticum sensum, versiones ac demum lectionem referuntur; de quibus totidem capitibus in hac sectione agemus. Ne autem in ambiguo relinquamus, quid *sacrae Scripturae* nomine intelligamus, praemittimus nos eo significare omnes et solos libros, quos ecclesia habet uti divinitus inspiratos, quosque in suum censum seu canonem retulit, omnibusque fidelibus uti authenticos, genuinos, ac Spiritu S. afflante conscriptos proposuit.

CAPUT I.

DE SACRORUM LIBRORUM CANONE ET AUCTORITATE.

3. *Canonis* seu *regulae* voce hic venit catalogus librorum, quos ecclesia uti sacros et divinos, ac proinde uti authenticos habet. Ex his alii ante Christi adventum, alii vero post exarati fuerunt. Hinc illorum partitio in libros Veteris et in libros Novi Testamenti.

4. Hunc canonem exhibet concilium tridentinum his verbis [1]: *Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit* synodus, *ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur; sunt autem infra scripti.*

5. *Testamenti Veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon; Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim prophetae minores, id est, Oseas, Joel, Amos, Michaeas, Nahum, Habacuc, Abdias, Jonas, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum, primus et secundus.*

[1]) Sess. IV.

6. *Testamenti Novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti; quatuordecim epistolae Pauli apostoli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri apostoli duae, Joannis apostoli tres, Jacobi apostoli una, Judae apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli.*

7. *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prouti in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . anathema sit.*

8. Ex his alii dicuntur *protocanonici,* eo quod primum in canonem relati sint, alii *deuterocanonici,* eo quod nonnisi posterius in canonem sint relati. Ex Veteri Testamento inter deuterocanonicos recensentur *Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus* ac duo *Machabaeorum* libri. Quod vero attinet ad librorum partes, inter deuterocanonicas habentur Canticum trium puerorum, Dan. III. a v. 24 ad 90; historia Susannae et Beli ac draconis, Dan. XIII et XIV; item septem posteriora capita libri Esther, scilicet a cap. X. v. 4 ad XVI. v. 24. Reliqui libri cum suis partibus spectant ad protocanonicos.

Ex Novo autem Testamento omnes libri enumerati cum suis partibus protocanonici sunt, praeter Epistolam ad Hebraeos, II. Epist. Petri, Epistolas duas posteriores Joannis, epistolam s. Jacobi, Epistolam Judae et Apocalypsim, nec non particulas, quae intercedunt in Evangelio Marci, cap. XVI. a v. 9 ad finem; in Evangelio Lucae, cap. XXII. v. 43 et 44; demum in Evangelio Joannis, cap. VIII. a v. 2 ad 12.

9. Ecclesia catholica libros omnes recensitos cum omnibus suis partibus indiscriminatim ejusdem auctoritatis esse profitetur. Protestantes discrimen ponunt inter protocanonicos et deuterocanonicos: illos uti divinos communiter habent; istos jam vulgo, post innumeras prope variationes, inter apocryphos seu non canonicos recensent. Nostrarum igitur partium esse debet: 1°. evincere veritatem catholici canonis; 2°. protestantes nullum posse ex propriis principiis certum canonem constituere.

PROPOSITIO I.

Canon sacrorum librorum a concilio tridentino editus solidum habet in primitiva ecclesia fundamentum, ac integer est omnino retinendus.

10. Nulla alia ratio nobis suppetit ad veritatem canonis tridentini certo cognoscendam, quam collatio hujus canonis cum canone, qui perpetuo viguit in ecclesia romana, et cum monumentis antiquitatis. Porro ex utroque capite identitas tridentini canonis aperte adstruitur cum canone, quem habuit antiquitas.

11. Etenim canon tridentinus idem prorsus est ac canon quem Eugenius IV. anno 1439. exhibuit in decreto, quod nomine ecclesiae romanae

dedit pro Jacobinis; qui rursum idem est cum eo, quem anno 494. Gelasius edidit in decreto suo apud Anastasium bibliothecarium cum notis Blanchinii in ejus vita; hic pariter idem est cum canone, quem Innocentius I. misit ad Exsuperium, quemque descripsit tum s. Augustinus, anno 400 [1] tum conc. carthaginiense III. anno. 397. cap. XLVII, cui conc. hipponense, anno 393. can. XXVII. praeiverat. Canon igitur tridentinus identicus est cum canone quem saec. IV. venerabatur ecclesia romana et ecclesia africana; cum vero ecclesia africana, uti ex indubiis documentis constat, una cum fide eum ab ecclesia romana saec. I. labente, aut II. ineunte acceperit, eodem primo vel secundo saeculo canonem hunc in rom. ecclesia viguisse manifestum est.

12. Hujus rei praeterea locupletissimum testem habemus Clementem romanum, qui aetate apostolica floruit; siquidem ipse in I. ad Corinthios epistola omnes ferme libros tum protocanonicos tum deuterocanonicos absque ullo discrimine allegat sive ex Vetere sive ex Novo Testamento, prout post Cotelerium animadvertit uterque Blanchinius.

13. Quod vero spectat ad documenta caetera, quae confirmant, quod adstruere intendimus, ea desumuntur ex catalogis atque ex allegationibus conciliorum atque scriptorum cujusvis saeculi, quos ex ordine recenset cl. Blanchinius ab apostolorum aetate usque ad Tridentinum in appendice, quam adtexuit operi suo *De Vulgata editione;* item ex inscriptionibus lapidariis, inter quas eminet, quae in ecclesia s. Clementis legitur, quaeque a Gregorio presbytero saeculo VIII. posita fuit; ex operibus musivis et sculpturis, quae in sarcophagis inveniuntur; ex picturis in coemeteriis, de quibus fuse agunt archaeologi christiani Ciampinius, Aringhius aliique passim. In his enim plura facta continentur, de quibus sermo est in solis libris deuterocanonicis; Baruch inter prophetas numeratur, aliaque ejusmodi occurrunt, quae nulla ratione dubitare nos sinunt de identitate ejusdem canonis quavis aetate in ecclesia romana recepti.

14. Ad haec accedit auctoritas antiqui Ordinis romani, in quo per titulos et sectiones distribuitur lectio sacrae Scripturae totius anni circulo; jam vero inibi continentur tituli librorum omnium a *Genesi* ad *Apocalypsim.* Idem argumentum eruitur ex antiquissimis versionibus, in quibus libri omnes, quos deuterocanonicos vocamus, translati reperiuntur.

15. Cum igitur ex multiplici documentorum copia de identitate canonis tridentini cum canone antiquae ecclesiae ab aetate apostolica luculentissime constet, jam sponte sua profluit, quod ostendendum proposuimus, canonem scilicet tridentinum habere in primitiva ecclesia solidum fundamentum, adeoque integrum illum esse omnino retinendum.

[1]) Lib. II. *De doctrina christiana,* cap. 8.

DIFFICULTATES.

16. I. Obj. 1. Unius ecclesiae romanae auctoritas ac traditio non sufficit ad constabiliendum canonem sacrarum Scripturarum, sed opus est auctoritate et traditione ecclesiae universae. 2. Sed neque ecclesiam romanam eumdem semper canonem habuisse solide ostendi potest, cum id non evincat identitas canonis tridentini cum canone Eugenii IV. et canone gelasiano, aut innocentiano, aut africano; haec enim documenta incerta sunt; 3. multo vero minus id evincitur ex allegationibus s. Clementis, quae vagae sunt et incertae. Ergo.

17. Resp. Ad 1. *D.* Si ecclesia romana non esset ecclesiarum omnium centrum, mater ac magistra, *C.* si talis sit, *N.* Cum proinde rom. ecclesia apostolica sit et quidem ab ipso apostolorum principe fundata; cum insuper ea sit, in quam ut loquitur Tertullianus [2]: Petrus, Paulus et Joannes *totam doctrinam cum sanguine profuderunt, quae legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et inde potat fidem;* cum demum ea sit, ad quam ecclesiae omnes ad dubia discutienda circa librorum canonem confugerent, abunde liquet, cujus auctoritatis sit ecclesiae romanae canon. Sane temporis tractu ita praevaluit, ut ille solus obtinuerit.

18. Ad 2. *Nego* incerta esse documenta, quae attulimus; ut enim insistamus in can. gelasiano, quamvis sub diverso nomine decretum, de quo agitur, allegatum sit, scilicet Damasi, Gelasii et Hormisdae, nunc penes eruditos exploratum est, agi de uno eodemque librorum catalogo, qui ab ecclesia romana aut probabantur aut rejiciebantur, quique jam sub Damaso vigebat, deinde auctus est sub insequentibus pontificibus. De epistolae s. Innocentii ad Exsuperium auctoritate jam nemo dubitat; concilia africana in unum codicem relata sunt, et interdum nonnulli canones fuerunt uni potius concilio quam alii tributi, verum nunc ope critices distincti sunt, et omnis est sublata difficultas.

19. Ad 3. *D.* Id est, Clemens rom. nominatim non appellat ad libros, ex quibus sententias allegat, *C.* non allegat reipsa sententias, quas promiscue promit ex libris tum protocanonicis tum deuterocanonicis, *N.* Hoc nobis satis est, cum eas adducat tanquam ex libris divinis depromptas. Neque omittendum quod indiculus singulorum librorùm, qui ad marginem appositus est, sit ab auctore saec. IV. confectus.

20. II. Obj. Quidquid de ecclesia romana sit, certum est 1. Hebraeos in canonem libros apocryphos (deuterocanonicos) non retulisse; 2. neque aetate Christi divinam auctoritatem obtinuisse, cum Christus libros sacros [3] in *legem, prophetas* et *psalmos* distribuat; 3. sed neque apostolos unquam illos uti divinos allegasse in scriptis suis. 4. Melitonem sardensem saec. III. et deinde conc. laodicenum non alium praeter Hebraeorum canonem sancivisse; 5. Patres IV. saeculi, qui canonem exhibuerunt V. T. veluti legem sectatos esse canonem probatum a conc. laodiceno. 6. Quod si africana

[2]) *De Praescr.* cap. 36.

[3]) Luc. XXIV.

concilia atque ipsemet Augustinus apocryphos in canonem retulerunt, haec iis errandi extitit causa, quod alexandrina versio eos quoque libros complecteretur; cum vero legerentur in ecclesia ad aedificationem, sensim ac pedetentim venerationem obtinuerunt atque in canonicis numerati sunt. 7. Non ita tamen omnes hic error invasit; plures enim doctioresque Patres distinxerunt inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos*, uti Hieronymus, qui canonem Hebraeorum unice constanter agnovit, quod etiam non obscure insinuant s. Augustinus et s. Gregorius M. loquentes de Machabaeorum libris. 8. Canonem hieronymianum passim scriptores secuti sunt usque ad Complutenses et Cajetanum. Maluit tamen concilium tridentinum errorem confirmare quam filum traditionis sequi. Ergo.

21. Resp. Ad 1. *D.* Ex defectu certae prophetarum successionis, ut scribit Josephus Flavius, *C.* eo quod in magna saltem veneratione eos non habuerint, *N.* Ex indubiis enim documentis, quibus non obscure adstipulatur Flavius ipse, constat Hebraeos libros deuterocanonicos uti sacros habuisse, atque uti auctoritatem habentes allegasse, quamvis non pari cum protocanonicis eos veneratione spectaverint ex defectu extrinsecae auctoritatis.

22. Ad 2. *D.* Morem gerens canoni recepto, *C.* ad deuterocanonicorum exclusionem, *N.* Propositio enim affirmans exclusiva non est.

23. Ad 3. *N.* Saepe quin immo apostoli in scriptis suis aperte vel adducunt, vel alludunt ad testimonia et facta, quae in deuteris Scripturis continentur; uti Luc. XII. 19; Rom. I. 20; Hebr. XI. 34; Epist. Jacobi I. 11; et alibi.

24. Ad 4. *D.* Quia propositum erat Melitoni ac laodicenis Patribus unum canonem Hebraeorum exhibere, *C.* ad deuteras Scripturas rejiciendas, *N.* Ideo vero unicum illum canonem amplexi sunt, quia nullum editum authenticum decretum ab ecclesia erat quoad reliquos libros.

25. Ad 5. *D.* Eadem de causa, quam modo attulimus, *C.* quasi rejicerent alios libros, *N.*

26. Ad 6. *N.* Sed tum africana concilia, tum s. Augustinus ideo in canonem libros deuterocanonicos retulerunt, quod traditionem ecclesiae romanae, quae illos tanquam divinos et sacros semper habuit, sequendam arbitrarentur. Si sectata concilia illa fuissent versionem alexandrinam, etiam tertium librum Machabaeorum admisissent, quod tamen non fecerunt; ideo vero legebantur libri illi in ecclesia, quia uti sacri habebantur.

27. Ad 7. *D.* Patres illi distinxerunt inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos* quoad extrinsecam auctoritatem, *C.* quoad intrinsecam, *N.* Si enim uti divinos et sacros libros, de quibus agimus, Patres, qui nobis objiciuntur, habuerunt, atque uti tales allegant, ipso non excepto Hieronymo, patet eos nullum intrinsecum discrimen inter protos ac deuteros libros apponere potuisse; itaque totum extrinsecum est discrimen istud, exinde petitum, quod solemni decreto in canonem posteriores libri ab ecclesia nondum relati fuerint. Quo sensu recte intelliguntur s. Augustinus et s. Gregorius M. dum detrahere visi sunt auctoritati librorum Machabaeorum.

28. Ad 8. *D.* Secuti sunt cum Hieronymo canonem Hebraeorum ad ejusdem mentem, *C.* alia ratione, *N.* Nam cum s. Hieronymus pluribus in locis declaret mentem suam in consectando Hebraeorum canone, absque detrimento scilicet caeterorum librorum, quos non semel *divinos* et *sacros* appellat, *sacras Scripturas, et a Spiritu Sancto inspiratos* dicit, certe non alio sensu eum secuti sunt posteriores scriptores, qui eadem ratione sese gesserunt in istorum allegandis auctoritatibus. Ex his patet quam immerito erroris adversarii Tridentinos insimulent, eo quod ipsi vere filum traditionis sectantes libros deuteros inter canonicos recensuerint.

29. III. Obj. 1. Saltem epistola ad Hebraeos, teste Cajo presbytero apud Eusebium, cui adstipulatur s. Hieronymus, inter canonicas ab ecclesia romana recensita non fuit. 2. Apocalypsis vero Joannis pariter ab orientalibus, eodem s. Doctore testante nec non s. Dionysio alexandrino, rejecta fuit. 3. Intelligi proinde nequit, quomodo pauci tridentini Patres, qui sessioni IV. interfuerant, nec satis docti, absque temeritatis nota potuerint negotium adeo grave absolvere.

30. Resp. Ad 1. *D.* Cajus et Hieronymus testantur dubium apud nonnullos extitisse circa verum hujus epistolae auctorem, *Tr.* vel *C.* ab ecclesia romana dubitatum fuisse circa divinam ejusdem inspirationem, *N.* Itaque tota quaestio versabatur tantum circa auctorem epistolae ad Hebraeos, num scilicet ab apostolo Paulo, an vero ab alio fuerit scripta, minime vero circa divinam ejus auctoritatem. Duae porro res istae inter se permisceri nequeunt; siquidem numquam de hac dubium ab ecclesia romana admissum est.

31. Ad 2. *N.* Sed pariter a nonnullis orientalibus disceptatum est de hujus libri auctore, quum *Apocalypsim* nonnulli non a Joanne evangelista, sed a Joanne presbytero scriptam autumaverint. Hos autem deserit s. Hieronymus.

32. Ad 3. *D.* Si res ita se haberet, prout adversarii sibi confingunt, *Tr.* vel *C.* sin vero aliter se habeat, *N.* Porro difficile non fuit Patribus tridentinis apprime doctis, uti testatur card. Pallavicinus, exscribere ac sancire canonem quem ecclesia romana quovis tempore venerata est, quique de manu ad manus pervenit usque ad aetatem illius concilii absque ulla interceptione, uti ex allatis documentis palam fit. Quod si pauci ab initio Patres concilio interfuerunt, cum sub finem ejusdem concilii, communi consensu iterum probata fuerint, quae in praecedentibus sessionibus decreta sunt, patet suffragium Patrum omnium illi sanctioni accessisse.

PROPOSITIO II.

Rejecta ecclesiae catholicae auctoritate nequeunt protestantes certum sacrae Scripturae canonem constituere.

33. Si canon ab ipsis protestantibus certus constitui posset, id fieret vel per Scripturas ipsas, vel per documenta antiquitatis. Atqui neutra ratione

canon constitui potest. Non quidem per Scripturas, tum quia hoc esset in circulo vitioso versari, tum quia nuspiam Scripturis is canon aut census omnium librorum sacrorum exhibetur; non per documenta antiquitatis, quia si unam excipias ecclesiam romanam, cum qua deinceps omnes ecclesiae reliquae particulares consenserunt, nullus est canon ab antiquis seorsum admissus, qui plene cum alio consentiat, sed omnes in aliquo vel abundant vel deficiunt; uti ex singulorum collatione facile perspici potest.

34. Exinde factum est, ut protestantes, qui ecclesiae romanae traditionem respuunt, numquam sibi circa canonem constiterint. Lutherani dissentiunt a calvinistis circa libros deuterocanonicos Novi Testamenti, et vicissim. Qui vero ex illis ope critices voluerunt canonem conficere, in tantam discrepantiam dilapsi sunt, ut vix unus cum altero conveniat, ac prius omnes deuterocanonicos expunxerint e canone, postea vero libros ipsos protocanonicos alium post alium rejecerint, aut saltem in dubium revocaverint. Hinc vix est liber aliquis ex universa utriusque foederis Scriptura, qui immunis ab istorum edaci dente permanserit.

35. Atque hi demum sunt, qui unicam Scripturam veluti fidei regulam depraedicant, eam in omnes linguas vertunt, seque unice videntes proclamant. Ita Deus hos excaecavit, dum superbi ecclesiae magisterium contempsere.

DIFFICULTATES.

36. I. Obj. Rejecta ecclesiae romanae auctoritate possunt protestantes certo canonem constituere quoad libros V. T. 1. ex Hebraeis, quibus, teste Apostolo [1], *concredita sunt eloquia Dei;* 2. ex allegationibus, quae passim de illis occurrunt in libris N. T.; 3. ex consensu ecclesiarum quatuor priorum saeculorum. Quoad libros vero N. T. idipsum efficere possunt 4. ex canonibus, qui per id temporis prodierunt, nempe ex Origene, Melitone, conc. laodiceno, Eusebio, Epiphanio, Hieronymo aliisque passim; 5. demum protestantes generatim canonem veluti confectum ac ratum assumunt ex catholicis ipsis. Ergo.

37. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Nego* acatholicos sibi canonem constituere posse ex Hebraeis, quibus quamvis eloquia Dei concredita esse constet, ignoramus defectu authentici documenti quaenam illa in specie sint. Synagoga numquam solemne decretum hac de re edidit, aut saltem nobis non constat illud latum esse. Auctoritas Josephi aut thalmudistarum, qui in pluribus fabulantur, tanta non est, ut dubium omne in tam gravi negotio amoveat. Si hi auctores protestantibus adversarentur, eos plane contemnerent. Mirum denique est protestantes pluris facere auctoritatem synagogae et thalmudistarum quam Christi ecclesiae.

38. Ad 2. pariter *Neg.* Cum plures libri non solum deuterocanonici, sed etiam protocanonici numquam allegentur in N. T. e contra vero, uti

[1]) Rom. III. 1.

vidimus, aut allegantur aut allusiones apertae fiunt ad libros deuterocanonicos, quos adversarii rejiciunt.

39. Ad 3. *Neg.* Tum quia si excipias ecclesiam romanam et eas quae ab illa una cum fide canonem Scripturarum acceperunt, reliquae omnino inter se dissentiunt, ut ex dictis constat; tum quia deberent admitti plerique saltem libri deuterocanonici, qui ab adversariis tamen inter apocryphos recensentur.

40. Ad 4. *Neg.* Eadem enim responsio et hic recurrit.

41. Ad 5. *Neg.* Ex pluribus capitibus, ac 1°. quia protestantes uti fallibilem habent ecclesiae romanae seu catholicae auctoritatem; 2°. quia catholici ab auctoritate fallibili decipi potuerunt; 3°. quia deberent universum canonem tridentinum admittere.

42. II. Obj. 1. Canonicitas librorum ex eorum genuinitate profluit; 2. porro genuinitas argumentis criticis adstruitur; sane 3. catholici argumentis criticis adversus incredulos libros genuinos evincunt. Ergo.

43. Resp. Ad 1. *Neg.* Cum aliud sit librum aliquem genuinum esse, aliud vero esse canonicum; ad hoc enim requiritur authenticum judicium.

44. Ad 2. *Trans.* Siquidem quamvis protestantes argumentis criticis constituant genuinitatem librorum, e. gr. Machabaeorum, non ideo uti canonicos eos habent.

45. Ad 3. *D.* Ostendunt *genuinos*, *C.* canonicos, *N.*

CAPUT II.

DE DIVINA SACRORUM LIBRORUM INSPIRATIONE.

46. Si sacri libri canonici sunt, hoc ipso uti authentici et integri seu non interpolati sunt censendi. Restat proinde ut de ipsorum inspiratione agamus, circa quam non pauci sive per excessum sive per defectum desipuerunt.

47. Est autem inspiratio: *Singularis ea Spiritus S. moventis ad scribendum impulsio, directio ac praesentia mentem animumque scriptoris gubernans, quae non sinit eum errare, efficitque, ut scribat quae velit Deus.* Ad inspirationem propterea quatuor requiruntur ac sufficiunt ex communi theologorum sententia, nempe 1°. *excitatio* et *impulsio* ad scribendum; 2°. *illustratio* mentis et *motio* voluntatis; 3°. *delectus rerum* scribendarum, ut nihil scriptor omittat aut adjiciat ad ea, quae Deus scribi ab ipso velit; 4°. *adsistentia* jugis ac singularis in opere perficiendo.

48. Ex his intelligitur ad inspirationem 1°. minime opus esse ut verba singula ac verborum delectus et constructio sint divinitus inspirata aut dictata a Spiritu Sancto, sed satis esse, ut illa se extendat ad res ac sententias. 2°. Non requiri ut ea quae aliunde scriptores sacri noverant, ut historica et moralia, divinitus revelentur; satis enim est ut iis Deus praesens sit quoad delectum et immunitatem ab omni vel levissimo errore.

49. Intelligitur praeterea ad inspirationem minime sufficere 1°. assi-

stentiam *negativam*, ut vocant, qua scriptor sacer immunis reddatur ab omni errore, sed opus praeterea esse impulsione et excitatione et directione; 2°. multo vero minus sufficere immunitatem a levibus erroribus tantum, quia si directi sunt hagiographi a Spiritu Sancto, palam fit nec in levem errorem eos incidere posse; 3°. a fortiori non sufficere ut solum in his, quae ad fidem aut mores spectant, aut in iis quae cum illis connectuntur, labi scriptores sacri non possint, bene vero eos errare posse in historicis, chronologicis, naturalibus rebus, quod absonum omnino est; 4°. satis non esse ut aliquid velut inspiratum habeatur, si testimonium alicubi ex Spiritu Sancto obtineat, quod veraciter sit scriptum, cum aliud sit veracitas, aliud vero inspiratio.

50. Protestantes ab initio visi sunt peccasse circa inspirationem per excessum, dum non solum ad verba, sed ad ipsos apices eam extendere voluerunt; postea vero adeo ab illa sententia desciverunt, ut per gradus veluti quosdam descendentes omnem fere inspirationis proprie dictae notionem rejecerint, nec nisi in latissimo sensu eam admiserint. Rationalistae eam omnino rejiciunt. Hegeliani adeo abhorrent ab inspirationis idea, ut nec patiantur Biblia *Scripturam sacram* appellari. Hi sunt fructus protestantismi.

51. Antequam catholicam doctrinam circa divinam bibliorum inspirationem vindicemus, adhuc praemonendum erit, interdum promiscue *revelationis* et *inspirationis* vocabula usurpari, quamvis discrimen specificum inter utramque intercedat. Revelatio enim rei antea occultae aut ignotae manifestationem significat, quae notio ad inspirationem necessaria non est. His praemissis sit

PROPOSITIO I.

Jure merito concilium tridentinum docet unum Deum esse librorum canonicorum utriusque Testamenti auctorem seu eos esse libros sacros, utpote Spiritu Sancto afflante, saltem quoad res et sententias conscriptos.

52. Ideo in enunciatione theseos adjecimus libros sacros Spiritu S. afflante conscriptos *saltem quoad res et sententias*, ne misceremus quaestionem domesticam de inspiratione et nexu singulorum verborum cum controversia dogmatica de inspiratione Scripturae sacrae. Porro cum Tridentinum definiverit omnium librorum sacrorum utriusque foederis *Deum esse auctorem*, patet non coarctari controversiam, quam suscipimus, ad aliquem librum singillatim sumptum, sed complecti omnes et singulos libros tum Veteris tum Novi Testamenti.

53. Sensu autem propositionis sic determinato, iisdem argumentis ejus veritatem adstruimus, quibus sacrorum librorum canonem constituimus. Ideo enim ecclesia in canonicorum librorum album retulit Scripturam universam, quam ut sacram eadem veneratur ecclesia, quod eam tamquam divinitus inspiratam, seu Spiritu Sancto afflante conscriptam nullo non tempore habuerit. Eadem proinde argumenta, quae identitatem hodierni canonis adstruunt cum canone primitivae ecclesiae, divinam totius Scripturae originem evincunt.

54. Etenim concilium tridentinum declaravit omnes, quos recenset libros uti canonicos, *Deum auctorem* habere; idipsum jam praestiterat iisdemque verbis Eugenius IV. Hoc ipsum profiteri tenebantur quotquot consecrationem episcopalem accipiebant, ut patet ex Pontificali romano. S. Augustinus libros canonicos, quos recenset, vocat *divinos* [1]; quo vero sensu *divinos* eos appellaverit, declarat lib. XVIII. *De civit. Dei*, cap. XLI. quatenus *Deus eis* (scriptoribus sacris) *aut per eos est locutus.* Conc. carthaginiense III. eosdem libros vocavit *Scripturas divinas,* prout sic vocandas accepit *a Patribus.* Clemens rom. hos ipsos libros, quos indiscriminatim allegat, cap. XLV. vocat *Spiritus Sancti oracula.*

55. Verum his non contenti ecclesiae Patres enucleatius adhuc ecclesiae sensum exposuerunt circa ejusmodi inspirationem docentes, *Spiritum S. esse qui loquitur in Scripturis*, ut Origenes [2]; *Scripturam Spiritu S. conscriptam ingentem in se continere thesaurum*, ut Chrysostomus [3]; linguas item et manus scriptorum sacrorum *Spiritus Sancti calamos esse*, ut Theodoretus [4] et s. Gregorius M. [5]; Scripturam esse *epistolam omnipotentis Dei ad creaturam suam*, ut Augustinus [6] et Gregorius M. [7], et ita porro s. Isidorus hispal., Cassiodorus, aliique passim disserentes de libris omnibus, qui in canone continentur.

56. Quod postremum ideo animadvertimus, quia nobis propositum est omnium et singulorum canonicorum librorum inspirationem adstruere, de qua nobis non constat nisi ex traditione. Argumenta enim interna, quae a nonnullis urgeri solent, rem omnino non conficiunt, ut clarius ex dicendis patebit, nec nisi in subsidium vocari possunt, cum res jam argumentis positivis confecta est; testimonia autem Scripturarum ipsarum, praeterquam quod supponi prius debet, quod est in quaestione, pariter quod intendimus, non evincunt, quia de solis Testamenti Veteris libris loquuntur, cujusmodi e. gr. est illud Petri [8]: *Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines;* aut illud Pauli [9]: *Omnis Scriptura divinitus inspirata.* Quod si de aliquot etiam Novi Testamenti libris disserunt [10], vage tantum id faciunt, quin libros in particulari determinent.

DIFFICULTATES.

57. I. Obj. 1. Si ex sola ecclesiae auctoritate nobis constare posset de sacr. librorum inspiratione, eadem ratione admitti ut sacri deberent libri, quos ut sacros profitetur quaelibet religio, e. gr. mahumetana, persica etc., quod nemo dicet; 2. argumentis igitur intrinsecis pugnandum est; alioquin 3. peteretur principium ostendendo divinitatem Scripturarum per auctoritatem infallibilem ecclesiae, de qua nobis constare non potest nisi per auctoritatem

[1]) Lib. II. *De doctr. christ.* cap. 8.
[2]) *Hom.* XXIV. *in Num.*
[3]) *Homil.* III. *in Genes.*
[4]) *Praef. in Psalm.*
[5]) *Praef. in Job.*
[6]) *Serm.* VI. *in Psalm* XV.
[7]) Lib. IV. *Epist.* XXXI.
[8]) Epist. II. cap. 1.
[9]) II. Tim. III.
[10]) II. Petr. III. 16.

divinorum librorum. 4. Sane ab antiquis Patribus nonnulli libri uti divini commendati sunt, quos tamen deinde ecclesia ex canone rejecit. Ergo.

58. Resp. Ad 1. *D.* Si eadem militarent pro veritate et divinitate illarum religionum credibilitatis motiva, quae militant pro veritate et divinitate ecclesiae catholicae, *C.* secus, *N.* Huc demum tota revocatur quaestio; jam vero nemo est qui nesciat, nullam omnino religionem, si catholicam excipias, illis fultam esse credibilitatis motivis, quibus ecclesia fulcitur.

59. Ad 2. *D.* Ad adstruendam divinitatem in genere tamquam argumentis subsidiariis, *Tr.* vel *C.* in specie et argumentis apodicticis, *N.* Si enim excipias traditionem et auctoritatem ecclesiae, nulla alia sunt argumenta, quae rem plane conficiant quoad libros omnes et singulos, qui in canone continentur.

60. Ad 3. *Neg.* Auctoritas enim ecclesiae argumentis ipsis adstruitur, quibus adstruitur christianismus, nempe motivis credibilitatis, non autem simpliciter ex Scripturis, quae ex solo testimonio ecclesiae auctoritatem divinam *quoad nos* obtinent. Hinc illud Augustini: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas.* Fictitia proinde est objecta circulatio seu petitio principii.

61. Ad 4. *D.* Adeoque canonicitas ac proinde et divinitas sacrorum Bibliorum ab uno alterove Patre peti non potest, sed ab ecclesia, *C.* secus, *N.* Haec ipsa difficultas thesim nostram mirifice confirmat.

62. II. Obj. 1. A Christo incipi debet in fidei processu, a quo Scriptura auctoritatem obtinet, ac deinceps ex Scriptura ecclesiae existentia et dotes ostendi debent, prout hactenus a theologis omnibus, immo a Patribus factum est. 2. Sane symboli apostolici ordo id postulat, qui nobis prius fidem proponit in Deum Patrem, in Christum Filium ejus, in Spiritum Sanctum, postea vero in ecclesiam, qui ordo penitus esset invertendus in adversariorum hypothesi. Ergo.

63. Resp. Ad 1. *D.* In se, seu quoad nexum intrinsecum veritatum, *C.* quoad nos, seu in *ordine cognitionis, N.* Nam ecclesia est, quae nobis annunciavit, et adhuc annunciat Christum infidelibus; adeoque prius debemus cognoscere ecclesiam, et per ecclesiam Christum, non autem e converso, quod esset absurdum. Idem dic de Scripturis, quas certe non cognovimus nec accepimus immediate, sed per ecclesiam, alioquin nullum valorem quoad nos illae haberent. Adde Scripturas N. T. nondum exaratas esse, quando ecclesia munus sibi commissum praedicationis obire coepit. Falsum denique est quod adversarii obtrudunt de Patribus ac theologis, qui omnes in eo conveniunt, ut ecclesiam tamquam regulam fidei proximam depraedicent.

64. Ad 2. *N.* Symbolum siquidem nexum intrinsecum et geneticum fidei articulorum exponit, non autem ordinem cognitionis quoad nos. Deinde nonne ecclesia est, quae nobis symbolum tradidit? Ergo ecclesia etiam quoad symbolum in ordine cognitionis prior est.

65. III. Obj. 1. Doctrina de inspiratione incerta est et jamdiu explosa. 2. Ipsa sua agendi scribendique ratione scriptores *sacri* nuncupati se

ex propria industria scripsisse manifeste patefaciunt; commemorant sane difficultatem, quam interdum experti sunt, interdum se incertos praebent de iis, quae scribunt, in errores interdum labuntur, nec nisi imperfectam sibi tribuunt religionis cognitionem. Ergo.

66. Resp. Ad 1. *D.* Incerta est protestantibus, immo et explosa a rationalistis et hegelianis, *C.* catholicis, *N.* Cum enim protestantes, uti mox videbimus, rejecta ecclesiae auctoritate, adstruere inspirationem divinam nequeant, mirum esse non debet, si ut in aliis articulis sic et in isto incerti haereant. Rationalistae autem et hegeliani protestantismi principium magis evolventes huc demum pervenerunt, ut omnem omnino inspirationis notionem rejicerent. Contra vero catholici, quibus principium auctoritatis sanctum est, innixi ecclesiae magisterio infallibili hunc pariter articulum inconcussum retinent.

67. Ad 2. *N.* Ad probationes autem, quae adducuntur, dicimus illas non evincere nisi quod Deus verba ipsa nexumque eorum minime dictaverit, ac proinde illa, quemadmodum documentorum historicorum delectum, propriae illorum industriae reliquerit, ita tamen ut Deus ipsis semper praesto fuerit adsistentia sua, ne vel minimum errarent. Scriptores porro sacros aut se incertos praebere de iis, quae scripserunt, aut esse in errores lapsos, aut sibi imperfectam tribuere religionis cognitionem, totidem sunt rationalistarum *vulgarium,* ut vocant, calumniae ac mendacia absque ulla vel levi veri apparentia prolata, quae quum gratis asserantur, merito contemni debent.

PROPOSITIO II.

Rejecta ecclesiae catholicae auctoritate certo constare nequit protestantibus divina librorum canonicorum inspiratio.

68. Loquimur 1°. de certitudine fidei, aut etiam de certitudine omnimoda; 2°. de omnibus et singulis libris. Ita vero determinato propositionis sensu, sic ejus veritatem adstruimus: Ut possent protestantes, rejecta ecclesiae auctoritate, omnimodam certitudinem divinae librorum omnium canonicorum inspirationis sibi comparare, illam aut ex Scripturis ipsis, aut ex antiquis documentis, aut ex insita demum libris ipsis proprietate, quam *saporem* vulgo vocant, haurire deberent; atqui ex nullo capite id efficere possunt. Ergo.

69. Non quidem in primis ex Scripturis ipsis, 1°. quia nuspiam Scripturae libros singillatim inspiratos recensent; 2°. quia locutiones generales: *Omnis Scriptura divinitus inspirata,* aliaeque ejusmodi ad solos libros V. T. referuntur et quidem in genere, quin libri illi recenseantur; 3°. quia ex illis nequit ostendi divina librorum inspiratio absque petitione principii; 4°. quia vel ipsi protestantes fatentur ex Scripturis solis illam constare non posse.

70. Sed neque ex antiquis documentis ejusmodi inspiratio constare potest, 1°. quia haec documenta contraria inter se sunt, ut patet ex docu-

mentis Patrum et veterum haereticorum, quae in protestantium systemate ejusdem ponderis sunt; porro antiquiores haeretici perinde ac recentiores plurium librorum inspirationem denegarunt; 2°. quia, si excipias ecclesiam romanam, reliquae ecclesiae particulares, multo vero magis Patres singulatim sumpti, non conveniunt, ut vidimus, in censu librorum canonicorum, adeoque neque circa singulorum inspirationem; 3°. quia protestantes traditionem non recipiunt; et hoc ipso quod ad vetera documenta confugiant, dissentiunt inter se circa libros divinitus inspiratos.

71. Restat *sapor* seu *gustus* ad cognoscendam inspirationem; sed et hic fallacissimus est, utpote subjectivus et individualis, pendetque ab uniuscujusque dispositione. Diversus fuit gustus Calvini a gustu Lutheri, prout diversus est gustus rationalistarum et hegelianorum, qui illum nullimode sentiunt; diversus gustus christianorum et islamitarum, qui hunc gustum acutissimum sentiunt quoad alcoranum, stupidum vero habent quoad evangelium.

72. Quum igitur nullum certum suppetat protestantibus medium ad inspirationem Bibliorum agnoscendam, restat ut eam prorsus abjiciant, prout non pauci ex ipsis fecerunt, aut ut confugiant ad ecclesiae auctoritatem. Et isti sunt, numquam satis id repetere possumus, qui Biblia uti unicam jactant credendorum regulam, et ea diffundunt, ut catholicos fallant ac decipiant. Profecto nonnisi corde ac mente corruptissimus ac caelibatus pertaesus potest illorum laqueis irretiri.

DIFFICULTATES.

73. I. Obj. 1. Vel agitur de libris V. T. et satis est ad illorum inspirationem dignoscendam, quod scripti sint hebraica lingua; 2. aut etiam quod Christus et apostoli illos allegaverint veluti *Scripturam, eloquia Dei aut Spiritus Sancti,* prout passim fit. 3. Vel sermo est de libris N. T. ac nobis sufficit, ut constet eos exaratos esse ab apostolis, quibus Spiritus S. adsistentia promissa a Christo est. 4. Sed nec repudiari possunt argumenta intrinseca, quibus non soli protestantes, verum etiam catholici, Scripturae inspirationem vindicant. 5. Falsum denique est a protestantibus traditionem omnino rejici; eam enim ipsi admittunt saltem ut congeriem testimoniorum, quibus uti *canonicitas* sic et inspiratio adstruitur. Ergo.

74. Resp. Ad 1. vel *N.* vel *D.* Si Spiritus S. inspirationem suam uni potius quam alteri linguae alligasset, *C.* secus, *N.* Ridiculum sane est inspirationem divinam a diversitate linguae repetere. Quae in protocanonicis scripta sunt in lingua chaldaica, in hac hypothesi inspirata censeri non deberent. Tales sunt angustiae, in quas se protestantes conjiciunt.

75. Ad 2. *D.* Si Christus et apostoli omnes et singulos V. T. libros allegassent, *Tr.* vel *C.* si nonnisi aliquot aut aliquam eorum partem *Scripturam aut eloquia Dei aut Spiritus Sancti* tantum vocarunt, *N.* Jam vero adnotavimus non paucos libros etiam ex protocanonicis in N. T. numquam allegari.

76. Ad 3. *N.* Alioquin 1°. nimis probaret, nempe eos omnes quibus

Christus Spiritum S. pollicitus est, totidem hagiographos fuisse, aut esse debere; 2°. deberent expungi e censu librorum divinorum duo Evangelia Marci scilicet et Lucae, Acta apostolorum, et juxta plures protestantes epistola ab Hebraeos, prout hos omnes libros a Scripturis inspiratis eliminat Michaelis, quod certe caeteri protestantes non admittunt.

77. Ad 4. *D.* Repudiari nequeunt argumenta intrinseca, quibus adstipulantur argumenta extrinseca, cujusmodi sunt traditio et auctoritas ecclesiae, *C.* his sepositis illa sufficiunt, *N.* Argumenta intrinseca, constituta jam inspiratione per ecclesiae auctoritatem, adjumento quidem sunt, at solitarie sumpta rem penitus non conficiunt; ut patet tum ex Patribus illis, qui vel interdum ex inspiratorum librorum censu arcent libros vere divinos, vel inter divinos admittunt, qui nunc rejiciuntur; tum ex protestantibus ipsis, qui numquam convenerunt aut conveniunt in horum librorum canone.

78. Ad 5. *D.* Admittunt protestantes traditionem, id est, documenta historica, et quidem prout ipsis lubet, *C.* traditionem proprie dictam, quae vim habeat ad fidei articulum constabiliendum, *N.* Si enim hanc tenerent, canonem admitterent ecclesiae catholicae; ast cum ipsi soli velint argumentis criticis inniti, ideo nulla est apud ipsos consensio.

79. II. Obj. Inspiratio Bibliorum perinde ac existentia non constituunt fidei articulum, sed solum fidei praeambulum, uti existentia Dei, adeoque supponi debent, non autem probari. Ergo.

80. Resp. *Neg.* Inspiratio siquidem divina sacr. librorum est factum, quod in divina revelatione continetur, objectum proinde fidei est, ut res caeterae revelatae atque ab ecclesia definitae, prout est canonicitas et inspiratio. Quotquot in primitiva ecclesia et saeculis insequentibus inficiati sunt divinitatem alicujus libri, quem ecclesia communi consensu uti divinum agnoverat, tamquam haeretici proscripti sunt, prout ecclesia eadem in conc. tridentino damnavit ut haereticos novatores illos, qui librum rejicerent ab ecclesia probatum. Existentia autem Dei est tum fidei praeambulum tum fidei articulus, ideo vero praeambulum fidei dicitur et est Dei existentia, quia sine illa revelatio ac fides nec cogitari possunt, adeoque uti fit in veritatibus naturalis ordinis, axiomata veluti principia inconcussa supponi debent. Non ita vero se res habet quoad inspirationem Bibliorum.

CAPUT III.

DE SACRARUM SCRIPTURARUM INTERPRETATIONE.

81. Duplex distinguitur Scripturarum interpretatio: dogmatica et exegetica. *Dogmatica* est, quae ab auctoritate legitima fit, habens pro objecto res fidei ac morum; *exegetica* est, quae ab unoquoque privato fit ad pleniorem textus explanationem et intelligentiam.

82. Praecipua controversia, quae inter catholicos ac protestantes viget, hac in re versatur circa interpretationem dogmaticam. Catholici enim tenent illam exclusive ad solam ecclesiam spectare, quae cum infallibilitate praedita

sit et auctoritate divinitus ei data, sola potest authenticam ac dogmaticam praebere Scripturarum interpretationem. Protestantes contendunt illam dari posse a spiritu uniuscujusque privato. In hoc vero systemate exponendo non conveniunt inter se: alii siquidem censent spiritum privatum legitimum esse Scripturarum interpretem prout a Spiritu S. illustratus est; alii vero spiritum autumant privatum solum, seu rationem uniuscujusque individualem ejusmodi interpretem esse; alii denique arbitrantur Scripturam solam esse suimet ipsius interpretem, quin alius quaeri debeat.

83. Cum haec sit controversia, ut ita dicam, vitalis, ex qua pendet totum systema protestantium de spiritu privato, ideo sedulo agitanda est; quod ut efficiamus tria constitui a nobis debent: 1°. Scripturam non adeo perspicuam esse etiam in rebus fidei, ut nullo egeat interprete; 2°. hunc interpretem alium nec esse neque esse posse nisi solam ecclesiam; 3°. fallax esse quodcumque systema a protestantibus excogitatum ad excludendam ecclesiae dogmaticam interpretationem.

84. His expletis quoad interpretationem dogmaticam, nonnulla subjiciemus quoad interpretationem exegeticam. Duo propterea erunt hujus capitis articuli.

ARTICULUS I.

DE SACRARUM LITTERARUM INTERPRETATIONE DOGMATICA.

85. Cum nuspiam Scripturae ad instar symboli aut catechismi singulas fidei aut morum veritates exhibeant, sed hae debeant ex illis erui, patet eas necessario exposcere ac involvere interpretem infallibilem in hoc conficiendo; alioquin possemus ut fidei articulum habere quod tale non est, aut e converso. Eo autem facilior deceptio esse potest, quod in pluribus Scripturae obscurae sint. Protestantes, ut sibi jus tribuant Scripturas interpretandi et cudendi sibi ex illis fidei dogmata, proclamant Scripturarum claritatem, ut ita ecclesiae interpretationis necessitatem excludant. Ad hoc ipsis primum eripiendum effugium sit

PROPOSITIO I.

Scriptura sacra etiam in iis, quae ad fidem moresque pertinent, non ita clara est, ut interprete non indigeat.

86. Interdum Scripturas satis claras esse nemo est qui ambigat; sed eas obscuras esse in iis, quae ad fidem et mores spectant, protestantes, saltem antiquiores, omnino inficiantur. Ast perperam; etenim auctoritas, rei ipsius natura, experientia denique ipsa contrarium luculenter evincunt.

87. Ac primo auctoritas eaque duplex, Scripturae scilicet et Patrum, ejusmodi obscuritatem suadent. Loquens enim Petrus de epistolis Pauli: *In quibus*, inquit [1], *sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles*

[1]) Epist. II. cap. III. 16.

depravant, sicut et cacteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Disserit porro, ut patet, de iis, quae ad perditionem perducunt, quae profecto levioris momenti dici nequeunt. Hinc illae Psalmographi orationes, quibus lumen a Deo efflagitat ad legis intelligentiam [2]: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam; faciem tuam illumina super servum tuum;* aliaeque ejusmodi quas expendens s. Hieronymus in Epist. ad Paulinum: *Si tantus propheta,* scribebat, *tenebras ignorantiae confitetur, qua nos putas parvulos ac pene lactentes inscitiae nocte circumdari?* Quare Christus exhibetur explanans Scripturae sensum discipulis suis [3], quibus praeterea *aperuit sensum ut intelligerent Scripturas.* [4] Quorsum vero haec, si Scripturae adeo clarae perspicuaeque in omnibus essent, prout protestantes eas esse contendunt?

88. Patres vero adeo unanimes sunt in Scripturarum obscuritate praedicanda, ut Bonfrerius in vigenti classes illorum effata distribuat, quibus ipsi eam contestantur. Verba Hieronymi paulo ante exhibuimus, quibus praestat Augustini testimonium adjicere, qui inter caetera de se profitetur, *quod in ipsis sanctis Scripturis multo nesciat plura, quam sciat* [5]; qui praeterea ubique miram earumdem profunditatem depraedicat.

89. Praeter auctoritatem rei ipsius natura, de qua agimus, Scripturarum obscuritatem suadet. Duo enim sunt, quae ejusmodi obscuritatem ingenerant, *res* et *modus*. *Res* siquidem complectitur altissima revelationis objecta, cujusmodi sunt veritates supernaturales, mysteria, praecepta item et consilia, virtutes et vitia, in quibus omnibus deceptio facillima est. *Modus* autem, quo res referuntur, afficit phraseologiam, usus locales, consuetudines, ritus, tropos, leges, loquendi usum, apparentes antilogias, idiotismos ex antiquarum linguarum indole profluentes, aliaque ejusmodi pene innumera, quae exercuerunt hactenus summorum virorum ingenia, semperque multum superest investigandum explanandumque.

90. Experientia denique et adversariorum licet sera confessio rem plane conficit. Etenim si adeo plana sunt, uti protestantes jactabant, divina eloquia, ut quisque facile sibi possit intelligentiam comparare, quomodo factum est, ut in pluribus fidei morumque controversiis nondum ipsi potuerint inter se convenire? Verba consecrationis discordiae pomum fuerunt lutheranis et sacramentariis; necessitas Baptismi etiam quoad parvulos ex verbis Christi, Joann. III. 5, collatis Matth. XXVIII. 19, divisit anabaptistas a lutheranis: et ita porro, adeo ut nondum lites istae compositae post tria saecula fuerint. Exinde tot volumina prodiere protestantium de hermeneutica biblica et exegetica; item canones, regulae, praecepta adhibenda in Scripturarum interpretatione et expositione, circa quae nondum adhuc inter ipsos convenit; commentarii prodiere, illustrationes, scholia etc., et nondum finis. Ut protestantes ad silentium adigantur, satis est ipsos provocare, ut clare et sine ambiguitate exponere velint primum *Genesees* caput, et primum item s. Joannis

[2]) Psalm. CXVIII. 34; ibid. v. 66.
[3]) Luc. XXIV. 27.
[4]) Luc. XXIV. 45.
[5]) Epist. LV. *ad Jan.* al. 119.

Evangelii, primi nempe et postremi libri ex iis, qui conscripti divinitus sunt. Demum jam nemo est, si gregarium fortasse et imperitum scriptorem protestantem excipias, qui soleat, quae semel in scholis didicit, recantare, qui ultro non fateatur summam Scripturae obscuritatem etiam in iis, quae ad fidem moresque pertinent. Ergo.

DIFFICULTATES.

91. Obj. Scripturae passim ac Patres miram Scripturae claritatem extollunt; etenim 1. Deut. XXX. 11: *Mandatum hoc,* legitur, *quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum;* et Psaltes ait [6]: *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos;* et: *Lucerna,* inquit [7], *pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis;* rursum [8]: *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Quibus congruit Petrus, dicens [9]: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.* 2. Interdum Scripturae profitentur, evangelium *iis qui pereunt opertum* esse, ut loquitur Paulus [10], seu prave dispositis, non autem corde rectis. 3. Patres proinde aliter sentire non poterant de Scripturarum claritate. Sic s. Jo. Chrysostomus tum *in Hom.* III. *de Lazaro,* ubi testatur *manifesta claraque esse* quae ab apostolis prodierunt, tum *in Hom.* III. in II. *ad Thess.* in qua scribit: *Omnia sunt dilucida et recta quae sunt in divinis Scripturis.* S. vero Augustinus: *Nihil fere,* inquit [11], *de illis obscuritatibus eruitur, quod non plenissime dictum alibi reperiatur.* 4. Sane Patres consueverunt assertiones suas Scripturae auctoritate communire; non probatur autem magis notum per minus notum; ergo notiores sunt Scripturae ipsis Patrum effatis. 5. Demum nulla apparet ratio, quare Deus obscure voluerit ad homines loqui. Ergo.

92. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* In ordine ad executionem, divina opitulante gratia, *C.* in ordine ad intelligentiam Scripturarum, de qua in objecto *Deuteronomii* loco non est sermo, *N.* Voluit enim Moyses excusationem Israelitis adimere, ne forte nimiae difficultatis praetextu a mandatorum observatione eximi vellent.

93. Psaltes vero et auctor *Proverbiorum* commendant legis a Deo datae utilitatem, utpote quae tutam agendorum normam constituat, iis praesertim adminiculis munita, quae facilem redderent intelligentiam per synagogae ministerium.

94. Petrus loquitur de vaticiniis Christum praenunciantibus, quae ipso adveniente adimpleta sunt. Haec porro vaticinia neque post Christi adventum eam adepti sunt perspicuitatem, quae omnem obscuritatem excludat; quapropter ab Apostolo comparantur lucernae lucenti in caliginoso loco, id est,

[6]) Psalm. XVIII. 9.
[7]) Ibid. CXVIII. 105.
[8]) Prov. VI. 23.
[9]) Epist. I. cap. 1. 19.
[10]) II. Cor. IV. 3.
[11]) Lib. II. ***De doctrina christ.*** cap. VI.

tenui lumini; quod satis sit ad non impingendum, hinc prosequitur: *Donec lucifer oriatur in cordibus vestris.*

95. Ad 2. *D.* Est opertum evangelium prave dispositis etiam, *C.* solum, *N.* Addo hic agi de reluctantibus Hebraeis et infidelibus respectu evangelicae praedicationis, quique veritati cognitae repugnabant, non autem de claritate vel obscuritate Scripturarum.

96. Ad 3. *N.* Etenim s. Jo. Chrysostomus instituit tantum comparationem in priori textu inter ampullas, ut ita dicam, philosophorum in suis scriptis edendis et simplicitatem quam in scribendi ratione apostoli sectati sunt, minime vero quoad rerum profunditatem, alioquin haud scripsisset [12], Scripturas *multa opus habere investigatione,* neque eas ibid. comparasset *thesauro profunde admodum recondito.* In altero autem textu ad excutiendum fidelium torporem in evolvendis sacris litteris obtendentium illarum obscuritatem, pluribus in locis, praesertim in historiis, eas claras esse affirmat.

97. S. Augustinus in objectis verbis significat antiquis vaticiniis lucem affulsisse ex eorum per Christum adimplemento, tum etiam ex eo, quod figurae figuratum suffectum fuerit. Caeterum nemo fortasse ex Patribus Scripturae obscuritatem magis depraedicat, quam Augustinus.

98. Ad 4. *D.* Non probatur magis notum per minus notum notitia intrinseca ejusdem ordinis, *C.* notitia extrinseca ac diversi ordinis, *N.* Nempe aliquid potest esse magis notum ob majorem intrinsecam claritatem, quae oritur ex perspicuitate sermonis, et in hac hypothesi certe non probatur magis notum per minus notum: aliquid autem potest esse magis notum ratione majoris auctoritatis quam obtinet, et simul minus notum in perspicuitate sententiae; et in hac hypothesi quod magis notum est perspicuitate sententiae, et minus notum est ratione auctoritatis, potest probari per id, quod est magis notum respectu auctoritatis. Porro licet Patres majori claritate enarraverint, quae probanda assumpserunt, afferunt Scripturam ad dictorum probationem ob majorem auctoritatem, quam illa obtinet. Sophisticum propterea est Lutheri argumentum.

99. Ad 5. *D.* Si ejusmodi obscuritas se teneret ex parte Dei, *Tr.* si solum se teneat ex parte nostra, *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum, quia Deus potuisset hac ratione se gerere, ut homines ecclesiae auctoritati se subjicere discerent, quam ipse nobis dedit ut magistram ac interpretem infallibilem verbi sui. Caeterum uti ex dictis in probationibus constat, ejusmodi obscuritas oritur ex ipsa rei natura, atque ex adjunctis extrinsecis respectu nostrum.

[12]) *Hom.* XLI *in Joann.*

PROPOSITIO II.

Solius ecclesiae est dogmaticam praebere Scripturae sacrae interpretationem.

100. Illius tantum est dogmaticam praebere Scripturarum interpretationem, cui competunt conditiones, quae ad ejusmodi interpretationem praebendam necessario requiruntur; atqui soli ecclesiae competunt aut competere illae conditiones possunt; ergo solius ecclesiae est dogmaticam Scripturarum praebere interpretationem. Tres porro sunt conditiones ejusmodi, *objectum* videlicet dogmaticum, *infallibilitas* et *auctoritas*. De objecto nulla quaestio moveri potest; quod vero praeterea opus sit infallibilitate, exinde liquet, quia alioquin ab eo, qui errori in rebus fidei obnoxius est, assensus intellectus isque firmus, qualis ad fidem requiritur, exigi nequit, ut patet; quod insuper requiratur auctoritas, ex eo constat, quod ab eo qui hac destitutus est, alius cogi nequit ad obsequendum. Jam vero solam ecclesiam his dotibus praeditam esse ex superius demonstratis in prima tractatus parte, sect. I. abunde liquet. Ergo.

101. Id ipsum ex munere conficitur quod Christus soli ecclesiae suae commisit custodiendi in sua integritate non modo *materialem*, ut ita dicam, revelationem suam, sed *formalem* quoad suum genuinum sensum, eamque sincere docendi gentes omnes. Qua de causa utraque dote infallibilitatis et auctoritatis ecclesiam suam communivit.

102. Quapropter hac ratione ecclesia munus suum jugiter explevit, dum errores omnes proscripsit, qui revelationem quoquomodo temerabant, contumacesque veluti perduelles haereticos e sinu suo expulit incipiendo a Simone Mago usque ad Lutherum, Calvinum eorumque gregales et propagines.

103. Haeretici porro omnes judicium ecclesiae probarunt quoad haereticos anteriores, vel quoad eos qui errores diversos a suis docuerunt. Si igitur ecclesiae et quidem soli jus competit dirimendi controversias, fidei dogmata definiendi quae in revelatione continentur, omnes cogendi ad assensum intellectus et voluntatis, patet ipsius tantum esse dogmaticam praebere Scripturarum interpretationem, cum sine ea judicium illud ne concipi quidem possit.

DIFFICULTATES.

104. Obj. Scripturae magisterium ecclesiae excludunt in verbo Dei interpretando; nam 1. Christus: *Nolite*, inquit [1], *vocari Rabbi: unus est enim magister vester ... nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus;* et [2]: *Ego non ab homine testimonium accipio;* rursus [3]: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit;* denique [4]: *Oves meae vocem meam audiunt ... et sequuntur me.* Hinc

[1]) Matth. XXIII. 8.
[2]) Joann. V. 34.
[3]) Joann. VII. 17.
[4]) Ibid. X. 27.

Beroeenses *erant quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* [5] 2. Alioquin ecclesia esset supra Scripturam. 3. Fideles verbo hominum innixi fidei actum elicerent, secus ac doceat Apostolus scribens [6]: *Superaedificati super fundamentum apostolorum ac prophetarum.* 4. Verbum Dei robur ac firmitatem a verbo hominum acciperet. Quae quidem absurda sunt. Ergo.

105. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* Christus enim in primo objecto textu ambitiosam magistri denominationem a discipulis suis exclusit, quam pharisaei affectabant; alioquin ipsis non dixisset: *Docete.*

106. In altero vero significat se non indigere testimonio Joannis ad divinam missionem suam statuendam.

107. In tertio pariter provocat auditores suos ad coelestem doctrinam, quam tradebat, ut ex ea intelligerent se a Deo missum.

108. In quarto loquitur de illorum docilitate, qui cognoverant eum esse Messiam ex signis ejusque doctrina, quique se illi instituendos tradiderunt.

109. Beroeenses adhuc infideles ad credendum expendebant motiva credibilitatis, illudque praesertim quod ex vaticiniorum messianorum in Christi persona adimplemento exsurgit. Quid haec omnia porro commune habent cum interpretatione dogmatica Scripturarum?

110. Ad 2. *N.* Alioquin judex, qui authentice ac juridice legem interpretatur ad lites dirimendas, supra legem esse dicendus foret.

111. Ad 3. *N.* Nam actum fidei eliciunt catholici innixi verbo Dei uti regulae remotae, et interpretationi ecclesiae dogmaticae uti regulae proximae; quae si desit, non elicerent actum fidei nisi sensui privato et subjectivo fallibili innixi, prout eliciunt protestantes vel propriae seu privatae, vel Lutheri, Calvini aliorumque interpretationi freti. Judicent ipsi, qui melius se gerant.

112. Ad 4. *N.* Nam verbum Dei incapax *in se* est incrementi aut decrementi, majoris minorisve roboris ac firmitatis; ast *quoad nos* non ita se res habet, qui certitudinem veri Scripturarum sensus dogmatici habere non possumus, nisi per infallibilem ecclesiae interpretationem.

PROPOSITIO III.

Protestantes, abjecta ecclesiae auctoritate, numquam certi esse possunt de dogmatica Scripturarum interpretatione.

113. Etenim deficientibus binis recensitis conditionibus *infallibilitatis* et *auctoritatis* dogmatica interpretatio nec esse nec excogitari potest; atqui si ecclesiam a Christo institutam excipias, nemini competunt conditiones illae; ergo abjecta ecclesiae auctoritate, protestantes numquam de dogmatica interpretatione certi esse possunt. Porro necessario deesse individuis singulis infallibilitatem et auctoritatem, quae alios cogere possit ad assentiendum

[5]) Act. XVII. 11. [6]) Ephes. II. 20.

objecto alicui veluti articulo fidei, nullus protestans inficiari potest, cum absurdum sit tribuere individuo privato, quod toti denegatur ecclesiae.

114. Verum res luculentius adhuc conficitur expendendo singula protestantium systemata, quibus dogmaticum Scripturarum sensum se assequi posse autumarunt. Tria haec praecipua sunt, videlicet aut Scriptura ipsa, aut spiritus privatus seu ratio uniuscujusque individualis, aut demum spiritus privatus a Spiritu S. illustratus et edoctus. Atqui singula ad propositum inepta sunt. Ergo.

115. Sane Scriptura nequit in primis esse suimetipsius interpres, 1°. quia regula mortua est, nec in controversiis potest sententiam ferre; 2°. quia germanus ejus sensus est objectum controversiae et discussionis; 3°. quia ipsamet praebet occasionem controversiae; 4°. quia nemo est ex innumeris prope haereticis, qui hactenus ecclesiam turbarunt et dissenserunt ac dissentiunt inter se, qui non jactet pro se suisque erroribus saepe contradictoriis auctoritatem Scripturae; 5°. quia absurdum est velle solam legem, abjectis judicibus omnibus ac tribunalibus, constituere interpretem sui ipsius ad lites dirimendas, cum praecise ob diversam legis interpretationem lites illae exortae sint.

116. Sed nequit praeterea esse spiritus uniuscujusque privatus seu individualis ratio sola, 1°. quia ejusmodi interpretatio subjectiva unice est, pendens ab uniuscujusque affectione, cum quisque illud in Scripturis legat quod ipse cupit. 2. Quia promovet dubium et inconstantiam, siquidem saepe homo post maturius examen rejicit, quod ante ut inconcussum probaverat, uti exemplum omnium fere haereticorum evincit, qui numquam sibi constiterunt, ut Arius, Lutherus, Calvinus, Weslejus, aliique omnes. 3°. Quia ducit ad socinianismum et rationalismum; dum enim ratio constituitur judex credendorum, nihil quod sibi impervium sit, vult admittere, adeoque eliminat mysteria, deinde vero omnia supernaturalia, quae vel naturali modo exponit, vel ad mythos relegat quae supernaturalismum redolent; quod et experientia confirmat. 4°. Quia nullum absurdum est, in quod ejusmodi systema non perducat; cum enim non quod praecise Scriptura continet, sed aut quod antea praeconceptum est, aut quod quisque sibi in ea deprehendere videtur, doctrina Scripturae obtrudatur, fit ut via latissima pandatur ad errorem omnigenum Scripturae velo tectum et honestatum. Exinde profluxerunt perniciosa dogmata de inutilitate bonorum operum ad salutem, de peccati utilitate ad gratiam adsequendam, de Christo veteratore, de nova redemptione aliaque ejusmodi pene innumera, quae adhuc identidem in protestantismo renovantur, aut prodeunt.

117. Demum dogmatica interpretatio ex spiritu privato a Spiritu S. edocto et illustrato haberi non potest, 1°. quia, uti experientia ostendit, systema hoc Spiritum S. sibi passim contradicentem inducit. Etenim qui Spiritum S. magistrum se habere jactabant, contradictoria docuerunt, ut lutherani et calvinistae in ordine ad realem Christi praesentiam, ad sacramentorum administros, et ad alia non pauca; uti rursum lutherani et

anabaptistae in ordine ad anabaptismum, puritani et quackeri, methodistae et swedenborgiani et ita porro. 2°. Quia fanatismum fovet ac *enthusiasmum;* quotquot enim semel sibi persuaserunt se a Spiritu S. edoctos, minime veriti sunt sese praedicare modo ut prophetas, modo ut quintae monarchiae fundatores, modo etiam, ut Christum ipsum, uti hisce diebus (Jul. 1843.) in regno würtembergensi factum est, ubi pistor quidam ex secta swedenborgianorum se Christum Jesum proclamavit, rusticus Petrum se apostolum finxit, puella autem quaedam Virginem Mariam; ut plura ejusmodi alia exempla in protestantismo frequentissima omittam. 3°. Quia ad infanda quaeque scelera patranda impellit, nempe ad perduellionem adversus legitimam auctoritatem, ad homicidia et ad turpia, uti ex protestantismi historia constat. 4°. Quia ad ipsam denique Scripturam rejiciendam inducit utpote supervacaneam, cum Spiritus S. interius suppleat Scripturarum defectui, prout non pauci ex ipsis eas abjecerunt.

118. Cum igitur nulla suppetat protestantibus ratio dogmaticam habendi Scripturarum interpretationem, fit, ut fide divina careant necesse sit. Exinde patet quare ad instar aestuosi ferventisque maris protestantismus numquam consistat, et ad plenam dissolutionem magnis passibus properet.

DIFFICULTATES.

119. I. Obj. 1. Scriptura homines provocat *ad legem et ad testimonium*, ut Isaiae VIII. 20; immo 2. Christus ipse: *Scrutamini*, inquit [1], *Scripturas.* 3. Sane Scriptura sola infallibilis est, utpote Dei verbum, homines autem fallibiles sunt. Sola igitur Scriptura suimetipsius interpres censeri debet.

120. Resp. Ad 1. *D.* Provocat ad legem et testimonium ad futura cognoscenda, *C.* tamquam ad interpretem sui ipsius, *N.* Reprehendit Deus in adductis verbis Hebraeos, qui ad cognoscenda futura confugiebant ad hariolos et pythonissas contra legis vetitum, quum potius ad sacerdotes et prophetas confugere deberent juxta legis praescriptum. Nihil hoc commune habet cum Scripturae interpretatione dogmatica, pro qua Deus remittit ad *sacerdotes.* [2]

121. Ad 2. *D.* Ad cognoscendum Christum esse Messiam a Deo missum juxta prophetarum oracula, quae Christus ipse explanabat, *C.* ad habendam ex ipsa interpretationem dogmaticam, *N.* Hoc enim absurdum est.

122. Ad 3. *D.* Scriptura est infallibilis *in se, C. quoad nos,* seu infallibilis est interpretatio nostra subjectiva ac privata, *N.* In hoc nimirum tota difficultas consistit. Hoc ipso porro quod homines fallibiles sunt, ideo Christus ecclesiam suam infallibilitate communivit, ne in errorem inducemur.

123. II. Obj. Pro certo saltem Scriptura ubique assumit fidelibus singulis jus esse interpretandi Scripturas; etenim 1. Apostolus: *Omnia*,

[1]) Joann. V. 39.

[2]) Deut. I. 8 seqq.

scribit [3], *probate; quod bonum est tenete.* 2. Sane quorsum Deus homini rationem indidisset, si inepta haec esset ad intelligenda, quae Deus voce et scripto nos docuit? 3. Iisdem proinde hermeneuticae regulis Scripturas interpretari humana ratio individualis poterit, quibus scriptores reliquos interpretatur. 4. Absonum autem est a solius pontificis romani arbitrio pendere Scripturarum interpretationem ac intelligentiam; 5. quod esset nervos omnes studio praecidere et contra propriam persuasionem alienam interpretationem admittere. Ergo.

124. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D. Probate* eos, qui se gratiis gratis datis instructos praebebant, *C.* Scripturas earumque sensum dogmaticum, *N.* Instruit his verbis Apostolus fideles, quomodo caute prudenterque se gerere deberent quoad eos, qui prophetia aliisque se praeditos donis exhibebant, ut patet ex orationis serie ac recentiorum protestantium ipsorum expositione.

125. Ad 2. Resp. datam nobis rationem esse, ut eam fidei objectivae subjiceremus a Deo revelatae et ab ecclesia propositae, seu in obsequium fidei. Alioquin fidei objecta, quae captum mentis nostrae superant, ab uniuscujusque privata subjectiva ac saepe contradictoria interpretatione penderent. In hac hypothesi Scriptura non ad homines inter se conjungendos, sed sejungendos ab invicem nobis a Deo data esset.

126. Ad 3. *D.* Si sermo sit de expositione exegetica, *Tr.* vel *C.* si de dogmatica, *N.* Ab hac enim fides nostra pendet, quae eadem in omnibus esse debet.

127. Ad 4. *N.* Immo absonum et absurdum est protestantium systema, qui dum ecclesiae et rom. pontificis infallibili interpretationi stare detrectant, Lutheri, Calvini, Wesleji, Swedenborgii aliorumque fanaticorum arbitrariae interpretationi subjicere se nec verentur nec dubitant, etsi de eo agatur negotio, in quo salus aeterna consistit. Nec enim ex arbitrio, ut adversarii autumant, sive ecclesia sive rom. pontifex dogmaticam proponunt interpretationem, sed juxta traditionis divinae normam, suffulti divina ipsis promissa adsistentia, qualem certe numquam Christus haereticis illis pollicitus est.

128. Ad 5. *N.* Tum quia interpretatio dogmatica studium et diligentiam non excludit, immo promovet; tum quia studium et industria exerceri possunt in expositione exegetica. In eo vero, quod adjicitur de admittenda dogmatica interpretatione contra propriam persuasionem, fidei meritum continetur.

129. III. Obj. 1. Ratio individualis infallibilis efficitur per testimonium interius Spiritus Sancti, qui omnibus fidelibus a Christo promissus est, dicente [4]: *Paracletus autem Spiritus Sanctus . . . docebit vos omnem veritatem;* ergo et dogmaticam interpretationem Scripturarum. 2. Hinc Apostolus: *Spiritualis,* inquit [5], *homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur;*

[3]) I. Thess. V. 20.
[4]) Joann. XIV. 26.
[5]) I. Cor. II. 15.

et iterum dicitur fidelibus omnibus et singulis [6]: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.* 3. Haec congruunt cum iis, quae Deus in V. T. per Jeremiam eventura in Novo Testamento promisit [7]: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam .... et non docebit ultra vir proximum suum.* 4. Hoc porro interius Spiritus S. testimonium efficit hominem ita certum, uti efficiunt axiomata, necessariumque est ad actum fidei eliciendum. 5. Nec juverit reponere incertos nos esse, quinam hoc interius Spiritus S. testimonium recipiant, siquidem non desunt criteria, quibus hoc cognoscamus, e. gr. si non repugnet sacr. Scripturis, vel rectae rationi. 6. Quapropter si contigerit quempiam hoc testimonio abuti, non sequitur illud esse abjiciendum, prout non repudiatur aut Scriptura aut recta ratio eo quod interdum homines illis abusi fuerint. Ergo.

130. Resp. Ad 1. *D.* Promissus Spiritus Sanctus a Christo est fidelibus collective sumptis, praecipue vero eorum pastoribus, *C.* distributive vel, *N.* vel *subd.* cum subjectione a legitimis pastoribus per quamdam participationem, *Tr.* absque ejusmodi subjectione ac dependentia, *N.* Jam vero Christus nemini umquam in particulari, si Petrum excipias, pollicitus quidpiam est; ejusque promissiones totam collectionem praesertim pastorum afficiunt, quibus munus commisit evangelium praedicandi ac in sua integritate conservandi. Quod si fidelibus illae etiam competere dicantur, profecto nonnisi per quamdam participationem iis tribui possunt cum subjectione legitimis pastoribus. Spiritus enim Dei non est spiritus divisionis, sed unionis et caritatis; item obedientiae ac subjectionis, minime vero independentiae ac perduellionis. Talis porro esset Spiritus S. in systemate adversariorum.

131. Ad 2. *D.* Spiritualis homo judicat omnia in ordine ad propriam aedificationem cohaerenter ad ecclesiae magisterium, *C.* in ordine ad interpretationem dogmaticam, de qua agimus, *N.* eo vel magis quod nos lateat quinam isti vere spirituales homines sint. Plures semper illuduntur. Joannes vero in objecto loco alloquitur fideles, quos ipsemet instituerat, eosque a malis haereticorum artibus ac seductione communit.

132. Ad 3. *D.* Ad ejus efficacem executionem, et uberiorem Dei cognitionem, *C.* ad exclusionem exterioris magisterii, *N.* Alioquin vel ipsa Scriptura esset eliminanda.

133. Ad 4. *D.* Inspirando pium credulitatis affectum ad certo assentiendum fidei per ecclesiae ministerium propositae, *C.* emancipando fideles a debita ecclesiae subjectione et magisterio, *N.* Quae duo perperam adversarii permiscent ad suum systema persuadendum.

134. Ad 5. *Neg.* Siquidem fallacia omnino sunt criteria, quae in subsidium vocantur ab adversariis, ac nullius usus; nemo enim persuadebit

[6]) I. Joann. II. 27. [7]) Jerem. XXXI. 33.

haeretico interpretationem suam sive Scripturae sive rectae rationi adversari; immo utrique errorem suum optime congruere contendet, uti patet ex sectarum omnium experientia.

135. Ad 6. Resp. rejiciendum esse systema quod natura sua fallax est; neque exinde sequitur aut Scripturam aut rectam rationem abjici debere ob nonnullorum abusum, quia hic abusus non dimanat aut ex Scriptura aut ex ratione, sed ex hominibus male utentibus Scriptura ac ratione. Itaque hoc intercedit discrimen inter systema adversariorum et Scripturam rectamque rationem, quod illis abusus intrinsecus sit ex ipsa rei natura profluens, istis sit extrinsecus et per accidens.

ARTICULUS II.

DE EXEGETICA SEU SCIENTIFICA SCRIPTURARUM EXPOSITIONE.

136. Quae in hoc articulo complectimur, sunt expositio seu enarratio scientifica Bibliorum, critica item et hermeneutica, multiplex denique sensus ejusdem sacrae Scripturae. Haec autem leviter delibamus, cum de his ex instituto agere ad sacrarum litterarum professores spectet. Persequemur igitur continenti oratione quae potiora sunt, ac theologo maxime scitu videbuntur necessaria.

137. I. Solent protestantes catholicam ecclesiam incusare, quod studiorum biblicorum profectum retardet decretis suis, quibus catholici doctores Scripturam interpretari jubentur juxta unanimem Patrum consensum, aut saltem ab unanimi ipsorum consensu non recedere. Ad injustam ejusmodi accusationem repellendam satis erit verba Tridentini in medium afferre. Haec igitur Tridentinum habet [1]: *Ad coërcenda petulantia ingenia, decernit* synodus, *ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam S. interpretari valeat.*

138. Ex his proinde discimus 1°. synodum tridentinam sibi tantum proposuisse effrenem licentiam coërcere in interpretatione Scripturarum, quae consistit in recessu a sensu et interpretatione ecclesiae et sanctorum Patrum, in iis quae pertinent ad fidem et mores aedificationemque populi christiani. Quo nihil sapientius et aequius constitui poterat. Congruit enim haec regula fini, quem Deus sibi proposuit in largienda hominibus sacra Scriptura, ut videlicet informarentur in iis, quae sunt credenda et facienda, quaeque conferunt ad pietatem fovendam; congruit principio catholico auctoritatis in iis, quae ad fidem moresque spectant, a qua discedere piaculum est; congruit denique sanae exegeseos regulis, juxta quas Scriptura, exponi debet ad

[1]) Sess. IV.

sensum traditionis et antiquitatis. Caeterum cum praeter recensita plura occurrant illustranda, quae ad criticam, philologiam, chronologiam, geographiam, historiam, archaeologiam etc. spectant, poterit catholicus interpres in his ingenium suum exercere, prout potest in iis omnibus, quae ad ecclesiae fidem vindicandam conferunt. Sane experientia ostendit numero et praestantia interpretes catholicos excelluisse prae protestantibus, quamvis hi plenis buccis suas commentationes crepent.

139. Freni omnis impatientes exegetae protestantes, quin aedificationi suis laboribus inservierint, ad plenam fidei destructionem paulatim pervenerunt, ut patet ex rationalismo, mythicismo, hegelismo, straussismo, qui e protestantismi sinu suapte natura prodierunt. Eo res in Germania borussica pervenerunt, ut alicubi auditores Theologiae confestim deserant professores, qui in divinis litteris opus sacrum venerantur.

140. II. Id ipsum contigit circa criticam biblicam. Catholici, qui ab ecclesia integrum canonem recipiunt, in eo unice incumbunt, ut illum evincant, solidisque antiquitatis traditionisque documentis fulciri ostendant. Quoad ipsos, aedificium jam exstructum est. Contra vero protestantes, qui ecclesiae auctoritatem respuunt et traditionis, ut in ejus locum principium de libertate examinis sufficiant, coguntur ab elementis incipere, materiam ad aedificii constructionem congerere, ac deinde aedificium erigere. Verum cum nec in his inter se consentiant, quod ab aliis admittitur, ab aliis respuitur; atque ita fit ut semper in actu aedificandi inveniantur, quin umquam proficiant. Immo ratione, ut ita dicam, inversa procedunt: quandoquidem progressus, quos appellant, protestantium ad majorem in dies fidei destructionem vergunt. Quapropter dum ipsorum majores solos deuterocanonicos libros respuebant, protestantes qui nunc sunt, adoriuntur ipsos libros protocanonicos, incipiendo a *Pentateucho* usque ad *Apocalypsim;* adeo ut in universa Scriptura vix ullus sit liber, qui ab aliquo, seu verius a pluribus ex istiusmodi criticis non respuatur, sive saltem in dubium non revocetur.

141. Non aliter sese gesserunt quoad hermeneuticam biblicam; cum enim nullam aliam regulam agnoscant protestantes praeter interpretationem, quae ex sensu uniuscujusque privato profluit, necessario factum est, ut alii ab aliis devidérentur, prout quisque affectus erat. Multiplices canones a diversis auctoribus traditi sunt ad interpretandam Scripturam: alii edixerunt regulam supremam in *usu loquendi* constituendam esse; alii ingenium antiquiorum gentium, quae mythis delectabantur; alii parallelismum eumque varium; alii denique ad grammaticam tamquam ad protestantismi *palladium* confugerunt.

142. III. Sed ut aliqua jam attingamus de Scripturarum sensu, hic quadrifariam distingui solet, scilicet in *litteralem*, qui etiam tropicus et metaphoricus est; et in *mysticum*, qui rursum dividitur in *allegoricum, tropologicum* seu *moralem,* et *anagogicum,* et tritis illis versibus comprehenduntur:

Littera gesta docet: quid credas allegoria:
Moralis quid agas: quo tendas anagogia;

quae quidem divisio non omnibus arridet, ac minus apte expressa censetur.

143. Sensus *litteralis* ille est, qui immediate oritur ex verbis ipsis Scripturae in nativa sua significatione acceptis. Sensus autem *spiritualis* seu *mysticus* est mediatus, qui nempe eruitur ex rebus significatis. Juxta nonnullos vero sensus biblicus litteralis ille est, quem Spiritus S. *directe* et *proxime* exprimere voluit, et verba *directe* prae se ferunt, sive propria sive figurata in quantum figurata sunt; sensus spiritualis ille est, quo Spiritus S. *directe* quidem, *remote* autem, aliquid exprimere voluit, *oblique* tamen verba prae se ferunt, ex *typis* promanans, atque in sensu litterali delitescens. Utraque autem definitio secunda haec nobis minus probatur; prior quidem, quia idonea non videtur ad sensum litteralem determinandum, cum mentem potius Spiritus Sancti quam ipsam litterae vim respiciat; posterior vero, quia praeterea nimis coarctat sensum spiritualem, dum ad solos *typos* eum restringit.

Controversia porro agitatur utrum unus idemque textus duos possit sensus litterales admittere, quod plerique catholicorum affirmant, nonnulli negant. Non desunt vero, qui saltem in nonnullis vaticiniis duplicem sensum litteralem agnoscant, nempe subjectivum, qui menti prophetae obversaretur, et objectivum, qui a Deo revelante intendebatur. Caeterum Luthero duce, sententia negans duplicem dari litteralem sensum communis penes protestantes evasit; idcirco nos, ducibus Augustino et Thoma, communi catholicorum sententiae affirmanti adhaeremus. Sensus litteralis tantum est, qui theologo ad probandum argumenta efficacia suppeditat, nisi sensus mysticus alicubi a Spiritu S. expositus fuerit, vel unanimi Patrum consensu probatus.

CAPUT IV.

DE SCRIPTURAE SACRAE VERSIONIBUS.

144. Muneris hic nostri est vindicias sumere tridentini decreti quoad versionem latinam *vulgatam*, nec non decretorum rom. pontificum quoad versiones in lingua vernacula. Quod enim spectat ad versiones antiquas earumque recensiones, pretium, usum aliaque ejusmodi, instituti nostri non est.

145. Quum itaque concilium tridentinum [1] *authenticam* declaraverit versionem latinam vulgatam sacrorum Bibliorum, quo sensu vox *authentica* accipi debeat, ad mentem Tridentini inquiri debet. Protestantes enim, ut invidiam conflarent illius decreto, obtenderunt cum detrimento fontium primigeniorum authenticam declaratam esse *vulgatam* versionem a tridentinis Patribus; ast perperam, uti luculenter patet ex ipsius decreti verbis, tum ex historicis documentis ad concilium spectantibus. Verba decreti haec sunt: *Eadem sacrosancta synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit innotescat, statuit et declarat,*

[1]) Sess. IV.

ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat. Ex his patet haud mentem concilio fuisse, dum Vulgatam authenticam declaravit, eam conferre textui seu fontibus primigeniis, aut aliis antiquis versionibus, sed versionibus latinis, et ex his vulgatam versionem eligere et uti authenticam declarare. Hac porro declaratione Tridentinum duo effecit, 1°. adstruxit conformitatem intrinsecam inter fontes originales et hanc latinam versionem, ita ut in iis, quae ad fidem moresque pertinent, ad res item et substantiam nullo haec errore scateat; 2°. extrinsecam adjecit auctoritatem hoc ipso suo juridico decreto. Hoc vero concilii fuisse consilium testantur historiographi ejusdem concilii, uti Cardin. Pallavicinus, et qui eidem synodo interfuerunt, cujusmodi sunt Andreas Vegas, qui praeterea refert testimonium Cardinalis a S. Cruce legati pontificii in sess. IV. et Alphonsus Salmeron, ut alios silentio praeteream, quos recenset vel ipse Humphredus Hodius acerrimus Vulgatae adversarius.

146. Pauca jam subjicere hic lubet de versionibus vernaculis recentioribus. Bibliorum versiones in linguam vernaculam numquam ecclesia fieri prohibuit; attamen numquam non invigilavit illarum fidelitati. Cum vero consueverint haeretici Scripturas versionibus suis foede corrumpere, ac fideles, illorum suggestionibus permoti, sibi jus arrogare eas privato sensu interpretandi, haud exiguo fidei detrimento, ecclesia vetuit versiones, quas ipsa non prius recognoverit, earumque lectionem, non prius obtenta legitima facultate. Exortis deinceps protestantium haereticorum sollicitudine, biblicis societatibus ad Scripturam in omnium linguas vertendam seu potius corrumpendam, versionesque confectas ubique locorum disseminandas, quibus errores suos diffunderent, et, si fieri posset, ecclesiam catholicam penitus everterent, romani pontifices decretis datis societates illas damnarunt cum Bibliis suis.

147. Muneris igitur nostri est tum latinam editionem vulgatam in sensu paulo ante exposito vindicare, tum etiam aequitatem ostendere decretorum pontificiorum, quibus biblicae societates damnatae sunt. Quae ut conficiamus, sit

PROPOSITIO I.

Merito tridentina synodus ex omnibus latinis editionibus, quae circumferebantur, sacrorum librorum, veterem vulgatam editionem pro authentica habendam esse statuit et declaravit.

148. Duo, ut praemisimus, effecit tridentina synodus, dum authenticam declaravit vulgatam editionem latinam, eam scilicet conformem textui originali in iis omnibus, quae ad fidem et mores rerumque substantiam spectant, edixit, contulitque extrinsecam auctoritatem juridicam, quam nec textibus primigeniis nec alteri detulit cuique versioni. De posteriore hac extrinseca auctoritate nil attinet dicere, cum res per se pateat; quoad intrinsecam conformitatem, eam sic ostendimus.

149. Conformis illa versio textui primigenio dicenda est, quae in ecclesia plurium saeculorum tractu obtinuit; quae non solum a Patribus commendata est, sed ab ipsis adversariis; contra quam demum nihil solidi umquam opponi potuit. Talis porro est vulgata latina versio, quam tridentina synodus authenticam declaravit. Ergo.

150. Atque ad primum quidem quod spectat, vulgata versio constat partim ex antiquissima translatione, quae vel ab aetate apostolica confecta est, partim vero ex hieronymiana. Jam vero translatio illa in usu fuit sex prioribus saeculis in universa occidentali ecclesia ac caeteris deinceps ad nos usque lapsis; altera autem pars, quae est potior, complecturque translationem hieronymianam, a saec. VI. pariter in eadem ecclesia principatum obtinuit. Porro asserere ecclesiam nobilissimam, romanam videlicet, in tot conciliis oecumenicis, dogmaticis definitionibus aliisque hujusmodi infideli usam esse versione, quae a textu circa fidem vel mores vel substantiam discreparet, absurdissimum est.

151. Patres vero latinos versionem utramque commendasse nemo est, qui in dubium revocet, aut revocare possit. Sanctus enim Hieronymus illam vocat *communem et vulgatam.* [1] S. Augustinus *Italam,* eamque caeteris anteponit, quod sit *verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.* [2] S. Gregorius M. eam appellat *vulgatam veterem,* prout versionem s. Hieronymi dicit *vulgatam novam,* quia tunc pedetentim in ecclesia obtineri coeperat. S. Isidorus hispalensis omnibus eam anteferri sua aetate testatur. [3]

152. Hanc eamdem versionem constantem tum ex antiquissima priore translatione tum ex translatione Hieronymi, quamque ob usum non interruptum 1000 plus minus annorum, Tridentinum *veterem vulgatam* nuncupavit, ipsi protestantes summis deinde praeconiis extulerunt. Tales sunt Beza, Casaubonus, Grotius, Drusius, uterque Buxtorfius, Ludovicus de Dieu, Waltonus, Millius, Boisius, aliique passim, usque ad Michaelis, qui non dubitat affirmare versionem hanc *unam omnium praestantissimam* esse.

153. Ex his pronum est colligere, quod tertio loco constituimus, nihil solidi umquam vulgatae versioni opponi posse. Hoc enim tunc solum fieri posset, quum quidpiam in vulgata reperiretur, quod fidei, vel moribus, vel historiis, vel sententiis etc. repugnaret; verum nihil hujusmodi reperire in ea umquam potuerunt Vulgatae adversarii, qui potius fassi sunt hac in parte versionem vulgatam intemeratam prorsus esse, inter quos sic scribit heterodoxus Ludov. Capellus [4]: *Non est passus Deus in translationes, quibus ecclesia sua usa est, et etiamnum hodie ubique utitur, gliscere varietatem seu alterationem momentosam, quae doctrinam ipsam immutet atque corrumpat.* Grotius pariter, qui: *Tutissima omnium,* inquit [5], *iis qui nec hebraice nec*

[1]) In Matth. XIII. et in Epist. CVI. *ad Sunnium et Fratelam.*
[2]) Lib. II. *de doctr. christ.* cap. XV.
[3]) *Etymol.* lib. VI. cap. IV.
[4]) *Critica sacra,* lib. VI. cap. 5. §. 10.
[5]) *Vot. pro pace.*

graece didicere, est vulgata versio, quae nullum habet malum dogma, sicut tot saeculorum et gentium consensus judicavit.

154. Jure igitur merito tridentina synodus authenticam declaravit vulgatam latinam versionem, utpote probatam ab universa ecclesia tot saeculorum usu, praeconiis commendatam a sanctis Patribus, atque, ipsis adversariis fatentibus, in omnibus quae substantiam attingunt, originalibus textibus plane conformem. Hac ratione tranquillitati communi synodus consuluit tutam versionem praebens, secus ac contigerit protestantibus, qui non minus de versione quam de textibus minime securi sunt, nec adhuc convenere sive circa textum genuinum, sive circa communem aliquam versionem.

DIFFICULTATES.

155. I. Obj. 1. Vulgata versio multiplex est, ex plurium antiquissimarum versionum congerie, quarum ignorantur auctores, conflata. 2. Quamvis eam Hieronymus emendaverit, cito tamen ejus recensio depravata est et permixta versioni antiquae corruptissimae. 3. Differt ea enim in pluribus a versione, quae in *Bibliotheca divina* ejusdem s. Doctoris reperitur. 4. In locis praeterea non paucis differt Vulgata a textibus primigeniis hebraicis et graecis; in nonnullis praeterea abundat, deficit vero in aliis. 5. Debuisset proinde Tridentinum optimo illorum consilio acquiescere, qui proposuerant novam prorsus versionem e fontibus esse faciendam, quae et elegantior simul et uniformis evasisset. 6. Obstupuerunt idcirco exteri, quod pauci episcopi inconsulte ejusmodi decretum ediderint in re adeo gravi. Ergo.

156. Resp. Ad 1. *Trans.* Dummodo enim de versionis fidelitate constet atque de ejus conformitate cum fontibus, parum interest utrum ab uno aut pluribus cognitis aut ignotis auctoribus versio nostra adornata fuerit. Jam vero ex demonstratis id aperte liquet.

157. Ad 2. *D.* Cito depravata est hieronymiana recensio in codicibus privatorum, *Tr.* vel *C.* in codicibus publicis usui ecclesiae destinatis, in quos si nonnulla identidem leviora menda irrepsere, eruditorum cura emendata sunt, *N.* Numquam defuere in ecclesia viri docti, qui in se emendationis curam susceperint, cujusmodi fuere Cassiodorus, Beda, Alcuinus, Lanfrancus, aliique insequentibus saeculis, donec nova prodivit rom. pontificum sollicitudine editio, quam possidemus.

158. Ad 3. *D.* In nonnullis accidentalibus, eo quod noluerit ecclesia unius alteriusve interpretis versioni exclusive adhaerere, *C.* in substantiali aliqua parte, *N.* Ecclesia enim Scripturarum depositaria divinitus constituta est; hinc quamvis hieronymianam versionem generatim adoptaverit, quando opportunum duxit, non abnuit ab illa recedere.

159. Ad 4. *D.* Id est, non est plane conformis vulgata versio nonnullis individuis codicibus, aut eorum si placet familiis, quae adhuc supersunt, *Tr.* vel *C.* cum anterioribus codicibus, *N.* Difficile admodum est duos vel tres codices, qui textum exhibent originalem, in omnibus omnino consentire, adeoque semper aliqua discrepantia reperiri debet inter versionem

nostram ac peculiares codices illos. Verum ostendendum esset recentiores hos codices veriorem lectionem prae se ferre prae anterioribus, qui perierunt, quosque secutus est vulgatus interpres. Porro saniores critici vel inter protestantes haud abnuunt anteferre lectionem Vulgatae lectioni istorum codicum. Adde ejusmodi discrepantias non attingere substantiam, sed res levioris momenti ac prorsus accidentales, uti a doctis viris ostensum est.

160. Ad 5. *N.* Si enim paucorum illorum consilio acquievisset synodus, 1°. incurrisset in longe plurium offensionem, quod repudiasset versionem tot saeculorum usu probatam in ecclesia; 2°. privasset nos versione critica omnium omnino antiquissima, quae tamquam basis caeteris versionibus occidentalibus inservibit; 3°. debuisset textum primigenium purgatissimum decernere, quod non minimi momenti est, ut patet ex vanis tot protestantium conatibus; 4°. ingenti labore debuisset novam hanc versionem conferre cum textibus. Ridiculum porro fuisset tot se incommodis objicere ad sectandam elegantiorem versionem, cum in his non tam de elegantia quam de versionis fidelitate solliciti esse debeamus. Idem dic de uniformitate quam nec Deus in textibus consectatus est.

161. Ad 6. *D.* Obstupuerunt immerito fanatici haeretici, qui carpunt, quae sibi non arridenl, *Tr.* catholici, *N.* Siquidem hi omnes eo, quo par erat, venerationis sensu decretum tridentinum exceperunt. Exitus porro ostendit, qua prudentia praediti fuerint pauci illi episcopi, qui Vulgatam probarunt.

162. II. Obj. Mandavit Tridentinum, ut vetus vulgata editio *emendatissime* imprimeretur; verum Sixti V. impatienti festinatione factum est, ut corruptissima evaserit. Nova Clementis VIII. jussu correcta Vulgata prodivit in lucem, quae in non paucis emendationi sixtinae adversatur, exinde occasionem nacti sunt James et Amama protestantes vulgandi libellos, quorum alteri a James titulus praefixus est: *Bellum papale,* alteri ab Amama titulus inscriptus *Antibarbarum biblicum.* Haeserunt praeterea romani pontifices inter antiquam *communem vulgatam editionem et recensionem hieronymianam,* quae a censoribus uti basis electa est novae emendationis. Ex his patet, quid censendum de vulgata editione sit, auctoritate pontificia in lucem emissa.

163. Resp. *D.* Si *a priori* historia vulgatae emendationis scribatur, *C.* si juxta historica documenta, *N.* Ex historicis itaque documentis discimus 1°. Sixtum V. sibi unice proposuisse veterem vulgatam versionem emendatam ope melioris notae codicum edere, non autem eam emendare per collationem textuum originalium, idque ad mentem tridentini decreti; Clementem vero VIII. novam suam editionem voluisse praeterea, ut exigeretur ad textus primigenios, adeoque discrepantiam inter editionem sixtinam et clementinam oriri unice ex diversa ratione, quam isti pontifices tenuerunt in sua emendatione. Discimus 2°. sixtinam editionem magis conformem esse antiquae versioni vulgatae, clementinam vero magis conformem esse textibus. Discimus 3°. menda typographica minus irrepsisse in editionem sixtinam quam in

clementinam, siquidem in illa vix 40 reperiuntur, dum in clementina excedunt 80. Discimus 4°. falsum esse, in praefatione editionis clementinae a Card. Bellarmino confecta errores omnes, qui irrepserunt in editionem sixtinam, rejici in typographum, cum potius in ea dicatur alia praeterea fuisse emendata. Dicimus 5°. differentiam, quae intercedit inter utramque editionem, in pluribus lectionibus levissimi esse momenti, nec ullo modo substantiam attingere; atque spectari posse sixtinam editionem in ordine ad clementinam uti minus perfectum ad magis perfectum. Discimus 6°. nomine *communis vulgatae editionis* a Bellarmino in cit. praefatione designari hieronymianam recensionem, quae in utraque editione fuit emendationis veluti basis ac fundamentum atque hac de causa Romam Boeticum exemplar delatum ex Hispania fuisse.

164. Ex his jure merito concludimus libellos protestantium hac de re editos spectari posse uti documenta indubia illius furoris, quo protestantes aestuabant adversus apostolicam sedem; qui defecerunt, prout deficient illorum catholicorum labores, qui spiritu anticatholico editi sunt. Hic semper est lapis, in quem isti impingentes corruunt et confringuntur.

PROPOSITIO II.

Jure optimo romani pontifices societates biblicas nuncupatas veluti noxias et perniciosas iteratis decretis improbarunt.

165. Societatum biblicarum origo, spiritus qui in eis dominatur, effectus denique quos illae pariunt, noxias ac perniciosas societates ejusmodi evidenter ostendunt; jure igitur meritoque iteratis decretis illas rom. pontifices proscripserunt.

166. Sane societates biblicae anno 1804. in sinu anglicanismi ac protestantismi ortum suum habuerunt ex zelotypia, quam acatholici conceperunt adversus catholicae religionis progressum apud infideles et exteras nationes. Turmatim ad eas protestantes undique confluxerunt; nam novae ubique partiales societates, quae cum generali communicarent, penes protestantes institutae sunt. Atque ad eas augendas servandasque labores omnes, industriam, impensas contulerunt; designarunt ministros, nullique medio sive aequo sive iniquo, quod ad finem obtinendum juvaret, pepercerunt.

167. Spiritus, qui in ipsis dominatur, est spiritus oppositionis adversus ecclesiam catholicam, ut ipsimet biblici non semel et voce et scriptis editis professi sunt. Sibi proposuerunt, sub specie propagandi evangelii, eversionem catholicae ecclesiae; tractatus teterrimis in eam calumniis redundantes ubique una cum Bibliis disseminarunt; ad subvertendos catholicos magno submiserunt numero emissarios, atque in dies submittunt. Biblia foede detruncarunt et corruperunt juxta uniuscujusque sectae placita, ut anglicani anglicanismum, lutherani lutheranismum, calviniani calvinismum, methodistae methodismum, rationalistae rationalismum, et ita porro reliquae omnes incautis propinarent atque propinent. Interdum libros antichristianos, cujus-

modi esset *Vita J. Christi* Straussii sub specioso titulo villicis exhibent, et gratis distribuunt ad incredulitatem persuadendam; interdum Biblia a se detruncata sub ementito titulo *Scripturae sacrae jussu Sixti* V. *et Clementis* VIII. *editae*, ad facilius decipiendos catholicos imperitos diffundunt. Interim praecipua istiusmodi societatum membra ex reliquorum oblationibus quaestum faciunt, exercentque commercium: ii vero, qui ab hisce societatibus mittuntur apostoli, quorum non pauci mercatores, sartores, sutores sunt, cum uxore et liberis pinguescunt et saginantur, atque in sua quisque statione catholicis praeconibus pro viribus obsistere unice habent propositum, praeterea nihil. Atque in hoc tantum incumbunt studio, ut numquam persecutiones excitare et dira quaeque moliri in catholicos fatigentur. Quod liquet vel ex iis, quae nuper (anno 1843 et 1844.) in insulis Oceaniae ac Sandwich nominatim, per summum dedecus facta esse, ex publicis documentis comperimus.

168. Effectus demum causae respondent; etenim adeo infideles non ducunt ad fidem, ut potius eos ab illa abducant, et catholicos quosque prave dispositos nitantur donis muneribusque pervertere. Biblia vero ipsa temere distributa, immo verius projecta quotidianae profanationi exponunt: siquidem ad usus plane indecoros, ad quaestum ex devendita charta, ad plantarum inoculationem aliaque ejusmodi destinant, qui ea suscepere. Divisiones praeterea serunt, cum sectae, ex quibus societates coalescunt, inter se oppositae sint, inter neophytos seu proselytos suos biblici aemulationem excitant ac odia religiosa. Atque hinc factum est, ut non solum rom. pontifices, quibus divinitus munus incumbit in sua integritate conservandi tum revelationis depositum, tum fidem ac ecclesiam ipsam, verum etiam episcopales in America, et non pauci anglicani episcopi documenta pastoralia dederint adversus has biblicas societates, spectata gravissima, quae ab illis infertur, pernicie.

169. Quae hactenus de machinationibus, de fraudibus, deque scopo harum biblicarum societatum abducendi catholicos ab ecclesia ac fidei puritate disseruimus, larva omni deposita, professa est nova societas, quae sub nomine *Foederis christiani* Neo-Eboraci in America die 12. Junii 1843. instituta est. Haec sibi proposuit tractatibus, libellis, Bibliis, ope italorum exulum aut mercatorum in praecipuis utriusque mundi plagis degentium, distribuendis immo et projiciendis, provincias Italiae, praecipue vero pontificias corrumpendi, ut sic mediante Italia possit reliquas mundi partes facilius inficere. Verum summus pontifex Gregorius XVI. Epistola encyclica data die 8. Maji 1844. ad universos patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, zelum et sollicitudinem omnium et singulorum excitavit; istiusque *novi foederis antichristiani*, Deo ecclesiam suam protegente, conatus in irritum cedent, prout tot aliorum facinorosorum impiorumque hominum anteactarum aetatum confoederationes et molimina in nihilum redacta sunt.

170. Sive igitur originem ac elementa, sive spiritum et finem, sive demum effectus qui ex societatibus biblicis dimanant, spectemus, conclu-

damus necesse est, jure optimo romanos pontifices iteratis decretis eas veluti perniciosas reprobasse atque damnasse.

DIFFICULTATES.

171. Obj. 1. Societates biblicae sibi unice proponunt deferre *bonum nuncium* efferatis populis infidelibus et idololatris. 2. Quamvis Biblia conversionis opus non perficiant, ad illud tamen animos disponunt. 3. Hac de causa fideles pecunias erogant, ac missionarii difficillima ac laboris periculique plena itinera suscipiunt. 4. Spes semper major affulget ulterioris successus. 5. Deus ipse istiusmodi conatibus benedicere visus est, uti liquet ex multiplicatione annui census earumdem societatum. 6. Soli romani pontifices, *tenebrarum patroni,* veluti *pestem* societatum institutum proscripserunt, uti Pius VII. duobus Brevibus, quorum altero versionem Scripturae polonicam a Gregorio XIII. et Clemente VIII. probatam proscribendam edixit; Leo XII. et Gregorius XVI. ejusdem conspirationis reos se constituere non erubuerunt. Ergo.

172. Resp. Ad 1. *D.* Id est, hoc pallio se contexerunt, *C.* vere hoc sibi proposuerunt, *N. Ex fructibus eorum*, inquit Christus, *cognoscetis eos.* Cum vero hi fructus pessimi sint, quomodo arbor, ex qua procedunt, bona censeri poterit? Quare ubique locorum conspirant ejusmodi societates adversus ecclesiam romanam sive catholicam? Cur insectantur missionarios catholicos, ne deferant *bonum nuncium?* Cur catholicis insidiantur, inter ipsos Biblia detruncata et corrupta diffundunt? Itaque factis protestationes destruuntur.

173. Ad 2. *N.* Tantum enim abest, ut Biblia inconsulto distributa animos infidelium ad fidem disponant, ut potius offendiculo eis sint, et difficiliores ipsos ad conversionem efficiant, quod experientia ostendit. Biblia sine legitima missione nullum valorem habent.

174. Ad 3. *D.* Qui decepti sunt ac in bona fide versantur, *C.* deceptores qui optima illorum dispositione abutuntur, *N.* Illorum ab istorum causa secernenda est. Plerique ex illis optimo animo pecunias impendunt, aut iter instituunt; at isti pessime faciunt, dum pecunias emungunt in pravum finem, ad eversionem ecclesiae, ad propria commoda, ad quaestum faciendum, uti ostendimus. Quam vero ob causam itinera illa suscipiant mercatores illi ac opifices, satis aperte constat ex ingentibus divitiis, quas brevi sibi compararunt illis in locis, in quibus morantur. Quid boni ab ejusmodi viris expectes, qui non animas sed se ipsos quaerunt et quae sua sunt?

175. Ad 4. *D.* Nempe se ipsos ditandi nonnullosque incautos decipiendi, *C.* lucrandi animas, *N.* Sine legitima missione nullus salutaris fructus exspectari potest.

176. Ad 5. *D.* Id est, permisit Deus aliquod istarum societatum incrementum ad majorem ecclesiae suae triumphum patefaciendum, *C.* ad illas cohonestandas, *N.* Hoc posterius asserere vere esset Deum irridere, quasi

nempe ipse promovere vellet institutum ex omnibus haereticorum sectis conflatum ad extremam, si fieri posset, ecclesiae suae perniciem. Eadem igitur ratione permisit Deus felices ejusmodi successus, quo permisit atque identitem permittit portis inferi partialem aliquem triumphum, ut exinde protectio ejus erga ecclesiam eluceat, dum eas superat. Duo reipsa emolumenta in ecclesiae bonum exinde provenerunt: alterum in ferventiori zelo, qui in catholicis ex occasione ejusmodi societatum excitatus est; alterum vero in institutione saluberrima societatis a *propagatione fidei* nuncupatae, quae in dies augetur et fructus uberrimos ubique locorum affert. Ita Deus ex malo novit bonum eruere.

177. Ad 6. *D.* Id est, fidei assertores ita se merito gesserunt ne muneri suo deessent, *C.* secus, *N.* Ideo vero rom. pontifices societates biblicas *pestis* nomine designarunt, quia tales reipsa sunt, ut ex hactenus dictis, praesertim vero ex institutione sic dicti *foederis christiani* manifeste constat; cum eo tendant, ut animas inficiant ac perdant, ad eum modum quo pestilentia inficit corpora et ad interitum perducit.

178. Falsum porro est quod ab adversariis asseritur, nempe Pium VII. reprobasse versionem polonicam a Jac. Wieckio S. J. adornatam ac opportunis notis ditatam; sed cum biblici notas detraxerint, ac praeterea versionem illam foedaverint, jussit summus pontifex aliquod ejus exemplar Romam transmitti, ut examini subjiceretur ad detegendos errores qui *insidiose,* ut loquitur pontifex, in eam obtrusi sunt.

CAPUT V.

DE SCRIPTURAE SACRAE LECTIONE IN LINGUA VERNACULA.

179. Novatores saec. XVI. quos secuti sunt jansenniani, praesertim vero Quesnellus, cujus septem propositiones damnatae sunt in Constitutione dogmatica Unigenitus, a LXXIX ad LXXXV, omnibus indiscriminatim fidelibus necessariam ad salutem esse Scripturae sacrae lectionem in lingua vernacula effutierunt. Synodus pistoriensis, cujus pariter hac de re proscripta est propositio LXVII. in Constit. Auctorem fidei, illorum vestigia premens ob *solam impotentiam* fideles excusari asseruit a s. Scripturae lectione. Ulterius vero progressi novatores ecclesiam accusarunt, quod interdixerit Bibliorum lectionem, ne fideles errores, quibus ipsa inquinata est, detegerent. Duo proinde a nobis praestanda sunt: prius scilicet ostendere debemus, nullam salutis necessitatem fideles adigere ad Bibliorum lectionem; deinde repellere debemus haereticorum in ecclesiam impactam calumniam de absoluta prohibitione lectionis sacrae Scripturae in linguam vernaculam conversae. Quae ut efficiamus, sit

PROPOSITIO I.

Sacrae Scripturae lectio Christi fidelibus indiscriminatim omnibus minime necessaria est ad salutem.

180. Ejusmodi necessitas aut ex ipsa rei, de qua agitur, natura, aut ex praecepto aliquo divino sive ecclesiastico exsurgeret. Jam vero ex neutro capite exsurgit.

181. Etenim ex ipsa rei natura profluere nequit, alioquin 1°. salutem adipisci non potuissent quotquot ante exaratas Scripturas tum Veteris tum Novi Testamenti vixerunt; 2°. nec salvari potuissent quotquot in ethnicismo nati sunt, in quorum manus Scripturae sacrae non pervenerunt; 3°. neque rudes omnes ac idiotae, qui sive in israelitico populo sive in christianismo extiterunt, a Moyse ad Christum et a Christo ad nos usque, qui tamen plerique semper fuerunt; 4°. barbari ac silvestres populi, qui litteras non callebant aut necdum callent. Iis igitur omnibus salutis via semper interclusa esset; quod absurdum nescio an adversarii novatores devorare possint. Deinde quoad eos, qui litteras noverunt, ideo necessaria esset Scripturae sacrae lectio, quia haec unicum foret medium ad divinam cognoscendam voluntatem, ad fidem, pietatem, sanctitatemque gignendam, nutriendam atque fovendam; atqui hoc falsum est, cum praeter illam lectionem innumera pene subsidia suppetant ad commemorata obtinenda; talia sunt instructiones, conciones, ascetica scripta, quibus populus christianus abundat. Ergo.

182. Restat igitur, ut hanc necessitatem ex aliquo divino aut ecclesiastico praecepto arcessere debeamus. Ast non modo nuspiam ejusmodi praeceptum ostenditur, sed praeterea aperte excluditur. Quod quidem duplici via ostendimus, negativa et positiva.

Negativa, quia quamvis saepe adeo provocati fuerint adversarii ad illud proferendum, nondum invenerunt, etsi maxime voluerint. Accedit quod neque hoc praeceptum antiquitas sacra invenerit, quia quamvis pro illius aetatis disciplina Patres solliciti fuerint in adhortandis fidelibus ad Scripturae sacrae lectionem, numquam tamen illam aut a Deo, aut ab ecclesia praeceptam dixerunt. *Positiva*, quia Patres conceptis verbis contrarium saepe professi sunt. Sic Tertullianus: *Fides tua*, inquit [1], *te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum.* S. Irenaeus testatur [2], plures barbaras gentes *sine charta vel atramento scriptam in cordibus suis per Spiritum salutem habuisse.* S. Augustinus: *Homo*, scribit [3], *fide, spe et caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis. . . Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.* Concilia haud pauca, quae inferius commemorabimus, justis de causis Scripturarum lectionem fidelibus interdixerunt.

[1]) ***De praescript.*** cap. XI.
[2]) ***Contra haeres.*** lib. III. cap. 4.
[3]) ***De doctrina christ.*** lib. IV. cap. 39.

183. Nulla igitur necessitate salutis fideles ad lectionem sacrarum Scripturarum adiguntur.

DIFFICULTATES.

184. Obj. 1. Scriptura nobis patefacit divinam voluntatem; ergo omnes illam cognoscere per ejus lectionem tenentur. 2. Sane si Moyses, prophetae, Christus et apostoli nos alloquerentur, eos audire teneremur; cum igitur nos alloquantur per Scripturas, eas legamus necesse est. 3. Praeterea juxta Apostolum [4], *per consolationem Scripturarum spem habeamus.* 4. Judaei sibi persuaserant in *Scripturis vitam aeternam* haberi; Christus non modo in hac persuasione illos confirmat, sed praeterea adjecit: *Scrutamini Scripturas.* 5. Illitterati huic obligationi satisfacere possunt accedendo ad ecclesias seu templa, in quibus lectionem Scripturae in lingua vernacula audire tenentur. 6. Quod si id praestare nequiverint, illos *impotentia* excusabit; 7. siquidem sive concionibus sive libris asceticis suppleri Scripturarum lectioni aut auditioni non potest, cum neque purum verbum Dei contineant, neque solidam verbi Dei explanationem exhibeant. Ergo.

185. Resp. Ad 1. *D.* Si nulla alia suppetat via ad Dei voluntatem cognoscendam, *C.* si plura media habeantur praeter Scripturarum lectionem, *N.* Haec autem assignavimus.

186. Ad 2. *D.* Si immediate tantum eos audire teneremur, *C.* si mediate, *N.* Jam vero qui audit ecclesiam docentem, hoc ipso audit Christum, apostolos et prophetas, dicente eodem Christo: *Qui vos audit, me audit.* Praesertim cum non omnis Christi et apostolorum doctrina scriptis consignata sit.

187. Ad 3. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Nam defectui Scripturarum suppleri potest per libros pios ac praedicationem evangelicam.

188. Ad 4. *D.* Ob divinam revelationem in illis contentam, quaeque sive lectione, sive alio quovis modo, praedicatione, explanatione etc. cognosci poterat, *C.* per solam lectionem a quolibet immediate faciendam, *N.* De sensu verborum Christi paulo post agemus.

189. Ad 5. *N.* Si enim proprie dicta necessitate tenerentur singuli ad Scripturarum lectionem, profecto huic obligationi sola auditione satisfacere non possent. Deinde, ecquis certiores faceret illitteratos et rudes sibi legi Scripturae versionem, quae plane textui respondeat? se non decipi? Scripturas sibi non detruncari?

190. Ad 6. *N.* Quia gratuita ejusmodi assertio est, tum quia etiam qui ad finem tenetur, tenetur ad media, et ad removenda obstacula, ubi praesertim agitur de necessitate, ex qua salus aeterna pendet.

191. Ad 7. *N.* Nec enim sine ecclesiae probatione libri ejusmodi evulgantur, plures praeterea longo saeculorum tractu et experientia communi idonei judicati fuere, utpote ab hominibus spiritu Dei ductis conscripti.

[4]) Rom. XV. 4.

Quod vero attinet ad conciones, cum hae sub inspectione pastorum fiant, dubitari nequit eas rite haberi. Denique cum sive librorum sive concionatorum multitudine abundemus, satis erit prudens delectus sub pastorum directione.

192. Inst. Tenentur saltem ex praecepto divino et ecclesiastico fideles omnes ad Scripturae sacrae lectionem. 1. Etenim Deut. VI. 6. legitur: *Ligabis ea* (Dei mandata) *quasi signum in manu tua: eruntque et movebuntur ante oculos tuos, scribesque ea in limine et ostiis domus tuae.* 2. Christus, idipsum confirmavit dicens [5]: *Scrutamini Scripturas;* et Apostolus jussit epistolas suas legi in fidelium coetu. [6] 3. Hac de causa tum ipse, tum apostoli reliqui, epistolas et commentaria sua ediderunt, ut legerentur. Hinc 4. Scriptura universa tum a s. Augustino, tum a s. Gregorio M. aliisque Patribus *Dei ipsius epistola ad homines data* dicta est, quorsum vero nisi ut ab omnibus legeretur? 5. Hoc proinde frequenter inculcat s. Jo. Chrysostomus tum in *Hom.* IX. *in Epist. ad Coloss.* tum in *Conc.* III. *in Lazarum*, ubi et illud adjicit: *Non potest fieri ut quisque salutem assequatur, ni assidue versetur in lectione spirituali;* loquitur porro de lectione Scripturarum. Ergo.

193. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Quoad praecepta Decalogi, *Tr.* quoad Scripturam universam, *N.* De hac porro hic sermo non est. Jam vero praeterquam quod objecta verba commode in sensu figurato intelligi possunt, de jugi nempe legis meditatione ad eam sedulo exequendam, certum est pharisaeos, qui ea ad litteram accipiebant, nonnisi de praeceptis Decalogi, immo potius de nonnullis sententiis illa intellexisse et in usum deduxisse. Scribebant enim ea in vestis fimbriis, ut patet ex Matth. XXIII. 5. Immo Lightfootus ostendit nonnisi quatuor legis periochas pharisaeos in vestibus suis scriptas gessisse.

194. Ad 2. *N.* Tum quia incertum est utrum vox *scrutamini* imperativa sit an indicativa, ut post Cyrillum alex. etiam protestantes interpretes arbitrantur; tum quia, dato quod imperativa sit, non afficit nisi pharisaeos et legis doctores, quos Christus alloquebatur, minime vero universum populum.

195. Quod si Apostolus jussit legi epistolas suas ad Colossenses et Laodicenos scriptas, id in publico coetu ac sub pastorum praesidentia propterea fieri voluit, nec eas aut alias quaslibet sine istorum magisterio legi voluit; quod et adhuc in ecclesia catholica fit per Scripturarum lectiones et explanationes, ne fideles venenum ex propria imprudentia hauriant ex eo, quod ipsis alimentum et pharmacum esse deberet.

196. Ad 3. *D.* Sub ea conditione quam modo exposuimus, *C.* absolute, *N.*

197. Ad 4. *D.* Scriptura universa a Patribus Dei epistola ad homines nuncupata est, quia Dei continet voluntatem, *C.* quia ab omnibus indiscriminatim absque debita pastoribus subjectione legenda est, *N.* Numquam

[5]) Joann. V.

[6]) Coloss. cap. IV.

enim mens haec Patribus fuit, qui potius contrarium insinuant, cum Scripturas difficiles obscurasque esse inculcant.

198. Ad 5. *D.* Exhortando, *C.* praecipiendo aut praeceptum divinum et ecclesiasticum inculcando, *N.* Cum diversa essent aetate s. Jo. Chrysostomi adjuncta ab iis, quae postea fuerunt, pro recepta eo tempore disciplina totus in eo est, ut fideles ad Scripturas legendas adhortetur. Quod ut efficiat, interdum amplificationibus utitur, uti oratores solent ad aliquid persuadendum. Caeterum si putasset adesse aliquod praeceptum hujus lectionis, profecto illud commemorasset; ast vero de hoc alte semper silet, et contentus proinde fuit adhortationem adhibere, prout et alii Patres eadem de causa fecerunt.

PROPOSITIO II.

Numquam ecclesia aut romani pontifices universim prohibuerunt fidelibus sacrae Scripturae lectionem in lingua vernacula, sed modo improbarunt, modo probarunt, prout temporum, locorum aut personarum adjuncta ac fidelium utilitas exposcere videbantur.

199. Probatam antiquitus fuisse lectionem sacr. Scripturae in lingua vernacula constat 1°. ex omnibus antiquis versionibus, quae quatuor aut quinque prioribus ecclesiae saeculis adornatae sunt, quin ecclesia eas umquam improbaverit; 2°. ex adhortationibus Patrum, quibus ipsi nitebantur fideles ad illam inducere, adeo ut in dubium id revocari nequeat. Atque ita steterunt res donec saec. XII. insurrexerunt haeretici albigenses et waldenses, qui insurgentes adversus clerum et ecclesiam universam coeperunt novas adornare versiones, quibus Biblia corruperunt ad decipiendos fideles; tunc Innocentius III. quo facilius seductionis periculum a fidelibus Galliarum, ubi illi haeretici maxime vigebant, averteret, lectionem sacr. Bibliorum in lingua vernacula laicis interdixit; hoc ipsum constitutum fuit paulo post, nempe anno 1229. a concilio tolosano. Cum vero exortis novatoribus saec. XVI. malum recrudesceret, Pius IV. constituit regulam IV. *Indicis librorum prohibitorum*, qua vetita est eadem lectio absque facultate episcopi aut inquisitoris. Ex nimia autem facilitate tribuendi hanc facultatem cum irrepserint abusus, Clemens VIII. eam ad sacram Congregationem Indicis coarctavit.

200. Ex his intelligimus primam legendi Scripturas in lingua vernacula prohibitionem localem fuisse, quia temporum et locorum adjuncta eam exposcebant; alteram fuisse relativam, non autem absolutam. Quapropter si Gallias excipias, ubique locorum ejusmodi lectio permissa erat, et exinde tot prodierunt versiones *sacrorum Bibliorum* ante Lutherum in Italia, Germania, Flandria, Anglia, quot recensentur ab eruditis viris in suis bibliothecis, praesertim a P. Cherubino a s. Josepho, a Sixto senensi et a Lelongio. Instante novo periculo, Pius IV. extendit quidem ad regiones omnes prohibitionem legendi Scripturas sacras in lingua vernacula, ast, uti vidimus, non absolute; cavit enim ut permitti posset Bibliorum lectio iis omnibus,

qui episcopi judicio nullum ex ea detrimentum caperent; prout praestitit Clemens VIII. etsi quoad facultatem concedendam, eam sacr. Indicis Congregationi reservaverit. Caeterum cum per versiones fideles et opportunas explanationes periculum perversionis amotum esset, ipsi romani pontifices non modo ejusmodi lectionem promoverunt, verum etiam auctores fuerunt probatis catholicis ad versionem lingua vulgari Bibliorum adornandam vulgandamque, ut patet ex versione polonica quam suscepit P. Wieckius S. J. faciendam, adhortante Gregorio XIII. et probante ipso Clemente VIII. Cracoviae typis mandavit. Ita etiam Emserus in germanicam linguam Scripturas convertit; Duacena deinceps in linguam anglicam versio prodiit; in linguam gallicam Scripturam plures verterunt atque in primis P. Amelot; in linguam italicam Martini archiepiscopus florentinus Biblia transtulit, quae versio summopere a Pio VI. commendata est; et ita porro in caeteris regionibus factum est, probantibus aut saltem non obnitentibus rom. pontificibus et episcopis.

201. In hac autem agendi ratione maxima profecto ecclesiae prudentia elucet, dum non inconsulta profusione, uti haeretici solent, Biblia in manus fidelium tradit, sed delectu magnaque cautela, ne perniciem sibi consciscant, ex quo salutem haurire deberent. Quod demum non pauci protestantes fassi sunt, qui candide mala recensuerunt, quae ex Bibliorum lectione promanarunt, et sapientem agendi rationem, quam ecclesia catholica tenuit, comprobarunt.

202. Falsum est igitur quod passim stolidi atque gregarii scriptores aut disputatores protestantes assumunt, ab ecclesia romana fideles a s. Scripturae lectione arceri, cum eam potius summopere promoveat; nulla enim catholicorum regio est, in qua Scripturae versio non reperiatur, quaeque omnium pene manibus non teratur, cujus rei fidem indubiam faciunt multiplices illarum versionum editiones.

DIFFICULTATES.

203. Obj. 1. Nullo umquam limite sive temporum, sive locorum, sive personarum coarctari debet sacrae Scripturae lectio, quam Deus tamquam certum patrimonium ac haereditatem omnibus prorsus hominibus legavit. 2. Secus agere perinde esset ac Dei ipsius os obstruere et ab ejus alloquiis homines amovere, arcere fideles a fontibus vitae aeternae omnibus patentibus; eos excommunicare, 3. esset aperta repugnantia Scripturis ipsis, quae hanc lectionem inculcant commendantque veluti utilem ad docendum, ad erudiendum, ad corripiendum [1], cui ab omnibus attendendum sit veluti lucernae lucenti in caliginoso loco [2]; quae laudant Timotheum eo quod ab infantia sacr. litteras noverit [3], quae denique *beatos* vocant, qui scrutantur testimonia Dei. [4] 4. Esset Patribus omnibus obsistere, qui nihil antiquius

[1]) II. Tim. III. 16.
[2]) II. Petr. I. 19.
[3]) II. Tim. III. 15.
[4]) Psalm. CXVIII. 2.

umquam habuerunt, quam ut fidelibus ejusmodi sanctorum librorum assiduam lectionem suaderent. 5. Nec obstat, nonnullos immo plures hac lectione abusos identidem esse, siquidem et ipsa ratione abusi saepissime homines sunt, nec umquam quispiam dicet eos vel ad tempus recto rationis usu esse privandos; itaque corrigendi abusus severe sunt, sed usus retinendus. 6. Multo vero minus prohibendae ab ejusmodi lectione sub abusus obtentu foeminae erunt, quum non foeminarum simplicitas, sed superba virorum scientia haereses excogitare soleat. Ergo.

204. Resp. I. Generatim ejusmodi difficultates in praesentiarum falso supposito laborare, cum omnibus praesto sint in magna copia Bibliorum exemplaria in uniuscujusque regionis idiomata conversa, uti ostendimus. Cum tamen propositae difficultates attingant oeconomicam prudentemque ecclesiae romanorumque pontificum agendi rationem, non abnuimus eam vindicare. Adeoque

205. Resp. II. Ad 1. *D.* Si Deus hoc patrimonium et hanc haereditatem legasset hominibus absque ulla subjectione legitimis pastoribus ac superioribus, *Tr.* si sub eorum tutela et obedientia, ne patrimonium et haereditatem dissiparent, *N.* Totum religionis systema in subjectione ac dependentia a legitimis pastoribus, quos Deus ipse constituit ad regendam ecclesiam suam, consistit; quo fit, ut subditi obtemperare illis debeant aliquid praecipientibus aut vetantibus; alioquin non bene ordinata societas, sed confusio ac perturbatio haberetur. Cum igitur ex haereticorum fraude, ex depravatis eorum versionibus, ex principio liberi examinis, aliisque ejusmodi, instare fidelibus haud exiguum perversionis periculum cernerent rom. pontifices et episcopi, quod luctuosa multorum experientia confirmavit, inconsultam ejusmodi lectionem prohibuerunt, iisque tantum eam permiserunt, de quorum fide nulla suspicio haberi posset. Hoc pariter universum hominum usui et commodo datum a Deo est, num idcirco civilis societas omnibus indiscriminatim rerum omnium usum liberum relinquit? Numquid relinquunt medici infirmis omnibus ciborum liberum delectum?

206. Ad 2. *N.* Cum praeter Scripturarum lectionem innumera alia suppetant media fidelibus, quibus citra periculum possunt Dei alloquiis frui, ejusque cognoscere voluntatem, cum scriptum sit: *Qui vos audit, me audit.* Habent Scripturarum explanationes, conciones, instructiones ipsorum captui accommodatas, libros pios aliaque ejusmodi, quibus perfecte institui possunt.

207. Ad 3. *N.* Quamvis enim Scripturae hanc lectionem commendent, non idcirco subducunt fideles a debita praelatis subjectione et obedientia. Documenta propterea, quae indidem afferuntur caeteris paribus, id est, si nihil obstet, intelligi debent. Finis enim Scripturarum est prospicere aeternae hominum saluti; si igitur ex hominum infirmitate aut malitia illae nocumento sint, profecto nihil vetat quominus ad tempus ab hominibus ita comparatis Scripturae subducantur, cum hoc cedat in majus eorum bonum.

208. Hac ratione componi possunt, quae II. Petri leguntur de attendendo prophetico sermoni tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco, quae

de Timotheo scribit Apostolus; quae denique in Psalm. CXVIII. dicuntur de eo, qui scrutatur testimonia Dei, seu Dei mandata, ad practicam illorum executionem.

209. Ad 4. *N.* Quia si Patres in iisdem rerum adjunctis versati essent, in quae postea incidit ecclesia, eamdem viam tenuissent, ut patet ex eorum objurgationibus in eos, qui sibi arrogabant munus Scripturas interpretandi, praesertim vero ex Hieronymo, qui scribit [5]: *Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. . . Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant.*

210. Ad 5. *D.* Si ejusmodi abusus accidentales sint, quique facile corrigi possint, *C.* si intrinseci ac difficilis omnino correctionis, *N.* Porro cum haeretici ubique Biblia sua foede corrupta et accommodata erroribus suis diffunderent: cum novitatis amor plurimorum animos incesserit: cum passim hac arte plures deciperentur; nulla efficacior ratio suppetebat rom. pontificibus gregi sibi divinitus commissi bono incolumitatique prospiciendi, quam ejusmodi lectionem prohibere. Effectus illorum oeconomicum temperamentum optimum fuisse patefecit, quandoquidem eo ex tempore longe rariores perversiones illae evaserunt. Cum feliciora auspicia esse coeperunt, rursum Scripturae lectionem permiserunt, immo ad eam fideles hortati sunt. Atque exinde patet paritatis discrimen, quod intercedit inter abusum rationis et abusum lectionis. Ille enim tolli absolute nequit, quin destruatur ratio ipsa, hic autem absque detrimento corrigi potest, uti liquet ex facto.

211. Ad 6. *D.* Foeminae minus idoneae sunt ad novas haereses excogitandas, *Tr.* ad tenacius retinendas faciliusque disseminandas, quas semel ebiberunt, *N.* Quovis enim tempore foeminae instrumentum aptissimum haereticis fuerunt ad errores caeteris propinandos, uti ex historia ecclesiastica constat; longe praeterea difficilius est foeminas ab erroribus abducere quam viros, uti pariter longa experientia ostendit. Sedulo proinde cavendum est ne erroribus inficiantur.

Et haec de verbo Dei scripto.

[1]) *Epist. LVII. ad Paulinum*, n. 7.

SECTIO II.

DE TRADITIONE.

212. *Traditionis* nomen genericum est; complectitur enim quidquid a primaevo aliquo instituto originem ducit, sive hoc scriptis, sive viva voce, sive praxi ad nos pervenerit. Exinde triplex distinguitur traditionis species, *scripta, oralis* et *practica.* Hic autem nos coarctamus ad severiorem sensum vocem traditionis, quatenus ea significamus illud, quod sola viva voce aut praxi ad posteros transmissum est, neque in Scripturis canonicis continetur, quamvis postea scriptis documentisque fuerit consignatum.

213. Ejusmodi autem traditio dispescitur in *dogmaticam* et *disciplinarem. Dogmatica* ea est, quae auctores habet Christum aut apostolos, prout fuerunt doctrinae evangelicae praecones, et habet pro objecto res fidei aut morum. *Disciplinaris* dicitur, quae apostolos quidem habet auctores, sed prout ecclesiae pastores fuerunt, et habet pro objecto dispositiones ad informationem ecclesiae spectantes sive circa regimen, sive circa cultum aut alia ejusmodi. Haec disciplinaris traditio multifariam iterum distinguitur: nam ratione *auctorum* est aut *apostolica* aut *ecclesiastica;* ratione *durationis* est *perpetua* aut *temporalis;* ratione *obligationis*, quatenus aut per modum *praecepti* aut per modum *consilii* res proposita est; demum ratione *extensionis* est aut *localis* aut *universalis.*

214. Sola traditio dogmatica, quae et divina dicitur, ea est quae in controversiam vocatur a protestantibus, qui fatentur pari venerationis sensu ac Scripturam sacram excipiendam esse, si reipsa existeret; at inficiantur ejus existentiam, autumantes in Scripturis omnia contineri, quae ad fidem vel mores spectant. Catholici autem profitentur, praeter Scripturam agnoscendas esse dogmaticas traditiones, cum totum revelationis depositum in sola Scriptura minime contineatur. Fidei articulus hic est, quem catholica ecclesia docet. De fide proinde tenendum est traditionem dogmatico-divinam esse alteram partialem remotam fidei nostrae regulam, prout pariter Scriptura divina altera remota ejusdem fidei regula est; utriusque autem custos

et interpres infallibilis est ecclesia, quae constituit credendorum et agendorum regulam proximam.

215. Permisceri porro non debet traditio cum mediis, per quae ea nobis innotescit aut ad nos pervenit. Ex his mediis alia generalia sunt, particularia alia.

216. Cum nostri muneris sit adstruere catholicum dogma de existentia et necessitate dogmaticae traditionis, deinde vero media assignare, quibus intemerata et integra conservata est et quibus eam dignoscimus: totam hanc controversiam in tria capita dispertiemur, in quorum primo de necessitate et existentia traditionis, in secundo de mediis generalibus quibus ea ad nos pervenit, in tertio de mediis particularibus disseremus.

CAPUT I.

DE NECESSITATE ET EXISTENTIA TRADITIONIS.

217. Cum de necessitate et existentia traditionis dogmaticae agimus, uti paulo ante innuimus, eam spectamus prout partialis regula remota fidei nostrae est, ac proinde complectitur ea dogmata, quae in sacris litteris non continentur, et contra distinguitur ab altera regula partiali remota, quae est Scriptura. Declaravit enim concilium tridentinum [1], catholicam doctrinam contineri non solum in libris scriptis, sed *et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt;* eumque anathemate feriit, *qui traditiones praedictas sciens et prudens contempserit.* Hae traditiones distingui propterea debent ab illis, quas protestantes admittere non renuunt, quasque *inhaesivas* appellant. Inhaesivas eas vocant, quae eadem referunt, quae in Scripturis continentur, e. gr. resurrectionem Christi Domini, quae etiam sine Scripturis ex communi fidelium sensu et traditione servari potest. De his porro nulla est controversia; ast magna agitatur circa traditiones prout a Scriptura distinguuntur. Ad has igitur vindicandas sit

PROPOSITIO.

Praeter sacram Scripturam admitti necessario debent traditiones divinae dogmaticae ab illa prorsus distinctae.

218. Dogmaticae divinae traditiones a Scripturis distinctae necessario admitti debent, si absque illis nec de numero divinorum librorum ac de eorumdem divina inspiratione, neque de dogmatico eorumdem sensu, neque denique de non paucis fidei articulis, quos nobiscum protestantes profitentur, constare potest; atqui res ita se habet.

219. Etenim I. nuspiam in Scripturis exhibetur sacrorum Bibliorum canon, ergo nonnisi ex divina traditione cognosci potest; sane protestantes

[1]) Sess. IV.

qui divinas traditiones non admittunt, ut suo loco ostendimus, numquam potuerunt illum communi consensu firmare. Solae regulae critices non sufficiunt, immo istae sunt divisionis ac disceptationis origo perpetua. Et quamvis alicubi inveniretur sacrorum librorum canon, tamen cum de hoc ipso libro quaestio moveri posset utrum divinus et canonicus sit, redit semper idem argumentum. Quare hoc demum non pauci protestantes fateri coacti sunt. Quod dictum est de canone ac numero, idem dici debet de singulorum divina origine et inspiratione, ut per se patet.

220. II. Sed non minus necessariae deprehenduntur divinae traditiones ad sensum dogmaticum sacrarum Scripturarum certo cognoscendum. Scripturae siquidem ex se obscurae sunt etiam in iis, quae ad fidem moresque pertinent; mutae sunt nec valent, si qua oritur circa sensum dogmaticum controversia, illum determinare. Hic sensus, ex quo fidei veritates pendent, non ab alio, quam ab auctore ipsius relevationis erui potest, nec de eo constare nisi per eos, qui hanc revelationem immediate a Deo ipso acceperunt; si igitur ex sola Scriptura is dignosci ac determinari nequit, necessario sequitur aut admittendas esse divinas traditiones, quae illum ad nos transmiserunt, aut valedicendum innumeris fidei veritatibus a Deo revelatis. Sane his traditionibus rejectis fieri nequit ut dogmata de Trinitate, Incarnatione, divinitate Christi, de originalis noxae propagatione, aliaque ejusmodi adversus illorum impugnatores firmiter adstruantur, ut patet ex protestantibus, qui tantum abest, ut absque divinae traditionis subsidio vicerint socinianos, ut potius ipsi devicti fuerint, ac fere universus protestantismus in socinianismum et rationalismum delapsus sit.

221. III. Non posse praeterea, rejectis ejusmodi traditionibus, plura dogmata, quae nobiscum retinuerunt protestantes, cum ab ecclesia catholica recesserunt, ullo modo adstrui, res est citra omnis dubitationis aleam posita. Etenim ipsi nobiscum retinuerunt valorem Baptismi ab haereticis aut infidelibus administrati, valorem item paedobaptismi, germanam Baptismi formam, cessationem legis de abstinentia a sanguine et suffocato, de die dominico sabbatis suffecto, praeter ea quae superius commemoravimus aliaque haud pauca.

222. His adjicimus totius antiquitatis conspirationem in admittendis divinis traditionibus eisque constanter haeresi opponendis. Etenim ex Patribus alii aperte commemorant traditiones dogmaticas apostolorum, hortanturque fideles ut illis adhaereant, ne ab haereticis a vera fide abducantur, uti Hegesippus, s. Ignatius, Polycarpus jam a primo et II. saeculo; deinde vero Irenaeus et Tertullianus; saec. III. Clemens alex., Origenes et Cyprianus; saec. IV. Eusebius, Epiphanius, Basilius, Jo. Chrysostomus, Ambrosius et Hieronymus; saec. V. s. Augustinus. Unius alteriusve verba afferamus ad dictorum confirmationem. S. Ignatius, apud Eusebium [1], adhortabatur fideles, *ut sibi a pravis haereticorum opinionibus caverent ... hortatusque est,*

[1]) *Hist. eccl.* lib. III. cap. 36.

ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent. S. Irenaeus: *Traditionem apostolorum*, scribit [2], *in toto orbe manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre;* et ibid. passim. Clemens alex. de haereticis scribit [3]: *Humanis doctrinis resistentes divinae traditioni, ut haeresim constituant.* Eusebius: *Ejus,* nempe Christi, *discipuli,* inquit [4], *partim litteris, partim sine litteris quasi jure quodam non scripto servanda commendarunt.* S. Epiphanius: *Traditione quoque*, inquit [5], *opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt.* S. Basilius denique, ut caeteros omittamus, eo progressus est, ut scribere non dubitaverit [6]: *Si consuetudines quae scripto proditae non sunt, tamquam haud multum habentes momenti, aggrediamur rejicere, imprudentes in ipsis rebus praecipuis laedemus, immo potius praedicationem ad nudum nomen contrahemus.*

223. Adeo insitum Patrum mentibus hoc erat principium, ut in oecumenicis conciliis septem prioribus saeculis celebratis novatores haereticos ad traditionem potius quam ad Scripturam provocaverint, uti ex istorum actis patet. Sed praestat rem pressius urgere ex facto ipso. Fatentibus protestantibus doctrina evangelica ab initio sola traditione propagata est, deinde vero Christi discipuli coeperunt data occasione nec sine Spiritus S. impulsu, scriptis eam consignare. Ut igitur quidpiam evincerent protestantes, ostendere deberent ejusmodi scriptis universam Christi doctrinam consignatam esse. Jam vero id nulla ratione ab ipsis demonstrari potest, tum quia nullo id testimonio positivo constat, tum quia hi ipsi divini scriptores contrarium expressis verbis testati sunt. Etenim s. Paulus, scribit [7]: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram*, et iterum sic alloquitur Timotheum ephesinum episcopum [8]: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* S. Joannes ita concludit [9]: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum, spero enim me futurum apud vos et os ad os loqui;* prout pariter concludit Epistolam III. et ipsum Evangelium, quod inter apostolica scripta postremum est.

224. Hoc demum conficimus ipsorum protestantium confessione, Grabii, Pearsonii, Grotii, Smith, Basnagii aliorumque antiquiorum, qui agnoverunt non omnia scripta esse quae Christus docuit, sed plura traditione transmissa. Juverit nonnulla hic exhibere ex protestantibus recentioribus, inter quos Planck ita in rem notam scribit [10]: *Si reformatores id omne praevidissent, quod includebatur in illo principio, quod Biblia sint fons unicus fidei, omnesque magni hujus principii consecutiones supra quod Lutherus statuit systema*

[2]) ***Contr. haeres.*** lib. III. cap. 3.
[3]) Lib. VII. ***Stromat.*** cap. 16.
[4]) ***Demonstrat. evang.*** lib. I. cap. 8.
[5]) ***Haeres.*** LXI. cap. 6.
[6]) Lib. ***de Spiritu S.*** cap. XXVI. n. 66.
[7]) II. Thess. II. 14.
[8]) II. Tim. II. 2.
[9]) Epist. II.
[10]) ***Hist. dogmatis lutherani***, vol. VI. pag. 705.

suum, tam illi, quam Lutherus, maluissent ei renunciare. Eodem modo disserunt Delbruck professor bonnensis, Theremin et alii, qui exinde repetunt doctrinae christianae eversionem, quae tum a socinianis tum rationalistis ac mythicis inducta est.

225. Sub quovis igitur respectu controversia ista spectetur, nisi Scripturis ipsis, toti antiquitati ac ipsius rei naturae nuncium remittere velimus, traditiones divinas dogmaticas a Scriptura prorsus distinctas ceu alterum divinae revelationis fontem ac fidei nostrae regulam admittamus necesse est.

DIFFICULTATES

e Scriptura.

226. Obj. 1. Scripturae passim traditiones rejiciunt; etenim Christus, arguit pharisaeos [11], quod reliquerint *mandatum Dei propter traditiones hominum.* 2. Vetant quominus aliquid verbo Dei adjiciatur [12]: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor;* haec ferme eadem leguntur in Apocal. [13]; immo Apostolus anathema dicit cuique evangelizanti *praeterquam quod* ipse evangelizaverit [14]; sed clarius adhuc fideles adversus traditiones praemunivit scribens [15]: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum;* quia 3. ut ipsemet scribit [16]: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Jam vero si Scriptura potest hominem *perfectum* efficere et *instructum ad omne opus bonum*, sufficiens ipsa censenda est, ac velut inutilis quaevis traditio traducenda. 4. Quamvis porro daretur non omnia, quae Christus dixit aut gessit, scripta esse, sufficiunt tamen ad fidei integritatem et ad salutem, quae divinis in libris continentur juxta illud [17]: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ergo.

227. Resp. Ad 1. *D.* Rejiciunt Scripturae traditiones humanas et pharisaicas, *C.* divinas et dogmaticas, quales ecclesia tuetur ac retinet, *N.* Id liquet ex prioris loci nobis objecti scopo et argumento. Christus enim ibi arguit pharisaeos, qui superstitiose nonnullas consuetudines a majoribus acceptas praesertim post captivitatem babylonicam sectabantur negligentes mandata Dei, immo sub traditionum obtentu ea eludentes, quae profecto nihil commune habent cum traditionibus divinis dogmaticis, de quibus agimus. Caeterum ad veras traditiones Act. VI. 14; Galat. I. 14. provocatur; Christus ipse saepe ad eas alludit.

228. Ad 2. *D.* Per textus sacri corruptionem, *C.* per traditionum divinarum exclusionem, *N.* Vetat nempe Deus sive in Deuteronomio sive in

[11]) Matth. XV. 3.
[12]) Deut. IV. 2.
[13]) Apoc. XXII. 18.
[14]) Galat. I. 8.
[15]) II. Coloss. II. 8.
[16]) II. Timoth. III. 16.
[17]) Joann. XX. 31.

Apocalypsi, quominus ulla immutatio sive per additionem, sive per subtractionem textus fiat, quod profecto per traditionem divinam non fit. Dum vero Apostolus anathema comminatur, eos suggillat pseudoapostolos et doctores, qui falsa dogmata introducebant contraria evangelio, quod ipse Galatis praedicaverat, adnitentes necessariam persuadere observationem legis mosaicae ad salutem iis, qui ex gentilitate ad Christum conversi erant, uti nunc protestantes ipsi interpretes fatentur; prout pariter jam nobis dant Apostolum Colossenses praemunire voluisse adversus judaizantes doctores.

229. Ad 3. *D.* Quatenus Scripturae aut expresse doctrinam ad fidem ac mores spectantem continent, aut fontes aperiunt, ex quibus, quae desunt, haurienda sunt, *C.* secus, *N.* Accedit Apostolum unice in objectis verbis loqui de Scripturis illis, quas Timotheus *ab infantia* noverat, nempe Veteris Testamenti; adeoque si quid valeret adversariorum difficultas, sequeretur inutiles esse Scripturas Testamenti Novi.

230. Ad 4. *D.* Quae in Scripturis continentur sufficiunt ad fidei integritatem, in sensu exposito, quod Scripturae expresse aut implicite omnia contineant necessaria ad fidem et salutem, *C.* omnia expresse, *N.* Latet praeterea in difficultate aequivocatio; aliud enim est Scripturam expresse continere, quae cognitu necessaria sunt ad salutem; aliud vero continere omnia, quae ad fidem spectant, quamvis non omnia aeque scitu necessaria sint. Prius verum est, posterius vero est falsum, uti ex dictis constat.

231. Inst. 1. Scripturarum divinam inspirationem et canonem *universus orbis* admittit, ad hunc propterea articulum adstruendum traditio divina necessaria non est. 2. Porro si Scripturae divinitus inspiratae sunt, necessario debent omnia, quae ad fidem spectant, continere, cum Dei perfecta sint opera. 3. Sane nulla ratio assignari potest, quare Deus, qui in Scripturis sanctis memoriale voluntatis suae nobis relinquere constituit, illud voluntatis suae *partem* tantum continere voluerit, partem vero alteram sola traditione voluerit innotescere, quod certo nemo sapiens legislator faceret. 4. Credibile praeterea non est Deum voluisse ut in Scripturis plura, quae videntur adiaphora, insererentur, e. gr. penula Pauli Troade dimissa, membranae, chartulae, nutritio comae, osculum sanctum aliaque ejusmodi sexcenta, et omitterentur fidei veritates creditu necessariae ad salutem. 5. Verum in hoc theologi ipsi romani secum pugnant, siquidem juxta alios dogmata de valore paedobaptismi, de cultu sanctorum, reliquiarum, imaginum etc., ex sola traditione repeti possunt, juxta alios vero haec ipsa ex Scripturis probantur. 6. Concludendum igitur est non alias traditiones praeter *inhaesivas* et *declarativas,* quae a Scripturis non distinguuntur, esse admittendas, prout declaravit tridentina synodus Sess. IV. doctrinam catholicam *contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus,* id est, *et in libris et in traditionibus,* minime vero partim in scriptis partim in traditionibus, uti nunc Romanenses contendunt. Ergo.

232. Resp. Ad 1. *D.* Canonicitatem et inspirationem Bibliorum admittit universus orbis *catholicus, C.* orbis *protestans, N.* Immo hic orbis pro-

testans eo ipso quod divinas traditiones admittere recusaverit, eo devenit ut et canonem labefactaverit, et inspirationem omnem presse sumptam rejecerit. Difficile admodum est duas nunc sectas protestantes reperire, quae circa hos articulos quoad omnia prorsus conveniant, ut suo loco ostendimus.

233. Ad 2. *D.* Perfecta Dei sunt opera in ordine ad finem sibi a Deo praestitutum seu relative, *C.* absolute in sensu adversariorum, *N.* Alioquin libri singuli, qui diverso tempore conscripti sunt, fuissent imperfecti, antequam eorum numerus compleretur, quod nemo dicet. Singuli igitur perfecti fuerunt, quatenus continebant, quod Deus juxta finem, quem sibi praestituit, scriptorem sacrum inspirando scribi voluit. Quapropter neque imperfecti etiam simul sumpti sacri libri dicendi sunt, quamvis non omnia contineant, quae ad fidem pertinent.

234. Ad 3. Resp. agi de facto; cum vero de ipso constet, conjecturae nostrae illud infirmare non valent. Si Deus non constituisset ecclesiam custodem infallibilem ac depositariam revelationis suae, mira videri posset ejus agendi ratio; cum vero constituerit infallibile ecclesiae magisterium, ut esset nobis proxima credendorum et agendorum regula, potuit hanc viam tenere, ut homines intelligerent, quod ab ea dependere debeant quoad eorum cognitionem, quae licet divinitus revelata fuerint, non ideo tamen in Scripturis continentur. Alioquin posset etiam quispiam inquirere, quare non omnia ab initio Deus voluerit unico libro consignari, aliaque ejusmodi. Exinde patet nullam esse paritatem deductam ex sapienti humano legislatore.

235. Ad 4. *D.* Nobis, quibus fines omnes divini consilii noti non sunt, incredibile videri potest, *Tr.* vel *C.* Deo qui aliter se gessit ac vellent homines, *N.* Itaque si Deus ita se gessit, fines certe habere debuit dignos sapientia sua; et hoc sufficit. Sed hic modus anglicanis et protestantibus non arridet, quid inde?

236. Ad 5. *D.* Id est, nonnulli theologi catholici in germine recensita dogmata Scripturas continere asseruerunt, ita tamen ut apodictice adversus haereticos ex solis Scripturis demonstrari nequeant, *C.* alio sensu, *N.* Apparens igitur haec antilogia tollitur, si quod de omnimoda probatione negarunt aliqui, alii asseruerunt de tenui probatione; quod adeo certum est, ut frustra lutherani ex sola Scriptura pro paedobaptismo decertaverint adversus anabaptistas. Adde dogma de canonicitate et inspiratione omnium et singulorum librorum nullo modo ex Scripturis solis probari posse.

237. Ad 6. *Nego* talem umquam fuisse mentem patribus tridentinis, qui aperte distinguunt inter doctrinam, quae in Scripturis continetur, et illam quae solis traditionibus non scriptis transmissa est. Nec enim ignorabant patres illi haud pauca dogmata sola traditione ad nos pervenisse, uti et nos ipsi ostendimus.

DIFFICULTATES
ex Patribus.

238. Obj. Primis duobus saeculis incognita prorsus fuit *supplementaria* traditionis regula. Etenim s. Irenaeus expresse docet [18], apostolos doctrinam illam, quam prius praedicaverant, scriptis dein consignasse, haereticos vero gnosticos confugisse ad traditionem dicentes, quod *non possit ex his* Scripturis *inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem.* 2. Sic Clemens rom. in duabus ad Corinthios epistolis ad solam Scripturam eos provocat, nulla traditionis injecta mentione. 3. Polycarpus scribens ad *Philippenses* ipsis in mentem revocat epistolam ad eos datam ab Apostolo Paulo, concluditque: *Si quis inter haec fuerit, mandatum justitiae implevit.* Sic etiam Ignatius M. fideles hortatur, ut revertantur *ad id, quod invenitur scriptum, quoniam haeretici,* ut ipse scribit [19] *et implicatis implicant Jesum Christum.* Nullum apud Justinum occurrit vestigium dogmatis alicujus obligatorii quod non inveniatur in sola Scriptura. Ergo.

239. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Id est, docet Irenaeus apostolos traditionis via non docuisse doctrinam diversam seu illi contrariam, quam scriptis consignaverant, *C.* totam doctrinam suam apostolos scriptis consignasse, *N.* Gnostici enim, contra quos in objecto loco agit Irenaeus, ut fabulas suas persuaderent incautis, affirmabant se arcana, nescio qua, traditione ab apostolis proveniente, eas accepisse. Irenaeus igitur eos impugnat falsas ejusmodi et commentitias respuens assertiones, cum non aliud quam quod antea praedicaverant, Scripturis vel traditione docuerint. At numquam dicit s. martyr totam doctrinam suam Scripturis commisisse apostolos, immo contrarium prorsus affirmat cum haereticos provocet aeque ad Scripturam et ad traditionem, quae in ecclesiis apostolicis conservabatur.

240. Ad 2. *D.* Quia id non ferebat Clementis scopus, *C.* quia non agnoscebat, *N.* Scopus Clementis erat compescere Corinthiorum schisma et seditionem; quod vero ipse agnoverit traditiones, patet ex perpetua allegatione librorum deuterocanonicorum, quos profecto sola traditione cognoverat esse divinos.

241. Ad 3. *N.* Etenim s. Polycarpus in eadem epist. expressam doctrinae *traditae* mentionem facit scribens. [20] *Quocirca derelicta plerorumque* haereticorum *vanitate, falsisque doctrinis ad traditum nobis ab initio sermonem revertamur.*

242. Neque aliter se gessit s. Ignatius, qui numquam objecta verba exaravit, sed ei ab adversariis afficta sunt; quin potius Ignatius fideles, ad quos epistolas suas scripsit, perpetuo admonet ut doctrinae adhaereant episcoporum suorum, quamque ipsi ab apostolis acceperunt; ut in *Epist. ad*

[18]) ***Praef.*** et cap. I. libri III. ***Cont. haeres.***
[19]) Ad ***Trallian.*** cap. VI.
[20]) Cap. 7.

Magnesianos, cap. 13. in *Epist. ad Trallian.* et alibi passim; et sic eos munit adversus haereticos.

243. Falsum denique est s. Justinum nuspiam traditionum meminisse, siquidem loquens de Baptismi ritu ait [21]: *Hanc autem hujus rei rationem ab apostolis accepimus;* et alibi saepe ad traditionem provocat.

244. Inst. Constans ecclesiarum omnium doctrina est nullas traditiones a Scriptura distinctas esse admittendas. 1. Ecclesiae alexandrinae testes sunt Origenes, qui docet respuendum quidquid *superfuerit* Scripturis [22]; S. Athanasius, qui declarat Scripturas divinas *per se satis esse ad veritatem indicandam* [23]; Theophilus, qui acriter arguit Origenem putantem *aliquid extra Scripturarum auctoritatem esse divinum* [24]; Cyrillus, qui profitetur [25], se pro vero non admittere *quod Scriptura non testatur.* 2. Ecclesiarum orientalium testes sunt Basilius, qui affirmat [26], *credendum esse iis quae scripta sunt,* nullis vero praeterea. Nyssenus, qui improbat [27], *quod nullo Scripturae testimonio fultum non sit;* Cyrillus hieros. docens *non oportere divina et sancta mysteria absque Scriptura tradi;* Chrysostomus, qui vocat *fures, qui aliunde quam per Scripturam ascendunt.* [28] 3. Ecclesiarum occidentalium testes sunt Tertullianus, qui: *Adoro,* inquit [29], *Scripturae plenitudinem,* et rursus scribit [30]: *Non recipio, quod extra Scripturam de tuo profers;* Ambrosius, qui ait [31], se non recipere *quod non legit in Scripturis;* Hieronymus, qui *renuit credere, quae non sunt scripta.* [32] Et ita porro Clemens alexandr., Hippolytus, Cyprianus etc. 4. In hac eadem sententia perstiterunt medio aevo theologi praestantissimi, Gersonius enim: *Scriptura,* inquit [33], *nobis tradita est tamquam regula sufficiens et infallibilis;* Gregorius arimin. profitetur id tantum *quod est in Scripturis expressum valere ad defensionem fidei* [34]; cui consonat Scotus, qui scribit [35]: *Patet quod s. Scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori;* et hi speciminis gratia, cum et alii bene multi id ipsum aperte profiteantur, uti Rupertus, Occamus, Waldensis etc. Ergo.

245. Resp. iterum *Neg. Ant.* Ad allegatas autem auctoritates, *D.* et hae 1°. vel afficiunt traditiones ab haereticis confictas, vel 2°. instituunt argumentum, ut ajunt, *ad hominem;* vel 3°. peculiarem substratam materiam de qua agebatur, *C.* absolute, *N.* Quibus principiis constitutis sic jam ea singillatim applicamus.

246. Ad 1. *N.* Origenes enim loc. cit. agit de vana curiositate illorum,

[21]) *Apolog.* I. n. 61.
[22]) *Hom.* V. *in Levitic.*
[23]) *Adv. gentes.*
[24]) *Epist. ad Paschal.* II.
[25]) *Glaphyr. in Genes.* lib. II.
[26]) *Hom. adversus calumn. SS. Trinit.*
[27]) Lib. *De cognit. Dei.*
[28]) *Hom.* LIX. *in Joann.*
[29]) *Adv. Hermogenem,* cap. 22.
[30]) Lib. *De carn. Christi,* cap. 7.
[31]) Lib. *De instit. Virgin.* cap. 2.
[32]) *Advers. Helvid.*
[33]) Tract. *De Examine doctrinae,* pag. II. *cons.* 1.
[34]) *Sent.* dist. I. qu. 1. art. 2.
[35]) *Proleg.* I. *Sentent.*

qui contendebant sine revelatione, quae Deus revelare noluit ac sibi reservavit, cognoscere.

247. S. Athanasius scribit loc. cit. de vanitate idololatriae.

248. Theophilus perstringit Origenem eo quod contra Scripturarum auctoritatem contendebat Christi regnum aliquando finem esse habiturum.

249. Cyrillus ea affirmat in ordine ad fabulosum angelorum cum foeminis congressum. Jam vero, uti patet, haec nihil commune habent cum traditionibus a Scriptura distinctis.

250. Ad 2. *N.* pariter. Etenim s. Basilius in objecto loco affirmat iis credendum esse, quae Scripturae affirmant, nempe: *Deus erat Verbum*, non autem iis, quae somniabant ariani, qui de Verbo dicebant, quod *non erat,* neque *Deus erat.*

251. Nyssenus eos improbat, qui verba *Genes. IX*: *Venite descendamus et confundamus linguas eorum*, ad angelos dicta autumabant, secus ac Scriptura dicat.

252. Cyrillus hierosol. illa affirmat per oppositionem *ad disputationem commentitiam*, eorum scilicet, qui volebant sola ratione adstruere ea quae revelata sunt mysteria.

253. Chrysostomus demum eos arguit, qui aut Scripturam respuebant, aut illa abutebantur uti *antichristi* et *haeretici.* Scriptura errare nos non sinit sub ecclesiae magisterio. Et en rursum, quomodo haec nulla ratione impetant traditiones.

254. Ad 3. *N.* rursum. Quandoquidem Tertullianus adoravit *Scripturarum plenitudinem* in quaestione, quam agitabat adversus Hermogenem de creatione ex nihilo, item rejiciebat quae de suo adjiciebat Marcion contra apertam Scripturarum auctoritatem.

255. S. Ambrosius non recepit quod in Scripturis profecto non legit, nempe divitiis esse inhiandum cum salutis aeternae dispendio, quando Scripturae potius nos hortantur ad consectandas spirituales divitias; et hoc est quod Ambrosius vocat *primum*, alterum vero vocat *secundum.*

256. S. Hieronymus *renuit credere, quae non sunt scripta* de initis a B. V. post Christi partum nuptiis, uti contendebat Helvidius. Et hic juverit observare nullum ex his testimoniis traditionem impetere.

257. Ad 4. *Neg.* Nam haec non fuit Gersonii mens, qui loc. cit. loquitur de revelationibus privatis easdemque exigi vult ad divinam revelationem, quae in Scripturis habetur. Necessitatem porro traditionis divinae a Scriptura distinctae agnoscit parisiensis hic Doctor tum alibi, tum in opusc. *De propositionibus, De sensu litterali Scripturae*, ubi scribit: *Quod Evangelium Marci sit Evangelium Christi plus quam Evangelium Thomae vel Nicodemi, credimus ex traditione ecclesiae.*

258. Gregorius arimin. disserit per oppositionem ad conclusiones deductas ex sola ratione, quas *philosophicas* vocat, cum *theologicae* derivari debeant ex principiis positivis, quae in divina revelatione continentur, sive haec in Scripturis immediate sive mediate, nempe traditione, exhibeatur.

259. Neque alius est sensus Scoti, qui praeterea profitetur [36] plures esse veritates fide credendas quae in Scripturis non inveniuntur, et ex sola traditione nobis innotescunt; prout et catholici reliqui scriptores omnes semper professi sunt.

DIFFICULTATES

ex natura et incommodis traditionis.

260. I. Obj. 1. Spectata rei natura fieri nequit, ut traditio oralis potuerit per tot saecula incorrupta servari. 2. Debuit necessario subire modificationes subjectivas eorum per quos transmissa est. 3. Nemo sane sibi persuadere poterit in tanta ignorantiae et pravitatis caligine, quae obtinuit medio aevo, intactam servatam esse traditionem. 4. Concludendum igitur est, aut numquam ejusmodi traditionem viguisse, aut esse deperditam, et christianismum in sola Scriptura contineri. 5. Quae vero obtenduntur traditiones, non sunt nisi totidem aberrationes, quae papismum in sua deteriori forma constituerunt. Ergo.

261. Resp. Ad 1. *D.* Si in se spectetur, *Tr.* vel *C.* si spectetur prout ecclesiae infallibili depositariae commissa est, *N.* In hoc porro versatur adversariorum praejudicium, quod traditio divina spectari debeat aut possit ut quaelibet humana traditio, quae de ore in os propagatur; ast hoc falsum est; sed commissa est ecclesiae custodienda eadem ratione qua Scriptura ipsa eidem est consignata, quod si intemerata hoc subsidio et assistentia divina potuit conservari Scriptura, nihil obstat quominus intemerata potuerit conservari traditio. Eo vel magis, quod ut plurimum veritates traditionales practicae sint et in usu quotidiano positae, et monumentis ecclesiasticis consignatae, ut paulo post ostendemus.

262. Ad 2. vel *N.* vel *D.* Quoad modum veritates revelatas concipiendi aut significandi determinata aliqua formula, *Tr.* in se, prout conservantur ab ecclesia, *N.*

263. Ad 3. *D.* Si identificatae non fuissent divinae traditiones cum ipsa ecclesiae doctrina, *C.* si cum hac identicae sint, *N.*

264. Ad 4. *Nego* utramque hypothesim. Prior enim falsa est, uti constat ex dictis; altera vero praeter falsitatem continet absurdum, quod potuerit conservari christianismus in solis Scripturis, quin conservaretur ecclesia Scripturae ac traditionis custos.

265. Ad 5. *Nego* gratuitam assertionem, quae solis innititur adversariorum contra romanam seu catholicam ecclesiam praejudiciis, quae certo ipsi deponerent, si serio veritati studerent.

266. II. Obj. 1. Patres fuerunt errori obnoxii et parum critici; 2. adeoque jam eorum aetate innovationes serpere coeperunt, quae postea incrementum accepere, cujus rei probationes sunt monasticum e. gr. institutum, sacrificium, adoratio imaginum etc.; 3. adde haud posse extolli traditionem, quin deprimatur Scriptura, prout catholici faciunt. 4. Soli proinde

[36]) Lib. I. dist. 12. qu. 1.

Scripturae adhaerere praestat, et si qua sit in illis interpretandis difficultas, juxta analogiam fidei illam exponere. Ergo.

267. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut Patres unum sint ex tot mediis, per quae ad nos divina traditio pervenerit, *C.* unicum, *N.* Nos inferius plura alia recensebimus. Distingui praeterea debet inter Patres seorsim sumptos et eorum universalitatem et consensionem; atque iterum inter Patres in se spectatos et suffragium ecclesiae. Licet proinde daremus adversariis, quod minime concedimus, eos parum criticos, et errori, singillatim spectatos, fuisse obnoxios, nihil tamen proficerent adversarii, qui laborant in hac difficultate falso supposito.

268. Ad 2. *D.* Coeperunt aetate Patrum innovationes in sensu adversariorum, *C.* vere et proprie, *N.* Ipsi enim uti certum assumunt quod juxta principia sectae profitentur, quin advertant, quas vocant novitates, semper in ecclesia obtinuisse, et fundamentum in ipsis Scripturis haberi, cujusmodi profecto est sacrificium, *veneratio* imaginum, nuncupatio votorum seu consiliorum evangelicorum, aliaque id genus multa. Sane puseyistae nunc adnituntur in anglicanismo monastica instituta instaurare tam virorum quam mulierum. *Risum teneatis, amici!*

269. Ad 3. *N.* Etenim catholici in pari veneratione habent tum Scripturas tum traditiones divinas eo quod sint verum verbum Dei, licet diversa ratione transmissum. Ipsimet protestantes fatentur eadem reverentia esse traditiones ac Scripturas habendas si existerent. Porro ex dictis reipsa existunt.

270. Ad 4. *D.* Scripturae exponendae sunt juxta analogiam fidei, quando haec firmiter constituta est, *Tr.* vel *C.* si nutet, *N.* Jam vero haec regula quidem quoad catholicos valet, penes quos fides est certa juxta principium infallibilis auctoritatis; penes protestantes autem nullam vim habet, cum nuspiam haec habeatur et pendeat ab uniuscujusque examine et subjectiva persuasione, quae in perpetuo fluxu est.

CAPUT II.

DE MEDIIS GENERALIBUS, QUIBUS TRANSMISSA EST PRIMITIVA DOGMATICA TRADITIO, QUIBUSQUE TUTO AGNOSCI POTEST.

271. Media generalia traditionis nuncupamus ea, quae natura sua ac sua perenni universalitate ac publicitate doctrinam ex revelatione divina acceptam transmiserunt atque transmittunt ex aetate in aetatem. Talia porro sunt magisterium ecclesiae, acta conciliorum praesertim oecumenicorum, acta martyrum, sacra liturgia, ecclesiae praxis in sacramentorum administratione et religioso cultu, scripta Patrum, scholasticorum et recentiorum theologorum doctrina, haereticorum sectae, historia denique ecclesiastica. Pauca de singulis delibabimus.

§. 1.

DE ECCLESIAE MAGISTERIO.

272. Ecclesia a Christo ipso magistra infallibilis instituta est, quoad gentes omnes quovis tempore, illarum divinarum veritatum, quas ipse e coelo detulit. Ex quo ipsa coepit hoc ministerio sibi concredito fungi post descensum Spiritus Sancti, numquam ab eo cessavit, sed adhuc perdurat perseverabitque in eo usque ad mundi finem. Praedicatione coepit gentes convertere et conversas jugiter docere: ipsa probavit extrinseca auctoritate sua libros, quos canonicos appellamus: ipsa eorumdem sensum dogmaticum patefacit atque determinat, adeoque libri sacri *quoad nos* totum valorem suum ab ecclesia mutuantur. Ipsa propterea sola est nostra proxima credendorum et agendorum regula, quavis alia exclusa. Haec proinde ecclesiae doctrina, quae ex jugi suo magisterio provenit, tenenda est. Ad eam haereticos omnes, sectarios acatholicos quosvis tamquam ad lydium lapidem provocare debemus, ut eos arguamus erroris in iis omnibus, in quibus ab ecclesiae doctrina discedunt. Si quid proinde ipsa doceat, quod non contineatur in Scripturis, a traditione id repetere debemus. Dixi *quovis tempore,* quia cum Christus pollicitus sit se cum ea futurum usque ad consummationem saeculi, quum illi promiserit Spiritum veritatis cum ea mansurum usque ad mundi finem sive in aeternum, nonne impium immo absurdum est ecclesiae infallibile magisterium velle coarctare ad tria aut quatuor priora saecula? Si illis saeculis ecclesia infallibilis fuit ac legitima custos et interpres divinae revelationis, certe talis est existimanda vi Christi promissionum, sed istae nullum determinant tempus, immo excludunt prorsus quamcumque determinatam epocham, qua transacta specialis haec assistentia ipsi defutura sit. Ergo vel numquam, vel semper ecclesiae a Christo institutae per jugem successionem legitimorum pastorum perseveranti competit haec praerogativa. Hic est lapis ille, quem impegere, impingunt, atque impingent acatholici omnes.

§. 2.

DE CONCILIORUM, PRAESERTIM OECUMENICORUM, ACTIS.

273. Acta conciliorum oecumenicorum acta sunt ipsius ecclesiae in unum congregatae, seu ecclesiae quatenus in conciliis repraesentatur; adeoque decreta solemnia edita a conciliis ejusmodi, probatis et confirmatis a summis pontificibus, sunt documenta certissima fidei et proinde traditionis ecclesiae universalis. Consueverunt porro oecumenica concilia potius traditionem quam Scripturam adversus haereticos urgere, quod hanc novatores et haeretici per privati sensus principium eluderent, nihil autem respondere possent adversus traditionem seu actualem ecclesiae fidem.

274. Idem dic de rom. pontificum decretis dogmaticis, in quibus ipsi se testes praebent publicos traditionis ecclesiae romanae, immo et ecclesiae universae, cujus illa pars essentialis est.

275. Quod vero spectat ad concilia particularia sive nationalia sive provincialia, magnam semper fuisse illorum auctoritatem nemo est qui ambigat. Saepe enim illorum opera haereses profligatae sunt, quae in aliqua provincia aut gente exortae sunt, et illorum decreta testimonia exhibent traditionis peculiarium illarum ecclesiarum, quae congregatae sunt. Quae, si accepta ac probata fuerint ab universa ecclesia et rom. pontificibus, omnimodam auctoritatem obtinent.

276. Permisceri autem nequeunt, uti theologi omnes admonent, *motiva* cum *decretis dogmaticis* seu definitionibus, prout debent pariter in conciliis secerni, quae prolata sunt ab uno aut pluribus etiam Patribus, ab iis, quae communi fuerunt consensu probata.

§. 3.

DE ACTIS MARTYRUM.

277. Caeteris omissis, quod potissimum evincit magni facienda esse martyrum acta ad ecclesiae doctrinam et sensum traditionalem dignoscendum illud est, quod in ipsis referantur responsa martyrum ad praesidum quaestiones. Ex his vero discimus, quibusnam instructionibus informarentur a pastoribus suis circa altissima Religionis nostrae mysteria. Exinde Christi divinitas, Verbi incarnatio, Trinitatis dogma aliaque ejusmodi pene innumera invictissime probantur tum adversus socinianos, tum adversus hagiomachos protestantes aliosve haereticos. Pondus illis accedit ex eo, quod publice acta illa coram praesulibus legerentur in ecclesiasticis conventibus; quod sine subjectivis conceptibus in his exhibeantur, quae rudes homines ac foeminae didicerant. Adeoque ineluctabile ad rem nostram argumentum praebent.

§. 4.

DE SACRA LITURGIA.

278. Liturgiae in iis, in quibus omnes consentiunt, testimonium publicum constituunt universae ecclesiae; nobis quippe exhibent fidem episcoporum, presbyterorum omniumque fidelium. Ex his comperimus antiquae ecclesiae fidem quoad dogmata omnia, quae his postremis temporibus a tot sectis novatorum in controversiam vocata sunt circa sacrificium, realem Christi praesentiam et transsubstantiationem, circa Trinitatem et Incarnationem, circa peccatum originale ejusque propagationem, circa praeeminentiam romanae sedis ob Petri primatum, circa cultum et invocationem Sanctorum eorumque reliquias, et ita porro. Nonnisi obstinata pertinacia huic antiquae et universalis traditionis testimonio resistere potest.

279. Si vero seorsim liturgiae spectentur, eo majorem sibi vindicant auctoritatem, quo antiquiores sunt et ad nobiliores ecclesias pertinuere. Si quae autem desciscant a communi illarum consensu, aut ab haereticis postea interpolatae sint, nullam in his auctoritatem obtinent.

§. 5.

DE ECCLESIAE PRAXI IN PUBLICA ET SOLEMNI SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE ET CULTU RELIGIOSO.

280. Solemnis sacramentorum administratio ac religiosus cultus publicus veluti partes integrales liturgiae spectari possunt. Adeoque huc pariter referuntur, quae de illarum vi ad probandam receptam in ecclesia universali traditionem disseruimus. Hoc tamen sibi proprium vindicat administratio sacramentorum, quod ex ea discimus illorum numerum, efficaciam in gratiae communicatione, effectus, dispositiones. Agitur siquidem de re in usu quotidiano posita, circa quam nulla innovatio introduci potest. Adeoque veluti de manu in manum ad nos pervenit illorum numerus cum caeteris, quae commemoravimus, quo fit ut novitatis arguantur haeretici saeculi XVI. qui omnium primi illorum numerum et vim adorti sunt.

281. Idem dic de publico religioso cultu circa celebrationem festorum, vigilias, jejunia, quae fieri in ecclesia ab immemorabili consueverunt in honorem b. Virginis, apostolorum ac martyrum. Ex his patet quaenam fuerit antiqua ecclesiae fides quoad haec objecta, quae maligno dente carpunt novatores, ut inferant ecclesiam tempore barbarico in deplorabilem idololatriam hac de causa lapsam esse. Infelices homines! qui non advertunt se potius a fide totius ecclesiae universim a prima aetate recepta descivisse, et hoc crimen in ipsos intorqueri a socinianis eo quod Christum Deum profiteantur. Sic talionis poena mulctati sunt.

§. 6.

DE SANCTIS PATRIBUS.

282. Quatuor dotes requiruntur, ut quis in censum Patrum veniat: doctrina eminens, insignis sanctitas, ecclesiae testimonium, ac notabilis antiquitas. Quamvis vero Origenes ac Tertullianus circa insignem sanctitatem et ecclesiae testimonium deficiant, receptum tamen est, ut ob ipsorum eminentem doctrinam et antiquitatem inter Patres connumerentur. S. Bernardus qui saec. XII. floruit, postremus Patrum habetur.

283. Patres spectari possunt, aut prout *testes* sunt ecclesiae doctrinae et traditionis, aut prout sunt *doctores,* qui veritates catholicas enarrant ac vindicant. Quatenus testes considerantur, nullum dubium esse potest, quin doctrina ab ipsis exhibita doctrina ecclesiae sit, cui testimonium perhibent pro aetate in qua singuli floruere; eo vel magis quod a divina providentia excitati sint ad praelianda praelia Domini adversus insurgentes haereses, quae ecclesiam depopulabantur.

284. Indicia porro ad cognoscendum quandonam Patres uti traditionis testes sese exhibuerint, haec sunt: 1°. si ipsi id aperte profiteantur; 2°. si quod doctrinae caput veluti certum et in ecclesia receptum propugnent; 3°. si in novitatem insurgant veluti in haeresim ecclesiae doctrinae adversantem; 4°. si alicujus erroris auctorem tamquam haereticum insectentur;

5°. si plures ejusdem aetatis Patres in ipsum conspirent, et ecclesiae suffragium tulerint.

285. Cum vero uti doctores se praebent, ineluctabilis profecto non est Patrum auctoritas, proprios enim ac subjectivos conceptus promunt, dum circa veritates fidei philosophantur aut disputant. Quin immo in vindiciis, quas fidei articulorum agunt, discerni debent objecta harum vindiciarum a motivis, quae adducunt ad articulum vindicandum; fieri enim potest ut minus interdum solida sint, nec tamen exinde veritates ipsae nutant, quas ipsi propugnandas susceperunt. Quod si Patres versentur in placitis liberis, in criticis, in philosophicis, physicis etc., tanta erit illorum auctoritas, quanta est soliditas rationum, quas afferunt.

286. Hac distinctione facile erit os obstruere protestantium et Oxoniensium recentiorum, dum vel Patres vel catholicorum agendi rationem in illorum afferenda auctoritate insectantur.

§. 7.

DE SCHOLASTICIS THEOLOGIS.

287. Scholastici theologi jure merito Patrum successores habentur. Illorum primordia a methodo, quam inter Graecos s. Joannes damascenus, et s. Anselmus cantuariensis inter Latinos primum induxerunt, repeti solent. Hanc methodum deinceps excoluerunt et ad perfectionem adduxerunt Magister sententiarum nuncupatus seu Petrus Lombardus, s. Thomas vero potissimum et s. Bonaventura, quos deinceps alii magno numero secuti sunt.

288. Sub duplici pariter respectu scholastici spectari debent, aut veluti traditionis *testes* aut veluti *doctores*. Eo ipso quod scholastici Patribus successerint, doctrinam ac traditionem, quam ab illis exceperunt, in posteros veluti publici testes propagarunt. Id porro lucri ex illorum methodo habemus, quod ecclesiae doctrinam ad quaedam capita revocarint, et formulis determinarint; quo factum est, ut ex ipsorum scriptis doctrinam, quam ea aetate profitebatur ecclesia, immo vero doctrinam aetatum omnium, magna cum praecisione dignoscamus. Numquam enim ipsi docuissent, e. gr. *septem* esse sacramenta; Christum esse *realiter ac substantialiter* praesentem in Eucharistia, item in hac praesentem fieri per *transsubstantiationem*, aliaque id genus multa, nisi ipsi hanc fidem didicissent a traditione, quae illos praecessit. Quum vero ecclesia haec ipsa probaverit, patet illos in his se non exhibuisse nisi tamquam fideles traditionis testes. In hoc vero adnotanda est perversa protestantium agendi ratio, qui haud secernentes veritatem ab illis propositam et propugnatam a *nova formula*, sub qua ea proposita est, ceu praetextum rejiciendi ecclesiae doctrinam interposuerunt, quod a commentis scholasticorum ea sit repetenda.

289. Quatenus scholastici *doctores* aestimantur, illis applicari debent, quae circa Patres adnotavimus: secernendas videlicet in iis esse veritates, quas adstruxerunt, a rationum et auctoritatum momentis, quibus id effecerunt, nec non a subjectivis eorum conceptibus et conclusionibus, quas

intulerunt; nam in his alii prae aliis excelluerunt. S. Thomas *Angelici* nomen merito consecutus est; nonnulli autem deficere visi sunt et in vitia dilapsi, propter quae merito arguuntur. Ast permisceri non debent vitia auctorum cum methodo ipsa: methodus quippe optima est ac valde inservit detegendis haereticorum sophismatibus, qua de causa ipsis invisa est; abusus vero proprius est singulorum, qui male re bona utuntur.

290. Cavendus hic duplex scopulus et illorum, qui scholasticos nimis extollunt, et eorum qui nimis eos deprimunt. Sunt, qui vellent denuo exsuscitare quaestiones illas, quae inter scholasticos agitabantur, ac ita illorum presse methodo peripateticae adhaerere, ut, nisi id fiat, plene desperandum de religionis vindiciis videatur; alii e contra adeo illos despiciunt, ut quidquid scholasticum olet, contemptui habeant spernantque. Via media tenenda est, siquidem bona plurima in ipsis delitescunt, fatentibus moderatis doctioribusque protestantibus ipsis, qui inde se profecisse ingenue professi sunt; nec ita mordicus iisdem adhaerendum, ut piaculum sit ab illorum agendi ratione recedere.

§. 8.

DE HAERETICIS.

291. Duplex semper testimonium catholicae doctrinae atque adeo dogmaticae quoque traditioni haeretici perhibent: alterum de iis, quae retinent ex catholica doctrina, quaeque ab ecclesia deficientes secum deferunt; alterum vero de iis, quae ecclesiae relinquunt, sibique impugnandum suscipiunt. Ea enim est haereseos indoles, ut non omnia abjiciat, quae docet ecclesia, sed potius in plurimis cum catholica doctrina et praxi conveniat, in paucis dissideat. Quare relate ad ea, quae de doctrina catholica retinuerunt haeretici, invicte testantur, eoque invictius quo vetustiores sunt, quid, ea qua ipsi vel defecerunt vel ejecti sunt aetate, ecclesia profiteretur. Quod vero spectat ad articulos, quos haeretici impugnarunt, testes pariter sunt, quod in ecclesia talis doctrina viguerit, quando in illam insurrexerunt. Ex gnosticis, e. gr. discimus ecclesiam respuisse perversum dogma, quod Deus sit auctor peccati; ex manichaeis, quod Deus auctor fuerit Veteris Testamenti juxta ecclesiae doctrinam; ex arianis, quod ecclesia profiteretur consubstantialitatem Verbi cum Patre; ex nestorianis, quod septem V. saeculo admitterentur sacramenta, et ita porro. Haereseologia propterea magno usui esse potest theologo ad posteriores haereticos confundendos, dum novitatis incusant ecclesiam in articulis, quos ipsi rejecerunt. Idipsum dicatur de dogmatica nonnullorum biblicorum textuum interpretatione, aliisque quamplurimis.

§. 9.

DE HISTORIA ECCLESIASTICA.

292. Historiam ecclesiasticam duplici quasi oculo instructam, chronologia et geographia, magno adjumento theologis esse ad dignoscendam primitivam traditionem et ecclesiae doctrinam nemo inficias ibit. Quandoquidem

ea est, quae nobis patefacit ecclesiae ipsius originem, dilatationem, summorum pontificum et episcoporum, qui cum illis in communione fuerunt, continentem seriem, disciplinam, praxim, ritus, fidem, singularum sectarum primordia, plerarumque ipsarum finem, sanctorum gesta virorum, peculiarem demum Dei erga ecclesiam suam providentiam; nec non effectuum ex suis causis evolutionem, quae philosophiam, ut ita dicam, historiae constituit.

293. Critica ad bene historia ecclesiastica utendum opus est, cum non omnes historici ejusdem sint auctoritatis, sive quod partium studio laboraverint, sive quod nimis a factis, quae referunt, distarint, sive quod simplicitate aut malitia peccarint. Verum in hac ipsa critica adhibenda duo debent extrema vitari, non omnia scilicet clausis, ut ita dicam, oculis sunt admittenda, nec omnia pariter nimia sunt facilitate respuenda. In hunc postremum scopulum impegerunt praesertim novatores et increduli nimis fisi argumento negativo, cum potissimum agitur de eventis supernaturalibus.

294. Ne igitur effrenis et immoderata sit ejusmodi crisis, modus servari debet: ac 1°. critica non debet in ea se ingerere, quae ad se non spectant, cujusmodi dogmata fidei sunt, aut quae cum illis connexionem habent atque ab ecclesiae judicio unice pendent. 2°. Debet esse prudens in iis expendendis, quae sibi subsunt, nec nisi gravibus motivis induci ad aliquid sive admittendum sive respuendum, nec nimis levibus conjecturis indulgere. 3°. Sobria esse debet ac modesta, ne sese opponat aut communi Patrum sensui, aut ecclesiae judicio, conciliorum aut rom. pontificum decisionibus.

295. Quod vero attinet ad auctoritatem historicorum, 1°. quamvis unius auctoris quidpiam asserentis testimonio fidendum indiscriminatim non sit, si nihilominus et ejus auctoritatis sit, prudentiae ac doctrinae, quae omnem a se suspicionem removeant, si sit facto, quod refert, coaevus, et ejus naturae res, quae gesta perhibetur, sit, ut fingi nequiverit, quin ab aliis reclamaretur, admitti utique potest, ut non pauca exempla ostendunt. 2°. Quod si plures iique graves auctores conveniant in re aliqua referenda, neque ab aliis aeque gravibus auctoribus falsitatis arguantur, merito fidem iis adhibebit theologus, ut exinde rem suam conficiat. 3°. Certum denique promet argumentum ex eo, quod probati omnes auctores referunt, cum fieri nequeat in materia, de qua agimus, ut omnes conspirare potuerint aut voluerint ad falsum testificandum, aut saltem omnes graves ac probati auctores coaevi aut suppares in eo, quod referunt, decepti sint. Notas porro, quae ad fide dignum scriptorem constituendum requiruntur, satis innuimus.

CAPUT III.

DE MEDIIS SINGULARIBUS, QUIBUS ANTIQUA TRADITIO TRANSMISSA EST ATQUE COGNOSCITUR.

296. Media singularia seu particularia, quibus antiqua ecclesiae traditio transmissa est nobisque innotescit, vocamus ea, quae peculiarem

probationem ac sui generis testimonia suppeditant. Sunt autem potissime epigraphia, numismatica, picturae, sculpturae, sepulchreta, sacrae aedes. Eo pluris haec facienda sunt documenta, quod ad remotissimam antiquitatem assurgant, et supplemento quodammodo inserviant defectui scriptorum, quae primaeva illa aetate aut persecutionum vi exarari non potuerunt, aut si quae exarata sunt, ad nos minime pervenerunt, temporis injuria et edacitate consumpta. Sane de iis omnibus, quae tribus prioribus saeculis a Patribus aliisque ecclesiasticis scriptoribus commendata sunt litteris, nonnisi pauca supersunt. Ea tamen sunt documenta, ut praecipua dogmata, de quibus nobis litem intentarunt protestantes, evidenter adstruant. His enim deprehendimus ea, quae veluti novitia inventa traduxerunt novatores et *papismi*, ut vocant, *abominationem* constituunt, antiquissimas esse institutiones, quae ad aetatem ipsam apostolicam pertingunt. Ex his documentis eo res deducta est, ut quin omnem pudorem exuerint, jam nequeant protestantes ecclesiae romanae exprobrare innovationem in dogmatibus controversis. Quod ut palam fiat, satis nobis erit singula capita percurrere ac rem totam peculiaribus exemplis illustrare.

§. 1.

DE EPIGRAPHIA.

297. Veteres christianos maxime sollicitos se praebuisse inscriptionibus res suas, quae ad religionem pertinent, consignare, exploratum est. Praecipua porro dogmata, de quibus mota a novatoribus saec. XVI. quaestio est, in illis reperiri facile ostenditur.

298. Adversus anabaptistas, qui nullius valoris esse paedobaptismum contendunt, stant inscriptiones illae, quae saepe occurrunt, in quibus recens baptizati infantes exhibentur et *neophyti* aut *fideles* vocantur, cujusmodi est inscriptio apud Victorium [1], in qua *Tecla fidelis* appellatur etsi 9 tantum menses nata; prout Victor quidam dierum 80 apud Boldettum *neophytus* dicitur [2], et alibi passim.

299. Adversus protestantes generatim, qui nolunt in Confirmatione agnoscere sacramentum a Baptismo distinctum, plures occurrunt lapides, in quibus contrarium asseritur. Etenim apud Gruterum [3], inscriptio legitur de puella *Picentia legitima neophyta* (seu rite baptizata) *die V. Kal. Septemb. consignata a Liberio P. F.* Idem dic de dogmate realis Christi praesentiae in Eucharistia, cujus luculentissimum documentum exhibet inscriptio augustodunensis non ita pridem reperta. Sanctos prioribus ecclesiae saeculis invocari a christianis consuevisse fidem faciunt inscriptiones illae, in quibus non solum ipsi *Domni* aut *Domini* nuncupantur, verum etiam vota iisdem persoluta perhibentur, prout legitur in epigraphe, quam vulgavit Zacharia [4], et in alia quam vulgavit Gruterus [5], in quibus *Papro et Marileoni sanctis*

[1]) *Dissert. philologica.*
[2]) *Observat. super cimit.*
[3]) *Nov. Thesaur. veter. inscript.*
[4]) *Hist. litteraria Italiae*, vol. 2.
[5]) Ibid.

martyribus, et *s. Petro* id factum esse constat. Eorumdem pariter sanctorum apud Deum intercessionem aliae inscriptiones apud Maffejum et Bonarotium exhibent.

300. Viguisse itidem penes priscos christianos fidem de lustrico carcere ac de suffragiorum utilitate ex parte viventium pro animabus in illo detentis adversus protestantes, testis est lapidaria inscriptio reperta in sepulchreto Callixti et Praetextati, in qua tituli auctor Deum pro defuncto rogat *ut illius recordetur;* nec non Diptycum brixianum apud Maffejum [6], in quo legitur: *Memento, Domine, omnium defunctorum pontificum* etc., et alibi passim.

301. Ut autem majori emolumento theologo esse possit epigraphia, cavere debet, ut rationem habeat aetatis inscriptionum, genuinae lectionis, et sensus legitimi, collationis cum aliis, ornamentorum denique, ex quibus nova quandoque argumenta promere potest.

§. 2.

DE VETERUM CHRISTIANORUM MONUMENTIS RELIQUIS.

302. Hic pergimus exemplis illustrare et confirmare quod paulo ante asseruimus de efficacia, quam habent vetera monumenta uti testimonia antiquae traditionis ad probanda dogmata catholica adversus protestantes.

303. Satis enim est oculos injicere in opera Bosii, Aringhii, Bottarii, Victorii, Lupi, Maffeji, Boldetti et aliorum, qui sibi archaeologiam christianam illustrandam sumpserunt, ut pateat picturas et sculpturas, ad quas etiam referuntur vitra, opera tessellata, gemmae, lucernae, sarcophaga aliaque id genus, rem christianam seu catholicam patefacere. Etenim ex his praeexcellentia Petri in regimine ecclesiae mirifice adstruitur super Paulum, secus ac praetenderint, qui haeresim de capite bicipiti invexerunt. Infallibile item ecclesiae magisterium per navis symbolum, cui Spiritus Sanctus insidet. Dogma praeterea de canonicitate librorum deuterocanonicorum utriusque Testamenti, de imaginum usu et cultu, sive veneratione.

304. Ex numismatica constituta est adversus protestantes veracitas utriusque Machabaeorum libri; ut patet ex nummis regum Syriae a Froelikio et Eckel Soc. Jes. vulgatis et expensis.

305. Ex sepulchretis ac sacris aedibus copiosa seges sese offert ad dignoscendam antiquam dogmaticam traditionem. In illis enim imagines reperiuntur symbolicae Christi, qui sub *piscis, cervi sitientis, pastoris, columbae,* litterarum A et Ω, aliisque ejusmodi figuris designabatur. In illis pariter cultus imaginum Christi, Deiparae, sanctorum apostolorum ac martyrum deprehenditur, cum super altare, in quo sacra peragebantur mysteria, collocarentur, nec non Crucis effigies ad oratorii ingressum posita, ut ab introeuntibus exosculari posset. In illis sacrorum vasorum, quae in usu erant apud christianos, diversas species deprehendimus. Immo vel ipsa sacrarum aedium structura nos edocet distinctionem tunc temporis receptam inter

[6]) *Musaeum Veron.*

clericos et laicos; altarium item in eodem sacello multiplicitatem secus ac post Lutherum jansenistae autumarint de unico altari in qualibet ecclesia; martyrum corpora tum subter tum super altaria cernimus collocata; haec siquidem aliaque id genus multa, quae a sacrae et ecclesiasticae antiquitatis studiosis illustrata sunt, ritus et dogmata, quae nunc in catholica ecclesia obtinent, eadem plane esse, quae iis temporibus antiquissimis, evidenter ostendunt.

306. Ex his, quae speciminis gratia attulimus, pronum est inferre 1°. quam praeposteram sibi protestantes de traditione ideam confixerint, dum arbitrati sunt, eam in peculiari aliqua formula, qua veritates traditionales de ore in os transmitterentur, consistere; 2°. traditionem complecti systema speculativum ac practicum religionis christianae, quod per modum unius consignatum ecclesiae est, ut integrum servaretur; 3°. conservatam ac transmissam eam esse innumeris prope mediis generalibus et particularibus, et alligatam fuisse tum fidei professionibus, tum ritibus publicis, perennibus, universalibus, quibus fieri omnino non poterat, ut aliquando temeraretur; alioquin undique conclamatum esset, si alicubi aliqua innovatio tentata esset; quibus omnibus adjicienda potissimum est divina assistentia, quae numquam ecclesiae deesse potest juxta Christi solemnes pollicitationes. Et sane cum eam protestantes perinde ac veteres haeretici omnes insigni ausu foedae in fide ac moribus corruptionis, immo et turpis idololatriae incusaverint, ex accurato antiquitatis sacrae examine ac studio, quod hac aetate potissimum institutum est, facile fuit deprehendere protestantes reipsa a veterum praxi et fide descivisse, et perfectam conformitatem doctrinae et praxeos cum antiqua ecclesia in ecclesia romana reperiri. Exinde factum est, ut protestantes vel debuerint propriam deceptionem fateri vel ecclesiam universam accusare, quod ab aetate apostolica jam coeperit deficere, donec tandem aliquando agentibus Luthero ex monacho apostata et stigmatico Calvino cum suis gregalibus ad suam puritatem et integritatem restituta est. Quis sanae mentis ejusmodi absurda immo vere impia commenta devoret?

PARS TERTIA.

DE ANALOGIA RATIONIS ET FIDEI.

PROOEMIUM.

1. Ab ipsis christianae religionis primordiis controversia agitari coepit de analogia rationis et fidei. Qui enim antea fuerant disciplinis philosophicis in paganismo instituti ad novae religionis praedicationem, quae a Deo data hominibus perhibebatur, expendere aggressi sunt quid nova religio doceret, quaenam dogmata proponeret, eaque cum placitis philosophicis aut cum rationis ipsius dictamine conferre. Prout vero affecti erant, vel dociles se gratiae praebuerunt, intellectum captivantes in obsequium fidei, et philosophia usi sunt ad rem christianam illustrandam; vel superbi eam repulerunt et opposuerunt philosophiam religioni ad fidem impugnandam veluti rationi contrariam. Quae quidem pugna jugiter perseveravit insequentibus saeculis majori vel minori intensitate.

2. Recruduit porro magnoque animorum aestu agitata est ex occasione protestantismi, qui omnia sus deque vertit, et invaluit magis aetate hac nostra ob tot recens inducta philosophica systemata inter se plane contraria. Alii enim rationis vim adeo extenuant, ut pene ineptam ad verum cognoscendum praedicent; alii vero eam adeo extollunt, ut velint eam veritatibus ipsis revelatis dominari; alii demum rationem ac fidem ita inter se committunt, ut eas simul haud posse consistere proclament.

3. Exinde utilitas, immo vero et necessitas profluit difficilis adeo et implexae hujus tractationis, quae praetermitti nullatenus potest, ut juniores theologi inoffenso pede campum hujusmodi percurrant.

4. Duae erunt hujus tractationis sectiones, in quarum altera de analogia rationis et fidei in se spectata, in altera vero de ejusdem applicatione seu de methodologia agemus.

SECTIO PRIOR.

DE ANALOGIA RATIONIS AC FIDEI IN SE SPECTATA.

5. Ordo postulat, ut cum de analogia rationis ac fidei nobis agendum sit, declaremus quid rationis, quid fidei nomine hic intelligamus. *Ratione* igitur generatim sumpta, prout omnem humanae mentis cognoscendi ac judicandi vim complectitur, significamus *nativam atque essentialem animi humani facultatem, seu facultatum collectionem, quibus homo verum cognoscit ac de ipso judicat, quatenus idem verum intra naturae ambitum continetur. Fidei* autem nomine *liberum illum assensum* designamus, *quem intellectus divina gratia praeventus et adjutus praebet veritatibus supernaturalibus ob Dei revelantis auctoritatem.* Ex his notionibus patet, rationem pro objecto suo veritates habere naturalis ordinis, quas proinde ipsa cognoscit, intuetur ac judicat, seu saltem potest cognoscere, intueri ac judicare; fidem vero, quae rationi supervenit, objecta divinitus proposita apprehendere et credere.

6. Ratio triplicem habere potest relationem seu respectum ad fidem; siquidem potest spectari vel *ante* fidem, vel *cum* fide, vel denique *post* fidem; nempe vel antequam fidei assentiatur, vel una cum ipso assensu, vel post ejusmodi assensum. Exinde fluit hujus sectionis in tria capita partitio.

CAPUT I.

DE RATIONE ANTE FIDEM SPECTATA.

7. Jam innuimus in duo invicem opposita extrema dilapsos eos esse, qui de rationis nativa vi disseruerunt, quorum alii nimium eam deprimunt et extenuant, alii vero nimis efferunt et extollunt. Juverit paucis complecti systemata utriusque sententiae sectatorum.

8. Qui *defectu* peccant in vi rationis deprimenda ad verum sui ordinis assequendum, sunt 1°. sceptici, qui theoretice saltem profitentur se de omnibus dubitare, cum verum prorsus *incomprehensibile* seu *inaccessum* esse autument; practice vero, quae ad vitam naturalem ac civilem necessaria sunt, prorsus admittunt. 2°. Lutherus ac lutherani primitivi, qui cum docuerint per Adae lapsum naturam humanam in suis essentialibus depravatam omnino esse, non solum liberum homini lapso denegarunt arbitrium, sed praeterea ita intellectum ad veri investigationem ineptum evasisse censuerunt, ut sine fidei lumine nihil omnino cognoscere possit neque in naturali ordine. Exinde bellum quod philosophiae intentarunt ad eam eliminandam, quam *opus carnis* vocarunt, obtendentes falsum esse in theologia quod verum praedicaret philosophia. Indidem pariter apud protestantes receptum principium, quod nullum sit agnoscendum intrinsecum boni ac mali moralis discrimen, quod unice a positiva Dei voluntate repeti debet. Sic alii plus minus feliciter insanierunt, donec ita se ab illo *nihilismo* receperint, ut in partem adversam devenerint, dum rationem individualem non solum controversiarum

fidei judicem constituerunt, verum etiam supra revelationem extulerunt ac normam supremam credendorum et agendorum proclamarunt ac deam, uti mox dicemus.

9. Interim 3°. in Britannia neoscepticismus prodivit; siquidem Humius sustulit penitus universalitatem principii, quod vocant *causalitatis,* atque inficiatus ejus necessitatem *a priori,* illud conjecit inter principia *a posteriori* seu experientiae; hac ratione praecipuum fundamentum convellit realitatis objectivae humanarum cognitionum. In Germania Kantius, Humii vestigiis insistens, scientiam omnem ad mera sensibilitatis phaenomena, ac subjectivas quasdam easque necessarias intellectus formas revocavit. Quaecumque sub experientiam cadunt, seu intra experientiae ambitum continentur, vocavit *phaenomena* seu *apparentias,* quae vero experientiam transcendunt, *noumena* seu *intellectualia* aut *mentalia* nuncupavit; nos nonnisi phaenomena cognoscere seu scire statuit, noumena vero non item; ad phaenomenorum porro classem retulit vel ipsum *ego* nostrum, ita ut de ejus realitate semper ambigere possimus, prout de phaenomenis aliis quibuscumque, quorum non habemus nisi *subjectivam* cognitionem. Ad noumena vero res omnes amandavit, prout in se sunt, quorum nullam prorsus cognitionem habemus, cujusmodi esset Deus, animorum immortalitas, aliaque id genus omnia. Ex quibus patet hanc revolutionem philosophicam, quae sub *criticismi* nomine inducta a Kantio est, absolutum scepticismum inducere.

10. Ex hac veluti foecunda parente prodierunt *aprioristarum*, ut vocant, systemata philosophica, quae aut purum *idealismum* aut putidum *pantheismum* redolent, nam indidem *idealismus absolutus* seu *egoismus metaphysicus* Fichtei profluxit; philosophia item *identitatis* seu *realismus absolutus* Schellingii; demum, caeteris omissis, philosophica Hegelii doctrina emersit de *subjecti et objecti in idea* identitate, qua ipse ex logica ideae evolutione realitatem ipsam objectorum educit.

11. Ut autem appareat quemnam influxum in religionem christianam ejusmodi systemata exercuerint, satis erit vel leviter illorum applicationem ad rem christianam delibare. Juxta Kantii principia, revelatio positiva ejusque possibilitas supernaturalis *noumenon* est, de quo nihil sciri aut affirmari potest. Non alia religio superest, quam quae intra rationis limites continetur omni theoretico fundamento destituta, quaeque nonnisi gratuitis postulatis iisque saepe contradictoriis innititur. Sic prorsus evanescit omnis revelatae religionis possibilitas in pantheistico Schellingii systemate; prout evanescit in systemate Hegelii, juxta quod revelatio ac mysteria omnia, quae revelata perhibentur, non sunt nisi totidem naturales ideae logicae evolutiones. Parum quoad rei substantiam ab hoc differt Fichtei systema. Eliminata porro quavis positiva revelatione ac religione, deventum necessario est in rationalismum ac mythicismum a Straussio in *Vita Jesu* ad suum apicem perductum, quique latebat in protestantismi principio fundamentali, quod aliud non est nisi totius christianismi eversio.

12. Sequiores hi omnes, ut patet, eo devenerunt, ut quibusdam veluti

gradibus rationem extollerent usque ad ejus apotheosim, eamque fontem veritatum omnium religiosarum constituerent. Peccarunt proinde *excessu*, ac se religioni positivae christianae hostes infensissimos praebuerunt.

13. Infausto hoc exitu, qui provenit ex rationis abusu, deterriti religionis revelatae propugnatores non pauci aetate hac nostra rati sunt rationem ipsam ex se, sin minus religioni revelatae positive hostilem, non satis idoneam saltem esse ad veritates etiam naturalis ordinis comprobandas. Diversas proinde iniere vias ad finem sibi propositum obtinendum. Alii siquidem non tam rationis capacitati quam sensui cuidam religioso fidendum esse, ad assequendas veritates religionis, censuerunt; tales sunt *sentimentalistae* aut *mystici* nuncupati; alii ineptam rationem autumarunt ad veritates etiam naturalis ordinis, cujusmodi censentur Dei existentia, animorum immortalitas, justi injustique norma etc. certo cognoscendas, sed eas unice a positiva revelatione esse repetendas, quae primis parentibus facta est, et per eos traditione ad posteros transmissa; tales sunt *supernaturalistae* dicti, qui philosophiam, quae a revelatione praescindit in illis veritatibus demonstrandis, *antichristianam* aut *extrachristianam* vocant; alii non omnes prorsus rationi in his veritatibus detegendis aut demonstrandis adimunt vires, sed eas veritatibus assequendis pares esse inficiantur, ut certos de illis nos efficiat, nisi accedat consensus generis humani, quem constituunt supremum certitudinis criterium in veritatis ac religionis negotio; tales sunt *traditionalistae* nuncupati, eo quod velint genus humanum traditionis cujusdam universalis ope veritates, de quibus agimus, cognovisse et conservasse; alii methodum *psychologicam* veluti religioni infensam spectant, cui *ontologicam* substitutam vellent, quae nempe auspicatur ab *immediata* et *concreta* Dei ipsius intuitione, quapropter *ontologistae* audiunt; alii denique, Hermesio duce, Kantii et Fichtei principia expurgare quodammodo ac perpolire annisi sunt, ut, ipsis deinceps ita modificatis, demonstrationem religionis christianae et catholicae conficerent, atque *hermesiani* vocantur.

14. In tanta sententiarum discrepantia difficile admodum est quidpiam statuere, quin in offensionem incurramus aut eorum, qui nimium rationi tribuere, aut eorum, qui eidem nimium detrahere videntur. Quid verisimilius inter diversas praesertim catholicorum opiniones tenendum sit, ea qua par est modestia aperiemus, cum nihil personis velimus detrahere iis, qui vero fidei zelo flagrant, aliorum relinquentes judicio utrum viam tutam sectati simus. Interim cum hic de ratione ante fidem, seu in ordine ad fidem sive ostendendam sive profitendam agere nobis propositum sit, in duos articulos caput hoc dispertientes, in primo de recto rationis usu ante fidem, in altero de ejusdem ante fidem abusu disseremus.

ARTICULUS I.

DE RECTO RATIONIS USU ANTE FIDEM.

15. Quamvis theologi munus haud sit quaestiones mere philosophicas agitare, cum tamen fieri nequeat ut agamus de recto rationis usu in relatione, quam illa habet ad fidem, quin ex probatioribus philosophis ea saltem attingamus, quae ad rem nostram spectant, idcirco nonnulla in juniorum theologorum commodum breviter hic subjicimus, quae fundamentum ac basim dicendorum constituant.

PRAENOTANDA.

16. Principii loco assumimus, humanam naturam, quae incredibilem in verum cupiditatem in se experitur ac sentit, posse vi sua ad ipsum capessendum pervenire, alioquin sine objecto invincibilem hanc propensionem esse, absurde dicere deberemus.

17. Sane illis mens nostra a natura praesidiis est instructa, quibus tuto pluribus saltem in casibus verum omni cum certitudine assequi possit. Duplici siquidem cognoscendi facultas elemento sive ordine constat, *empirico* et *rationali*, seu *sensibili* ac *ideali*, aut etiam, ut vocant, *psychologico* ac *logico* vel *ontologico*. Utriusque elementi aut ordinis principium unum idemque est, quod sentiens ac intelligens est, quo fit, ut duo illi ordines arctissimo inter se nexu copulentur. Ex arctissimo hoc duplicis ordinis nexu veritas, seu objectivitas realis humanae cognitionis, ac scientiae certitudo unice necessario promanare possunt. Ex arctissimi hujusce nexus disjunctione potissime orta sunt absurda systemata, in quae non pauci neotericae scholae philosophicae, in Germania praesertim, lapsi sunt, aut abjecti empirismi et materialismi, aut vagi idealismi.

18. Ex duplici porro recensito ordine duplex pariter profluit essentialium veritatum ordo, quae basim constituunt ac fundamentum scientiae ac certitudinis omnis. Ex ordine enim empirico, seu ex factis internae experientiae habet primo humana mens intimum ac substantialem *sensum* sui ipsius, seu, ut vocant, *proprii ego*, nec sine illo umquam esse potest. Hanc vero suae existentiae ideam directe ac immediate percipit animus. Quo fit, ut propriae existentiae veritas nullam patiatur demonstrationem, cum in facto consistat; quod si quis negaverit, aut in dubium revocare voluerit, eo ipso illud adstruit et confirmat.

19. Habet praeterea ex hoc factorum empiricorum ordine humana mens earum, quae in se accidunt, affectionum intimum sensum seu conscientiam. Hae autem affectiones aut possunt a nobis ipsis excitari, et sentimus nos earum principium agens esse, aut in nobis sine nobis, immo quandoque nobis reluctantibus, excitantur, et nos earum principium patiens esse evidenter cognoscimus. Cum vero haec facta conscientia immediate revelet, fieri nequit, ut de iis dubitare possimus; totidem sunt veritates objective

reales, prout realis et concretus est ordo sensibilis, seu ordo existentiae; implicat enim animum non sentire dum sentit.

20. At enim ordo hic empiricus, utpote ex factis iisque contingentibus exsurgens, quae nonnisi necessitatem hypotheticam involvunt, nequit necessitatem absolutam et universalem gignere, quae scientiis vere et proprie dictis constituendis requiritur. Ex altero propterea eoque excelsiori ordine, rationali videlicet seu ideali, elementa arcessere debemus, quae absolutam ejusmodi necessitatem inducant. Talia autem sunt principia illa abstracta ac universalia rationis, quibus mens vere intelligens ac rationalis constituitur, quaeque cum evidentia sua fulgeant, reliquis hujusce ordinis veritatibus detegendis certoque cognoscendis necessario inserviunt. Ejusmodi principia, quae alio nomine *axiomata* nuncupantur, evidentiam immediatam cum prae se ferant, tum logicam necessitatem gignunt, tum omnem demonstrationem refugiunt. Ob nexum, quem veritates necessariae inter se habent, revocari facile omnes possunt ad principium quoddam supremum, quod *contradictionis* nuncupatur aut *identitatis: idem* nempe *non posse simul esse et non esse,* seu *quo mens percipit rem aliter esse non posse.* Exinde mens seu humana ratio lumen suum mutuatur; nempe normam ac regulam generalem habet eamque firmissimam veritatis, juxta quam de statu animi sui in ordine ad cognitionem dijudicat.

21. Quae ut probe intelligantur, nonnulla enucleare praestat tum circa certitudinem generatim, tum circa ejus species. Certitudo porro definiri potest: *firma* et *rationabilis animi persuasio de veritate rei cognitae. Firma* ad cujusvis dubitationis exclusionem, *rationabilis* quatenus non ex caeco veluti instinctu, sed a legitimo judicandi motivo persuasio illa proveniat, ita ut mens, quin sibi vim faciat, nequeat assensum suum cognitae veritati denegare, cum videat rem aliter esse non posse.

22. Motivum vero legitimum, quo induci mens debeat ad ita judicandum, multiplex est, pro diversa objecti natura de quo judicat. Nam primum potest esse aut *intrinsecum,* aut *extrinsecum.* Intrinsecum illud est, quod veritatem propositionis, seu necessitatem nexus inter subjectum et praedicatum intrinsece patefacit. Haec manifestatio duplici ratione evenire potest, nempe aut *absolute*, cum necessitatem propositionis absolutam, seu *a priori* ex ipsa objecti natura promanantem ostendit; aut *hypothetice,* cum veritatem propositionis seu nexus necessitatem *a posteriori* et ex facto contingenti provenientem exhibet, quo posito fieri nequit, ut propositio vera non sit. Rursum motivum istud intrinsecum, quod sive necessitatem absolutam sive hypotheticam ostendit, praestare id potest aut *immediate* aut *mediate.* Id efficit immediate, cum propositiones ejusmodi sunt, ut intuitivae ac per se evidentes sunt; mediate autem, cum ad eas cognoscendas ope ratiocinii adducimur, quae proinde veluti illationes ex primis veritatibus intuitivis eruuntur, unde conficitur *demonstratio.* Cum primitivae ejusmodi veritates aliae logicae sint, aliae psychologicae, duplex distinguitur demonstrationis genus, quorum alterum *a priori,* alterum *a posteriori* dicitur. Si rite

utraque instituta fuerit, si nempe necessarium nexum ostendat inter veritatem intuitivam et eam, quae exinde deducitur, demonstratio *apodictica* erit, ac certos nos reddit de assecutione veritatis.

23. Haec autem certitudo pro diversitate motivorum seu fontium, e quibus dimanat, est vel *logica* aut *metaphysica*, vel *physica*. Logica aut metaphysica est, si proveniat vel ex *sensu intimo* quoad facta interna, vel ex *ratione* quatenus prima necessaria ac universalia principia exhibet; *physica* autem si profluat ex *sensibilitate externa* quoad facta, quae aliunde proveniunt.

24. Quamvis porro motiva *externa* nobis haud possint exhibere necessarium nexum intrinsecum subjecti ac praedicati, patefaciunt saltem indicium vel connotatum certum de nexu illo, ac proinde de propositionis veritate. Praecipuum ejusmodi indicium est *auctoritas* seu testimonium aliorum. Si certitudo habeatur de connexione hujus indicii, seu *auctoritatis* cum propositione, de qua agitur, ac certitudo praeterea de veritate illius indicii, certi efficimur de ipsius propositionis veritate. Quoniam vero hoc indicium extrinsecum est, hinc potius quam intueri, assentiri seu credere dicimur veritati. Si hoc indicium seu auctoritas evidens sit, propositio, quae per eam innotescit, *evidenter credibilis* dicitur et est. Auctoritas potest esse aut divina aut humana; fides propterea quae ex alterutra provenit, est vel divina vel humana.

25. Fides, quae Dei testimonio innititur, ut per se patet, omnimodam certitudinem, nempe metaphysicam parit. Quae autem innititur testimonio seu auctoritati humanae, si plena sit, spectato testium *numero*, *scientia* et *probitate*, spectatis praeterea adjunctis omnibus, in quibus falsitas aut mendacium admitti nequeant, certitudinem absolutam gignit, ac resolvitur saepe in metaphysicam, eam revocando ad principium, quod nullus detur effectus sine causa.

26. Exinde deprehendimus certitudinem *moralem*, quae nempe ex hominum testimonio consurgit, veram certitudinem esse, quae ad rationem *theoreticam* pertinet, minime vero, ut quidam neoterici contendunt, ad solam rationem *practicam*, qualis nascitur ex officio morali propter rationis practicae dictamen, quo tenemur ad assensum aliorum testimonio praestandum. Assensus porro, qui perhibetur ex dictamine practicae rationis, nullius valoris est, cum non sit nisi mera acquiescentia, quae etiam merae probabilitati adhibetur, numquam vero firma illa ac rationabilis persuasio, quae certitudinem constituit. Perinde esset certitudinem moralem theoreticam denegare ac certitudinem ipsam destruere, ac proinde fundamentum evertere tot disciplinarum, quae illi innituntur, immo et religionis positivae sive revelatae, ut paulo post ostendemus.

27. Ex discrimine, quod intercedere vidimus inter certitudinem, quae progignitur a necessitate intrinseca *a priori*, seu necessitate in ipso immediato sensus intimi facto fundata ac in intuitiva evidentia, atque inter certitudinem, quae oritur ex necessitate extrinseca *a posteriori* et ab auctoritate procedit,

differentia deprehenditur, quae inter *scientiam* ac *fidem* invenitur. *Scire* enim dicimus, quod percipimus, intelligimus, intuemur sive immediate sive mediate; contra vero *credere* dicimus, quod aliorum testimonio admittimus, quia intimum nexum ejus, quem sic ex aliorum auctoritate tenemus, minime videmus. Quapropter duae istae notiones inter se permisceri nequeunt, nec ullo pacto admitti potest, quod aetate hac nostra excogitatum est, scientiam sine fide minime sufficere ad realitatem objectivam rerum constituendam. Quae quidem theoria periculo plena est, et aliena prorsus a mente antiquiorum philosophorum, Augustini praesertim et Aquinatis, nec non saniorum omnium philosophorum recentiorum.

28. Quibus praemissis, haec jam deducimus veluti corollaria quae basim dicendorum constituent; ac 1°. sequitur rationem humanam a Conditore suo ad verum natura sua comparatam esse, quod illa proinde mediis naturalibus sibi insitis assequi potest. Contrarium enim supponere esset absurdum.

29. Sequitur 2°. dari aliquas veritates sive *facti* sive *rationis,* quae intuitiva evidentia fulgent, quaeque a nemine, quin rationabili suae naturae repugnet, negari aut in dubium revocari possunt, et in quas propterea omnes consentiunt.

30. Sequitur 3°. ejusmodi principia seu veritates immediatae evidentiae esse prorsus indemonstrabilia, cum sint per se nota, et omni ratiocinationi ac demonstrationi inservire debeant.

31. Sequitur 4°. non modo dari certitudinem *relativam,* quae in peculiari subjectivo animi statu consistat, sed praeterea dari reipsa certitudinem *absolutam*, quae nimirum pro omnibus indiscriminatim certitudo esse debeat; alioquin dilaberemur in scepticismum tum philosophicum tum religiosum, non sine ingenti Conditoris injuria et veritatis detrimento.

32. Sequitur 5°. *absolutam* ejusmodi certitudinem haberi posse in *ordine cognitionis* seu *psychologice*, etiam *praecisione* facta a Dei ipsius cognitione et veracitate, quamvis in ordine *essendi* et *ontologico* omnia necessario entia a primo dependeant. Siquidem propriam existentiam nostram prius quam Dei existentiam cognoscimus, et ex illa ad Dei existentiae cognitionem assurgimus.

33. Sequitur 6°. nexum inter subjectum et objectum in ipsa sensibili ac intelligente hominis natura fundari. Etenim dum humanus animus pro duplici cognitionum ordine empirico et ideali, quem habet, se ipsum sentit ac percipit, fit necessario certus de realitate sua objectiva. In seipso proinde ac in actibus suis invenit homo intrinsecam rationem principiorum illorum necessariorum *a priori,* quod non datur *accidens sine substantia*, nec *effectus sine causa;* quocirca ejusmodi principia non sunt, ut neoterici nonnulli autumarunt, *synthetica a priori,* sed prorsus *analytica,* nec solum *logica,* sed *metaphysica* ac *ontologica*, et ad realitatem objectivam demonstrandam firmissima.

34. Sequitur demum 7°. ad praecavendas difficultates triplicem esse cognitionum ordinem distinguendum, *logicum, chronologicum* et *historicum.* Logicus intrinsecum cognitionum nexum attingit, ostenditque quomodo alia

in alia contineatur, easque evolvit et educit. Chronologicus naturalem exhibet cognitionum evolutionem, principium ex quo derivatae sunt, earumque progressum. Historicus facta, quae in humanitatis historia contigerunt, pro objecto habet. Ordo logicus philosophicus et abstractus est; chronologicus est ordo facti atque concretus; historicus extrinsecus est.

35. Nunc jam praestat, quae hactenus exposuimus, ad rem nostram applicare; quod praestabimus insequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Plures veritates naturalis ordinis, quae tamquam praeambula fidei spectari possunt, sine supernaturalis revelationis subsidio recta ratio omnimoda certitudine cognoscere potest.

36. Adstruitur haec propositio adversus *supernaturalistas*, scilicet adversus eos, qui veritates naturalis ordinis, quaeque a s. Thoma *praeambula fidei* nuncupantur [1], cujusmodi sunt existentia Dei, spiritualitas ac immortalitas animorum, atque id genus alia, nedum demonstrari, sed nec cognosci posse ab humana ratione autumant. Hi siquidem in ea sententia versantur, ut nisi praecesserit divina positiva revelatio, quae primis progenitoribus facta est et locutionis ope in posteros traditione transmissa, de illis veritatibus numquam humana mens potuisset se attollere ad eas cognoscendas et demonstrandas. His auctoribus basis ac fundamentum totius metaphysicae a positiva divina revelatione constituitur.

37. Equidem si de facto ageretur non abnueremus illis subscribere; sed quaestio de jure est praesertim quoad eos, qui vel originariam ac primitivam revelationem amiserunt, aut etiam abjecerunt. In adversariorum enim hypothesi hi omnes ad recensitas veritates solius rationis ope assurgere non possent, multo vero minus de ipsis demonstrationis vi possent convinci.

38. Jam vero, ut in cognitione Dei sistamus, de qua praecipue fervet controversia, quaeque caeterarum veritatum fundamentum est, Scripturae ac Patres ex creaturis eam hauriri *posse* immo et *debere* ubique supponunt: etenim Sap. XIII. 1. legitur: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his, quae videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex... A magnitudine enim speciei et creaturae, cognoscibiliter poterit creator horum videri;* et Apostolus: *Invisibilia ipsius,* inquit [2], *a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt ... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Loquitur porro Apostolus, uti patet ex postremis verbis, de philosophis, qui ratione ad unius Dei cognitionem pervenerunt, ejusque existentiam rationis ope demonstrare potuerunt.

[1]) P. I. qu. 2. art. 1. [2]) Rom. I. 20.

39. His biblicis documentis Patres insistentes uno ore docuerunt, posse ac debere homines Dei notitiam per creaturas sibi comparare. Inter quos ita loquitur s. Irenaeus[3]: *Hoc ipsum omnia cognoscunt, quando ratio mentibus infixa moveat ea ac revelet, quoniam est Deus unus omnium Dominus.* Tertullianus praeterea, distinguens inter Dei cognitionem naturalem, qualis ex creaturis obtineri potest, et salvificam, quae ex revelatione positiva comparatur, scribit[4]: *Nos definimus Deum primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum: natura* ex *operibus*, *doctrina* ex *praedicationibus.* Demum caeteris omissis s. Cyprianus ethnicum ita compellat[5]: *Haec est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis.* Atque ita porro Patres reliqui: Basilius, Gregorius nazianz., Chrysostomus, Augustinus, qui praeterea facto id ipsum ostenderunt exhibentes multiplices Dei existentiae demonstrationes metaphysicas, physico-theologicas atque morales, quae apud Petavium[6], et apud Thomassinum[7], recoli possunt.

40. Neque alia scholasticis mens stetit, et agendi eorum ratio fuit. S. Anselmus omnium primus demonstrationem existentiae Dei *a priori* excogitavit; s. Thomas quinque argumentis *a posteriori* eamdem Dei existentiam demonstravit; immo expendens angelicus Doctor illorum sententiam, qui autumant nonnisi per viam revelationis ac fidei Dei existentiam adstrui posse, eam conceptis verbis *errorem* vocat.[8] Hunc errorem renovans Socinius, a nostratibus, et a protestantibus, ipsisque socinianis refutatus est.

41. Caeterum rei christianae sive revelationi auctores, quos refellimus, novo systemate suo haud parum infensos se praebere exinde liquet, quod nonnisi supposita Dei existentia revelationis conceptus haberi possit. Si quis propterea incredulus illam inficietur, nulla amplius via suppeteret ipsum revincendi.

42. Stet igitur firmum ratumque, divina etiam seclusa revelatione, dari posse ac debere *naturalem* eamque *certam* cognitionem ac demonstrationem existentiae Dei et caeterarum necessario nexu ex illa dependentium veritatum, adeoque animorum spiritualitatis, libertatis, immortalitatis, inter justum injustumque discriminis, aliarumque ejusmodi, prout hactenus philosophi praestantissimi, praeeunte Angelico, docuerunt.

DIFFICULTATES.

43. I. Obj. 1. Ex Dei ipsius manifestatione primi parentes ejus notitiam consecuti sunt, eamque una cum loquela ad posteros transmiserunt. 2. Enutritus proinde extra societatem ex sola naturae contemplatione numquam eam sibi comparare poterit, nedum demonstrare. 3. Sane demonstratio praesupponit notitiam rei demonstrandae. 4. Omnis praeterea demonstratio

[3]) *Contra haeres.* lib. II. cap. 6. n. 1.
[4]) *Advers. Marcion.* lib. I. cap. 18.
[5]) *De idol. vanit.* pag. 227.
[6]) *De Deo,* lib. I. cap. 1 et 2.
[7]) *Theolog. dogm.* tom. I. lib. I. cap. 20 seqq.
[8]) *Contr. gent.* lib. I. cap. 4.

fit vel per *deductionem* vel per *inductionem,* jam vero neutro modo Dei existentiae demonstratio fieri potest; non quidem per *deductionem,* quia jam supponit principium cognitum seu *majorem* absolutam veluti certam, quae est basis omnis demonstrationis; non per *inductionem,* alioquin conclusio magis pateret quam praemissae; a finito enim concluderetur ad infinitum. 5. Accedit, quod principia sive axiomata, ex quibus demonstratio omnis exsurgit, demonstrari nequeant, ac assumantur veluti postulata, quae potius creduntur quam demonstrentur. Hinc prout scite jam animadverterat s. Augustinus [9]: *Naturae quidem ordo se habet, ut cum aliquid discimus, rationem praecedat auctoritas .... auctoritas fidem flagitat, et rationi praeparat hominem;* 6. quo fit ut demonstrationes omnes existentiae Dei totidem sint paralogismi, cum in ipsis semper praesupponatur *major absoluta* cujusvis ratiocinii, quae est affirmatio τοῦ esse, nempe Dei, qui est *ens entium.* Ergo.

44. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut, seclusa illa manifestatione et traditione, potuerit ac possit humana ratio naturalem Dei cognitionem sibi comparare, ejusque existentiam demonstrare, *Tr.* vel *C.* secus, *N.* Duo in hac difficultate permiscentur, *factum* et *jus;* aut si placet, ordo *chronologicus* et ordo *logicus:* de facto nulla est controversia, ast non ita est de jure. Ostendimus siquidem argumentis extrinsecis et intrinsecis, etiam illo facto seposito, posse hominem tum Dei seu supremae causae notitiam assequi, tum ejus existentiam demonstrare, alioquin athei negativi, ad quos illa traditio non pervenit, excusabiles essent, secus ac Scripturae et Patres doctoresque uno ore testantur.

45. Ad 2. *D.* Ex defectu exercitii cultusque ejusdem rationis, *C.* ex defectu rationis in se spectatae, *N.* Ut enim ratio suas exerat vires, necesse est ut exerceatur et excolatur ope illorum adminiculorum, quae societas ipsa suppeditat. Alioquin non solum ad Dei notitiam ejusque existentiae demonstrationem non perveniet, sed neque ad notitiam et cognitionem illorum, quae omnium consensu ratio ex se assequi potest. Adeoque ejusmodi argumentum nimis probat.

46. Ad 3. *D.* Praesupponit demonstratio notitiam rei demonstrandae hypotheticam, *C.* absolutam, qualis exsurgit post demonstrationem, *N.* Sane in enunciatione cujusvis theorematis aliqualem cognitionem ejusdem mens assequitur, sed ante demonstrationem haeret circa ejus veritatem.

47. Ad 4. *Dist. min.* Fieri nequit demonstratio existentiae Dei per *deductionem, Tr.* cum de hujus demonstrationis vi adhuc theologi ac philosophi disceptent; fieri nequit per *inductionem,* qua ex effectu ad causam eamque primam ac supremam concludatur, *N.* Sub hoc vero respectu falsum est, quod assumunt adversarii, conclusionem videlicet magis patere quam praemissas, siquidem immediate non concluditur ex finito ad infinitum, sed ex effectu ad causam. Qua necessario inducta, ejus proprietates expenduntur,

[9]) *De morib. eccl.* cap. 2. et *De vera Relig.* cap. 24.

quae nonnisi enti a se existenti, proindeque aeterno ac infinito convenire possunt, sicque assurgimus ad Dei notitiam et existentiam.

48. Ad 5. *D.* Axiomata non demonstrantur, quia in ipsa enunciatione immediatam, intuitivam evidentiam prae se ferunt, *C.* quia ut gratuita postulata assumuntur, *N.* Extra rem porro auctoritas s. Augustini urgetur ab adversariis, cum ipsis aperte refragetur. In priori etenim textu s. Doctor in peculiari tantum quaestione, quam agitabat adversus manichaeos, affirmat auctoritatem rationi praecedere; in posteriori autem pariter aperte adstruit ratione legitimam auctoritatem cognosci, summamque esse ejusdem rationis auctoritatem, quae semper praecedere debet.

49. Ad 6. *D.* Juxta principia adversariorum, *C.* juxta Scripturarum, Patrum totiusque antiquitatis doctrinam agendique rationem, *N.* Deus porro ens quidem entium est, major absoluta, veritatum omnium prima in ordine *ontologico* sive essendi, non autem in ordine *logico* sive cognoscendi quoad nos. Jam vero de hoc secundo ordine hic agitur. Paralogismus itaque adversariorum est, qui in proposito argumento ordinem logicum cum ordine ontologico permiscent atque confundunt.

50. II. Obj. Qui rationalibus demonstrationibus existentiae Dei insistunt 1. numquam se a *formalismi* ac *idealismi* laqueis expediunt; 2. siquidem absque *vitali* ac intima cum suprema veritate communicatione perveniri haud potest ad *vitalem* Dei cognitionem; 3. philosophia pagana, quae ex suo fundo veritates omnes promere sategit, tum se tum mundum in ordine morali ac religioso perdidit; 4. contra vero philosophia christiana luce revelationis illustrata ac in relatione *vitali* cum Deo constituta effecit, ut ratio ac revelatio sese mutuo compenetrarint. 5. Quod quidem amicum foedus a Cartesio primum dissolutum est; 6. ingentia exinde mala eruperunt veritati non minus quam religioni exitiosa, rationis *autonomia*, *sensismus* ac *materialismus*, *idealismus* ac *pantheismus spiritualisticus*, *kantismus* item, *hegelismus*, *rationalismus* aliaque id genus monstra, quibus philosophia ac religio hostiles effectae sunt; 7. ratio demum, ad entitatem logicam redacta, subjecit sibi Creatorem atque a se dependentem reddidit, seu idolum sibi conflavit, coram quo se prosterneret ac thus ei adoleret; 8. rationales demum ejusmodi demonstrationes inanes evidenter ostendunt kantianae *autonomiae;* 9. nam si verae demonstrationes essent, homines cogerent ad assentiendum; ast experientia ostendit innumeros prope esse qui de veritatibus ita demonstratis serio dubitant. Ergo.

51. Resp. Ad 1. *D.* Divortio facto inter ordinem empiricum et rationalem, seu inter facta concreta experientiae et abstracta rationis principia, *C.* illo secluso, *N.* Exinde enim, seu ex ejusmodi separatione, quae contra rei veritatem est, exortus est illorum philosophorum abusus, quem adversarii in omnibus reprehendunt. Quod si constituatur intellectum et rationem identificari, nec duas facultates realiter inter se distinctas esse, evanescit difficultas totamque vim suam habet demonstratio, de qua agimus, nullusque superest mero *formalismo* locus.

52. Ad 2. *D.* Si *vitalis* cognitionis nomine *salvifica* seu supernaturalis

significetur, *C.* si naturalis, *N.* Porro sub hujus vocis latebra perperam adversarii se tegunt, ut efficiant, quod intendunt. Jam vero alter ab altero ordo distingui debet; supernaturalis siquidem per fidem et ex gratia habetur, naturalis vero per naturale rationis lumen obtineri potest. De hoc porro hic disserimus.

53. Ad 3. *D.* Ea praecise de causa, quam adversarii obtendunt, se mundumque perdidit philosophia pagana, *N.* alias ob causas extrinsecas ac abusus, in quos dilapsa est, *C.* In primis adversarii sibi gratis confingunt philosophiae paganae et christianae distinctionem, cum una quovis tempore philosophia seu amor sapientiae ac veritatis extiterit. Quod si philosophia inter christianos ex revelationis beneficio valde profecit, hic profectus non immutavit philosophiae naturam, cujus munus est veritates naturalis ordinis lumine rationis detegere et investigare. Philosophia paganorum studio et industria exculta plures detexit veritates, Apostolo teste [10], quo factum est ut Clemens alex., Justinus aliique Patres antiquissimi datam a Deo gentibus affirmaverint uti paedagogum ad Christum, prout legem dederat Hebraeis. Quod si homines philosophia identidem abusi sunt, non philosophiae ipsi, sed hominum abusui mala exinde promanantia in acceptis referri debent. Quot haeretici abusi sunt et abutuntur divina ipsa revelatione!

54. Ad 4. *N.* Numquam enim philosophia ac revelatio compenetratae fuere, sed suae partes rationi, suae revelationi semper tributae sunt. Aliud est veritates naturalis ordinis, quas ratio patefacit ac demonstrat, revelationem confirmare, aliud omnem rationi vim ad eas cognoscendas ac demonstrandas denegare. S. Thomas in tribus prioribus *Contra gentes* libris, facto ipso contrarium ostendit.

55. Ad 5. *D.* Si reipsa locum habuisset illa compenetratio, quae *amici foederis* nomine designatur, *Tr.* secus, *N.* Cum porro ex dictis constanter philosophia ac theologia naturalis distinctae in se permanserint a theologia supernaturali ac revelata, non potuit certe Cartesius illam compenetrationem dissolvere. Alioquin ecclesiae Patres et Doctores, scholastici omnes, et in his s. Thomas, totidem fuissent cartesiani ante Cartesium.

56. Ad 6. *N.* Siquidem recensita incommoda seu mala non a sana philosophia aut a distinctione inter rationem ac revelationem, sed ab ejus abusu provenerunt, opera potissimum protestantium Humii, Lockii, Kantii, ac universim neophilosophiae germanicae, quae fundamenta religionis revelatae convellit et per abstractionis ac phantasiae abusum in scepticismum, idealismum, pantheismum dilapsa est.

57. Ad 7. *D.* Si homo ipse ac mundus mere logicae entitates essent, *C.* si reales sint, *N.* Porro ex effectibus realibus mens rite assurgit ad causam realem, quae Deus est, constabiliendam; nexus enim effectum inter et causam *realis* est, innititurque principio necessario a priori, ac in reali rerum natura fundato. Non igitur uti vanum idolum, uti adversarii autumant, Deum

[10]) Rom. I.

exhibent rationales demonstrationes de ejus existentia, sed qualis revera est rerum omnium, quae sunt, principium et causa. Multo vero minus per eas Deus rationi subjicitur ac dependens a creaturis efficitur; sed creaturae media sunt cognitionis a Deo ipso nobis exhibita, ut per ea in ejus cognitionem deveniamus. In hoc item argumento adversarii permiscent existentiam Dei *ontologicam* cum *logica* ejus quoad nos cognitione.

58. Ad 8. *D.* Si kantianae autonomiae solidae ac reales essent, *C.* si apparentes et sophisticae ac jamdiu ante ipsum Kantium prolatae ac disjectae, *N.*

59. Ad 9. *D.* Cogerent seu potius inducerent animum rite dispositum ac veritatis sectatorem ad assentiendum, *C.* animum contumacem, qui veritati resistat, *N.* Sane si non defuerunt, qui assensum negarent veritatibus ipsis immediatae evidentiae, aut saltem eas in dubium revocarent, quid mirum si ex perversa animi dispositione plures semper inveniantur, qui demonstrationibus ut apodicticis resistant?

PROPOSITIO II.

Potest ratio, etiam individualis, ac propterea absque humani generis subsidio, sibi in pluribus certitudinem comparare.

60. Est haec propositio adversus assertores necessitatis *consensus generis humani*, aut *sensus communis* aut *communis consensus* ad omnimodam certitudinem tum de veritatibus naturalibus, tum de veritatibus supernaturalibus comparandam, ita ut ejusmodi consensus spectari debeat veluti unicum certitudinis criterium ac suprema agendorum et credendorum regula. Ex istorum placito *ratio individualis*, quam perperam cum *spiritu privato* permiscent, inepta prorsus est ad cujusvis veritatis certitudinem assequendam. Hoc porro systema falsum, perniciosum atque antichristianum esse sic breviter evincimus.

61. Systema illud falsum, perniciosum et antichristianum censendum est, quod 1°. praecidit omnem certitudini aditum; quod 2°. ordinem invertit a Deo constitutum ad homines in fide informandos conservandosque; quod 3°. divinae revelationi amplectendae viam intercludit. Jam vero ejusmodi esse systema, quod impugnamus, vel levis ejusdem discussio cuilibet persuadebit.

62. Enim vero ad primum quod attinet: si unicum certitudinis criterium, si suprema credendorum et agendorum regula est consensus generis humani, consensus aut sensus communis (siquidem adversariis haec synonyma sunt), jam cum nemo aliter posset ejusmodi consensum agnoscere ac de ipso certior fieri, quam per media subjectiva cognoscendi, quibus quisque pollet, haec autem fallacia esse possent ac erroris deceptionibus obnoxia in omnibus seu quoad omnia extra posita, evidens est sic omnem praecidi certitudini adipiscendae viam. Fieri enim potest ut quispiam decipiatur, dum putat dari objecta externa, quae sensus una cum ratione individuali renunciant, alios e. gr. existere homines, hos omnes in aliquo affirmando aut negando consentire, et ita porro.

63. Ad alterum vero quod spectat, ordinem scilicet a Deo constitutum ad homines in fide informandos conservandosque per hoc systema everti, ex eo patet, quod Deus non genus humanum, non hominum universalitatem, aut pluralitatem magisterio infallibili instruxerit ad fidem enunciandam ac in sua puritate conservandam, sed ecclesiam, coetum scilicet pastorum sub eorum capite rom. pontifice, cui propterea perennem ac jugem assistentiam pollicitus est. In adversariorum autem hypothesi ecclesia ab humano genere, seu communi hominum consensu suam infallibilitatem mutuaretur. Et haec infallibilitas humani generis non jam a peculiari Dei munere aut promissis penderet, sed ab insita huic consensui conditione. In controversiis circa fidem exortis aut exoriendis non ecclesia, sed humani generis consensus esset consulendus sine organo, sine tribunali, sine auctoritate. Quod plane est ordinem a Deo ad homines in fide informandos conservandosque constitutum evertere.

64. Demum viam per idem systema intercludi divinae revelationi positivae, de qua agimus, amplectendae, constat ex ratione, quam Deus tenuit in ea proponenda. Nec enim humano generi universim, aut saltem hominum pluralitati ipse suam revelationem communicavit, sed singularibus individuis, ut patet ex patriarchis, prophetis et apostolis; atque, ut insistamus in apostolis, ipsi singillatim provincias percurrerunt ad disseminandum evangelium, contra se habebant consensum humani generis, polytheismum et idololatriam consectantis; nemo propterea eis debuisset pronas aures praebere in adversariorum sententia, aut assensum exhibere, qui omnem errandi formidinem excluderet. Quae quidem aliaque ejusmodi, quae urgeri possent, absona sunt et contra factum; immo et in Deum blasphema, quasi ipse revelationem proposuerit ea ratione, qua nemo potuisset sine erroris formidine eidem assentiri, nec miraculis, quae in revelationis confirmationem fierent, fidem adjungere juxta dicta. Igitur systema consensus communis veluti falsum, perniciosum atque antichristianum spectari debet.

DIFFICULTATES.

65. I. Obj. 1. Ratio individualis, utpote finita, fallibilis sua natura est, ergo nisi alio praesidio muniatur, quod infallibile sit, semper erit errori obnoxia. 2. Hoc porro adjumentum aliud esse nequit quam auctoritas generis humani aut consensus communis, qui non est nisi *emanatio rationis Dei,* immo *ratio Dei ipsius.* 3. Hac dempta, individualis ratio de nulla re, nec de propria sua existentia, umquam certa esse poterit. 4. Multo vero minus poterit actum fidei elicere, alioquin quod fallibile est, actum infallibilem eliceret. 5. Veritates proinde, quae naturalis ordinis dicuntur, e. gr. Dei existentia, animarum immortalitas aliaeque ejusmodi, a rationis individualis arbitrio penderent, hisque superextruerentur veritates supernaturales, nempe super basi lutea statua aurea erigeretur. Ergo.

66. Resp. Ad 1. *D.* Ratio individualis fallibilis est, nempe falli interdum *potest, C.* falli semper ac in omnibus *debet, N.* Ita fallibilis est individualis ratio, prout defectibilis est individualis voluntas, nemo porro

sanus inferret, ex quo voluntas interdum labi ac peccare possit, eam semper et in omnibus peccare debere. Accedit, quod aliud sit *infallibilitas*, aliud *certitudo*. Infallibilitas in suo conceptu importat immunitatem a quocumque errore, atque est attributum essentiale unius Dei; neque creaturis sive distributive sive collective sumptis competere potest, nisi ex concesso a Deo privilegio, quo ecclesiam suam reipsa Deus communivit in rebus fidei ac morum. Contra vero *certitudo* in conceptu suo non importat nisi firmam ac rationabilem persuasionem de aliqua veritate, quae competere certe potest creaturis intelligentibus. Frustra proinde duo haec in sua argumentatione adversarii confundunt. Praeterea in eodem argumento turpiter inter se adversarii permiscent *subjectivitatem* et *objectivitatem;* cum aliud sit objectum, cujusmodi est consensus generis humani in adversariorum hypothesi, aliud vero subjectum, quod per facultates individuales seu sibi proprias, objectum tanquam medium cognoscere et apprehendere debet ad assequendam *infallibilitatem*, de qua loquuntur adversarii; dato siquidem quod objectum seu genus humanum prae se ferat et conferat infallibilitatem (uti absurde illi comminiscuntur), cum tamen subjectum fallibile sit, numquam illam infallibilitatem ipsum adipisci posset.

67. Ad 2. *Neg.* Ut patet ex dictis; in ordine enim naturali nuspiam datur ejusmodi infallibilitas; in ordine autem supernaturali soli ecclesiae, quae confundi nequit cum genere humano, ex Dei munere competit. Rationem porro universalem dicere *emanationem rationis Dei*, immo *ipsam* ejusdem *Dei rationem*, putidum pantheismum sapit.

68. Ad 3. *N.* Alioquin in scepticismum laberemur.

69. Ad 4. *D.* Si ratio individualis se sola, seu absque gratiae subsidio actum fidei eliceret, *C.* si divina gratia praeventa et adjuta actum fidei eliciat, *N.*

70. Ad 5. *D.* Id est, veritates naturalis ordinis possent certo naturali rationis lumine cognosci ac demonstrari, *C.* possent pro lubito constitui ab homine recta ratione utente, *N.* Quod enim in se verum est ac uti tale nativa rationis vi cognosci ac demonstrari potest, profecto ab hominis arbitrio non pendet, nec respui potest nisi rationi ipsi resistendo: ejusmodi porro sunt veritates naturalis ordinis; alioquin Scriptura minime damnasset eos, qui illas veritates, etiam seclusa revelatione, non agnoverunt, aut respuerunt. Quod vero adjicitur de superstructione veritatum supernaturalium veritatibus naturalis ordinis, falsum omnino est; veritates enim supernaturales a divina revelatione unice pendent, iisque assentimur divinae gratiae subsidio praeventi et adjuti, ut paulo ante diximus. Veritates autem naturales veluti praeambula fidei, ut loquitur s. Thomas, praesupponi debent ab eo, cui veritas revelationis persuadenda est.

71. II. Obj. 1. Si ratio individualis posset credendorum certitudinem habere, fidei meritum evacuaretur. 2. Emancipata esset ab ecclesiae auctoritate, fieretque judex *veritatum omnium*, quarum numerum aut coarctare aut amplificare posset pro vi demonstrationis, quam quisque sibi autumaret

adeptam. 3. Ergo ex sola Dei manifestatione, cujus infallibilis certitudo nonnisi per rationis universalis testimonium haberi potest, debet de illis constare. 4. Quod et facto ipso adstruitur; nam Deus, quae primis parentibus revelavit, ut per ipsos ad seram eorum posteritatem pervenirent, sua ordinatione constituit. 5. Alioquin nulla ethnicis ante Christi adventum ad salutem via patuisset. 6. Sed nec alia ratione hominibus post adventum Christi subventum est, cum fides in ecclesiam non sit nisi applicatio principii *auctoritatis generalis*, quae fundamentum constituit certitudinis. 7. Sane ecclesia nihil aliud credendum proponit, quam *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est*, quodque solum *catholicum* est, juxta celebre Lirinensis effatum. Ergo.

72. Resp. Ad 1. *D.* Si posset ratio habere cognitionem ac evidentiam intrinsecam credendorum, *C.* si extrinsecam tantum, *N.* Adde idem argumentum intorqueri posse in adversarios.

73. Ad 2. *D.* Id est, independenter ab ecclesiae auctoritate posset ratio individualis certa fieri veritatum naturalis ordinis, *C.* ordinis supernaturalis, *N.* Falsum porro omnino est fieri exinde rationem individualem judicem majoris minorisve numeri veritatum naturalium: sed pro uniuscujusque mentis modulo potest acquiri cognitio et certitudo plurium aut paucorum ejusmodi veritatum. Quae duo inter se permisceri nequeunt.

74. Ad 3. *Nego* utrumque assumptum, tum nempe nos haud posse veritatum naturalium cognitionem et certitudinem aliter quam per revelationem adipisci, ut patet ex hactenus dictis: tum nobis certo non posse constare de existentia revelationis nisi per testimonium rationis universalis: potest siquidem id nobis constare per media uniuscujusque propria, ac per motiva credibilitatis.

75. Ad 4. *N.* Aliud enim est loqui de jure, aliud de facto. Dei utique voluntas fuit, ut veritates a se protoparentibus revelatae propagarentur in sua integritate, quacumque demum ratione id fieret, ad seram usque posteritatem. At de facto constat non omnes Adae posteros rite hoc munere perfunctos esse. Nam primitiva revelatio humanis commentis in plerisque foedata est fabulisque referta, apud alios vero penitus interiit.

76. Ad 5. *D.* In adversariorum hypothesi, *C.* in nostra doctrina, *N.* Per solam enim domesticam traditionem divina revelatio innotescere potuit, nec praeterea umquam destitit Deus variis mediis hominum saluti prospicere.

77. Ad 6. *Nego* suppositum juxta dicta: ac inficiamur praeterea quod adjicitur, fidem scilicet in ecclesiam non esse nisi applicationem principii de *auctoritate generali*, quae numquam extitit nisi in mente adversariorum. Christus non genus humanum, sed ecclesiam constituit custodem, depositariam ac interpretem revelationis suae: eaque proinde magistra generis humani constituta est, non e converso.

78. Ad 7. *D.* Ecclesia nihil aliud credendum quam *quod semper* etc. ab ipsa catholica ecclesia, *Tr.* ab universo humano genere, *N.* Hoc enim

perabsurdum est, nec umquam Vincentius lirinensis hoc sensu effatum suum protulit. Impugnans proinde sectarios seu haereticos omnes ad ostendendam placitorum haereticorum falsitatem, et veritatem doctrinae catholicae, suam regulam tradidit, et quidem in sensu, ut ajunt, *positivo*, non vero *negativo*. Absurdum autem adversariorum commentum ne somniavit quidem, ut ex ejus Commonitorii lectione quisque cognoscere potest.

79. Inst. Ex ratione eaque individuali Dei existentiae caeterarumque veritatum, quae ordinis naturalis nuncupari solent, notitiam earumque demonstrationem arguere perinde est ac rationalismum et cartesianismum profiteri, quo certe nihil deterius esse potest. Qui proinde id efficere connituntur merito rationalistae et cartesiani audiunt. Ergo.

80. Resp. *N. A.* Ejusmodi enim assertio ex iis tantum provenit, qui Lamennaesii, Bautaenii sentimentaliumque, ut vocant, placitis adhaeserunt, aut nimium adhuc adhaerent. Pii quidem, si placet, hi sunt, ac zelo pro religione flagrant, ast zelo, qui profecto non est secundum scientiam, qui rationalismi aut hermesianismi horrore perterriti in transversum acti sunt, ac in alterum extremum dilapsi. Non advertunt, dum ita se gerunt, se injuriam Deo irrogare, quasi nempe ipse rationis lumen indidisset plane ineptum ad verum sibi proportionatum assequendum; se sibi viam omnem praecidere ad incredulos et haereticos falsitatis arguendos, atque ad reddendam rationem ejus, quae in nobis est spei, ac rationis humanae sese hostes perhibere. Non advertunt praeterea, qui haec proferunt, se aperte Scripturae contradicere, rationalismi et cartesianismi notam inurere omnibus ecclesiae Patribus, Doctoribus ecclesiae omnibus, qui ad hanc usque aetatem uno animo rationis vim et usum commendarunt ad veritates, de quibus agimus, cognoscendas et demonstrandas; adeoque, quod consequens est, in ecclesia viguisse omnibus retro actis saeculis dominatumque fuisse putidum rationalismum, ut nihil de cartesianismo dicam, donec hujusmodi vesania paucorum neotericorum industria propulsaretur. Nolunt hi distinctionem agnoscere inter rectum rationis usum a Scriptura et Patribus commendatum ac inter ejusdem abusum, inter veritates naturales ac revelatas, inter philosophiam denique ac theologiam; sed omnia permiscent atque confundunt, quin notiones claras habeant motivi formalis fidei, et motivorum credibilitatis, aliorumque adminiculorum, quae necessaria sunt ad rectum de his judicium ferendum, uti ex dicendis patebit. Vere anticipata ejusmodi judicia ex illis opinionum commentis sunt, quae delet dies. Sperandum propterea est, fore ut ad saniora principia progressu temporis sese quisque recipiens ab ejusmodi perniciosis systematibus tandem aliquando resipiscat.

PROPOSITIO III.

Potest humana ratio certo cognoscere motiva, quae vocant credibilitatis, ac per ea sibi certitudinem comparare de divinae revelationis existentia.

81. Ex vindicatis propositionibus praesens haec prono alveo fluit, qua duo constituimus, tum scilicet rationem certo posse credibilitatis motiva cognoscere, tum posse certitudinem existentiae divinae revelationis adipisci adversus eos, qui nimium rationi detrahentes utrumque inficiantur.

82. Iter igitur, quod coepimus, insistentes sic pergimus: Potest ratio certo cognoscere juxta dicta tum facta propriae conscientiae, tum veritates metaphysicas et psychologicas, item morales ac physicas; jam vero motiva credibilitatis ex illis veritatibus earumque applicatione constituuntur; ergo si humana ratio potest de illis veritatibus certitudinem acquirere, poterit profecto eamdem certitudinem adipisci de credibilitatis motivis. Sane miracula et vaticinia, quae praecipua sunt, possunt propriis sensibus ab unoquoque usurpari, aut per documenta historica, aut per aliorum relationem omnimoda certitudine; idem dic, pro subjecta materia, de doctrinae praestantia, propagatione et conservatione, de fortitudine martyrum aliisque ejusmodi; nisi proinde putidum velimus scepticismum sectari, fatendum est posse humanam rationem etiam individualem plenam obtinere certitudinem de motivis credibilitatis.

83. Spectato porro intrinseco nexu, qui intercedit inter ejusmodi motiva et existentiam divinae revelationis, pronum est inferre, quod si potest humana ratio certam sibi comparare cognitionem motivorum credibilitatis, queat pariter omnimodam certitudinem assequi de existentia divinae revelationis, ad quam illa necessario referuntur, et in eum finem a Deo exhibita sunt.

84. Alioquin numquam incredulos ad admittendam divinae revelationis existentiam inducere possemus, numquam ipsi rationabile obsequium divinae revelationi praestare possent, si ipsorum intellectus dubius semper haerere deberet circa motiva credibilitatis et divinae revelationis existentiam; haereret autem necessario, si ratio veram certitudinem de istis objectis obtinere non posset: frustra Christus edidisset miracula, ad eaque homines provocasset, ut fidem in missionem suam divinam obtineret; injuste incredulitatem pharisaeorum arguisset; perperam religionis christianae apologetae omnes ad haec usque tempora uno consensu ethnicos, ac in genere infideles et incredulos adnisi essent ex credibilitatis motivis convincere de existentia et veritate divinae revelationis. Hinc apposite s. Thomas sic scribit de fidei objecto [1]: *Non crederet* homo, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid hujusmodi.*

[1]) II. 2. qu. 1. art. 4. ad 2.

DIFFICULTATES.

85. Obj. 1. Facta extraordinaria, quae miracula vocantur, jam sunt *objectum* revelationis divinae, ergo nequeunt *motivum* constituere credibilitatis. 2. Assumere praeterea miracula uti motiva credibilitatis est petere principium, cum veritas sive mosaicae sive evangelicae revelationis, quae miracula enunciat, nequeat per miracula *rationaliter* probari; 3. praesertim quoad eos, qui *immediate* ea miracula non viderunt, utpote qui auctoritati humanae innixi, quae semper fallibilis ac incerta est, ea debuerunt admittere; 4. argumenta autem omnia validissima licet, ratiocinationes omnes etsi rigorosissimae, quae innituntur factis sensibilibus, non habent valorem nisi relativum ac mere humanum. 5. Cum proinde creditur resurrectioni Christi ejusque in coelum conscensioni, credi non debet ex eo principio, quod vulgo traditur, apostolos nempe nec decipi nec decipere potuisse. 6. Eo vel magis quod Christi resurrectio non habuerit alium testem praeter Christum ipsum, qui simul agens et subjectum extitit operationis divinae. Ergo.

86. Resp. Ad 1. *D.* Miracula sunt *objectum* divinae revelationis quoad credentes, *C.* quoad non credentes sive infideles sive incredulos, *N.* Nam respectu istorum miracula constituunt vere *motivum* credibilitatis, quaeque ipsi rite expendere debent sub omni ratione, ut cognoscant vera ea esse tum quoad partem historicam, tum quoad rei naturam, ut inde cum Deo auctore ea patrata deprehenderint, inducantur ad admittendam revelationis existentiam, in cujus gratiam edita sunt.

87. Ad 2. *N.* Uti patet ex nuper dictis; eodem enim vitio laborat ejusmodi argumentum, ac illud quod dissolvimus. Constituta semel miraculorum veritate, *rationaliter* seu potius *rationabiliter* homo assurgit ad veritatem revelationis agnoscendam ob intimum nexum, qui inter illa et hanc intercedit.

88. Ad 3. *D.* Si reipsa auctoritas humana, etiam cum plena est, semper fallibilis esset ac incerta, *C.* si contra veram moralem certitudinem parit, quae omnem excludat erroris formidinem, *N.* Alioquin in scepticismum turpissimum incideremus, fides omnis deneganda esset historicae veritati, ut suo loco ostendimus.

89. Ad 4. *D.* Admissis kantianis principiis de humanarum cognitionum solum apparente realitate, *C.* illis, prout decet, rejectis, *N.* Pronum erat Kantio ejusque asseclis, constituto semel principio de plena ineptitudine rationis theoreticae ad agnoscendam realitatem objectivam rei cujuscumque; item principio altero admisso, quod notio causae et effectus referri unice debeat ad subjectivam categoriam, seu formam necessariam intellectus *synthetice* et *a priori;* his, inquam, principiis constitutis, pronum erat Kantio ejusque scholae inferre, nos non attingere nisi sola phaenomena, nec umquam comparare nobis posse certitudinem eorum, quae factis sensibilibus innituntur; ast quis sanus philosophus est, qui principia illa nunc non rejiciat atque refellat?

90. Ad 5. *D.* Credi non debet resurrectioni Christi etc., ex principio, quo apostoli nec decipi nec decipere potuerint, proveniente ex eorum infallibilitate per revelationem cognita, *C.* hoc enim esset petere principium: proveniente ex adjunctis omnibus, quibus certiores efficimur, eos reipsa nec deceptos nec deceptores esse potuisse, *N.* Haec porro est via, quam terunt apologetae revelationis christianae. Accedit, quod factum revelationis non solum ex apostolorum testimonio, sed et ex aliis plurimis constet, ut suo loco ostendimus, et insuper ex miraculis, quae in facti istius confirmationem apostoli patrarunt.

91. Ad 6. *D.* Et veritas facti resurrectionis a testibus ejusdem facti constat, *N.* a subsequentibus constat Christi redivivi apparitionibus, *C.* Nemo umquam ratus est veritatem facti resurrectionis Christi a testibus oculatis ejusdem facti constare, cum nullus extiterit; at omni certitudine resurrectionem factam comperimus, utpote fulta testimonio illorum, qui Christum mortuum ac redivivum saepius conspexerunt, et omni argumentorum vi veritatem proprii testimonii ostenderunt.

PROPOSITIO IV.

Potest pariter humana ratio certo verae Christi ecclesiae cognoscere existentiam.

92. Spectari potest haec propositio tamquam sequela et consectarium praecedentis. Etenim ex demonstratis potest humana ratio certo cognoscere motiva credibilitatis, ac per ea existentiam divinae revelationis, ergo eadem certitudine poterit sibi comparare cognitionem ecclesiae a Christo institutae ad eamdem revelationem custodiendam ac propagandam. Sane, ut suo loco ostendimus, motiva omnia credibilitatis, quae militant pro divinitate christianismi, militant pro divina ecclesiae seu societatis christianae origine et existentia, cum ecclesia nihil aliud sit quam christianismus in concreto et cum forma sua. Hac de causa Christus comparavit ecclesiam suam civitati in monte constitutae, seu omnium adspectui patenti; voluit, ut omnes se eidem adjungerent sub aeterni exitii interminatione; eam idcirco voluit esse perpetuo unam, visibilem ac indefectibilem usque ad saeculi consummationem; nisi igitur posset humana ratio certo eam cognoscere, immo et tuto inter spurias societates distinguere, perperam immo et injuste Christus egisset, quod absonum dictu atque blasphemum est. Fatendum igitur posse humanam rationem, uti enunciavimus, certo cognoscere verae ecclesiae Christi existentiam.

DIFFICULTATES.

93. Obj. 1. Logicus processus, qui hactenus institutus est, recte ducit in damnatum ab apostolica Sede Hermesii systema. 2. Hic enim non aliud sibi proposuit, quam constituere *fundamentum ad demonstrandum christianismum tamquam revelationem datam a Deo,* atque *catholicismum uti verum*

christianismum. 3. Jam vero perinde id est ac efficere *naturalem ac philosophicam* fidem supernaturalem, quae Dei donum est, ac *nova* veluti *hominis creatio ex nihilo.* 4. Est pessumdare *theologiam dogmaticam* eique substituere *pura principia theoretica*, seu aedificium humanum exstruere. 5. Nec refert, quod alii dicantur esse *fontes theologiae,* alii vero *fontes philosophiae*, hoc enim vel ipse Hermesius profitebatur, quin tamen damnationem effugerit. 6. Quare vel ipsi protestantes non pauci ejusmodi systemati refragati sunt. Ergo.

94. Resp. Ad 1. *N.* Si Hermesius nil aliud sibi praestitisset, quam processum logicum instituere ex facto propriae existentiae usque ad demonstrationem existentiae Dei, nec non divinae revelationis, christianismi in genere et catholicismi in specie, non modo ipsius systema damnatum non fuisset, sed commendatum. Nam effecisset illud ipsum, quod innumeri alii praestantissimi viri ante illum, haud exiguo rei christianae et catholicae emolumento, quovis tempore peregerunt. Itaque damnatum hac ex parte est Hermesii systema ob kantiana ac fichtiana principia ab eo adscita, quae in scepticismum inducunt, ob methodum periculo plenam, quam ipse adoptavit, ob contemptum omnium pene antiquiorum doctorum, aliasque ob causas, de quibus paulo post opportunior recurret sermo.

95. Ad 2. *D.* Juxta principia tamen ac methodum suam singularem, et ad omnigenum errorem viam aperientem, *C.* juxta probata ac trita saniorum doctorum principia, methodumque ab illis servatam, *N.*

96. Ad 3. *N.* Hae siquidem aliaeque ejusmodi difficultates ex confusione oriuntur, quae inducitur in fidei analysin. Qui haec objiciunt, permiscent motivum fidei formale cum motivis credibilitatis, quae tamen toto coelo a se invicem distinguuntur. Omnia enim credibilitatis motiva ratione cognita nec fidem divinam pariunt, nec eam omnino constituunt. Credimus enim ob auctoritatem Dei revelantis divina gratia praeventi et adjuti. Fides, quae haberetur ex sola motivorum credibilitatis certitudine, labore ac industria nostra parta non esset nisi naturalis et humana, quae nihil commune habet cum fide divina seu supernaturali, ut inferius ostendemus.

97. Ad 4. *Nego* juxta modo dicta; alii enim basi innititur theologia dogmatica, alii principia pure theoretica; illa siquidem revelationi divinae ab ecclesia propositae tota innititur, ista autem ex humanae rationis penu desumuntur, nec nisi praeambula fidei constituunt, quatenus, ut loquitur s. Thomas, fides divina *cognitionem naturalem praesupponit.*

98. Ad 5. *D.* Hermesius discrevit theologiae fontes a fontibus philosophiae, ita tamen ut illorum valor et firmitas ab ipsius systemate pendeant philosophico, *C.* ut independentes sint, *N.* Omnia ita sunt colligata in systemate Hermesii, ut fundamentum theologiae ejusque firmitas a principiis philosophicis a se statutis omnino dependeant; cum vero in scepticismum ea perducant, fit ut ejus demonstrationes fidei eversivae sint. Verum de hoc postea.

99. Ad 6. Resp. Ex hoc aperte colligi, quod cum aliquis a via veritatis deflectit, nequeat ulli satisfacere et ab omnibus improbetur.

ARTICULUS II.

DE ABUSU RATIONIS ANTE FIDEM.

100. *Rationis abusus* nomine hic significamus philosophica illa systemata ac placita, quae viam intercludunt ad fidem suscipiendam. Contingere vero id potest aut *directe* aut *indirecte; directe* quidem quatenus eo tendunt, ut fidem subruant; *indirecte* quatenus ineptum subjectum efficiunt ad fidem amplectendam. De utraque placitorum classe ita disserere in animo est, ut nonnisi parce, ac soluta methodo ea attingamus, quatenus opus est junioribus theologis, ne plane hospites sint in hac provincia, quae relationem adeo arctam ad fidem habet.

§. 1.

DE PHILOSOPHICAE DOCTRINAE PLACITIS, QUAE DIRECTE FIDEI SUSCEPTIONI ADVERSANTUR.

101. Hujusmodi placita, quae cum fide componi nullatenus possunt, revocamus ad pantheismum, materialismum, fatalismum seu, ut vocant, *determinismum.* De atheismo siquidem speculativo seu formali nil attinet dicere, tum quia de hoc argumento agimus in *Tract. de Deo,* tum quia vix aut ne vix quidem dari ejusmodi rationalis naturae monstrum potest.

I. *De pantheismo.*

102. *Pantheismus* systema illud nuncupatur, quo identificatio adstruitur finiti cum infinito, intelligentiae limitatae cum absoluta, Dei cum mundo, unaque inducitur substantia eaque absoluta. Ad tres praecipuas species, quae nunc late dominantur, revocari pantheismus potest, nempe ad *rationalisticum, historicum* ac *mysticum.* Sunt, qui alias species distinguunt pantheismi, nempe eum praeterea dispescunt *in emanatisticum, idealisticum* et *realisticum* pro diversa ratione, qua ejus fautores systema suum inducunt, sed facile ad priores revocari possunt. Nonnulla proinde de illis delibabimus.

103. *Rationalisticus* itaque pantheismus procedit a principiis rationalibus *a priori*, seseque transfert per *immediatam* et *concretam* intellectualem intuitionem in *esse* realissimum absolutum omnium entium, naturae et spiritus, *τοῦ ego* et *non ego*, subjecti et objecti, puri cogitare et puri esse. Quo fit, ut, qui huic systemati adhaerent, sibi de scientia rerum *absoluta* ac de ipsius *esse* absoluti *comprehensione* blandiantur. Hujus pantheismi speciei fundamenta jecerat Fichteus; at Schellingius systema theoretice invexit *identitatis*, asseruitque *naturam esse fundamentum existentiae Dei*, eamdemque in Deo *consubstantialem esse spiritui*, quamvis in externa tantum manifestatione ac forma sit ab illo diversa. Hoc systema vix sectatores

habuit, et ab eo ejus inventor paulatim se recepit, donec omnino rejecerit.

104. Pantheismus magis *spiritualisticus* ab Hegelio invectus magno adhuc numero fautores habet. Hegel in Deo spiritum unice quaesivit, spectavitque Deum veluti *ens* quod evolvitur, quodque in diversis hujus suae evolutionis gradibus diversos constituit ac successivos existentiae seu entium ordines. Deus in *logica* prius in se concipitur, in aeternitate suarum essentiarum fundamentalium. Cum vero in hoc statu consistere nequeat, necesse est ut sese evolvat *extra se* in multiplicitate externa entium naturae. Exinde habetur *philosophia naturae.* Ast neque in hoc *exterioritatis* et *transitionis* statu subsistere adhuc potest; necesse proinde est, ut ex hac multiplicitate recipiat iterum seipsum in unitatem sui esse, et *spiritus* evadat; exinde oritur *philosophia spiritus.* Tunc demum ens absolutum acquirit cognitionem seu *conscientiam sui* ac fit personalitas infinita. Ex triplici hoc statu exsurgit *trinitas logica continua hegeliana.* Quo fit, ut in hoc systemate Deus sine mundo et homine prorsus incompletus esset.

105. Pantheismus *historicus* necessario fluit ex systemate hegeliano. Etenim si Deus in continua evolutione sui se manifestat necessario in mundo et in humanitate, jam sequitur quidquid non solum in mundo, sed et in humanitate reperitur et contingit, totidem esse necessarias evolutiones ac manifestationes Dei, veritates proinde et errores, virtutes ac vitia, gestaque demum omnia, quae historia refert. Hinc historia *inflexibilis geometria* nuncupata est, in qua omnis epocha, doctrinaque omnis lege quadam fatali immutabiliter evolvitur. Exinde *progressus indefiniti, perfectibilitatis indefinitae* humanitatis systema ortum est, quod illius fautores adeo extollunt.

106. Pantheismus *mysticus* ille dicitur, quo animus, vago cuidam sensui *(sentiment)* innixus, apprehendit immediate vitam suam *consubstantialem* Deo, qui utpote infinitus amor se manifestat in spiritu et natura. Hoc pantheismo infectus est sansimonianismus, qui in eo fundat novam illam *reconstructionem* societatis humanae, novumque illum christianismum, cui a non paucis annis adlaborat. Ex sansimonianismo alia dimanavit schola pantheismo item aspersa, dum vitam hominis constituit in *traditione vivente et actuali humanitatis;* ex qua deinde et ipsa systema eruit progressus et perfectibilitatis continuae, quod nunc maxime viget praesertim in Gallis.

107. Ex levi hac pantheismi in triplici peculiari forma spectati adumbratione quisquis intelligit, illum nullo modo cum fide, aut fidei susceptione posse consistere. Destruit enim ipsam naturam divinam, quam cum homine ac universo identificat; inducit necessitatem a priori evolutionis Dei in homine et universo; christianismum eliminat veluti manifestationem Dei transeuntem, quae locum cedere debet successivae alteri manifestationi, et ita porro. Vere delirantium somnia haec sunt, et impietatis documenta.

108. Dum vero pantheismum sub qualibet forma persequimur cum ejus asseclis, cavendum tamen est, ne hac labe aspergamus nonnullos scriptores etiam catholicos, qui quamvis minus cautos se praebuerint in locutionum

delectu, aut plus aequo propensos in hegelianismi placita, a pantheismo tamen abhorrent. Aequitas enim postulat ut nonnulla effata, quae pantheismum redolere videntur, exigantur ad alia eorumdem scriptorum dicta, quibus, quid reipsa sentiant, manifeste patefaciunt.

II. *De materialismo.*

109. Quamvis *materialismus*, qui hominem ad puram *organizationem* redigit, ex recenti philosophia eliminatus videatur, ob dominatum tamen, quem longe lateque exercuit saec. XVIII. ab exitialibus fructibus suis producendis nondum destitit. In scientias enim naturales, physiologiam praecipue ac medicinam, se recepit. Inspersi sunt hac materialistica labe aut saltem tendentia non pauci physiologorum ac medicorum libri, in quibus passim, sive aperte, sive latenter, psychologia cum physiologia identificatur. Systema non ita pridem a Gall invectum craniologiae ac phrenologiae haud parum contulit materialismo amplificando. Juverit proinde nonnulla ad juniorum animos praemuniendos de materialisticis ejusmodi doctrinis delibare.

110. Auctores isti in materialismum dilabuntur, eo quod inter se permisceant res essentialiter diversas, *sentire* nempe ac *intelligere; impressionem* item ac *sensationem;* principium demum *sensiferum* et principium *sentiens.* Adeoque, quod consequens est, physiologiam ac psychologiam, facta simplicia et immaterialia spiritus cum factis materialibus materiae organicae. Quamvis porro duae hae scientiae mutuo sibi auxilio esse possint, nec debeant ab illarum cultoribus respective negligi, intra cancellos tamen ac limites suos unaquaeque se continere debet, nec jura alterius sibi vindicare. Objectum enim physiologiae, directe saltem, est solum corpus, et *observatio externa* ejus medium; objectum vero psychologiae directe pariter est spiritus seu anima, medium autem *observatio interna,* quae attingit facta *conscientiae.*

111. Phrenologia definiri potest: *Doctrina de multiplicitate organorum cerebralium, ac locatione aut sede facultatum intellectualium et moralium.* Plures egregii viri in phrenologiam insurrexerunt ostendentes 1°. immerito ipsam ad scientiae dignitatem a suis cultoribus provehi; 2°. nihili eam fieri a praestantioribus aetatis nostrae naturalistis; 3°. everti eam ab observationibus pathologicis, ac sanae psychologiae adversari; 4°. inani prorsus praesumptione phrenologiae cultores contendere se posse hoc systemate veram construere scientiam humanae naturae, novam creare ethicen, melioremque humanae societatis institutionem ac ordinationem adducere; 5°. tendentiam ejus fatalisticam esse ac materialisticam, utpote quae facile confundat passivitatem organicam cum intellectuali et morali hominis activitate; 6°. demum reipsa eam effectam materialisticam esse penes recentiores phrenologos, qui autumarunt posse se inde praebere materialis animae naturae demonstrationem. Quae cum ita se habeant, pronum est inferre cum sanioribus scriptoribus, systema phrenologicum, prout exhibitum est, falsum omnino ac perniciosum esse.

III. *De fatalismo ac determinismo.*

112. Systema omne, quod laedat libertatem, fontem totius moralitatis, exitiosum fidei susceptioni esse quisque facile intelligit. Olim quidem non defuerunt, qui hominem caeco fato subjicere non dubitarent, professique crassum fatalismum. Nunc porro absurdus ejusmodi error vix non obsolevit, ast subtilior alter ei substitutus est a *deterministis* nuncupatis. Hi siquidem liberum hominem praedicant a coactione, ast eum subjiciunt durae ac ineluctabili interiori necessitati, qua antecedenter ad actus singulos determinetur. Doctrina haec eadem est, quam reformatores ita dicti, id est, *corruptores* saec. XVI. Lutherus, Calvinus cum suis asseclis invexerunt, quaeque a bajanis, jansenianis, quesnellistis propagata est. Kantianis, quatenus animus uti *noumenon* spectatur, humana libertas problematica est; prout vero *phaenomenon* seu *apparentia* consideratur, de qua nihil certi sumus, liber est.

113. Ex recentioribus philosophis aliqui sunt, qui jamdiu tritum stoicorum errorem iterum excitarunt, dum praescientiam divinam cum humana libertate ita committunt, ut alterutra neganda sit. Alii vero ita homini libertatem tuentur, ut eam Deo eripere videantur; et ita porro ejusmodi philosophi hac in parte diversa ratione delirant.

§. 2.

DE PLACITIS PHILOSOPHICIS, QUAE INDIRECTE FIDEI SUSCEPTIONI OBSISTUNT.

114. Placita ejusmodi philosophica, quae indirecte fidei officiunt, ad tria potissimum revocamus, nempe ad sensismum mysticum, ad empirismum, et ad hermesianismum. De singulis, quatenus opus est, aliqua dicemus.

I. *De sensismo mystico.*

115. *Sensismus,* seu, uti ab aliis vocatur, *sentimentalismus mysticus*, qui penes non paucos recentiores scriptores obtinet, surculus quidam est *nihilismi* a protestantibus invecti. Hoc systema in eo consistit ut rationi nimium detrahatur, ac veritatibus etiam naturalis ordinis, cujusmodi sunt e. gr. existentia Dei, immortalitas hominis, lex moralis etc., cognoscendis impar pronuncietur, ac primae partes interiori cuidam ac religioso animi sensui ad earum certitudinem habendam deferantur.

116. Equidem profitemur nos haud abjicere et ab homine ablegare interiores illos sensus, quos Deus eidem indidit, quo facilius suaviusque in id omne perducatur, quod verum, rectum ordinatumque est. Quum enim Deus ipse sensum hunc *rationalem,* immo et *aestheticum* etiam si placet, quo ferimur ad probandum natura ipsa quod verum, pulchrum ac bonum est, nobis indiderit, velle sensum hunc homini detrahere perinde esset, ac illum essentiali sua parte privare. Ast contendimus ejusmodi sensum *supremam semperque tutam* non esse cognitionis *normam,* multo vero minus *unicam* ad

rationis exclusionem. Rationi quippe ac intelligentiae divinus Conditor participationem divini luminis sui, ut loquitur s. Thomas [1], impressit ac imaginem et similitudinem suam. Si igitur sermo sit de naturali ordine, ratio ac intelligentia haberi debent tamquam suprema tutaque criteria, quae hominem dirigere debent ad verum ac honestum cognoscendum; si vero sermo sit de ordine supernaturali, inservire illa pariter debent ad cognoscenda credibilitatis motiva; ut revelationem istorum ope cognitam, divinae gratiae subsidio praeventus homo et adjutus valeat rationabili obsequio amplecti. Sensus porro, de quibus diximus, eidem poterunt adjumento esse. Caeterum *sensismus* seu *sentimentalismus mysticus*, quin fidei susceptioni faveat, eidem potius maxime obsistit, cum ejus subruat fundamenta.

117. Etenim 1°. *sentimentalismus mysticus* utpote caecus, subjectivus ac instinctivus, cognoscendo objecto ineptus prorsus est; 2°. cum praeterea in phantasiam immediate influat, deceptioni ac illusioni viam aperit; 3°. se *solo*, utpote subjectivus et individualis, nequit alteri probare, validamque reddere veritatem; 4°. quod consequens est, veritatem mutabilem ac relativam reddit, ac in scepticismum inducit.

118. Ne autem exaggerata haec a nobis videantur, juverit ad experientiam appellare. Frid. Jacobi, *sentimentalisticae* scholae princeps, ejusmodi constituit principia: 1°. Quod *instinctus utpote rationis energia* ad Deum tamquam *suam personalitatem habentem* agnoscendum impellat; *intellectus* vero contra directe impellat ad *pantheismum* ac *nihilismum;* 2°. quod nequeat vera scientia haberi, quin prius *objectivitas* annihiletur, seu objecti cujusvis *realitas* a subjecto dissolvatur, ut transeat in subjectum, et ita *sciri* objectum possit. Quo factum est, ut Jacobi in *nihilismum* et *idealismum* etiam religiosum dilapsus sit, et veram religionem sine *exteriori forma* constituerit, indifferentiam circa historicam existentiam Christi Domini sit professus, ac fidem historicam abjecerit christianismi, aliaque ejusmodi, quae longius persequi non vacat, protulerit.

119. Nec aliter contigit Schleiermacher alteri sentimentalismi sectatori, aut De Wette, aliisque non paucis, qui plus minus insanierunt; donec ad rationalismum theologicum pervenerint inficiantes existentiam revelationis ac realitatem Christi historici, qui nonnisi in sensu interno mystico ab ipsis invenitur. Idem dic de Benjamino Constant, qui perpetuum conflictum instituit inter rationem et interiorem mysticum sensum, proclamavitque religionem homini essentialem ac universalem in solo hoc sensu religioso totam consistere, cujus professiones diversae, immo saepe contradictoriae totidem formae externae sunt accidentales ac mutabiles.

120. Exinde profluxit *pietismus* inter protestantes, et quackerismus; ex hoc ipso principio Jac. Böhme, Swedenborg aliique visionarii permoti sunt ad religionem christianam suo modo reconstruendam. Patet igitur sive a priori sive a posteriori ejusmodi sensismum mysticum adeo fidem non pro-

[1]) Part. I. qu. 84. art. 5; et ibid. qu. 79. art. 4. et alibi passim.

movere, ut eam potius penitus subvertat; et quod deterius est, nulla via suppetit ad pseudomysticos istos ab errore revocandos, cum omnem intelligentiae ac rationis usum abjiciant.

II. *De empirismo.*

121. *Empirismi* nomine illud philosophandi genus significamus, quod in meris factis experimentalibus sensus sive interni sive externi sistit, in iisque totam scientiam collocat; abstractas autem ac *ontologicas* notiones ac principia universalia rationis veluti futilia ablegat. Proclivis proinde in hac philosophandi methodo ex empirismo ad materialismum transitus est, dum per eam *sentire* cum *intelligere* facile permisceatur, omniaque ratiocinia *a priori* aut penitus excludantur, aut cum ratiociniis *a posteriori* confundantur, atque ea quae, ex conceptibus abstractis atque axiomatibus in identitatis principio fundatis eruta, ex noto depromunt cognitionem ignoti, eliminantur. Ita demum ontologia omnis a philosophia excluditur.

122. Quam porro perniciosus ejusmodi empirismus fidei evadat, quisque intelliget, qui animadvertat 1°. per eum scientiam proprie dictam, quae in principiis universalibus eorumque necessario nexu cum veritatibus particularibus, quae exinde deducuntur, sita est, e medio tolli; 2°. veritates metaphysicas de anima ac de Deo ita per empirismum istum constitui, ut nullo negotio concutiantur; 3°. moralium legum obligandi vim ex mera utilitate, ex hujus vitae felicitate, ex socialitate, ejusque perfectibilitate unice repeti.

123. Ab ejusmodi proinde philosophandi genere ecclesiae Patres atque Doctores semper abhorruerunt, uti patet quoad Patres graecos ex Basilio, Athanasio, Joanne damasceno aliisque passim; quoad latinos autem Patres et Doctores ex Augustino, Anselmo, Bonaventura, Aquinate etc., qui quoties aut de Deo, aut de anima, de moralitate actionum aliisque multis ejusdem generis argumentis tractant, toties ad principia ontologica, ad principia rationis ac universales notiones assurgunt. Tribui igitur possunt psychologiae empiricae partes suae, ita tamen ut ab ontologia haud divellatur, ne in fidei christianae perniciem cedat.

III. *De hermesianismo philosophico.*

124. A Georgio Hermesio, professore quondam Bonnensi, *hermesianismus* dictus est. Hic enim auctor nihili faciens doctores omnes, theologos ac religionis christianae apologetas, ratus est universam theologiam in tenebris hactenus jacuisse. Novam proinde sibi viam constituit ad reconstruendam scientiam metaphysicam ac moralem, novamque exhibendam demonstrationem religionis christianae et catholicae. Ast systematibus kantiano et fichtiano implicatus evanuit in cogitationibus suis, et quin reconstruxerit, systema potius eversivum religionis invexit.

125. Cum ejusmodi systema, quod religionis *eversivum* diximus et ab Hermesio evolvitur in sua *Introductione philosophica*, veluti fundamentum sit ac basis demonstrationum suarum christianismi et catholicismi et praeterea

reipsa influat jugiter in has demonstrationes, ideo pro munere nostro ipsum expendemus circa *methodum*, circa ejusdem *naturam*, circa denique ipsius *applicationem*.

126. Methodus igitur hermesiana a *dubio* incipit, cum *dubio* progreditur, perseverat in *dubio* donec ratio necessitate non impellatur ad illud exuendum. Dubium vero istud non *hypotheticum* aut *methodicum* tantummodo est, quale interdum philosophi aliquot admiserunt, sed verum, serium, itemque *absolutum*, *universale*, *perpetuum*, quodque non modo versatur circa objecta extrinseca, e. gr. Deum resque omnes, quae nos circumstant, sed circa *proprium ego*, circa *facta propriae conscientiae*, adeo ut debeat plenus absolutusque haberi scepticismus.

127. Natura porro hujus systematis tota constat congerie contradictionum, ac sceptica est; etenim cum sibi in eo proposuerit Hermesius realitatem objectivam statuere, dividit in primis rationem in duas partes, in *theoreticam* nempe et in *practicam* ad Kantii modum, quem tamen sibi impugnare assumpsit; deinde inquirit utrum per utramque, aut saltem alterutram possit obtineri certitudo realitatis objectivae, aut saltem debeat pro reali veritas objectiva admitti. Jam vero post longam, subtilem, implexam et saepe contradictoriam inquisitionem colligit non aliud posse a ratione theoretica haberi quam persuasionem mere subjectivam hujus realitatis objectivae, quae tamen reipsa potest esse solum phaenomenica et apparens. Atque in hoc processu nititur id efficere ope demonstrationis logicae, quam veluti ineptam rejecit in processu kantiano, ac involvitur in perpetuo circulo vitioso. Quod vero attinet ad rationem practicam, constituit Hermesius ad mentem Kantii eam *autonomam* esse, seu supremam legislatricem, cujus *imperativum categoricum* est: *Exhibe pure et serva in te et in aliis dignitatem humanam*. Hinc imponit fines practicos seu morales *necessarios*, adeoque *necessitatem* moralem seu strictam obligationem parit. Quapropter quoties ratio haec practica aliquod officium imponit, hoc ipso toties obligat ad id omne, sine quo officium illud adimpleri non posset. Porro plura sunt principia seu officia moralia universalia *absoluta*, quae, nisi *admittantur pro veris* illae circumstantiae (licet *theoretice dubitabiles*), in quibus unice illa obligant, seu officia *absoluta* sunt, jam non possent impleri; ergo ratio *practica* in iis casibus imponit necessitatem *admittendi pro veris* circumstantias illas (seu illam cognitionem) licet *theoretice dubitabiles*.

128. Ex hac theoria infert Hermesius, quando exsurgat obligatio *admittendi pro vero*, vi istius rationis practicae aut testimonium sensuum externorum, aut peritiam et honestatem hominum, aut experientiam aliorum sive coaevorum, sive praeteritorum, ac proinde veritatem historiae, aut miraculorum, aliorumque ejusmodi, nempe tunc tantum, cum *officium absolutum* adest quidpiam praestandi. In hisce enim casibus, quamvis vi rationis theoreticae de illorum omnium objectiva realitate *semper* dubitare possimus, vi rationis practicae objectivam eorumdem realitatem pro vera admittere debemus. Quod sane est historicae veritatis tum divinae revelationis, tum

ecclesiae universae fundamenta subruere, ac proinde etiam motivorum credibilitatis, cujusmodi sunt praecipue miracula et vaticinia. Attamen huic basi adeo labili, huic fundamento adeo infirmo Hermesius totam demonstrationem suam christianismi et catholicismi superextruit, ac inaedificat.

129. Quid mirum autem est, si Hermesius per *applicationem* hujus methodi et ejusmodi systematis eversivi totum pessumdet christianismum et catholicismum, et in errores omnigenos lapsus sit? Ut rem nonnullis exemplis illustremus, ejus *theodicaea* in primis sese offert. Juxta duplicem quam, ut vidimus, distinguit Hermesius in homine rationem, theoreticam et practicam, constituit rationem practicam nullo modo exigere existentiam Dei; quia, cum ipsa sit suprema legislatrix, vi *dignitatis humanae* obligat independenter a Deo ad adimplenda officia omnia, quae illa imperaverit. Quod vero spectat ad rationem theoreticam, haec unicam Dei existentiae demonstrationem admittit, quae fiat ex *necessitate causae primae* ob rerum contingentiam; respuit vero ut ineptas quae ex argumento *physico-theologico* cuduntur, cum ratio haec ignoret, utrum haec totius universi dispositio ab *intelligentia* proveniat, et non potius fortuito ex casu repeti possit. Sic etiam quod attinet ad *essentiam* Dei ratio theoretica definire non potest, num Deus sit purus *spiritus*, num omni *extensione* careat aut occupet *spatium*. Quod vero spectat ad attributa Dei, certo scire nequit theoretica ratio, an Deus praeditus sit *potentia infinita*, *infinita* item *scientia* ac *bonitate infinita*. Juxta practicam autem rationem affirmari potest *sanctitatem* Dei esse *extensive limitibus circumscriptam*. Ratio autem haec practica moraliter praescribit Deo finem, quem sibi praestituere debuit in creatione ac destinatione *hominis*. Nimirum Deus creare debuit *hominem propter hominem* seu propter ipsius hominis felicitatem, eamdemque maximam possibilem; nam si propter se, seu gloriam suam Deus mundum et hominem condidisset, non posset excusari a *philautia*, quod quidem ratio practica proscribit et damnat.

130. Haec porro aliaque pene innumera paradoxa et a recta ratione non minus quam a christiana et catholica religione abhorrentia placita, quibus inspersit Hermesius opera sua, aperte ostendunt vere ejusmodi systema adnumerandum esse illis, quae saltem *indirecte* verae fidei obsistunt. Ostendunt praeterea jure meritoque Gregorium XVI. decreto edito die 26. Septembris anno 1835 Hermesii libros damnasse veluti continentes *absurda et a doctrina catholicae ecclesiae aliena*, continentesque *doctrinas ac propositiones respective falsas*, *temerarias*, *captiosas*, *in scepticismum et indifferentismum inducentes*, *erroneas*, *scandalosas*, *in catholicas scholas injuriosas*, *fidei divinae eversivas*, *haeresim sapientes ac alias ab ecclesia damnatas*.

CAPUT II.

DE RATIONE CUM FIDE.

131. Rationis usus et abusus in ordine ad fidem suscipiendam seu ante fidem hactenus expendimus. Id ipsum jam praestare debemus in relatione

altera, quam ratio habet cum fide, seu dum ea actu suscipitur. Distinguimus porro hanc disceptationem in duos pariter articulos, in quorum altero de fide in sua natura spectata, in altero vero de nexu fidei cum ratione agemus.

ARTICULUS I.

DE FIDE IN SUA NATURA SPECTATA.

132. Plures aetate hac nostra circa naturam et constitutiva fidei errores exorti sunt. Alii enim, qui nimium rationem dejiciunt ejusque *nihilismum* vix non profitentur, dum scientias ac veritates rationales a fidei principiis unice repetunt, fidei naturam cum sientiis commiscent, ac *formale* quoddam principium fidei scientiarumque rationalium constituunt. Alii autem veriti, ne si demonstratio credibilitatis objecti actum fidei praeiret, assentiendi officeret libertati, eam prorsus eliminant, veramque fidei naturam pervertunt. Alii permiscentes demonstrationes seu motiva credibilitatis cum objecto formali fidei, hanc mere rationalem efficiunt. Operae proinde pretium est continenti propositionum serie haec omnia discutere, ut veritas, quae tot errorum tenebris obducta delitescit, admoto quasi lumine detegatur. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Fides in natura sua ac principio formali spectata essentialiter a scientia distinguitur.

133. Sane *fides,* ut patet ex dictis, est assensus liber, quem praebet intellectus, divina gratia praeventus et adjutus, ex imperio voluntatis a gratia pariter excitatae, veritatibus divinitus revelatis, ob Dei ipsius revelantis auctoritatem. Ratio vero, ex qua naturalis scientia acquiritur, insita est homini ab ipsa constitutione sua eique essentialiter inhaeret, utpote enti intelligentia ac ratione praedito. Distinguuntur propterea ab invicem fides ac scientia 1°. ex diversitate *principii;* fides enim gignitur a gratia superveniente naturae planeque gratuita, scientia vero a natura intelligente profluit; 2°. ex diversitate *objecti,* quod in fide constituitur ex omnibus ac solis veritatibus a Deo revelatis supernaturali modo; objectum autem scientiae constituitur ex veritatibus naturalis ordinis, quas homo vi intelligentiae suae, uti ostendimus, per se acquirere potest; 3°. ex diversitate *motivi formalis,* quod aliud esse nequit in veritatibus fidei nisi auctoritas Dei revelantis; veritates porro ordinis naturalis homo admittit vi evidentiae, aut demonstrationis; 4°. ex diversitate *finis,* siquidem fides una cum virtutibus reliquis, quae eam comitari debent, hominem disponit ac praeparat ad ipsam intuitivam Dei visionem ac fruitionem; contra vero per rationem ac scientiam homo non attingit nisi cognitionem Dei abstractivam, ac amorem naturalem.

134. Id ipsum conficitur ex absurdis, quae in hypothesi de identitate fidei ac scientiae consequerentur; dum enim quis peccaret in scientiam, hoc ipso peccaret in fidem; homo revelatione destitutus nequiret suis naturalibus

facultatibus uti, atque a dono superaddito et gratuito scientiae principia dimanarent; infideles negativi non solum destituerentur omnibus scientiae principiis, sed emancipati prorsus essent ab omni legis naturalis observatione, nec peccare umquam possent; quae quam absona sint, nemo est, qui non videat.

135. Demum eo ipso quod revelatio donum gratuitum sit hominique superadditum, clare patet potuisse a Deo conferri et non conferri; potuisse ab homine admitti aut respui, conservari aut negligi, prout plerisque ante Christi adventum accidit circa primitivam revelationem. Qui ea destituti quacumque de causa fuissent, nulla ratione potuissent viam sibi sternere ad salutem consequendam ne quidem negative, ipsorumque natura prorsus esset destructa; quod nemo certe concedet. Fateamur igitur necesse est fidem in natura sua ac principio formali spectatam a scientia essentialiter distingui, hominemque per fidem veritates supernaturales *credere; cognoscere* autem aut saltem cognoscere posse veritates naturales per rationem.

136. Cum difficultates, quae adversus hanc propositionem objici possent, fuerint in superiori capite praeoccupatae ac disjectae, necesse non est eas hic reproducere.

PROPOSITIO II.

Licet motiva credibilitatis extrinsecam pariant objectorum fidei evidentiam, numquam tamen constituere possunt motivum formale actus fidei.

137. Est adversus neotericam scholam, quae haec simul confundit haud exiguo fidei detrimento. Jam vero in magno errore, qui ita sentiunt, versari, patet 1°. ex eo, quod actus fidei debeat esse, ex natura sui *formalis principii, supernaturalis;* assensus vero, qui praebetur ex evidentia motivorum credibilitatis, natura sua est *naturalis,* nec parit nisi naturalem certitudinem aut persuasionem, utpote fructum naturalis inquisitionis. Patet 2°. ex diversitate certitudinis, quae provenit a diversitate principii, quo datur assensus; nam certitudo, quae provenit a gratia, quaeque requiritur ad actum fidei supernaturalis, longe superat illam, quae nonnisi naturali inquisitione acquiritur. Patet 3°. ex eo, quod assensus in objecta fidei alio modo feratur ex credibilitatis motivis, alio ex motivo formali fidei. Assensus enim, qui praebetur ex motivis credibilitatis, extrinsecus est, quia nisi cerneret evidentiam horum motivorum, qui illa expendit, non praeberet assensum; contra vero qui ex motivo fidei proprio assentitur et credit, fertur in ipsa objecta fidei rationi prorsus impervia, ac ea credit perinde ac si cerneret intuitu suo, immo magis. Patet 4°. demum ex eo, quod in adversariorum hypothesi fides theologica penitus evanesceret et in philosophicam converteretur; etenim cum evidentia motivorum credibilitatis ex humana seu naturali industria pendeat, nempe quisquam industria sua ac studio possit sibi eam comparare, sequitur motivum *formale* fidei resolvi in principium humanum ac naturale; adeoque fides evaderet mere philosophica. Non amplius esset donum Dei *credere sicut oportet*, secus ac concilia arausicanum

ac tridentinum adversus pelagianos ac semipelagianos definierint, sed esset plane in hominis potestate.

138. Concludamus igitur necesse est fidem theologicam resolvi in Dei gratiam tamquam in *principium* suum, et in auctoritatem Dei revelantis tamquam in suum motivum *formale*, minime vero in evidentiam motivorum, quae non est nisi extrinseca et praerequisita; quaeque varia esse potest pro varietate adjunctorum, neque absolute necessaria, supplente gratia, quod saepe factum comperimus, rudium defectui, qui hujusmodi evidentiae sibi comparandae minus idonei sunt.

DIFFICULTATES.

139. Obj. 1. Fides est status persuasionis de realitate objectiva, quem acquirit aut ratio theoretica per *necessarium tenere*, aut *ratio practica* per *necessarium admittere pro vero*, quaecumque demum sit *causa* aut *motivum*, quo status ejusmodi rationalis persuasionis gignitur; juxta illud Apostoli [1]: *Est fides sperandarum substantia* (nempe *realitas*) *rerum, argumentum non apparentium.* 2. Hinc fides omnis natura sua *rationalis* est, utpote ex necessitate *physica* aut *morali* rationis progignenda, quamvis fundamentum suum habeat ac motivum in revelatione, siquidem hujus admissio a ratione pendet. 3. Sane *rationalis demonstratio* est verae *fidei radix* seu genitrix. 4. Cumque homo inducatur ad admittenda, *quae non videt*, quia *ratio id postulat*, exinde fidei humilitas elucet. 5. Quod si gratia necessaria est, non nisi ad fidem *efficacem* est necessaria; haec enim sola theologica est, quae hominem attollit supra terrestres res ac per dilectionem Dei ad *perfectum ducit legis et spiritus supra carnem dominium.* 6. Id clarius elucet ex praecipuo credibilitatis motivo, nempe miraculis, quae non innituntur nisi auctoritati humanae. 7. Nec juvat respondere miracula inniti auctoritati divinae ob auctoritatem ecclesiae infallibilis; nam hoc esset in circulum vitiosum prolabi, quo probaretur veritas miraculorum per auctoritatem ecclesiae, veritas autem ac infallibilitas ecclesiae per miracula. Ergo.

140. Resp. Ad 1. *N.* Fides enim *actualis*, de qua hic agimus, tota et unice consistit in assensu, quem praebet intellectus, ex imperio voluntatis vi divinae gratiae, veritatibus a Deo revelatis, ob ipsius Dei revelantis auctoritatem, ut toties diximus. Ratio sive *theoretica*, sive *practica* in sensu, quo eam obtrudit Hermesius, qui confundit fidem cum scientia, nullo modo influunt in actum fidei supernaturalem. Abusus porro intolerabilis Scripturae est, contendere Apostolum per *substantiam*, *ὑπόστασιν*, seu *subsistentiam*, nempe basin et fundamentum rerum sperandarum, significasse *realitatem* ad mentem philosophici hermesiani systematis. Nemo umquam ex Patribus et interpretibus hunc sensum in Apostolo somniavit.

141. Ad 2. *Nego* iterum, cum id sit permiscere actum supernaturalem fidei ope gratiae elicitum cum motivis credibilitatis seu praerequisitis, iisque

[1]) Hebr. XI. 1.

variis nec absolute necessariis, et cum *principio et motivo formali* fidei, quae toto coelo ab invicem distant, juxta ea, quae paulo ante exposuimus.

142. Ad 3. vel *N.* vel *D.* Si actus fidei esset illatio syllogistica, quae necessario sequitur ex praemissis, *C.* secus, *N.* Jam vero nemo sanus dixerit demonstrationem scientificam ac naturalem constituere fundamentum ac *radicem* fidei. Alioquin fides ex humana industria penderet, quod asserere haereticum est. Accedit, quod falsum sit ex demonstratione piam fidem necessario gigni, cum ad id satis sit *propositio sufficiens* ac *motivum* credendi illudque varium prout varia sunt individua, neque demonstratione saepe opus sit.

143. Ad 4. *D.* Elucet humilitas hermesiana, *C.* vera humilitas fidei, *N.* Hermesius huic fidei suum de ratione *practica* commentum applicat, quod nemo certe sanus recipiet. Everso porro hoc fundamento, commentitia ejusmodi fidei humilitas evanescit. Vera fidei humilitas est subjicere intellectum auctoritati Dei revelantis et ecclesiae proponentis, etsi non perspiciantur intime hujus revelationis objecta; alioquin *fides rationalistica* admitteretur.

144. Ad 5. *N.* Haec enim assertio abludit a doctrina ecclesiae, ac provenit ex confusione fidei *verae* cum fide *viva;* alioquin peccatores, in quos cupiditas dominatur, carerent vera fide; actus fidei, qui in statu peccati elicerentur, numquam possent esse salutares, neque his disponi possent peccatores ad justificationem; quae omnia a catholica doctrina abhorrent.

145. Ad 6. *D.* Miracula non innituntur nisi auctoritati humanae prout motivum credibilitatis constituunt, *C.* prout sunt objectum fidei, *N.* Nam miracula duplici sub respectu considerari possunt, et prout motivum credibilitatis constituunt, et prout sunt objectum revelationis ac fidei. Sub priori respectu innituntur quidem auctoritati humanae, sed hoc sensu non efficiunt motivum *formale,* in quod fides resolvatur, uti patet ex dictis; prout vero sunt objectum fidei, creduntur uti caetera fidei objecta ob auctoritatem Dei revelantis.

146. Ad 7. *Nego* sequelam. Dummodo enim teneatur distinctio modo data de duplici respectu sub quo spectari miracula queunt, evanescit objectum circuli vitium, quod non oritur nisi ex praepostera adversariorum hypothesi.

PROPOSITIO III.

Demonstratio, cujus capax est veritas christianae fidei aut motivum quodcumque credibilitatis, non officit libertati illi, qua voluntas actum fidei imperare debet.

147. Eos impetit propositio, qui contrariam semitam iniverunt, inconsulto verentes ne, si demonstratio fiat christianae religionis, aut *liber* amplius dici nequeat consensus qui fidei praebetur, aut *rationalistica* evadat fides nostra.

148. Ast perperam: Etenim 1°. illa tantum demonstratio ad summum officit libertati assensus, quae *intrinsecam* et *immediatam* evidentiam prae

se fert, minime vero ea, quae nonnisi *extrinsecam* ac *mediatam* evidentiam praebet; talis autem est demonstratio, quae ex motivis credibilitatis fit de veritate religionis nostrae; alia siquidem est evidentia *rei*, alia vero evidentia *credibilitatis* de qua disserimus.

149. Praeterea 2°. aliud est loqui de evidentia *metaphysica*, aliud vero de evidentia *morali*. Prior quidem posset aliquo modo necessario rapere intellectum ad assentiendum, posterior vero non item. Jam vero evidentia, quae habetur vi demonstrationis ex motivis credibilitatis, plerumque non est nisi moralis, cui proinde intellectus obluctari potest. Animum proinde rite dispositum postulat, praesertim cum ejusmodi moralis evidentia tota extrinseca sit, ac fidei objecta semper impervia rationi sint, immo supra rationem. Quod si in aliquibus, iis nempe, qui testes oculati fuere aut sunt miraculorum, evidentia physica existat, cum tamen nexus miraculorum cum veritate divinae revelationis obvius non sit, ne quidem his, quibus talis evidentia fulget, necessitas exsurgit assensus praebendi.

150. Hinc 3°. videmus pharisaeos aliosque bene multos, quamvis spectatores fuerint miraculorum Christi, neque ea negare potuerint, non idcirco in eum credidisse. Idem dic de pluribus aliis, quibus bene comperta sunt omnia credibilitatis motiva, prout experientia quotidiana ostendit, attamen pugnaciter verae fidei obsistunt, dum tamen alii dociles eidem se praebent.

151. Fateamur igitur necesse est fidem gratuitum donum Dei esse, quae nulla humana industria aut scientifica inquisitione aut demonstratione obtineri potest; tantum abest, ut quispiam ex ejusmodi demonstratione ad assensum fidei cogi queat. Exinde etiam sequitur nullo pacto per demonstrationem, quae ex motivis credibilitatis fiat divinae revelationis, rationalisticam fidem evadere. Qui enim hoc obtrudit, manifeste patefacit se minime nosse in quo fides consistat, permiscetque turpiter extrinseca ac naturalia cognoscendi media cum actu supernaturali, qui ab illis prorsus independens est, seu scientiam cum fide, naturam cum gratia; prout jamdiu animadverterat s. Thomas. [1]

DIFFICULTATES.

152. Obj. Implicat dari assensum liberum de objecto evidenter cognito; nam 1. quaevis evidentia, sive versetur circa intrinsecam rei naturam, sive circa motiva extrinseca, necessario *cogit convictionem*, ipso fatente Suarezio [2]; ergo si motiva credibilitatis motiva sint evidenter cognita, cogent convictionem, adeoque assensus liber non est. 2. Concipi praeterea nequit, quomodo fidei objectum posset esse evidenter credibile: aut enim ejusmodi evidentia a fide humana pendet, et fidei actus, qui exinde eliceretur, esset naturalis ac humanus; aut a fide divina, et repugnat esse evidenter credibile quod donum mere internum est. Ergo.

[1]) II. 2. qu. 2. art. 9. ad 3. [2]) *De Fide*, disp. VI. sect. VIII.

153. Resp. *D. A.* Implicat dari assensum liberum de objecto evidenter cognito cognitione intuitiva ac metaphysica, *Tr.* vel *C.* cognitione extrinseca et morali, *N.*

154. Ad 1. prob. vel *N.* vel *D.* Quoad internam ac intuitivam, *C.* quoad externam ac moralem, *N.* Alia siquidem est evidentia *intuitionis*, alia *credibilitatis;* quae ex intuitione eaque *immediata* oritur, fieri utique potest, ut extorqueat assensum ab intellectu, minime vero id efficit, si proveniat ex cognitione abstractiva seu scientifica ac proinde *mediata;* multo vero minus si extrinseca tantum sit et moralis, quae nempe innitatur humanae certitudini. Nam hoc ipso quod intellectum ad assentiendum ejusmodi evidentia non rapiat, intellectus potest assensum suspendere, ac influxui voluntatis subest, ut patet ex dictis atque experientia. Porro dum Suarez dicit: *Sola evidentia cogit intellectum,* seu juxta adversarios, *cogit convictionem*, loquitur de priore evidentia immediata, metaphysica ac intuitiva, non autem de mediata, scientifica, abstractiva atque extrinseca.

155. Ad 2. Resp. nihil esse facilius, dummodo probe distinctio teneatur, quae intercedit inter actum *naturalem* ac *supernaturalem.* Si enim ejusmodi evidentia proveniat ex cognitione motivorum credibilitatis, assensus, quem praebet intellectus, erit pure naturalis, nihilque commune habet cum fide, de qua disserimus, sed est veluti praeambulum seu praerequisitum ad fidem, non tamen absolute necessarium. Quod si ex divina gratia, quae illustrat interius ac movet voluntatem ac intellectum ad firmiter assentiendum fidei objecto, profluat, actus hic erit supernaturalis: quo fit ut actus, qui elicitur ab intellectu ob judicium proveniens ex cognitione motivorum credibilitatis, sit naturalis *quoad suam substantiam;* qui autem ab eodem elicitur ex gratia praeveniente illustrationis et inspirationis, sit supernaturalis *ratione modi,* ut clarius fiet ex mox dicendis.

PROPOSITIO IV.

Potest de uno eodemque objecto haberi simul scientia ac fides.

156. Constituitur propositio haec contra eosdem adversarios, qui alia de causa verentur demonstrationem divinae religionis, quia sic per scientiam debilitaretur fides, cum plura objecta credenda proponantur, quae per scientiam cognosci possunt. Verum et hic timor vanus est.

157. Etenim non debilitatur fides per scientiam, quamvis tum fides tum scientia circa idem objectum versentur, si diversum est principium ac diversum est motivum, ex quibus ejusmodi objecti veritas admittitur. Jam vero quamvis plura objecta contineat revelatio, quae ordinis naturalis sunt, quaeque propterea sola ratione cognosci possunt, attamen diversa ratione idem subjectum ea cognoscit et ea credit; cognoscit per rationem, credit per fidem ex auctoritate Dei revelantis, adjuvante gratia. Cum vero ex antea demonstratis scientia ac fides numquam permisceri inter se queant,

sequitur posse de uno eodemque objecto haberi a subjecto eodem fides ac scientia, neque per scientiam infirmari fidem posse.

158. Quapropter potest unus idemque cognoscere vi demonstrationis Dei existentiam ejusque attributa, animorum immortalitatem, praemia aut supplicia in altera vita rependenda, aliaque ejusmodi, ac potest haec ipsa simul credere uti a Deo revelata; prout reipsa ecclesiae Patribus et Doctoribus contigit, ut patet ex eorum demonstrationibus, ac fidei professionibus. Alioquin melior dicenda foret rudiorum quam doctorum conditio, qui eo magis infirmarentur in fide, quo magis in scientia proficerent, quod dictu absonum est. Hinc post s. Thomam Suarez pluribus ostendit posse ab eodem de una eademque veritate haberi simul cognitionem scientificam ac fidem.

DIFFICULTATES.

159. Obj. Fides et scientia de eadem re in eodem subjecto nequeunt simul consistere. 1. Scientia enim seu ratio *videt*, fides *credit;* porro idem videri et simul credi repugnat. 2. Hinc ex Apostolo [1]: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quod si res creditae non *apparent*, profecto *non videntur.* 3. Exinde illud Augustini effatum cui reliqui Patres consonant [2]: *Quid est fides, nisi credere quod non vides?* 4°. Ex Patribus doctrinam suam collegit angelicus Doctor, dum inconcussum principium adstruxit [3]: *Non est possibile, quod idem ab eodem sit visum et creditum;* quod passim alibi inculcat [4], ubi docet, quod *Deum esse et alia ejusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. I., non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos.* Demum proposita sibi difficultate, quod ejusmodi veritates in symbolo contineantur, respondet [5]: *Ea, quae demonstratione probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de iis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia praeexiguntur ad ea, quae sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent.* Ergo.

160. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Repugnat idem ab eodem subjecto *credi simul et videri per eumdem actum Tr.* per *diversos actus, N.* Nulla sane est repugnantia, quod aliquis diverso actu et ex diverso principio idem videat et credat; prout nulla est repugnantia, quod idem diverso actu iter pedes instituat et curru. Jam vero quae cognoscuntur ratione naturali seu ope scientiae, possunt alio actu, nempe supernaturali eoque intensiori et firmiori, credi ob auctoritatem divinam. Eo magis quod ea, quae subsunt cognitioni naturali de Deo aliisque objectis, per demonstrationem non videantur nisi visione abstractiva, non autem intuitiva. Diximus *per demonstrationem*, quia haec permisceri nequit cum ejusdem demonstrationis principiis, cujusmodi sunt axiomata, quorum evidentiam immediatam habemus,

[1]) Hebr. XI. 1.
[2]) *Tract.* VI. *in Joann.* n. 9.
[3]) II. 2. qu. 1. art. 1.
[4]) Part. I. qu. 2. art. 2. ad 1.
[5]) II. 2. qu. 1. art. 5.

ac rapiunt proinde intellectum, demonstratio vero non item, quae mediatam tantum evidentiam ad summum habet, in qua intellectus subesse voluntatis potest imperio.

161. Ad 2. *D. Fides est sperandarum* etc., prout subsunt fidei, *C.* prout scientia cognoscuntur, *N.* Si enim, uti diximus, diverso actu diversoque medio res cognoscuntur et creduntur, jam sequitur haec inter se haud pugnare. Deinde cum cognitio, quam praebet scientia seu ratio, sit abstractiva, relinquit illam obscuritatem, quam fides supponit.

162. Ad 3. *D.* Et hoc effato s. Augustinus aliique passim Patres naturam fidei significare voluerunt, quae in suo conceptu postulat, ut assentiatur auctoritati, secus ac exposcat scientiae notio, *C.* secus, *N.*

163. Ad 4. *D.* Impossibile est juxta angelicum Doctorem idem posse simul esse *visum* et *creditum* per eumdem actum, *Tr.* per diversum actum, *N.* Talem s. Thomae stetisse mentem constat tum ex eo, quod statuat habitum fidei non excludere in eodem subjecto habitum scientiae, seu posse haberi de eadem re scientiam et fidem; tum ex eo quod statuat [6], angelos et primum hominem ante lapsum fidem de Deo habuisse, quamvis naturalem abstractivam ejusdem Dei cognitionem longe quam nos perfectiorem habuerint. Excludit igitur a fide solam cognitionem intuitivam, quae in patria habetur.

ARTICULUS II.

DE NEXU AC MUTUA RELATIONE FIDEM INTER AC RATIONEM.

164. Cum haud pauci discordias serere inter rationem et fidem sategerint, quasi nempe pugna et conflictus perpetuus vigeret, aut vigere posset et deberet, idcirco de nexu ac mutua relatione, quae inter rationem et fidem intercedit, disserere necesse est. Nam increduli ad unum omnes et cum ipsis rationalistae mysteria cum recta ratione pugnare affirmant. Antiquiores protestantes, duce Luthero, effutierunt aliquid esse posse *theologice* verum, quod falsum *philosophice* sit. Neque adhuc desunt ex protestantibus *orthodoxis,* id est, lutheranis *puris,* qui veluti tesseram suae professionis assumant Tertulliani effatum: *Credo, quia absurdum.* Nonnulli etiam catholici autumant axiomata seu principia evidentia rationis locum habere non posse in rebus fidei. Ast hos omnes a vero abludere, neque rectam rationem umquam fidei adversari posse, ostendere insequentibus propositionibus aggredimur, quibus non solum ejusmodi pugnam excludimus, sed praeterea ostendemus nedum fidem humanae rationis incrementis non adversari, sed potius ea mirifice promovere. Sit igitur

[6]) II. 2. qu. 5. art. 1.

PROPOSITIO I.

Fides neque extinguit naturale rectae rationis lumen, neque illi umquam potest adversari.

165. Ideo fides naturale rationis lumen extingueret vel eidem adversaretur, quatenus aut caecum objectis credendis exigeret assensum, aut quidpiam rationi credendum proponeret, quod eidem adversaretur. Porro neutrum efficit fides.

166. Ac primo caecum credendis objectis non exigit fides a ratione assensum, siquidem tum praevia motiva credibilitatis eaque evidentia de via saltem ordinaria praerequirit, ut exinde quis divinae gratiae subsidio adjutus actum fidei eliciat; tum exigit, ut ratio aliquo modo intelligat, *quid* sit credendum, ac videat *quare* credendum, seu utrum sint talia credibilitatis motiva, quae rationem ad credendum inducant, ut *rationabile* dici possit obsequium quod fidei praebetur. Quae si adsint, tantum aberit ut caecum fides exposcat assensum, ut potius nonnisi irrationabiliter se gereret, qui intellectum ad assentiendum in Dei revelantis obsequium captivare recusaret.

167. Sed neque umquam alterum fieri potest, ut nempe fides quidpiam credendum proponat, quod rectae rationi adversetur. Metaphysice enim repugnat, ut veritas veritati aliquando opponatur; cum igitur idem Deus, prima scilicet veritas, et ea doceat principia, quae ratiô immediata evidentia cernit, et ea quae per revelationem credibilia evidenter proponuntur; sequitur numquam fieri posse, ut fides credenda proponat, quae cum rectae rationis principiis pugnent.

168. Quod vel ex ipsa objectorum revelatorum natura luculenter ostenditur. Aut enim illa intra naturalis ordinis septa continentur, aut ea excedunt, utpote in superiore ordine constituta. Si ex primo genere sint, quisque intelligit nullam in ipsis posse rationem invenire repugnantiam, cum ea ratio per se cognoscat aut saltem cognoscere possit; immo ex revelatione ejusmodi objectorum ratio haud parum proficit, tum quia certior de illis fit, tum quia ex illis potest alias ejusdem ordinis veritates cognoscere et evolvere. Si vero ad altiorem ordinem spectent et ejus captum excedant, non poterit profecto ratio in his veritatibus repugnantiam agnoscere aut deprehendere, eo ipso quod eam nexus intrinsecus lateat, qui intercedit inter subjectum et praedicatum. Certa proinde ratio efficitur per revelationem de earumdem *existentia*, ast earum *modum* ignorat existendi. Si qua igitur repugnantia inter utriusque ordinis veritates se offerre videtur, necessario ea *apparens* tantummodo erit, minime *vera* ac *realis*, prout invicte ostendit s. Thomas. [1] Hinc jure merito synodus lateran. V. decrevit: *Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati fidei contrariam omnino*

[1]) *Cont. gent.* lib. I. cap. 7.

falsam esse definimus. Atque philosophos excitavit, ut conatus suos eo conferrent, ut animorum immortalitatem demonstrarent, et contraria argumenta dissolverent.

DIFFICULTATES.

169. I. Obj. Perfecta viget rationem inter ac fidem oppositio; etenim 1. fides est caecus assensus objectis, in quibus ratio nil videt aut intelligit; ratio porro jus habet cuncta suae inquisitioni subjicere, ut novissimum proferat judicium. 2. Hinc philosophia se ab auctoritatis jugo emancipavit, ac plenam est auctoritatem adepta solvendi magna problemata, quae Deum, hominem naturamque respiciunt. 3. Hoc vero in summum Dei honorem cedit, quoniam sic ratio solis obtemperat principiis suis, et haec obedientia sola rationabilis est. Ergo.

170. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Fides est caecus assensus objectis superioris ordinis quoad *intrinsecum subjecti* ac *praedicati* nexum, *C.* quoad motiva *extrinseca, N.* Ut quidpiam evinceret propositum argumentum, deberent adversarii ostendere nullas alias veritates posse aut debere a ratione admitti praeter eas, quarum intrinsecum nexum ipsa videt. Hoc porro praestari nequit ab ipsis, quin innumeras pene repudient veritates, quae sunt in ordine physico et morali, neque nituntur nisi extrinsecis tantum motivis, aut relationibus idearum, aut contemplationi naturae. Porro si has repudiare adversarii non possunt, quin in turpem decidant scepticismum, nec repudiare possunt mysteria, de quorum revelatione irrepugnabilibus credibilitatis motivis constat. Sibi praeterea jus intrinsecae expendendae mysteriorum naturae arrogare, perinde est ac velle in Deum insurgere, quasi ille in sua infinita natura et scientia nihil haberet, quod humanae mentis angustias superaret.

171. Ad 2. *D.* Se emancipavit philosophia ab auctoritatis philosophiae dogmaticae jugo, *Tr.* se emancipavit a jugo auctoritatis divinae, vel *N.* vel *subd.* ex parte incredulorum, *C.* ex parte eorum qui rite philosophantur, *N.* Quidquid enim sit de dogmatismo philosophico, certum est nonnisi incredulos pallio philosophico tectos se emancipare a jugo auctoritatis divinae. Hoc ipso ejusmodi increduli se indignos patefaciunt philosophi nomine. Veri siquidem philosophi norunt rationem ipsam dictare Deo revelanti assentiendum, ubi evidenter constiterit Deum reipsa esse locutum. Porro uti praeteritorum ita et neotericorum ejusmodi incredulorum commenta delebit dies, et ipsi infamiae notam haereditabunt.

172. Ad 3. *D.* Prout Dei honorem intelligunt adversarii, *C.* reipsa, *N.* Quis umquam dixerit, quod in Dei honorem cedat pervicax pertinacia repudiandi Dei revelantis auctoritatem et testimonium sub obtentu unice obtemperandi principiis rationi inditis; quasi haec aliquando possent divinae revelationi adversari? Dum ita se gerunt, repudiant ejusmodi homines et auctoritatem Dei et sanae rationis ductum.

173. II. Obj. Si admittatur principium, quod fides nec possit nec

debeat rectae rationi adversari, jam sequitur 1. omnem *supernaturalismi* rationem in mysteriis destrui; 2. siquidem ratio priusquam suum praeberet assensum, deberet *dogmata singula* ad tribunal suum revocare, et expendere utrum haec in verbo Dei scripto vel tradito contineantur nec ne; alioquin elicitus fidei actus esset imprudens, et in rationem peccaretur. 3. Deberet praeterea ratio suspendere actum suum fidei etiam postquam demonstratione constiterit illa esse revelata, donec compererit dogma quodlibet cum suis naturalibus principiis minime repugnare. 4. Ex quo et illud consequeretur rationem demum principem immo et unicam normam esse credendorum, quod tamen in Hermesio damnatum est. Ergo.

174. Resp. *N.* Ad 1. autem *D.* Si *supernaturalismi* ratio in *absurditate* consisteret, *C.* si in *incomprehensibilitate*, *N.* Jam vero mysterii ratio in incomprehensibilitate consistit, quatenus mentis nostrae captum excedit, minime vero in absurditate, quae esset rationis interitus. Haec duo porro, quae perperam confundit Bayle, immane quantum discrepent, nemo est qui non videat.

175. Ad 2. *D.* Juxta hermesianum fidei eversivum systema, *C.* juxta sanam catholicam doctrinam, *N.* Qui nondum credidit neque in ecclesiae sinum cooptatus est, poterit certe, ut prudenter se gerat in assensu suo praebendo fidei objectis, expendere credibilitatis motiva ac revelationis existentiae exigere demonstrationem, perinde ac existentiae ecclesiae revelationem proponentis. At postquam de his certior effectus est, ac etiam in ecclesiam receptus, absque ulla alia demonstratione et examine omnia ac singula fidei dogmata suscipere debet. Contrarium adstruere esset prorsus principium protestantismi sufficere principio catholico auctoritatis infallibilis. Hoc porro efficere tentavit Hermesius, cujus proinde doctrina proscripta est atque damnata. Non aliud sane catholico examen permittitur, quam *confirmativum* atque *inhaesivum*, quod unum cum fide consistere potest.

176. Ad 3. *D.* Juxta idem hermesianum systema, *C.* juxta sinceram fidei naturam, *N.* Nam statim ac de divina revelatione alicujus dogmatis per ecclesiae infallibilis propositionem constiterit, illico etiam a priori constat fieri haud posse, ut ejusmodi dogma rectae rationis principiis adversetur: adeoque intellectum quisque captivare tenetur in fidei obsequium, quin ulterius inquirat. Quivis alius processus esset absurdus. Nec permisceri debet munus fidelis, quod est credere, cum munere theologi, quod est scientifice praeterea probare veritatem dogmatis revelati et ab ecclesia propositi.

177. Ad 4. *D.* Supposita praemissarum veritate, *C.* hac exclusa, *N.* Praemissae autem falsae sunt, uti ostendimus.

PROPOSITIO II.

Fides nedum humanae rationis incrementis adversatur, ea prorsus mirifice provehit.

178. Increduli, rationalistae, protestantes denique omnes ecclesiam catholicam incusant veluti *obscurantismi* patronam, retardàntemque scientiae ac rationis humanae progressus per principium auctoritatis, quod profitetur in fidei negotio. Hosce propterea fidei et ecclesiae catholicae hostes refellere hac etiam in parte cogimur, turpemque amovere calumniam.

179. Quod ut assequamur, hoc instituimus ineluctabile argumentum. Fides non solum non adversatur humanae rationis incrementis, verum etiam ea mirifice provehit, si fides tum *directe* tum *indirecte* jugiter exposcat scientiarum omnium cultum, in earumque perfectionem ac progressum mirifice influat. Res porro ita se habet.

180. Siquidem scientiae omnes aut *rationales* sunt, uti logica, psychologia, ontologia etc., aut *morales* ac *practicae,* uti ethica, politica, jurisprudentia etc., aut *naturales,* uti physica, chemia, mathesis etc., in quarum subsidium et ornamentum accedunt bonarum artium studia, historia, critica, pictura, sculptura, poësis aliaque ejusmodi.

181. Has porro scientias omnes bonasque artes *directe* fidem maxime promovere, seu earum cultum jugiter exposcere constat 1°. ex apparatu, quem fides exigit, antequam ea suscipiatur; exigit enim ut *praeambula* prius rite constituantur, adeoque Dei existentia, providentia, animorum spiritualitas ac immortalitas, libertas etc., adeoque cognitionis humanae fundamenta, certitudinis ac veritatis criteria, ratiocinandi leges, ontologicae notiones atque principia, illisque adnexa. Exigit praeterea ut *motiva credibilitatis* excutiantur, vindicentur, eoque in lumine collocentur quod evidentiam pariat; ac proinde innumerae pene disquisitiones instituendae historicae, criticae, philosophicae, physicae, psychologicae etc. circa miracula, vaticinia eventu completa, media ac obstacula propagationis et conservationis fidei, martyrum testimonia etc. Exigitur demum ejusmodi apparatus tum ad asserendam ut unice veram ecclesiam a Christo institutam; tum ad ipsius constitutionem, notas, praerogativas et dotes constabiliendas; tum demum ad supremum quod Christus constituit visibile ecclesiae caput firmiter vindicandum: quae quidem omnia innumeras poscunt ac omnigenas cognitiones, curas, disquisitiones, quae sine scientiarum ope profundoque studio institui nequeunt.

182. Haud minorem scientiarum apparatum et cultum exigunt vindiciae singulorum dogmatum, quae deinceps adversus haereticos ac neotericos suscipiendae sunt. Hic enim theologiae apologeticae campus latissimus est, et praeter biblicam criticam et exegeticam exposcit cognitionem sacrae antiquitatis, patristicam, historiam ecclesiasticam, concilia etc., ad difficultates dissolvendas, fraudes detegendas, falsas interpretationes refellendas, quae innumerae pene sunt.

183. Idem dic de non paucis catholicae doctrinae articulis quibus bonarum artium, archaeologiae scilicet, linguarum orientalium, palaeographiae, geographiae, ipsius conservatio et provectio in acceptis est reservata. Illis enim sublatis, hae quoque vix non periissent, aut saltem non parum detrimenti passae fuissent, medio praesertim aevo, in tanto ejusmodi disciplinarum squalore.

184. Nec solum *directe*, verum etiam *indirecte* fides catholica scientias omnes maxime promovet. Cum enim catholica fides ea sit, in quam veluti in commune centrum tela dirigunt infideles, judaei, haeretici, schismatici, increduli, pseudophilosophi, necessitas incumbit ejus propugnatoribus animum applicandi scientiis omnibus ac documentis, quibus illi abutuntur. Cumque obsoletis ac antiquatis primis difficultatibus, novas obtrudunt pro critices et scientiarum progressu, catholicis simul calcaria admovent, quo studiosius omnimodam scientiam assequi contendant.

185. Ex jugi porro ejusmodi actione ac reactione fit, ut catholica fides tum directe tum indirecte ignem sacrum scientiarum alat, nutriat ac foveat, immo ut hoc electricum veluti fluidum communicet atque diffundat. Qua sublata, vix non inter mortua rationis ac scientiae incitamenta jacerent. Hoc ipsum experientia ineluctabiliter patefacit; siquidem quemlibet vel leviter considerantem sive quo in statu essent et scientiae et artes bonae ante invectam Christi religionem, in quo vero postea universim reperiuntur; sive etiam quomodo in quibusdam regionibus, quae a fide olim suscepta vel per schisma vel per haeresim vel per infidelitatem desciverunt, quomodo, inquam, christianismo florente et illae floruerint, atque eo deficiente et illae defecerint, veritas, quam asserimus, primo ipso intuitu offendit.

186. Certe si catholica fides causa esset *obscurantismi*, hic maxime dominaretur in ipso catholicitatis centro; at certum est Romam non modo esse scientiarum omnium altricem, sed bonarum artium praecipuum domicilium; ubi musaea et bibliothecae cujusvis generis documentis refertae cura potissimum ac sollicitudine romanorum pontificum maxime vigent, quasque frustra alibi requires.

187. Tantum igitur abest ut fides catholica rationis incrementis obsistat, ut ea prorsus mirifice provehat.

DIFFICULTATES.

188. I. Obj. 1. Principium auctoritatis, cui catholica fides innititur, suapte natura compedes injicit rationis incrementis; 2. fovet praeterea superstitionem, quae mater ignorantiae jure censetur; 3. auctoritas namque, cum suspiciosa ac timida sit, ubique novitates perniciosas, quae in fidei detrimentum cedant, sibi deprehendere videtur; 4. exinde tot praeclara opera immerito proscripta ac in Indicem librorum prohibitorum relata; 5. insectationes tot praeclarissimorum virorum, qui de scientia optime meriti sunt, inter quos eminet Galileus. Ergo.

189. Resp. Ad 1. *N.* Principium siquidem auctoritatis attingit tantum-

modo fidem et quae ad eam directe aut indirecte referuntur, nihilque commune habet cum incremento vel detrimento scientiarum. Dummodo viri docti res fidei non attingant, possunt pro lubito propria exercere ingenia, scientiasque ulterius promovere, quin umquam compedes experiantur.

190. Ad 2. iterum *N.* Haec difficultas ex protestantium *subjectivismo* unice profluit, qui cum proprio marte sibi fidei dogmata cudant, uti in scientiis sic in fide nescio quam perfectibilitatem autumant atque progressum. Sibi habeant protestantes hunc progressum, qui non est nisi negationis, uti experientia docet. Fides essentia sua objectiva est, a Deo revelante et ab ecclesia proponente proveniens, cui ab homine nihil addi, nihil demi ab ea potest aut quavis ratione temerari.

191. Ad 3. *D.* Uti bona mater pro incolumitate filiorum suorum sollicita, *C.* per se, *N.* Timet scilicet ac suspiciosa, si placet, ecclesia est pro filiis suis, ne scientiae falsae obtentu perniciem sibi consciscant, aliisque noceant, non autem de fide in se spectata, quae nullum detrimentum pati potest.

192. Ad 4. *D.* Prohibita opera sunt ac in *Indicem* relata ob nocumentum, quod pravis aut vehementer suspectis doctrinis afferre possunt, *C.* innoxia, *N.* Opera interdicta aut prorsus mala sunt, ac jure ipso naturali prohibita, aut saltem erroribus infecta; ecclesia proinde, cui custodiendum fidei depositum divinitus datum est, ne incautis detrimentum afferant, eorum lectione fideles interdicit. Nonnulla autem, propter quamdam prudentem oeconomiam exposcentibus rerum adjunctis, ob suspicionem quam ingerunt, in *Indicem* interdum referuntur; cessantibus porro aut mutatis rerum adjunctis, ab eodem expunguntur, uti non semel contigit. Caeterum si utilitas poscat, nec ullum instet periculum, sancta Sedes haud difficilem se praebet in eorum lectione permittenda. Adeoque nullum exinde detrimentum obvenire scientiis potest.

193. Ad 5. *N.* Ecclesia numquam insectata est viros illos, qui intra praestitutos limites se continuerunt; quod si nonnulli plus aequo suis placitis indulgentes illos transgressi sunt, contumacesque se praebuerunt in erroneis suis doctrinis, profecto debuit ecclesia jure suo uti ad eos compescendos, ne caeteris nocumento essent. Quod vero ad Galileum speciatim attinet, certum est 1°. humanissime eum a s. Inquisitione in duplici cui ipsum subjecit examine exceptum fuisse; 2°. certum est numquam uti hypothesim sacram Inquisitionem illius sententiam damnasse, sed uti thesim, quam intempestive nimia asseveratione adstruebat, nondum disjectis difficultatibus, immo absurdis, quae ex physice ea aetate petebantur; idque ad vitandas turbas, quae tunc temporis oriebantur; 3°. certum est magna ex parte exaggerata esse, quae ab ecclesiae catholicae hostibus circa hoc negotium vulgata sunt, uti ex genuinis documentis a Tiraboschio et Venturi adductis constat; 4°. demum jamdiu ex *Indice* Copernici et Galilei opera fuisse expuncta, adeoque nonnisi temporarium temperamentum illud fuisse.

194. II. Obj. 1. De facto constat scientias omnes bonasque artes, et

linguarum orientalium peritiam ex protestantismi origine vehementem impulsum accepisse. 2°. Si quis propterea comparationem instituat inter scientiarum statum, qui ante et post reformationem viguit, comperiet ita unum ad alterum se habere ut infantilis aetas ad virilitatem. 3. Quod quidem unice repeti potest ab ipsa protestantismi indole, qui cum emancipationem ab auctoritate proclamaverit, effecit ut ratio nullis vinculis praepedita ulteriores semper progressus fecerit. 4. Sane protestantes semper praeire in novis inventis consueverunt, quos deinceps catholici ponc sequuntur. Ergo.

195. Resp. Ad 1. *N.* Immo potius de facto constat protestantismum evigilasse orto jam sole. Siquidem historia docemur in Europa universa atque in Italia potissimum doctas, quas vocant, linguas bonasque artes perfectionis apicem ante Lutherum natum attigisse; Gallias, Hispaniasque perinde ac Belgium ac Germaniam praeclarissimis viris refertas fuisse. Ubique instituta jam erant florentissima gymnasia; ars typographica jamdiu inventa erat; philosophica studia maximo ardore colebantur; critica, historia, exegesis ipsa sacra haud exiguos progressus faciebant. Quid igitur protestantismo reliquum fuit? Nihil omnino, cum impulsus idemque vehemens datus jam fuisset. Sibi igitur ad summum protestantes habeant lexica et grammaticas institutiones, quibus etiam post catholicorum praeclarissimas lucubrationes adlaborarunt.

196. Ad 2. *D.* Ita tamen ut protestantismus hujusmodi statuum diversitati nihil contulerit, nisi ad summum *indirecte, C.* ita ut haec diversitas protestantismo in acceptis referenda sit, *N.* Impulsio, ut vidimus, eaque vehemens sub omni respectu ante protestantismum data jam fuerat; semina ubique gentium politioris cultus jam praejacta; ingenia alacriter feliciterque evolvebantur. Quid igitur protestantismus? excitavit quaestiones religiosas ad homines ab invicem separandos, et indirecte effecit, ut ad scientias acrius graviusque excolendas catholici incumberent.

197. Ad 3. et 4. *N.* Immo potius plurimum obfuit philosophicis disciplinis ob rationis quem induxit *nihilismum.* Quod si sequiori aevo, Lutheri et Calvini excussa auctoritate, protestantes philosophiam excoluerunt, in contrarium oppositum lapsi sunt, et progressus eorum, qui *transcendentalismum,* ut vocant, proclamarunt, eos in rationalismum, scepticismum absolutum, in absurda quaeque delirantium somnia conjecerunt, quae ipsi philosophiae pallio ac nomine cohonestarunt, ut ex historia philosophiae recentioris patet. Tales sunt progressus ac nova inventa, in quibus certe praeiverunt protestantium plerique, et isti insultant *obscurantismo* a catholica ecclesia inducto!

CAPUT III.

DE RATIONE POST FIDEM.

198. Supersunt etiam post fidem, gratiae divinae subsidio et ecclesiae proponentis magisterio susceptam, sua rationi jura. Ne tamen fines sibi praestitutos ratio transiliat, necesse est ut regulas sectetur, quas fides ipsa

ei constituit, quarum praecipua ea est, ut ratio in religionis negotio numquam primas sibi vindicet partes, sed ecclesiae vivo magisterio se subjiciat, se exhibeat uti ancillam, minime vero uti dominam. Hoc modo fiet, ut tum fidei tum rationi sua jura sarta tectaque serventur, oblocutionibus incredulorum et rationalistarum, qui ecclesiam veluti *obscurantismi* patronam traducunt, silentium imponatur, simulque componantur sententiae sibi invicem adversantes, quae in nonnullis catholicis scholis nunc maxime vigent. Partiemur porro et hoc postremum caput in duos articulos, in quorum altero de recto rationis usu, in altero vero de ejusdem abusu post fidem disseremus.

ARTICULUS I.

DE RECTO RATIONIS USU POST FIDEM.

199. Rationis munera post fidem sunt vindiciae et illustratio ejusdem fidei. Qui vellent rationem ac fidem irreconciliabiles efficere, seque rationis hostes exhibere, munera ac jura haec rationis abjiciunt. Ut igitur praeclarum hoc Dei conditoris nostri donum tueamur ejusque jura vindicemus, insequentes statuimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Post susceptam fidem potest humana ratio fundamenta ipsius fidei singulorumque dogmatum investigare eaque tueri.

200. Licet theologus quoad actum formalem fidei non distinguatur a quolibet fideli, prout tamen *doctoris* munus suscipit, debet praeterea in fundamenta inquirere revelationis, motiva credibilitatis excutere ac vindicare, quae existentiam divinae revelationis evidenter credibilem efficiunt.

201. Quae cum ita se habeant, jam patet veritas adsertae theseos; etenim cum objectum *materiale,* ut vocant, fidei nostrae totum *historicum* sit, ac revelatio ipsa sit *factum*, quod documentis constitui debet, non potest theologus munere suo fungi nisi sedulam operam navet ad illa investiganda ac propugnanda adversus incredulos, ut per illa infidelibus reddat evidenter credibilem divinam revelationem. Potest itaque humana ratio post susceptam fidem ejusdem fundamenta investigare atque detegere, ut hoc modo possit ea, cum opus est, indigentibus proponere, atque ab adversariorum impetu tueri.

202. At neque hic sistere theologus potest, sed divina revelatione in tuto posita, necesse praeterea est ut ad singula dogmata descendat. Ecclesia siquidem, quae ex divina revelatione credenda proponit, disputare non assolet, nec motiva exponere, quibus innixa dogmata divina singillatim definiat, sed docilitatem a filiis suis unice postulat exigitque. Jam vero hoc onus incumbit theologo, qui propterea tum ecclesiae existentiam ejusque divinam originem, constitutionem, proprietates, dotes vindicare debet; tum utramque remotam partialemque fidei regulam, Scripturam videlicet ac traditionem

adstruere; tum denique patefacere, quomodo ex his fontibus promanent, quae ab ecclesia definita sunt adversus haereticos, qui perduelles in ecclesiae definitiones insurgunt. Porro et huic muneri obeundo opus esse rationis excultae subsidio, nemo est qui non videat.

203. Quod magis elucet, si consideremus quaedam dogmata rationis aciem excedere; quaedam vero uni traditioni inniti, ea scilicet de quibus Scripturae vix aut ne vix quidem testantur; Patres vero aut parce aut vage nimis aut etiam contraria, praesertim si ante exortas oppositas haereses scripserint, loquuti videantur. Quomodo vero theologus haec omnia tueri solide poterit adversus haereticorum ac impiorum conatus absque hermeneuticae, exegesis, eruditionis, dialecticaeque subsidio?

204. Non aliam profecto viam tenuerunt antiqui Patres apologetaeque christianae et catholicae fidei Clemens alex., Justinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Leo M. aliique omnes. Apposite s. Augustinus disserens *de sermone scientiae*, de quo Apostolus [1], in rem nostram scribit: *Quod fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamquam polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae nonnisi aeterna est: aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Ita quidem magnus Augustinus [2], quibus videtur nostros *logophobos* refellere sibi proposuisse.

DIFFICULTATES.

205. Obj. 1. Ejusmodi investigatio fidei simplicitati adversatur; 2. nec parum detrahit fidei merito. 3. Patres proinde effusi sunt in commendanda fide caeca. 4. Eo vel magis quod non absque periculo ejusmodi inquisitio fieri possit, cum difficultates interdum gravissimae appareant, debilis vero ac nutans solutio, atque hinc dubia circa fidem suapte natura insurgunt. Ergo.

206. Resp. Ad 1. *D.* Si susciperetur haec investigatio per examen *dubitativum, C.* si per examen *confirmativum* methodo scientifica, *N.* Hoc posteriore sensu ejusmodi investigatio non solum non derogat simplicitati fidei, sed potius haud parum prodest fidei ipsi, prout patet ex constante experientia tot sanctissimorum Patrum et Doctorum, qui ab ecclesiae incunabulis ad nos usque illustrarunt ac propugnarunt fidem adversus tot impiorum conatus. Alioquin deberet tot ignavorum commendari ignorantia et inertia, quam fidei simplicitatis pallio cohonestant, damnandique essent qui strenuam dant operam fidei illustrandae ac propugnandae. Quod plane absonum est et contrarium Scripturae, Patribus et ecclesiae, scientiam in sacerdotibus praesertim commendantibus. Qui vero investigationem instituunt, quia dubii in fide haerent, hi quidem peccant dubium ejusmodi fovendo;

[1]) I. Cor. XIII. 8.

[2]) *De Trin.* lib. XIV. cap. 1. num. 3.

attamen si inquirunt in fidei fundamenta, ut dubium excutiant ac amoveant a se, damnari non debent.

207. Ad 2. *D.* Si investigent, ut credant, et de fidelibus sermo sit, *C.* si id faciant ex fidei amore, *N.* Responsio patet ex modo dictis.

208. Ad 3. *D.* Patres effusi sunt in fide caeca commendanda quoad eos, qui hujuscemodi inquisitionis sunt incapaces, *C.* quoad eos, qui idonei illi sunt et quibus praesertim munus incumbit alios docendi, *N.* Ignorantia ac tenebrae numquam fuerunt sub quolibet praetextu a Patribus commendatae, sed in hypothesi quod aliquis in tali statu inveniatur nec idoneus sit per se tali inquisitioni instituendae, in eo commendata est simplicitas fidei, non autem in alio sensu, alioquin ipsi Patres qui docti fuerunt, recessissent ab eorum proprio documento.

209. Ad 4. *D.* Fieri non potest absque periculo ejusmodi inquisitio a prave dispositis, *C.* a bene dispositis, *N.* Illis enim nocere solet haec investigatio, qui superbia tument, qui non rite credunt ex motivo formali Dei revelantis et ecclesiae proponentis, ac ut plurimum suis indulgent cupiditatibus, quibus propterea fides molesta est. Quoad eos vero, qui rite dispositi sunt, ac noverunt se non propter haec argumenta credere sed propter recensita motiva, ac fidem suam vere ac sincere amant, quin nutent in expendendis hujuscemodi fundamentis, incredibili perfunduntur voluptate.

PROPOSITIO II.

Potest praeterea humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere.

210. Inter *logophobiam* ac *rationalismum* hic incedimus: alii enim sunt, qui nonnisi fidem *historicam,* quam vocant, seu *positivam* vellent admitti; alii vero vix fidem ipsam a ratione seu scientia non arcessunt. Uterque scopulus vitandus ex aequo est. Primus quidem, quia scientiae theologicae nocet; alter autem, quia nocet fidei.

211. Ut hoc documentum posterius vitemus, animadvertendum est 1°. fidem, utpote donum Dei atque a revelatione unice pendens, a scientia quavis ac humana industria repeti nullatenus posse; 2°. ejusmodi fidem objectivam normam esse prorsus inflexibilem, ad quam scientificae inquisitiones exigi debent, non vero contra; 3°. scientiam proinde, de qua hic agimus, tum in demonstrationibus divinae revelationis et ecclesiae existentiae, singulorumque dogmatum juxta nativos fontes conficiendis consistere, tum in intimo dogmatum nexu, relatione, dependentia una cum consecutionibus, quae ex illis dimanant, aut in illis principiis continentur statuendis ac evolvendis, sive ad theoricam, sive ad praxim spectent.

212. Ne tamen in ejusmodi evolutione abusus obrepat, caveri debet, ne quis putet se posse intimos mysteriorum penetrare recessus eaque comprehendere, ac veluti totidem metaphysicos aut logicos conceptus intueri. Recentiores siquidem nonnulli fidei doctrinam in ordine ad scientiam in tres

veluti phases, quas appellant illi, distinguunt, quarum prima complectitur Patres, qui transmiserunt id, quod vocant, *quid* dogmatum; altera complectitur scholasticos, qui aperuerunt *quomodo* dogmatum, sed veluti conceptus *logicos;* tertia demum phasis complectitur philosophos, qui post instauratam philosophiam aperuerunt et ipsi *quomodo* dogmatum, sed veluti conceptus *metaphysicos.* Quo fit, ut hac ratione fidei dogmata ac mysteria ipsa vix a scientiae penu vel thesauro non repetant atque cum scientia non identificent.

213. His igitur praemissis, sic accedimus ad evincendam enunciatam thesim. Potest humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere, si 1°. id valde conferat ad ipsius doctrinae dignitatem et commendationem; si 2°. non modo non obstet, sed in id ejusdem doctrinae revelatae natura nos inducat; si 3°. constans ac perpetua Patrum Doctorumque sentiendi ac agendi ratio id ipsum maxime suadeat.

214. Jam vero ad primum evincendum satis est scientiae notionem expendere; si enim scientia nihil aliud est quam cognitio certa et evidens rei necessariae et immutabilis per proprias ipsius causas, cum in casu nostro ejusmodi causae seu principia sint veritates ipsae divinitus revelatae, patet luculentissime, quod adstruimus. Nemo sane adeo vecors erit, qui inficiari possit tum assumptionem ejusmodi principiorum, tum illorum vis declarationem ac dispositionem; mutuae item relationis, dependentiae ac nexus patefactionem; latentium denique consecutionum ex illis deductionem, et collationem cum scientiis reliquis, analogiae quam cum illis habent aliorumque ejusmodi prosecutionem, quibus fidei objecta, mysteria vero praecipue, non modo credibilia, sed, ut loquitur Augustinus, *suasibilia* etiam efficiantur, ad fidei ac doctrinae christianae seu catholicae dignitatem commendationemque summopere conferre. Nam ex hac agendi ratione fit, ut animus perficiatur, et veritates fidei majorem lucem accipiant, et intimius cognoscantur. Totum praeterea religionis christianae seu catholicae aedificium vere admirandum apparet, adeo ut qui illud contemplantur, suavitate ac jucunditate percellantur.

215. Quod vero hujusmodi scientificae adeo tractationi non obsistat doctrinae revelatae natura, ut ad eam potius inducat, evincitur 1°. ex analogia inter ordinem naturalem ac ordinem supernaturalem. Deus enim non modo hoc universum condidit, ut in eo vivamus eoque utamur, sed praeterea ut illud contemplemur et simul ac per partes singulas; atque ut ex ejusmodi profundiore cognitione voluptatem ac utilitatem semper majorem capiamus. Sic etiam non solum ad credendum Deus proposuit nobis mundum, ut ita dicam, supernaturalem, verum etiam ut illum investigemus, rimemur, intimius cognoscamus, atque ex hac penitiore cognitione ad augustiorem Dei ipsius evehamur contemplationem, ac validiora motiva ad eum diligendum, eique fidelius serviendum nanciscamur. Evincitur 2°. ex eo, quod fides objectiva et historica evadat uti vehiculum quoddam, quo perducamur ad eorum intelligentiam, quae prius sola fide tenebamus; sit germen,

quod ulterioris semper evolutionis capax est; sit fons, ex quo theologi aquas derivant ad tractationem suam magis ac magis perficiendam.

216. Hac persuasione imbuti Patres omnes non modo se testes exhibuerunt fidei, sed praeterea fidem hanc ipsam uti doctores philosophicae atque scientificae subjecerunt disquisitioni. Exinde sublimes illae theoriae prodierunt, quibus ipsi vel Dei existentiam adversus atheos, vel unitatem principii summi adversus gnosticos et manichaeos, vel providentiam Dei adversus epicuraeos, hominis libertatem adversus academicos adstruxerunt. Nec aliter se gesserunt circa ipsa Trinitatis et divinae Incarnationis ac Redemptionis mysteria, aliaque religionis nostrae dogmata, dum ea scientiae ope illustrarunt.

217. A veterum Patrum vestigiis non recesserunt scholastici, qui e fidei principiis initium sumentes scientiam theologicam rigorosa methodo pertractarunt, inter quos eminent s. Anselmus cantuariensis, s. Thomas ac s. Bonaventura, quos praestantissimi theologi exceperunt usque ad saec. XVII. qui haud contenti *Credo catholicum,* uti loquuntur adversarii, adversus protestantes adstruere, ad speculativam intelligentiam per scientificum processum illud evexerunt juxta praeclara Vincentii lirinensis monita atque consilia.

218. Quae cum ita se habeant, jure merito concludimus posse humanam rationem fidei doctrinam ad vere scientificam evehere tractationem, nec nisi neotericos logophobos coepisse thesi huic refragari.

DIFFICULTATES.

219. Obj. 1. Scientifica tractatio intelligentiam exposcit, dum fides historica caecum exigit assensum; invicem proinde adversantur. 2. Haeretici omnium primi dogmatum ac mysteriorum intelligentiam invexerunt. 3. Qui propterea in Patrum reprehensionem incurrerunt, qui ipsis gravem hunc rationis abusum exprobrarunt, inter quos Tertullianus eminent ac s. Jo. Chrysostomus. 4. Hinc s. Thomas inculcat [1], rationis officium mere *negativum* esse debere, quod in difficultatum, quae dogmatibus mysteriisve opponuntur, solutione consistit. Ergo.

220. Resp. Ad 1. *D.* Scientia exposcit intelligentiam absque detrimento caeci illius fidei assensus, quem praebere quilibet debet ex motivo formali et ecclesiae propositione, *C.* cum illius assensus detrimento, *N.* Scientifica evectio, de qua loquimur, assumit dogmata uti principia, quae admittuntur ob fidei formale motivum, nititurque expendere quoad ejus fieri potest, ac illustrare rationis ope, ita tamen ut ea rationi minime subjiciat, aut ad eam quoquomodo inflectat; quod nefas est. Efficit, ut ea quae hactenus tantum credibilia erant, suasibilia praeterea evadant. Caecus assensus afficit motivum formale, scientifica evectio autem tantum attingit suasibilitatem; hinc patet fidem ac scientiam, quae diversa ratione idem objectum attingunt, minime sibi invicem adversari.

[1]) Part. I. qu. 32. art. 2. et alibi passim.

221. Ad 2. *D.* Quatenus haeretici dogmata rationi subjecerunt, *C.* quatenus illis constitutis, intra praestitutos limites illorum intelligentiam assequi nisi sunt, *N.* Haereticorum omnium crimen in eo fuit, quod voluerint proprium *subjectivismum* substituere fidei *objectivae,* per oppositionem spiritus privati ecclesiae doctrinae. Nihil porro commune habet ejusmodi agendi ratio cum scientifica illa inquisitione, quam Patres Doctoresque omnes sectati sunt, quamque nos adstruimus.

222. Ad 3. *D.* Haeretici in Patrum reprehensionem incurrerunt ob abusum, de quo num. antecedenti diximus, *C.* ob adscitam scientiam simpliciter, *N.* Sane illi antiqui haeretici plane philosophicam efficiebant fidei doctrinam.

223. Ad 4. *D.* In ordine ad rigorosam mysteriorum demonstrationem ex sola ratione, *C.* in ordine ad aliqualem eorumdem intelligentiam, *N.* Merito s. Doctor affirmat haud posse sola ratione demonstrari intrinsecam mysteriorum fidei nostrae veritatem, adeoque sub hoc respectu officium rationis mere *negativum* esse. Ast numquam inficiatur advocari posse scientiam ad reddenda eadem mysteria *suasibilia,* immo contrarium non semel inculcat.

ARTICULUS II.

DE ABUSU RATIONIS POST FIDEM.

224. Rationis abusus illa a nobis perversitas vocatur, qua non ratio fidei, sed fides rationi ita subjicitur, ut illa ab hac pendeat. Talis est agendi ratio protestantismi, juxta quem fides non ab auctoritate, sed ab uniuscujusque *spiritus privati*, seu rationis etiam individualis, ut vocant, examine pendet. Hoc systema protestantismi rationalistae ac mythici logice evolventes pervenerunt ad omnem supernaturalismi et christianismi proprie dicti extinctionem. Nos igitur tum protestantes *orthodoxos* nuncupatos, tum rationalistas ac mythicos adorimur, ostendentes quod admisso semel protestantismi principio, ad destructionem christianismi *logice* et *historice* perveniendum sit.

PROPOSITIO I.

Nequit humana ratio seipsam unicam fidei regulam constituere, quin fidem destruat, quae ab auctoritate necessario pendet.

225. Quamvis haereticis omnibus commune sit spiritum privatum seu rationem individualem opponere ecclesiae auctoritati, nemo tamen ex antiquioribus haereticis hanc agendi rationem in principium formale ante Lutherum erexit. Hic omnium primus proclamavit independentiam absolutam rationis individualis, ac liberum examen in negotio fidei, atque constituit hoc principium veluti notam essentialem et characteristicam protestantismi.

226. Porro principium istud eversivum plane fidei esse patet ex processu alogico in fidei negotio. Etenim quin expendat motiva credibilitatis, quae pro divinitate christianismi suppetunt ac proinde ecclesiae, ut hac constituta, assentiatur deinceps fidei objectivae ac historicae, quam ecclesia

infallibilis proponit credendam, ratio se ipsam judicem constituit ejusdem fidei, immo et regulae fidei. Nam 1°. ipsa in primis debet ex se ipsa decernere, quinam libri canonici sint ac propterea divinitus inspirati, quinam vero humanae mentis foetus; 2°. debet praeterea eorumdem sensum dogmaticum ex se ipsa decernere; 3°. debet insuper articulos singulos fidei determinare, ac immutabiliter constituere. Jam vero his omnibus et singulis decernendis ratio est impar omnino, uti suo loco ostendimus. Hinc aut nuncius remittendus necessario fidei est, aut principio fundamentali ac essentiali protestantismi.

227. Ex hoc enim principio factum est, ut mira dissensio inter protestantes vigeat circa librorum canonem, circa singulorum inspirationem, circa sensum dogmaticum, circa fidei articulos credendos. Exinde fides unice subjectiva facta est, ac propterea varia, contradictoria, mutabilis, adeo ut non solum tot diversae sententiae emerserint quot pene sunt capita quoad recensita objecta, sed idem individuum, quemadmodum et sectae eaedem sint in perpetuo transitu, non habeant nisi fidem *provisoriam*, et hodie abjiciatur tamquam falsum aut dubium, quod hesterna die uti articulus fidei credebatur. Seu quod idem est, constituto semel protestantismi principio, fides evanescat necesse est et ipsa notio fidei.

228. Duo enim requiruntur ad fidei notionem: motivum formale ex Dei revelantis auctoritate proveniens, et ecclesiae seu auctoritatis infallibilis propositio ad certo cognoscenda quae Deus revelavit; si alterutrum desit, actum est de notione fidei, praesertim ubi agitur de articulis controversis. Jam vero posterius hoc destruitur ac eliminatur ex principio essentiali protestantismi. Ergo et fides ipsa intereat necesse est.

DIFFICULTATES.

229. Obj. 1. Protestantismus suam formam religiosam jugiter servat, vigore pollet, immo et ad *parentalia magno cultui* quamprimum persolvenda se praeparat. 2. Fidem semper retinet, quam ex Bibliis depromit seu a puro verbo Dei, non autem ab humanis commentis. 3. Idque praestat interiore Spiritus S. ductu, qui se unicuique intime communicat per substantialem incarnationem, uti jam *Logos* humanam sibi naturam copulavit. 4. Certior proinde est protestans fidei suae, quam quilibet catholicus, qui nonnisi accidentalem unionem cum Deo profitetur. 5. Quin igitur destruatur christianismus per systema protestantium, magis immo solidatur. Ergo.

230. Resp. Ad 1. *D.* Servat jugiter formam suam *negativam, C. positivam, N.* Persistit scilicet in negando, et in hac negatione quotidie proficit, siquidem unam post aliam veritates omnes negavit incipiendo ab inspiratione Bibliorum usque ad Christum *historicum.* Item vigore pollet in movendis insectationibus adversus ecclesiam catholicam ubicumque potest vi; sin vero, saltem fraudibus et mendaciis. Sic etiam se praeparat ad *parentalia persolvenda* ecclesiae catholicae ad eum modum, quo jam se praeparaverunt gnostici, manichaei, ariani, iconomachi, qui e facie terrae evanuerunt.

Ita protestantismus, qui quotidie deficit, id sibi proponit; sed obstat istis, uti obstitit antiquioribus haereticis illud Christi: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, nempe petra illa firmissima in quam impingendo protestantismus conteritur.

231. Ad 2. *D.* Quo proinde fit, ut tot sint sententiae quot capita, *C.* fidem proprie dictam, *N.* Nam non aliam possunt protestantes habere fidem nisi subjectivam et *provisoriam.* Omnes haeretici eadem ratione sese gesserunt, ac propterea perierunt.

232. Ad 3. *D.* Si nonnullis fanaticis pietistis assentiendum sit, *C.* protestantibus in genere sumptis, *N.* Quis porro fanaticis ejusmodi haereticis auscultet, dum sibi pollicentur Spiritum S. sibi intime conjunctum, immo et incarnatum, illum vero negant ecclesiae universae? Singularis profecto hic Spiritus S. est, qui tot diversa immo et contraria et contradictoria docet pro diversitate individuorum. Dum hi protestantes intimam hanc Spiritus S. et substantialem praesentiam sibi vindicant, protestantes alii, qui sub eodem *pontifice* degunt, Spiritum S. denegant ipsis Bibliis et universum rejiciunt christianismum. Praeclarum sane phaenomenon, quod praebet protestantismus!

233. Ad 4. *D.* Id est, fallaciter putant se certiores esse juxta gratuitum ejusmodi systema, *C.* reipsa certiores sunt, *N.* Ex hoc ipso novum argumentum eruitur insignis varietatis protestantismi, qui olim pugnabat adversus catholicos quod inhaerentem justi animae gratiam profitebantur, dum ipse extrinsecum tantum favorem Dei admittebat; nunc accusat catholicos quod novam hanc incarnationem non admittant. Optime.

234. Ad 5. *D.* Magis solidatur protestantismus super arenam, *C.* alio sensu, *N.* Immo perpetuo defluit, et in expectatione est novi cujusdam inventi, ut iterum fluat ac mutetur. Sane nova ecclesiae evangelicae *androgynae* proponitur (anno 1844.) reformatio liturgica. Non aliam soliditatem potest protestantismus sibi polliceri, quam quae in perpetuo transitu et fluxu consistit.

PROPOSITIO II.

Si verus est protestantismus, falsus est christianismus.

235. Cum primum in scenam prodivit protestantismus, supernaturalisticus apparuit, solam Scripturam proclamans et symbola condens. Reipsa tamen non fuit nisi rationalismus pallio supernaturalistico contectus. Rationalismus constituit essentiam protestantismi, sed veluti vermis in pomo latens non illico deprehensus est, temporis tamen lapsu, pomo voraci dente corroso, apparuit tandem quod erat reapse, nempe putridum fracidumque, non prae se ferens nisi vanam christianismi larvam.

236. Sane Lutherus protestantismi architectus auctoritatem ecclesiae infallibilem rejecit, ut illi substitueret principium liberi examinis, liberae interpretationis, ac independentiae spiritus privati seu rationis individualis, quod vocant, uti supremam normam ac unicam credendorum et agendorum.

Huic systemati inhaerens se praebuit *criticum* in libris canonicis ac divinitus inspiratis admittendis aut rejiciendis; *exegetam* in tribuendo Bibliis sensum suum subjectivum; *dogmaticum* in decernendis fidei articulis credendis aut respuendis.

237. Atque ita natus et altus est protestantismus per dominationem plenam rationis in supernaturalismum. Sensim pedetentimque humana ratio supernaturalismum abjecit, et se solam in ejus locum substituit, adeoque christianismum penitus abolevit.

238. Ne vero videamur quidpiam exaggerare aut calumniari protestantismum, juverit breviter historiam ejus prosequi in triplici commemorato ordine critico, exegetico atque dogmatico, incipiendo a Luthero, in quo protestantismus personificatus, ut ita loquar, primum est, ac perveniendo usque ad postremas ejusdem phases aetate hac nostra.

239. Lutherus itaque uti criticus expunxit e canone libros omnes deuterocanonicos utriusque foederis. Vi ejusdem principii rationalismus criticus a libris deuterocanonicis ad protocanonicos progressum fecit, ac unum post alium abjecit. Pentateuchum Mosi abjudicant Hobbes, Hasse, Fulda, Nachtigal, Vater, de Wette, aliique non pauci, ut refert Rosenmüller in suis *Prolegomenis in Pentateuchum*, et aut Regum aetate, aut etiam post exilium babylonicum scriptum eum autumant; multo vero magis id affirmant de libris posterioribus. Evangelia *synoptica* Matthaei, Marci et Lucae Gfrörer nullum valorem habere asserit; Evangelia Matthaei ac Joannis istorum Apostolorum esse inficiatur Wilcke; Joannis potissime Evangelium opus esse cujusdam gnostici, aut judaeo-christiani alexandrini passim recentiores docent; Straussius denique quatuor Evangelia simul rejicit utpote post integrum saeculum conficta; et ita porro de reliquis N. T. libris dicatur. Inspirationem omnem rationalismus abjicit, librosque omnes sacros opus esse rationis se jugiter evolventis, omnigenisque erroribus adspersum autumat.

240. Prout Lutherus exegetam se gessit, in sacris libris invenit solam fidem justificantem, extinctionem liberi arbitrii per peccatum, inutilitatem bonorum operum etc. Rationalismus exegeticus progrediens eventus omnes supernaturales veluti *mythos historicos*, *poëticos*, aut *historico-poëticos* traduxit; mysteria in Scripturis reperiri negavit, sed ea habuit uti *aesthetica symbola* atque uti *praesensiones religiosas;* nempe miracula, vaticinia, mysteria sustulit omnia.

241. Demum Lutherus dogmaticum agens constituit dogmata sua, quae presse lutheranismum efficiunt, totam scilicet humanam naturam esse substantialiter vitiatam, hominem effectum ad instar trunci aut lapidis sine activitate, ac caecum omnino, gratiam liberum arbitrium cogere ad bonum, perinde ac concupiscentiam ad malum, ac ita porro; rejecit praeterea quinque sacramenta, omne externum sacerdotium etc. Rationalismus dogmaticus hoc ipsum *epurationis* opus perfecit dum Trinitatem in Deo personarum, Christi Domini divinitatem, ac proinde incarnationem, immo et resurrectionem tum Christi tum futuram nostram cum reliquis omnibus fidei

articulis prorsus ablegavit; Apostolorum doctrinam uti inutilem ac perniciosam proclamavit; Christum historicum inficiatus est. Ita rationalismi vermiculus in protestantismo latens omnia invasit, corrosit, absumpsit.

242. Ne quid tamen operi perficiendo deesset, rationalismo *vulgari* in subsidium venit rationalismus *gnosticus* seu *sapiens*. Hic Kantii, Schellingii, ac Hegelii principiis philosophicis transcendentalibus adscitis, omnem christianismum *historicum* seu *realem* ac *positivum* destruxit, ei sufficiendo religionem mere philosophicam, ex sola nempe morali atque intelligenti hominis natura depromptam. In hoc systemate christianismus non est nisi gnosticismus, qui triumphavit de judaismo; aut *judicium ideale sine omni rationabili base*, ut eum definivit de Wette. Non ita pridem (anno 1843.) supra quadringenti hegeliani protestati sunt nolle se adigi ad profitendam ullam positivam religionem, refragante ipsorum conscientia.

243. Concludamus itaque ex ipsa protestantismi essentia et constitutione oriri rationalismum, qui in ea involvitur et includitur; jam vero, uti ex demonstratis patet, rationalismus tum *vulgaris* tum *gnosticus* plane christianismum destruit; ergo si verus est protestantismus, falsus est christianismus.

DIFFICULTATES.

244. Obj. 1. Genuinus protestantismus adeo *supernaturalisticus* est, ut rationis *nihilismum* proclamaverit et a se rationalismum omnem expulerit. 2. Scopus, quem sibi protestantismus proposuit, fuit opus *epurationis* a tot abusibus ecclesiae romanae. 3. Cum hi abusus ex principio auctoritatis promanaverint, quam sibi exclusive ecclesia illa arrogaverat, ideo independentiam ac libertatem examinis in principium erexit. 4. Nec tamen ejusmodi independentia absoluta fuit, aut est; siquidem uti normam ac regulam credendorum praeter Scripturam adscivit ecclesiam trium quatuorve priorum saeculorum. 5. Si qui propterea ab hac regula desciverunt, uti increduli in protestantismo spectantur, prout etiam fit in catholicismo. 6. Discrepantia, quae interdum in libris symbolicis viguit aut viget, tota accidentalis est, nec attingit fidei substantiam. 7. Idem porro judicium ferendum est de impudente conclusione: *Si verus est protestantismus, falsus est christianismus*, ac de hac altera: *si vera est ecclesia pontificia, falsus est christianismus;* docet enim haec ecclesia idololatriam, evacuat crucem Christi, ac proinde destruit christianismum. 8. Alioquin satius esset infidelitatem absolutam profiteri quam protestantismum, quod nemo sanus dixerit. Ergo.

245. Resp. Ad 1. *D.* Protestantismus *phaenomenicus*, *Tr.* vel *C.* realis ac formalis, *N.* Quatenus *apparuit*, certe protestantismus pallio *supernaturalistico* amictus prodiit, ast vermis rationalismi latebat intus in ipsa essentia ac principio suo constitutivo. Hoc principio factum est, ut Lutherus constituerit rationem individualem uti supremam fidei historicae normam, decurtaverit symbolum, imminuerit canonem Bibliorum etc., in quo praecise consistit rationalismi ratio. Quid ad nos, si Lutherus ex una parte rationem

individualem judicem supremum fidei constituit, ex altera vero professus est *nihilismum* rationis? Turpiter sibi contradixit et dictis et factis.

246. Ad 2. *D.* Scopus protestantismi fuit *epurationis,* id est, praetextus ad cohonestandam suam perduellionem, *C.* verus scopus, *N.* Omnes antiquiores haeretici eumdem scopum praetexuerunt, sed eorum doctrinae et facta contrarium ostenderunt. Satis est legere historiam protestantismi ejusque dogmatismum expendere, ut id luce clarius appareat.

247. Ad 3. *Neg.* Siquidem abusus nullus ex principio auctoritatis infallibilis oriri potest. Abusus numquam sunt ecclesiae, sed eorum, qui in ecclesia male se gerunt, a quibus insectandis numquam ecclesia destitit. Principium porro, quod est auctoritati suffectum, id praecise est, quod vocamus christianismi totius eversivum, et rationalismum constituit, quo ratio fidei objectivae judex supremus statuitur. Quo semel posito actum de fide christiana est, uti documentis ostendimus.

248. Ad 4. *D.* Juxta principium constitutivum protestantismi, *C.* jure ac merito, *N.* Nam in hac ipsa figenda epocha ratio individualis se judicem constituit determinans quousque in ecclesia perseveraverit infallibilis auctoritas, eodem jure quo priorum saeculorum haeretici potuissent eam figere saec. primo aut saeculo apostolico, prout fecerunt insane omnes; ecclesia enim aut numquam aut semper infallibilis est.

249. Ad 5. *D.* Et immerito id faciunt protestantes, *C.* jure, *N.* et *nego* paritatem. Quo enim jure possunt protestantes uti incredulos insectari eos, qui ex principio essentiali protestantismi *liberi examinis* se gerunt, dum respuunt sive confessionem augustanam, sive aliam quamlibet? Quaevis fidei professio obligatoria supponit principium auctoritatis; ast principium auctoritatis excluditur a protestantismo, alioquin protestantismus numquam ortus esset. Adeo verum est raro homines sibi esse cohaerentes! Catholici contra aperte adversantur principio auctoritatis, dum novitates suas obtrudunt, adeoque rite damnantur.

250. Ad 6. *D.* Discrepantia in fidei symbolis accidentalis est juxta principium protestantismi, *C.* in se, *N.* Profecto semel ratione individuali suprema credendorum regula ac norma constituta, jam sponte consequitur discrepantias quaslibet non esse nisi accidentales, cum fides subjectiva evadat, possitque unusquisque a fide eliminare, quod sibi non arridet, illudque accidentale vocare; ast non ita est, spectata fide in seipsa ac in suo objecto formali seu motivo. Absurdum sane ac impium est spectare veluti accidentale id, quod Deus ut credendum revelavit. Sociniani omnia mysteria uti accidentalia spectant atque rejiciunt.

251. Ad 7. *Nego* paritatem. In propositione protestantium jam debet assumi quod ratio individualis sit fidei norma, alioquin cultum sanctorum, eva cuationem crucis aliaque ejusmodi objicere non possent; sociniani ex eodem principio idololatriae arguunt protestantes, qui Christum uti Deum adorant, sacramentarii quod admittant realem Christi praesentiam in Eucharistia, et ita porro.

252. Ad 8. *Nego* sequelam, tum quia melius est saltem christianismi larvam gerere, quam hanc quoque exuere; tum quia plures saltem e rudiori plebe homines, quibus protestantes gnostici relinquunt adhuc christianismum historicum, laborant ignorantia invincibili, adeoque spiritu saltem ad ecclesiam catholicam spectant; tum quia melius est aliquam religionem profiteri quam nullam.

SECTIO II.

DE METHODOLOGIA.

253. Theologiae fontibus hactenus constitutis ac vindicatis, superest, ut de eorum agamus applicatione, seu de ratione qua theologus in usum suum illos deducere possit. Ad hoc porro rite explendum tria spectari debent: *munus, methodus, instrumenta.* Ex munere siquidem facile intelliget, qua potissimum methodo uti debeat; ex munere ac methodo, quaenam instrumenta ipsi opus sint ad finem suum obtinendum. In tria proinde capita sectionem hanc partiemur, in quibus soluta methodo de singulis recensitis agemus.

CAPUT I.

DE THEOLOGI MUNERE.

254. Triplex potest distingui theologi munus, scilicet *dogmaticum*, *speculativum* et *polemicum*. *Dogmaticum* illud est, quo theologus catholicae fidei dogmata rite exponit, propriisque firmat argumentis, ac legitimas exinde eruit conclusiones. *Speculativum* illud censetur, quo idem intimius fidem historicam rimatur; penetrat, quantum humanae imbecillitati datum est, illius recessus; nexum ostendit, ac illustrat. *Polemicum* denique illud munus dicitur, quo theologus fidei dogmata ab adversariorum oppugnationibus defendit, ac in opiniones, quae fidei depositum quoquomodo labefactare videntur, insurgit. Ut plurimum tria haec munera theologus una simul explet.

255. Quanam ratione se gerere debeat theologus, cum munus sustinet dogmatici aut speculativi doctoris, satis ex iis liquet, quae cap. 3. superioris sectionis diximus. Quomodo se gerere debeat, cum partes polemici sustinet, hic exponemus; diversam siquidem rationem pro diversa adversariorum natura ac indole sectetur oportet; aliam nempe cum infideles, haereticos aut schismaticos adoritur, aliam vero cum catholicos perstringit neotericos ac neologos.

256. I. Si cum infidelibus ei res sit, qui paganismum profitentur, praesto theologo esse debent motiva credibilitatis, quibus eis existentiam divinae revelationis ostendat, nec non existentiam ecclesiae: quod si judaei sint, cum quibus congredi theologus debet, depromet ex V. T. libris et vaticiniis in illis contentis, quae Messiae promissionem, expectationem,

epochas, munia praedicunt, eaque conferre cum N. T. libris ac historia sataget, ut ea adimpleta in Christo Jesu fuisse patefaciat.

257. II. Cum haereticis autem dimicanti, attendendum theologo est, utrum ante aut post latam ab ecclesia definitionem id fiat. Si enim antequam edita ab ecclesia sit definitio eos impugnat, natura inspicienda ei est errorum, contra quos insurgit. Quandoquidem si adversa fronte eos viderit cum doctrina, quae ab universa ecclesia uti fidei habetur, pugnare, satis ei erit nova ejusmodi inventa cum ecclesiae doctrina comparare, ut illico haeretica illa esse deprehendat. Ita factum est cum Ario, dum Verbi divinitatem nebulo ille inficiari ausus est, etiam ante concilii nicaeni celebrationem; ita aetate hac nostra cum socinianis, qui Trinitatem divinarum personarum aliaque fidei catholicae mysteria impugnare aggressi sunt, absque ulla concilii definitione. Sin vero haeresis manifesta adeo non sit, sed in quadam obscuritate veritas delitescat, prout s. Cypriani aetate contigit circa quaestionem de Baptismi valore ab haereticis collati, magna tunc sedulitate theologo opus est in conquirendis Scripturarum ac traditionis documentis, ut exinde veram germanamque ecclesiae doctrinam eruat eamque profanis opponat novitatibus. Theologi tamen non est praevenire ecclesiae judicium, cum partes ipsius non sint nisi privati doctoris, qui subsidio esse episcopis debet, legitimis fidei una cum rom. pontifice judicibus.

258. III. Aleae autem plena est discussio, quam cum catholicis theologus suscipit. Interim in controversiis, quae inter catholicos ipsos agitantur, duae classes distingui debent: sunt primo videlicet illae, quas recte domesticas appellaveris, quae fidem non attingunt, cujusmodi sunt, quae non ita pridem in scholis magna animorum contentione agitabantur, nunc vero in silentio jacent, e. gr. de scientia Dei, de praedestinationis ordine, de gratiae natura aliisque ejusmodi. Cum de his ecclesia, post tot concertationes, judicium suum definitivum non emiserit, pacis et caritatis amore, temporisque usura satius erit unicuique scholae suis placitis pacifice adhaerere. Sunt praeterea illae quae catholicam doctrinam proxime attingunt, cujusmodi e. gr. essent, quae voluntatem Dei salvandi omnes, mortem Christi pro omnibus, gratiae distributionem etc. afficiunt, quae vix aut nullatenus secernuntur ab erroneis jansenistarum placitis. In his operam theologus navabit ad sinceram doctrinam propugnandam. Id ipsum potiori jure dicatur de nonnullis neotericorum aut neologorum doctrinis, quae catholicam doctrinam labefactant, ac sub novarum formularum pallio erroneos conceptus obtrudunt. Cavendum tamen in his theologo est, ne censura aliqua, quas oppugnat sententias, notet. Hoc enim muneris ejus non est, sed ecclesiae seu rom. pontificis. Poterit tamen indicare, qua sibi censura videatur doctrina aliqua inurenda.

259. Pacificatoris interdum officium obire theologus poterit, non quidem veritatis dispendio aut transactionis cujusdam specie, quod in ejus potestate non est, sed adversarios ad concordiam revocando, argumenta afferendo, quae rem illustrent, viamque compositionis ostendendo. Qui huic paci

conciliandae incumbunt, *irenici* dicti sunt, eorumque theologia *irenica* aut etiam *henotica* sive *unitiva* nuncupata.

CAPUT II.

DE METHODO.

260. Methodus scientifica, seu recta et ordinata rei tractatio, quae veritati tuto detegendae ac rite tradendae ac demonstrandae inservit, bifariam distinguitur: *analytica* et *synthetica*. *Analytica* ea est, quae a particulari ad universale, a composito ad simplex, ex partium resolutione singularumque investigatione procedit, ut ad incognitae latentisque veritatis notitiam quasi tentando perveniat. *Synthetica* ea dicitur, quae inverso ordine ab universali ad particulare, a simplici ad compositum, de una in aliam veritatem mutuo nexu cum illa conjunctam quasi componendo assurgit, nec tam veritatem inquirit, quam jam exploratam caeteris tradit ac ostendit. Hinc methodus analytica ut methodus *inventionis*, synthetica autem uti methodus *demonstrationis* spectatur.

261. Theologiam, quae non modo scientia est, verum etiam scientiarum omnium prima, utpote quae principia sua immediate a divina revelatione habet, *methodice*, seu *systematice*, ut alii loquuntur, tractandam esse nemo sanus in dubium revocaverit. Verum disceptatio inter recentiores potissime exorta est, num analytica, an vero synthetica methodus aptior sit theologiae uberiori cum fructu tractandae atque tradendae. Nonnulli siquidem contendunt aetate hac nostra theologiam in tenebris versari atque sordescere, nisi ad analysin revocetur, nec alia ratione consuli posse scientiae theologicae firmitati, inter quos eminet Hermesius.

262. Ut huic disceptationi lux afferatur, theologiam *dogmaticam* presse sumptam secernamus in primis oportet ab illa theologiae parte, quae *praeparatoria, praeambula*, aut etiam *generalis* jam nuncupatur; quae nempe in constituendis vindicandisque principiis ac fundamentis theologiae propriis versatur, cujusmodi sunt existentia divinae revelationis, verae ecclesiae natura et auctoritas. Scriptura item atque divina traditio.

263. Jam vero si de theologia dogmatica sermo sit, vix dubium esse potest, quin illi tractandae tradendaeque aptior sit methodus synthetica seu demonstrativa, eaque sit omnino tenenda. Id enim postulat ipsius dogmaticae theologiae indoles ac ratio. In hac enim non agitur de inveniendis fidei dogmatibus, sed de divinitus revelatis et ab ecclesia ad credendum propositis exponendis, illustrandis, demonstrandis, vindicandis per theologiae fontes ac fidei regulas remotas, cujusmodi esse diximus Scripturam ac traditionem.

264. Quae quidem majus robur accipiunt ex ingentibus commodis, quae ex methodo synthetica proveniunt. Ex ea enim fit, ut cum universim, quae tractanda sunt, comperta supponantur, scientifica methodo ac ordine melius disponi possent, mutuus veritatum nexus ostendi, praeviae notiones

accuratius praemitti, propriisque argumentis firmari ac demonstrari, et hac ratione perspicuitati ac soliditati consuli.

265. His si comparentur incommoda, eaque gravissima, quae ex methodo analytica dimanant, omne dubium prorsus evanescit de eo, quod affirmamus. Nam cum methodus analytica in inquisitione versetur, fieri in primis nequit ut materia rite disponatur, veritatum nexus ac dependentia constituatur. Deinde opus esset juxta hanc methodum inquirere quidnam revelatio doceat, idque in suas partes ac relationes distribuere; circa quodlibet objectum sic distributum novae inquisitiones essent faciendae, expendendae rationes ex propriis revelationis fontibus, sive quae pro parte affirmativa, sive quae pro negante stare videntur; difficultates forent superandae omnes, quae aut ex revelatione ipsa aut ex ratione urgeri possent, ut demum tuto quidpiam decernatur. Quis porro non videat, quot ambagibus ex adeo perplexa ac multiplici inquisitione, quot erroribus aditus aperiatur? Sane luctuosa Abaelardi ac Hermesii exempla quid ex ea methodo expectandum demum sit, nimis luculenter patefecerunt.

266. Quae cum ita se habeant, jure merito inferimus methodum *syntheticam* seu *demonstrativam* in catholicis scholis theologo dogmatico adhibendam omnino esse. Huic insistens nihil antiquius habebit quam, cum pervenerit ad singulas veritates evincendas, ut quaestionis statum prius accurate aperiat ac determinet, praenotiones tradat, veritatem catholicam a quaestionibus adscititiis secernat, patefaciendo quodnam sit demonstrationis objectum. Praemissa hac ratione sive ecclesiae sive rom. pontificis definitione, aut generatim quavis ecclesiae doctrina tamquam thesi, eam adstruet, fulcietque argumentis, quae theologiae propria sunt ex fontibus scilicet revelationis, ecclesiae doctrinae, caeterorumque pro opportunitate ac substrata materia; eademque ratione disjiciet, quae ab adversariis objici solent adversus adsertam veritatem. Haec methodus simplicitate sua se commendat, inservitque claritati et ordini, atque ad juvenes informandos aptissima est.

267. Verum non solum quoad partem dogmaticam, sed etiam quoad illam theologiae partem, quam *praeparatoriam* ac *generalem* nuncupavimus, longe aptiorem esse syntheticam methodum existimamus. Id enim suadent rationes modo allatae, quae petitae sunt tum ex commodis tum ex incommodis respective quae stant pro utraque methodo. Praesertim cum neque hac in parte agatur de inquisitione veritatum, quae nobis incompertae sint, sed de constituendis firmandisque principiis nobis notis, ac ideo praemittuntur theologiae dogmaticae, ut ordini *genetico* inserviatur, quae proinde pariter demonstranda sunt.

268. Et hoc licet agatur adversus incredulos, qui omnem respuunt revelationem. Si enim scepticos *theoreticos* excipias, de quibus adhuc disceptatur, num reipsa dentur, ac si de facto existerent, inutilis plane cum ejusmodi hominibus quaelibet evaderet disceptatio; caeteri porro omnes conveniunt in nonnullis principiis admittendis. His igitur arreptis poterit theologus adversarios urgere, ita ut continenti propositionum serie ad unam post

alteram admittendam veritatem cogat, donec pervenerit ad constabiliendam revelationis divinae existentiam, ejusque depositariam et custodem infallibilem, ecclesiam, atque his constitutis, ad dogmata singula profitenda perducat, prout ab ecclesia traduntur. In his initium sumet a regulis fidei remotis, Scriptura ac traditione, quas ecclesia ut divinas semper habuit; progredietur deinceps ad dogmaticam earumdem interpretationem, ac proinde ad universam fidem objectivam veritatum omnium, quas Deus hominibus patefecit.

269. Quamvis porro quod attinet ad universum scientificum systema methodum syntheticam praeferamus, non idcirco in omnibus methodum analyticam negligendam esse ducimus. Hanc enim cum successu adscisci, et adhiberi in ea theologiae parte, quam *speculativam* vocamus, posse censemus, quae nempe versatur circa mysteria, ut suasibilia fiant. In his siquidem, prout imbecillitati nostrae datum est, ratio intimius penetrat, eaque scrutatur atque intelligibilia efficere adnititur. Adhiberi praeterea rite eadem methodus poterit in convellendis adversariorum difficultatibus; per accuratam enim illarum analysin, in propatulo earumdem imbecillitas ac vanitas ponetur. Tantum igitur abest, ut nosmet hostes methodi analyticae exhibeamus, ut eam potius in peculiaribus tractationibus commendemus; ast quod spectat ad scientiam in sua integritate tradendam, sive quoad partem dogmaticam, sive quoad partem generalem et praeparatoriam, minus aptam esse analyticam methodum prae synthetica sive demonstrativa pro certo habemus.

270. Et haec quidem de methodo; nunc coronidis gratia nonnulla adjicienda sunt circa linguam, in qua tractationes theologicas exarare praestat. Praemittimus porro nonnullas disceptationes esse sive *apologeticas,* sive *polemicas, historicas* item ac *criticas,* quae uberiori cum fructu lingua vulgari eduntur, quandoquidem id suadent, immo postulant peculiaria rerum adjuncta. Verum peculiaribus hisce casibus exceptis, plures eaeque graves rationes omnino suadent latinae linguae usum, cum agitur de universo theologico systemate tradendo, juvenibusque in theologicis disciplinis informandis.

271. Etenim 1°. latina lingua, utpote constanti tot saeculorum usu in ecclesia adscita ac *liturgica* effecta, prae ceteris aptior videtur ad sacras tradendas disciplinas, quae ecclesiae ejusdem doctrinam fideique depositum illustrant ac vindicant; 2°. necessitas linguae cujusdam universalis ut ecclesiae universalis ministri ad universalem pariter usum proprios labores litterarios, speculationes ac lumina conferant, talis autem est latina lingua; 3°. documenta antiquitatis ecclesiasticae, quae aut hac lingua scripta sunt aut saltem in eam conversa et a pluribus saeculis usu trita atque probata; 4°. linguae tam necessariae ecclesiastico coetui neglectus aut jactura, quae ex adscitis linguis vernaculis a catholicis scholis, suapte natura oriretur, magno cum clericalis status dedecore; 5°. denique hujusce linguae usus, qui obtinet in apostolica Sede, cum qua communicare debent totius orbis catholici, quo fit ut clero potissime latina lingua familiaris esse oporteat.

272. Praeter has aliasque his affines causas, quae urgeri possent, illam potissime urgemus, quae ex detrimento petitur ac saltem periculo, quod

instaret, ne per linguas vernaculas laederentur conceptus, latinis formulis determinati in fidei dogmatibus. Cuilibet compertum est ex severitate ejusmodi formularum magna ex parte genuinos fidei objectivae conceptus pendere, qui, cum ecclesiae ipsius usu determinati ac consecrati sint, non absque ingenti periculo negligerentur. Jam vero vernacula idiomata ut plurimum vaga, mutabilia, ac incongrua sunt ad illos conceptus exprimendos, et ex omissione aut adjectione unius voculae minus aptae, aut cujusdam articuli, illico idem sensus non retinetur, ac immutaretur facili ratione ab iis praesertim, qui novitatibus student, ut patet ex tot Scripturarum versionibus, quae ab haereticis aut neotericis adornatae sunt. Eo vero facilius instat periculum aetate hac nostra, in qua tot philosophica systemata prodierunt, quibus facillimum est, ut dum scientiae theologicae applicantur, ob affinitatem, quam prae se ferunt cum rebus fidei, dumque in subsidium vocantur ad propria sensa significanda, veri theologici conceptus corrumpantur ope neologismi philosophici. Quod et experientia reipsa contigisse novimus, dum nonnulli quamvis docti, qui theologicas res lingua vernacula tractare sibi proposuerunt, imbuti prout erant neotericae philosophiae placitis, aestuque imaginationis abrepti, nec satis a neologismo abhorrentes, sic tractationes suas perturbarunt, ut aegre omnino sanam omni ex parte doctrinam in illis reperias. Illud demum accedit, quod non expediat vernacula lingua proferre tractationes theologicas, ne vulgo imperito innotescant, quae in controversiam veniunt, et documentum exinde capiat, prout luctuosa experientia non semel comperimus contigisse. Dum vero haec dicimus, haudquaquam nobis in animo est quemquam suggillare et carpere, sed communi utilitati prospicere.

CAPUT III.

DE INSTRUMENTIS SEU DE MEDIIS, QUAE THEOLOGO USUI ESSE POSSUNT.

273. *Media,* quae usui theologis esse possunt, quaeque *instrumenta* vocavimus, quia rei conficiendae inserviunt, distinguuntur in *intrinseca* et in *extrinseca* sive subsidiaria. Intrinseca ac theologiae propria sunt Scriptura et traditio, regulae fidei remotae cum iis omnibus, quae cum illis connectuntur. Cum de his, prout constituunt fontes seu locos theologicos, satis disseruerimus, nunc eas spectamus in ordine ad cognitionem, quam sibi de illis theologus comparare debet. Quo sensu Scriptura complectitur criticam, exegesim, hermeneuticam, linguisticam, archaeologiam; traditio vero historiam dogmatum, monumenta ecclesiastica, patristicam una cum reliquis suo loco expositis.

274. Dum vero *historiam dogmatum* commemoramus, non eo sensu eam accipimus, quo protestantes, praecipue vero rationalistae usurpare solent; cum non alia dogmatibus origo assignari possit praeter divinam revelationem. Significamus itaque originem impugnationis uniuscujusque dogmatis: a quibus scilicet, quo obtentu, quibus argumentis, quomodo error propagatus fuerit,

quas vices subierit, quando dogma ab ecclesia definitum sit, quinam praecipui fuerint doctrinae catholicae propugnatores, quibusque potissimum usi sint argumentis. Haec enim plurimum conferunt tum ad penitiorem cujusque dogmatis cognitionem, tum ad facilius posteriores haereticos refellendos, qui consueverunt antiquatos errores denuo excitare.

275. Idem dic de *patristica*, quatenus hac voce significatur historia critica singulorum Patrum, biographia, opera edita suo ordine digesta, discretio inter opera genuina ac spuria et interpolata, praecipuaeque illorum editiones. A patristica distingui solet *patrologia*, cujus munus est intimius in Patrum doctrinam penetrare, opiniones expendere sive theologicas sive philosophicas, quae singulorum aetate magis praevalebant; aliaque ejusmodi praestare, quae nemo inficias iverit valde conferre ad germanam Patrum doctrinam cognoscendam, ad assequendam illorum mentem in textibus illis, quibus adversarii abuti solent adversus catholicam veritatem, ad vitandam turpem hallucinationem in afferendis testimoniis spuriis pro genuinis. Lucem his praebent prolegomena ac dissertationes, quibus recentiores editores illorum opera adornarunt.

276. Non minus juvabit theologum penitior cognitio historiae criticae, theologiae scholasticae, opinionum, aut systematum, quae diversa aetate invaluerunt, quibusque auctores singillatim addicti erant, eorumdem vicissitudines, aliorumque ejusmodi, quae pariter magno usui esse poterunt ad rite judicandum de opinionibus, quae etiam nunc temporis vigent.

277. Quod vero attinet ad instrumenta extrinseca seu adscititia, tot ea sunt, quot scientiae ac bonae artes. Vix ulla est, quae theologo inservire non possit tum ad sua propugnanda, tum potissime ad hostium fidei impetus retundendos. Cum enim his omnibus illi abusi turpiter sint, ex iisdem theologus pharmaca eruat necesse est, unde increduli et haeretici venena expresserunt.

278. Sane in harum praelectionum decursu videre licet, aevi nostri increduli et acatholici quantopere abusi sint dialectica, metaphysica, psychologia, physica, mathesi, astronomia, geologia, physiologia, therapeutica, philologia, sculptura, pictura, poësi, archaeologia, historia, politica, utroque jure civili et ecclesiastico, quoties sese illis obtulit occasio impugnandi aut catholica dogmata, aut ecclesiastica jura, ac disciplinam. Necesse porro non est, ut memoratis disciplinis omnibus apprime instructus theologus sit, cum id nemini detur; ast saltem cognoscat oportet probatiores auctores in singulis recensitis, eos consulat atque opponat fidei adversariis. Quo vero magis recentiores sunt, eo magis erunt idonei, tum quia scientiae magis semper ac magis progrediuntur, tum quia aptiores erunt ad novas technas dissipandas. Quas enim difficultates scientiae in sua infantia procrearunt, adultae effectae eas dissolvunt. Hac ratione etiam efficiet, ut se suamque disciplinam a probrosa illa vindicet reprehensione, quod theologia *stationaria* sit, ac progressus sit incapax ulterioris. Quamvis enim scientia nostra quoad suum objectum, utpote ipsi divinitus datum, nequeat progredi; quod spectat tamen

ad rationem illud demonstrandi, evolvendi, illustrandi, disjiciendique adversariorum difficultates, ut alia quaelibet disciplina, progressus ac perfectibilitatis ulterioris theologia semper capax est, ita tamen ut, juxta illud Lirinensis effatum, dum dicis *nove* non dicas *nova*.

279. Cum ea praeterea vivamus aetate, in qua ingens est collectionum periodicarum ac ephemeridum usus, quae spectari possunt uti publica scientiarum opinionumque vehicula, non sine detrimento ea penitus negligere theologus poterit; earum enim ope cognoscet jugiter praesentem controversiarum statum, sicque facilius valebit de statione in stationem errorem dejicere donec contritus ac dissipatus conticescat suique pudeat.

280. His omnibus tum internis tum externis subsidiis munitus poterit theologus in aciem tutus prodire, quin ullos formidet adversarios veritatis, qui magni quidem interdum dicuntur ac videntur, at si intimius perspiciantur, quales reipsa sunt, detegentur exigui nulliusque valoris, quique in caeteris sapientes ac docti, in religionis vero negotio caeci et noctuae sunt.

281. Ecquis enim vel leviter considerans duplex quod sese jugiter offert spectaculum, non videat discrimen ingens inter protestantismum atque catholicismum interpositum? Protestantismus siquidem in sua natura totus rationalisticus est, scepticus in sua professione religiosa, inconstans in symbolis suis, absurdus in suis dogmatibus, divisus in se ipso, servus in sua dependentia a civili potestate, quae ex arbitrio immutat, effingit, refundit ut ipsi placuerit subditorum religionem ac nomen, sine centro, sine vi, sine actione, sine fecunditate. E contra vero catholicismus ab apostolis et originem repetit, et successionem suorum pontificum; Scripturam et traditionem divinam innumeris septam documentis in sua integritate jugiter servat; centrum habet, ad quod universus christianus orbis refertur, ab eoque regitur; independens in cultu suo a quavis politica potestate viget, unus ac indissolubilis, fecundus in sanctitate, et christiani nominis propagatione, novas semper in dies exerit vires, oppressus ubique semperque triumphans. Fieri profecto nequit, ut quispiam anticipatis judiciis vacuus haec spectans, illico non videat protestantismum humanum plane inventum esse, quod ubique dissolvitur, catholicismum vero divinum, cujus veritas manet in aeternum.

TRACTATUS

DE DEO UNO.

PROOEMIUM.

1. Adsertis theologiae fontibus et regulis constitutis, ad quas omnis est theologica inquisitio exigenda, ad singulas ejusdem theologiae partes investigandas accedimus. Atque ut inde exordium sumat tractatio, unde et nomen mutuata est scientia nostra, ante omnia de Deo est ejusque attributis disserendum. Verum ut de altissimis rebus agentes ea, qua par est, perspicuitate progrediamur, tractatum quadrifariam dividere visum est. In prima enim parte de Dei existentia, unitate, essentia atque attributis generatim, in secunda de praecipuis singillatim attributis tum positivis tum negativis, in tertia de intelligentia ac voluntate, in postrema de providentia, praedestinatione ac reprobatione agere constituimus.

PARS PRIMA.

DE DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS GENERATIM.

2. Dei nomine significamus ens, quo nihil melius esse aut cogitari potest. De supremo hoc ente Deo quaeritur, utrum sit seu existat; deinde utrum unus sit an multiplex; demum quae ejus essentia, quae dotes et proprietates.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

3. Qui Dei existentiam inficiantur, athei aut atheistae audiunt. Hi distinguuntur in *practicos* et *theoreticos*. Athei enim practici dicuntur ii, qui ita se gerunt, ac si Deus nullus existeret; theoretici seu speculativi, qui praeterea scientifice adnituntur sibi et aliis persuadere Deum non existere; hi etiam athei *positivi* nuncupantur ad illorum discrimen, qui vocantur *negativi*, quatenus invincibili ignorantia laborant circa Dei existentiam. Non desunt, nec forsan immerito, qui negent dari vere atheos positivos ac negativos, saltem ad longum tempus.

4. Quidquid porro de hoc sit, ex illis, qui in divinitatem insurgunt, alii directe et aperta fronte id efficiunt, hinc athei *directi* vulgo dicuntur; alii vero indirecte, ac larvata et subdola quadam ratione idipsum pertentant, ideoque athei *indirecti* appellantur. Non una autem est via quam athei isti larvati iniverunt ad propositum sibi finem assequendum; alii enim rejecerunt probationes omnes, quae communi hactenus consensu allatae sunt ad Dei existentiam evincendam, ac in solis mathematicis veram dari demonstrationem posse docuerunt; alii Dei ideam totam esse *subjectivam* effutierunt, cui nempe reale objectum vel non respondeat, vel si respondeat, id saltem nequeat sciri. Alii Deum *ontologice* ex ipso *subjecto*, humano scilicet animo, veluti prodeuntem confingunt; alii cum homine ac rerum omnium universitate *pantheistice* confundunt. Alii ad abstractissimum quoddam *esse* seu *ideam* relegant. Haec revera est tristissima neo-germanicae praesertim philosophiae historia, in qua Deus, dum veluti *ens absolutum* verbis praedicatur ubique, revera uti ens fictitium habetur. Si Kantium, scholae hujus *transcendentalis* parentem, audias in *Critica rationis purae*, cum sub experientiam cadere nequaquam Deus possit, sed eam omnino transcendat, rationi *theoreticae noumenon* est, de quo nil scire, nil demonstrare potest, aliquid problematicum, purum X; sed quem tamen ratio *practica*, id est, moralis, ob morales fines suos cogitur supponere ut *postulatum*. Si Fichteo auscultes in opere quod inscripsit: *Destinatio hominis*, prius *Ego purum*, id est nostrum *Ego*, a quavis phaenomenica seu sensibili experientia abstractum *ontologice* ponendum est, quod libero suae voluntatis actu ponit seu creat *seipsum*, scilicet *Ego nostrum phaenomenicum* ac *sensibile*, dein *objectum* seu mundum externum, demum *ens absolutum* seu Deum ipsum, qui porro humana veluti creatio est, sic ut verum *absolutum* ac infinitum non sit nisi humanum *Ego*. Alibi de Schellingio ac Hegelio locuti sumus: quorum alter *subjectum* et *objectum*, cogitationem scilicet hominis ac naturam physicam identificat cum Deo, sic ut inde *Absolutum* duplici velut elemento coalescat, ac duplici progressione, spiritus nempe ac naturae, se evolvat; alter vero Deum in summo humanae abstractionis fastigio constituit, in abstractissima omnium idea, quae logice se evolvens per trinum perpetuum processum, *thesin* qua se ponit, *antithesin*

qua se decomponit ac dividit, seu potius se sibi opponit, et *synthesin*, qua in se regrediens, se iterum sed novo semper ac ampliori incremento componit, omnia efformat, rerum essentias, naturam ac spiritum, atque ita se complet. Sansimonianis, quos vocant, quid aliud Deus revera est nisi humanitas ipsa se jugiter in societate ac per societatem indefinito progressu perficiens? Haud loquemur de neo-eclectismo gallico, in quo eadem neo-germanicae philosophiae deliramenta, licet interdum verbis emollita, satis se produnt.

5. Ut huic *rationalismo absoluto* ac *transcendentalismo* sese opponerent efficacius, in aliud extremum nonnulli dilapsi sunt, autumantes nullam dari demonstrationem posse aut debere Dei existentiae, utpote quae a sola fide pendeat, nobisque innotescat, atque unice innotescere queat aut traditione, aut totius generis humani auctoritate et consensu: quos jam in superiori tractatu refellimus. [1]

6. Quum porro Deum esse demonstrare aggredimur, argumentis sive metaphysicis, sive physico-theologicis, sive moralibus in id intendere debemus, ut adstruamus existentiam Dei, qui per se et a se existat, realis ac distinctus a caeteris entibus omnibus, quae nonnisi ab eo existentiam habuerunt. Deum siquidem omnes, quos atheos *indirectos* vocavimus, admittere prae se ferunt, ac si placet in atheismum insurgunt; sed ut liquet ex perlevi adumbratione systematum, quae recensuimus, reipsa tollunt.

7. Praemonemus demum nos heic ex philosophicis supponere *realismum*, quem vocant, tum *subjectivum*, tum *objectivum;* realitatem scilicet nostri *Ego* ejusque activitatis, realemque mundi externi existentiam; nec non principium *causae*, vera ad probandum *vi objectiva* pollens. Quamquam vero plures sive a philosophis sive a theologis exhibitae fuerint Dei demonstrationes, nos eas seligemus, quae solidiores sunt et communi calculo probatae, prout instituti nostri postulat ratio.

PROPOSITIO.

Deus existit.

8. Tribus argumentis hujus propositionis veritatem evincimus, metaphysico, physico-theologico ac morali.

9. Atque ad primum quidem quod spectat, sic incedimus: Mundus et quidquid in mundo est, finitum est, mutabile, ac plane contingens, seu non habens rationem suimet ipsius existentiae in se et ex se. Sane hoc universum constat ex partibus; quidquid porro partibus constat, esse infinitum non potest, alioquin simul finitum esset ac infinitum, aut infinitum ex partibus finitis coalesceret, quod repugnat; mutationi et quidem jugi hoc item universum obnoxium esse nemo est quin videat et experiatur; atque ex his jam constat pariter rerum hanc universitatem haud esse necessariam sed

[1]) Part. III. sect. I. et II.

plane contingentem, quatenus absolute potuit esse et non esse. Nulla profecto intrinseca invenitur repugnantia in eo, quod concipiatur mundum, aut singulas ejus partes non existere. Jam vero quidquid finitum est, mutabile atque contingens seu non habens in se rationem suimet ipsius existentiae, quodque proinde per se indifferens est ad esse aut non esse, id ab alio determinari debuit ad esse, seu ab alio habet rationem et causam existendi; secus enim *effectus* dari sine *causa* posset, ac *esse* conjungi simul posset cum *non esse*, quod implicat. Sed ens, quod supremam rationem existentiae entium contingentium habet in se, eorumque causa est, extra ordinem illorum omnino sit oportet, seu *simpliciter necessarium:* nam si contingens esset et ipsum, jam eadem semper urgeret ratio, et sic in infinitum. Existit ergo ens simpliciter *necessarium:* quod proinde omnino *improductum* sive *a se* debet esse, rationem existentiae suae continens in se ipso, seu ipsa vi et necessitate naturae suae determinatum ad esse, simpliciter *primum*, atque *aeternum*. Haec enim omnia *logice* atque *ontologice* simul conjuncta necessario esse patet. Atqui causa haec *suprema, necessaria, improducta, aeterna* ea est, quam vocamus Deum.

10. Ex hoc porro metaphysico Dei existentis conceptu veluti ente necessario atque improducto tum ejus infinitas, tum intelligentia ac libertas, tum omnipotentia necessario ac evidenti nexu colliguntur, ac Deum veluti ens omni perfectionis genere cumulatissimum et tamquam essendi plenitudinem existere evincitur. Quae sane demonstratio plane apodictica est, ac principiis immediatae evidentiae, nempe contradictionis ac identitatis innixa. Ea passim ecclesiae Patres usi sunt adversus atheos quoscumque, praesertim vero s. Augustinus [2], ac s. Joannes damascenus. [3]

11. Hoc praestituto fundamento ad alterum jam progredimur argumentum, quo supremi Numinis existentia adstruitur, nempe ad *physico-theologicum*. Ordo seu rerum parium dispariumque suo cujusque loco dispositio atque idonea ad fines tum proprios rei uniuscujusque, tum generales, tum etiam ad finem omnium generalissimum ordinatio in suo conceptu ordinatorem involvit; et quo perfectior ejusmodi ordo est, ac in sua multiplicitate simplicior elucet, eo etiam ordinatorem arguit sapientiorem. Jam vero quo magis homines rerum hanc universitatem inspiciunt, rimantur, contemplantur: quo major fit in scientiis naturalibus progressus: quo melius leges, quibus physicus hic mundus regitur, dignoscuntur: quo intimius naturae secreta penetrantur: quo penitius objecta singula tum magna tum parva considerantur cum relationibus, quas inter se habent et cum mole rerum universa, totumque simul spectatur coeli terraeque systema; eo luculentius patescit admirabilis ordo ille, qui ex partium inter se consensione, ex proportione mediorum ad finem, ex legum physicarum simplicitate et constantia, ex causarum finalium subordinatione, et universa rerum harmonia resultat: tanto ergo excelsior sublimiorque ordinatoris deprehenditur sapientia. Hic porro

[2]) *De civ. Dei*, lib. VII. cap. 5.

[3]) *De orthod. fide*, lib. I. cap. 3.

summe sapiens ac potens, immo et summe bonus summeque beneficus ordinator est, quem Deum nuncupamus. Deum proinde existere universa natura testatur. Hoc argumentum est, ad quod divina eloquia identidem provocant homines, quodque summi ingenii viri quovis tempore excoluerunt, atque hac potissimum aetate, qua naturae studium maxime exarsit. Exinde enim multiplices illae naturales theologiae prodierunt, *aquae*, *anatomiae*, *astronomiae*, *physicae*, *insectorum*, *testaceorum*, *fossilium* etc., quibus praeclari auctores sibi proposuerunt Dei existentiam et sapientiam evincere ex singulis naturae mirabilibus, quae in objectis illis elucent.

12. Tertium exinde efflorescit argumentum, quod ex communi hominum consensu eruitur ac *morale* audit. Universum siquidem hominum genus in aliqua divinitate admittenda consensit quavis aetate. Gentes enim omnes utut barbarae ac efferatae, praeter excultas ac bene moratas, hanc thesim professae sunt ac profitentur unanimi consensione, uti increduli ipsi demum fassi sunt. Ejusmodi porro consensus veluti *effectus* spectandus est, cui causa assignari debet; jam vero effectus hujus constantis, jugis, universalis, perpetui nulla alia statui causa potest ac debet, quam quae huic producendo par sit atque idonea, nempe aut originalis ac primaeva traditio, aut inclinatio ac dictamen ipsius intelligentis naturae, aut verius etiam utraque simul. Quaecumque autem ejusmodi causa assignetur, in idem recidimus, quod Dei scilicet existentia ex communi hominum consensu admitti ut exploratissima atque firmissima veritas debeat juxta Tullianum illud effatum [4]: *De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.*

13. Triplicis vero hujus argumenti elementa ac veluti germina in quovis homine, lumine rationis utente, se produnt atque adolescunt, quodque consequens est, nequit homo esse atheus, quin semetipsum deneget. Etenim nisi Deum veluti causam primam sui agnoscat homo, nequit amplius sibi reddere rationem suimetipsius existentiae. Cum praeterea ipse sit quidam, ut ita dicam, *microcosmos*, in quo mira elucet divina sapientia tum quoad *organismum*, ut vocant, tum praecipue quoad animum, qui se ad verum et bonum absolutum ordinatum intelligit, experitur ac sentit, quique si bene egerit operationesque ad recti honestique exegerit normam, quam veluti insculptam in se habet, quiescit ac laetatur; secus vero, si deflexerit ab ea, angores ac remorsus patitur, fieri non potest ut ordinatorem physicum atque moralem, eumque sapientissimum et sanctissimum non percipiat, deprehendatque. Cum denique sensum religiosum, impulsum ac propensionem vehementem ad Deum admittendum experiamur, luculenter liquet quod proposuimus, hominem scilicet tria in se complecti argumenta, quibus Dei existentia potissime adstruitur.

14. Cum adversus singula argumenta, quae hactenus constituimus, soleant difficultates proferri, eas confusionis vitandae causa in tres classes dividimus.

[4]) *De nat. deorum*, lib. I. cap. 17.

DIFFICULTATES

adversus argumentum metaphysicum.

15. I. Obj. Tota propositi argumenti vis in hujus universi adspectabilis contingentia consistit; multiplici porro ex capite nutat. Etenim 1. ejusmodi contingentia nondum explorata est, cum infinita generationum ac productionum series admitti possit; 2. item exploratum antiquae philosophiae principium est: *Ex nihilo nihil fit.* 3. Quidquid igitur est, aeternum est; adeoque in se immutabile, licet perpetuo evolvatur extra se sive in suis modificationibus. 4. Quod vero aeternum est ac immutabile, neque ab alio produci potest, neque aliud procreare. 5. Nil vetat proinde quominus mundum aeternum constituamus, aut aeternam saltem materiam juxta unanime fere antiquiorum philosophorum placitum. 6. Nondum sane demonstratum est mundum esse aeternum non posse, seu in se repugnare mundi aeternitatem. 7. Neque exinde sequitur, mundum, si quidem aeternus est, debere esse infinitum omnibusque perfectionibus praeditum; satis enim est, ut illas perfectiones habeat, quas ejus essentia requirit. Ecquis enim ignorat essentias rerum esse necessarias, aeternas et immutabiles, quamvis finitae sint ac limitibus circumscriptae? Ergo.

16. Resp. *Neg. min.* Ad 1. prob. *N.* Quandoquidem in se implicat series quaevis infinita entium, sive simultanea ponatur sive successiva, tum quia simul esset finita, coalescens quippe ex partibus finitis novique semper capax augmenti, et infinita ex suppositione; tum quia repugnat et implicat infinitum absolutum ex quantitate quavis sive discreta sive continua coalescere. Quod quidem uti demonstratum a recentioribus philosophis assumimus. Accedit, quod absurdum sit admittere seriem absque principio seu unitate.

17. Ad 2. *D.* Prout ab antiquis philosophis hoc principium assumebatur, seu ex nihilo *absoluto*, *C.* ex nihilo tantum *sui* et *subjecti*, quod tamen a causa aeterna et infinita praeexistente omnipotente ac libera determinetur ad esse, scilicet ad existendum, *N.* Utique causae effectrices *finitae* nihil moliri queunt nisi prius subjectum aliquod seu materia extet; at causa infinitae efficientiae, uti Deus est, res e nihilo educit, non quidem veluti ex materia praeexistente, sed efficiendo ut de novo existere incipiant, dum prius omnino non erant, in quo nulla est repugnantia. Ast ethnici veteres philosophi, qui veram creationis ideam non assequebantur, ex eo principio sive ad emanatismum, sive ad substantiam unicam immobilem admittendam, uti Eleatici, auctore Xenophane; sive ad *ὕλην* seu materiam aeternam cum Deo et in Deo existentem; sive ad pantheismum sub una alterave forma fere omnes dilapsi sunt. Nec aliud porro scholae *transcendentalis* recentioris sectatoribus contigit, qui dum a vero creationis conceptu aberrant, antiqua illa ethnicae philosophiae deliramenta instaurant.

18. Ad 3. *D.* Quidquid est, aeternum est, si sit a se ipso, *C.* si sit ab alio, *N.* Talia porro sunt omnia extra Deum existentia.

19. Ad 4. *D.* Quod aeternum ac immutabile est, non potest produci, *C.* non potest aliud procreare, *subd.* id est, per substantiae suae immutationem, divisionem, multiplicationem aut transfusionem, *C.* non potest infinita sua virtute et actu voluntatis suae aliquid ex nihilo educere tribuendo illi esse et existere, *N.* Ex hoc enim principio solum turpissimum *emanatismi* systema excluditur, quod ultro a creaturis explodimus, acriterque refellimus.

20. Ad 5. Resp. Immo omnia vetant, quominus aeternum mundum aut materiam dicamus; alioquin in atheistarum, quos hic refellimus, sensu, mundus esset a se, adeoque infinitus, cum a nullo circumscribi potuerit, immutabilis, necessarius, seu omnia attributa eidem competerent, quae necessario enti a se competunt, scilicet Deus esset.

21. Ad 6. *N.* Sed, uti innuimus, rigorosa et apodictica demonstratione ostensum a philosophis est repugnare mundi aeternitatem, cum repugnet series sive simultanea sive successiva infinita. Quod si s. Thomae nonnullisque aliis sive theologis sive philosophis olim videri potuit non repugnare mundi creationem ab aeterno, praeterquam quod haec sententia permisceri nequit cum errore, quem impugnamus, quique effectricem primae et necessariae causae vim omnem eliminat, ex principiis alibi ab eodem s. Doctore constitutis satis refellitur [5]; ulteriori vero scientiarum mathematicarum progressu eam absolute implicare demonstratum est.

22. Ad 7. *N.* Nam si mundus aeternus sit, nempe in atheistarum sensu extet *a se*, ejus essentia jam postularet attributa omnia entis a se ac necessarii propria, uti exposuimus. Quod si rerum essentiae necessariae dicuntur et immutabiles, de conceptu earum metaphysico intelligi id debet, quatenus una res non potest esse alia, sed ita et non aliter in suo conceptu sit oportet.

23. II. Obj. 1. Ex eo quod partes singulae hujus universi contingentes sint, concludi nequit totum universum esse contingens, alioquin ex distributivo transitio fieret ad collectivum. 2. Perperam quispiam sic ratiocinaretur: datur ens necessarium, ergo datur ens contingens; sic perperam theistae inferunt: existit ens contingens, ergo existit ens necessarium. 3. Accedit, quod in ejusmodi argumentatione conclusio magis pateret quam praemissae; nam praemissae sunt de entibus finitis et contingentibus, conclusio de ente necessario ac infinito. 4. Sed et haec conclusio est de ideali nobis impervio, siquidem nullam nos infiniti ideam habemus nisi negativam, alioquin mens finita comprehenderet infinitum, quod est absurdum. Ergo.

24. Resp. Ad 1. *D.* Concludi nequit ex distributivo ad collectivum in accidentalibus, *C.* in essentialibus, *N.* Alioquin concludi e. gr. non posset genus humanum esse intelligens, mortale etc., massam esse auream, cujus particulae seu moleculae omnes aureae sunt, et ita porro.

25. Ad 2. *Nego* paritatem; nam ad essentiam entis contingentis pertinet, ut causam habeat; minime vero ut causa, id est, ens quod vi effectrice

[5]) Part. I. qu. 7. art. 4.

polleat, nisi necessario agat, ponat effectum. Deus autem causa libera est, seu libere *ad extra*, ut ajunt, operatur.

26. Ad 3. *D.* Si immediate ejusmodi conclusio deduceretur, *Tr.* vel *C.* si mediate tantum, *N.* Conclusio immediata est; quod si finitum datur et contingens, debet admitti ejus causa. Quum vero ejusmodi causa, quin detur progressus infinitus, nequeat non esse prima, necessaria, a se, aeterna etc., rite inde infertur infinitam esse, seu totius *esse* plenitudinem in se habere.

27. Ad 4. *N.* Si enim reales sunt effectus, ex quibus infertur existentia causae, haec realis pariter sit necesse est. Quamvis vero admitteremus nos non habere nisi ideam negativam infiniti, quod plures philosophi merito negant, cum infinitum maxime positivum sit atque uti tale animo concipiamus, haud sequitur ex eo, quod nos inadaequatam ejus cognitionem habeamus, ipsum in se non existere. Neque confundi debet cognitio cum comprehensione: plura enim sunt, quae certissime cognoscimus, quin tamen comprehendamus, cum id non ferat conditio nostra.

DIFFICULTATES

adversus argumentum physico-theologicum.

28. Obj. Argumentum physico-theologicum ineptum est ad Dei existentiam adstruendam: 1. quia mundus ex fortuita atomorum combinatione oriri potuit; 2. quia ejus robur maxime pendet ex systemate causarum *finalium*, quod jam explosum est a sana philosophia post ingentes physicae progressus; 3. quia praeterea hoc systema Deum anthropomorphiticum efficit, quasi ipse ad instar hominis in opere suo moliendo certos sibi deberet fines praestituere; 4. quia effectus, quos cernimus aut experimur, finiti sunt; nequeunt propterea nobis ingerere ideam, adeoque minus existentiam causae infinitae, sed ad summum ordinatoris summe quidem sapientis ac summe potentis, si placet, minime vero infinite sapientis ac omnipotentis, qua tamen ad Dei existentiam adstruendam opus esset; 5. eo vel magis, quod nonnisi supposita Dei existentia, ac sola fide, veram certitudinem existentiae nostrae ac reliquorum objectorum, quae nos circumstant, habere queamus.

29. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* Nam in atomorum concursione ejusmodi 1°. gratis assumitur existentia atomorum ex se, et insita ipsis vis et motus; 2°. supponitur intelligentia in atomis, sic ut concurrere cessaverint semel ac hic mundus prodierit; 3°. mundus ordinatus supponit ordinatorem, ac propterea casum fortuitum excludit.

30. Ad 2. *D.* Systema *causarum finalium*, earum nempe causarum, quae fines habeant extrinsecos, explosum est a sana philosophia, *C.* quae fines habeant intrinsecos, *N.* Ex causis finalibus aliae sunt, quas vere dixeris fictitias, quae nempe ex ignoratione nexus quorumdam effectuum excogitatae sunt ad rationem reddendam illorum, quorum vera causa latebat, e. gr. ascensus aquae per antlias, qui explicabatur per horrorem naturae a vacuo, ascensio flammae, ex eo repetita quod ignis tendat ad sphaeram suam,

quae ponebatur in coelo empyreo, et ita de reliquis non paucis; quae quidem merito a sana philosophia disjectae sunt, utpote sine fundamento constitutae. Ast non ita se res habet quoad causas finales ipsis objectis insitas, quae dispositae sunt ad effectum determinatum producendum, cujusmodi e. gr. esset constructio auris ad sonos excipiendos, oculi ad lucis modificationes percipiendas et ita porro; hi enim effectus pendent ab ipso, ut vocant, organismo istarum partium. Inficiari porro quod auris non ita constructa sit ut idonea esset ad audiendum, aut oculus ad videndum, esset peccare in sensum naturae communem. Jam vero cum de causis finalibus agitur ad adstruendam existentiam Dei, illas assumimus, quas nedum sana philosophia non explodit, sed quo majores fiunt in physica progressus, eo magis suspiciuntur, et majorem vim acquirunt.

31. Ad 3. *D.* Id est, ex analogia hominis intelligentis, qui cum velit sapienter operari, sibi finem necessario praefigit, *C.* transferendo humana in Deum, *N.* Certe Deus ut summe intelligens in operationibus suis ad extra, nisi aptaret media ad finem, quem intendit, caeca ratione ageret, quod est absurdum.

32. Ad 4. *D.* Finiti sunt ejusmodi effectus, quia creaturae omnes utpote finitae non patiuntur nisi finitam ordinationem, *C.* non arguunt, licet finiti, mentem sapientem ac ordinatricem ab hoc universo distinctam, *N.* Hoc porro nobis directe ac immediate adversus atheos sufficit; hoc siquidem constituto, ope ratiocinationis assurgimus ad hujus mentis infinitatem adstruendam, prout praestitimus, cum ageretur de prima causa hujus universi. Atque hac ratione etiam iis satis fit, qui nonnisi summe sapientem ordinatorem, ac summe potentem colligi ex ordine, qui in mundo elucet, posse contendunt: quod quidem verum est, si de consecutione immediata sermo sit, minime vero si ratio habeatur argumentationis seu demonstrationis, quae ex tali fundamento instituitur. Eo vel magis quod inter res ordinatas vel ordinandas praecipuum locum homo ratione ac libertate praeditus teneat, cujus liberae actiones praevideri debuerunt et ordinari, ad quod sapientia finita non sufficit.

33. Ad 5. *N.* Adversarii, quos hic perstringimus, confundunt duos ordines, ontologicum aut metaphysicum seu ordinem existentiae, et logicum sive ordinem cognitionis. In se prior quidem est ille, quoad nos prior est iste; nisi igitur prius nobis constet omnimoda certitudine de propria existentia per facta, ut vocant, conscientiae, numquam poterimus nec Dei, nec alterius cujusvis objecti extra nos positi existentiam agnoscere, adeoque neque fidem, neque consensum generis humani. Vide alibi disputata in superiori tractatu. [6]

[6]) Part. III. sect. I. cap. I. proposit. I.

DIFFICULTATES

adversus argumentum morale.

34. I. Obj. 1. Utrum universum genus humanum consenserit in admittenda divinitate, res prorsus incerta est; 2. plures enim sive antiquiores sive recentiores populi novissime detecti athei perhibentur; 3. nec mirum: siquidem quovis tempore philosophi floruerunt, qui atheismum professi sunt, quorum auctoritas et opinio praeferenda profecto est populorum consensioni; 4. eo vel magis quod causae suppetant istius communis consensus, e. gr. timor, juxta celebre illud Petronii effatum in *Fragmentis:*

> Primus in orbe deos fecit timor, ardua coelo
> Fulmina cum caderent.

Ex quo etiam aliam novimus originem inductae de divinitate opinionis, nempe rerum physicarum ignorantiam, quarum causa cum rudes homines lateret, phaenomena physica divinitati adscripserunt. 5. Ad eamdem inducendam divinitatis ideam concurrerunt domestica institutio, sacerdotum fraus, legislatorum calliditas, una cum naturali quadam et caeca homini insita propensione. Ergo.

35. Resp. Ad 1. *Neg.* Sed ejusmodi plenus consensus factum est exploratissimum, de quo hodierni vel ipsi increduli quodvis dubium deposuerunt.

36. Ad 2. *D.* Athei perhibentur plures populi, sed immerito, *C.* merito seu solido fundamento innixi, *N.* Modo jam pariter inter criticos convenit atheismi nota plures populos adspersos fuisse aut quia receptos deos sive idola non venerarentur, aut quia corruptissimis essent moribus foedati, fana aut templa non haberent aliisque de causis extrinsecis, quibus scriptores nonnulli decepti sunt: at re melius perpensa, compertum est et illos in hanc de divinitate aliqua admittenda sententiam convenisse. Id ipsum contigit populis recentius detectis, quos nonnulli viatores, levissimis ducti conjecturis, atheis accensuerant; sed iteratis observationibus et accuratiore adhibito examine, theistas eos esse inter omnes convenit.

37. Ad 3. *D.* Quovis tempore athei practici extiterunt pallio philosophico contecti ad propriam tegendam impietatem, *C.* theoretici et speculativi seu vera persuasione ducti, *N.* Ejusmodi enim increduli, qui se ultro *philosophi* nomine cohonestarunt ad deturpandam philosophiam, similes sunt scepticis, qui, dum profitentur se theoretice de omnibus dubitare, propria etiam existentia non exclusa, practice se gerunt sicut caeteri homines! Ecquis porro delirantium hominum istorum sensa praeferat sensui naturae communi, quo universum genus humanum ducitur?

38. Ad 4. *D.* Suppetunt hujus consensionis causae commentitiae, *C.* verae causae praeter rei veritatem, *N.*

39. Ac I. commentitia causa est *timor;* nam 1°. timor nullus unquam

extitisset, nisi prius alte hominum cordi intrinseca boni ac mali moralis insedisset distinctio, ac quod cum ea necessario copulatur, summi alicujus remuneratoris ac vindicis persuasio; timor igitur praesupponit notionem Dei, non eam gignit; 2°. quia timor idoneus potius est ad atheismum producendum; nam non alia de causa increduli sibi persuadent, seu potius nituntur sibi persuadere Deum non existere, quam quia conscientiae rugitus sedari hac illusione posse arbitrantur; 3°. quia natura cultus universim recepti, qui in festis, conviviis, sacrificiis etc. magna ex parte constitit, hanc ideam seu causam excludit.

40. II. Fictitia pariter est rerum physicarum ignorantia, alioquin quo ulteriores progressus fecisset physica disciplina, atheismus profecisset: ast experientia contrarium ostendit; profundiores enim physici religiosiores generatim fuere, quod pluribus exemplis facile ostendi posset, si opus esset.

41. Ad 5. *Neg.* Siquidem tum sacerdotium, tum institutio, tum legislatorum agendi ratio, tum denique naturalis hominum propensio Dei notionem anteriorem ac praeexistentem supponunt. Sacerdotium enim ad honorandam divinitatem ordinatum est; idem de domestica aut publica institutione circa existentiam divinitatis dici par est; nemo siquidem alteri dat quod non habet; legislatores autem non potuisse per effictam cum divinitate consuetudinem legibus venerationem conciliare nisi supposita Dei alicujus existentis idea, manifeste patet. Naturalis denique propensio evincit insitam quodammodo esse humanis mentibus divinitatis ideam non secus ac sit lex naturalis impressa, praesertim cum non in sola steterit propensione sententia de existentia Dei, sed in jugi ac perpetua rationali hominum omnium persuasione, quae sane firmissimum est veritatis indicium.

42. II. Obj. 1. Errores non pauci universales fuerunt, uti eclipsium et meteorarum timor, solis motus circa tellurem, astrologia judiciaria, polytheismus, idololatria etc. Eodem igitur in censu haberi potest universalis persuasio de existentia Dei. 2. Nullus praeterea populus, ne exceptis ipsis judaeis Deum localem profitentibus, rectam de Deo notionem habuit. 3. Perinde autem est sive nullum Deum admittere sive falsam de Deo doctrinam profiteri. Ergo.

43. Resp. Ad 1. *D.* Quin tamen, dato etiam quod errores recensiti universales reipsa extiterint, fuerint constantes, *C.* constantes fuerunt, prout constans est sententia de existentia Dei, *N.* Dixi *etiam dato quod fuerint universales recensiti errores*, nam reipsa tales non fuerunt, uti de polytheismo et idololatria constat recens illorum inductio sive ex malitia, sive ex ignorantia hominum; quoad reliquos pariter res est incerta. Caeterum plures errores postea exciderunt religionis christianae propagatione et scientiarum progressu; persuasio autem de existentia Dei et constans et universalis semper extitit, adeoque nullam intercedere paritatem inter hanc et illos evincitur.

44. Ad 2. *D.* Quoad reliquos populos, *Tr.* quoad judaeos, *N.* Nam hoc non est nisi gratuitum rationalistarum *vulgarium* commentum ab universa

Scriptura sacra explosum; quod si gentes reliquae notionem de divinitate foedarunt, ita tamen ut notio primitiva numquam penitus oblitterata fuerit, rei nostrae non officit, cum hujus corruptionis causas apprime cognoscamus. Satis est quod in thesi de existentia Dei convenerint omnes.

45. Ad 3. *Neg.* Cum aliud sit rem admittere, aliud circa ejus naturam errare. Id ipsum enim contigit in pluribus aliis, quin tamen quis jure concludere possit perinde esse non habere veram rei notionem, ac negare rem ipsam. Sane errarunt veteres plerique omnes circa objectum felicitatis, numquid inferri proinde licebit illos non admisisse hominem ad felicitatem nasci? Nemo profecto sanus id affirmaverit; neque igitur ex eo quod veteres plerique erraverint circa naturam divinitatis, eos non agnovisse existentiam divinitatis inferri potest.

CAPUT II.

DE DEI UNITATE.

46. Dei unitati adversatur *polytheismus*, ejusque species *dualismus* et *tritheismus*.

47. Polytheismus hominum mentes ab antiquissimis invasit temporibus, postquam scilicet antiqua traditio aut oblitterata est, aut saltem foedis commentis temerata atque corrupta; quo vero magis ejusmodi oblivio aut corruptio dilatata est, eo etiam latius manavit polytheismus, qui in plurium deorum professione et cultu consistit. Quamvis vero polytheismus sine idololatria absolute consistere possit, attamen cum idololatria ex illo profluxerit, et eum comitata nullo non tempore sit, factum est ut promiscue polytheistae ac idololatrae sumantur simulque conjungi soleant.

48. Idololatria, quae in cultu sensibili fictitiae divinitatis consistit, spectari potest aut in *objecto*, aut in *subjecto*, nimirum aut in eo quod colitur, aut in eo qui colit. Si rem sub primo respectu consideres, occurrit: 1°. *sabaeismus*, id est, *astrolatria* seu cultus astrorum; 2°. *zoolatria* seu cultus animantium; 3°. *anthropolatria* seu cultus hominum; 4°. *feticismus* seu cultus *rerum sensu carentium;* 5°. *daemonolatria* seu cultus daemonum; 6°. *cultus* imaginum *abstractarum rerum*, e. gr. famae, concordiae etc., quibus omnibus erigebantur templa et constituebantur sacerdotes.

Sub altero vero respectu, nempe ex parte *subjecti* pro varia hominum indole, regione, aetate, cultura, multiplex pariter extitit idololatria. Alii enim, populus rudis praecipue, recensita omnia objecta, aut aliqua saltem, eorumque simulacra, uti veros colebant deos; alii statuas ac effigies veluti sedem habebant, in qua inhabitaret divinitas, sic ut virtutem ipsis simulacris inderet, iisque per consecrationem conjungeretur, ac motum etiam tribueret et operationes; alii solem, lunam, stellas pariter sedes deorum esse arbitrabantur, illisque cultum deferebant: donec sequiori aevo coeperunt philosophi sive polytheismum sive idololatriam per symbolismum explicare,

perinde ac si recensita objecta symbola essent unius divinitatis, aut diversarum ejusdem proprietatum seu attributorum.

49. Ex his patet non omnes in eodem gradu polytheistas aut idololatras fuisse, cum alii tribuerent variis idololatriae objectis cultum absolutum tamquam diis, aliis vero nonnisi relativum falsis aut fictitiis divinitatibus exhiberent.

50. Quoad idololatriam objectivam vix ulla est controversia; ast non modica viget circa idololatriam subjectivam, ac polytheismum. Etenim protestantes, ut facilius ecclesiam catholicam idololatriae ream traducerent in cultu sacrarum imaginum, contenderunt cultum, quem antiquiores populi tribuebant idolis suis, non fuisse nisi relativum, non autem absolutum; et quoties veteres ipsi Hebraei in Scripturis idololatriae accusantur, unice eos argui eo quod imaginem Dei sensibilem coluissent. Nonnulli etiam neoterici ad propugnandum consensum universalem gentium omnium in admittenda Dei unitate, censuerunt numquam verum polytheismum viguisse, ac idola non fuisse nisi totidem simulacra aut symbola unius veri Dei, quae gentes cultu relativo prosequerentur.

51. Et haec de polytheismo atque idololatria; quod vero spectat ad dualismum, hic penes antiquiores Orientales maxime obtinuit. Ortum suum dualismus fortasse repetit ex corrupta lapsus angelorum, tentationis transgressionisque primorum parentum traditione. Hunc dualismum quidam antiqui haeretici, theologia orientali prius instituti, in christianismum intulerunt, cujusmodi fuere Cerdon, Marcion, Apelles et Manes, a quo manichaei ejus discipuli vocati sunt, qui per plura saecula ecclesiam divexarunt. Bayle tum in suo Dictionario tum in aliis operibus manichaeismi argumenta promovit, non quidem animo revocandi dualismum jam extinctum, sed ut conficeret nullam reddi rationem posse tot malorum tum physicorum tum potissime moralium, quae in hoc mundo existunt.

52. Tritheismus vix natus opera cujusdam Philopponi, saec. ecclesiae VI. interiit; jamdiu sabelliani et ariani catholicos tritheismi accusaverant. Horum calumniam Patribus nicaenis, aliisque acerrimis arianismi impugnatoribus Gibbonius affinxit.

53. His praemissis jam accedimus ad veritatem propugnandam primo generatim de Dei unitate; deinde vero, quo ecclesiam catholicam ab omni erroris labe vindicemus adversus protestantium et neotericorum insectationes, ostendemus veram ac absolutam penes antiquiores populos obtinuisse idololatriam, proprieque dictum polytheismum; evertemus demum, quae ad dualismi patrocinium excogitata sunt. De tritheismo siquidem satius erit aliquid innuere cum agemus de Trinitate, ex cujus occasione hic error est exortus.

PROPOSITIO I.

Deus unus est.

54. Haec propositio de fide est; nam in symbolo nicaeno-constantinopolitano dicitur: *Credo in unum Deum;* et in fidei professione edita a conc. generali lateranensi IV. cap. *Firmiter* legitur: *Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus est verus Deus.* Dum vero Deus *unus* dicitur, intelligi id debet *numerice*, non autem *specifice*, ita ut unicus ac singularis natura Deus admitti debeat.

55. *Monotheismus*, seu Dei unitas, dogma est in universa Scriptura sacra inculcatum, ac fundamentum caeterarum veritatum exhibitum; hinc legitur [1]: *Audi, Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est;* quod repetit Christus [2]: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.*

56. Huic dogmati ratio suffragatur ac ipsa Dei notio, siquidem cum Dei nomine veniat ens, quo nihil majus aut melius esse aut excogitari potest, ens necessarium, a se, aeternum, infinitum, omnique perfectione praeditum, hoc ipso evidenter constat ejusmodi ens, seu Deum, nonnisi unicum esse posse. Si enim duo aut plura ponerentur, Dei conceptus ac notio plane destrueretur, quae necessario unitatem exposcit. Sane in hypothesi, quod duo essent vel plures dii, deberent esse aut aequales, aut alii superiores, inferiores vero alii natura et attributis; si aequales supponerentur, nullus eorum Deus esset, utpote omni sub respectu pares, nemo supremus; quod si gradu dispares, ille solus, qui caeteris emineret, Deus esset; repugnat enim Deum cuivis alteri subesse. Optime proinde ac energice Tertullianus: *Deus*, inquiebat [3], *si non unus est, non est... non aliter Deus, nisi summum magnum; nec aliter summum magnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit.* Eadem ratione Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Lactantius, Joannes damascenus argumentati sunt. Angelicus autem Doctor id ipsum praeterea evincit [4] tum ex Dei simplicitate, tum ex infinitate ejus perfectionis, tum denique ex unitate quae in hujus mundi ordinatione elucet. Plura adjicere ad hanc veritatem comprobandam, quae jam in controversiam non venit, cum polytheismus penes excultos populos omnes obsoleverit, esset tempus inaniter terere.

DIFFICULTATES.

57. Obj. 1. Scriptura satis aperte insinuat monotheismum esse ideam recentius inductam, ac polytheismo superadditam, ut patet ex *Genes.* I. 1. ubi legitur: *In principio creavit Eloim (dii* seu *vires) coelum et terram.* 2. Historia praeterea docet in Asia penes populos omnes prius polytheismum

[1]) Deut. IV. 6.
[2]) Marc. XII. 19.
[3]) Lib. I. *Contra Marcionem*, cap. 3.
[4]) *Contra gentes*, lib. I. cap. 42; ac in *Summa*, part. I. quaest. 9. art. 3.

obtinuisse. 3. Hebraei ipsi, licet mosaico sub jugo reperirentur, passim ad polytheismum rediverunt. 4. Ad summum, Deum ἐγχόριον seu localem venerati sunt. 5. Sane quid sibi volunt, quae leguntur, *Genes.* I. 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram?* et quae ibid. III. 12. habentur: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, nisi hanc ideam polytheismi ingerere? 6. Quod Christus ipse indicat illis Psalmi verbis: *Ego dixi dii estis*, quibus diis se ipsum comparat [5], et Apostolus scribit [6]: *Siquidem sunt dii multi et domini multi.* 7. Quapropter si non repugnat juxta doctrinam christianam tres in Deo admittere personas distinctas, nec repugnare dicendum est plures admittere deos, qui plus minus de eadem participent divinitate. Ergo.

58. Resp. Ad 1. *Neg.* Neque id evincitur ex Dei nomine plurali numero expresso, cum omnibus notum sit voces non tam ab etymologia quam ab usu determinari. Moyses ipse auctor Pentateuchi pluries hujus vocis sensum determinavit, praesertim vero in celebri Cantico quod voluit ut ab omnibus memoriae mandaretur, illis verbis [7]: *Immolaverunt daemoniis et non Deo, diis quos ignorabant; novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum vero, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.*

59. Ad 2. *D.* Historia idealis et a priori conficta, *C.* realis, *N.* Historia enim omnium antiquissima ea est, quam praebuit Moyses in Genesi; jam vero Moyses tradit monotheismum primam fuisse religionem, quae in Asia obtinuit; exhibet unum Deum coeli et terrae creatorem, cui Abel, Cain ac Noe sacrificia obtulerunt. Idem dic de Aegypto, Chananitide, ubi prius viguit monotheismus, uti liquet ex cap. XII. ejusdem Geneseos, respectu Pharaonis; cap. XIV. respectu Melchisedech; et cap. XX. respectu Abimelech regis Gerarae. Id ipsum aperte constat ex libro Job. Adeoque polytheismus vere non est nisi monotheismi corruptio.

60. Ad 3. *D.* Hebraei vicinarum gentium scandalo seducti identidem in idololatriam lapsi sunt, *C. redierunt*, quasi polytheismus aut idololatria fuerit religio ipsorum primitiva et originalis, *N.* Contrarium asserere iterum esset historiam a priori confingere, uti constat ex dictis.

61. Ad 4. *Neg.* Numquam enim Hebraei potuerunt ejusmodi ideam de Deo locali ac indigete ad exemplum caeterarum gentium adsciscere: noverant quippe ipsorum Deum creatorem esse coeli ac terrae, omniaque ambire praesentia ac immensitate sua, eumque omnipotentem ac aeternum pro certo habebant. Jam vero talis est Dei idea, quam ipsi a Moyse acceperant, quaeque deinceps a prophetis illustrata est. Quod si identidem videtur institui in sacris litteris comparatio inter Deum Hebraeorum et deos gentium, ejusmodi comparatio non instituitur juxta veritatem, sed juxta

[5]) Joann. X. 34.
[6]) I. Cor. VIII. 3.
[7]) Deut. XXXII. 17.

gentium persuasionem. Ubique enim gentium dii vocantur *daemonia*, et negantur dii esse, cum nonnisi *unus* ac *solus* Deus sit, nempe Jehova.

62. Ad 5. *D.* Et haec aliaque ejusmodi testimonia insinuant pluralitatem in Deo personarum, *C.* pluralitatem deorum seu naturae in Deo, *N.* Reipsa Patres unanimi consensu ita intellexerunt objecta loca; veteres etiam protestantes non alio eadem sensu exposuerunt, immo addo et ipsos antiquiores Hebraeos, ut ex eorum libris *cabbalisticis* seu traditionalibus antiquissimis, et praesertim ex Sohar manifestum est; nec aliam, quae satisfaciat, interpretationem patiuntur. Sane cum Moyses totus in eo sit, ut monotheismum perpetuo inculcet, putandumne est, eum illis phrasibus uti, quae polytheismo faverent?

63. Ad 6. *N.* Etenim Christus in objecto loco non instituit comparationem inter se et veteres judices aut prophetas quoad naturam, sed solum quoad denominationem, ut evinceret argumento *ad hominem*, quod vocant, se minime reum esse blasphemiae, quamvis Dei denominationem sibi tribueret, cum in Scripturis dii vocentur etiam judices et prophetae. Apostolus vero scripsit deos multos ac dominos esse in ethnicorum opinione, non in rei veritate.

64. Ad 7. *Nego* paritatem, cum non repugnet plures in Deo seu in divina natura admittere personas; repugnat autem plures in Deo admittere divinas naturas, ut suo loco ostendemus.

PROPOSITIO II.

Ethnici vel polytheismo proprie dicto, vel idololatrico cultu absoluto, vel passim utroque simul se commaculârunt.

65. Eos protestantes ac neotericos auctores perstringit haec propositio, qui, ut praenotavimus, aut inficiantur verum polytheismum umquam viguisse, aut totum idololatriae crimen in cultu relativo imaginum constitisse affirmant. Ideo vero dicimus ethnicos *vel* polytheismo, *vel* idololatrico cultu absoluto se commaculasse, ne videamur asserere omnes prorsus ethnicos in ea perstitisse sententia, quod idola per se dii essent, cum non abnuamus stolidum ejusmodi errorem nonnisi apud populum rudioremque plebem obtinuisse.

66. Jam vero antiquiores populos passim polytheismo atque idololatrico cultu absoluto sorduisse evidenter patet tum ex Scriptura, tum ex ecclesiasticis scriptoribus, tum denique ex historicis monumentis profanis.

67. Etenim ethnicos passim plures admisisse deos proprie dictos eosque coluisse 1°. illa omnia evincunt sacrarum litterarum testimonia, quae illos ob ejusmodi errorem de pluralitate deorum arguunt; porro legimus, quod cum Lystrienses vidissent miraculum a Paulo ac Barnaba sub eorum oculis patratum, exclamaverint lycaonice[1]: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos, et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium;* cumque

[1]) Act. XIV.

tauros et coronas sacerdos Jovis et turbae attulissent, ut in illorum honorem immolarent, in turbas Apostoli insilientes scissis vestibus dixerunt: *Viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum et terram ... qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Ex his igitur luculenter constat, tum ethnicos in plures distinctos ac diversos deos credidisse, tum illos per oppositionem ad unicum verum Deum admisisse, tum denique ejusmodi errorem communem fuisse ac antiquissimum. 2°. Idipsum ex aperto Pauli testimonio evincitur, qui in Epist. ad Galatas scribit eos, cum adhuc ethnici essent, verum Deum ignorasse cultumque falsis diis exhibuisse [2]: *Sed tunc quidem,* inquit, *ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis.* 3°. Ex iis omnibus Scripturarum locis, quibus dii gentium *dii alieni* vocantur, dii locales, dii patrii uniuscujusque gentis, quibus universa Scriptura referta est. 4°. Ex iis item testimoniis in quibus infideles Hebraei, eo quod aliarum gentium deos coluerint, dicuntur *fornicari, adulterari* etc., metaphora ducta ex eo quod Deum, qui ipsis saepe tamquam sponsus ac maritus exhibetur, deseruerint, ut diis falsis adhaererent, quae pariter quamplurima sunt.

68. Ethnicas praeterea gentes idola uti totidem veros deos habuisse iisdemque cultum absolutum tribuisse evincunt 1°. ea apertissima verba, quibus Jeremias, exprobrat idololatris, quod dicerent *ligno* [3]*: Pater meus es tu; et lapidi: Tu me genuisti;* tum ea, quibus passim prophetae de idololatris affirmant ipsos colere *opera manuum suarum, opera manuum hominum,* inter quos eminet Isaias qui, cum exhibuit fabrum lignarium operatum idolum, ait [4]: *Adorat illud et obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.* 2°. Evincunt ea loca, quibus propheta admonet judaeos inter gentes commorantes, ne putent deos aureos et argenteos et lapideos et ligneos *veros* deos esse; quo spectat inter caetera integrum caput VI. Baruch, in quo saepe illud ingeminatur: *Scitote quia non sunt dii, nec timueritis eos.* 3°. Evincunt facta ipsa, quae in Scripturis referuntur; Danielis enim XIV. Babylonii Bel et draconem non modo deos vivos et immortales pro certo habebant, sed quotidie dapes eis apponebant, ipsosque adorabant. Igitur aut fides omnis Scripturae deneganda est, aut fatendum ethnicos vere polytheistas fuisse, ac idola sua veros passim existimasse deos et cultu absoluto fuisse prosecutos.

69. Veritas insuper propositionis nostrae ex scriptoribus ecclesiasticis luculentissime adstruitur et confirmatur. Iidem enim ipsi, qui prius in ethnicismo instituti fuerant, quique cum ethnicis quotidie versabantur et deinde christiani effecti sunt, longe profecto melius, quae ad ethnicismum spectabant, noverant, quam recentiores protestantes aut neoterici; porro ipsi sunt, qui exprobrabant paganis sui temporis polytheismum proprie dictum, dum agnoscerent veram divinitatem in Jove, Apolline, Venere, Diana etc.,

[2]) Gal. IV. 3.
[3]) Jerem. II. 27.
[4]) Cap. XLIV.

qui confundebant contribules suos, eo quod colerent simulacra metallica, lignea ac lapidea tamquam totidem deos, a quo cultu, ut populo satisfacerent, non abhorrebant vel ipsi philosophi, uti de Socrate et Platone testatur Origenes.[5] Minutius Felix in *Octavio* sic de idolo pro deo habito disserit: *Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, sculpitur; nondum deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur; nec adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremo deus est, cum homo illum voluit et dedicavit.* Eodem in sensu loquuntur Justinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus antiochenus, Tertullianus, ut posteriores silentio praeteream. Sed praestat audire Arnobium dicentem de se adhuc ethnico: *Venerabar, o caecitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos: elephantorum ossa; picturatas veternosis in arboribus taenias si quando conspexeram; lubricatum lapidem et ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis praesens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco; et eos ipsos divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus.* Ita quidem Arnobius.[6] Ex quibus luculentur novimus, quinam sensus inesset ethnicis de diis ac simulacris suis.

70. Verum idipsum ex documentis profanis non minus perspicue constat. Etenim Horatius hanc superstitionem irridet, dum ex fabri arbitrio pendere scribit[7]: *Scamnum faceret ne Priapum maluit esse deum.* Seneca de paganis queritur[8], quod ipsi *simulacra deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant ... victimas caedunt; et cum haec tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecerunt, contemnunt.* Diogenes Laërtius de Stilpone refert[9], eum fuisse exilio mulctatum, quod dixerit Minervam Phidiae divinitatem non esse. Josephus Flavius historiam exhibet cujusdam mulieris turpiter a sacerdote deceptae, putantis se cum deo congressam sub Tiberio Caesare.[10] Et haec satis sint, ut pateat tum ex Scriptura, tum ex documentis ecclesiasticis et profanis omnigenis, veritas assertae propositionis, quamque mereantur fidem, qui facta a priori confingunt. His coronidis gratia adversus neotericos adjicimus auctoritatem Tridentini, quod sess. XXV. statuit in decreto *de Imagin.* quod *ab eis non sit aliquid petendum aut fiducia in imaginibus figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant.*

DIFFICULTATES.

71. I. Obj. 1. Idololatria non in negatione dogmatis, sed in violatione praecepti de non adorando nisi uno Deo consistit; 2. prout reipsa gentibus exprobrabat Apostolus[11]: *Qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt ... et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori;* 3. et alloquens Thessalonicenses ad Christum conversos: *Conversi estis,* scribebat[12],

[5]) Lib. VI. *Contra Celsum,* n. 4.
[6]) *Advers. gent.* lib. I. n. 13.
[7]) Lib. I. *Sat.* 8.
[8]) In *Fragment.* apud Lactantium, *Divin. institut.* lib. II. cap. 2.
[9]) Lib. II.
[10]) *Antiquit.* lib. XVIII. cap. 3.
[11]) Rom. I.
[12]) Ep. I. cap. I. 9.

ad Deum a simulacris servire Deo vivo et vero; quae repetit I. Cor. XIII. 2. Et reipsa 4. homo, utpote sensuum servituti obnoxius, experiens in se necessitatem alicujus numinis, illud sibi repraesentabat sub aliqua imagine, et exinde *idololatriae* vox, quae *cultum imaginum* significat, orta est; aut etiam 5. in splendidioribus creaturis, sole, luna, sideribus etc., veluti totidem Dei symbolis unum Deum coluit. Ergo.

72. Resp. Ad 1. *D.* Idololatria et in violatione praecepti et in negatione dogmatis consistit, *C.* in sola violatione praecepti, *N.* Nam cum de facto constet, quod reipsa gentes plura numina admiserint et coluerint, uti ex Scriptura et documentis ecclesiasticis et paganis ostendimus, quomodo adversarii obtrudunt totum idololatriae crimen in sola violatione praecepti constitisse? Numquid ipsis melius perspecta est et sentiendi et agendi ratio ethnicorum quam scriptoribus sacris, ac ethnicis ipsis?

73. Ad 2. *D.* Prout exprobrabat Apostolus paucis philosophis, *C.* generatim omnibus, *N.* Ad eos enim coarctat Apostolus sermonem suum, qui se σοφοὺς seu *sapientes* vocabant, qui certe non constituebant universitatem ethnicorum.

74. Ad 3. *D. Conversi estis a simulacris* plurimorum deorum, *C.* a simulacris unius veri Dei, *N.* Scribebat haec siquidem Apostolus cohaerenter ad ipsorum sensum et praxim, quae in cultu plurium deorum diversorum, eorumdemque simulacrorum consistebat. Quod adhuc clarius patet ex iis, quae idem scribit Apostolus [13]: *Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in coelo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi), nobis tamen unus Deus.* Ex particula porro adversativa *tamen* patet Apostolum opponere unitatem Dei in dogmate christiano pluralitati deorum in dogmate pagano.

75. Ad 4. *Nego* idololatriae crimen in symbolica unius Dei repraesentatione constitisse, alioquin ejusdem criminis teneretur ecclesia catholica, quae Deum pariter sub diversis figuris symbolicis, sub quibus identidem apparuit, repraesentat, prout reipsa protestantes ecclesiae id crimini vertunt. Ecquis porro catholicus id dicat? Falsa praeterea est *idololatriae* adducta etymologia, cum exploratum sit philologis omnibus *idolum* proprie significare *imaginem falsam, inanem* nempe de eo, quod non est et a sola imaginatione fingitur. Quod pluribus ostendit Bellarminus, adversus Henricum Stephanum.[14]

76. Ad 5. *N.* In creaturis enim non Creatorem venerabantur, sed in ipsis sistebant tamquam diis, aut deorum sedibus, uti constat ex dictis.

77. II. Obj. 1. Idololatria ad cultum spirituum et defunctorum hominum tota revocatur, ad eum fere modum quo nunc angeli et sancti a christianis coluntur; 2. nam ipsa Dei notio importat unitatem; qui propterea contendunt ethnicos plures deos coluisse, debent absurde admittere ipsos coluisse *pluralitatem unius Dei.* 3. Ex hoc patet potuisse quempiam idololatram esse, quin negaret supremi Numinis existentiam, uti etiam luculenter exemplum

[13]) I. ad Cor. VIII. 5.

[14]) *De Reliquiis et Imaginibus Sanctorum*, lib. III cap. 13.

Hebraeorum patefacit, qui identidem prolabebantur in idololatriam, etsi unius Dei notionem non abjicerent. 4. Sane populus de vitulo aureo dicebat [15]: *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti,* non alio profecto sensu nisi quatenus vitulus ille referret imaginem Dei veri; Aaron proinde indicturus solemnitatem dedicationis illius vituli, his verbis usus est: *Cras solemnitas Domini est,* hebraice *Jehovah;* sic mulier inducitur dicens [16]: *Sanctificavi et vovi Domino* (Jehovah) *mille et centum argenteos ut faciam sculptile atque conflatile.* 5. Cum propterea Hebraei reprehenduntur, quod fornicati fuerint cum ligno et lapide, ideo est, quia carnaliter verum Deum sub imaginibus colebant. 6. Quod pariter dicendum de ethnicis, qui non adeo stupidi censendi sunt, ut putaverint deum lapidem aut lignum esse; 7. uti etiam ex eo liquet, quod mutarent ipsi passim simulacra, quin deos mutarent, unique Deo plura erigerent simulacra. 8. Cum vero ejusmodi stupiditatis arguerentur a christianis, respondebant apud Arnobium, se non ita hebetes fuisse, ut *auri argentique materiam, aliaque signa per se deos esse decernerent.* [17] Ergo.

78. Resp. Ad 1. vel *N.* vel *D.* Aliqua idololatriae species pro objecto habebat spiritus et heroes, *C.* idololatria universim, *N.* Nos enim in probationibus contrarium prorsus ostendimus. Negamus praeterea impiam paritatem inter angelorum sanctorumque cultum relativum, qui in catholica viget ecclesia, et absolutum ethnicorum cultum spirituum et heroum suorum.

79. Ad 2. *D.* Si homines logici semper essent in iis praesertim, quae ad cultum religiosum spectant, *C.* si alogicos sese exhibuerunt, neque ad rectae rationis normam cultum suum exegerunt, *N.* Nempe ita alogici fuerunt ethnici in polytheismo atque idololatria, uti in religione christiana sectae haereticae, praesertim vero protestantes alogicos se praebent. Heu saepe nimis homines parum sibi cohaerent, ubi praesertim cupiditates obcaecant eos!

80. Ad 3. *D.* Absolute ac per se rem spectando, *C.* in concreto et in subjecta materia, *N.* Satis est enim vel leviter ethnicismi historiam consulere, ut pateat quinam sensus gentium fuerint. Falsum praeterea est Hebraeos, cum in idololatriam laberentur, Dei unius intemeratam notionem conservasse. Scripturae contrarium, uti vidimus, testantur. Hinc Hebraeis idololatris exprobrabat Dominus [18]: *Tu fornicata es cum amatoribus multis,* nempe cum diis gentium affinium.

81. Ad 4. *D.* Quatenus Hebraei *incommunicabile nomen,* uti loquitur auctor *Sapientiae* [19], *lapidibus et lignis imposuerunt, C.* quatenus sub illis idolis Deum verum colerent, *N.* Contrarium enim Calvini assertioni Scripturae testantur. Deuter. siquidem XXXII. legitur: *Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui;* ac in Ps. CV: *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile: et obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui*

[15]) Exod. XXXII.
[16]) Judic. XVII.
[17]) Loc. cit. n. 10.
[18]) Jerem. II.
[19]) Cap. XIV.

fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Utri credendum?

82. Ad 5. *Nego* sequelam, uti patet ex modo dictis, et ex allatis probationibus.

83. Ad 6. *D.* Quoad eos qui historiam confingunt *a priori, C.* quoad eos qui innituntur factis realibus et documentis, *N.* Cum evidenter constet de facto, conjecturae nostrae inanes sunt.

84. Ad 7. Responsio patet ex iis quae reposuimus ad 2. quod scilicet homines non semper sibi cohaereant; certe si eo devenire ethnici potuerunt ut deum esse putarent lignum ac lapidem, nil mirum si pariter pro multiplicatione idolorum putaverint multiplicari deos suos, et alia peregerint, quae eamdem stupiditatem redolerent.

85. Ad 8. *D.* Nonnulli, et quidem a christianorum exprobrationibus pressi, symbolicas illas mythologiae expositiones invexerunt, *C.* omnes, ita ut hic sensus fuerit multitudinis, *N.* Haec sero nimis effugia excogitata sunt, interim populus ac philosophi ipsi, ut vidimus, practice turpissimam idololatriam ac polytheismum profitebantur. Alioquin tot martyres diris suppliciis non subjecissent, eo quod nonnisi unum se Deum coeli ac terrae conditorem colere protestarentur.

PROPOSITIO III.

Absurdum est dualistarum systema, ac malorum origini explicandae impar.

86. Difficile omnino est veterum dualistarum, qui a primordiis religionis christianae e scholis orientalibus, praesertim vero a parsismo in christianismum systema istud intulerunt, genuinam doctrinam definire. Uti haeretici recentiores, sic haeretici antiquiores numquam sibi ipsis constiterunt, neque cum sectis, in quas dualismus divisus est. Alii enim visi sunt profiteri duo principia boni ac mali veluti absoluta, improducta atque ab invicem independentia; alii principium malum a Deo productum visi sunt admisisse, adeoque summi Dei unitatem professi, ut plerique saltem Manetis seu Manichaei discipuli. Quo fit, ut cum Patres exprobrarent ipsis dualismum proprie dictum, seu duorum deorum boni ac mali existentiam, *ex consequenti* potius, ut ajunt, quam ex propriis illorum principiis, ita se gessisse putandi sint. Immo nec desunt, qui contendant gnosticos ac manichaeos ideo doctrinam duorum principiorum professos esse, ne viderentur sive immediate, sive mediate Deo malorum tum physicorum tum moralium originem adscribere, ex quo concludunt pejores manichaeis ac gnosticis esse lutheranos et calvinistas, qui Deum auctorem peccati constituerunt.

87. Quidquid porro de germana dualistarum doctrina sit, operosum certe non erit in quavis hypothesi dualismum refellere, et absurdum evincere.

88. Etenim si constituerunt duo ejusmodi principia improducta, a se, independentia, absurditas hujus doctrinae illico deprehenditur: 1°. in eo quod duo summa, infinita, absoluta admittantur, quod repugnat et destruit

ipsam summi, infiniti, ac absoluti notionem, quae unitatem involvit et exigit; 2°. in eo quod pari virtute seu vi ac potentia praedita supponantur atque ex naturae bonae vel malae necessitate agentia, quae cum elidi necessario debeant, nec bona nec mala haberentur, quod esset contra hypothesim et contra factum; 3°. in eo quod admittatur summum numen omnibus perfectionibus cumulatum, una excepta bonitate; quod profecto absonum est; 4. in eo quod hoc ipsum principium malum supponatur auctor mali moralis ac physici, sed hoc ipso quod necessario malum, morale praesertim, ageretur, jam amitteret rationem mali moralis, quod sine libertate supponi nequit.

89. Quod si constituerunt principium malum productum seu creatum, jam hoc ipso tollitur ratio *summi principii,* quod est contra hypothesim dualistarum, et tota ipsorum doctrina revocaretur ad daemonologiam. Proinde, quod consequens est, hoc principium, seu verius daemon utpote creatus subjicitur summi principii seu Dei potestati, ita ut nihil prorsus moliri possit absque ejus jussu aut permissione.

90. Sed ut alteram jam propositionis partem attingamus, ineptum nempe esse dualistarum systema malorum origini explicandae, hoc patefit expendendo sive mala physica, sive mala moralia. Mala enim physica nuncupata in primis talia non sunt absolute sed relative, dum quod uni malum est, alteri est bonum; praeterea unam eamdemque causam immediatam ac proximam habent, quam habent bona. Ut enim physica docet, ex eadem lege eademque causa phaenomena, quae inter se videntur contraria, prodeunt: sic ex eodem calore vitae animantium et stirpium evolutiones pendent ac molestae sensationes et incommoda non pauca, quae nos affligunt; ejusdem caloris effectus est evaporatio, ex qua procedunt pluviae, rores, fontes etc., qui vegetationi inserviunt, et ex ipsa grandines pariter, inundationes etc. proveniunt; idem dic de electricitatis, chemicarum affinitatum, aliorumque effectibus. Cum una proinde eademque illorum effectuum, quos bonos aut malos dicimus, causa sit physica et immediata, pronum est inferre dualismum quoad hanc partem ex scientiarum physicarum ignorantia prodiisse.

91. Coarctatur igitur totum dualismi systema ad mala moralia. Verum haec a natura intelligente, finita ac libera originem habent, unde etiam malorum *moralium* denominationem sortiuntur. Intelligentiae porro limitatio in quovis demum gradu, ac proinde possibilitas deceptionis ex parte voluntatis liberae inhaeret necessario creaturae. Moralis lex sive regula morum non est creaturae intelligenti ac liberae subjectiva, sed objectiva est; hinc fit, ut ista seu creatura deficere ab ea lege possit. Quae cum ita sint, jam per se patet, ad nullum principium per se malum confugiendum esse, ut mali moralis origo exponatur. Huc proinde revocatur quaestio, utrum Deus potuerit condere creaturam intelligentem ac liberam nec ne, et an potuerit aut possit defectum moralem permittere, an vero hunc impedire teneatur.

92. Jam vero Deum potuisse creaturam intelligentem ac liberam condere, cum hoc objectum per se bonum sit, inficias iverit nemo; sic etiam non potuisse Deum ac non posse defectum moralem permittere, seu quod

idem est, debuisse ac debere liberam creaturam talibus munire praesidiis ne umquam a lege deficeret, nemo jure affirmare poterit, tum quia nobis perspectus non est finis, quem Deus sibi proposuit in hoc rerum ac providentiae ordine constabiliendo, tum quia Deus ad optimismum, ut vocant, non tenetur, tum quia denique ex facto contrarium constat. Etenim ex una parte jam *a priori* constat nonnisi unitatem summi principii posse admitti, ex altera vero parte ab experientia constat mala haec moralia in mundo esse; ergo patet *a posteriori* mala ejusmodi a Deo posse, salva ejus bonitate ac sanctitate, permitti, quamvis intimam hujus permissionis rationem angusta mens nostra assequi nequeat. Fatenda proinde potius ignorantia nostra, quam aut Deus incusandus, aut absurdum admittendum dualismi systema.

93. Ad praecavenda Bayle potissimum sophismata circa permissionem mali moralis animadvertendum est: 1°. diversum esse judicium ferendum de Deo provisore universali, et de creatura seu de provisore particulari; hic enim ad ea tenetur, quibus subjici Deus nullatenus potest. Animadvertendum 2°. est aliam prorsus esse rationem bonitatis infinitae cum omnipotentia conjunctae, et bonitatis creatae limitibusque in sua efficacia circumscriptae; haec enim quandoque tenetur ad id omne praestandum erga alios, quod potest sive ex officio sive ex caritate, illa vero non item, alioquin tum Dei libertas destrueretur, tum nullus diversitatis gradus reperiri in creaturis intelligentibus posset haud exiguo virtutis detrimento.

DIFFICULTATES.

94. I. Obj. Cum veteribus dualistis tum Scriptura tum ratio conspirant in duobus summis adstruendis principiis. Etenim 1. Amos III. 6. legitur: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit;* 2. Ecclesiast. XXIII. 15: *Contra malum bonum est . . . duo et duo et unum contra unum;* et iterum, ibid. XLII. 25: *Omnia duplicia unum contra unum;* 3. Joann. XII. 31. ait ipsemet Christus: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras;* et Apostolus II. Cor. IV. 4: *Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium.* 4. Sane cum eadem contrariorum ratio sit, uti existit summum bonum omnis boni causa, ita existere debet summum malum omnis mali causa; 5. eo magis quod nec bonum a causa mala, nec malum a causa bona produci queant; 6. hinc quemadmodum bonum et melius dicuntur relative ad optimum, sic malum et pejus dici debent relative ad pessimum; 7. cum tam bonum quam malum talia sint per participationem, revocari debent ad id, quod bonum aut malum per essentiam est. Ergo.

95. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Loquitur Amos de malo *poenae,* quod Deus infligere constituit, *C.* loquitur de malo *culpae,* quod fecerit principium malum, *N.* Malum autem poenae, cum ad punitionem culpae ordinetur, jam non est malum in se, sed relative ad peccantem, qui illud provocavit.

96. Ad 2. *D.* Respectu permixtionis boni et mali, quibus homines

tum in physico tum in morali ordine subjiciuntur, *C.* respectu duorum principiorum e quibus proveniant, *N.*

97. Ad 3. *D.* Id est, diabolus, qui etiam volentium mentes fallacibus suis suasionibus excaecat, *C.* princeps et Deus proprie dictus, *N.* Ideo vero diabolus a Christo princeps hujus mundi dictus est, quod dominetur *saeculariter viventibus* et ultro se ei subjicientibus, quos pariter excaecat, quatenus impii voluntarie excaecari patiuntur; quo sensu idem Apostolus, scripsit[1]: *Quorum deus venter est.*

98. Ad 4. *D.* Eadem est ratio contrariorum, quae sibi opponuntur *positive*, *C.* quae sibi opponuntur *privative*, *N.* Jam vero malum non opponitur bono nisi per ejusdem privationem.

99. Ad 5. *D.* Bonum a causa mala produci nequit, *C.* malum non potest produci a causa bona deficiente, *N.* Hoc enim inter bonum et malum discrimen intercedit, quod bonum utpote positivum requirit causam efficientem, malum vero utpote negativum non requirit nisi causam deficientem.

100. Ad 6. *Nego* paritatem; nam bonum et melius dicuntur relative ad bonum per *accessum*, malum vero et pejus per *recessum* a bono.

101. Ad 7. *Nego* iterum paritatem; cum malum, uti modo diximus, tale non sit per participationem, sed per privationem boni tantummodo. Et haec de his nugis.

102. II. Obj. Sub Deo bono et optimo intelligi nequit mali moralis permissio: 1. nam Deus aut non debuisset creaturae rationali concedere fatale libertatis donum, aut saltem illis praesidiis illud communire debuisset, quibus labi non posset; 2. nulla enim ratio assignari potest ejusmodi permissionis nisi Dei gloria extrinseca per manifestationem divinorum attributorum, misericordiae praesertim et justitiae; jam vero hoc non argueret nisi turpissimum *egoismum* in Deo cum temporali ac aeterno innumerarum creaturarum dispendio. 3. Cum Deus praeterea non possit creaturam nisi ad felicitatem condere, sin minus absolute, saltem hypothetice *debuisset* malum hoc avertere a creaturis suis, ne fine, ad quem conditae sunt, aeternum privarentur. 4. Omnium consensu reus aut particeps saltem interpretative criminis aut culpae censeretur, qui cum praevideret alicujus rei abusum, eam tamen licet in se bonam concederet, uti pater, mater, ludimagister etc.; jam vero Deus cum praevisione certissima abusus libertatem concessisset. Ergo.

103. Resp. *D. A.* Nequit intelligi adaequate, *C.* prout tenuitas nostra patitur, *N.* Nam ad cognoscendam rationem permissionis mali moralis adaequate necesse esset, ut Dei consilia perfecte assequeremur, quod nobis datum in praesentia non est, olim Deo opitulante assequemur, cum eum videbimus sicuti est; attamen non desunt rationes, quibus saltem ostendamus eam minime repugnare, quod interim satis est.

[1]) Philipp. III.

104. Ad 1. prob. *D.* Si finis ultimus et adaequatus creaturae rationalis esset ipsius felicitas, *Tr.* vel *C.* si non sit nisi mediatus et proximus, *N.* Porro Deus sibi in creatione rationalis creaturae constituit uti finem ultimum gloriam suam, a quo praescindi non potest: quo posito, creaturae rationales non habent nisi rationem medii, adeoque Deus liber extitit in praefigendo harum creaturarum fine, ita ut ipsae illum conditionate assequerentur per rectum libertatis sibi concessae usum, aut ab eo exciderent per pravum libertatis abusum; libertatis donum cum bonum in se sit, nihil vetat quominus sic Deus bonus et optimus concedere illud potuerit, ut, qui eo instructus est, ipso abuti possit.

105. Ad 2. *Dist. min.* Si Deus intendisset gloriam suam mediante creaturarum suarum detrimento, *C.* si intendit mediante ordinatione praevisi nec voliti creaturarum abusus, *N.* Nam Deus tantum ordinat praevisum libertatis abusum ad gloriam suam, eum vero nec vult nec intendit.

106. Ad 3. *D.* Debuit Deus a creatura rationali omne malum avertere, si felicitas, uti diximus, esset finis absolutus et ultimus ejusdem creaturae, *C.* si non sit nisi conditionatus, *N.* Responsio patet ex dictis.

107. Ad 4. *D.* Si sermo sit de provisore particulari, *C.* si de generali, *N.* Provisor particularis, qui et lege et munere detinetur erga alios, subditos praesertim, certe omnium consensu malus haberetur, si omni ratione qua posset etiam denegando rem in se bonam, cujus praevideret certo abusum, aut etiam solum probabiliter, non averteret ab illis malum omne. At provisor generalis hac lege non tenetur, cum prae oculis bonum universale habere debeat, ad quod alicujus mali permissio conferre potest, ut patet etiam in politica republica, a qua magistratus non omne malum avertere tenentur. Exinde responsio patet ad singula objecta exempla patris etc., quae non sunt nisi de provisoribus particularibus.

CAPUT III.

DE ESSENTIA DEI EJUSQUE PERFECTIONIBUS GENERATIM.

108. Quum theologi in Dei essentiam ejusque perfectiones inquirunt, non juxta id, quod Deus in se reipsa est, hoc efficiunt, sed prout intelligentia nostra Deum assequi potest.

109. *Perfectiones* autem, *nomina, attributa* sunt dotes illae, quibus divina natura consistit, aut instructa esse concipitur. In his porro perfectionibus ordo logicus spectatur, dum a theologis inquiritur quaenam prima censenda sit, ex qua caeterae profluant, aut profluere concipiantur, ita ut sit veluti reliquarum perfectionum, quae subjecto alicui insunt, fons, basis ac fundamentum etiam, quod eas sustentet ac regat. Ejusmodi perfectio, quae primo concipitur, ea est, quae *essentiae* nomine donatur. Essentia siquidem rei alicujus est id, quod eidem maxime intimum est, et ex quo caetera dimanant, aut emanare deprehenduntur, ac primo proinde in ea

concipitur, et non modo a reliquis rebus omnino distinguitur, sed etiam res ipsa in suo esse constituitur.

110. Cum igitur de Deo agitur, dum quaeritur quaenam perfectio sit ejus essentia, quaeritur quaenam prima in eo censeri debeat, ac caeterarum perfectionum veluti fons sit, et qua ab omni eo, quod Deus non est, secernatur. Circa quam quaestionem quatuor sunt praecipuae theologorum sententiae: 1°. *nominalium*, qui eam constituunt in omnium perfectionum *cumulo;* 2°. eorum, qui eam collocant in *infinitate*, ut vocant, *radicali,* sive in omnium perfectionum *exigentia;* 3°. illorum est thomistarum, qui eam autumant in *actuali intellectione* consistere; 4°. demum caeterorum est thomistarum, quaeque omnino praevaluit in scholis communisque effecta est, qui censent eam in *esse a se (aseitatem* vocant*)* constituendam esse, seu in necessitate existendi. Quaenam ex his sententiis verisimilior nobis videatur, apposita propositione aperiemus.

111. Interim divinae perfectiones generatim bifariam dividuntur, nempe in perfectiones illas quas veteres scholastici *simpliciter simplices* vocarunt, nosque absolute *simplices* nuncupabimus; et in eas quas iidem dixerunt *secundum quid,* nos vero dicemus *mixtas.* Perfectio *simplex* ea dicitur, quae nullam in suo conceptu imperfectionem involvit ac melior est sua opposita, ac proinde in Deo absolute enunciatur; ejusmodi est *intelligentia, bonitas* etc., hinc Deus dicitur *sapiens, bonus* etc. Mixta e contra illa vocatur perfectio, quae imperfectionem aliquam in suo conceptu importat, nec melior sua opposita est; e. gr. extensio materialis, quae est perfectio in materia, esset imperfectio in spiritu; ejusmodi perfectio in Deo inesse nequit, nec de ipso absolute enunciari potest: hinc nemo dicet Deum esse extensum proprie.

112. Cum tamen nulla perfectio, quae in creaturis sit, a Deo abesse possit, exinde factum est, ut aliae perfectiones dicantur Deo inesse *formaliter,* aliae vero *eminenter*, aut etiam *aequivalenter* ac *virtualiter.* Deo formaliter insunt omnes perfectiones simplices; *eminenter* autem, *aequivalenter* ac *virtualiter* perfectiones mixtae; quatenus nempe Deus eas aut longe perfectiori modo in se continet, e. gr. immensitatem, quae excellentior profecto extensione est; aut quatenus eas habet, quibus perfectiones creaturarum producere potest, aut idem potest praestare quod possunt creaturae, sed perfectione altioris ordinis, e. gr. omnipotentia et intelligentia.

113. Nostri hic muneris est ostendere 1°. Deo inesse omnes perfectiones; 2°. patefacere quanam ratione Deo omnes perfectiones insint; 3°. determinare quaenam verisimilius haberi debeat perfectio illa prima, in qua Dei essentia consistit, quaeque etiam alio nomine constitutivum Dei metaphysicum nuncupatur; sic porro ex ordine haec praestamus.

PROPOSITIO I.

In Deo sunt omnes perfectiones.

114. Auctoritas et ratio hujus propositionis veritatem adstruunt. Etenim Deus de se Moysi dicit [1]: *Ostendam omne bonum tibi;* jam vero Deus *omne bonum* dici non posset, si aliqua perfectione destitutus esset; et Psalm CXLIV: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis;* magnitudinis scilicet *intensivae* quoad ejus naturam. Hinc s. Gregorius nazianz. in rem nostram scribit [2]: *Universum esse in se ipso, numquam inceptum, numquam desiturum, complexus continet, tamquam infinitum et interminatum essentiae pelagus.* Plura congerere supervacaneum esset, cum ratio ipsa id ipsum evidenter suadeat. Deus enim cum sit ens, quo nihil melius excogitari potest, hoc ipso perfectiones omnes in se habeat necesse est, alioquin jam Deus non esset.

PROPOSITIO II.

Deus habet omnes perfectiones simplices formaliter, mixtas autem eminenter.

115. Si Deo insunt perfectiones omnes, ut superior docet propositio, jure profecto infertur Deum habere perfectiones tum simplices tum mixtas, diversa tamen ratione: simplices siquidem vere et proprie, seu uti dicitur *formaliter,* cum nullam in sui notione imperfectionem involvant, et hac de causa Deus ab illis denominetur; dicitur enim bonus, justus, sanctus, intelligens etc. Cum e converso perfectiones mixtae includant imperfectionem in suo conceptu, neque cum aequali aut excellentiore simul consistere queant, fit ut istas non vere et proprie, sed solum eminenter seu excellentiore ratione possideat, quatenus aut habet perfectiones, quae illis aequivalent, aut potest efficere quod habent et efficiunt creaturae omnes, longe perfectiore ratione. Immensitas aequivalet extensioni, omnipotentia creaturarum virtuti et efficacitati, et ita porro.

116. Ex his sequitur omne, quod perfectionem redolet in creaturis, cujusmodi essent bonitas, pulchritudo, entitas tum existens tum possibilis, in Deo reperiri, at infinite perfectius. Quod feliciter expressit s. Anselmus, in suo *Monologio* scribens [1]: *Quidquid igitur eorum de illa* divina natura *dicatur, non qualis vel quanta, sed magis quid sit, monstratur. Sed palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa aeternitas, summa potestas, summa*

[1]) Exod. XXXIII. 19.
[2]) *Orat. in Natalitia.*
[1]) Cap. XV.

unitas. Ecquis porro ejusmodi infinitum perfectionum pelagus toto corde non diligat?

117. Dices 1. Relationes divinae quamvis perfectiones mixtae sint, in Deo tamen formaliter sunt, et ab eis denominatur, dicitur enim Deus Pater, Filius, et Spiritus S. 2. Praeterea perfectiones caeterae, quamvis simplices, ab essentia profluere intelliguntur; in ea igitur formaliter non sunt.

118. Resp. Ad 1. *D.* Relationes divinae formaliter in Deo sunt et ab illis Deus denominatur, quatenus nullam important imperfectionem, sed solum mixtae dicuntur quatenus incompossibiles sunt in eodem subjecto cum alia perfectione, *C.* secus, *N.* Duplici sensu diximus vocari *mixtas* eas perfectiones aut prout admixtam imperfectionem prae se ferunt, aut prout cum alia in eodem subjecto consistere nequeunt. Hoc porro sensu relationes in Deo mixtae perfectiones dicuntur; Pater enim quatenus paternitatem habet, non potest simul habere filiationem, alioquin eadem persona Pater simul esset ac Filius, quod repugnat. Addo propter identitatem essentiae divinae in tribus personis unamquamque earum mediate caeteras perfectiones has possidere. Caeterum longe verisimilius est has relationes nec perfectiones nec imperfectiones esse, sed unice modum seu rationem habitudinis significare, qua una persona ad aliam refertur.

119. Ad 2. *D.* Juxta nostrum intelligendi modum, *C.* in se, *N.*

PROPOSITIO III.

Essentia Dei metaphysica videtur constituenda in eo quod sit ens a se ac independens, seu in existentia a se.

120. Etenim essentia metaphysica seu metaphysicum constitutivum ex communi sententia quatuor haec complectatur necesse est: 1°. ut sit quidpiam intrinsecum enti; 2°. ut ipsum ab alio quolibet secernat; 3°. ut primo concipiatur; 4°. ut caeterarum omnium perfectionum spectari possit veluti fons et origo. Jam vero quatuor haec in *aseitate* reperiuntur. Ratio enim entis a se sic intima Deo est, ut nihil ea prius excogitari possit. Ea praeterea est, qua Deus a creaturis omnibus vel maxime distinguitur. Omnia demum attributa ex ipsa veluti dimanare concipiuntur. Nam ex eo quod sit ens a se, hoc ipso intelligitur eum perfectionibus omnibus possibilibus instructum esse debere, nulloque termino circumscriptum, quod praeclare evolvit s. Thomas [1], et post eum Suarez. [2]

121. Haec ipsa sententia magis videtur Scripturae, et Patribus consentanea. Etenim Deus, volens sibi nomen proprium tribuere, dixit Moysi [3]: *Ego sum, qui sum; sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.* Quae verba expendens Hilarius: *Admiratus sum,* inquit [4], *plane tam absolutam*

[1]) Part. I. qu. 4. art. 2.
[2]) *Metaphysica,* tom. II. disp. 21. sect. 1 et seqq.
[3]) Exod. III. 14.
[4]) *De Trinit.* lib. I.

de Deo significationem... Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse intelligitur, quia ad ipsum quod est, neque desinentis est aliquando neque coepti. Ac s. Bernardus [5]: *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est est. Nempe hoc ei esse, quod haec omnia esse.* Sic Patres reliqui passim, immo nec ab hac notione abnuerunt ipsi philosophi ethnici, solo rationis lumine duce.

122. Et haec pro sententia nostra attulisse satis sit; cum enim nobis in animo haud sit lites domesticas serere, ideo in alienis sententiis sive expendendis sive refellendis minime immoramur.

PARS SECUNDA.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS SINGILLATIM.

123. Multiplex a diversis auctoribus attributorum divinorum partitio excogitata est plus minusve imperfecta, cum adaequata dari non possit. Praecipuas nos complectemur partitiones ad finem, quem nobis proposuimus.

124. Itaque alia attributa dicuntur *absoluta,* quae nempe ipsam divinam naturam afficiunt; alia *relativa,* quae attingunt personas. Rursum attributa absoluta dispertiuntur in *negativa* et in *affirmativa.* Negativa ea dicuntur, quae quamvis in se positiva sint, tamen vocibus negativis significantur, e. gr. infinitas, immensitas, immutabilitas etc. Affirmativa, quae vocibus affirmantibus enunciantur, uti bonitas, justitia etc. Alia fuere *respectiva* nuncupata, eo quod ad operationes referantur, uti scientia, omnipotentia, providentia etc.

125. Nimis longa res esset de attributis singulis disserere; de illis proinde agere instituimus, quae potissime in controversiam veniunt, aut in dubium revocata quoquomodo sunt, nempe de Dei simplicitate, immutabilitate, libertate, infinitate, immensitate atque aeternitate.

CAPUT I.

DE SIMPLICITATE DEI.

126. Ut perspicuitati inserviamus, notiones praemittendae sunt, quae ad rem praesentem faciunt. *Simplex* illud dicitur, quod compositione caret; *compositio* vero est distinctorum unio. Triplex distinguitur compositio, physica, metaphysica et logica. Compositio *physica* ea est, quae constat partibus realiter distinctis, cujusmodi sunt corpora omnia; *metaphysica* ea dicitur, quae exsurgit ex potentia et actu, essentia et existentia, natura et personalitate; *logica,* quae coalescit ex genere et differentia.

127. Adversus Dei simplicitatem peccarunt, quotquot Deum corporeum admiserunt, ut idololatrae atque anthropomorphitae, qui humanam formam

[5]) ***De Consideratione,*** lib. VI. cap. 6.

Deo tribuerunt, nec non pantheistae, qui Deum adspectabile hoc universum aut esse aut saltem ex eo etiam coalescere autumarunt. Peccarunt insuper, qui realem in Deo distinctionem inter divinam essentiam et attributa, atque inter attributa a se invicem admiserunt, cujusmodi vulgo censetur Gilbertus Porretanus, et Graeci illi schismatici qui, duce Gregorio Palama, virtutem Dei operationesque a divina essentia distinxerunt, et quamdam ab eadem essentia promanantem lucem, qualis Christo affulsit in monte Thabor, commenti sunt, adeoque *palamitae* ac *thaboritae* audiunt. Abbas Joachim pariter incusatur, quod realem invexerit distinctionem inter divinam naturam divinasque personas, cujus proinde libellus in conc. lateranensi IV. anno 1215. damnatus est. Et hi quidem omnes defectu errarunt; anomaei porro, una ex arianis secta, errarunt excessu circa eamdem Dei simplicitatem, dum Eunomium et Aëtium sequuti nullam ne cogitationis quidem in Deo agnoscere voluerunt distinctionem inter naturam et perfectiones sive absolutas sive relativas, ac inter perfectiones inter se, ut inde inferrent comprehensibilitatem divinae naturae, et viam sibi sternerent ad Verbi negandam divinitatem.

128. Quo vero melius hujus postremi erroris indoles cognoscatur, et varia theologorum doctrina circa distinctionem, quae in Deo admitti debet, nonnullae iterum notiones praemittendae sunt. *Distinctio* est negatio identitatis; ea enim distinguuntur, quae non sunt idem. Duplici porro ratione aliquid potest non esse idem cum alio, aut nempe in se, aut in conceptu nostro. Si aliquid in se non sit idem cum alio, tunc habetur distinctio, quae intercedit inter duo vel plura, ac *realis* vocatur; quod si unum cum alio idem non sit nisi in conceptu nostro, illa exsurgit distinctio, quae *rationis* aut etiam *mentalis* et *cogitationis* nuncupatur.

129. Si idem aliquid cum alio non sit, aut quia haec separata sunt, ut Petrus et Paulus, aut quia saltem separari possunt, ut anima et corpus, aut quia relative opponuntur, uti pater et filius, illa habetur distinctio, quae dicitur *realis major;* quod si aliquid idem in se cum alio non sit solum ratione modi, quatenus modus distinguitur a re, cujusmodi sunt cogitationes respectu animae, et figura respectu corporis, haec distinctio *modalis* seu etiam *realis minor* appellatur. Praeter duas has distinctiones Duns Scotus aliam admisit inter duas pluresve ejusdem rei proprietates, quarum una non est altera in sua ratione formali, cujusmodi in homine essent animalitas et rationalitas, in Deo essentia et attributa, atque attributa singillatim sumpta, ut misericordia, justitia, omnipotentia etc., ac *realem minimam* aut *formalem* nuncupavit.

130. Hac de causa ingens rumor in scholis excitatus est, perinde ac si scotistae ob novam inductam distinctionem in Gilberti Porretani errorem lapsi essent: prout etiam nominales, qui distinctionem virtualem admittere recusabant inter divinam essentiam et attributa, atque inter attributa ipsa absoluta, eunomianis accensiti sunt. Sedatis tamen postea animis, ut fit, omnis ejusmodi rumor evanuit, cunctique sinceri catholici agniti sunt.

131. Caeterum mentalis distinctio rursum bifariam in omnium sententia dividitur, quarum altera cum sine fundamento in re prorsus sit, ut si quis distingueret inter Petrum et Cepham, dicitur *rationis ratiocinantis;* altera vero cum res ipsa fundamentum distinctioni suppeditet, aut quia diversis inserviat usibus, uti triticum quod sementi, alimento etc., aut quia pluribus aequivalet aut diversa efficere potest, uti Deus, nomen obtinuit distinctionis *rationis ratiocinatae* aut *virtualis.* Prior dicitur sine fundamento in re, posterior cum fundamento in re.

132. Quibus praemissis, ordo postulat ut 1°. vindicemus Deo summam simplicitatem; 2°. eumque quavis corporis compage expertem exhibeamus; 3°. refellamus pantheismum; 4°. nec non rejiciamus tum realem distinctionem a Gilberto, uti dicitur, invectam, tum 5°. oppositum anomaeorum dogma, omnem etiam rationis distinctionem ex Deo ablegans. Quae ut praestemus, sit

PROPOSITIO I.

Deus est omnino simplex.

133. Haec propositio de fide est, ex concilio lateran. IV. cap. *Firmiter,* statuente quod in Deo sit: *Una essentia, substantia seu natura simplex omnino.* Qua definitione omnimoda in Deo adstruitur simplicitas ad exclusionem cujusvis a parte rei compositionis.

134. Jam vero omnem in primis compositionem physicam, quae ex partibus realiter distinctis coalescat, cujusmodi in corporibus reperitur, removet a Deo Scriptura; Christus enim loquens de Deo ait [1]: *Spiritus est Deus.* Vocem autem *Spiritus* Christum per oppositionem ad quodvis corpus usurpasse, ejus scopus evincit edocendi Samaritanam, Deum oportere in *Spiritu et veritate* adorari. Hoc eodem sensu, scripsit Apostolus [2]: *Dominus autem Spiritus est.* Accedit, quod Scriptura eas Deo proprietates tribuat, quae cum physica compositione componi nullatenus possunt, cujusmodi sunt infinitas, immensitas, aeternitas.

135. Amovet praeterea Scriptura a Deo compositionem metaphysicam ac logicam, dum ei nomina abstracta tribuit, ita ut eum denominent; dicitur siquidem Deus passim *sapientia, justitia, bonitas, via, veritas, vita,* nempe *subsistens,* minime vero veluti *habens* sapientiam, justitiam etc., prout ad praedictas compositiones requireretur.

136. Summam Dei simplicitatem colligunt Patres tum ex ejus natura tum ex ejus attributis; ex natura quidem, quatenus Deus *quod habet est;* et quatenus ejus notio exposcit ut sit ens quo nihil perfectius excogitari possit, tale porro non esset Deus, si compositione constaret; et quatenus demum ratio entis a se, seu primi entis necessitate naturae existentis omnem, quae fingi possit, compositionem respuit. Ex attributis vero id ipsum colligunt,

[1]) Joann. IV. 24. [2]) II. Cor. III. 17.

quae cum compositione consistere nequeunt, cujusmodi sunt infinitas et immutabilitas. Has porro rationes omnes collegit et evolvit s. Thomas. [3]

137. Quod si Deus omnino simplex est, merito infertur Deum esse suam essentiam, suum esse, actum purissimum, immo totum actum, seu talem ei simplicitatem competere, ut cum ea nulla comparari possit. Exinde fluit

PROPOSITIO II.

Absurda et haereticalis est illorum sententia, qui Deum corporeum esse censent.

138. Prior enunciationis pars afficit, praeter anthropomorphitas, quotquot Deo corpus tribuerunt; altera vero impetit socinianos aliosque, autumantes doctrinam de Deo corporeo indifferentem quoad fidem esse, neque aliud de ea judicium veteres tulisse.

139. Absurdam porro esse sententiam de Deo corporeo patet primo ex eo, quod Dei naturae repugnet; ex dictis enim ac demonstratis in superiore propositione, Deus est natura sua simplex omnino; ergo absurdum est Deum corporeum adstruere. Scriptura proinde, eos objurgans qui Deum simulacris sibi effingebant, sic loquitur [1]: *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Optime hac in parte Origenes inferebat [2]: *Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens... Sed ut sit omni ex parte μονάς,* et *ut ita dicam, ἑνὰς et mens ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturae vel mentis sit.*

140. Indifferentem porro non esse doctrinam de Deo corporeo ad catholicam fidem, neque eam ut indifferentem antiquitus spectatam fuisse, sic ostendimus. Doctrina de Deo corporeo haeresibus accensita est, ejusque pertinaces sectatores veluti haeretici habiti sunt. Ergo doctrina, de qua agimus, nec indifferens ad catholicam fidem dici potest, neque uti talis antiquitus spectata est. Sane vix orto anthropomorphismo ecclesiae saec. IV. labente, illico ceu in absurdam haeresim adversus illum Patres insurrexerunt. Hieronymus enim eam vocat *stultissimam haeresim* [3]; Theodoretus *stultam* appellat *sententiam* [4]; Cassianus vero, *ineptam haeresim* dicit *gravem errorem, qui in perpetuae mortis discrimen injiciat, et gentilem blasphemiam.* [5] Qui proinde haeresiologias scripserunt Augustinus, Philastrius, Epiphanius, Joannes damascenus, Isidorus ac Rabanus anthropomorphitas contumaces haereticis accensuerunt. Ante istos jam eos universae ecclesiae Theophilus alexandr. in epistolis paschalibus denunciaverat, ac ita protriti sunt, ut vix eorumdem reliquiae superfuerint. Quod vero dictum est de humano corpore,

[3]) *Contra gentes,* lib. I. cap. 18.
[1]) Isai. XL. 18.
[2]) *De Principiis,* lib. I. cap. 1. n. 6.
[3]) *Contra Joannem Hierosolym.,* n. 11.
[4]) *Haeret. fabul.* lib. IV. cap. 10.
[5]) *Collat.* III. cap. 2.

idem dici de alia quavis corporea substantia debet, cum eadem ratio sit. Patet igitur veritas utriusque assumpti.

DIFFICULTATES.

141. I. Obj. Adversus primam partem: 1. Scriptura refert hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum esse; ergo Deus spiritu et corpore constat. 2. Patres haud pauci, etiam quoad corpus, similitudinem Dei hominem referre docuere. 3. Scriptura praeterea Deo humana membra, oculos, os, etc., corporisque proprietates tribuit, cujusmodi sunt magnitudo et extensio, uti apud Job XI. 8. Deus dicitur *excelsior coelo, profundior inferno, longior terra, latior mari;* tribuit demum affectiones humanas, *iram, poenitentiam, misericordiam, vindictam* etc. Ergo.

142. Resp. Ad 1. *D.* Quoad animam, *C.* quoad corpus, *subd.* ratione dominii, quod a Deo homo accepit super animantia ac universam terram, *C.* respectu lineamentorum corporeorum, *N.* Hoc enim, ut vidimus, repugnat.

143. Ad 2. *D.* Patres ita docuere ratione quarumdam proprietatum, quae toti homini insunt, quaeque Dei proprietates adumbrant, *C.* ratione exterioris formae aut figurae, *N.* Intenderunt enim Patres significare aut hominis dominium, uti diximus; aut humanam formam adscititiam, quam Deus, in quorumdam sententia, uti typum adscivit in hominis creatione; aut etiam, ut pluribus placuit, quatenus hominem condidit ad similitudinem Verbi postea incarnandi.

144. Ad 3. *D.* Improprie seu metaphorico sensu, *C.* proprie, *N.* Passim siquidem Deus, ut sese hominum, quos alloquebatur, imbecillitati accommodaret, illis formulis usus est, quibus veluti sub sensus proprietates suas ineffabiles subjiceret. Hac de causa illi aut membra humana tribuuntur, aut affectiones humanae, quae longe ab ipso remotae sunt. Ne vero homines impropria hac loquendi ratione ac symbolica deciperentur, ea in Scripturis interseri voluit, quae homines ab hac opinione retraherent: cujusmodi sunt, quae de ejus immensitate, infinitate, aeternitate praedicantur. Sic Jerem. XXIII. 24: *Numquid non coelum et terram ego impleo? dicit Dominus*, et Sap. I. 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et alibi passim talia occurrunt, quae cum corpore aut corporea forma componi nequeunt.

145. II. Obj. Adversus alteram partem: 1. Doctrina de Deo corporeo revelationi non adversatur: etenim Scriptura, vel ipso Origene teste [6], nuspiam exhibet vocem *incorporei* seu *ἀσωμάτου* de Deo disserens; 2. vox autem *spiritus* non solum Deum incorporeum non evincit, sed potius contrarium adstruit; 3. in communi enim acceptione vox *spiritus* usurpabatur ad corpus subtilius significandum, ut patet etiam ex eo, quod veteres *spiritus corporeos* admiserint. Verum et hoc omisso, qui Deum corporeum professi sunt aut lucem extensam, digni fuerunt indulgentia, tum quod 4. nullam nos substantiae spiritualis ideam habeamus; tum etiam 5. ex eo quod nullum exinde

[6]) *De Principiis*, lib. I. cap. 1.

religio detrimentum capiat, cum Dei cultus et amor et obsequium integrum omnino subsistant. 6. Sane qui divinam naturam lucem esse autumarunt, eam nec minus sanctam, nec minus puram aut invisibilem crediderunt, aut minus perfecti christiani fuerunt, uti Tertullianus, Melito aliique. 7. S. Gregorius nazianzenus theologorum subtilissimus fassus est [7], Dei naturam esse prorsus incomprehensibilem ac ineffabilem, attributa negativa nullam divinae essentiae ideam praebere; positiva vero ideam semper rei alicujus sensibilis ingerere, adeo ut *impossibile sit* enti corpore praedito entia simplicia cogitare absque rerum sensibilium adminiculo. 8. Anthropomorphitae proinde tolerati sunt, neque a s. Epiphanio, Augustino teste, haereticis accensiti. Ergo.

146. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Scriptura, Origene teste, nuspiam conceptis verbis Deum *incorporeum* vocat, *C.* aequivalentibus incorporeum non adstruit, *N.* Eo enim ipso, quod Scriptura Deo tribuit proprietates, quae cum natura corporea consistere nequeunt, ipsum exhibet incorporeum, etsi vox haec in Scriptura non occurrat; nec alia fuit Origenis mens in ejusmodi observatione.

147. Ad 2. *D.* Vox *spiritus* per se substantiam incorpoream non denotat, *Tr.* in attributis quae eidem affinguntur et in suis adjunctis spectata, *N.* Haud abnuimus vocem *spiritus* per se notionem non prae se ferre substantiae omnino simplicis, nec proinde ex hac sola voce id concludimus; ast falsum est, cum de Deo sermo est, in sensu substantiae simplicis in Scripturis non adhiberi. Attributa enim, quae de Deo Scriptura praedicat, cujusmodi sunt infinitas, immensitas, aeternitas, ostendunt vocem *spiritus* per oppositionem ad corpus, ac proinde in sensu summae simplicitatis, cum de Deo sermo est, adhiberi.

148. Ad 3. *D.* Id est, veteres interdum vocem *spiritus* usurparunt minus proprie, prout minus proprie usurpabant vocem *corporis*, *C.* absolute vocem *spiritus* ad corpus subtilius significandum adhibebant, *N.* Non inficiamur quandoque nomine *spiritus* ad substantiam non omnino simplicem significandam adhibuisse veteres; ast neque negari potest veteres pariter interdum nomen *corporis* in pressa significatione non adhibuisse. Ea enim voce aliquando *substantiam* designabant, aut ens non omnino simplex seu omnis compositionis expers, cujusmodi sunt spiritus omnes creati respectu Dei. Hinc interdum Deum *corporeum* dixerunt in sensu substantiae, et spiritus etiam vocarunt corporeos, quatenus non sunt prorsus simplices, sed aliqua compositione metaphysica ac logica constant, adeoque *relative* corporeos vocabant spiritus, non *absolute*. Numquam vero de Deo minus proprie adhibuerunt in ordine ad compositionem.

149. Ad 4. *D.* Nullam ideam adaequatam substantiae spiritualis habemus, *C.* saltem inadaequatam, et per remotionem materiae et compositionis, *N.* Hoc porro sufficit.

150. Ad 5. *D.* Nullum religio detrimentum capit, quamdiu quis errat

[7]) *Orat.* XXXIV.

invincibiliter, *Tr.* errore cognito, *N.* Tunc enim sine piaculo et religionis saltem subjectivae detrimento error esse non potest. Hinc nec verus cultus neque verum obsequium subsistere possunt cum professione cogniti erroris, qui necessario adversatur veritati.

151. Ad 6. Resp. Esto, hoc tamen non impedit quominus illi, qui ita de Deo sentiebant, in exitiali errore versarentur ac repugnarent veritati, etsi aliqui, *rustica simplicitate* ducti, ut loquitur s. Hieronymus, decepti essent. Non error, sed in errore pertinacia hominem haereticum facit; conjungi propterea possunt mores inculpati cum errore, quando hic ex ignorantia procedit. Perfectus christianus nec dici nec esse potest, qui deliberate et scienter veritati obsistit. Incertum autem est, num Melito ac Tertullianus Deum reipsa corporeum admiserint; plures eruditi ab hac macula tum hos tum alios, qui ejusdem erroris incusari solent, vindicarunt.

152. Ad 7. *D.* Et haec s. Gregorius nazianz. docuit absque ullo divinae simplicitatis detrimento, *C.* ut huic detraheret, *N.* Rite omnino statuit s. Doctor Deum et incomprehensibilem et ineffabilem esse, cum haec doctrina ecclesiae sit. Imbecillitatem porro nostram adstruit ad ideam Dei adaequatam in nobis efficiendam, dum nitimur eum cogitare; sed non inficiatur posse nos, saltem ope abstractionis, omnem ab ipsius idea compositionem removere, adeoque rectam efformare nobis de Deo notionem, quam ipse in objecta oratione pluribus simplicem esse ostendit.

153. Ad 8. *D.* Quamdiu *rustica simplicitate* rudes monachi tali errore detinebantur, *C.* post perspectam ecclesiae doctrinam, *N.* Nec alio sensu a s. Epiphanio excusatos illos anthropomorphitas esse docet Augustinus, nec haereticis formalibus accensitos.

PROPOSITIO III.

Systemata pantheismi et autotheismi absurda sunt.

154. *Pantheismus*, cujus essentia consistit in *unica admittenda substantia*, profluxit ac profluit ex ignorato aut negato aut perperam intellecto dogmate creationis, seu productionis a Deo factae ex nihilo hujus universi. Dominatus est pantheismus in plerisque antiquae philosophiae tum Graeciae tum Orientis scholis: labentibus vero saeculis, modo subdole delitescens, modo apertius se prodens, sectatores habuit non paucos; dein per Spinozam scientificam methodum est nactus: ac varie ex eo tempore expositus, praesertim a *criticismo* et *transcendentalismo* germanico, aetate hac nostra eclecticismum gallicum non parum infecit.

155. Praeter ea, quae hac de re jam disseruimus in superiore Tractatu [1], juverit hic tres illas praecipuas formas commemorare, ad quas recentiores plerique pantheismum omnem revocant, nempe ad *emanatisticam*, ad *idealisticam* et ad *realisticam*. Emanatistica pantheismi forma ea est, quae mundum

[1]) Part. III. sect. I. n. 102 et seqq.

spectat uti generationem, aut evolutionem substantiae divinae, quae effunditur, quin multiplicetur. Forma pantheismi idealistici consistit in negatione realitatis phaenomenorum, ut constituat unicam realitatem, nempe substantiam absolutam. Forma denique realistica pantheismi mediam viam tenet; admittit siquidem substantiam absolutam, et quamdam realitatem in phaenomenis, quae spectat veluti attributa ac modos immanentes aut creatos substantiae infinitae. *Autotheismus* non est nisi modificatio, aut si placet, applicatio peculiaris ad hominem, humanamque societatem etiam, juxta sansimonianos, alicujus ex praedictis pantheismi formis seu speciebus. Juxta Salvador, qui spectari potest veluti organum sansimonianismi, *omnitheismus,* ut ipse loquitur, potissimum in societate politica a Moyse instituta mirifice se prodit.

156. Cum igitur tota pantheismi doctrina systemati innitatur de unitate substantiae per confusionem ideae substantiae absolutae cum idea substantiae relativae et finitae seu contingentis, quae nempe produci ex nihilo potuerit ac reipsa producta sit, patet ad eversionem pantheismi, sub quavis demum forma appareat, satis esse duplicem ejusmodi substantiarum existentiam evincere.

157. Jam vero qui unicam statuunt substantiam absolutam, infinitam, sive realem, sive idealem, eam statuunt *a priori;* attamen existentiam cujusvis substantiae nos neque cognoscimus, neque cognoscere possumus nisi a posteriori, nempe ab experientia immediate scilicet aut mediate; porro experientia nos edocet dari existentias finitas, limitibus circumscriptas, mutabiles, activas et passivas, uno verbo contingentes, quae cum non habeant in se rationem hujus ipsius existentiae, necessario nos ducunt ad admittendam existentiam absolutam, necessariam, infinitam, liberam, seu ad admittendam existentiam Dei, substantiae nempe divinae plane distinctae a substantiis finitis et contingentibus. Quod si existentiam contingentem cum existentia absoluta ac necessaria pantheistice conjungas atque unum idemque inde efficias, habebis cumulum absurdorum. Habebis nempe naturam, quae simul necessaria sit et contingens; infinita et finita; simplex et composita; una et multiplex; mutationis expers et particeps. Omitto morales turpissimas consecutiones ex pantheismo quovis manantes, quae omnem perimunt moralitatem actionum. Praeterea systemata omnia pantheismi in suis diversis formis spectata innituntur principiis hypotheticis et gratuitis a priori pariter constitutis, quod e. gr. substantia absoluta ac proinde infinita excludere debeat existentiam quorumvis entium finitorum, quae ab illa distincta sint; item quod substantia infinita et absoluta sit causa necessaria, non vero libera, quae nil possit extra se ipsam in tempore procreare ex nihilo sui, ut ajunt, et subjecti; quod res omnes nihil aliud sint aut esse possint nisi aut modificationes substantiae unicae, infinitae et absolutae, aut idea logica *objectivizans*, sic enim ajunt, se ipsam in rerum productione, aliaque ejusmodi quae gratis omnino confinguntur, ac si negentur, probari ab ipsis nullatenus possunt. Sublatis porro gratuitis hisce hypothesibus, quae praeter

imaginationis aestum nullum aliud fundamentum habent, eadem systemata uti aedificia in aëre posita collabantur necesse est.

158. Ad Spinozismum vero speciatim quod attinet, nemo est qui nesciat totum inniti definitionibus et axiomatibus ambiguis, saepe falsis et contradictoriis, excogitatis ad systema jamdiu praeconceptum fulciendum. Ex innumeris prope exemplis quae in hujus assertionis probationem adduci possent, seligatur substantiae definitio. Juxta Spinozam *substantia est id, quod in se est et per se concipitur, hoc est, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, ex quo formari debeat,* Def. III.: utraque porro definitionis pars aequivoca est; siquidem verba *quod in se est*, tum de aseitate, tum de immunitate ab alio subjecto, cui inhaereat, commode sumi possunt, primus sensus est falsus, alter est verus; sed Spinoza primum arripit ut, hoc veluti fundamento constituto, omne sui systematis aedificium excitet. Posterior pars versatur item in ancipiti; nam si sermo sit de effectu, qui relationem dicat ad causam et in ordine ad illam, seu sub conceptu *effectus* spectetur, sensus Spinozae verus erit in hac definitione; sed si spectetur res in se seu sine relatione ad causam, atque uti dicitur *absolute,* sensus Spinozae est falsus; attamen hunc ipse sensum unicum affingit definitioni suae; et ita porro pergit in evolutione systematis universi. Plura persequi possem ostendendo quod Spinoza incipiat systema suum a notione substantiae, quin ejus realitatem ostendat; quod permisceat ideas subjectivas cum objectivis, ordinem logicum cum ordine ontologico, aliaque ejusmodi non pauca, quae ostendunt Spinozam neque philosophum fuisse, neque ullo modo sibi consistere, licet in sua *Ethica* continenti methodo geometrica sit progressus. At compendiariae hujus tractationis circumscripti limites id non ferunt; satis proinde sit haec pauca delibasse de hujus viri praestantia, quem tamen metaphysicorum veluti principem in Germania et in Galliis recentiores pantheistae certatim extollunt.

159. Nec minus desipuit judaeo-incredulus, Salvador, infimus Spinozae assecla, dum eo dementiae, ne impietatis dicam, devenit, ut faceret Moysen *infinitotheismi*, immo et *autotheismi* auctorem. Ad impium ejusmodi paradoxum evertendum satis sit animadvertere Moysen narrationem Geneseos a creatione mundi exordiri, seu a coeli terraeque ex nihilo deductione solo divinae voluntatis actu, scribens: *In principio creavit Deus coelum et terram.* Verbum vero *creavit* hic adhiberi ad eductionem ex nihilo sui et subjecti significandam hujus universi, tum ex nativa ejusdem vocis vi, tum ex sensu traditionali constanti judaeorum et christianorum luculenter constat, uti in tractatu *de Deo creatore* data opera ostendemus. Constituto porro dogmate creationis rerum omnium, evanescit plane sive pantheismus, sive omnitheismus, sive demum autotheismus. Cum igitur Moyses hoc dogma jecerit uti fundamentum doctrinae suae, patet quam alienus ipse fuerit a doctrina sive religiosa sive politica, quam ei Salvador omnium facile primus per maximam injuriam affingit. Possem id ipsum urgere et confirmare tum ex divinae providentiae commendatione, quae elucet in universa historia mosaica circa

regimen hebraei populi aliarumque gentium, tum ex prodigiis et vaticiniis, quibus referta sunt mosaica volumina, quidquid de illis senserit Salvador cum rationalistis suis, tum denique ex universis prophetis, qui juxta doctrinam Moysis seu in connexione cum ejus doctrina ideam de Deo praebuerunt. Verum cum res per se sit manifesta, necesse non est haec fusius prosequi.

160. Praestat igitur concludere systemata pantheismi et autotheismi, sub quavis demum forma spectentur, inniti gratuitis, falsis, immo et contradictoriis saepe principiis adeoque absurda omnino esse, prout probandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

161. Obj. 1. Vera philosophandi ratio est mentis intuitum in suo figere objecto, quod est infinitum et absolutum, et inde synthesi quadam ontologica omnia derivare: hinc vero conficitur, ut unica tantum absoluta realitas exstet; 2. porro infinitum unicum est, atque ex sui notione excludit alia omnia sive finita sive infinita, alioquin infinitum non esset nisi in uno genere, non autem absolutum quod omnia complectatur; 3. jam vero si infinitum absolutum natura sua unicum esse debet, plane consequitur, quaecumque aut sunt, aut apparent finita, non esse nisi modificationes, seu modos existendi diversos ejusdem infiniti, quod perpetuo evolvitur et in se ipsum pariter perpetuo regreditur et involvitur; seu quod idem est, admitti necessario debet pantheismus, immo et autotheismus, quatenus hoc infinitum in homine et per hominem intelligit se, ac proinde in eodem vult; 4. quo sensu admitti potest infinitum et finitum cum mutua relatione seu Trinitas, immo et Incarnatio; quatenus *logos* seu *ratio* universalis in se unica, se in quolibet individuo prodit, scilicet *incarnat* se etc. Ergo.

162. Resp. Ad 1. *D.* Ratio philosophandi transcendentalis et *a priori, C.* ratio rite philosophandi, *N.* Basis omnis verae philosophiae est, uti alias monuimus, elementi empirici et rationalis, seu factorum experientiae et principiorum rationis amica conjunctio, sine qua nulla philosophia proprie dicta possibilis est. Quapropter qui ultra experientiam se collocant atque ab ea omnino praescindunt, ut intuitum figant immediate in infinitum et absolutum, in idealismum se projiciunt, non autem in reale et existens. Quae cum ita sint, qui ex infinito et absoluto abstracto deducunt consecutiones pantheisticas, non exhibent nisi inanem idearum conceptum seu ideale systema, quod omni fundamento destitutum est.

163. Ad 2. Infinitum et absolutum ideale quod a transcendentalibus concipitur ac fingitur, *C.* reale et in concreto, *N.* Satis est ad veram infiniti et absoluti Entis notionem constituendam, ut haec complectatur in se omnem realitatem, ita ut nulla eidem desit, nulla ei adjici queat entitas aut perfectio, ac proinde nihil eo majus excogitari possit; sed necesse non est, quin immo repugnat, ut eodem modo realitates omnes in se habeat; sufficit enim ut alias habeat *formaliter,* ut scholae loquuntur, alias autem *virtualiter* et *eminenter.* Si hoc infinitum aliquid creando producat extra se,

nihil in se amittit, et ea quae producta sunt, nihil illi adjiciunt, et possunt simul consistere. sive coexistere duae substantiae, infinita nempe et finita. Ponamus spiritum infinitum creare, uti revera est, spiritus finitos, numquid ex hac creatione de suo amittit spiritus infinitus, aut ipsi huic adjecti eum majorem efficient? numquid nequeunt spiritus finiti existere eo quod existat spiritus infinitus? Sequitur igitur ex dictis existentiam entium realiter distinctorum ab ente absoluto nullo modo adversari hujus entis infinitati.

164. Ad 3. *D.* Admisso falso et gratuito idealistico ac transcendentali principio, *Tr.* hoc rejecto, *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum, quum et in adversariorum hypothesi in plura tum contradictoria tum absurda offendere pronum sit; e. gr. dari posse modos finitos infinitae substantiae; substantiam infinitam perpetuo evolvi in infinitum, ita ut successio infinita debeat admitti; ejusmodi evolutionem necessariam esse; substantiam hanc unicam infinitam intellectu finito se ipsam intelligere aut intellectum infinitum constitui ex summa finitorum intellectuum, et ita porro. At hisce praetermissis, negamus deductiones ac illationes omnes, quas pantheistae ex principio falso et gratuito colligunt, ab ipsis *a priori*, ut ostendimus, constituto. Sublata autem basi, aedificium ruat necesse est.

165. Ad 4. eadem esto responsio. Ex his patet futilitas et impietas neo-eclecticismi, qui tamen veluti aptissimum argumentum ad religionem omnem ex integro pene dixerim restaurandam a superbientibus hominibus in praesentia advocatur.

166. II. Obj. 1. Substantia est id, quod in se est et per se concipitur, seu cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat; 2. jam vero ejusmodi substantia unica est, cum non possit produci ab alia, nec alias producere, alioquin conceptus unius involveret conceptum alterius, a qua producta est, sicut effectus involvit conceptum causae, et vicissim conceptus causae involvit conceptum effectus; 3. quod si unica est, necessario est infinita absolute seu in omni genere, cum a nulla alia terminari possit; 4. est proinde causa sui, seu ipsius essentia involvit necessario existentiam, aut etiam ad ejus naturam pertinet existere; 5. cogitatio proinde et extensio duo sunt attributa unicae substantiae, prout res omnes, quae sunt in hac rerum universitate, quas nos videmus et experimur, totidem sunt modi seu modificationes ejusdem unicae substantiae. Ergo.

167. Resp. Ad 1. *D. Substantia est id, quod in se est,* id est, *quod in se subsistit* absque ullo alio subjecto, cui inhaerere debeat, *C.* quod *a se est, N.* Siquidem esse a se aut ab alio non afficit notionem et naturam substantiae. Sic etiam: *cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei a quo formari debeat, D.* Si spectetur substantia *relative* ut effectus in ordine ad causam, *C.* si spectetur *absolute* et in se, *N.* Possumus enim concipere e. gr. horologium in se absque relatione ad artificem, sub quo respectu una substantia non includit seu involvit conceptum alterius rei, a qua formari debeat. Jam vero haec definitio fundamentalis est in spinoziano systemate; hoc igitur fundamento everso caetera ruunt. Nec minus falsae, captiosae et

ambiguae sunt definitiones reliquae et axiomata hujus praetensi geometrae ad suam demonstrationem efficiendam. Et hic est, quem Bühle et Amand Saintes (ille in *Historia philosophiae modernae*, tom. III. hic in *Historia vitae et operum Spinozae*, Paris. 1842.) cum suis vellent nobis obtrudere veluti logicum rigorosum.

168. Ad 2. *D.* Substantia, quae sit *a se*, non potest produci, *C.* quae sit *in se, N.* Haec enim produci et producere potest: involvit porro aut non involvit conceptum alterius pro diverso illo duplici respectu *relativo* aut *absoluto,* sub quo spectari potest. Hinc falsum est eam *unicam* esse debere.

169. Ad 3. *D.* Concessis praemissis, *C.* his negatis, *N.* Falsum deinde est, quod subjungitur, *substantiam infinitam eam esse quae a nulla alia terminari possit;* falsum est, cum possit una cum substantia infinita dari substantia finita, quin illa nullo ab ista modo terminetur. Dato intellectu infinito, hic profecto non terminatur ex eo, quod eodem tempore plures intellectus in eodem genere sint. Ex eo profecto quod architecti mens conceperit e. gr. aedificium atque istud erectum sit, per hoc aedificium non terminatur mens architecti, et tamen sunt in diverso genere. Falsum igitur est quod, ut substantia sit infinita, debeat excludere omnes substantias finitas sive in eodem sive in diverso genere.

170. Ad 4. *Neg.* Siquidem absurdum est quidpiam posse esse causam sui, *causa* enim dicit relationem ad *effectum;* si igitur substantia, de qua loquitur Spinoza, esset *causa sui*, produxisset se ipsam antequam existeret, quo nihil absurdius cogitari potest. Nec magis proficit hic pantheista, cum dicit *essentiam* hujus unicae substantiae suam involvere *existentiam,* seu ad ipsius naturam pertinere *existere;* nam in hac hypothesi essentia hujus substantiae distingueretur ab ejus existentia, quam involvit aut includit; involutum enim et inclusum distinguitur ab eo, quod involvit et includit: illa nempe *essentia* esset producens; haec, scilicet *existentia,* esset producta. Sed juxta Spinozam, in prop. XX. existentia Dei ejusque essentia *idem* sunt. Jam vero si essentia Dei idem est cum sua existentia, haec propositio: *Essentia Dei involvit suam existentiam,* cum hac identificaretur: *Existentia Dei involvit existentiam Dei.* Hinc Deus seu causa sui ipsius juxta Spinozam definiri posset: *Id cujus existentia involvit existentiam,* quod est tautologicum. Deo nihil potest cogitari anterius, quod proinde contineat causam sufficientem ejus existentiae. Est ens *absolutum*, ac proinde *inconditionale:* quaerere rationem sufficientem, seu conditionem ejus existentiae est contradictorium, esset enim *absolutum* et *conditionale.* Absolutum est prima conditio omnium existentiarum. Deus *est* id, *quod est.*

171. Ad 5. *D.* Admissa unica substantia, *C.* hac negata, *N.* Jam vero ex dictis admitti nullatenus potest, neque Spinoza demonstravit, quod sibi demonstrandum assumpsit; ac dum id demonstrare adnisus est, principiis falsis, aequivocis, contradictoriis uti debuit. Quum proinde principia non subsistant, ex quibus inferri posset hoc paradoxum, quod eadem

substantia sit simul cogitans et extensa, patet logice etiam illud rejiciendum esse. Accedit quod Spinoza ex suis principiis deberet admittere infinitum numerum substantiarum, dum nititur substantiam unicam adstruere. Etenim substantia juxta ipsum est id, quod in se est et per se concipitur, ex definit. III; cum vero ex definitione X. ejusdem Spinozae *attributum* alicujus substantiae debeat concipi per se ipsum, attributum igitur idem est cum substantia: sed juxta eumdem pantheistam, prop. XI. substantia praedita est infinitis attributis; ergo dantur infinitae substantiae, seu, quod idem est, simul sunt substantia unica et substantiae infinitae. Rursum extensio per se concipitur; cogitatio per se concipitur; sed quod per se concipitur ex def. III. est substantia; ergo extensio et cogitatio sunt duae substantiae. Adjicere possem ex ejusdem Spinozae principiis excludi omnia finita, quae tamen ipse admittit, cum concipi nequeat modificatio finita substantiae infinitae, cui modificatio necessario inhaeret. Sed non vacat haec diutius prosequi; interim intelligitur cujusmodi sit pantheistarum transcendentalium Germaniae, et eclecticorum Galliae idolum.

172. III. Obj. cum Salvador: 1. Idea *entis absoluti*, quod recte dici potest *infinitotheismus*, fundatur in facto, analogia et historia. 2. Moyses eam expressit per vocem *Jehovah*, quae est a radice *hajà* seu *havà*, quae significat *esse* seu *illum qui est*, nempe existentiam essentialem. 3. Id ipsum confirmant nomina secundaria, quibus in Scripturis Deus appellari solet *Schaddai*, *sufficiens* sibi ipsi; *El, fortis; Adonai, principium; Elion, excelsum; Elohim*, quod est ab *Eloah*, *vis:* ideo vero in plurali adhibetur in significatione singulari, ut indicetur *unitas virium;* Moyses propterea incipit sic librum *Geneseos: In principio Elohim* seu *vires* aut *unio virium fecit coelum et terram.* 4. Ad eum porro modum, quo *Elohim* politicum reducitur ad *esse* generale, scilicet ad populum, ita *Elohim* theologicum revocatur ad unitatem *Jehovah.* Deus igitur ex Moyse non est nisi *Esse* absolutum, cujus creaturae sunt tempora et modi. 5. Hunc idcirco Deum Moyses personificavit in lege et in populo, qui activus et passivus est, cujusque vis pendet ab unitate, et haec a conformitate cum lege. Haec Moyses complexus est duobus verbis: *Iehovah echad, Esse unum* est, non existit nisi *unum Esse.* 6. Neque ab hac Salvador hypothesi abludunt Scriptores sacri, ut patet ex Eccl. XLIII. 29: Deus *est in omnibus*, et clarius in gr. textu: *Ipse* Deus *est omne;* et ex Apostolo. [2] *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia,* et [3]: *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Ergo.

173. Resp. Ad 1. *N. Infinitotheismus* non est nisi sensus subjectivus ipsius Salvador, per summam injuriam affictus Moysi, qui tamen ab illo alienissimus fuit, uti ostendimus; nec ullo modo eidem suffragatur factum, analogia aut historia.

174. Ad 2. *Nego* in sensu adversarii. Quamvis enim *Iehovah* significet *eum qui est,* seu ens quod a se existit, non excluduntur ea voce entia

[2]) Rom. XI. 36. [3]) Act. XVII. 28.

omnia a Deo condita adeoque a Deo realiter distincta: aloquin Moyses non demandasset posteritati historiam creationis, seu eductionis hujus universi ex nihilo, et quidem actu libero divinae voluntatis.

175. Ad 3. *N.* Secundariis his nominibus Deus nuncupatus est ratione habita proprietatum, quibus ejus natura fulget, et modo ab una, modo ab alia denominatus est. Quod vero adjecit Salvador de nomine *Elohim* plurali numero, usurpato tamen in numero singulari ad significandam collectionem virium, quae fecerunt coelum et terram, falsum omnino esse vel ex eo deprehenditur, quod passim in Scripturis occurrat ad aliquid individuale significandum, Moysem e. gr. qui constituitur *Elohim* seu *deus* Pharaonis [4]; idolum Dagonis [5], et ita porro. Sed est praeterea absurdum, siquidem vires sese exeruissent antequam essent, nondum scilicet existentibus coelo et terra.

176. Ad 4. *D.* Juxta theorias sansimonianas, *C.* juxta rei veritatem, *N.* Fictitium enim est tam *esse* absolutum politicum quam theologicum, cujusmodi sunt tempora et modi *τοῦ esse* mosaici. Res enim juxta Moysen coeperunt existere *in tempore; modus* autem, uti diximus, est actus liber Dei e nihilo res omnes educentis.

177. Ad 5. *N.* Ejusmodi enim personificatio tota et exclusive est Salvador; *jus* porro *suum unicuique tribuendum.* Moyses populo israelitico divinae legis observationem et commendavit et praecepit, ac si inde tota ipsorum vel felicitas vel infelicitas penderet. Talis est idea Moysis. Illud vero *Iehovah echad* adhibitum a Moyse est, quo significaret monotheismum ad exclusionem polytheismi. Caetera sunt somnia Salvador.

178. Ad 6. *N.* Haec enim aliaque Scripturarum, quae objici possent, loca, referuntur ad Dei virtutem et immensitatem commendandam. Quo sensu Ecclesiasticus dicit Deum esse *omnia* seu *omne ens*, quatenus omnia per ipsum et in ipso subsistunt, uti etiam loquitur Apostolus ad Romanos. Sic idem Apostolus in *Actis apostolicis* eamdem ob causam merito affirmat nos in Deo vivere, moveri ac esse, quia Deus immensitate sua omnia pervadit; sed ita ut ipse sit Creator, nos creaturae; ipse habeat esse a se, nos per participationem. Nec alia ratione intelligi nonnulla Patrum effata debent, cum vel Dei virtute mundum regi asserunt vel in ipso subsistere. Toto proinde, ut ajunt, coelo tum Scriptores sacri, tum ecclesiae Patres a Salvador commento absunt.

PROPOSITIO IV.

Nulla admitti potest realis distinctio inter Deum ejusque attributa sive absoluta sive relativa, neque inter attributa absoluta ad invicem.

179. Deus ex demonstratis in Prop. I. est omnino simplex; ergo nequit in eo admitti realis quaelibet distinctio sive inter Deum et attributa absoluta

[4]) Exod. IV. 16. [5]) Jud. XVI. 17.

ac relativa, sive inter attributa absoluta ad invicem. Ex reali enim distinctione exsurgeret realis compositio, a qua abhorret summa simplicitas.

180. Ad omnimodam ejusmodi in Deo simplicitatem commendandam Scripturae Deum nominant, uti vidimus, ex notionibus abstractis, cujusmodi sunt *sapientia, vita, veritas* etc. Cum vero in attributis absolutis minor sit difficultas, ideo Patres ad simplicitatem Dei adstruendam, removendamque quamlibet compositionem, insistunt attributis relativis, ut efficiant haec nullam inferre Deo compositionem, uti s. Gregorius nazianzenus, qui: *Unum,* inquit [1], *tria et tria unum, in quibus deitas, vel ut exactius dicam, quae tria sunt deitas;* et s. Augustinus scribit [2]: *Nunc vero tene inconcussa fide Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse Trinitatem, et tamen unum Deum: non quod sit communis quasi quarta divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis et inseparabilis Trinitas.* S. Bernardus praeterea adjecit rationem theologicam *ad hominem*, uti dicunt, adversus Gilbertum Porretanum disputans [3], qui distinguebat inter divinitatem ac Deum; nam si divinitas non est Deus, erit aliquid realiter a Deo distinctum; hoc porro si quid est, aut Deo superius erit, aut inferius, aut par: si primum dicatur, ipsa divinitas Deus esset; si secundum, erit igitur inferius Deo illud quo Deus est, quod est absurdum; si tertium, neutrum erit Deus, quia neutrum summum, quod abhorret a communi Dei conceptu.

181. Concludamus igitur systemata omnia, quae invexerunt in Deo realem distinctionem adeoque compositionem, cujusmodi sunt illa palamitarum, Gilberti et abbatis Ioachimi, totidem esse absurda deliramenta, non minus fidei quam rectae rationi adversantia.

DIFFICULTATES.

182. Obj. 1. Distinctio realis trium personarum nec opponitur simplicitati Dei, neque ullam in Deo inducit compositionem; ergo neque id efficiet distinctio realis inter Deum et attributa sive absoluta sive relativa, aut inter attributa absoluta. 2. Quidquid proinde objiciatur adversus praefatam distinctionem, intorqueri potest adversus distinctionem realem personarum ad invicem. 3. Quapropter Patres graeci Basilius, uterque Gregorius, ac Cyrillus alexandrinus, disputantes contra anomaeos, pro certo statuunt in Deo distingui, immo differre substantiam ab ejus operatione ac vi seu *ἐνέργεια,* qua voce etiam attributa significant. Ergo.

183. Resp. Ad 1. *Neg. cons. et paritatem.* Distinctio enim, de qua agitur, necessario cadit in divinam naturam, adeoque si realis est, inducit realem compositionem, et adversatur divinae simplicitati; contra vero distinctio relativa cadit in personas, quae identificantur cum natura, nec dicit nisi rationem se habendi inter personas ad invicem: non igitur opponitur

[1]) *Orat.* XXXII.
[2]) Epist. CXX. cap. III. n. 13.
[3]) *Serm.* LXXX. *in Cantic.* n. 6.

aut simplicitati divinae naturae, quae eadem est et in omnibus et in singulis personis, aut ullam inducit compositionem.

184. Ad 2. *Nego* ob allatam disparitatem.

185. Ad 3. *D.* Statuunt Patres graeci distingui seu differre substantiam ab operatione, aut etiam ab attributis in Deo, cogitatione seu in conceptu nostro, *C.* re, *N.* uti liquet ex ipsorum scopo anomaeos refellendi, qui hanc distinctionem cogitationis seu mentis nostrae rejiciebant.

186. Inst. Patres non solius rationis aut cogitationis distinctionem agnoverunt inter divinam substantiam atque attributa, sed realem, ut patet 1. ex Dionysio vulgo Areopagita, qui scripsit *de unita et distincta theologia* seu *de eo quod secundum unitatem et secundum differentiam de Deo dicitur; ad unitatem* porro refert ipse *substantiam*, ad *differentiam* vero Dei operationes et attributa, quatenus ad creaturas se porrigunt ad discrimen substantiae, quae ex eodem incommunicabilis est; 2. ex s. Jo. Chrysostomo, qui ad illa Christi verba: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem*, haec scribit [4]: *Videamus praeterea quidnam Philippus intueri velit. An sapientiam Patris, an vero bonitatem? Minime; sed hoc ipsum quid tandem sit Pater, ipsam, inquam, essentiam.* Secernit igitur Chrysostomus essentiam ab attributis divinis; 3. ex s. Augustino, qui scribit [5]: *Aliud Deo est esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturam dicitur,* quod et alibi inculcat. 4. Et sane nisi proprietates saltem personales realiter ab essentia divina distinguerentur, intelligi non posset, quomodo Pater hanc ipsam essentiam communicet Filio et Spiritui Sancto, quin cum eadem communicet paternitatem. Ergo.

187. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Refert Dionysius ad substantiam divinam, ac proinde ad *unitam theologiam* etiam attributa absoluta ac relativa, *C.* solam substantiam ad horum exclusionem, *N.* Hoc evincitur ex eo quod ipse cap. II. ejusdem operis, *unum* seu *unitum* definiat id totum esse, quod tribus personis convenit; *distinctum* vero seu *differens,* quod uniuscujusque personae proprium est, esse nempe Patrem aut Filium. Item ad *theologiam unitam* refert, quaecumque a tribus personis in creaturas profluunt; contra vero ad *distinctam theologiam* refert, quae ad Verbi incarnationem spectant et ad ea, quae Verbum in assumpta humanitate gessit ad caeterarum personarum exclusionem.

188. Ad 2. *D.* Ea scribit Chrysostomus in ordine ad distinctionem cogitationis, *C.* in ordine ad distinctionem realem, *N.* Mens s. Doctoris aliorumque sanctorum Patrum, qui similia protulerunt, magis patefiet ex iis, quae in insequenti propositione dicemus.

189. Ad 3. *D.* Ad secernenda ea, quae de Deo *absolute* praedicantur ab iis, quae praedicantur aut *relative* aut *respective, C.* ad inducendam distinctionem realem, *N.* Immo pugnat s. Augustinus adversus Maximum

[4]) *Hom.* LXXIV. *in Joann.* [5]) *De Trinit.* lib. VII. cap. IV. n. 9.

arianum, qui ex distinctione trium personarum in Deo inferebat a catholicis induci compositionem in Deum eosque divinae simplicitati adversari; contra vero s. Augustinus ut hoc refellat, respondet nullam induci ex Trinitate personarum compositionem; nullam pariter ex eo quod alia absolute, alia relative aut respective de Deo praedicentur, cum neque personae divinae, neque attributa constituant partes divinae substantiae.

190. Ad 4. *D.* Non intelligitur, nisi admittatur catholica doctrina de distinctione *virtuali* inter essentiam ejusque divinas proprietates relativas, *C.* si admittatur, *N.* Haec enim virtualis distinctio, ut in Tract. *De Trinitate* ostendemus, sufficit ad ostendendum, quomodo divina substantia sub uno respectu communicari possit, quin communicetur sub alio. Quod si paternitas e. gr. directe et immediate non communicatur aliis personis, alioquin Pater ab his non distingueretur, indirecte tamen et mediate communicatur, hoc ipso quod Pater reliquis personis totam divinam communicet essentiam, cum qua ejus paternitas identificatur.

PROPOSITIO V.

Admitti debet rationis seu cogitationis distinctio tum inter divinam essentiam ejusque attributa sive absoluta sive relativa, tum inter ipsa attributa absoluta.

191. Adstruitur haec propositio adversus Eunomium et Aëtium arianos, qui omnia de Deo dici contendebant secundum essentiam, ut ex hoc inferrent non competere Filio divinam essentiam, eo quod *ingenitus* secundum essentiam de Patre solo dicatur, non autem de Filio, qui *genitus* est secundum essentiam.

192. Sic porro ejusdem veritatem evincimus: Profecto ea nos ratione de Deo et cogitare et loqui debemus, qua Deus sese imbecillitati nostrae accommodans de se ipso loquutus est, ac nobis se praebuit; atqui Deus de seipso suisque attributis loquutus est tamquam de multis, seque ipsum uti objectum praebuit multiplex, ergo et nos de his ipsis tamquam de multis cogitare et loqui debemus; id porro efficere secundum rem non possumus, ergo secundum cogitationem ita debemus de Deo sentire et loqui. Sane Deus in Scripturis modo se nobis exhibet uti potentem, modo uti sapientem, modo uti justum, nunc uti misericordem etc. Quin immo et Christus perinde ac si plura in Deo essent, loquutus est dicens [1]: *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt.* Ad quae Christi verba alludens s. Gregorius nazianzenus: *Omnia,* inquit [2], *quaecumque habet Pater, sunt Filii, praeterquam quod ingenitus est.* Sic caeteri Patres, virtualem ejusmodi distinctionem in Deo adversus Aëtium et Eunomium propugnantes, Gregorius nyssenus, Basilius, Cyrillus alex. aliique. S. vero Hilarius, hunc canonem constituit [3]: *Non loquendum aliter de Deo est, quam ut ipse de se locutus est.*

[1]) Joann. XVI. 15.
[2]) *Orat.* XLIV.
[3]) *De Trinit.* lib. VI.

193. Haec autem distinctio provenit ex foecunditate tum mentis, tum rei contemplatae, nempe Dei, qui etsi in se unus ac simplicissimus sit, pluribus aequivalet objectis inter se dissitis, atque ex multiplici ejus efficientia, quae ad plura eaque distincta se porrigit, quo fit 1°. ut in mente nostra plures distinctaeque oriantur notiones, seu fit ut mens nostra singillatim ea per distinctos conceptus apprehendat. 2°. Mens insuper nostra diversos, ut ita loquar, perfectionis gradus in hoc deprehendit: concipit scilicet majorem inter divinam essentiam ejusque attributa relativa distinctionem, minorem vero inter eamdem essentiam atque attributa absoluta, et inter haec ipsa ad invicem; ita ut majus apprehendat discrimen inter essentiam et paternitatem quam inter essentiam et bonitatem, quamvis a parte rei nulla ejusmodi differentia sit. 3°. Necessario vero haec est admittenda rationis seu cogitationis distinctio tum ad exponendum Trinitatis et Incarnationis mysterium, tum ad vitandam confusionem, quae alioquin oriretur in disserendo de Deo; cum enim volumus significare Deum omnipotentia sua universum condidisse, possemus dicere istud condidisse sua immensitate; aut pro paternitate intelligere bonitatem et ita porro, quod sine perversitate admitti non potest.

DIFFICULTATES.

194. I. Obj. 1. Distinctio illa falsa est adeoque rejicienda, quae non est conformis suo objecto; talis vero est distinctio de qua agitur, quae unice residet in mente nostra. 2. Dum mente aliquam peculiarem notionem concipimus, includimus alteram sive oppositam; e. gr. si in notione ingeniti non includimus notionem incorruptibilis, includimus notionem corruptibilis, quo fit ut Deus, qua ingenitus cogitatur, cogitetur corruptibilis; esset proinde incorruptibilis in se, et corruptibilis in mente nostra. 3. Qui communi aliquid proprium adjiciunt, ut aliquid complexum aut compositum apprehendant, vel mentiuntur, vel non; si prius dicant, cui bono id efficiunt? Si posterius eligant, composita igitur erit quaelibet Trinitatis persona, quod absurdum est et a fide alienum. Ergo.

195. Resp. Ad 1. *D.* Si fiat judicando, seu affirmando aliquid aut negando de objecto, *C.* si fiat solum abstrahendo, aut sub peculiari respectu objectum apprehendendo, *N.* Qui in corpore solam spectat dimensionem, aut solas ejusdem physicas proprietates, per mentis apprehensionem nihil pronunciat aut judicat de eodem corpore sub aliis respectibus spectato, sed illud relinquit in sua realitate; sic qui in Deo aut solam considerat substantiam sive essentiam, aut quodlibet ejusdem attributum singillatim, praescindendo ab aliis, nihil affirmat aut negat de universa Dei natura, a qua mens abstrahit seu praescindit.

196. Ad 2. *Nego*, ut patet ex modo dictis.

197. Ad 3. Resp. Neutrum fieri juxta rei veritatem, seu dum mens ad aliquam sibi ideam alicujus divinae personae efformandam eam apprehendit uti constantem ex divina essentia et quodammodo superveniente proprietate

personali, nullam in ipsam inducit compositionem, adeoque nec falsum nec verum dicit de ipso reali objecto. Haec operatio solius mentis est, quae apprehendit divinam naturam tali modo subsistentem, quo fit ut alia sit persona Patris, alia Filii, etsi ejusmodi persona simplicissima sit et identificetur cum natura divina, a qua nonnisi virtualiter distinguitur.

198. II. Obj. 1. Docent Patres nos eamdem divinam designare substantiam, cum diversis vocabulis diversas proprietates significamus, uti s. Basilius [4], et s. Athanasius. [5] 2. Concilium proinde rhemense adversus Gilbertum Porretanum sancivit: *In theologia inter essentiam et personam ratio non distinguat.* Ergo.

199. Resp. Ad 1. *D.* A parte rei, *C.* in conceptu nostro, *N.* Recte omnino Patres docuerunt diversis conceptibus nostris ac proinde vocabulis, quibus eos exprimimus, eamdem divinam substantiam designare, quae in se simplicissima est; ast numquam Patres docuere hos diversos conceptus in sua ratione formali spectatos eumdem esse conceptum, aut eumdem conceptum diversis vocabulis nos significare, e. gr. dum nos praedicamus Deum omnipotentem significare misericordem, ita ut conceptus, quem in mente habemus omnipotentiae, idem sit ac conceptus misericordiae, quod est absurdum et falsum. Idque patet ex ipsorum scopo adstruendi adversus arianos Verbi divinitatem.

200. Ad 2. *D.* In sensu Gilberti, *C.* in sensu nostro, *N.* Gilbertus enim per distinctionem *theologicam* significabat distinctionem realem, quam adstruebat inter divinam essentiam et attributa, ad discrimen distinctionis *mathematicae,* quae sola logica est. Jam vero nos in Deo solam logicam distinctionem tuemur, quae se teneat ex parte nostra.

CAPUT II.

DE DEI LIBERTATE ET IMMUTABILITATE.

201. Ideo ambas has proprietates simul complexi sumus, quia potissima difficultas consistit in eisdem mutuo in eodem subjecto, Deo scilicet, simul conciliandis, dum libertas immutabilitati ac immutabilitas libertati adversari videntur.

202. Circa libertatem Dei peccavit Hermogenes, qui Tertulliano teste in libro adversus eumdem, sic Deum immutabilem edixit, ut ei sustulerit libertatem. Contra immutabilitatem Dei peccarunt stoici, qui, teste Origene [1], Deum mutationi obnoxium effutierunt. Sociniani, viam mediam incedentes, docuere Deum immutabilem esse in sua substantia, mutabilem in suis decretis seu voluntatis actibus, ut sic in tuto ponerent ejusdem libertatem. Catholici tenent Deum omnimodo immutabilem esse simul et liberum.

203. Ad praecavendas difficultates in horum attributorum conciliatione

[4]) Ep. LXXX.
[5]) *De Decr. Nicaen. Syn.* Decr. IV. c. 8.
[1]) Lib. III. *Advers. Celsum.*

praenotandum est 1°. hic a nobis libertatem sumi in sensu strictissimo de facultate eligendi, ac proinde de immunitate cujusvis intrinsecae aut extrinsecae necessitatis aut coactionis; item de libertate *contradictionis*, ita ut possit Deus agere aut non agere, seu velle aut nolle; tum de libertate *specificationis* inter objecta diversa; non autem de libertate *contrarietatis*, quae versatur inter bonum et malum, quae in Deum cadere non potest; 2°. hanc libertatem in Deo nullam involvere imperfectionem, quae creaturis inest, cujusmodi esset animi suspensio aut deliberatio; 3°. eam concipi in *signo priori*, uti scholae loquuntur, anteriorem immutabilitate, quae eam subsequitur nostro cogitandi modo; 4°. immutabilitatem in sua notione non aliud esse nisi negationem transitus de statu in statum, seu ab uno se habendi modo ad alium, tum respectu sui, tum respectu temporis; tum respectu cujusvis rei ab extrinseco petitae, omnimodamque proinde immutabilitatem nos in Deo adstruere. Quibus praemissis sit

PROPOSITIO.

Deus est liber et immutabilis.

204. De immutabilitate habetur definitio lata a concilio nicaeno, in decreto *de Fide* [2]: *Eos, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat... aut mutabilem et convertibilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia;* tum a concilio lateranensi IV. cap. *Firmiter*, in qua fidei professione Deus *immutabilis* asseritur. De libertate autem evidenter constat tum ex auctoritate tum ex ratione.

205. Atque ut incipiamus a libertate, Deo inesse hanc perfectionem Scripturae luculenter ubique testantur. Caeteris porro locis praetermissis, de Deo dicitur [3]: *Omnia, quaecumque voluit, fecit in coelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis;* et in Ep. ad Ephes. [4]: Deus *omnia operatur secundum consilium voluntatis suae*, id est, ut explicat s. Ambrosius [5]: *Pro liberae voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio;* cui reliqui Patres concinunt, illos praesertim philosophos impugnantes, qui Deum ex naturae necessitate agere autumarunt, ut inde inferrent mundi aeternitatem. Ratio autem evidenter, uti diximus, huic veritati suffragatur; libertas enim cum sit maxima intellectualis naturae perfectio et absolute simplex, a Deo abesse nequit, ente omnium perfectissimo.

206. Idem constat de immutabilitate, quam Deo imprimis Scripturae tribuunt; etenim legitur [6]: *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur:* sed praecipue hanc sibi perfectionem Deus vindicat apud Malachiam, dicens [7]: *Ego Dominus, et non mutor:* sic etiam in N. T. scribit s. Jacobus [8]: *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis*

[2]) Apud s. Ambros. ***De Fide***, lib. I. cap. XVIII. n. 120.
[3]) Ps. CXXXIV. 6.
[4]) Eph. I. 11.
[5]) ***De Fide***, lib. II. cap. 6. n. 48.
[6]) Num. XXIII. 19.
[7]) Cap. III. 6.
[8]) Cap. I. 17.

obumbratio. Haec autem verba enarrans s. Gregorius Magnus: *Ipsa,* inquit [9], *mutabilitas umbra est, quae quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercedit.* Ex triplici ratione s. Thomas Deo hanc inesse proprietatem ostendit [10]: 1°. ex eo quod ipse sit actus purus excludens omnem potentiam, 2°. ex eo quod sit omnino simplex, 3°. ex eo quod sit infinitus; quae cum in Deo solo inveniri possint, exinde concludit Deo soli omnimodam competere posse immutabilitatem.

207. Et haec quidem apud omnes explorata sunt; at quo modo inter se duae hae proprietates in eodem subjecto, Deo scilicet, conciliantur? Difficilis sane nodus hic est, cui solvendo non pauci theologi impares se prorsus professi sunt; nos quid hac in re verosimilius dici possit, in solutione difficultatum aperiemus.

DIFFICULTATES.

208. I. Obj. Deus ex non operante fit operans res creando; novas denominationes acquirit *Domini, Salvatoris* etc., factus est homo per Incarnationem. Ergo mutationi obnoxius est.

209. Resp. *D. A.* Extrinsece, *C.* intrinsece, *N.* Omnes enim ejusmodi mutationes ab extrinseco sunt ex parte videlicet creaturarum, quae ex non esse ad esse aeterno Dei voluntatis actu in tempore vocantur, cumque Deus Dominus natura sua sit in hypothesi existentiae creaturarum, ex his *Dominus* incipit nuncupari; idem dic de Incarnatione, qua divini Verbi persona aeterno decreto incipit in tempore humanam naturam sustentare, regere ac suam facere exerendo extrinsece virtutem suam prout persona est, ad eum modum, quo Deus in tribus personis subsistens extrinsece suam virtutem exeruit in rerum creatione, absque ulla intrinseca mutatione sui.

210. II. Obj. Intellectiones ac volitiones intrinsecae Deo sunt, utpote actus vitales naturae intelligentis ac volentis; jam vero actus isti vitales circa res ad extra, Deo sunt contingentes ac liberi ita ut posset eos exerere vel non; hoc potius quam illo modo. Ergo ab intrinseco Deus mutabilis est.

211. Resp. *Dist. maj.* Intellectiones ac volitiones in se spectatae, seu ut loquuntur scholae, *entitative* Deo intrinsecae sunt, *C.* prout se referunt ad objecta extrinseca Deo seu *terminative, N.* Profecto actus vitales naturae intelligentis ac volentis intrinseci eidem sunt, et cum sermo de Deo est, cum eadem divina natura identificantur, a qua nonnisi ratione aut virtualiter distinguuntur, ac proinde Deus ipse est intelligens ac volens, neque ab eo possunt abesse; sed prout ad objectum seu terminum Deo extrinsecum referuntur, extrinseci sunt, seu possunt non habere hunc terminum, vel habere diversum ab eo quem habent. Nam creaturae possunt non intelligi ut futurae aut praesentes, ac potuit Deus eas non velle uti futuras et existentes. Quod si semel uti futuras voluit ac intellexit, in aeternum et

[9]) *Moral.* lib. XII. cap. 33. n. 38. [10]) Part. I. qu. 9. art. 1.

ab aeterno eas voluit ac intellexit immutabiliter; quum vero ex dictis libertas electionis immo et electio ipsa libera concipiatur velut in *signo priori* ante immutabilitatem, quae nostro cogitandi modo eidem electioni supervenit, fit ut Deus sit ab aeterno actus ita volens ac intelligens immutabiliter libere.

212. Quod autem Deus libere creaturas velit eodem actu, quo se vult necessario, patet ex diversa natura objecti, in quod divina voluntas tendit. Si enim hoc objectum sit intrinsecum Deo et necessarium, divina voluntas in illud tendit necessario; tale porro objectum est Deus ipse ac ejus bonitas, nam Deus est finis sui ipsius, quem Deus necessario appetere ac velle debet, ac proinde se ac bonitatem suam necessario vult. Sin vero ejusmodi objectum sit Deo extrinsecum ac ordinatum ad finem, cujusmodi sunt creaturae, quae Dei gloriam extrinsecus manifestant, Deus non vult eas per se, sed propter suam bonitatem et ad extrinsecam gloriam, quae exinde ei provenit, manifestandam, nec illi necessaria est nisi hypothetice; adeoque Deus in eas necessario non tendit, nec proinde necessario vult sed libere, ac in hypothesi quod velit sibi hanc gloriam procurare, et eo gradu ac eo modo quo ipsi placet eam ex creaturis eruere. Dum vero Deus quaerit gloriam suam hanc extrinsecam, qua non eget, suam extrinsecus exerit bonitatem, communicando creaturis bona sua.

213. Inst. 1. Deus potuit diversas cognitiones ac volitiones habere ab iis, quas habet. 2. Diversa praeterea ratione fertur in objecta quae modo futura, modo praesentia aut praeterita cognoscit; item nunc diligit hominem quia justum, nunc odio habet quia peccatorem; ergo jugi mutationi intrinsecae obnoxius est.

214. Resp. Ad 1. *D.* Absque ullo transitu de una cognitione aut volitione in aliam diversam aut contrariam, *C.* per transitum ex una in aliam, *N.* In hoc porro transitu consistit mutatio. Deus igitur potuisset certo alias respectu termini habere cognitiones ac volitiones, sed has ab aeterno habuisset et actu aeterno ac immutabili.

215. Ad 2. *D.* Diversa ratione fertur objective, *C.* subjective, *N.* Deus enim intrinsecus eadem semper ratione se habet uno eodemque actu, qui complectitur omnia tempora, et omnes status objectorum sive physicorum sive moralium. Nihil ei novi obvenit, quo cognitiones aut volitiones mutare debeat. Adeoque si qua mutatio est, unice se tenet ex parte objectorum, quae modo futura sunt, modo praesentia, modo praeterita; nunc justa et proinde amore, nunc injusta ac proinde odio digna. Satis proinde erit tradita principia ad singulas difficultates seu potius subtilitates, quae opponi possint, applicare, ut inde habeatur solutio.

CAPUT III.

DE INFINITATE, IMMENSITATE AC AETERNITATE DEI.

216. Mutuo inter se nexu tres ejusmodi perfectiones copulantur et ex eodem principio *aseitatis* dimanare concipiuntur; ideo sub uno hoc capite

complexi eas sumus. Circa haec vero attributa peccant potissime sociniani, qui Deum inficiantur essentia sua infinitum in omni genere perfectionis, neque eam essentiam ubique praesentem admittunt sed sola virtute et efficientia; item aeternum eatenus agnoscunt, quatenus principio ac fine caret, non autem successione ac temporis differentia. Ad quos errores refellendos tres subjicimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Deus est infinitus absolute ac in omni genere perfectionis.

217. Infinitatis nomine hic venit *summa et absoluta perfectio. Summa* quidem, quatenus omnem perfectionem continet, *absoluta*, quatenus omnem gradum ac modum excedit; adeo ut Deus, cui competit perfectio, sit infinitus, ut ajunt, in *ratione entis intensive.*

218. Sane Deus est ens a se, seu esse necessarium natura ac essentia sua, ergo plenitudinem entis habeat necesse est, cui nihil addi possit perfectionis intrinsecae. Nisi enim talis Deus esset, debuisset aut a se, aut ab alio limites habere, utrumque vero repugnat; siquidem a se non potuit, cum non sit causa sui, sed id, quod est, necessario est; non ab alio, ut per se patet. Denique ipsa Dei notio hanc infinitatem expostulat, cum illud ens sit, quo nihil melius aut majus excogitari potest. Hinc de eo in Ps. CXLIV. 3. dicitur: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.*

DIFFICULTATES.

219. Obj. 1. Vox *infiniti* in Scriptura interdum hyperbolice usurpatur ad ingentem significandam multitudinem, uti Num. XXXII. 1. 2. Si Deus esset reipsa absolute infinitus, coexistentiam caeterorum entium excluderet; 3. vel saltem istorum perfectiones omnes in se complecteretur; 4. omnes creaturae essent aequaliter perfectae, utpote aequaliter distantes a Deo. Ergo.

220. Resp. Ad 1. *D.* Adeoque ex substrata materia dignosci debet, quando *infiniti* vox proprie vel improprie adhibeatur, *C.* ex sono materiali, *N.* Si igitur de creaturis praedicetur infinitas, hoc ipso patet, quod nonnisi improprie assumatur; si de Deo, proprie eam sumi oportere ratio ipsa evidenter ostendit.

221. Ad 2. *D.* Si infinitas de extensione materiali intelligeretur, *C.* si de intensiva perfectione entis, *N.*

222. Ad 3. *D.* Vel formaliter vel eminenter, *C.* formaliter, *N.*

223. Ad 4. *D.* Si creaturarum perfectio ab intervallo esset dimetienda, quod Deum inter et creaturas intercedit, *C.* si a majori vel minori perfectionum numero et gradu, quos consecutae sunt, *N.*

PROPOSITIO II.

Deus est immensus rebusque omnibus et locis intime praesens essentia sua.

224. Propositio de fide est, siquidem concilium lateranense IV. in cap. *Firmiter*, profitetur Deum *immensum*, et in symbolo athanasiano dicitur: *Unus immensus.*

225. Immensitas ad discrimen infinitatis, quae dicit negationem termini in perfectione essentiali, dicit negationem termini in substantiali praesentialitate, uti scholae loquuntur, quatenus afficit modum existentiae divinae in se et quoad res omnes reales aut possibiles. Permisceri porro non debet immensitas cum *ubiquitate*, nam immensitas est essentialis Deo, ubiquitas vero non item, cum haec dicat relationem ad res creatas, quae possunt esse et non esse.

226. His verbis s. Thomas divinam immensitatem declarat [1]: *Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur; est per praesentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi.* Quoad duos priores modos nemo est qui eos Deo denegaverit; ast postremum, praeter antiquiores gnosticos, manichaeos et anthropomorphitas, denegant sociniani, uti diximus, nec de fide esse censuit Beausobre. Jam vero juxta doctrinam catholicam in hac *substantiali praesentialitate* divina immensitas consistit, quam sic Deo breviter vindicamus.

227. Ac I. quidem ex sacris litteris; etenim Deus dicitur [2]: *Excelsus et immensus;* et iterum [3]: *Numquid non coelum et terram ego impleo? dicit Dominus.* Ac rursum ajebat David [4]: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum tu illic es, si descendero in infernum ades* etc. Sed non minus luculenter substantialem hanc Dei omnipraesentiam declaravit Apostolus, dicens [5]: *In ipso vivimus, movemur et sumus.*

228. II. Inutile videretur post haec eamdem veritatem ex Patrum doctrina adstruere. Concors siquidem eorum sententia est nullis locis divinam definiri substantiam. Duplici autem ratione id exponere solent, aut enim docent Deum ita esse omnibus in locis, ut non contineatur ab illis, sed omnia excedat; aut ita continere omnem locum, ut ipse sit quodammodo locus locorum. Pulchre Dei immensitatem hac similitudine exponit s. Theophilus antiochenus [6]: *Quemadmodum,* inquit, *punicum malum corticem habens, quo comprehenditur, intus habet mansiunculas loculosque plures membranis interceptos, ac multa grana in seipso locata continet, sic universa creatura a spiritu Dei continetur, et spiritus, qui comprehendit, cum creatura comprehenditur a manu Dei.*

[1]) Part. I. qu. 8. art. 3.
[2]) Baruch III. 25.
[3]) Jerem. XXIII. 24.
[4]) Psal. CXXXVIII. 7.
[5]) Act. XVII. 28.
[6]) Lib. I. *ad Autolicum.*

229. Angelicus Doctor hoc ipsum evincit ex principio ipso a socinianis postea admisso. [7] Deus ubique agit, virtute et operatione sua dans omnibus esse; atqui Dei virtus et operatio ipsa sua substantia sunt; ergo si Dei virtus et operatio ubique sunt, ubique pariter substantiali praesentia sua Deus esse debet.

DIFFICULTATES.

230. I. Obj. Scripturae 1. ita Deum in loco exhibent, ut alibi non sit; e. gr. esse eum in coelo dicunt, eumque de loco in locum moveri, descendere, ambulare etc. affirmant; in templo, in arca commorari docent. 2. Haec sententia stetit patriarchis et prophetis; Jacob enim evigilans e somno ait [8]: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam;* Jonas vero surrexit, *ut fugeret in Tharsis a facie Domini.* [9] Ergo.

231. Resp. Ad 1. *D.* Ratione manifestationis, protectionis, operationis etc. et improprie, *C.* ratione sui ac proprie, *N.* Itaque Deus in coelo exhibetur ob suam ibi manifestationem beatis; in justis vero per gratiae suae communicationem; in Christo per unionem hypostaticam; in ecclesia per suam protectionem; in arca et in templo ob cultum, quem ibi excipit ac publicam adorationem, et ita porro. Improprie vero Deus dicitur ascendere, descendere, ambulare, sistere, accedere, recedere etc., ob peculiares effectus, quibus speciali modo praesentiam suam patefacit, uti contra Adimantum manichaeum exponit s. Augustinus.

232. Ad 2. *Neg.* Etenim Jacob loquitur de speciali Dei manifestatione sibi in visu facta; Jonas eo sensu dicitur fugisse a facie Domini, quatenus ei jubenti obedire detrectavit, quae quidem phrasis in Scripturis usitata est.

233. II. Obj. 1. Patres interdum materiam Deum permeare inficiati sunt, uti Tatianus [10], et Clemens alexandrinus [11], Chrysostomus item [12] et Lactantius. [13] Interdum 2. Deum nuspiam esse pronunciarunt, vel in coelis sedem habere, uti s. Augustinus. [14] 3. Et sane si Deus ubique esset, omniaque substantia sua permearet in foedioribus locis inveniri deberet, in daemonibus ac in inferno ipso. 4. Accedit quod ejusmodi immensitas cum Dei simplicitate componi nullatenus possit. Ergo.

234. Resp. Ad 1. *D.* Patres inficiati interdum sunt materiam Deum permeare extensione ac diffusione sui in sensu stoicorum, quos oppugnabant, *C.* cum detrimento suae immensitatis, *N.* Dogma stoicorum fuit Deum esse animam mundi, eumque uti corpus informare; tum etiam ad modum cujusdam realis diffusionis ac magnitudinis Deum concipiebant. Haec proinde paradoxa impugnantes Patres negabant Deum hac ratione materiam pervadere, cum Deus in se immensus sit ac ubique totus.

[7]) Loc. cit. art. 1.
[8]) Gen. XXVIII. 16.
[9]) Jon. I. 3.
[10]) *Orat. cont. gentes.*
[11]) Lib. II. et V. *Stromatum.*
[12]) *Hom.* V. *in ep. ad Coloss.*
[13]) Lib. *De Opificio,* cap. 16.
[14]) Lib. LXXXIII *Quaestionum,* et alibi.

235. Ad 2. *D.* Deum nuspiam esse dicunt *circumscriptive*, quasi alicui exclusive loco addictus esset, *C.* ad ejus immensitatis exclusionem, *N.* Patres enim Deum et ubique esse docent, quippe qui sua in locis praesentia omnia complet; nullibi vero Deum esse dicunt, quatenus a nullo continetur.

236. Ad 3. *D.* Si quae loca foeda sint respectu Dei, *C.* si nulla ejusmodi sunt, *N.* Quaecumque porro sunt, bona sunt, nec ullus Deo locus foedus est, sed tota foeditas in nostra est apprehensione. Sic Deus daemonibus adest, prout ipsis esse communicat, et inferno ad exercendam justitiam suam.

237. Ad 4. *Neg.* Immo apprime inter se hae duae perfectiones conciliantur, cum Deus non sit immensus per compositionem partium, sed totus ubique est, seu ut vetus philosophus praeclare dixit, Deus ubique centrum est, peripheria nuspiam.

PROPOSITIO III.

Deus est aeternus.

238. Propositio de fide est, ut constat ex concilio lateran. IV. in cap. *Firmiter*, ubi Deus *aeternus* definitur, et ex symbolo athanasiano, in quo dicitur: *Unus aeternus.* Aeternitatis vox ac notio multiplici ratione sumitur: 1°. interdum ad diuturnam durationem significandam, etsi res, de qua agitur, ac aeterna dicitur, principium habuerit ac finem habitura sit, quae significatio latissima est ac de rebus creatis usurpatur; 2°. interdum ad significandam durationem perpetuam etsi ea, de quibus dicitur, initium habuerint, uti angeli ac animae nostrae, quae immortales sunt; quae significatio minus lata est, et a scholasticis *aevum* nuncupatur; 3°. ad significanda, quae principio et fine carent quidem, sed necessaria non sunt, quo sensu actus contingentes ac liberi divini intellectus divinaeque voluntatis aeterni dicuntur, et haec significatio magis propria est; 4°. ad significanda, quae non modo initio et fine carent, sed praeterea absoluta necessitate sunt, quo sensu Deus aeternus dicitur et pressa significatione aeternitas dicitur.

239. Haec aeternitas proprie accepta vel spectatur in se absque ullo ad tempus respectu et dicitur *absoluta,* cujusmodi vita Dei est, ac potest definiri *simplicitas infinita* vel *infinitudo simplicissima unius Dei viventis;* vel spectatur cum respectu ad tempus et *relativa* nominatur, quo sensu definiri potest: *Duratio sine principio*, *sine fine*, *sine mutabilitate*, vel etiam cum s. Thoma post Boëthium: *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.*[1]

240. Hoc vero sensu, quamvis aeternitas formali careat amplitudine in fluxu partium sibi succedentium posita, habet tamen amplitudinem virtualem, qua ob carentiam principii ac finis tempori infinito aequivalet, habenti partes ab aeterno et in aeternum sibi invicem succedentes. Quo fit, ut res creatae, quamvis aeternitati coexistant, dici tamen nequeant *realiter* Deo

[1]) Part. I. qu. 10. art. 1.

esse ab aeterno praesentes, sed solum *objective*, quia Deus eas ab aeterno cognitioni suae praesentes habet; siquidem non coexistunt aeternitati secundum totam virtualem ejus amplitudinem, verum secundum aliquam tantum ejusdem virtualis amplitudinis partem, quae respondeat tali temporis differentiae, quam aeternitas in infinitum praecessit, et in infinitum sequitur juxta alias virtuales partes suas.

241. Notandum denique est, Scripturam de Dei aeternitate loqui in sensu relativae significationis, uti exposuimus, seu cum respectu ad tempus, ut nostrae sese accommodet imbecillitati.

242. Quibus praemissis sic veritatem enunciatae propositionis adstruimus: Psal. LXXX. 2. dicitur: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus;* et Apostolus de Deo loquens [2]: *Qui solus,* inquit, *habet immortalitatem.* Haec expendens s. Augustinus: *Quid est,* interrogat [3], *quod ait Apostolus de Deo,* qui solus habet immortalitatem, *nisi quia hoc aperte dixit, solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram aeternitatem?* Sic Tertullianus aeternitatem vocat *censum Dei* [4], et iterum [5]: *Non habet tempus aeternitas . . . Deus tam alienus est ab initio et fine, quam a tempore.* Sic Patres reliqui apud Petavium [6], qui omnes eamdem divinae aeternitatis notionem uno pene consensu nobis exhibent.

243. Ratione porro id ipsum confirmat s. Thomas, scribens [7]: *Ratio aeternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum; unde cum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse aeternum.* Ex quo principio infert [8], Deo soli competere stricte sumptam aeternitatem, immo Deum suam esse aeternitatem.

DIFFICULTATES.

244. Obj. 1. Scripturae Deo tribuunt successionem, uti Dan. VII. 9, ubi Deus dicitur *antiquus dierum;* et Apoc. I. 8: *Qui est, qui erat, et qui venturus est;* 2. tribuunt praeterea actiones praeteritas vel futuras; ergo non eo sensu Deus aeternus praedicatur, quasi omni careat successione, cum id intelligi nequeat.

245. Resp. Ad 1. *D.* Relative seu cum respectu temporis Dei aeternitatem exhibentes, ut se accommodent intelligentiae nostrae, *C.* absolute et prout in se est, *N.* Recolantur, quae praemisimus circa notionem aeternitatis absolutae ac relativae, seu virtualis durationis.

246. Ad 2. *D.* Respectu termini et objective, *C.* respectu sui et subjective, *N.* Dei actio in se una ac simplicissima et aeterna est, quae tamen quoad terminum sive effectum multiplex est cum illis temporis differentiis, quibus iste terminus obnoxius est. Difficultas vero in concipienda aeternitate

[2]) I. Timoth. VI. 16.
[3]) *Tract.* XXIII. *in Joann.* n. 9.
[4]) Lib. *Contra Hermogenem,* cap. 4.
[5]) Lib. I. *Contra Marcion.* cap. 8.
[6]) *De Deo,* lib. III. cap. 4.
[7]) Loc. cit. art. 2.
[8]) Ibid. art. 3.

sine ulla successione oritur ex imbecillitate ac tenuitate nostra, quae res concipere non potest sine duplici forma temporis et spatii.

PARS TERTIA.

DE SCIENTIA ET VOLUNTATE DEI.

247. Divinae substantiae actus vitales duo sunt, intelligere ac velle; postquam igitur de illa in se spectata una cum praecipuis ejus attributis egimus, de illius actibus ac operationibus, seu de scientia ac voluntate ex ordine agamus oportet.

CAPUT I.

DE SCIENTIA DEI.

248. Ex iis, quae de divina scientia disceptari solent, alia certa ac rata penes omnes catholicos sunt; alia vero nondum sunt explorata, ac magna de his in scholis catholicis controversia diu viguit, quam non praestat iterum revocare. Alia proinde ab aliis secernentes prius de certis, de caeteris vero ea tantum attingemus, quae scitu necessaria sunt ad illarum quaestionum statum cognoscendum.

249. Duo sunt praecipua, quae circa divinam scientiam, catholicam doctrinam attingunt, videlicet divinae scientiae existentia, ejusque proprietates seu dotes, atque ejusdem objectum. Quae autem in controversiam veniunt, afficiunt potissimum ipsius scientiae medium ac divisionem. Distinctis articulis de his singillatim disseremus.

ARTICULUS I.

DE DIVINAE SCIENTIAE EXISTENTIA EJUSQUE PROPRIETATIBUS.

250. Cum ea insit hominibus de Deo notio, ut summe intelligens immo et totus mens sit, vix quempiam reperire est, qui scientiam Deo in se denegaverit: paucis proinde nos ab ea expediemus; quod vero attinet ad hujus divinae scientiae proprietates, Scriptura ac Patribus facem praeferentibus, ad quatuor revocantur, ad simplicitatem scilicet, immutabilitatem, infinitatem ac efficaciam, de quibus breviter agemus.

PROPOSITIO I.

Est in Deo veri nominis scientia eaque perfectissima.

251. Scientiae nomine hic intelligimus intellectus cognitionem certam, evidentem ac immediatam. Hanc Deo inesse scientiam, ad fidem pertinet, quam ei Scripturae perpetuo tribuunt. Etenim dicitur [1]: *Deus scientiarum*

[1]) I. Reg. II. 3.

Dominus est: rursum [2]: *Domine, qui habes omnium scientiam*: Apostolus vero exclamat [3]: *O altitudo divitiarum scientiae et sapientiae Dei!* Et haec ex pluribus attulisse sufficiat.

252. Sed ratio ipsa id aperte docet. Scientia enim summa perfectio est naturae intelligentis: ergo in Deo eaque perfectissima necessario esse debet.

PROPOSITIO II.

Scientia Dei est simplex, immutabilis ac infinita.

253. Haec pariter propositio ad fidem spectat; ac primo Dei scientiam simplicem esse ex eo patet, quod sit purus actus in Deo, seu ipsa divina substantia intelligens. Hinc legitur [1]: *Est in illa* sapientia *spiritus intelligentiae sanctus, unicus, multiplex: unicus* nempe in se, *multiplex* objective. Sane scientia non est in Deo ut accidens, aut qualitas ei superveniens, quod alienum a summa Dei simplicitate esset, sed identificatur cum ipsa Dei substantia, tritumque est illud Augustini effatum [2]: *Nosse et esse illi unum est.* Unico praeterea ac simplici intuitu omnia eaque infinita percipit. Unde iterum Augustinus ibidem subdit: *Simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.*

254. Exinde profluit divinam scientiam immutabilem praeterea esse; si enim Deus simplicissimo intuitu omnia sub quovis respectu complectitur, hoc ipso ejus scientia immutabilis esse debet, nihil umquam amittens, nihil novi acquirens. Ideireo universim de Deo dicitur adeoque de scientia [3]: *Apud quem non est mutatio nec vicissitudinis obumbratio*; quibus innixus Augustinus: *Sicut*, inquit [4], *omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter et scis incommutabiliter et vis incommutabiliter.* Sane si Dei essentia immutabilis est, immutabilis pariter ejus scientia sit oportet, quae ab ea realiter minime distinguitur.

255. Infinitam denique Dei scientiam Scripturae pariter testantur; dicitur enim [5]: *Sapientiae ejus non est numerus*; et iterum [6]: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Huic veritati ipsa ratio suffragatur: si enim Deus illud ens est, quo nihil melius cogitari potest, et omni finita scientia melior sit infinita, sequitur hac praeditum Deum esse debere, quae intensive ac extensive, uti scholae loquuntur, talis sit. Id ipsum ex identitate scientiae et essentiae in Deo conficitur.

256. Dei igitur scientia simplex, immutabilis ac infinita est.

[2]) Esther XIV. 24.
[3]) Rom. XI. 33.
[1]) Sap. VII. 22.
[2]) Lib. XV. *De Trinit.*
[3]) Jac. I. 17.
[4]) *Confess.* lib. XIII. cap. 16.
[5]) Ps. CXLVI. 5.
[6]) Hebr. IV. 13.

PROPOSITIO III.

Scientia Dei est efficax et causa rerum.

257. Prout enunciatur propositio, certa est atque ad fidem pertinet. Ast non minima est controversia circa rationem, qua Dei scientia efficax et causa rerum dici debeat.

258. Siquidem divina scientia dici potest efficax et causa rerum aut *adaequate, proxime* et *immediate,* atque ut ajunt *formaliter;* aut *inadaequate, remote*, *mediate* ac ad modum directionis. Thomistae contendunt scientiam uti principium adaequatum, immediatum ac formale res omnes efficere sive necessarias sive liberas, seu quae a libera creaturae intelligentis determinatione pendent, adeo ut voluntas divina applicet intellectum ad res moliendas. Reliqui vero theologi, qui assequi nequeunt, quomodo scientia formaliter res producat, censent principium adaequatum, proximum, formale efficientiae rerum esse voluntatem, intellectum vero voluntati praelucere ad modum prudentiae et artis; prudentiae quidem quoad electionem, artis quoad executionem.

259. Hanc primam controversiam alia excipit: num scilicet ejusmodi scientia, quae causa rerum dicitur ac proinde practica, sit illa, quae *scientia simplicis intelligentiae* a theologis vocatur ac uti anterior a nobis omni voluntatis decreto concipitur; an vero *scientia,* quae dicitur *visionis,* quaeque concipitur ordine posterior. Thomistae autumant scientiam efficacem ac practicam esse scientiam visionis, qua fit ut res ideo futurae sint, quia praevidentur. Contra vero alii theologi, qui admittunt scientiam eo sensu dici operatricem et practicam, quia directrix est ac praelucet voluntati, contendunt scientiam, quae dicitur causa rerum, esse scientiam simplicis intelligentiae, ita ut res ideo praevideantur, quia futurae sunt ex voluntatis decreto. Nam logice, ajunt ipsi, prius est aliquid esse quam videri.

260. Nos, quibus propositum est nullam domesticam agitare quaestionem, ejusmodi controversiis supersedentes, propositam thesim prout generatim enunciata est, adstruimus, cum in utroque sensu verificetur scientiam Dei esse efficacem et causam rerum, sive immediate sive mediate.

261. Etenim Ps. CIII. dicitur: *Omnia in sapientia fecisti;* et Sap. VII. 21: *Sapientia omnium artifex;* tum Jerem. X. 12. de Deo legitur: *Praeparat orbem in sapientia sua et prudentia sua extendit coelos;* Prov. vero VIII. 27. divina haec ipsa Sapientia de se dicit: *Quando praeparabat coelos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos... cum eo eram cuncta componens.* Apposite ad haec s. Augustinus scribebat [1]: *Universas creaturas suas et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit; non enim nescivit, quae fuerat creaturus, nec aliter scivit creata, quam creanda.* Et alibi passim.

[1]) *De Trinit.* lib. XV. cap. 13.

262. Quod quidem s. Thomas hac ratione confirmat [2]: Ita se habet Dei scientia ad omnes res creatas, sicut scientia artificis ad ea, quae arte fiunt: sed scientia artificis est rerum causa, quae arte fiunt; ergo scientia Dei est causa rerum creatarum. Ipsi praeiverat s. Augustinus, qui scripserat [3]: *Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia.*

DIFFICULTATES.

263. Obj. 1. Res creatae omnes in Scripturis divinae omnipotentiae tribuuntur: ergo harum causa scientia dici nequit. 2. Profecto scientia non ad efficiendum, sed ad cognoscendum ordinata est. 3. Alioquin cum scientia aeterna sit, sequeretur res esse ab aeterno productas, quod falsum est. Ergo.

264. Resp. Ad 1. *D.* Quoad executionem, *C.* quoad artem ac directionem, *N.* Tria ad rerum effectionem concurrunt *scientia, voluntas, omnipotentia: scientia* quidem quatenus directrix praelucet per modum prudentiae et artis; *voluntas,* quae eligit; *omnipotentia,* quae exsequitur; quod eleganter expressit Tertullianus, dicens [4]: *Deus totam molem cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum verbo, quo jussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae.*

265. Ad 2. esto; hoc enim nobis ad tuendam propositionem satis est.

266. Ad 3. *D.* Si scientia prout causa rerum est, causa esset necessaria, *C.* si libera, *N.* Optime s. Thomas his verbis hanc ipsam difficultatem solvit [5]: *Scientia Dei est causa rerum secundum quod res sunt in scientia. Non fuit autem in scientia Dei, quod res essent ab aeterno: unde, quamvis scientia Dei sit aeterna, non sequitur tamen quod creaturae sint ab aeterno.*

ARTICULUS II.

DE OBJECTO SCIENTIAE DIVINAE.

267. Scientiae divinae objectum est, quidquid Deus cognoscit. Cognoscit porro Deus se, et alia extra se. Illud dicitur objectum primarium divinae cognitionis, istud secundarium. Hoc autem objectum secundarium complectitur omnia, quae extra Deum sunt, seu distincta ab ipsa natura Dei: jam vero ex his alia sunt mere possibilia, alia sunt praesentia aut futura; haec rursum futura alia sunt necessaria, alia libera: ex his iterum alia sunt absolute futura, alia conditionate. De utroque proinde objecto primario et secundario agendum a nobis est.

[2]) Part. I. qu. 14. art. 8.
[3]) *Tract.* I. *in Joann.*
[4]) Apologet. cap. XVII.
[5]) Loc. cit. ad 2.

PROPOSITIO I.

Deus seipsum perfecte cognoscit et comprehendit.

268. Deum in primis se ipsum plene seu perfecte cognoscere testatur Apostolus, scribens [1]: *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei,* et iterum: *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Ratio id ipsum suadet, viditque vel ipse Alcinous philosophus ethnicus: *Quoniam prima mens,* scribit, *praestantissima est, necesse est praestantissimum et intelligibile propositum esse; nihil autem se ipso praestantius habet, quare semetipsum notionesque suas semper intelliget.* Hinc Deus est sibi subjecto-objectum.

269. Se ipsum Deum praeterea comprehendere ita ostendit s. Thomas [2]: Deus se ipsum comprehendit, si se ipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est. Hoc porro modo Deus cognoscit se ipsum, cum tanta sit ejus virtus in cognoscendo quanta est ejus actualitas in existendo, nempe infinita. Ergo.

270. Dices: Quod comprehendit se, est finitum sibi; atqui Deus nec sibi finitus esse potest. Ergo.

271. Resp. *D.* Si comprehendat se ut finitum, *C.* si comprehendit se, quia facultas cognoscendi tanta est quanta est cognoscibilitas objecti, scilicet infinita, *N.*

PROPOSITIO II.

Deus cognoscit omnia possibilia.

272. Deus ex Apostolo [1]: *Vocat ea, quae non sunt, tamquam ea quae sunt;* ergo Deus eadem ratione cognoscit quae non sunt, ut ea quae sunt; quae enim non cognoscuntur, vocari non possunt; jam vero quae non sunt et vocari possunt, sunt possibilia, ergo Deus haec cognoscat necesse est.

273. Hoc ipsum confirmat s. Thomas [2], ex cognitione perfectissima, quam Deus habet suimetipsius, adeoque suae omnipotentiae. Hanc vero suae omnipotentiae cognitionem perfectam Deus non haberet, nisi distincte cognosceret ea, ad quae haec ipsa omnipotentia se extendit; atqui ea, ad quae se extendit divina omnipotentia, sunt omnia possibilia, quae nempe in suo conceptu non repugnant; ergo divina scientia ad omnia possibilia pariter se extendit, seu quod idem est, Deus perfecte distincteque omnia possibilia cognoscit.

PROPOSITIO III.

Deus distincte cognoscit omnia praeterita, praesentia et futura sive necessaria, sive contingentia et libera.

274. Ad fidem spectat haec propositio quoad omnes suas partes. Et sane primo quoad praeterita, praesentia ac futura necessaria, juxta quam-

[1]) I. Cor. II. 10.
[2]) Part. I. qu. 14. art. 3.
[1]) Rom. IV. 17.
[2]) Loc. cit.

cumque temporis differentiam, sic pronunciat Apostolus [1]: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu Dei, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus;* sic etiam [2]: *Intellexisti cogitationes meas de longe... omnes vias meas praevidisti... cognovisti omnia novissima et antiqua*, nec non de Sapientia dicitur [3]: *Scit praeterita, et de futuris aestimat... signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et saeculorum.*

275. Patres vero non modo in id consentiunt omnes, sed praeterea rationibus probant ac exemplis illustrant. Potior ratio desumitur ex eo, quod Deo nihil sit praeteritum aut futurum, sed totum praesens cum suis temporum differentiis, ex ejusque infinita virtute, quae se ad omnia distincte porrigit; utuntur vero similitudine theatri, in quo spectatori quaecumque circumstant sub unico veluti intuitu distincte offeruntur.

276. Verum vix est in his difficultas, ac si qua est, potissime attingit res libere futuras; ast praeter modo allata Scripturarum testimonia, quae generalia sunt et huc pariter referuntur, nota sunt Susannae verba, quibus sic Deum deprecabatur [4]: *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant;* et alibi [5]: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem circumspicientes omnes vias hominum... et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Quot praeterea sunt in utroque foedere vaticinia de futuris contingentibus ac liberis eventu comprobatis, tot habentur hujuscemodi divinae scientiae argumenta; sunt porro fere innumera. Vere propterea scripsit Tertullianus [6]: *Praescientiam Dei tantos habere testes, quantos fecit prophetas;* et s. Augustinus [7]: *Confiteri esse Deum et negare praescium futurorum, apertissima insania est.*

277. Nec aliter dictat vel ipsa sana ratio: si quidpiam enim Deum a tota aeternitate lateret, novas posset acquirere cognitiones, quod repugnat immutabilitati, infinitati, ac aeternitati Dei, nec amplius haberi Deus posset uti ens, quo nil melius excogitari posset.

DIFFICULTATES.

278. I. Obj. adversus duas priores propositionis partes. 1. Nonnulli Patres de distincta rerum omnium divina cognitione dubitare visi sunt. Etenim s. Hieronymus scribit [8]: *Absurdum esse ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur;* et s. Jo. Chrysostomus negat [9], Deum capillos humano more numerare. 2. Deum saltem internos animi motus secretasque cordium cogitationes non omnino cognoscere, Scripturae ipsae insinuant; alioquin enim Deus Abraham minime tentasset, id est, explorasset, uti eum fecisse

[1]) Hebr. IV. 13.
[2]) Ps. CXXXVIII. 3.
[3]) Sap. VIII. 8.
[4]) Dan. XIII. 42.
[5]) Ecclesiast. XXIII. 18.
[6]) *Contra Marcion.* lib. II. cap. 5.
[7]) *De civit. Dei,* lib. V. cap. 9.
[8]) In cap. I. *Habacuc.*
[9]) *Hom.* XXXIV. *in Matth.* n. 2.

legitur [10]; post captum vero experimentum subdit Deus [11]: *Nunc cognovi, quod times Deum;* neque Deus dixisset [12]: *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* 3. Multo vero minus Deus dicendus cognoscere peccata, quorum causa effectrix aut exemplaris ipse esse nequit, aut ea quae entia rationis vocantur. Ergo.

279. Resp. Ad 1. *D.* Si objecti Patres loquerentur de scientia Dei, *Tr.* si de ejus providentia et quidem *comparative* non autem *absolute, N.* Jam vero s. Hieronymus id unum contendit, eamdem specialem curam Deum non habere seu providentiam de irrationabilibus rebus ac de hominibus. En ejus verba: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Nec alia stetit Chrysostomo mens, subdit enim et ipse post objecta verba: *Quid vilius illis* passeribus? *Attamen numquam ignorante Deo capiuntur.*

280. Ad 2. *N.* Ad prob. autem, *D.* Quatenus Deus nostro cogitandi ac loquendi modo sese accommodavit, *C.* quasi reipsa interiorem animi dispositionem ignoraret, *N.* In priori enim textu Deus voluit omnibus manifestam efficere fidem ac obedientiam Abrahae; in posteriori voluit peccatorum, quibus se Sodomitae inquinabant, horrorem ingerere, ac vindictam, quam de illis sumere constituit, patefacere. Alioquin nimis probaretur, nempe vel ipsa exteriora opera Deum ignorare.

281. Ad 3. *D.* Si Deus cognosceret peccata ac entia rationis in se, *Tr.* si cognoscit peccata in bono opposito, cujus peccata privatio sunt, entia vero rationis in suis causis, *N.* Peccata enim, ut suo loco ostendunt theologi, in sua ratione formali, non dicunt nisi defectionem a regula, ac negativam naturam habent, adeoque Deus ea videt in bono opposito, cujus peccata privationes sunt. Entia vero rationis in suis causis seu in mentibus nostris, quae ea sibi confingunt, immediate cernit. Quamvis nec desint, qui et illa et ista in se Deum novisse affirment.

282. II. Obj. Adversus tertiam partem. 1. Scripturae passim Deum exhibent de futuris dubitative loquentem illis particulis *forte, forsitan* etc. Sic apud Jeremiam [13]: *Noli subtrahere verbum, si forte audiant et convertantur;* et Christus ipse ita Samaritanam alloquitur [14]: *Si scires donum Dei ... tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam;* et ad judaeos ait [15]: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* 2. Non pauci proinde Patres inficiati sunt in Deo esse praescientiam futurorum, uti Augustinus, Gregorius M. aliique passim apud Petavium [16]. Sed 3. s. Thomas apertissime docet [17]: *Contingens consideratum ut futurum et nondum determinatum*

[10]) Genes. XXII. 1.
[11]) Ibid. cap. V. 12.
[12]) Ibid. cap. XVIII. 21.
[13]) Cap. XXVI. 2 et 3.
[14]) Joann. IV. 10.
[15]) Ibid. cap. V. 46.
[16]) *De Deo,* lib. VI. cap. 6.
[17]) Part. I. qu. 14. art. 13.

ad unum a propria causa, non subdi per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. 4. Sane futura contingentia eo ipso quod nullam habeant causam determinatam, nec determinatam veritatem habere possunt, adeoque nec videri, cum possint non evenire; prout 5. plura sic praenunciata eventum sortita non sunt. Legitur enim, prophetam dixisse Ezechiae ex parte Dei [18]: *Dispone domui tuae, quia morieris;* convaluit ille tamen; subversionem Ninives post quadraginta dies praenunciavit Jonas [19], quae subversa non est, et ita porro. Ergo.

283. Resp. Ad 1. *D.* Ad exprimendam contingentem ac liberam rei enunciatae naturam, *C.* ad ejusdem incertam cognitionem significandam, *N.* Ita objectas formulas exponunt Patres, praesertim vero s. Hieronymus ad cit. caput Jeremiae, et s. Augustinus. [20] Alioquin Deus tot ejusmodi libera futura uti certa non praenunciasset. Itaque captui nostro Deus illis formulis sese accommodavit.

284. Ad 2. *D.* Inficiati sunt Patres in Deo esse praescientiam quoad nomen et respectu cognitionis divinae in se, *C.* quoad objectum cognitum cum suis differentiis, *N.* Cum enim Dei scientia simplicissimo intuitu omnia attingat cum differentiis suis prout in tempore contingunt, ideo Patres proprie in Deo *scientiam* haberi edixere non autem *praescientiam.* Sic inter caeteros s. Augustinus rem explicat [21]: *Quid est praescientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futurae, sed praesentes; ac per hoc non jam praescientia, sed tantum scientia dici potest.*

285. Ad 3. *D.* Ex s. Thoma contingens indeterminatum nulli subditur per certitudinem cognitioni *creatae, C. divinae,* cui omnia contingentia in aeternitate praesentia sunt, *non solum* prout sunt *in causis suis,* ut ipse loquitur, et *successive,* sed etiam prout sunt *actu in seipsis simul, N.* Uti patet ex integro ejus articulo.

286. Ad 4. *D.* Futura libera nullam habent determinatam veritatem in signo *priori,* seu ante determinationem praevisam, *Tr.* vel *C.* in signo *posteriori,* seu post praevisam determinationem, quae in tempore fiet, *N.* Sic etiam: *Possunt non evenire* ante praevisionem, *C.* post praevisionem, *N.* Cum omnia semper Deo praesentia sint in aeternitate sua, quae fiunt in tempore, hoc ipso ea Deus cognoscere debet. Repugnat porro aliquid in sensu composito, ut ajunt, praevisionis non evenire, si venturum praevisum est, quippe praevisum esset et non praevisum.

287. Ad 5. *D.* Non evenerunt, quae praenunciata sunt futura *conditionate, C.* quae praenunciata sunt *absolute, N.* Talia porro sunt adducta vaticinia, quorum alterum a lacrymis Ezechiae, alterum a poenitentia Ninivitarum impedimentum habuit, quominus effectum sortirentur, utpote condi-

[18]) Is. XXXVIII. 1.
[19]) Cap. III. 4.
[20]) *Enarr. in Ps.* II.
[21]) Lib. II. *Ad Simplic.* qu. 2.

tiones a Deo volitae, et sine quibus utrumque vaticinium procul dubio adimpletum fuisset, ut caetera omnia adimpleta sunt.

288. III. Obj. Dei praescientia conciliari nequit cum humana libertate: 1. quod enim praevisum est, necessario evenire debet; 2. quod si libertas humana subsistit, cum haec in facultate eligendi inter duo aut plura sita sit, ac proinde in indifferentia ad utrumlibet, saltem antequam homo determinetur, nequit a Deo futura electio praenosci; non in se, quia nondum facta est electio, non in causa seu in humana voluntate, quae indifferens est. Ergo aut neganda Deo praescientia, aut homini neganda libertas.

289. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Quod praevisum est, necessario evenire debet necessitate hypothetica et consequente, C. antecedente et absoluta, *N.* Ut enim paulo ante animadvertimus, quod futurum praevisum est, implicat non evenire; at ejusmodi praevisio seu praescientia attingit objectum prout est in natura sua, sive necessarium sive liberum, nec ulla ratione influit in illud; eo vel magis, quod, uti diximus, objectum visum aut praescitum logice prius sit ipsa cognitione sive praescientia. Praeclare proinde s. Augustinus: *Sicut tu,* inquit [22], *memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt.* Communis porro est haec doctrina apud Patres, penes quos receptum est, non ideo res futuras esse, quia Deus eas praescivit; sed ideo Deum praescivisse, quia futura sunt; ita Origenes, Eusebius, Theodoretus, Jo. Chrysostomus, Joannes damascenus, Hieronymus, aliique passim apud Tournely. [23]

290. Dices: Interdum Patres, inter quos s. Augustinus et s. Gregorius M. docent res non ideo a Deo praesciri, quia futurae sunt; sed ideo futuras, quia eas Deus praescivit. Alioquin futura libera essent causa scientiae seu praescientiae Dei, quae contingens esset, possetque non esse.

291. Resp. *D.* Allegati Patres ita docent respectu scientiae, quae dicitur *simplicis intelligentiae*, quae per modum artis ac prudentiae praecedit nostro concipiendi modo res et quidem necessarias faciendas a Deo aut permittendas, *C.* respectu scientiae *visionis* nuncupatae, quae res in *signo posteriori* ad decretum faciendi vel permittendi videt, *N.* Jam vero de priori scientia praelucente voluntati divinae in rebus faciendis laudati Patres loquuntur, quum dicunt res ideo futuras, quia Deus eas praescivit; non vero praescivisse, quia futurae erant, et eorum mens patet ab exemplo, quod adducunt architecti, qui prius per modum artis habet in mente omnes aedificii extruendi partes, quae non reperirentur in aedificio, nisi prius fuissent in mente sua praevisae ac praeconceptae; sed haec locum non habent nisi in iis, quae a Deo tamquam causa efficiente pendent; quoad ea, quae libera sunt, quaeque a voluntate nostra tamquam causa immediate pendent, non ita se res habet, sed decretum voluntatis versatur tantum in illis

[22]) *De libero arbitrio,* lib. III. cap. 4.

[23]) *De Deo,* qu. 18. art. 4. conclus. unica.

permittendis aut impediendis. Haec igitur futura libera sunt objectum scientiae visionis, quae supponit jam res in suo esse futuras, et ideo Deus has praevidit, quia futurae sunt. Hoc modo Patres inter se conciliantur, immo et secum ipso componitur s. Augustinus, qui haec habet [24]: *Si non malum, sed bonum facere voluissent* judaei, *non prohiberentur, et hoc facturi praeviderentur ab eo, qui novit, quid sit quisque facturus.*

292. Ad id vero quod subditur, futura libera fore causam praescientiae divinae, *D. Terminative* sive *objective, C. subjective, N.* Hoc secundo sensu esset absurdum id cogitari; in primo autem sensu verissimum est, quia, ut alias diximus, prius praecedat necesse est cognoscibilitas objecti quam ejus cognitio, prius enim praeconcipitur aliquid esse quam cognosci.

293. Contingentia pariter scientiae divinae *objectiva* esset, non *subjectiva;* fac, lumen irradiat natura sua, ast objecta irradiata seu illuminata possunt esse haec vel illa, nemo autem dicet hanc varietatem objectorum, quae sic illuminata sunt, quidpiam detrahere vi lucis irradiantis, aut quod haec ab illis pendeat.

294. Ad 2. *D.* In signo *priori* seu ante determinationem seu electionem voluntatis liberae, *Tr.* in signo *posteriori*, seu consequenter ad electionem in tempore futuram, *N.* Siquidem, ut paulo ante diximus cum s. Thoma, quaecumque in tempore fiunt, Deo praesentia sunt, adeoque et successiva electio uniuscujusvis individui; hinc in actu secundo, ut ajunt, has omnes liberas determinationes Deus ab aeterno futuras cognoscit. Atque hac ratione apprime inter se conciliantur et divina praescientia et humana libertas, quin necesse sit alterutram repudiare; conciliatur praeterea futurorum necessitas cum istorum libertate, quia illa necessitas non est nisi hypothetica atque ex suppositione certo futurae liberae determinationis, etsi haec futura nondum in se ipsis sint, prout vera sunt ea, quae praecesserunt ac memoria tenentur, quamvis actu haec ipsa non amplius sint; uti apprime declarat s. Augustinus. [25]

PROPOSITIO IV.

Deus certo ac infallibiliter cognoscit futura contingentia conditionata.

295. Futura conditionata ea dicuntur, quorum eventus a conditione, cum qua connexus est, pendet, mediumque locum obtinent inter mere possibilia et absolute futura; nempe futura essent, si poneretur talis conditio. Sic posita conditione, quod Christus praedicasset in regionibus Tyriorum ac Sidoniorum, isti conversi ad poenitentiam certo fuissent; adeoque istorum conversio non fuit mere possibilis, neque absolute futura, sed locum habuisset, si Christus apud eos praedicasset, quod cum non fecerit, neque illi ad fidem pervenere.

296. Ejusmodi scientiam Deo inesse ratum jam nunc exploratumque

[24]) Tract. LIII. *in Joann.*

[25]) Lib. XXVI. *Contra Faustum manichaeum,* cap. 5.

penes omnes theologos est, uti scribit Card. Gotti Ord. Praedicatorum, vir doctissimus. Jamdiu enim paucorum theologorum obsolevit opinio, qui Deo conjecturalem tantum futurorum conditionatorum scientiam tribuebant. Si qua controversia divisit scholas, haec non attigit nisi medium, quo Deus futura haec conditionata cognoscit. Et sane vix salva fide certa ejusmodi scientia denegari Deo potest, quam eidem Scripturae ac Patres uno consensu tribuunt, atque admittendam esse vel ipsa sana ratio luculenter ostendit.

297. Sic igitur, laudato Cardinali duce, veritatem enunciatae propositionis adstruimus: Deus in Scripturis plura revelavit sub conditione futura, quae tamen deficiente conditione non evenerunt; ergo Deus ea certo cognovit; repugnat enim Deum qui infinita veritas est summaque veracitas, quidpiam sub conditione eventurum certo praenunciasse, quin certo praeviderit.

298. Porro antecedens propositi argumenti, caeteris omissis, evincitur 1°. ex I. Reg. XXIII. 11 seqq., ubi David perhibetur Deum consuluisse, an si mansisset Ceilae, Saul venturus esset ad eam urbem obsidendam, responditque Dominus: *Descendet.* Sciscitante iterum Davide, an Ceilitae essent eum tradituri in manus Saulis, respondit Dominus: *Tradent.* Jam vero hic non agebatur aut de re mere possibili, nec de re absolute futura, cum fugiente David ac deficiente proinde conditione, Saul ad obsidendam Ceilam minime se contulerit; agebatur igitur de re sub conditione futura, quam Deus certo praevidit, certoque praenunciavit. 2°. Id ipsum constat ex III. Reg. XI. 2. ubi Deus renovat praeceptum datum Exod. XXXIV. de non ineundis conjugiis cum alienigenis, quia *certissime avertent corda vestra, ut sequamini deos earum.* Quae praedictio, adimpleta conditione in Salomone aliisque, exitum habuit; in aliis vero, hac eadem non posita, locum non habuit. 3°. Evincitur ex Sapient. IV. 21. ubi de justo in juventutis flore morte praerepto dicitur: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius;* praecognita igitur a Deo fuit illius mutatio, si diu vixisset. 4°. Denique ex Christi verbis, quibus exprobrat Corozaitis ac Bethzaiditis cordis duritiem dicens [1]: *Vae tibi, Corozain; vae tibi, Bethzaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* Tyriorum igitur ac Sidoniorum poenitentia certa fuisset, si quidem Christus inter eos signa fecisset, quae apud judaeos fecit.

299. Patrum tum graecorum tum latinorum in hac divina conditionatorum futurorum praescientia unanimis sensus est. Hac enim tum ad Dei providentiam vindicandam circa infortunia, quibus saepe affliguntur justi, tum ad parentes de immatura filiorum morte solandos utuntur. Ipsiusque ope gratiae naturam ejusque gratuitam distributionem adversus pelagianos ac semipelagianos tuentur, quod inter caeteros s. Augustinus et s. Prosper praestiterunt. Etenim s. Augustinus sic illos perstringit [2]: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de hujus vitae*

[1]) Matth. XI. 21.

[2]) Lib. *De corrept. et gratia,* cap. 8.

periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit? An eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime et insanissime dicitur. S. Prosper vero [3]: *De Tyriis vero*, scribit, *et Sidoniis, quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent?* Uterque igitur certam ejusmodi futurorum scientiam Deo tribuit.

300. Ipsa demum ratio Deo eam inesse suadet; haec enim scientia summa perfectio est, Deo proinde abesse non potest. Adeo vero christianis omnibus persuasum est Deum futura conditionata cognoscere, ut vulgo in adversis, quae passim nos premunt, dicere soleant; Deus scit quare hoc vel illud permiserit, quare ita disposuerit, praevidit in bonum vel melius hoc cessurum. Tot proinde hujus scientiae testes sunt quot fideles, immo quot homines qui Deum esse profitentur.

DIFFICULTATES.

301. I. Obj. 1. Quae ex Scripturis ad hanc scientiam adstruendam afferri solent, improprie ac metaphorice intelligi debent, cum conditio suspensionem importet, quae in Deo admitti nequit; 2. vel intelligi possunt de cognitione conjecturali, ut innuunt particulae *forte*, *forsitan* etc., quae ejusmodi praedictiones comitantur. Sic Genes. III. 21. Deus ait: *Ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae;* aut etiam ut legitur Matth. XI. 23. ubi Christus ait: *Si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem:* ac Exod. IV. 8 seqq.: *Si non crediderint tibi*, ait Deus Moysi, *neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis; quod si nec duobus quidem his signis crediderint..... sume aquam fluminis,* etc. Non igitur certo omnino sciebat Deus num Hebraei credituri nec ne essent duobus prioribus signis. Ergo.

302. Resp. Ad 1. *Neg.* Ad prob. *D.* Conditio suspensionem importat ex parte objecti, *C.* ex parte divinae scientiae qua Deus uno actu omnia attingit, ut in praeced. propositione diximus, *N.*

303. Ad 2. *N.* Absonum enim est Deo tribuere scientiam conjecturalem aut probabilem, cum id abhorreat a Dei notione. Nec obstant particulae *forte* ac *forsan,* quae interdum in Scripturis occurrunt in ejusmodi praedictionibus, alioquin admitti pariter deberet scientia conjecturalis in Deo de futuris liberis absolutis, in quorum praedictione, ut vidimus, eaedem particulae occurrunt, quo semel concesso, manus victas daremus socinianis. Igitur dicendum Scripturas ejusmodi particulis minime significare horum futurorum cognitionem prout in Deo est, sed prout res ejusmodi sunt in sua natura, seu in causis suis, uti exponit s. Thomas, dicens [4]: *Divina praescientia respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in se ipsis, in quantum scilicet ipsa praesentialiter intuetur; et secundum quod sunt in suis causis,*

[3]) Resp. VII. *ad excerpta Genuensium.* [4]) II. 2. qu. 171. art. 6. ad 2.

in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis contingentia futura, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad unum, tamen prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino conjungatur; non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica. Alioquin et illud absurdum sequeretur nec Deo praesentium scientiam inesse, cum in allegato Exod. cap. IV. Deus Moysen interroget: *Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: virga.*

304. II. Obj. Horum futurorum conditionatorum scientia a ss. Augustino, Fulgentio et Prospero adversus pelagianos ac semipelagianos, qui eam adstruebant, decertantibus, Deo prorsus denegatur. Etenim s. Augustinus: *Ipsa*, inquit [5], *exinanitur omnino praescientia, si quod praescitur, non erit. Quomodo enim recte dicitur praesciri futurum, quod non est futurum?* et iterum scribit in illud Sapientiae: *Raptus est*, etc. [6]: *Dictum est secundum pericula hujus vitae, non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Consonat s. Fulgentius, scribens [7]: *Absurde dicitur Deum praescivisse parvuli futura peccata, quae futura non erant. Neque enim Dominus rerum omnium conditor facienda praescivisset, quae facienda non essent.* Sanctus denique Prosper, loquens de semipelagianis ait [8]: *In tantum quibusque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia praeterita non exstant, futura, quae non sint futura, confingant; novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda praescita sint, et praescita non acta sint.* Ergo.

305. Resp. *D. A.* Denegatur ut norma gratiae et praedestinationis aut reprobationis juxta semipelagianorum systema, *C.* denegatur in se, *N.* Semipelagianorum systema erat gratiam et vocationem ad fidem secundum merita dari a Deo, cumque urgerentur a catholicis exemplo parvulorum, quorum alii perveniebant ad gratiam Baptismi, alii vero non item, tum exemplo adultorum, quorum alii vocabantur, aliis in infidelitate relictis, respondebant Deum ob praevisa futura illorum merita aut demerita, si diu vixissent, ita se gessisse; istorum vero futuram fidem aut incredulitatem si ad eos fidei enunciatio pervenisset. Ex eodem pariter principio inferebant semipelagiani Deum ob praevisa ejusmodi merita aut demerita conditionate futura aliis praemia, poenas vero aliis decernere. Quae cum absurda ac falsa essent, immo et aliena a divina justitia, quosdam rejici aut plecti ob demerita, quae numquam futura erant ex defectu conditionis non adimplendae, ideo Patres adducti stultum hujus praescientiae abusum rejiciebant. Nam quod spectat ad horum futurorum praescientiam in se spectatam, non solum hi Patres non respuerunt, sed praeterea nonnisi *insanissime ac perversissime* negari asserebant, ut vidimus ex Augustino et Prospero.

[5]) *De anima*, lib. I. cap. 12.
[6]) *De praedestinat. Sanctorum*, cap. 14.
[7]) *De vera praedestinat.* lib. I. cap. 7.
[8]) *Ep. ad Augustinum*, n. 5.

306. Inst. Saltem cum principiis s. Thomae ejusmodi praescientia componi nequit. Docet enim s. Doctor 1. contingentia certo non posse cognosci, nisi prout actu sunt in seipsis, et sic *considerantur ut praesentia;* jam vero talia non sunt futura conditionata, quae pendent a conditione non ponenda. Docet 2. futurum contingens videri a Deo, quia est divinae aeternitati praesens; porro futurum sub conditione aeternitati praesens non est.

307. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Dist. maj.* Non possunt contingentia futura certo praenosci nisi prout sunt in se ipsis sive conditionate sive absolute futuris, *C.* absolute tantum, *N.* Sic *dist. min.* Futura contingentia non sunt in seipsis absolute, seu ut ajunt in actu secundo seu exercito, *C.* sub conditione, *N.* Existerent siquidem et exererentur, posita conditione, adeoque certo a Deo cognosci debent, quia omnem veritatem cognoscit, quod vero sub tali conditione eveniret, veritas est.

308. Ad 2. *D.* Futurum sub conditione praesens non est aeternitati uti absolute futurum, *C.* uti futurum sub conditione, *N.* Aeternitati divinae aliquid praesens est, prout in tempore eveniet sive absolute sive conditionate.

309. III. Obj. 1. In futuris conditionatis nulla est veritas objectiva, pendet haec enim a conditione quae non erit; 2. hoc magis patet ex eo, quod nullus necessarius sit nexus inter conditionem et electionem, adeoque vel istorum futurorum scientia in Deo non est, vel est conjecturalis tantum, qualem admittit ratio nexus inter conditionem et liberum conditionatum. Ergo.

310. Resp. Ad 1. *D.* In se spectatis, *Tr.* prout subsunt scientiae Dei, *N.* Nam in ordine ad Dei scientiam eodem modo se habent futura conditionata, ac futura libera absoluta; haec enim spectata in se ipsis seu respectu liberae futurae electionis nec vera nec falsa dici possunt; ast respectu Dei vera omnino sunt; sic etiam futura conditionata, spectata nexus natura inter conditionem et conditionatum, sunt nec vera nec falsa, ast vera sunt prout divinae subsunt scientiae.

311. Ad 2. *D.* Et ideo in se nullam habent determinatam veritatem, *C.* prout subjacent intellectui divino, *N.* Responsio patet ex modo dictis.

ARTICULUS III.

DE MEDIO SCIENTIAE DIVINAE.

312. Medium scientiae a philosophis ac theologis vocatur causa cognitionis, seu medium illud, quo cognito devenitur in aliorum cognitionem; sic speculum est medium cognoscendi formam nostram, axiomata seu principia sunt media ad cognoscendas conclusiones.

313. Deus cognoscit se et alia a se distincta; quae a Deo distincta sunt, aut mere sunt possibilia, aut existentia cum suis temporis differentiis, nempe praeterita, praesentia, aut futura. Haec rursum aut sunt necessaria et a causis necessariis seu naturalibus pendent, aut sunt libera, quatenus a causa libera ponuntur. Demum haec ipsa aut absolute ac per se ponuntur,

aut dependenter ab aliqua conditione, uti in praecedente articulo declaratum est.

314. Circa rationem, qua Deus objecta a se distincta cognoscit, haud exiguae quondam in scholis catholicis exarsere controversiae, quae jam sopitae videntur. Haec singillatim placita irenica methodo exponemus, ut sic quispiam possit illud libere amplecti quod sibi magis arriserit.

315. Secernentes in primis certa ab incertis, I. inter omnes convenit Deum essentiam suam immediate, id est, absque ullo medio videre seu cognoscere, cum nulla causa anterior concipi possit ipsa divina essentia, qua haec cognoscatur.

316. II. Cum detur virtualis et cogitationis distinctio inter divinam essentiam ejusque attributa, quae illi supervenire concipiuntur, hinc fit, ut omnes pariter admittant haec attributa sua Deum cognoscere mediante essentia sua.

317. III. Omnes pariter consentiunt in eo quod Deus objecta a se distincta cognoscat in se ipso, seu in essentia sua uti objecto prius cognito, sive sermo sit de possibilibus, sive de existentibus cum suis differentiis praesentis, praeteriti, ac futuri, quas habent in tempore, si agatur de necessariis, aut de iis quae a causis necessario agentibus procedunt. Triplici porro ratione exponitur, quomodo divina essentia possit esse causa seu medium cognitionis ejusmodi objectorum, ac 1°. quidem prout Deus est prima omnium causa *productiva* sive possibilium sive existentium; 2°. prout est causa omnium *exemplaris;* 3°. ut est causa *supereminens,* seu quatenus aut formaliter aut eminenter in se continet perfectiones omnes, quae in creaturis sunt aut esse possunt. Consuli de his potest s. Thomas.[1]

318. Hactenus quidem scholae omnes unanimes fuerunt. Ast cum ventum est ad discutiendum, sub qua praecise ratione Deus in se tamquam causa cognoscat sive possibilia, sive existentia cum suis differentiis respectivis, ab invicem dissentire theologi coeperunt. Thomistae siquidem contendebant Deum in se tamquam causa *effectrice* seu *productiva* cognoscere tum possibilia, tum existentia; caeteri autem existimant Deum utraque cognoscere in se tamquam causa *exemplari* ac *supereminente*, prout Patres communiter docuere. Nec defuerunt, qui censuerint Deum immediate haec ipsa cognoscere veluti objectum ac terminum suae cognitionis, cum et haec ratio cognoscendi res in seipsis non sit minima perfectio, qua Deus destitui nequit.

319. Sed potior controversia viguit quoad futura libera sive absolute, sive conditionate; ex ea enim exitus pendet caeterarum quaestionum, quae circa gratiam agitatae sunt. Unaquaeque enim schola sedulo adnisa est fundamenta mature praejacere aedificii postea moliendi.

320. Ut autem apprime status controversiae intelligatur, necesse est ut duplex in primis distinguatur ordo, quorum alter est naturalis, supernaturalis vero seu gratiae alter. Duplex item hominis distinguendus est status,

[1]) *Cont. gent.* lib. I. cap. 49. et in *Summa,* part. I. qu. 14. art. 3.

nempe innocentiae tot a Deo cumulatus donis, ac peccati post lapsum, quo primus homo dona illa et sibi ac nobis perdidit.

321. Thomistae juxta illud generale principium, quod Deus est prima causa, universorum Dominus, et primus movens, creaturae autem omnes sunt in potentia tum ad esse, ut loquuntur, tum ad operari, quae proinde ex se in actum erumpere nequeunt quin physice a Deo permoveantur et praedeterminentur, inferunt universim pro quovis ordine ac statu necessitatem praedeterminationis physicae. Ex eadem praeterea theoria colligunt Deum praenoscere omnes actiones liberas futuras sive angeli sive hominis, tum ante tum post lapsum, tam in ordine naturali quam in ordine supernaturali in decretis suis aeternis physice praedeterminantibus ad has vel illas actiones in tempore quoad utrumque ordinem exerendas. Quod si sermo sit de peccatis, thomistae plerique docent haec Deum videre in decretis positivis praedeterminationis physicae ad actus materiales et physicos, permissivis vero quoad moralem voluntatis malitiam, quae negativa est.

322. Augustinienses vero juxta praemissas distinctiones duplicis ordinis ac duplicis status angeli ac hominis, censent cum thomistis Deum videre actus supernaturales in decretis dandi gratiam victricem et a se efficacem pro statu naturae lapsae, non item vero quoad actus naturalis ordinis sive ante sive post lapsum; tum etiam quoad actus supernaturales ante lapsum, quos omnes ante decreta ac independenter ab ipsis Deum praenoscere contendunt. Nihil hic dicere attinet de jansenianis, qui, quamvis cum augustinianis consentiant in omnibus circa diversum medium, quo Deus pro utroque ordine et pro utroque statu libera futura praenoscit, adjiciunt tamen haeresim suam de gratia necessitatem inferente.

323. Caeteri theologi, quibus nulla arrident decreta physice praedeterminantia ad unum in quovis ordine et pro quovis statu, utpote quae videantur sibi humanae libertati contraria, ac propterea rejiciunt gratiam a se efficacem, arbitrantur Deum libera futura praenoscere ante quodvis decretum. Ex his alii censent Deum ejusmodi futura videre in *supercomprehensione* naturae creatae, quatenus omnis ejus virtus a Deo cognoscitur, ad quam se porrigere potest; alii docent Deum haec cognoscere in seipsis absque cujusvis medii ope utpote veritates objectivas futuras adeoque intellectui infinito cognoscibiles; alii vero existimant Deum haec omnia videre futura contingentia libera in essentia sua veluti in speculo, quod refert, quid actura sit creatura libera in tempore et in quacumque hypothesi constituta. Ad actus supernaturalis ordinis speciatim quod attinet, hos Deum videre putant in decretis dandi gratiam per scientiam futurorum conditionatorum, praevisam efficacem, ex libero nempe voluntatis gratiae assensu, quem sub tali gratia dandum Deus certe cognoscit. Hinc si eam concedere Deus decernat, praevidet consensum certum, potest vero, etiam non obstante hujus consensus praevisione, eam non dare. Peccata vero in istorum sententia Deus cognoscit in forma opposita, seu in privatione boni, quod inesse deberet in aliqua actione.

324. Hae controversiae videntur ortae ex statu antiquioris philosophiae ac inibi veram radicem suam habere, quae cum theologiam, ut ita dicam, penetraverit, diversae scholae theologi juxta illius placita res etiam theologicas pertractarunt. Remota enim sententia in philosophicis olim recepta, de necessitate physicae applicationis potentiae ad actum, ut creatura operationes sibi consentaneas eliciat, jam patet totum labefactari thomistarum systema. Sic etiam seposita necessitate medii ex parte Dei ad res cognoscendas, sequitur opus haud esse alicujus sive speculi sive decreti ad horum futurorum scientiam, et ita porro. Jam vero ecquis nesciat illam philosophiam, quae tot ejusmodi quaestionibus originem praebuit, antiquatam esse, et a modernis scholis penitus exulasse? Hinc vix non inutiles ejusmodi controversiae nunc temporis videntur, ac solum inserviunt scientiae historiae theologicae cognoscendae.

325. Equidem novi abs diversae scholae theologis in subsidium proprii systematis Scripturas advocari, verum et illud novi quod nisi praecessissent illa philosophica systemata, nemo umquam fortasse patrocinium Scripturarum adscivisset, cum nos Deus haec docere noluerit. Sane si praedeterminantes ad suum systema fulciendum ea congerunt loca, in quibus Deus dicitur, quidquid ab hominibus agitur, *praeparasse in decretis, viis ac judiciis suis*, et id factum esse, quod ipse *cogitavit ac fieri voluit;* antipraedeterminantes ea testimonia afferunt, in quibus *opera* nostra *cognita* a Deo ac *investigata* dicuntur, *in viis et in semitis nostris praevisa.* Idem de Patribus dicatur, quorum unanimis, ut vidimus, sententia est, non ideo res futuras, quia Deus praescivit, sed ideo praescivisse, quia erant futurae, adeoque omne decretum praevertit ejusmodi divina praescientia. Audiatur prae caeteris s. Augustinus, qui haec habet.[2] *Praedestinatio* seu decretum *sine praescientia esse non potest, potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus; unde dictum est: fecit, quae futura sunt. Praescire autem potens est, quae ipse non fecit, sicut quaecumque peccata.* Hac propterea de causa idem s. Doctor fassus candide est[3], se dicere non audere quomodo Deus cognoscat, quoniam scire non potuit; satius proinde nobis erit ejus modestiam imitari.

ARTICULUS IV.

DE DIVISIONE SCIENTIAE DEI.

326. Scientia prout subjective in Deo est, nemine dissentiente, est simplicissima. Virtualiter tamen multiplex est, quatenus pluribus scientiis et cognitionibus objective realiter distinctis aequivalet, et a nobis distinctis mentis conceptibus apprehenditur.

327. Distinguitur igitur Dei scientia objective I. in scientiam *necessariam* ac *liberam.* Necessaria ea est cognitio, quae pro objecto habet res, quae

[2]) *De praedestinatione sanctorum*, c. 10. [3]) *Enarr. in Ps.* XLIX. n. 88.

a divinis decretis nullatenus dependent, cujusmodi est Deus ipse et omnia possibilia. Libera est cognitio, cujus objectum pendet a liberis Dei decretis, cujusmodi sunt res omnes existentes aut aliquando futurae.

328. II. Distinguitur in scientiam *speculativam* et *practicam*. Speculativa ea dicitur, quae versatur circa objectum, ut dicitur, non operabile, uti Deus ipse, et ea omnia, quae mere possibilia permanent. Practica, quae versatur circa objectum operabile, uti res omnes conditae aut condendae.

329. III. Distinguitur in scientiam *approbationis* et *improbationis*: approbationis, cujus objectum bonum est in quocumque ordine; improbationis, cujus objectum est malum, cujusmodi sunt peccata.

330. IV. Distinguitur in scientiam *simplicis intelligentiae* et *visionis*. Simplicis intelligentiae vocatur ea cognitio, quae antecedit omne decretum, et versatur circa mere possibilia; visionis est cognitio Dei ipsius tum rerum omnium existentium vel aliquando futurarum in aliqua temporis differentia; quo fit ut scientia visionis partim objective necessaria sit, partim contingens et libera.

331. Hactenus theologi uno ore consentiunt; siquidem nulla circa enumeratas divisiones disceptatio est. Verum non minima exarsit in scholis catholicis contentio circa postremam divisionem de scientia *simplicis intelligentiae* et scientia *visionis*. Thomistae enim contenderunt illam esse prorsus adaequatam, caeteri refragati sunt et inadaequatam proclamarunt, eo quod praeter cognitionem possibilium et futurorum admittenda sit cognitio futurorum conditionatorum. Scientiam hanc molinistae, congruistae et augustiniani *mediam* vocarunt, quatenus ejus objectum locum medium tenet inter mere possibilia et absolute futura; et eam revocant veluti speciem ad scientiam simplicis intelligentiae; eamdem veteres *exploratricem* vocarunt.

332. Thomistae igitur, qui unicum medium ad futura cognoscenda Deo assignant, nempe decreta, respuunt scientiam mediam veluti novam, atque ad summum ab arianis et semipelagianis invectam. Verum cum repugnare non potuerint apertis Scripturarum testimoniis, communi doctrinae Patrum in admittenda scientia futurorum conditionatorum, tandem et ipsi eam admiserunt. Ut tamen eam componerent cum doctrina ipsorum fundamentali de unico medio, quod Deo suppetit cognoscendi futura libera, quaecumque demum sint sive absoluta sive conditionata, in decretis, adnisi sunt ostendere Deum futura conditionata cognoscere in decretis, excogitatis primum a P. Alvarez, subjective absolutis et objective conditionatis. Quo nomine significant decreta illa, quibus Deus sibi proponit aliquid facere, dummodo ponatur conditio, quae iterum pendet a decreto suo objectivo. Exemplo sit conversio Petri: Deus decrevit convertere Petrum, si ipsemet decernat movere Petrum gratia sua ad poenitentiam. Si Deus secundum hoc decretum faciat, dandi scilicet gratiam suam efficacem, qua Petrus permoveatur ad poenitentiam, Deus videt in hoc secundo decreto conversionem certo futuram, quia conditionem, a qua poenitentia pendet, ipse decrevit ponere; quod si decreverit hanc conditionem non ponere, hanc non videt futuram conver-

sionem, immo videt contrarium. Ejusmodi decreta subjective absoluta et objective conditionata distinguuntur a decretis mere objectivis, in eo quod haec omnino seu unice penderent ab objecto absque ullo decreto Dei ponendi ex se hanc conditionem, et hoc modo concipiuntur: decerno Petrum salvare, si ipse assentiatur gratiae meae, quam ei tribuo, etsi eidem resistere possit eamque respuere.

333. Itaque tota controversia huc revocatur, utrum admitti debeant decreta ejusmodi subjective absoluta et objective conditionata, modo exposito, an non: si debent ea admitti, non datur scientia media; si non debent admitti, ac sufficiant decreta mere objective conditionata, datur scientia media, quae nihil aliud est nisi scientia futurorum conditionatorum objectiva absque ullo decreto subjective absoluto, et objective conditionato. Thomistae affirmant ex suis principiis, alioquin non posset concipi cognitio certa horum conditionatorum futurorum, cum Deus ea videre non possit in se, quia non extitura sunt, neque potest videre in sua causa proxima, voluntate nempe humana, quae praeterquam quod indifferens est ad utrumque, deficiente conditione, numquam habebitur electio; restat proinde ut unice cognoscantur a Deo in recensitis decretis.

334. Reliqui vero theologi respuunt ejusmodi decreta, quae, relictis ambagibus, revocantur ad decreta unice subjectiva. Nam, ajunt ipsi, Deum decernere subjective conversionem Petri, si ipsemet decernat gratiam efficacem dare, est dicere: volo, seu absolute decerno conversionem Petri; contra vero si decernat, non dare, perinde est ac dicere: nolo, vel decerno non converti Petrum. Insuper recens horum decretorum inventum objiciunt veluti toti antiquitati incognitum. Cum vero ex altera parte, fatentibus jam thomistis, universa antiquitas admiserit scientiam futurorum conditionatorum, nonnisi absurde arianis aut semipelagianis tribuitur invectio scientiae mediae, qui nonnisi scientia conditionatorum abutebantur. Demum, subdunt, ecquis dixerit aliud medium divinae scientiae non suppetere praeter illa decreta, de quibus nihil in Scriptura, nihil in Patribus occurrit? quare ad summum non fateri ingenue cum Augustino imbecillitatem nostram circa rationem, qua Deus sive futura absoluta sive conditionata cognoscat?

335. Nostri instituti profecto non est, ut professi sumus, hasce discutere quaestiones, unum contenti sumus animadvertere, uti pariter praemisimus, nunc vix non obsoletas dici posse has disceptationes. Fundamentum siquidem et haec habet in antiquiori philosophia, quae cum omnino, aut pene universim exulaverit e scholis nostris, ac vix philosophus supersit, qui non doceat Deum cuncta immediate cognoscere, patet nec huic disceptationi locum superesse. Restat proinde, ut theologi omnes, his feriati domesticis controversiis, uno animo conjunctisque viribus pugnent adversus veros religionis catholicae hostes.

CAPUT II.

DE VOLUNTATE DEI.

336. Voluntas definitur facultas appetendi bonum ac malum aversandi mente praecognitum. Voluntas in Deo, quum identificetur cum divina essentia, a qua nonnisi virtualiter distinguitur, sequitur eam unicam, simplicissimam ac perfectissimam esse.

337. Objective tamen, seu ex parte rei volitae, virtualiter multiplex distinguitur, prout nempe in diversa objecta ac diversa ratione divina voluntas tendit.

338. Ac I. quidem distinguitur in voluntatem *beneplaciti*, et in voluntatem *signi*. Voluntas beneplaciti est voluntas proprie dicta, ut loquitur s. Thomas [1], quia vere Deo inest; voluntas *signi* improprie ac metaphorice voluntas dicitur, cum non sinit signum voluntatis, uti improprie instrumentum a tabellione digestum vocatur voluntas testatoris. Ut autem *signum* verax sit, debet exprimere seu significare voluntatem ejus, qui eam per signum manifestat, alioquin esset fallax ac mendax. Signa, quibus Deus voluntatem suam patefacit, plura sunt, quinque tamen recensentur praecipua: praeceptum, prohibitio, consilium, permissio et operatio; praeceptum quidem, consilium, et operatio respectu boni, ait s. Thomas [2]; prohibitio et permissio respectu mali; comprehendi autem solent hoc versu:

Praecipit aut prohibet, permittit, consulit, implet.

339. II. Voluntas beneplaciti juxta eumdem angelicum Doctorem, distinguitur in *antecedentem* et *consequentem*. [3] Antecedens porro ex s. Joanne damasceno [4], ea est, quam Deus habet ex se ipso, seu *cujus ipse auctor est*, nulla scilicet expectata occasione aut causa ex parte creaturarum. Talis est voluntas salvandi reprobos. Voluntas consequens ea est, quam Deus non habet ex se solo, sed data occasione aut causa ex parte creaturarum; seu, ut inquit idem Sanctus, *ex nostra causa ortum habens*. Nempe, ut clarius adhuc exponit s. Thomas [5], voluntas consequens ea dicitur, *eo quod praesupponit praescientiam operum, non tamquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti*. Talis est voluntas damnandi reprobos, illorum praevisa impoenitentia finali. Hoc ipsum illustrat s. Doctor exemplo judicis ex se volentis omnem hominem vivere, et cognita reitate homicidam suspendi. S. Jo. Chrysostomus vocat voluntatem antecedentem *primam*, consequentem vero *secundam*.

340. III. Haec ipsa beneplaciti voluntas distinguitur in *efficacem* et *inefficacem*. Voluntas efficax ea dicitur, qua Deus ita effectum intendit, ut omnia obstacula vincat. Quo sensu scribit Apostolus [6]: *Voluntati ejus quis*

[1]) Part. I. qu. 19. art. 2.
[2]) Ibid.
[3]) *De Verit.* qu. 33. art. 3.
[4]) *De fide orthodoxa*, lib. II. cap. 29.
[5]) *In* I. *Sent.* dist. XLVI. qu. 1. art. 1.
[6]) Rom. IX. 19.

resistit? Inefficax ea dicitur, qua, etiamsi Deus aliquid velit, non ei tamen propositum est omnia impedimenta superare; hoc sensu dixit Christus [7]: *Jerusalem .... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Voluntas proinde Dei efficax semper impletur, non item vero voluntas inefficax.

341. IV. Haec insuper voluntas distinguitur in *absolutam* et *conditionatam.* Absoluta ea dicitur, qua Deus absque ulla conditione ex parte objecti aliquid vult: hac ratione vult observationem mandatorum suorum. Conditionata ea est, quae aliquam ex parte objecti conditionem includit ut adimpleatur: hac ratione Deus voluit populum suum ab hostibus defendere eique opem ferre, dummodo custodiret mandata ipsius, nec coluerit deos alienos. Voluntas porro absoluta permisceri non debet cum efficaci: nam omnis quidem voluntas Dei efficax etiam absoluta est, non autem e converso; cum possit voluntas absoluta non adimpleri, ut patet ex mandatorum observatione, a qua saepe numero homines recedunt, licet eam Deus absolute velit. Vulgo tamen promiscue usurpatur utraque voluntas.

342. Circa has praecipuas divisiones voluntatis divinae objectivae nulla viget controversia. Non minima tamen excitata est a jansenistis, qui contendunt voluntatem beneplaciti semper adimpleri, ex quo inferunt Deo haud inesse hanc voluntatem salvandi omnes homines, sed solum voluntatem *signi* adeoque impropriam ac metaphoricam, qualem etiam ei tribuunt quoad observationem divinorum praeceptorum. Quamvis praeterea iidem agnoscant distinctionem voluntatis Dei in antecedentem et consequentem, autumant nihilominus hanc in ordine ad hominum salutem desumendam esse ex peccato originali. Nam juxta ipsos Deus quidem habuit voluntatem omnes homines salvandi, antecedenter tamen ad praevisionem originalis noxae; consequenter vero ad ejus praevisionem Deus jam non habuit voluntatem salvandi nisi solos electos et praedestinatos, unde sequitur ex ipsorum sententia Christum mortuum esse pariter pro solis electis; quoad reliquos autem Deum non habere nisi voluntatem metaphoricam, et ex hac voluntate Christum pro reprobis mortuum esse. Haec execrabilis doctrina est, quam impugnandam assumimus.

PROPOSITIO.

Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente vult omnes homines salvos fieri, et Christus non pro solis praedestinatis sed pro omnibus mortuus est.

343. Haec propositio ex ea parte, quae complectitur alios praeter praedestinatos, de fide est, ex ea vero, quae omnes prorsus homines includit, vera, pia, catholica et fidei proxima est, sive quoad voluntatem Dei, sive quoad mortem Christi. De fide esse quoad eam partem, quae alios quam praedestinatos complectitur, patet ex censura propositionis V. Jansenii in Con-

[7]) Matth. XXIII. 37.

stitut. *Cum ex occasione,* Innocentii X. et Alexandri VII. ab universa ecclesia receptis: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* Ergo contradictoria propositio: *Christus pro aliis quam pro praedestinatis mortuus est et sanguinem suum fudit,* de fide est. Cum vero correlativa sint mors Christi pro hominibus et voluntas Dei eos salvandi, sequitur eadem certitudine constare de morte Christi ac de voluntate Dei circa hominum salutem. *Veram* porro *piam, catholicam ac fidei proximam* esse propositionem ex ea parte, quae includit omnes homines, ex firmissimis, quibus innititur fundamentis, unicuique facile patebit.

344. Deum igitur in primis velle voluntate beneplaciti seria et antecedenti omnes homines salvos fieri, caeteris praetermissis, sic ex Pauli apostoli testimonio luculentissimo evincimus [1]: *Obsecro igitur,* scribit, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo; qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Atqui dum hic dicit Deum velle omnes homines salvos fieri, omnes prorsus et singulos, nemine excepto, significat Apostolus. Ergo.

345. Etenim 1°. tam late patet in v. 4. *omnes homines,* quam in v. 1. *pro omnibus hominibus;* siquidem ideo vult Apostolus, ut *pro omnibus hominibus* orent fideles, quia Deus *vult omnes homines salvos fieri.* Ergo sicut pro omnibus omnino hominibus, nemine excepto, nobis orandum esse asseruit v. 1. ut patet ex praxi ecclesiae Apostolum sic intelligentis, ut fatetur vel ipse Estius [2], ita in v. 4. affirmat Apostolus Deum velle omnes prorsus homines, nemine excepto, salvos fieri.

346. 2°. Nec minus idipsum luculenter evincunt rationes, quas urget Apostolus v. 5 et 6. ad probandum Deum velle hominum salutem. Nimirum, quia *unus est Deus* omnium, et quia Jesus Christus omnium *hominum mediator est,* et hic mediator noster *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus;* atqui Deus est omnium hominum, nemine excepto, creator; Jesus Christus est omnium hominum, nemine excluso, mediator; pro omnibus hominibus redimendis, nemine excepto, semetipsum obtulit hic mediator Dei et hominum; ergo Deus vult omnes homines, nemine excepto, salvare.

347. 3°. Idem evincitur ex generali illa tradita ab Augustino regula interpretandi Scripturas, juxta quam in sensu proprio et secundum totam amplitudinem suam Scripturae verba intelligenda sunt, nisi vel alia Scripturae

[1]) I. Timoth. II. 1 et seqq. [2]) *Comment.* in hunc loc.

loca, vel evidens aliqua ratio, seu potius traditio aliter poscant; atqui verba Apostoli *omnes* et *omnibus*, quominus in tota sua amplitudine sint intelligenda, et verbum *vult* in significatione propria sit accipiendum, non solum tria recensita non obstant, sed plane ita esse accipienda et intelligenda necessario exposcunt; etenim Apostolus Petrus, ad omnem excludendam exceptionem ab hac sincera Dei voluntate salvandi omnes homines, scribit[3]: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Quod igitur alter Apostolus propositione generali affirmativa adstruit, adstruit alter propositione generali negativa.

348. Itaque alia Scripturae loca juxta Augustini regulam non solum non obstant amplissimae significationi vocum *omnes* et *omnibus* textus paulini, sed eam immo postulant; restat ut expendamus, an id ipsum efficiat etiam traditio. Porro extra omne dubium est traditionem eamdem universalem significationem verbis Pauli tribuisse. Omissis vero Patribus graecis, quos omnes adversus se esse ultro dat Jansenius, testes hujus traditionis exhibemus Patres latinos. S. Augustinus haec habet[4]: *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in cognitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur.* Illos itaque omnes Deus ex Augustino *vult salvos fieri*, quos justissime judicabit; atqui procul dubio Deus omnes ac singulos omnino homines judicaturus justissime est; ergo omnes prorsus ac singulos homines Deus vult salvos fieri. Quum vim argumenti senserit Jansenius, ut ab eo se subduceret, contendit allegata verba non ex propria sententia s. Augustinum attulisse, sed veluti objectionem sibi a pelagianis propositam. Ast inepte, ut patet ex verbis ipsis, quibus orsus est s. Doctor caput immediate subsequens: *Haec disputatio, si quaestioni illi solvendae* (cur scilicet non omnes de facto salventur, si Deus vult omnes salvos fieri) *sufficit, sufficiat;* quod de haeretica doctrina dici profecto a s. Augustino non potuisset.

349. Hoc sensu propterea de universali voluntate Dei intellexit verba Augustini s. Prosper, qui in responsione ad secundam objectionem Vincentianam magistri sui fidelissimus discipulus paucis ac dilucide illius mentem exponit scribens: *Remota hac discretione, quam divina scientia intra secretum justitiae suae continet, sincerissime credendum, ac profitendum est Deum velle, ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salventur, salvantis est donum.* Quae si bene perpendantur, evincunt hanc fuisse mentem Augustini, Apostolum scilicet docuisse Deum voluntate antecedente vera ac sincera omnium prorsus hominum velle salutem.

350. His adjici debet celebratissimus auctor librorum *De vocatione gentium*, qui ab aliis ipse Prosper, ab aliis vero s. Leo M. creditur. Hic igitur

[3]) Ep. II. cap. III. 9.

[4]) *De spiritu et littera*, cap. 23.

ex sensu ac praxi ecclesiae universalis probat [5], allegata Apostoli verba *Deus vult* etc., intelligenda esse de omnibus hominibus; et concludit [6]: *Tribus saluberrimis et veracissimis definitionibus simus innixi, quarum una profitetur aeternum et proprium divinae esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit.*

351. Concilium praeterea carisiacum adversus Gotteschalcum praedestinatianum statuit capitulo III.: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur.* Hanc eamdem doctrinam, patrum vestigia secuti, professi sunt scholarum principes Magister sententiarum, s. Thomas, Scotus, s. Bonaventura.

352. Quod spectat ad alteram propositionis partem de morte Christi pro omnibus, qua hactenus dicta mirifice confirmantur, eam evincimus ex ejusdem Apostoli verbis, qui scribit [7]: *Sicut per unius delictum in omnes homines* peccatum pertransiit *in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines* redemptio Christi pertransiit *in justificationem vitae,* quantum scilicet ex parte Christi fuit. Ac rursum: *Si unus,* inquit [8], *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Ex Apostolo igitur Christus pro iis omnibus mortuus est, qui mortui sunt per peccatum in Adam; atqui omnes et singuli homines (una excepta b. Virgine ex privilegio) in Adam mortui sunt; ergo pro omnibus et singulis mortuus est Christus. Id ipsum docet s. Joannes, scribens [9]: *Ipse* Christus *est propitiatio pro peccatis nostris,* fidelium; *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

353. Communis proinde et unanimis facta est doctrina apud Patres; inter quos s. Leo M. ita loquitur [10]: *Sicut nullum a reatu liberum reperit, sic liberandis omnibus venit.* S. Ambrosius: *Sol ille justitiae,* inquit [11], *omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludit, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se fraudavit.* S. Augustinus: *Judicabit,* inquit [12], *orbem terrarum in aequitate, non partem, quia non partem emit; totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.* Et hoc adversus donatistas; scribens vero adversus Julianum pelagianum, qui negabat transmissionem peccati originalis, lib. II. adversus illum assumit Christi mortem pro omnibus veluti medium probationis ad ostendendam propagationem peccati originalis in omnes prorsus homines; ex quo discimus aetate illa magis notam fuisse Christi pro omnibus mortem quam ipsam peccati originalis propagationem. Sancto Augustino consonat s. Prosper, ut solet, nam scribit de Christo [13]: *Dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit.* Quapropter concilium tridentinum hanc doctrinam veluti certam ratamque supponit, dicens [14]: *Verum etsi ille* Christus *pro*

[5]) Lib. I. cap. 12.
[6]) Lib. II. cap. 30.
[7]) Rom. V. 18.
[8]) II. ad Cor. V. 14.
[9]) Ep. I. cap. II. 2.
[10]) *Serm.* I. *de Nativ.* cap. 1.
[11]) *Serm.* VIII. *in Ps.* CXVIII. n. 57.
[12]) *Enarr. in Ps.* XCV. n. 15.
[13]) *Respons. ad artic.* 9 *Gallorum.*
[14]) Sess. VI. cap. III.

omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.

354. Si enim aliqui essent, pro quibus dici posset Christum mortuum non esse, adversariis ipsis fatentibus, ii profecto sunt, quibus beneficium mortis ac redemptionis ejus non applicatur; atqui tamen ex conc. tridentino etiam pro his Christus mortuus est; ergo ex eodem concilio Christus reipsa pro omnibus omnino hominibus mortuus dici debet. Miror proinde, qui factum sit, ut nonnulli auctores, catholico licet nomine gloriantes, quas hactenus adstruximus veritates, vel in dubium potuerint revocare.

DIFFICULTATES

adversus voluntatem Dei salvandi omnes.

355. I. Obj. 1. Ex Scriptura generalis ejusmodi Dei voluntas minime adstruitur, cum notum sit voces *omnes*, *omnis*, etc. coarctari ad multos, ut patet ex Gen. IV. 12: *Omnis caro corruperat viam suam*, et alibi saepe. 2. Quia Scriptura ipsa a propositione illa generali aliquos aperte excludit; antecedenter siquidem ad omne meritum dicitur Malach. I. 2, 3: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ergo.

356. Resp. Ad 1. *N.* ac *nego* praeterea, quod assumitur ab adversariis, nos generalem Dei voluntatem salvandi omnes ex solis vocibus *omnes* et *omnibus*, etc. adstruere. Nam et ex orationis serie, ex scopo Apostoli, ex motivis et rationibus, quas adducit, ostendimus voces has in amplissima seu universali significatione ab eodem adhiberi; et ex collatione utriusque apostoli Petri et Pauli; licet proinde voces istae interdum in Scripturis adhibeantur in sensu, ut vocant, restrictivo, in allegato tamen Apostoli textu nullo modo sensus coarctari potest.

357. Ad 2. *N.* Ad prob. *D.* Deus Esau odio habuit, id est, minus dilexit quam Jacob, et quidem in ordine ad temporalia bona, *C.* vere odio habuit et in ordine ad aeternam salutem, *N.* Qui phraseologiam hebraicam novit, ignorare non potest hanc inesse vim huic dictioni *odio habere*, cum adhibetur comparative, ut significet minorem dilectionem, quo sensu dixit Christus [15]: *Qui non odit patrem suum et matrem, non potest meus esse discipulus;* alibi enim explicat, quidnam sit ejusmodi odium, scilicet minorem dilectionem, dicens in loco parallelo [16]: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me . . . non est me dignus.* Accedit, quod Deus apud Malachiam hoc dixerit in ordine ad bona temporalia stirpis israeliticae et idumaeae, Apostolus vero illam praeelectionem profert veluti typum gratuitae vocationis ad fidem. [17]

358. II. Obj. 1. S. Augustinus constanter rejecit generalem illam interpretationem paulini testimonii de salvandis omnibus hominibus tamquam pelagianam; 2. hoc vero ipso quod illa interpretatio pelagianis vehementer

[15]) Luc. XIV. 26.
[16]) Matth. X. 37.
[17]) Rom. IX. 15.

placuerit, suspecta esse debet viro catholico; 3. ab iis propterea quam maxime abscedit s. Augustinus, qui textus s. Pauli triplicem suffecit interpretationem ad illam sententiam coarctandam. Etenim in lib. *De praedest. sanctorum*, c. VIII. eam intelligit de *omnibus salvandis* seu de *omnibus electis;* in *Enchiridio*, c. CV. exponit *distributive* seu de generibus singulorum non de singulis generum, quatenus Deus vult aliquos salvari ex omni statu et conditione hominum; in lib. *De corresp. et gratia*, c. XV. explicat de voluntate *causali*, quia Deus vult nos velle omnium hominum salutem, minime vero de voluntate formali, quae Deo insit. Ergo.

359. Resp. Ad 1. *D.* In sensu pelagiano, *C.* in sensu catholico, *N.* Cum pelagiani contenderent hominum salutem a solis pendere naturae viribus ad exclusionem necessitatis gratiae, docebant verba Pauli intelligenda esse de voluntate universalissima Dei salvandi omnes homines, dummodo isti ex se seu propriis viribus velint. Hunc sensum et hanc interpretationem, utpote haereticam, merito constanter respuit s. Augustinus; catholici autem contendunt Deum velle omnium salutem, quatenus omnibus confert gratiam; cui si velint homines assentiri et obsequi, salvari possunt. Hanc porro interpretationem non solum non respuit s. Augustinus, sed expresse, ut vidimus, ipsemet eam praebuit.

360. Ad 2. *D.* Prout eam intelligebant pelagiani, *C.* prout intelligunt catholici, *N.* In sensu enim exposito non solum uti suspecta, sed ut haeretica respui debet generalis illa voluntas. Caeterum constat juxta ipsum Jansenium [18]: *Non omnia, quae haeretici docent, esse haeretica; mos enim solemnis omnium haereticorum est, ut falsis vera misceant, miscendoque perturbent omnia, quo venenum quasi melle circumlitum ab incautis cum suavitate hauriatur.*

361. Ad 3. *D.* Suffecit, id est, tres illas adjecit interpretationes, ut validius eliminaret generalem illam voluntatem, qua pelagiani ac semipelagiani abutebantur, *C.* ad exclusionem interpretationis catholicae, *N.* Cum enim illi semper prae ore habuerint hunc textum Apostoli ad suos adstruendos errores, ideo s. Doctor ad eum ipsis eripiendum exponit de voluntate consequente et efficaci, qua Deus reipsa non vult salvare nisi salvandos sive electos, et quidem ex omni classe, ac vult praeterea ut nos omnium optemus indiscriminatim salutem, cum ignoremus, quinam ex horum numero sint. Sed cum s. Augustinus de voluntate antecedente verba Apostoli intelligit, eam ad omnes prorsus homines extendit.

362. III. Obj. S. Augustinus nullam unquam in Deo agnovit voluntatem antecedentem et conditionatam quae non adimpleatur. Sane in *Enchiridio*, c. XCV. scribit: *In clarissima sapientiae luce videbitur . . . quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit;* item cap. XCVI. adjicit: *Quod nisi credamus, periclitatur ipsum nostrae confessionis initium, qua nos in Deum*

[18]) *De grat.* lib. VIII. cap. 21.

Patrem omnipotentem credere confitemur; cap. XCXVII. id confirmat exemplo parvulorum, qui non pervenerunt ad Baptisma, de quibus dici nequit, *quod noluerint,* et objectis sibi Christi verbis: *Quoties volui congregare filios tuos et noluisti,* interrogat: *Et ubi est illa omnipotentia, quae in coelo et in terra omnia, quaecumque voluit, fecit, si colligere filios Jerusalem voluit et non fecit?* Demum cap. CIII. tribus expositis allatis paulini textus interpretationibus, concludit quamcumque aliam admitti posse, *dum tamen credere non cogamur, aliquid Deum omnipotentem voluisse fieri, factumque non esse.* Ergo.

363. Resp. *D.* S. Augustinus nullam voluntatem in Deo agnovit consequentem, efficacem et absolutam, quae non impleatur, *C.* antecedentem et conditionatam ex parte objecti, *N.* Jam vero omnia adducta testimonia sunt de voluntate consequente efficaci et absoluta, quam erga electos pelagiani admittere detrectabant. In horum enim systemate omnis voluntas Dei est conditionata, conditione unice se tenente ex parte creaturae et quidem viribus propriis volentis. Ad quod systema fulciendum abutebantur verbis Apostoli: *Deus vult omnes* etc., et Christi ipsius: *Quoties volui . . . et noluisti.* Voluntatem autem antecedentem et conditionatam, quae non impleatur in sensu catholico s. Augustinum agnovisse patet ex eodem *Enchiridio,* cap. CV. ubi eam admittit respectu salvationis omnium hominum et angelorum, qui, quamvis omnes gratia praediti fuerint, ipso Jansenio fatente, non omnes tamen salvi facti sunt.

364. IV. Obj. Juxta s. Thomam voluntas antecedens ea est, quae praescindit ab omnibus creaturae circumstantiis, cui nisi adjiciatur voluntas consequens, nullum habet effectum, ut ipse loquitur [19]; qualem nempe habet judex salvandi hominem priusquam constet de ejus homicidio: hanc proinde vocat *velleitatem* et *complacentiam,* quam etiam habet Deus de salute daemonum et damnatorum. Ergo ex his principiis Deus, supposito in homine peccato originali, non amplius habet veram voluntatem salvandi omnes.

365. Resp. *D. A.* Voluntas antecedens ex s. Doctore ea est, quae praescindit ab omnibus circumstantiis *particularibus* creaturae, *C. communibus,* cujusmodi est peccatum originale, *N.* Id constat ex definitione, quam ipsemet praebet voluntatis antecedentis et consequentis; nam prima est, quae praescindit a *praescientia operum,* secunda est, quae *supponit praescientiam operum,* ac propterea *dissensum,* aut *assensum gratiae.* Hoc sensu voluntas antecedens non habet effectum, scilicet principalem, cujusmodi est salus ipsa formalis, habet tamen effectum quoad largitionem gratiae. Comparatio porro judicis non est adaequata, quia ipse nullum medium suppeditat reo evadendi, uti suppeditat Deus gratia sua. Dum vero voluntatem illam antecedentem vocat *velleitatem* aut *complacentiam,* non *absolute,* sed comparate ad voluntatem consequentem ita vocat et in ordine ad salutem formalem, seu in *actu secundo.* Sane s. Thomas docet [20], Deum quantum in se est, omnibus

[19]) In I. *Sent.* dist. 47. qu. 1. art. 2. [20]) *Cont. gent.* lib. III. cap. 49.

gratiam tribuere, quia vult omnes homines salvos fieri, eosque solum damnari, qui eam ex propria culpa respuunt, seu ei resistunt.

366. V. Obj. 1. Voluntas conditionata est illusoria, cum a Deo ipso pendeat ponere conditionem per gratiam efficacem; 2. est Deo indigna, quasi ipse a creatura pendere deberet; 3. si Deus insuper vult omnes homines salvos fieri, quorsum oratio, quam tamen Apostolus pro omnibus faciendam praecipit? Ergo.

367. Resp. Ad 1. *D.* In sensu Jansenii, conditione unice se tenente ex parte Dei per gratiam physice ac necessario praedeterminantem, *C.* in sensu concilii tridentini adeoque ecclesiae catholicae, per gratiam cui potest humana voluntas resistere aut obtemperare, *N.*

368. Ad 2. *Neg.* Nam Deus non vult nos salvare nisi per liberam cooperationem gratiae suae, ut ratio meriti habeatur.

369. Ad 3. *Nego,* cum Deus possit alligare gratias suas orationibus nostris. Hinc Deum etiam oramus pro ecclesia, de cujus tamen firmitate certi sumus.

DIFFICULTATES

adversus mortem Christi pro omnibus.

370. I. Obj. Scriptura ipsa ad *multos* coarctat, quod alibi dicitur de Christi morte pro *omnibus.* Etenim Christus profitetur [21], se venisse ad dandam *animam suam redemptionem pro multis;* sic ibidem [22]: *Hic est,* inquit, *sanguis Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* seu, ut legitur apud Lucam [23]: *Qui pro vobis fundetur;* nempe declarat sanguinem suum effundendum pro solis electis cujusmodi erant apostoli. Quo sensu Apostolus scripsit [24]: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Sane Scripturam ad solos electos Christi redemptionem restringere manifestum fit tum ex Joann. X. 15. ubi Christus ait: *Animam meam pono pro ovibus meis;* tum ex Matth. XV. se missum non esse declarat *nisi ad oves, quae perierunt domus Israel;* quod et in Apocal. V. 9. confirmatur; legimus enim: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua.* Ergo.

371. Resp. *D. A.* Scriptura coarctat ad *multos* quod dicitur alibi de Christi morte pro *omnibus* quoad effectum seu in actu secundo, *C.* quoad affectum et in actu primo, *N.* Christus Dominus venit ad redimendum universum genus humanum, quod per noxam originalem perierat, ac si de adultis sermo sit, innumeris peccatis personalibus se inquinaverat, adeoque obtulit se ipsum hostiam pro peccatis totius mundi; meruitque omnibus gratias necessarias, quibus si velint homines cooperari, possint salutem adipisci aeternam. Ex his plures obsequuntur ac plures resistunt. Qui obsequuntur usque in finem, salvantur de facto; qui resistunt, aeternum pereunt. Si igitur disseratur de Christi intentione et affectu, Christus pro omnibus passus et

[21]) Matth. XX. 28.
[22]) Ibid. XXVI. 28.
[23]) Luc. XXII. 20.
[24]) Hebr. IX. 28.

mortuus est; si disseratur de actuali consecutione et salute formali, dici potest mortuus pro solis electis, quatenus isti praevisi sunt fideles gratiis conferendis. Proinde ex sola hominum malitia fit, ut ipsi fructum finalem Christi passionis non consequantur, etsi media ad illum obtinendum omnes habuerint ac jugiter habeant. Hac ratione exponi debent objecta Scripturarum testimonia, aliaque ejusmodi, quae afferri possent.

372. II. Obj. Christus non oravit nisi pro *multis,* ergo reipsa nonnisi pro multis mortuus est. 1. Joann. enim XVII. Christus sic Patrem orat: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* 2. Profecto si Christus pro omnibus orasset, omnium obtinuisset salutem, dicente ipso Joann. II. 42: *Ego sciebam, quia semper me audis;* et Apostolus de Christo scribit [25]: *Exauditus est pro sua reverentia;* 3. dicendum est igitur cum Jansenio [26], Christum orasse pro quibusdam, ut salvarentur; pro aliis, ut justificarentur; pro aliis, ut crederent sine caritate, eodemque modo pro tribus his classibus mortuum esse. 4. Nec aliter esse potest, dicente Augustino [27]: *Si de aliquibus certa esset* ecclesia, *quod praedestinati sint in aeternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso.* Christus porro optime noverat reprobos ad aeternum ignem destinatos, pro eis igitur nec oravit nec mortuus est, alioquin 5. poenas luisset peccatis reproborum debitas, qui proinde jam damnari non possent. Ergo.

373. Resp. *D. A.* Non oravit nisi pro *multis* aliquando, *Tr.* semper, *N.* Ad 1. vero prob. *D.* Illa speciali orationis parte, *Tr.* vel *C.* in ejusdem orationis decursu et alibi, *N.* Siquidem, ibid. v. 20. Christus orat: *Et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Insuper Luc. XXIII. 34. oravit pro suis tortoribus: *Pater, dimitte illis;* et Luc. VI. 12: *Erat pernoctans in oratione Dei.*

374. Ad 2. *D.* Si orasset pro salute ipsa formali, *C.* si oravit pro omnium salute in ordine ad media, quibus homines cooperarentur, *N.*

375. Ad 3. *D.* In ordine ad ipsam aeternam salutem, in quem finem et vocatio, ac justificatio aliaque omnia referuntur, *C.* ad illius exclusionem, *N.* Horribile hoc esset ac Dei indignum, nam solum orasset, ut deteriores poenas incurrerent innumeri prope homines.

376. Ad 4. *Dist.* sensum verborum s. Augustini: Non oraret consequenter ad praevisam eorum damnationem, *C.* non oraret antecedenter ad ejusmodi praevisionem, *N.* Sic etiam; Christus pro eis non oravit consequenter ad praevisam eorum damnationem, *C.* antecedenter, *N.* Damnatio enim non est nisi effectus abusus gratiarum, quas Christus omnibus promeruit, ac reipsa suo modo omnibus largitur, ut idoneo loco ostendemus.

377. Ad 5. *D.* Christus poenas luisset reprobis debitas conditionate, *C.* absolute, *N.* Nempe obtulit se ipsum uti victimam pro peccatis totius mundi, et pro omnium peccatis poenas luit, ita tamen ut uniuscujusque esset fideli

[25]) Hebr. V. 7.
[26]) *De grat.* lib. III. cap. 21.
[27]) *De civit. Dei,* lib. XXI. cap. 24.

ad gratias sibi promeritas cooperatione, et applicatione meritorum Christi poenas sibi debitas vitare; quod si haec homines negligant, procul dubio aeternum peribunt, etiamsi Christus ipsorum peccatis debitas poenas luerit.

378. III. Obj. S. Augustinus ejusque fideles discipuli aperte docent Christum pro solis electis mortuum esse. Nam exponens s. Doctor, *Tract.* I. *in epist. Joann.* n. 8. Apostoli verba: *Ipse est propitiatio pro ... totius mundi, ecclesiam* mundi nomine significatam affirmat pro qua Christus tantum mortuus est, sic in *Tract.* LXII. *in Joann.* illud Christi: *Omnia traham ad me ipsum,* exponit de *omnibus praedestinatis;* et in lib. XXI. *De civit. Dei,* cap. 24. verba Apostoli, Rom. XI: *Conclusit omnia in incredulitate, ut omnium misereatur,* sic enarrat: *Omnium miseretur vasorum misericordiae ... eorum scilicet, quos ex gentibus, et eorum, quos ex judaeis praedestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit.* Hinc semper sibi cohaerens, *Epist.* CLXIX. *ad Evodium* scribit: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus;* et in lib. I. *De adulterinis conjugiis,* cap. 15: *Omnis,* inquit, *qui sanguine Christi redemptus est, homo est: Non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est.* In hac s. Augustini schola enutriti Prudentius episcopus trecensis in *Tractatoria;* s. Remigius episcopus lugdunensis in lib. *De tribus epistolis,* et in lib. *De tuenda veritate Scripturae* id ipsum docuerunt; item concilium valentinum III. quod una cum Remigio damnavit capitulum IV. carisiacum de Christi morte pro omnibus, ac definivit Christum pro solis credentibus mortuum esse, quod et praestiterunt concilia lingonense et tullense, quorum capitula probavit Nicolaus I. Ergo.

379. Resp. *D. A.* S. Augustinus ejusque discipuli docuerunt Christum pro solis electis mortuum esse, quatenus ratio habeatur salutis formalis in actu secundo, seu quoad effectum juxta voluntatem Dei consequentem praevisionem horum cooperationem gratiis sibi concessis, *C.* ad exclusionem reproborum, quatenus ipsis non promeruerit gratias, quibus et ipsi cooperantes eamdem potuissent obtinere salutem juxta voluntatem Dei antecedentem, *N.* Haec vera est ratio componendi, quae prima fronte inter se pugnantia circa Christi mortem Deique voluntatem salvandi homines scripsit s. Augustinus. Certum enim est ipsum alibi docere nulli umquam deesse gratiam, qua homines si velint bene uti, possent salvari; hanc gratiam Christum omnibus morte sua promeruisse. Certum praeterea est objectis verbis s. Augustinum impugnasse haereticam pelagianorum et semipelagianorum doctrinam de salute obtinenda solis naturae viribus, deque aequali Dei erga omnes homines dilectione, posseque suis viribus omnes homines salutem, aut ejusdem initium consequi ad gratiae exclusionem. Certum denique est pelagianos unicam causam assignasse hominum damnationis, quod ipsi obstiterint Deo volenti ipsos salvare, quin admiserint gratiam, quam Deus hominibus largitur ad salutem assequendam. Haec si prae oculis habeantur, tum objecta, tum alia, quae afferri possent ex s. Doctore testimonia, rite intelligentur.

380. Quod porro dictum est de s. Augustino, de ejus discipulis dici pariter debet; ex horum autem numero Prudentius trecensis excipi debet,

cum is delapsus sit in haeresim praedestinatianam. Concilia vero recensita et s. Remigius damnarunt capitulum IV. carisiacum ex errore facti, quasi Christus mortuus sit pro jam damnatis.

PARS QUARTA.

DE PROVIDENTIA AC DE PRAEDESTINATIONE.

381. Tum generalis rerum omnium providentia tum specialis Sanctorum ad gloriam praedestinatio, uti animadvertit s. Thomas [1], spectant ad divinam scientiam et voluntatem. His propterea vindicatis ordo postulat ut de providentia et praedestinatione disseramus, acturi de visione beatifica, quae finis praedestinationis est, in Tract. *De Deo Creatore.*

CAPUT I.

DE PROVIDENTIA.

382. Providentia a s. Thoma loc. cit. art. 1. definitur: *Ratio ordinis rerum in finem in Deo existens.* Duo complectitur providentia, ordinationem rerum in finem, ejusque per media idonea executionem; primum spectat ad intellectum, alterum ad voluntatem.

383. Plures quovis tempore divinae providentiae hostes insurrexerunt, inter quos eminent epicurei, fatalistae, philosophi recentiores non pauci in diversis systematibus, quae invexerunt, quique athei practici jure nuncupari possunt. Ast non solum revelatio, sed et ratio ipsa divino Numini hanc providentiam rerum omnium etiam minimarum vindicant.

PROPOSITIO.

Datur in Deo providentia, quae ad omnia et singula sese extendit.

384. Ad fidem spectat propositio. Sacra eloquia nihil magis inculcant quam hanc providentiam, quae se ad omnia vel minima porrigat. Etenim Sap. XII. 13. legitur: *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus. Sortes*, inquiebat Salomon [1], *mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Sed caeteris prope innumeris omissis, nihil illustrius in hanc rem adduci potest sermone Christi [2], in quo distinctissime tradit volatilia coeli, hortorum lilia, foenum agri, et capillos capitis omnino Dei providentiae ita subjici, ut illorum ne unum quidem cadat absque ejus nutu. Exinde colligit Christus multo magis nihil esse vel minimum in humanis actibus, quod ab ejus providentia ordinatum non sit.

385. Sed et ratio id luculenter ostendit. Si enim Deus, utpote in-

[1]) Part. I. qu. 2.
[1]) Prov. XVI. 33.
[2]) Apud Matth. VI. 26 et seqq.; et apud Lucam XII. 22 et seqq.

finita sapientia praeditus. nihil casu molitur, profecto ad illa omnia ejus providentia se extendat necesse est, ad quae se ejus extendit efficientia; jam vero haec ad minima quaeque sese extendit, ergo et illa; uti praeclare argumentatur s. Thomas. [3]

386. Jure igitur merito Clemens alex. affirmat [4]: *Nec responsionem sed poenam mereri eum, qui demonstrari sibi petit esse providentiam;* ac lib. VI. *atheum* vocat, *qui providentiam esse non putat.* Superfluum est Patrum testimonia, quae huc referri possent, congerere, cum integros tractatus confecerint.

387. Sedulo tamen advertendum hic est, Deum non immediate semper rebus omnibus providere, sed multis mediate prospicere, nempe per causas secundas, *non quidem propter defectum suae virtutis*, ut loquitur s. Thomas [5], *sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis communicet.* Quavis autem ratione provideat, sive immediate sive mediate, obtinet tamen Deus semper finem generalem, scilicet gloriam suam, quamvis non semper obtineat fines particulares. Ratio vero est, quia non omnia efficaciter et absolute intendit, sed plura solum conditionate; ast has ipsas inordinationes, quas uti provisor generalis permittit, dirigit ad finem ultimum ac generalem efficaciter intentum, et ad ejus assecutionem efficaciter perducit.

DIFFICULTATES.

388. I. Obj. 1. Praeterquam quod Scripturae ipsae insinuant de minutis objectis curam Deo non esse, dicente Apostolo [6]: *Numquid de bobus cura est Deo?* et Habacuc [7]: *Facies homines quasi pisces maris et quasi reptile non habens principem;* 2. providentia in Deo admitti nequit, quin injustitiae arguatur, impiis enim prospera, justis vero adversa passim contingunt; 3. frequentes illae propterea exortae sunt querelae, quibus justi in Scripturis ipsis Deum expostulant. *Quare impii vivunt?* sciscitatur Job [8]; *Quare via impiorum prosperatur?* interrogat Psalmista, qui candide profitetur de se [9]: *Mei autem pene moti sunt pedes... pacem peccatorum videns;* 4. nec omittenda est inaequalis bonorum malorumque distributio; 5. sane quotidiana experientia ostendit non pro uniuscujusque meritis, sed pro uniuscujusque industria res omnes succedere; 6. hinc illud Ecclesiastici, XV. 14. affirmantis Deum *hominem reliquisse in manu consilii sui*, vel ut loquitur Psalmista de impiis, Deum dimisisse *eos secundum desiderium cordis eorum.* Ergo.

389. Resp. Ad 1. *D.* Scripturae insinuant eamdem curam specialem non esse Deo de minutis objectis, brutis praesertim, quam habet de homine, *C.* nullam prorsus de iis curam habere, *N.* Profecto non alium sensum

[3]) Loc. cit.
[4]) Lib. V. *Stromatum.*
[5]) Loc. cit. art. 3.
[6]) I. Cor. IX. 14.
[7]) Cap. I. 4.
[8]) Cap. XXI. 7.
[9]) Ps. LXXII. 2.

admittunt sive verba Apostoli, quibus significat Deum voluisse prospicere alimentis praeconum evangelicorum; nec verba Habacuc, quae *respective*, non autem *absolute* intelligenda sunt, uti exponit s. Thomas [10], dum docet Deum praeordinare individua ad species, quae peculiari ratione conferunt ad perfectionem universi.

390. Ad 2. *N.* Ad prob. vero, *D.* Prospera impiis ac justis adversa contingunt ex peculiari ac altiore divinae providentiae ordine justissimisque de causis, *Tr.* vel *C.* ex justitiae defectu, *N.* Ut rite de divina providentia disseratur, numquam dispesci debet ordo providentiae in hac vita ab ordine, qui obtinet in altera vita, sed ambo simul per modum unius spectari debent. Quo principio constituto, facilis redditur ratio illius apparentis anomaliae, quae in praesentia cernitur respectu bonorum ac malorum. Justis enim per aerumnas, infortunia, insectationes major praebetur meriti, adeoque et coronae materia et occasio, purgantur melius naevis illis, sine quibus vita haec non transigitur, vigilantiores ferventioresque redduntur. Malis porro exiguarum, quas interdum operantur, bonarum actionum retributio confertur. Cum utrique ad vitae hujus exitum pervenerint, pro ratione meritorum praemium aut poenas consequentur aeternas. Supponit praeterea objectio, quod nulla ratione probari potest, nempe justos ideo afflictos esse quod boni sint, impios prosperari quod sint mali; attamen huic gratuitae hypothesi tota nititur argumenti vis. Demum neque de facti veritate constat.

391. Ad 3. *D.* Et hae querelae proveniebant ex peculiari zelo, quo justi percellebantur gloriae Dei, in punitione impiorum, *C.* ex injustitiae alicujus suspicione, *N.* Cum enim impii ex longanimitate divina ansam sumerent magis ac magis in deteriora mala proruendi, ideo efflagitabant, ut Deus illorum comprimeret audaciam, justa ultione in ipsos animadvertendo.

392. Ad 4. *D.* Si inaequalis ejusmodi distributio quidquam detraheret justae Dei providentiae, *C.* si potius eam commendat, *N.* Ex hac enim inaequali distributione innumera pene bona promanant in societatem ipsam, ac in individua. Fides exercetur, alitur spes, acuitur ingenium, plures virtutes exercentur, pluraque alia proveniunt, quae sapientiam Dei commendant.

393. Ad 5. *D.* Quia Deus constituit in praesenti ordine veluti motu res humanas agi, *Tr.* vel *C.* secus, *N.* Data enim assertionis veritate, quae tamen saepe plures patitur exceptiones, ideo sic humana negotia pro industria accidere solent, quia Deus omnia suaviter regit; verum et hi ipsi successus ab ejus providentia ordinati sunt ad suum finem.

394. Ad 6. *Nego*, haec opponi providentiae; Ecclesiasticus enim hic loquitur de libertate homini a Deo tributa; Psaltes vero denunciat divinam punitionem in eo ipso, quod impios dimiserit *in desideria cordis eorum.* Optime s. Augustinus [11]: *Ubi non invenit* impius *legem tuam in poena sua? ... In vetustatem perducens superbos et nesciunt.*

[10]) Part. I. qu. XXIII. art. 7.

[11]) *Confess.* lib. IV. cap. 9.

395. II. Obj. Sub providentia divina dari non possunt inutilia, monstruosa ac noxia; 2. tot insuper peccata; 3. recte proinde sic Epicurus apud Lactantium [12], divinae providentiae perstringebat assertores: Deus aut vult tollere mala et non potest; aut potest et non vult; aut neque vult neque potest; aut vult et potest. Si vult et non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit; si potest et non vult, invidus, quod aeque alienum a Deo est; si neque vult neque potest, et invidus et imbecillis, ideoque neque Deus; si vult et potest; quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? 4. Deum praeterea dedecet minutis hisce negotiis implicari; 5. immo nec beatus esset tot curis distentus. Ergo.

396. Resp. Ad 1. *D.* Si talia absoluta darentur, *C.* si talia reipsa non sint, et omnia immo mirifice ad bonum totius universi conferant, *N.* Inutilia non sunt nisi in apprehensione et ignorantia nostra; monstruosa arguunt defectum causarum secundarum, qui tamen confert ad melius aestimanda, quae ad normam progrediuntur; noxia sunt relativa, quia dum sub uno respectu nocent, sub altero prosunt.

397. Ad 2. *D.* Si ex peccatorum permissione nulla Deus bona eruere posset, *C.* si multa e contra bona eruat, *N.* Maluit porro Deus ex malis bona facere quam mala nulla esse permittere, uti scite animadverit s. Augustinus, promovent virtutem bonorum, commendantque Dei misericordiam atque justitiam. Recolantur dicta adversus dualistas.

398. Ad 3. Resp. Deum posse et nolle omnia mala avertere, cum habeat fines sapientia sua dignos in hac permissione, nec proinde nisi stulte dici eum posse invidum; qui sic arguebat, Deum ex homine dimetiebatur.

399. Ad 4. *Neg.* Deus enim minima haec fecit, ergo ipsum non dedecet et illis providere, juxta illud Ambrosii effatum [13]: *Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse?*

400. Ad 5. *D.* Si Deus perinde ac homo fatigaretur, *C.* si uno ac simplicissimo actu his omnibus prospiciat, *N.*

401. III. Obj. Nullum saltem est argumentum quod ex constante regularique causarum secundarum serie et effectuum ad divinam providentiam adstruendam deducitur. Constantia enim haec a causis regularibus, quae prius latebant, fundamentum habet. Ergo.

402. Resp. *D. Cons.* Ita tamen ut hae ipsae regulares causae sapientiam summi Conditoris in illis constituendis evincant, providentiamque in illis conservandis, *C.* ut eam excludant, *N.* Hoc enim inferre prodigiosae stultitiae esset; alioquin deneganda esset sapientia cujusque artificis in machinis inveniendis et elaborandis, quae constantes effectus producunt. Quo igitur magis nobis admirabilis apparet universi hujus constitutio, eo magis se nobis commendandam praebet Dei sapientia et providentia.

[12]) *De ira Dei,* cap. 13.

[13]) *De officiis,* lib. I. cap. 13.

CAPUT II.

DE PRAEDESTINATIONE.

403. De praedestinationis existentia, natura, causa et effectibus hic agendum est; de his duobus articulis disseremus.

ARTICULUS I.

DE PRAEDESTINATIONIS EXISTENTIA, NATURA ET PROPRIETATIBUS.

404. Dari praedestinationem in confesso est penes catholicos omnes adversus pelagianos, nosque eam vindicabimus apposita propositione.

405. Quaenam vero sit ejusdem natura ex ipsius definitione cognoscitur. A s. Augustino, definitur [1]: *Gratiae praeparatio;* ac fusius etiam [2]: *Praedestinatio nihil est aliud quam praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* A s. autem Thoma definitur his verbis [3]: *Praedestinatio est quaedam ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina existens.* Ex his definitionibus intelligimus duo praedestinationem complecti, actum scilicet intellectus et actum voluntatis; utpote partem providentiae et opus misericordiae.

406. I. Praedestinatio in *adaequatam* et in *inadaequatam* distinguitur. Adaequata complectitur, ut fides docet, gratuitam electionem ad gratiam et ad gloriam; inadaequata solam electionem ad gloriam.

407. II. Praedestinatio adaequate sumpta consideratur quoad *intentionem* et quoad *executionem*, seu potius consideratur in *actu primo* et in *actu secundo*, uti alii loquuntur, aut etiam ratione *principii* et ratione *termini.* Quatenus praedestinatio spectatur respectu executionis, in actu secundo, seu in *concreto*, de fide est duo ad eam requiri, gratiam ex parte Dei et cooperationem cum gratia ex parte hominis, cum vita aeterna, quae terminus est praedestinationis, sit *merces* et *corona justitiae*, quae non tribuitur nisi legitime certantibus, uti declarat Apostolus. [4] Quatenus vero spectatur in intentione, seu in actu primo et in abstracto, scholae ab invicem dividuntur; quarum placita una cum praecipuis fundamentis jam subjicimus.

408. Itaque ex theologis catholicis alii contendunt praedestinationem, etiam inadaequate sumptam quoad electionem ad gloriam, gratuitam esse, seu Deum gratuito decreto ante praevisa quaecumque merita per cooperationem ad gratiam, quosdam ex universa perditionis massa, in quam incidit totum humanum genus ob originale peccatum, elegisse, reliquis in hac perditionis massa relictis, quos saltem negative reprobavit. Hac porro electione facta Deus, ex istorum sententia, decrevit dare gratias, quibus electi seu praedestinati certissime perveniant ad gloriam ipsis destinatam. Alii autem

[1]) Lib. *De praed. Sanct.* cap. 10.
[2]) *De dono perseverantiae,* cap. 14.
[3]) Part. I. qu. XXIII. art. 2.
[4]) II. Timoth. II. 5.

censent Deum prius homines praeelegisse ad gratiam, et ex praeviso bono vel malo gratiae usu aliis gloriam, aliis vero decrevisse poenam, seu quod idem est, praedestinationem ad gloriam factam esse post praevisa merita gratiae. Priores vocant praedestinationem gratuitam *in se*, posteriores gratuitam *in causa*.

409. Fundamenta prioris sententiae desumuntur 1°. ex illis omnibus Scripturae locis, in quibus gratuita praedestinatio asseritur, e. gr. Act. XIII. 48: *Crediderunt, quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam;* Ephes. I. 4, 5: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti ... qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per J. C. in ipsum, secundum propositum voluntatis suae;* Roman. IX. 11. ubi Apostolus, exemplo adducto Jacob et Esau uti typo praedestinatorum et reproborum, pergit: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccae): *Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui;* et ita porro. 2°. Ex s. Augustino et s. Thoma, qui ambo illud constituunt principium de quorumdam electione ad gloriam ex communi perditionis massa, caeteris in ea relictis. Ad hoc illustrandum adversus semipelagianos s. Augustinus exemplo utitur duorum infantium, quorum alter baptizatur, alter vero ad Baptismum pervenire non potest, in quibus certe nulla merita gratiae supponi queunt. Angelicus Doctor vero [5] exponit conformitatem cum Christo veluti *terminum et effectum praedestinationis*, non autem ut ejus *causam*. 3°. Ex ratione theologica, quae docet recte ordinantem prius velle seu proponere sibi finem, ad quem deinceps obtinendum media seligit; porro finis in subjecta materia est gloria, media vero sunt gratiae; ergo Deus utpote ordinator sapientissimus prius intendit gloriam quam gratiam.

410. Fundamenta posterioris sententiae pariter eruuntur 1°. ex Scriptura, quae non aliam exhibet rationem electionis aliquorum ad gloriam, et aliorum reprobationis ad poenam quam praevisam cooperationem gratiae; vel praevisum ejusdem abusum non solum in executione, verum etiam in intentione. Quo spectant, quae Matth. XXV. 34. leguntur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim* etc; item v. 42: *Discedite a me, maledicti... Esurivi enim* etc. Porro particula *enim* patefacit quare alii electi ad regnum, alii ad supplicia destinati fuerint. Huc etiam referunt quae scribit Apostolus [6]: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui:* seu non ante praedestinavit quam *praescierit:* et illud Petri [7]: *Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* aliaque ejusmodi pene innumera Scripturarum oracula. 2°. Ex Patribus omnibus graecis et latinis tum ante tum post s. Augustinum, quorum unanimis sententia est, Deum

[5]) Sect. IV. in cap. 8. *Epist. ad Rom.*
[6]) Rom. VIII. 29.
[7]) Ep. II. cap. I. 10.

ex meritorum praescientia praemia aut poenas decrevisse; nec ipse s. Augustinus ab hac sententia abnuit, immo eam juxta Joseph. Tricassinum Ord. Capuc. [8] propugnavit constanter. 3°. Ex ratione theologica de sincera voluntate Dei salvandi omnes homines, etiam supposito originali peccato, quae in opposita sententia vix aut nullatenus defendi potest. Hisce constitutis, ad fundamenta prioris sententiae respondent Scripturam in adductis omnibus testimoniis non loqui nisi de praedestinatione ad gratiam et ad fidei vocationem, s. Augustinum agere de praedestinatione adaequate sumpta adversus pelagianos ac semipelagianos, ut ejus ferebat scopus; rationem denique petitam ex fine, qui prius intenditur quam media, eliminant ex eo quod unice valeat, quando finis est absolutus, non autem cum est conditionatus ut in casu, de quo agitur.

411. Unaquaeque schola, ut patet, sua fundamenta habet ad propriam tuendam sententiam; ecclesia numquam istam controversiam dirimere voluit; poterit igitur unusquisque salva fide illi opinioni adhaerere, quae magis arriserit, meliusque ad solvendas incredulorum et haereticorum difficultates conferre videbitur.

Ut igitur ad id, quod magis interest, accedamus, sit

PROPOSITIO I.

Datur ex parte Dei veri nominis praedestinatio, eaque certa est et immutabilis.

412. Utraque propositionis pars de fide est, prout s. Augustinus, universa ecclesia probante, eas adversus pelagianos ac semipelagianos propugnavit [1]. Praemittimus vero heic agi de praedestinatione adaequate sumpta tum ad gratiam tum ad gloriam.

413. Dari igitur in primis ex parte Dei ejusmodi praedestinationem sacrae litterae apertissime evincunt. Etenim Matth. XXV. 34. Christus electis dicet: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*; et Rom. VIII. 29 et seqq.: *Quos praescivit et praedestinavit . . . quos autem praedestinavit hos et justificavit, quos autem justificavit, hos et glorificavit;* Ephes. I. 4: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti . . . praedestinavit nos . . . secundum propositum voluntatis suae.* Hinc s. Augustinus [2]: *Veritatem,* inquit, *praedestinationis hujus et gratiae, quae nunc contra novos haereticos cura diligentiore defenditur, numquam ecclesia Christi non habuit;* ac s. Prosper ait [3]: *Praedestinationem Dei nullus catholicus negat.*

414. Sed et ratio ipsa theologica eidem veritati suffragatur. Si enim praedestinatio ex s. Augustino est *gratiae praeparatio*, seu *praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur,*

[8]) *De Praedestin. hominum ad gloriam.*

[1]) Lib. *De praedest. Sanctorum,* et in lib. *De dono perseverantiae.*

[2]) Lib. *De dono persev.* cap. 23. n. 65.

[3]) *In Resp.* I. *ad object. Gallor.*

sequitur ejusmodi praeparationem gratiae, qua pervenitur ad vitam aeternam, debuisse a Deo ab aeterno decerni, seu dari praedestinationem, uti etiam evolvit s. Thomas. [4]

415. Quod si ab aeterno haec praeparatio a Deo facta est, jam necessario fluit quod secundo loco propositum est, nempe praedestinationem et certam et immutabilem esse, prout certa est ac immutabilis ejus praescientia, certumque ac immutabile est divinae voluntatis decretum. Hoc Christus declaravit, dicens [5]: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* In quae verba apposite Augustinus [6]: *Horum si quisquam perit,* scribit, *fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus; horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.*

416. Impervium hoc quidem praedestinationis mysterium est imbecillitati nostrae, cujus profunditatem potius venerari quam perscrutari debemus; optime proinde s. Augustinus concludebat [7]: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim, quae respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum, et: Numquid iniquitas apud Deum? Cui ista responsio displicet, quaerat doctiores; sed caveat, ne inveniat praesumptiores.*

DIFFICULTATES.

417. I. Obj. Adversus primam partem. Data praedestinatione ex parte Dei, jam sequitur 1. Deum injustum fore acceptorem personarum, dum sine merito vel demerito alios ab aeterno elegit, rejecit alios; 2. homines sic posse ratiocinari: vel sum praedestinatus, vel non; si sum praedestinatus, quidquid egero, salvabor; si non sum praedestinatus, quidquid egero, peribo; adeoque aut praesumptione aut desperatione agetur, omnisque stimulus intercipitur ad resipiscentiam et ad virtutem; 3. jure propterea monachus ille Adrumetinus, de quo s. Augustinus [8], monasterium deseruit ad saeculi deliciis libere indulgendum. Ergo.

418. Resp. *Nego primam sequelam.* Deus enim injustitiae aut acceptionis personarum argueretur, si quidpiam alicui deberet; nihil porro Deus alicui debet. Accedit quod Deus omnibus suam gratiam conferat, ut idoneo loco ostendemus; in sententia proinde eorum, qui tenent praedestinationem ad gloriam esse post praevisa merita gratiae, sibi homo tantum adscribere deberet reprobationem ex praeviso ipsius gratiae abusu.

419. *Nego secundam sequelam.* In hypothesi enim de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita, ad propositum dilemma respondetur: Eris praedestinatus, si obsecutus fueris usque in finem collatae tibi gratiae; alio-

[4]) Part. I. qu. 23. art. 1.
[5]) Joann. X. 27 et seqq.
[6]) Lib. *De corrept. et gratia,* c. 7. n. 14.
[7]) Lib. *De spir. et litt.* cap. 34.
[8]) Lib. *De dono persev.* cap. 15.

quin damnaberis. Sic aegroto dici potest: Sanaberis, si sumpseris medicinam; morieris, si eam recusaveris; aut etiam agricolae: Colliges, si seminaveris; secus, si seminare neglexeris; et ita porro. Cum enim Deus velit sincero animo omnes salvos fieri, ex homine solo est damnatio. Et hac ratione, quin tempus in his diutius teramus, evanescunt reliquae sequelae, quae ex falso supposito procedunt.

420. Inst. Eadem urgeri possunt incommoda quoad praedestinationem *in causa;* posset enim quispiam dicere: Vel Deus decrevit mihi conferre gratiam efficacem ac finalem perseverantiam, vel non: si primum, salvabor; si alterum, damnabor; et hoc etiam in sententia de gratia efficaci, ut ajunt, ab extrinseco; quod enim aliquis consequatur gratiam praevisam efficacem, ex Dei munere est. Ergo.

421. Resp. Vel *N.* vel *D.* Si gratia constituatur efficax *a se,* seu *ab intrinseco*, *Tr.* si *ab extrinseco* seu a libera hominis cooperatione, *N.* In hac enim posteriore hypothesi, cum Deus, ex dictis, omnibus gratias conferat sive remote sive proxime sufficientes, ex sola hominis malitia fit, ut ea respuatur et inefficax efficiatur, nec perseveret. Optime rursum Augustinus [9]: *O homo, in praeceptione cognosce quid debeas habere; in correptione cognosce tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere.* Quod si Deus ex peculiari beneficio et praedilectione quibusdam velit dare gratiam praevisam efficacem, hoc non obstat quominus gratiae, quas caeteris elargitur, ad consensum sufficiant, et ex sola iterum hominum malitia fiat, ut illae inefficaces reddantur. *Deserunt,* inquit s. Augustinus [10], *et deseruntur; deseruit et desertus est.*

422. II. Obj. Adversus alteram partem. 1. Potest praedestinatio amitti et recuperari; dicitur enim Apoc. c. III. de aeterna corona: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* 2. Deleri electi possunt de praedestinationis libro juxta illud Moysis [11]: *Aut dimitte eis ..... aut dele me de libro vitae;* et illud Christi [12]: *Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis;* idcirco s. Petrus: *Magis satagite,* scribebat [13], *ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* et ecclesia Deum rogat *ut omnium fidelium nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat.* Ergo praedestinatio nec certa nec immutabilis est, alioquin fatalem necessitatem inferret.

423. Resp. *D. A.* Potest praedestinatio amitti vel recuperari, spectata in causa et ex parte hominis, *C.* spectata in se et ex parte Dei, *N.* Scripturae ita loquuntur sive de corona, sive de libro vitae, sive de hominum sollicitudine ad vitam aeternam comparandam, ratione habita humanae libertatis et incertitudinis, in qua ipsi versantur, quamdiu in hac vita sunt, non autem de praedestinatione spectata prout subest praescientiae et decreto Dei;

[9]) Lib. *De corrept. et grat.*
[10]) *De natur. et grat.* cap. 26.
[11]) Exod. XXXII. 31 et seq.
[12]) Joann. XVII. 12.
[13]) Ep. II. cap. I. 10.

quod esset absurdum et implicaret. Et hoc modo explanantur omnia objecta loca, si tamen omnia referuntur ad praedestinationem, de qua loquimur. Intelligitur etiam quo sensu ecclesia Deum roget, nempe ut justi perseverent et peccatores resipiscant, ut beati esse aliquando mereantur.

424. Non aliam vero certa ac immutabilis praedestinatio necessitatem infert, quam hypotheticam et consequentem, quae oritur ex divina praescientia, quae certe non officit libertati, sed etiam eam supponit. Adeoque s. Thomas concludit [14]: *Sic igitur et ordo praedestinationis est certus, et tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit praedestinationis effectus.*

PROPOSITIO II.

Nemo sine speciali revelatione certus esse potest de sua praedestinatione.

425. De fide propositio est, ex definitione concilii tridentini [1]: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absolute et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit; anathema sit.*

426. Scripturae hoc dogma evidenter ostendunt. Apostolus [2]: *Tu,* inquit, *fide stas, noli altum sapere, sed time;* et rursum [3]: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat,* ut alia pene innumera ejusmodi effata praetermittamus.

427. His innixus s. Augustinus scribebat [4]: *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat?*

428. Ratio porro aperta est: praedestinatio, ex dictis, est actus divini intellectus et voluntatis; nemo igitur illum novisse potest, quin Deus illi revelaverit.

DIFFICULTATES.

429. Obj. 1. Christus ait [5]: *Omnia, quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis,* adeoque et perseverantiam; 2. et Apostolus: *Spiritus,* inquit [6], *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii et haeredes;* 3. ac iterum [7]: *Scientes, fratres dilecti, a Deo electionem vestram;* 4. Qui proinde, de se scribebat [8]: *Reposita est mihi corona justitiae;* 5. nec aliter apostolus Joannes docuit fideles, dicens [9]: *Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Ergo certitudinem praedestinationis habere possumus.

430. Ad 1. *D.* Si certi simus nos bene orare, et perseveraturos in oratione, *C.* si simus incerti, *N.* Porro: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus,* scribit Paulus. [10]

[14]) Loc. cit. art. 3.
[1]) Sess. VI. cap. 16.
[2]) Rom. XI. 20.
[3]) I. Cor. X. 12.
[4]) Lib. *De corrept. et grat.* cap. 16.
[5]) Marc. XI. 24.
[6]) Rom. VIII. 16.
[7]) I. Thessal. I. 4.
[8]) II. Timoth. IV. 8.
[9]) Ep. I. cap. V. 13.
[10]) Rom. VIII. 26.

431. Ad 2. *D.* Si filii et haeredes in spe, *C.* in re, *N.*

432. Ad 3. *D.* Electionem ad fidem, de qua loquitur Apostolus, *C.* ad perseverantiam et ad gloriam, *N.*

433. Ad 4. *D.* Ex fiducia, quam conceperat tot laboribus pro Christo exantlatis, *C.* ex certitudine, seposita revelatione, *N.*

434. Ad 5. *D.* Vitam aeternam inchoative per fidem, *C.* formalem, *N.* Alioquin omnes illi, ad quos scribebat s. Joannes, fuissent certo praedestinati, nec excidere potuissent, quod nemo dicet.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS PRAEDESTINATIONIS.

435. Nullus hic sermo esse potest de causà physica et a priori, quae Deum movere potuerit ad aliquos praedestinandos, quod esset absurdum, uti jamdiu animadverterat s. Thomas. [1] De sola proinde causa morali agi potest.

436. Pelagiani ac semipelagiani hanc constituerunt in virtutibus naturalibus, seu in meritis per vires proprias comparatis, pelagiani absolute, semipelagiani saltem ad initium fidei promerendum. Theologi catholici, uti vidimus, alii admittunt hanc causam quoad praedestinationem inadaequatam ad gloriam, in meritis ope gratiae comparatis; alii eam respuunt et a solo Dei beneplacito repetunt. His placitis scholarum dimissis, de quibus satis egimus, causa *finalis* praedestinationis est gloria Dei, *efficiens* est Dei decretum dandi gratiam et gloriam, *meritoria externa* seu principalis sunt merita Christi, *meritoria interna* seu secundaria, saltem quoad executionem, sunt merita supernaturalia ipsius praedestinati.

437. Et haec de causis; quoad effectus praedestinationis, ad eos constituendos duae conditiones requiruntur: 1°. ut praedestinatio sit a Deo tamquam causa praedestinante, effectus enim supponit causam; 2°. ut cum gloria aeterna connexionem habeat, et ad eam de facto perducat. Quocirca praedestinationis effectus sunt vocatio, justificatio, et glorificatio. Huc solet afferri illud Pauli [2]: *Quos praescivit, et praedestinavit; quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Si tamen glorificatio, de qua hic loquitur Apostolus, sit beatitudo in altera vita, et non potius donorum collatio, qua Deus primos fideles gloriosos efficit, seu *magnificavit,* ut habet graecus textus. Inter divinae praedestinationis effectus recensentur praeterea naturalia illa bona, quae ex speciali Dei providentia et amore ad vitam ordinantur aeternam, e. gr. ingenium, indoles etc., dicente eodem Apostolo [3]: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti;* mala item poenae hujusce peregrinationis; et juxta nonnullos lapsus ipsi morales seu peccata, quae a Deo interdum permittuntur, ut inde majus bonum pro

[1]) Loc. cit. art. 6.
[2]) Rom. VIII.
[3]) Loc. cit.

sua bonitate eruat in favorem electorum; tunc enim per accidens, ut ajunt, et haec conferunt ad electorum utilitatem. Quo sensu s. Augustinus scripsit [4]: *Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum; unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderunt. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit. Hoc dicit et sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine. Id est: Ut tu eis placeas, quaerentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quaerendo suum.* Alii tamen aliter rem explicant. Consuli potest Suarez. [5]

CAPUT III.

DE REPROBATIONE.

438. Reprobatio seu rejectio, prout positiva est, a Magistro Sententiarum definitur [1]: *Praescientia iniquitatis quorumdam, et praeparatio damnationis eorumdem.* Tres ipsa actus complectitur, permissionem culpae, negationem gratiae efficacis ad resurgendum, decretum damnationis. Culpa igitur, uti patet, causa proxima reprobationis est. In his conveniunt catholici omnes adversus praedestinatianos et calvinianos.

439. Praeter reprobationem vero hanc positivam, admittenda ne est alia reprobatio, negativa nuncupata? Alii affirmant, alii negant. Affirmant, quotquot tuentur praedestinationem inadaequatam ad gloriam gratuitam in causa. Cum enim ex horum placito Deus ex universa damnationis massa decreverit ante praevisa merita quosdam ad gloriam eligere, hoc ipso caeteros omnes negative reprobavit. Negant, quotquot adstruunt hanc ipsam praedestinationem ad gloriam post praevisa merita, siquidem in hac sententia Deus neminem solum negative rejicit, sed positive reprobat eos omnes, quos peccato vel originali vel actuali praevidet inquinatos ex hac vita decessuros.

440. Quavis porro sententia admissa exploratum est, causam proximam positivae reprobationis, nempe peccatum, causam remotam supponere, quam *radicalem* theologi vocant. Haec in permissione peccati, seu in decreto non dandi gratiam efficacem sive ad illud praecavendum, sive ab illo resurgendum consistit. Et hic rursum theologi disceptant in assignanda causa hujusce agendi rationis, quam cum reprobis Deus tenet; num scilicet ex sola ejus voluntate; num ex defectu gratiae; num ex peccato originali quamvis dimisso, remote tamen influente? Nobis videtur aleae immo et temeritatis plena ejusmodi ulterior inquisitio.

441. His igitur quaestionibus dimissis, veteres potius recentioresque praedestinatianos seu calvinistas adorimur, qui autumant, Deum ex beneplacito suo et ante praevisa demerita positive homines quosdam reprobasse, seu ad aeternum exitium destinasse. Hac de causa, juxta Calvinum, Deus

[4]) *De civ. Dei*, lib. XIV. cap. 13.
[1]) Lib. I. dist. 11.
[5]) *De effectibus praedestinationis*, l. III.

non solum fidem ac omnem gratiam eis denegat, sed eos impellit etiam necessario ad peccata, decipit ac illudit; sacramenta quoad istos sterilia sunt, nudaque signa. Hujus doctrinam refert Bellarminus [2], nec non Petavius. [3] Cum vero non sibi Calvinus cohaereat, et interdum reprobationis causam soli tribuat Dei beneplacito, interdum vero rejicere videatur in peccatum originale, prout etiam placuit Jansenio, factum est ut calvinistae in *antelapsarios* et *postlapsarios* seu *superlapsarios* distinguantur, prout alterutri adhaerent sententiae.

PROPOSITIO.

Impium est asserere Deum ex solo beneplacito aliquos homines positive reprobasse atque aeterno supplicio destinasse, absque praevii peccati praevisione.

442. Repugnat enim Scripturae, universae traditioni, rectaeque rationi ejusmodi assertio. Sapient. I. 13. legitur: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Diligis omnia quae sunt*, subditur ib. XVIII. 25. *et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Praeterea si dicit Deus [1]: *Numquid voluntatis meae est mors impii . . . et non ut convertatur a viis suis et vivat?* quanto minus vult ipse quempiam sine praevisione peccati ad aeterna supplicia destinare? Hinc expresse s. Petrus, de Deo testatur [2]: *Nolens aliquos perire.* Demum nullam aliam praeter peccatum assignat Scriptura causam indignationis Dei aeternaeque damnationis, dicente Christo [3]: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Unica igitur ratio, quae a Christo assignatur ob reproborum damnationem, est bonorum operum, ad quae illi tenebantur, neglectus; non alia igitur est aeternae damnationis eorumdem decreti.

443. Supervacaneum vero est Patrum testimonia ad hoc ipsum evincendum congerere, cum una omnium mens fuerit. Audiatur prae caeteris unus Augustinus, qui scribit [4]: *Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est.*

444. Sed et ipsa ratio immo et communis hominum sensus juxta ideam, quam quisque de Deo habet, abhorret ab ejusmodi doctrina. Dei enim justitiae notio postulat, ut nemini poenam sine culpa decernat, alioquin humana justitia melior divina foret.

445. Deum autem neminem ad peccatum destinare, adeoque neque peccati auctorem esse; hominem insuper libero pollere arbitrio, etiam originali supposito peccato, suis locis ostendimus.

[2]) Lib. II. ***De statu peccati,*** cap. 3.
[3]) ***De Deo,*** lib. X. cap. 6 seqq.
[1]) Ezech. XVIII. 23.
[2]) Ep. II. cap. III. 9.
[3]) Matth. XXV. 41.
[4]) Lib. III. ***Contra Julianum.***

DIFFICULTATES.

446. Obj. Unica reprobationis et damnationis ratio Dei voluntas in Scripturis assignatur: Apostolus enim aperte scribit[5]: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui;* et v. 16: *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei;* hinc de Pharaone ex nomine ipsius Dei, subjicit, v. 17: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam;* concludit vero v. 18: *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat;* ac v. 21. rationem reddit dicens: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ergo.

447. Resp. *N. A.* Ad probationes vero reponimus praeter argumentum, de quo agimus, illas afferri. Etenim Apostolus in tota hac ad Rom. epistola nihil aliud sibi proposuit, quam statuere gratuitam vocationem ad fidem. Cum omnes homines, judaei ac gentes, sub peccato essent et egerent gloria Dei, ex gratuita sua bonitate, sine ullis praecedentibus meritis, gentes ad fidem vocavit, judaeos ex justitia sua reprobavit ob ipsorum incredulitatem. In cujus rei confirmationem adduxit Apostolus exemplum Esau et Jacob, ex quibus praeelegit Deus quoad temporalem benedictionem Jacob prae Esau in pari conditione; item Pharaonis et Nabuchodonosor, quorum primum in sua induratione reliquit, alterius vero misertus est. Sic quare ex duobus peccatoribus Deus unius misereatur, alterum in sua iniquitate relinquat, nulla alia ratio reddi potest, quam quod cum altero misericordiam, cum altero vero justitiam exercere voluerit. Sed, ut patet, peccatum semper supponitur uti causa reprobationis et damnationis. Hinc s. Augustinus: *Quaerimus,* scribit[6], *meritum obdurationis et invenimus. Quibus* misericordiam *non impertitur, nec digni sunt, nec merentur; at potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.*

448. Inst. 1. Prov. XVI. 4. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum;* ac 2. Sap. XIV. 11: *Creaturae Dei in odium factae sunt;* 3. sane non alio fine infantes, qui sine Baptismo decedunt, ac infideles negativi conditi sunt, nisi ut damnentur. Ergo.

449. Resp. Ad 1. *D.* Supposito peccato impius ad diem malum servatur, *C.* illo non supposito, *N.* Alioquin impius non foret.

450. Ad 2. *D.* Ex hominum culpa, *C.* ex intentione Dei, *N.* Homines enim sunt, qui propria malitia, creaturis in se bonis pessime in suam perniciem abutuntur.

451. Ad 3. *Neg.* Nam praeter Dei voluntatem infantes non perveniunt ad Baptismum, ut suo loco ostendemus, et infideles nihil audierunt quandoque de Christo. Nec enim Deus his infidelibus gratiam suam denegat, qua

[5]) Rom. IX. 11 seqq. [6]) Ep. CXCIV. n. 14.

si bene utantur, aut observationem legis saltem naturalis, ulterioribus auxiliis praesto erit ne pereant; Deus enim facienti quod in se est gratiam non denegat, juxta tritum in scholis effatum; et s. Augustinus duplici distincto providentiae ordine, publico cum nationibus, privato cum unoquoque individuo, concludit [7]: *Quoniam divina providentia non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tamquam publice consulit; quid cum singulis agatur, Deus qui agit, atque ipsi cum quibus agitur, sciunt; quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, et per prophetiam.* Et s. Prosper generatim pronunciat [8]: *Nemo a Deo ita creatus est, ut pereat; quia alia est causa nascendi, alia percundi. Ut enim nascantur homines, Creatoris est beneficium; ut autem pereant, praevaricationis est meritum.*

[7]) *De vera Religione*, cap. 24.

[8]) *Repons. ad objectionem tertiam vincentianam.*

TRACTATUS

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

PROOEMIUM.

1. Augustissimae Trinitatis mysterium basis ac fundamentum est totius religionis christianae. Hujus professionis summam complexus est auctor symboli athanasiani his verbis: *Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes;* et ecclesia in praefatione ss. Trinitatis eo revocat fidei hujus professionem: *Ut in personis proprietas, in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas.*

2. Si proinde fides catholica de Trinitate consistit in admittendis tribus personis realiter distinctis in unitate numerica essentiae, sequitur has personas sibi coaeternas, coaequales ac consubstantiales esse; alteram ab altera procedere. Filium quidem a Patre per aeternam generationem; Spiritum Sanctum ex Patre et Filio, tamquam ab unico principio per simplicem processionem.

3. Errores omnes circa hoc mysterium exorti ad tres classes revocari facile possunt. Prima classis eorum est, qui nullam agnoscunt in personis divinis distinctionem, cujusmodi fuere sabelliani, et qui ab illis processerunt sociniani et unitarii. Altera eos complectitur, qui inficiati sunt consubstantialitatem et aequalitatem trium personarum, uti ariani, macedoniani, et qui illos secuti sunt. Tertia a graecis schismaticis conflatur, qui inficiati sunt processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, veluti ab unico principio. Rationalistae cum socinianis et unitariis totum mysterium rejiciunt, tamquam adversans rectae rationi.

4. Ut igitur catholicam doctrinam vindicemus adversus tot adversarios, praemissis prius necessariis notionibus ad dicendorum intelligentiam: 1°. generatim trium personarum in unitate naturae subsistentium veritatem adstruemus. Qua veritate constituta, 2°. Filii ac Spiritus S. singillatim divinitatem deducemus; 3°. Spiritus Sancti a Patre Filioque ostendemus processionem; 4°. denique nonnulla subjiciemus corollaria ad uberiorem argumenti totius illustrationem.

CAPUT I.

DE VOCIBUS, QUAE IN DISSERENDO DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO USURPANTUR.

5. Ab haereticis, qui vocibus adhiberi solitis circa Trinitatis mysterium abusi sunt, ad earum expositionem compellimur. Ex hac duo commoda in rem nostram proveniunt, ac primo ut clarior evadat tractatio, secundo ut facilius adversariorum dissolvantur sophismata.

6. Cum tota praesens controversia ad *unitatem* et *distinctionem* revocetur, fit, ut ex vocabulis explanandis alia ad unitatem, ad distinctionem alia referantur constabiliendam; et ad posteriorem hanc classem spectant, quae de relationibus et origine disseruntur.

7. Sunt autem in primis vocabula isthaec *essentia, natura, substantia, existentia,* item *subsistentia, suppositum* atque *persona.*

8. *Essentia,* quae ab *esse* dicitur, est id, quo res quaelibet in suo esse constituitur; seu est id, quo[illegible] est. Sic essentia hominis est id, per quod homo est; nihil ea prius excogitari in qualibet re potest. Tria in eam concurrunt: 1°. ut sit, quod primum in ente concipitur; 2°. ut caeterorum, quae in eodem sunt aut ab eo dimanant, radix sit ac fundamentum; 3°. ut id sit, quo ab alia re qualibet distinguatur. Sic essentia hominis est, ut sit animal rationale.

9. *Natura,* a *nascor* dicta, in primaeva significatione exprimit id, quod ex alio ortum habuit seu progenitum est. Ast postea vox haec adscita fuit uti synonyma essentiae: prout vero ab essentia distinguitur definiri *natura* solet: *Principium actionis ac operationis rei intime inhaerens.* Prout Deo accommodatur, posset dici: *Principium actionis divinae ab ipsa tamen actione interiori minime sejunctum.* Haec naturae notio communissima apud Patres veteres est; ex ea enim inferebant duplicem in Christo distinctam naturam juxta duplicem ejus operationem divinam et humanam. Hinc *actio* dicta ab iis est *substantialis naturae motio.*

10. *Substantia* vulgo difinitur: *Id, quod nullo alio indiget, cui inhaereat ad existendum.* Triplici autem sensu substantia accipitur: 1°. pro essentia; 2°. pro eo quod accidentibus seu modificationibus subest, quasi a *substando;* 3°. pro re per se existente; qua postrema significatione tam de Deo, quam de creaturis enunciari potest.

11. *Existentia* definiri solet *essentia in actu,* seu essentia extra merae

possibilitatis statum, quae quidem notio competere creaturis potest, non autem Deo. Deus siquidem existit per essentiam, seu vi essentiae suae, utpote ens a se, quod scilicet in se habet rationem suae existentiae.

12. *Subsistentia* hic sumitur pro modo, quo substantia quaedam singularis tota et ultimo completa subsistit, suique juris efficitur; hinc definitur: *Ultimum substantiae complementum, eam reddens sui juris sive incommunicabilem alteri tamquam supposito sive personae.* Quo fit, ut per subsistentiam ita compleatur suique juris substantia efficiatur, ut absque dependentia ab alio tamquam persona vel supposito agat et operetur.

13. *Suppositum* idem est ac subsistentia, sed in concreto existens; ac definitur: *Substantia ultimo completa suique juris,* seu substantia cum *modo suo,* qui tamen potest absolute alienus esse a substantia seu ab eo diversus, quem substantia per se haberet, ut patet in Incarnatione, in qua humanitas a subsistentia divina regitur, ut existat.

14. *Persona* idem est ac suppositum, sed ratione praeditum. A Boëthio definita est: *Rationalis naturae individua substantia.* Cum tamen nonnullis, licet immerito, ambigua ejusmodi definitio videatur, maluerunt eam dicere *suppositum* seu *subsistentiam rationalem.*

15. Graeci *naturam, essentiam, personam* vocant *φύσιν, οὐσίαν, ὑπόστασιν.* Eadem tamen his vocibus haesit significatio, nec nisi temporis tractu determinata est ex occasione abusus sabellianorum in his vocibus usurpandis, et contentionum etiam, quae inter catholicos ipsos ortae sunt.

16. Nonnisi improprie *essentiae, existentiae* et *naturae* nomina de Deo praedicantur, cum tria haec in Deo identificentur; sic etiam vel ipsa *personae* vox Deo accommodatur, nam in Deo non est persona, sicut in nobis contingit, substantia individua et distincta ab alia immo diversa; sed personae vox, cum de Deo dicitur, indicat tantum distinctos ejusdem substantiae existendi seu subsistendi modos.

17. Sed jam de *originibus* ac *relationibus* nonnulla sunt delibanda. *Origo est emanatio unius ab alio.* Emanare autem potest unum ab alio vel tamquam a *principio,* vel tamquam a *causa;* tum aut *generatione* aut simplici *processione;* et hae propterea voces exponendae sunt.

18. *Principium est id, quod rationem continet, cur illud sit, cujus dicitur principium,* quodque *principiatum* vocatur; aut etiam: *Est illud, quod habet in se rationem principiati.* Pater e. gr. est principium, filius principiatum, quia pater est ratio, cur filius sit. Ex qua notione sequitur 1°. principium *aliquo modo* debere distingui a principiato; continet enim rationem principiati: dictum porro est *aliquo modo* distingui, quia satis est, ut in ratione tantum existendi seu subsistendi alterum ab altero distinguatur, non autem in ratione *essentiae.* Sic in Deo eadem est essentia Patris ac Filii, Pater tamen a Filio distinguitur distincta ratione subsistendi. Sequitur 2°. necessariam adesse connexionem inter principium et principiatum, quae mutuam habent inter se relationem. Sequitur 3°. principiatum esse saltem ordine ac ratione suo principio posterius a quo pendet.

19. *Causa* dicitur *principium influens esse in aliud;* seu *causa generatim sumpta, est id quod rationem continet, cur aliquo modo habeatur aliud natura distinctum.* Id autem quod sic a *causa* profluit seu producitur, *effectus* nuncupatur. Hoc igitur interest discrimen inter *causam* et *principium,* quod illa sit veluti genus, hoc veluti species, cum omnis causa sit principium, non vero omne principium sit causa, fieri siquidem potest, ut principiatum non sit natura distinctum a suo principio, uti evenit in divinis. Graeci quod nos vocamus principium, vocant *causam*, sed *intrinsecam.*

20. *Generatio* post s. Thomam definiri solet: *Origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturae.* Haec similitudo respicit speciem, non genus.

21. *Processio* est *origo unius ab alio;* ejusmodi origo esse potest vel *ad intra* vel *ad extra,* adeoque per actionem *immanentem* si ad intra, *transeuntem* si ad extra sit. Processio magis patet quam generatio, cum omnis generatio processio sit, non autem e converso.

22. *Relatio* est *ordo* seu *habitudo unius ad alterum.* Duo idcirco extrema, seu duos terminos saltem postulat: nempe unum quod refertur, aliud ad quod refertur. Si mutua sit haec relatio, dicitur perfecta, e. gr. patris et filii; si mutua non sit, ut domus ad tectum, dicitur imperfecta. Relatio autem potest esse aut inter substantias, aut inter modos unius ejusdemque substantiae.

23. Si relatio seu oppositio sit inter substantias, dicitur *ad aliud;* si inter modos, dicitur *ad alterum:* talis porro est, quae habetur in divinis.

24. Quum tot creatae difficultates sint a fidei catholicae adversariis ex aequivocatione vocis *ingeniti*, nonnulla et de hac voce adjicienda sunt. *Ingenitum* potest significare idem ac *non factum* aut *non creatum,* quo sensu haec vox aeque competit tribus personis divinis; idem praeterea valet ac *non generatum*, quo sensu convenit Patri ac Spiritui Sancto; demum potest significare *non emanatum* sub quovis respectu, et hoc sensu solius Patris propria est.

25. In hac postrema significatione *ingeniti* vox bifariam accipi potest, *negative* aut *privative;* in sensu *negativo* accipitur, cum removetur a subjecto, de quo praedicatur, aliqua affectio, quae eidem convenire nequit, uti cum Deus *immortalis* aut *incorruptibilis* dicitur; in sensu *privativo* aliquid enunciatur abesse a subjecto, quod absolute inesse ei posset, uti dicitur de homine quod caecus aut amens non sit. Si igitur vox *ingeniti negative* usurpetur, competit divinae essentiae, immo et Patri quatenus Pater est, cum exprimat notionem primae personae propriam; si *privative*, competit etiam Patri, sed quatenus in genere divina persona est.

26. *Notio* est id, quo valemus alteram ab altera persona secernere atque internoscere.

27. Animadvertendum hic denique est vocem personae in Deo longe verisimilius esse relativam et non absolutam, adeoque directe ac primario relationem exprimere, secundario vero ac in obliquo significare substantiam;

sic relativae sunt voces Patris, Filii et Spiritus Sancti. Vox autem Dei absoluta per se est, ac primario naturam seu substantiam, secundario personas significat.

28. Et haec de vocibus, quae in decursu tractatus adhiberi solent, earumque significationibus.

CAPUT II.

DE NUMERICA DIVINAE ESSENTIAE UNITATE IN TRIBUS PERSONIS.

29. Fidei dogmata ex divina revelatione constitui debent. Cum vero duplex via nobis sit, qua constare potest de divina revelatione dogmatis alicujus, Scriptura et traditio, ex utraque veritas mysterii Trinitatis probanda a nobis est. Praetermittimus consulto quaestionem, utrum, supposita revelatione, eadem veritas sola ratione demonstrari possit, ne re non necessaria detineamur, cum satis nobis sit evincere, quod ostendi nequeat Trinitatis mysterium cum recta ratione pugnare.

PROPOSITIO I.

Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae. Probatur primo ex sacris litteris generatim.

30. De fide propositio est, uti constat tum ex symbolo athanasiano, tum ex omnibus catholicae fidei professionibus, tum denique ex concilio lateranensi IV. cap. *Firmiter.*

31. Urgemus ex sacris litteris potissime auctoritates ex N. T. desumptas, quamvis enim ex V. T. pluralitas personarum non uno in loco praedicetur, uti Gen. I. 16: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* et cap. III. 22: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est;* tum Ps. II. 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, Ego hodie genui te;* et Ps. CIX. 1: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,* adscita praesertim expositione Christi et Pauli; attamen cum explicita trium distinctarum personarum in unitate essentiae doctrina in N. T. tradatur, ideo exinde probationes nostras proferemus.

32. Jam vero nota est Baptismi formula ex Christi praecepto [1]: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Porro per particulam *et* tres distinguuntur personae; per voces *in nomine* communis tribus istis personis efficientia, virtus, auctoritas, adeoque natura significatur, cum tribus his personis in communi gratia sanctificans tribuitur seu effectus Baptismi, et mancipatio baptizati illarum cultui. Nec omittendum, Christum hac formula paucis contraxisse totam doctrinam suam circa trium harum personarum essentiae divinae unitatem.

33. Hanc enim doctrinam Christus aperte tradidit, dicens [2]: *Cum*

[1]) Matth. ult. [2]) Joann. XV. 26.

venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ubi tres numerantur distinctae personae: Pater, Filius, et *Paracletus*; item communis natura cujusmodi est Patris et Filii, et praeterea Paracleti, qui a Patre procedit sive emanat: quod enim a Deo procedit ac emanat, Deus est; cujusmodi pariter est Filius, qui, ut habetur Joann. XVI. 27, 28, a Patre Deo exivit. Idem Christus docuit [3]: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis; alium* vocat per oppositionem ad semetipsum; et iterum cum Philippo percontanti visionem Patris respondit [4]: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.... Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor; Pater autem in me manens ipse facit opera.* Ex his autem liquet 1°. unam Patri ac Filio eamdemque efficientiam et actionem tribui adeoque naturam; 2°. commeationem praedicari Patris in Filium ac vicissim, quae non nisi in identitate naturae locum habere potest; 3°. affirmari uno viso alterum videri, quod consequens non esset, si diversa esset Patris Filiique substantia. Cum vero de Spiritu S. affirmet Christus ex Patre procedere, ac de suo accipere, jam patet unam eamdemque in tribus distinctis personis naturam seu substantiam praedicari.

34. Haec confirmantur ex collatione Isai. VI. 9; Joann. XII. 40. et Act. XXVIII. 26. Quibus in locis verba illa: *Audite audientes et nolite intelligere,* aeque tribuuntur uti prolata a Patre, a Filio, et a Spiritu Sancto, atque idcirco personis his singulis eadem efficientia tribuitur, eadem gloria atque majestas.

35. Demum id ipsum conficimus ex celebri textu I. Ep. Joann. V. 7: *Tres sunt qui testimonium dant in coelis: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt:* quo et distinctio personarum et unitas essentiae aperte praedicantur. Quorum verborum genuinitatem licet negaverint recentiores biblici cum socinianis ac rationalistis, certum tamen est ea reperiri in antiquissima versione Vulgata, ut neque adversarii diffitentur; haec citasse Patres africanos, quadringentos nempe episcopos saec. ecclesiae V. in disputatione cum Vandalis arianis sub Hunnerico habita; ea allegasse Patres antiquissimos, Eucherium, Phaebadium, utrumque Idacium, praeter Tertullianum et Cyprianum, qui aperte saltem ad ipsa alludunt, ut omittamus posteriores Patres; certum pariter est in antiquissimis codicibus graecis ea reperta fuisse, ut patet ex recensione hieronymiana, quam exhibet vetustissimus codex boeticus, qui exaratus est ex ipsis membranis, quas ex dictatu s. Hieronymi exceperunt notarii ad eum missi a Lucio Boetico. Porro s. Hieronymus professus est se ex mandato Damasi rom. pontificis Novum Testamentum graecae fidei reddidisse; argumento igitur ineluctabili est olim in graecis codicibus palaestinensibus, quibus s. Doctor usus est, hunc versiculum extitisse. Idem dic de complexionibus Aurelii Cassiodori, qui eas confecit juxta praestantiores codices graecos, quos prae manibus habebat. Proinde cum reperiatur

[3]) Joann. XIV. 16. [4]) Ibid. v. 8 et seqq.

comma istud in Vulgata, quae antiquissima est, utpote aevo apostolico confecta, quaeque omnibus codicibus graecis, qui supersunt, est anterior, juxta criticae regulas est retinendum, atque catholicae doctrinae est ineluctabile argumentum.

36. Et haec quidem ex Scripturis, quae majus robur accipient ex constante ecclesiae universae traditione, quam nonnisi majoris claritatis gratia a Scripturis sejungimus, cum simul spectari debeant.

DIFFICULTATES.

37. I. Obj. 1. Nuspiam in Scripturis aperte traditur *Trinitas* personarum distinctarum in *consubstantialitate* naturae; 2. formula Baptismi distinctionem personarum exhibet, non autem unitatem substantiae; jubemur enim baptizari in nomine Dei Patris hominum, Jesu Messiae, et Spiritus Sancti peculiaris Dei vis personae forma indutae; 3. eodem sensu intelligi debet apprecatio Apostoli, II. Cor. XIII. 15, et reliqua omnia, quae adduci solent, uti Matth. III. 16, 17, de Baptismo Christi; I. Cor. XII. 4—6; I. Petri I. 2; Rom. XV. 30, in quibus consubstantialitatis nulla fit mentio. Ergo.

38. Resp. Ad 1. *D.* Nusquam hae voces in Scripturis occurrunt *Trinitatis* et *consubstantialitatis, C.* non occurrit aperte veritas his vocibus significata, *N.* Ex probationibus enim, quas attulimus, quoad eos, qui sincere veritatem quaerunt, apertissime constat ejusmodi veritatem in Scripturis contineri.

39. Ad 2. *Neg.* Cum tribus distinctis personis eamdem virtutem efficientiamque divinam tribuat Baptismatis formula, divinae scilicet gratiae largitionem. Quod autem dicitur de Deo Patre hominum, Jesu Messia, ac de Spiritus Sancti peculiari vi, pia est socinianorum ac rationalistarum speculatio, non autem Baptismi forma; cumque forma haec, ex dictis, sit veluti compendiosa expressio doctrinae Christi circa hoc mysterium, ejus sensus ex caeteris doctrinae capitibus, quibus eadem veritas docetur, colligendus est.

40. Ad 3. *D.* Si singula objecta loca seorsum ac solitarie spectentur absque nexu cum doctrina fundamentali, non sunt demonstrativa, *Tr.* vel *C.* si in nexu cum doctrina fundamentali sumantur, ad quam per illa alluditur, *N.* Jam vero cum Trinitas personarum, earumque communis natura adeo aperte a Christo in adductis apud Joannem testimoniis tradatur, atque haec doctrina fidelibus, uti ostendemus, ab apostolis adeo inculcata fuerit, ad eam tamquam ad rem notissimam, quin clarius sensum aperirent suum, alludunt Petrus et Paulus, quorum verba non intelligerentur nisi supposita doctrina ac fide in Trinitatis mysterium.

41. I. Inst. Ex Baptismi formula unitas naturae in tribus personis colligi nequit, cum vel ipse Apostolus, I. Cor. X. 2. de Israelitis scribat, quod fuerint *baptizati in Moyse, in nube et in mari*, in quibus nulla unitas naturae fingi potest, prout nec in Deo et angelis et sanctis, in quorum tamen *nomine* ecclesia commendare solet animas exeuntium. Ergo.

42. Resp. *Nego* paritatem in utroque argumento; nam Apostolus non

scribit Israelitas baptizatos fuisse *in nomine* Moysis, nubis et maris, ut in formula Baptismi habetur. Quod si ecclesia morituros commendat *in nomine Dei Patris. . . . in nomine angelorum* etc., ea addit, quae omnem dubitationem de ejus sensu tollunt, dicens: *In nomine Dei Patris, qui te creavit, in nomine Filii, qui pro te passus est, in nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est, in nomine angelorum et archangelorum, in nomine patriarcharum* etc., quin aliud adjiciat, ut sic insinuet horum efflagitari intercessionem.

43. II. Inst. 1. Etsi nonnulla hujus doctrinae semina in Scripturis habeantur, explicari debent vel ex philosophematibus judaicis et platonicis, quae tunc temporis obtinebant, vel ex pio discipulorum in magistrum affectu; 2. haberi proinde debet doctrina haec uti typus, quo significetur Deum Patrem uti Spiritum Sanctum sese per Jesum Christum hominibus manifestasse. Ergo.

44. Resp. Ad 1. *Neg.* Si enim vera semina hujus dogmatis in Scripturis occurrunt, ut id demus adversariis, semina evolvi debent, non autem explicari arbitraria ratione. Unde ipsi probant illa philosophemata platonica apud judaeos in Palaestina obtinuisse? Unde ostendunt discipulos ex pio in magistrum affectu mentiri voluisse ac decipere universum orbem, donec insurrexissent sociniani ac rationalistae? Asserere facile est, demonstrare valde difficile, immo in casu nostro impossibile plane.

45. Ad 2. *Neg.* Hic enim typus est absurdus, ratione habita biblicae doctrinae. Etenim Spiritus S. est *alius Paracletus, qui procedit a Patre, et prout a Filio distinguitur,* quomodo dici potest Pater, qui *ut Spiritum Sanctum se manifestavit?* Qui fieri potuit, ut ejusmodi typum nemo noverit per XVIII integra saecula?

46. II. Obj. 1. Christus ita Patrem alloquitur [5]: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Unde sic: Deus verus, de quo hic loquitur Christus, est Deus summus; atqui hic est solus Pater; ergo Christus et Spiritus S. non sunt Deus ille summus. 2. Id ipsum docet Apostolus scribens [6]: *Nam etsi sunt, qui dicuntur dii sive in coelo sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi), nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum.* Paulus igitur, explicans quis sit ille unus Deus, absolute affirmat hunc esse Patrem solum; non autem Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, ut ferret systema catholicum; ergo Filius et Spiritus S. ex Pauli doctrina e censu divinitatis excludi debent; 3. prout iterum inculcat idem Apostolus, dicens [7]: *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia, et in omnibus nobis.* Ergo.

47. Resp. Ad 1. *Dist. min.* Si Christus vocem *solum* ita ad Patrem retulisset ad exclusionem caeterarum personarum, *C.* si ita ad Patrem referat

[5]) Joann. XVII. 3.
[6]) I. Cor. VIII. 5 seqq.
[7]) Ephes. IV. 6.

ad exclusionem falsorum deorum ac idolorum, *N.* Porro in objecto textu vox *solum* non exprimit subjectum, id est, Patrem, sed attributum seu praedicatum divinitatis, quae sola est. Hunc sensum exposcit graecus textus, qui ita construitur: *Ἵνα γινώσκωσι σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν*, nempe: *Ut cognoscant te solum verum Deum.* Quo fit, ut Christus in hac sententia non excludat nisi falsos deos et vana gentium idola, quae certe *veri* dii non sunt; declarat proinde vitam aeternam sitam esse in cognitione solius veri Dei, et Incarnationis Filii ejus, scilicet Jesu Christi. Quinam vero sit solus hic verus Deus, alibi Christus patefacit, dum sibi et Spiritui Sancto veram tribuit divinitatem. Hinc nomen *Pater* non ad personam coarctat hujus nominis, sed Deo tribuit, qui Pater hominum est, uti praeter Maldonatum in hunc locum ostendunt Petavius [8], et Maran. [9]

48. Ad 2. *D.* Paulus explicat, quis sit unus Deus ad excludendos falsos gentium deos, *C.* ad excludendas personas Filii et Spiritus Sancti, *N.* Hoc enim exposcit Pauli scopus, qui cum praemisisset multos a gentibus deos ac dominos dici, docet nonnisi Deum unum ac Dominum esse, Deum Patrem ac Dominum Filium; et quoniam a nomine Domini non excludit Patrem, ita a nomine Dei non excludit Filium. Ideo vero hac loquendi ratione usus est Paulus, quia allusit ad fidei symbolum, in quo fideles profitebantur credere *in unum Deum, et in unum Dominum J. C.* uti Graeci recitabant; vitavit autem repetitionem vocis *Dei* et *Domini,* ut prospiceret teneris adhuc christianis recens ex ethnicismo conversis, ne ex repetitione harum vocum revocari viderentur ad plures deos ac dominos admittendos, ut scite post s. Joannem Chrysost. animadvertit Petavius. [10]

49. Ad 3. Eadem esto responsio, quae clare adhuc colligitur ex verbis immediate praecedentibus: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Hic enim *Unus Dominus,* fatente Crellio, Christus est. Nec omittendum ex ethnicorum mente vocem *Dominus* significare *Deum;* ac proinde cum Apostolus hoc sensu vocem *Dominus* Christo applicet, hoc ipso ostendit se haud excludere Christum voluisse a divinitate proprie dicta, quam alibi saepe ei tribuit.

50. III. Obj. Authenticitas commatis joannaei nulla ratione adstrui potest. Nam 1. labilia sunt fundamenta, quae habentur in Tertulliano et Cypriano, quorum allusio nimis vaga est; 2. horum auctoritate permoti recentiores Africani coeperunt illam allusionem amplificare, donec textum integrum confecerint, et obtruserint idiotis Vandalis; 3. in antiqua Itala desiderabatur, adeoque in versione Vulgata antiquissima, et in ipsa hieronymiana versione; alioquin s. Augustinus procul dubio illud allegasset adversus Maximinum arianum; 4. deest in omnibus graecis codicibus recentioribus et vetustioribus, siquidem nemo ex graecis Patribus illud allegavit; 5. sed nec favet ipsa orationis series; etenim illa omnia verba *dant in coelo,* item *dant*

[8]) ***De Trinitate,*** lib. III. cap. 1.
[9]) In opere ***Divinitas Jesu Christi,*** lib. I. part. II. cap. 21. §§. 1 et 2.
[10]) Loc. cit.

in terra, intrusa sunt; insequentia porro: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est,* alludunt ad postrema verba v. 6: *Et Spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas,* nempe *Spiritus Sanctus,* ut in nonnullis codicibus legitur. Desunt igitur argumenta extrinseca et intrinseca, quibus hic versiculus fulciatur. 6. Verum ineptus etiam est versiculus iste ad dogma catholicum adstruendum, cum Pater, Verbum et Spiritus S. *unum* dicantur non unitate essentiae, sed unitate testimonii, uti praeter nobilissimos interpretes, qui hunc sensum confirmant, patet ex v. 8. in quo pariter de spiritu, aqua et sanguine dicitur quod *unum* sint, profecto non essentia, sed unitate testimonii. Ergo.

51. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* Ad hanc enim suspicionem eliminandam satis est utriusque verba proferre. Jam vero Tertullianus, cum ostendere voluisset unam trium personarum substantiam esse, scribit[11]: *Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes alterum ex altero, qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est:* Ego et Pater unum sumus, *ad ostendendam unitatem.* Porro verba: *Tres unum sunt* nuspiam alibi quam in versiculo nostro leguntur; quod vero subdit: *Quomodo dictum est:* Ego et Pater unum sumus, affert ad interpretandum locum parallelum priori textui. S. Cyprianus bis allegat eumdem textum, nempe in *Epist. ad Jubajan.* scribens: *Cum tres unum sint, quomodo Spiritus S. placatus ei esse potest, qui aut Filii aut Patris inimicus est?* et in lib. *De unit. ecclesiae,* ubi haec leguntur: *Dicit Dominus: Ego et Pater unum sumus. Et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est:* Et hi tres unum sunt. Quibus non modo provocat ad Scripturam, sed praeterea confirmat quod de Tertulliano diximus, cum eadem ratione joanneum comma alleget.

52. Ad 2. *D.* Etiam, *Tr.* solum, *N.* Nam eo ipso quod posteriores scriptores africani permoti sint illorum duorum auctoritate, consequitur utrumque hunc textum ex Scriptura attulisse, adeoque in antiquissimis codicibus latinis et graecis repertum. Caeterum non soli scriptores africani, verum etiam Galli et Itali periocham nostram adduxerunt; immo et Hispani, qui omnes dici nequeunt permoti solla Tertulliani et Cypriani auctoritate. Quapropter non ad illudendum Vandalis concilii africani Patres illum versiculum allegarunt, sed quia reipsa in suis codicibus, prout nunc est, continebatur.

53. Ad 3. *D.* Quia jam forte exciderat ab illo primitivo typo, ex quo Itala confecta est, *C.* quia a fonte ipso defecerat, *N.* Alioquin ratio nequit amplius assignari, quare in codicibus illis, ex quibus africana versio latina prodivit, reperiretur. Certum enim est Tertullianum ad codices graecos interdum appellare; Hieronymum cum codicibus graecis suam recensionem contulisse, quo factum est, ut in ejus versione reperiatur; falsum proinde est in hieronymiana versione non inveniri. De s. Augustino res est incerta; siquidem in sessoriana bibliotheca *Speculum* sub Augustini nomine habetur,

[11]) *Adversus Praxeam,* cap. 25.

quod genuinum ejusdem s. Doctoris opus creditur, in quo textus noster legitur. Accedit quod s. Doctor versione Itala uteretur, in qua versiculus hic desiderabatur; attamen ad ipsum alludit scribens *Adversus Maximinum.*

54. Ad 4. *D.* Id est, in plerisque, *C.* in omnibus prorsus, *N.* In exemplaribus enim quibus Robertus Stephanus usus est, in illo quo permotus est Erasmus ad eumdem restituendum, in exemplaribus, quibus confecta est editio complutensis, in pluribus codicibus anomalis, ac in Cyprio non ita pridem detecto, adest haec periocha. Cum igitur argumenta positiva habeantur, quibus constat hunc versiculum extitisse, ad rei explicationem satis est probabiles afferre rationes, quare in plerisque desideretur. Potuit porro vel fraus primorum haereticorum id efficere, potuit oscitatio librariorum ob omioteleuton, seu idem initium et finem vv. 7 et 8, uti patet etiam ex eo quod in nonnullis codicibus desit v. 8, de quo tamen numquam dubitatum est. Nil mirum proinde si Patres graeci comma istud non citaverint, saltem eorum plerique.

55. Ad 5. *D.* Si admitteretur delenda omnia indicata verba, *Tr.* si id negetur, *N.* Porro tum Bengel tum Millius ex collatione codicum evincunt ejusmodi verba esse omnino retinenda. Cum praeterea vox illa *sanctus*, quae nonnisi in paucis codicibus reperitur, delenda sit, mutilus evaderet sensus, sublato v. 7. praesertim cum adeo s. Joannes insistat in illo *majori Dei testimonio.* Hinc vere scripsit Bengel: *Adamantina versiculorum cohaerentia omnem codicum penuriam compensat.*

56. Ad 6. *Neg.* Nam 1°. eodem sensu scribit Apostolus: *Et hi tres unum sunt,* ac saepe in Evangelio unum unitate essentiae perhibet Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. 2°. Quia de tribus omnino disparatis, cujusmodi in sententia unitariorum essent Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, affirmare Joannes non potuisset *tres unum esse.* 3°. Quia quotquot ex antiquis hunc locum adduxerunt, constanter de praedicta essentiae unitate intellexerunt; ac nisi ita esset, numquam unitarii adeo se sollicitos praebuissent in hujus commatis *genuinitate* deneganda. Nec obest quod etiam de testibus terrenis dicatur: *Et hi tres unum sunt;* nam praeterquam quod in graeco textu legitur: *In unum sunt,* quod numquam dicitur de testibus coelestibus, testes illi inter se conferuntur tantum quoad vim testimonii, non autem quoad qualitatem, ut per se constat.

PROPOSITIO II.

Unitas divinae essentiae in tribus distinctis personis ex perpetuo et constanti ecclesiae sensu traditionali confirmatur.

57. Illud quoque rectae rationis documentum est, quod optima ad veterum scriptorum mentem assequendam regula sit, si coaevos viros consulamus, qui scriptores illos allocuti ad posteros, quod acceperant, transmiserunt, qui demum eorum doctrinas in praxim deduxerunt. Quod potissimum obtinet, si haec praestitit non individuum aliquod, sed persona moralis,

seu hominum societas. Jam vero hanc regulam sectantes ostendemus Patres antiquissimos et apostolicos tum factis, tum dictis, tum agendi ratione, quam tenuerunt erga illos omnes, qui dogma ss. Trinitatis quoquomodo labefactare adnisi sunt, doctrinam Christi et apostolorum circa hoc mysterium tradidisse, quam ecclesia perpetuo professa est. His adjicimus vel teterrimos fidei christianae hostes, qui ex hac suppositione religionem sunt adorti christianam.

58. Jam vero primaevae fidei apostolicae circa hoc dogma suppeditat primo ineluctabile documentum tum Baptismi forma, tum ritus illum conferendi; nam semper administratus est Baptismus sub invocatione trium distinctarum personarum sub communi nomine; invocatas porro fuisse tres personas distinctas in sensu catholico, evincit argumentum, quod Patres exinde extruebant adversus sabellianos, perinde ac a ritu quo administrari consueverat, per trinam scilicet immersionem ad evincendam trium divinarum personarum distinctionem, uti testatur Tertullianus [1], et patet ex *Can. L. apostolico*, et ex Justino. [2] Aliud documentum suppeditat recepta in ecclesia doxologia ab aetate apostolica: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, vel *Deo Patri et Filio D. N. J. C. cum Sancto Spiritu gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.* De qua praeter s. Basilium [3] sermo est in *Constitutionibus apostolicis* [4] et alibi passim. Tertium documentum suppeditat ecclesiae antiquissimae agendi ratio adversus novitates Sabellii, Noëti aliorumque patripassianorum, qui personas confundebant, et adversus ebionitas, cerinthianos, Artemonem, Paulum samosatenum, qui Christi adeoque Verbi divinitatem adorti sunt, quos omnes uti haereticos e sinu suo illa expulit.

59. Id ipsum evincunt solemnes fidei professiones seu symbola primis tribus ecclesiae saeculis recepta, in quibus eminet apostolicum, quo ecclesia semper professa est se credere in *Deum Patrem*, *in Jesum Christum unicum Filium ejus, et in Spiritum Sanctum,* quae in sensu obvio referunt eamdem divinitatem in tribus personis, et hoc sensu hanc professionem esse intelligendam patefaciunt ulteriores ejusdem symboli declarationes quae, cogentibus haereticis, adjecta sunt a synodo antiochena I. et a s. Gregorio Thaumaturgo, in quibus fit professio de fide *in Deum Patrem*, *in Deum Filium,* et *in Spiritum S. imaginem Filii perfecti perfectam*, *in Trinitatem perfectam.*

60. Hac eadem fide primitivam ecclesiam catechumenos ac fideles instituisse constat ex martyrum actis, in his enim exhibetur popularis et vulgaris instructio. Porro in actis martyrum lugdunensium, qui passi sunt anno XVII. Marci Aurelii, legitur s. Epipodium hanc fidei professionem coram praeside emisisse: *Christum cum Patre ac Spiritu Sancto Deum esse confiteor.* In Actis s. Polycarpi, discipuli s. Joannis apostoli, reperimus ejusmodi orationem ad Deum s. martyrem fudisse alta voce in omnium conspectu: *Propterea et de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pon-*

[1]) Lib. I. ***Contra Marcion.*** cap. 28; et ***Adversus Praxeam***, cap. 27.
[2]) ***Apol.*** I. n. 61.
[3]) ***De Spiritu S.*** cap. 27.
[4]) Lib. VIII. cap. 12.

tificem Jesum Christum, dilectum Filium tuum, per quem tibi cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in futura saecula saeculorum. Amen. Quibus profecto nihil luculentius pro dogmate nostro dici potest.

61. Sed et haeretici ipsi testes sunt locupletissimi hujus dogmatis; nazaraei enim, qui ab aetate apostolica se ob observationes legales ab ecclesia separarunt, hanc fidem professi sunt, siquidem auctor *Recognitionum* et *Homiliarum*, quae sub nomine s. Clementis editae sunt, quarum meminit diversis in locis Origenes, quique nazaraeus erat, cultum docet eumdem tribus personis deferendum, dicens [5]: *Ad te enim pertinet aeterna gloria, laus Patri et Filio et Spiritui Sancto in omnia saecula. Amen.* Testatur praeterea Baptismum conferri *ter beata invocatione.* Insuper testantur s. Irenaeus, Clemens alex., Tertullianus, Origenes, Pamphilus, Novatianus aliique, ideo docetas et phantasiastas aliasque gnosticorum sectas detraxisse veritati carnis Christi, quia Deo indignum putabant hanc induisse; qua agendi ratione ostenderunt se agnovisse veram in Christo divinitatem: hos praeterea recte de Trinitate sensisse nobis ultro concedunt unitarii, qui eos uti sibi contrarios admittunt. Sed unde hanc doctrinam nisi ab ecclesia, a qua divisi sunt, hauserunt?

62. Non solum porro haeretici, sed infideles ipsi, judaei nempe et pagani, testes sunt, quod olim in ecclesia doctrina haec nostra obtinuerit. Judaeis enim scandalum semper extitit praedicatio Dei crucifixi, gentibus vero stultitia. Utrorumque difficultates huc constanter tendunt, ut incredibile evincant Deum pauperem, humilem, patientem, crucifixum fuisse, uti patet ex Epistola Barnabae, aut certe viri apostolici, adversus judaeos scripta; ex Dialogo s. Justini cum Tryphone judaeo; item ex objectionibus, quas Celsus ex persona judaei urget apud Origenem lib. II, nec non ex disputationibus Tertulliani, Cypriani, Arnobii, Lactantii, adversus ethnicos. Sed celebre potissimum in rem nostram documentum est, quod suppetit in Luciano, seu potius antiquo auctore dialogi *Philopatris* inscripti. Hic inducit Critiam jurantem per varios ethnicorum deos, quos respuens Tryphon, vult ut Critias juret *per Deum alte regnantem, magnum, immortalem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno tria. Hunc tu Jovem puta, hunc existima Deum.* Dum vero hic auctor christianos irridet, ostendit quaenam fuerit illorum fides circa Dei unicam essentiam trinasque distinctas personas.

63. Longa res esset singulorum Patrum testimonia proferre, quibus antiquae ecclesiae fides circa Trinitatis mysterium evidenter adstruitur. Quoniam vero unitarii autumant a Justino martyre platonicis dogmatibus addicto primum in ecclesiam de Trinitate doctrinam invectam esse, nonnulla ex anterioribus Justino Patribus testimonia afferemus. S. Barnabas, seu vetus auctor *Epistolae* sub illius nomine editae, scribit Patrem dixisse Filio *ante constitutionem mundi: Faciamus hominem*, etc. Et *Filium vocare eos, super*

[5]) *Homil.* III. cap. 72.

quem Spiritum praeparaverat, adeoque tres personas in Deo consubstantiales, cum Filius sit in sinu Patris, et Spiritus S. praeparatus seu missus a Filio. Hermas pariter scriptor apostolicus in op. inscripto *Pastor*, scribit [6]: *Qui crediderunt Deo per Filium ejus, induti sunt Spiritum.* Sic Clemens rom. apud s. Basilium: *Vivit*, inquit [7], *Deus et Dominus J. C. et Spiritus Sanctus;* qui praeterea in *Epist. I. ad Corinth.* cap. II. meminit passionis *Dei* et effusionis Spiritus Sancti; ac praetermisso s. Polycarpo, cujus jam verba protulimus, s. Ignatius M. sic scribit [8]: *Studete igitur et confirmamini in dogmatibus Domini et apostolorum in Filio, et Patre, et Spiritu Sancto.* Auctor actorum martyrii ejusdem s. Ignatii sic claudit historiam suam: *Cursum perfecit* Ignatius *in Christo Jesu D. N., per quem et cum quo Patri gloria et potestas cum Sancto Spiritu in saecula. Amen.* Demum vel ipse Justinus refert [9], se a sene presbytero, qui eum perduxit ad religionis christianae cognitionem, didicisse Spiritum Sanctum regiam mentem esse, qua anima humana non exornata Deum videre nequit, tum Christum verum aeternumque Deum Filium esse a prophetis praenunciatum una cum Patre invocandum.

64. Quae cum ita sint, ecquis non miretur unitarios nobis obtrudere fidem in Trinitatem a Justino primum in ecclesiam inductam esse? Quis non miretur rationalistas ulterius progredientes autumare Joannem reliquosque sacros scriptores dogma nostrum vel a platonica schola, vel a cabbalistica doctrina haustum ecclesiae propinasse? Nonne hoc est dare manus victas, faterique se a totius sacrae antiquitatis fide atque a fide sacrarum Scripturarum recessisse? Non alia igitur ratione negari dogma de Trinitate catholicum potest, quam sola infidelitate seu incredulitate.

DIFFICULTATES.

65. I. Obj. 1. Licet Patres apostolici profiterentur Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, non ideo censendi sunt admisisse Trinitatis dogma, quod ipsi penitus ignorarunt. 2. Alii enim a christianae rei primordiis Jesum uti purum hominem habuere, ut ebionitae, Theodotus, Byzantius et Artemon; alii docetismum sectantes, ut gnostici, docuere juxta emanatismi principia aeonem seu divinam vim in Jesum delapsam cum eoque conjunctam. 3. Nec praevaluit doctrina de Filio et Spiritu S. veluti hypostasibus, nisi agentibus Justino martyre, Theophilo antiocheno, Irenaeo, et Clemente alex., qui tamen et has hypostases Patri subjectas docuerunt ex emanatismi principio. 4. Sane doctrina de tribus hypostasibus consubstantialibus a Tertulliano et Origene, potissime vero a Dionysio romano amplificata est. 5. Formula orthodoxa de Trinitate neque a scriptoribus sacris, neque a Patribus apostolicis adhibita est, sed accepta referenda est scriptoribus saec. III. quo tempore ecclesia ad paganismi errores jam se procliviorem ostendit. Ergo.

66. Resp. Ad 1. *Neg.* Aliud enim est asserere nondum a Patribus

[6]) Lib. III. *Simil.* VI. cap. 19 et 22.
[7]) *De Spiritu Sancto*, cap. 29. n. 72.
[8]) *Ep. ad Magnesianos*, cap. 3.
[9]) *Dial. cum Tryphone*, a n. 4 ad 7.

apostolicis adscitam fuisse *terminologiam* dogmatis, nullis cogentibus haereticis, ut a simplicitate confessionis recederent, aliud vero dogma ipsum non fuisse admissum ab antiquissimis illis Patribus. Dum enim ipsi crediderunt Deum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, eos ab invicem distinxerunt, Deumque unicum in substantia professi sunt, et unamquamque personam uti Deum sunt venerati. In hoc porro consistit Trinitatis dogma. Cum igitur de hoc constet, etsi voces *naturae* et *personae* non adhibuerint, inferri exinde nequit illos ignorasse quod his vocibus postea significatum est.

67. Ad 2. *D.* Id est, haeretici hac ipsa de causa ab eadem ecclesia damnati, qua postea haeretici insequentes uti lutherani, calvinistae, protestantes, unitarii, damnati sunt, *C.* christiani proprie dicti, *N. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae conventio Christi ad Belial?* Vae nobis si de doctrina ecclesiae ex haereticorum stultitiis dijudicare deberemus, praesertim cum ob hos ipsos errores fuerint ebionitae, Theodotus, Artemon aliique expulsi. Immo ex istorum damnatione cognoscimus contradictoriam in ecclesia doctrinam obtinuisse.

68. Ad 3. *Neg.* Siquidem nos contrarium luculenter ostendimus, prolatis Patrum apostolicorum ac insequentium testimoniis. S. Irenaeus vero testatur [16], doctrinam catholicam de tribus divinis personis distinctis ex traditione apostolica in omnibus totius orbis ecclesiis orientalibus et occidentalibus obtinuisse, et ab omnibus praedicari tamquam si unam omnes haberent animam, unum cor, unum os. Et hoc profecto ante Justinum et Theophilum. Falsum pariter est recensitos Patres exhibuisse hypostases Filii et Spiritus Sancti subjectas Patri, si excipias earum originem a Patre aut generatione aut processione.

69. Ad 4. *D.* Id est, asserta ac vindicata tum ab his tum ab aliis Patribus est trium personarum consubstantialitas adversus haereticos, *C.* amplificata in sensu adversariorum, *N.*

70. Ad 5. *D.* Formula prout dicit *terminologiam* in scriptoribus sacris duorum priorum saeculorum non reperitur, sed solum apud Patres tertii saeculi, *Tr.* vel *C.* prout dicit doctrinam perfectam dogmatis catholici, *N.* Duo porro haec valde inter se differunt, uti saepius animadvertimus. Certe primus auctor, apud quem vox Trinitatis invenitur, est Theophilus; sed neque ipsam uti novam protulit, sed veluti notam ac receptam; neque hac nova voce novam, sed antiquam veritatem Theophilus expressit. Quod adjicitur de proclivitate ecclesiae saec. III. in paganismum, est impudentia digna rationalista vulgari, qualis Wegscheider est; immo et absurda. Erat scilicet proclivis in paganismum ecclesia, dum ubique terrarum sanguinem effundebat inter atrocissimos cruciatus, ne se paganismo commacularet? Quam bene haec cohaerent!

71. II. Obj. Atqui certissima documenta evincunt ab ecclesiae primordiis ignotam tum formulam tum dogma per eam significatum fuisse. Etenim

[16]) Lib. I. *Advers. haeres.* cap. 10.

1. Tertulliano teste [11], saec. II. exeunte doctrina de Trinitate plurimis nova et heterodoxa visa est, *simplicibus* nempe, *imprudentibus et idiotis, quae major semper credentium pars est, qui expavescunt ad oeconomiam, numerum et dispositionem Trinitatis; itaque duos et tres jactitant deos a nobis praedicari: se vero unius Dei cultores praesumunt.* 2. Sane alii, uti Athenagoras in *Legatione pro christianis,* Tatianus in *Orat. cont. Graecos* et Theophilus antiochenus, lib. II. *Ad Autolycum,* non admittebant nomine Verbi nisi ipsam essentialem Dei sapientiam seu rationem. 3. Alii, uti Hermas [12], Justinus martyr [13], Theophilus [14], Lactantius [15], Hieronymus [16] Spiritum Sanctum a Filio non satis distinxerunt, ac tamquam divinam vim adstruxerunt. 4. Origenes, etsi tres praedicaverit hypostases ejusdem naturae divinae, ejusdem tamen eas non posuit dignitatis, et propterea in lib. *De oratione* affirmat, Christo non deberi veram *precationem, προσευχήν.* Ergo.

72. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Tertulliano teste doctrina de Trinitate nova visa est et heterodoxa haereticis, *C.* catholicis, *N.* In objecto enim loco Tertullianus sibi objicit difficultates patripassianorum, qui ex distinctione trium personarum colligebant plures deos induci juxta ethnicorum insaniam; at eos Tertullianus refellit ex argumento praescriptionis, quod nempe veritas catholica praeiverit posteriori haereticorum doctrinae, et repellit calumniam a monarchianis ecclesiae doctrinae impactam de multiplicatione deorum ob personarum distinctionem.

73. Ad 2. *D.* Dixerunt Verbum *Sapientiam* aut *Rationem* Patris, sed subsistentem et hypostaticam, *C.* essentialem solum, *N.* Siquidem omnes adducti scriptores apprime hanc sapientiam seu rationem distinguunt a Patre, et proinde docent hanc Sapientiam carnem induisse, hominesque Deo reconciliasse, et Trinitatem profitentur, uti Tertullianus et Theophilus expressis verbis. Haec porro Trinitas admitti non potuisset, nisi Verbum et Spiritus S. totidem personae seu hypostases crederentur. Theophilus praeterea comparat tres personas cum tribus diebus, qui creationem luminarium praecesserunt. [17]

74. Ad 3. *Neg.* Sed confusio tota se tenet ex parte rationalistarum, eo quod ipsi non animadverterint interdum Spiritum S. vocari *Sapientiam*, perinde ac Verbum; item vocari Spiritum Christi, quia ab eo missus est; vocari *Filium* non quidem re, sed per similitudinem, prout fecit Hermas in objecto loco, qui assimilat ecclesiam vineae cujus domino Patrem, cultori Filium, filioque familias Spiritum Sanctum comparat. Ex quibus etiam apparet quomodo Patres apostolici, cujusmodi fuit Hermas, aperte tres in Deo personas distinxerint. Absurdum vero est vel suspicari Lactantium et Hieronymum

[11]) Lib. I. *Adversus Praxeam,* cap. 3.
[12]) *Simil.* V. n. 4 seqq.
[13]) *Apolog.* I. n. 36.
[14]) Op. et loc. cit.
[15]) *Instit. divinar.* lib. IV. cap. 6. collat. 9.
[16]) Ep. XLIX et LXV.
[17]) Lib. II. §. 15.

saec. IV. Spiritum S. a Filio minime distinxisse, cum, ipsis adversariis fatentibus, jam saec. III. constituta fuerit doctrina de Trinitate.

75. Ad 4. *D.* Origenes tres hypostases ejusdem non posuit dignitatis respectu *originis*, *C.* respectu *naturae*, *N.* Nam eo ipso quod tres hypostases ejusdem naturae divinae agnosceret Origenes, quin secum pugnaret, non potuisset in hac natura dignitates et gradus distinguere; igitur non aliam potuit distinctionem admittere, quam quae oritur ex diversa origine duarum personarum, Filii scilicet et Spiritus Sancti. Et sane, caeteris omissis, Origenes, t. XV. in Matth. n. 51. vocat *imperatricem Trinitatem,* et t. VIII. in Joann. *adorandam Trinitatem.*

76. Dum vero in lib. *De oratione* veram *precationem* Christo Origenes denegare videtur, non alio sensu id asserit, nisi ut inducat fideles ad se conformandos in suis orationibus ecclesiae praxi, quae in sua liturgia consuevit fundere preces suas ad Patrem per summum Pontificem animarum nostrarum ac mediatorem Jesum. Siquidem in hoc ipso loco exhortatur fideles ad *obsecrationem*, *postulationes et gratiarum actiones* Christo faciendas, quae certe soli Deo competunt.

PROPOSITIO III.

Mysterium sanctissimae Trinitatis rectae rationi adversari nullo modo ostendi potest.

77. Tum indirecte tum directe ostendimus numquam posse unitarios et rationalistas efficere quod maxime vellent, nempe evincere Trinitatis dogma rectae rationi adversari.

78. Ac primo quidem *indirecte:* nam ex dictis Deus hanc veritatem nobis revelavit; atqui fieri omnino non potest ut Deus per revelationem aliquid doceat contrarium iis, quae nos docet per rationem, sibi enim repugnaret. Ergo.

79. Secundo *directe:* ut enim ostendi posset aliquid pugnare cum ratione, seu eidem adversari, deberent cognosci apprime termini, ut ex eorum comparatione posset judicari eos esse inter se repugnantes; etenim numquam posset aliquis affirmare circulum non posse esse quadratum, nisi prius bene calleat, quid sit circulus, quid sit quadratum. Jam vero increduli, sociniani, rationalistae adaequatam cognitionem non habent utriusque termini, scilicet naturae divinae et personae divinae, seu modi et rationis subsistendi in divinis, cujusmodi sunt personae; ergo numquam potuerunt ostendere has subsistentias, hos modos, has personas repugnare divinae naturae. Si hoc dicant, sunt caeci, qui judicant de colore. Rursum: mysteria sunt supra rationem, ac proinde etiam mysterium Trinitatis de quo agimus; atqui numquam fieri potest, ut ratio ostendat repugnantiam in eo, quod ipsam superat. Ergo.

DIFFICULTATES.

80. Obj. 1. Ratio docet omnem pluralitatem in Deo repugnare: 2. adeoque unum subjectum, quod velit et intelligat, cum tribus subjectis intelligentibus et volentibus inter se distinctis et distincte operantibus; necessario proinde, admissa Trinitate, dilabendum est vel in sabellianismum vel in arianismum aut tritheismum ab ecclesia proscriptos. 3. Et sane Trinitatis dogma philosophico axiomati: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, omnino adversatur; etenim divina essentia a persona realiter non distinguitur; ergo si unaquaeque persona idem est cum natura divina, personae divinae idem erunt inter se. 4. Sic proinde fas est argumentari: Pater est Deus, Filius est Deus, ergo Pater est Filius et vicissim; et en nos in *sabellianismum* prolapsos. 5. Quod si dicantur personae inter se distingui, idem argumentum institui potest: Pater realiter distinguitur a Filio, sed personae divinae identificantur cum divina essentia, ergo divina essentia, prout est in Patre et Filio, distinguitur realiter a se ipsa, et *tritheismus* exsurgit; quod confirmatur ex Boëthii definitione personae, quod haec sit *rationalis naturae individua substantia.* Ergo.

81. Resp. Ad 1. *D.* Docet ratio omnem pluralitatem essentiae aut substantiae in Deo repugnare, *C.* pluralitatem personarum seu modorum, quibus una eademque divina natura subsistit, *N.* Docere ratio non potest utrum hoc repugnet nec ne; cum divinae essentiae naturam intime non cognoscat, ut possit id affirmare.

82. Ad 2. *D.* Si tria haec subjecta intelligentia, volentia et operantia diversa aut etiam distincta essent ab illo uno subjecto intelligente aut volente, *C.* si unum idemque cum illo sint, *N.* Hoc unum subjectum est divina illa eademque essentia quae est in Patre, Filio, et Spiritu Sancto, et eadem est, quae naturaliter intelligit et vult et operatur in tribus personis, et in earum qualibet cum modo suo. Hinc negamus dilabi nos aut in sabellianismum, qui destruebat personarum distinctionem; aut in tritheismum, qui dividebat naturam; aut in arianismum, qui gradus ponebat in divina natura.

83. Ad 3. *Neg.* Ad probationem vero, *D.* Personae, quae identificantur cum natura seu essentia divina, idem sunt inter se quoad naturam seu essentiam, *C.* quoad personalitatem, *N.* Nam juxta hujus axiomatis vim, quae sunt eadem uni tertio, sunt certo etiam eadem inter se; sed sub eo respectu, quo sunt eadem uni tertio, non autem sub alio, in quo uni tertio idem non sunt. Jam vero licet unaquaeque persona unum sit cum natura divina, a qua nonnisi virtualiter distinguitur, at id per quod unaquaeque persona est, e. gr. *paternitas* in Patre, et *filieitas* seu *filiatio* in Filio, personae realiter distinguuntur inter se, cum sit realis inter hos terminos oppositio relationis. Sic in spatio, altitudo identificatur cum spatio, identificatur item cum eodem spatio longitudo, idem dic de magnitudine; attamen haec distinguuntur realiter inter se, cum altitudo non sit longitudo, magnitudo vero, nec altitudo nec latitudo etsi ab illis exsurgat.

84. Ad 4. *Nego* illationem, quae ut legitima sit, ita esse debet: ergo Pater et Filius sunt idem Deus; non autem Pater est Filius, quia sub hoc respectu non sunt idem, et sic evadimus *sabellianismum.*

85. Ad 5. *Nego* pariter illationem, quae ut legitima sit, debet haec esse: ergo Pater et Filius realiter distinguuntur inter se. Nam eadem est natura divina in Patre ac Filio, quae duabus subsistentiis, seu subsistendi modis inter se realiter distinctis paternitatis et filiationis afficitur, at distinctio non habetur nisi inter modos ipsos ad invicem; sic et effugimus *tritheismum.* Idem enim semper viget in his argumentationibus vitium, quod confundatur res cum modo ejusdem rei. Quod vero attinet ad boëthianam personae definitionem, notum est eatenus eam a theologis admitti, quatenus *substantia* in notione *subsistentiae* accipitur, seu subsistendi modo.

86. Inst. 1. Admissa Trinitate personarum admitti debet Trinitas divinitatis, sic enim institui potest argumentum: eadem ratione, qua infertur, Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus S. est persona divina, ergo tres sunt personae divinae; inferri potest: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus, ergo sunt tres dii. 2. Aut etiam: Deus est trinus in personis, sed quaelibet persona est Deus, ergo quaelibet persona est trina in personis. 3. Insuper: nomen personae in se substantiam includit, ergo multiplicatis personis divina multiplicatur substantia. 4. Si igitur una est in Deo natura, una pariter est in Deo persona, quod exposcit ipsa Dei notio, quae indicat naturam subsistentem, adeoque unicam ac singularem personam, infinitam et indivisibilem, simplicem, excludentem scilicet omnem compositionem, quae ex numero oriretur personarum; aut saltem aggregationem entium, quae et perfectionem et existentiam diversam haberent; 5. quaelibet enim persona divina ea caret perfectione, quae alterius propria est; 6. hinc factum est, ut philosophi ac theologi praestantiores in dogmate catholico haud consistere potuerint. Ergo.

87. Resp. Ad 1. *Neg.* et nego paritatem inter duas propositas argumentationes; siquidem in priori cum multiplicentur personae, seu soli subsistendi modi, legitime infertur tres esse personas divinas; at in posteriori multiplicaretur divina natura, quod est falsum; natura enim divina eadem semper est.

88. Ad 2. *D.* Si nomen Dei in *majori* assumatur in concreto ad divinam naturam significandam, prout subsistit tribus modis, *C.* si coarctetur ad significandam naturam, prout singulari aliquo modo affecta est ad alterius exclusionem, *N.* Sic distinguenda est *minor,* quaelibet persona est Deus, quatenus vox Deus arctatur ad significandam subsistentiam singularem, *C.* quatenus absolute accipitur ad significandam divinam substantiam tribus modis affectam, *N.* Et en totum paralogismum detectum.

89. Ad 3. *D.* Nomen personae substantiam includit indirecte et in obliquo, *C.* directe, *N.* Directe enim significat subsistentiam; et en alium paralogismum detectum.

90. Ad 4. *Nego sequelam;* ad prob. vero, *D.* Notio Dei indicat naturam

subsistentem una vel multiplici subsistentia, *C.* unica tantum, *N.* Dei enim notio hoc non exigit; immo hoc ipso quod natura divina infinita sit, plures potest in se admittere subsistentias, quales non admittit natura finita, quae nonnisi unico modo subsistere potest. Quaelibet porro divina persona infinita est, quia sub peculiari suo respectu totam afficit naturam divinam, quae est infinita; adeoque est indivisibilis ac simplex, prout est ipsa divina natura. Nec ullam divinae personae compositionem inferunt; nec enim sunt partes divinitatis, ut possint efficere compositionem, sed sunt ipsa natura divina subsistens triplici modo, qui etsi realiter distinguantur inter se, realiter non distinguuntur a natura divina, quam afficiunt; pariter nec inferunt entium aggregationem, cum unicum sit ens existens sub trina ratione subsistendi, adeoque tres personae divinae non constituunt tria entia, ac tres existentias diversas. Utrum autem relatio sit dicenda perfectio nec ne, disceptant theologi; plures negant, eo quod in suo conceptu formali ea non dicat nisi rationem sive modum se habendi unius in ordine ad alterum.

91. Ad 5. *D.* Si relatio seu proprietas relativa perfectio sit, et mediate saltem quaelibet persona non habeat eam perfectionem, quae alteri immediate competit, *C.* secus, *N.*

92. Ad 6. *D.* Id est, increduli et haeretici, *C.* catholici, *N.*

CAPUT III.

DE VERBI SEU FILII DIVINITATE ET CUM PATRE CONSUBSTANTIALITATE.

93. In hoc discriminantur sociniani ab arianis, quod isti immediate Verbi seu Filii divinitatem adorti fuerint, ac mediate divinitatem Christi; illi immediate impugnaverint divinitatem Christi ac mediate divinitatem Verbi; caeterum quoad rei substantiam in idem recidunt.

94. Ariani, ut haereticis omnibus contigit, numquam sibi constiterunt. Ipsi primo Verbum puram creaturam esse effutierunt ac in tempore conditum; deinde creaturam quidem dixerunt, sed ab aeterno procreatum ex non extantibus; demum non abnuerunt in eo agnoscere divinitatem sed inferioris naturae et conditionis a natura Patris, nec umquam potuerunt adduci, ut ipsum Patri consubstantiale profiterentur.

95. Semiariani ex saniorum criticorum sententia orthodoxam doctrinam de Verbi divinitate tenuerunt, ac in eo tantum improbati sunt, quod vocem *ὁμοούσιον* seu *consubstantiale* a concilio nicaeno uti tesseram fidei consecratam ad secernendos haereticos a catholicis admittere recusaverint.

96. Rationalistae antiquos arianos ac recentes socinianos impietate superant, dum vel ipsam hypostasin Verbo denegant, autumantes *Λόγον* esse divinitatis attributum, et Christum uti purum hominem traducunt ac philosophum, qui sese accommodarit gentis suae opinionibus ac praejudiciis.

97. Rejicientes ad Tractatum de Incarnatione quae Christum ejusque divinitatem immediate attingunt, hic Verbi divinitatem ejusque cum Patre

consubstantialitatem adstruemus, etsi ob argumenti necessitudinem quaedam, quae Christi divinitatem afficiunt, dicere cogamur.

PROPOSITIO I.

Verbum est vere et proprie Deus ac Dei Filius Patrique consubstantiale.

98. De fide propositio est, ut patet ex symbolo nicaeno, quo profitemur credere *in Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, consubstantialem Patri.* Tum indirecte, tum directe ejus veritatem evincimus.

99. Ac I. indirecte; ex demonstratis enim tres sunt in una eademque divina essentia personae distinctae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Verbum igitur est vere et proprie Deus, Filius Dei ac Patri consubstantiale. Omnia proinde, quae in praecedentibus propositionibus ad probandum dogma de Trinitate allata sunt, Verbi seu Filii divinitatem et cum Patre consubstantialitatem pariter evincunt.

100. II. Directe; ac primo quidem ex Evangelii s. Joannis initio: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt*; quibus quatuor de Verbo praedicantur, nempe 1°. ejus *aeternitas,* siquidem *in principio* seu ante omnia tempora *erat;* 2°. ejusdem a Patre *distinctio: erat* enim *apud Deum;* 3°. ejus proprie dicta *divinitas*, nam *Deus erat Verbum;* 4°. denique virtus ejus creatrix, *omnia* enim *per ipsum facta sunt.*

101. Huic initio caetera congruunt, quae in totius hujus Evangelii decursu leguntur, quae adeo cum magnifico illo exordio connexa sunt, ut, Verbi divinitate admissa, omnia congruant ac facile intelligantur; hac sublata, totidem inintelligibilia aenigmata evadant. Sane Filius dicitur *Unigenitus qui est in sinu Patris,* cap. I. 18; *Unigenitus Filiis Dei,* III. 16; qui sit in coelo, dum loquitur in terra, ibid. v. 13; qui Patrem suum dicat Deum, aequalem se faciens Deo, ibid. V. 18; qui sibi tribuat potestatem homines extinctos ad vitam revocandi, VI. 40 et alibi; qui profiteatur se e coelo descendisse, ibid. v. 38; exivisse a Deo, XIII. 13; XVI. 27; exivisse a Patre, ibid. v. 28; unum esse cum Patre, X. 30; se in Patre esse et Patrem in se, ibid. v. 38; se praeextitisse non solum Abrahae, VIII. 58; sed et mundi creationi, XVII. 5; qui praedicet se esse viam, veritatem ac vitam, XIV. 6; qui fidem in se tamquam in Filium Dei exigat, IX. 35; XI. 26, 27; et adorationem admittat, ibid. IX. 38; qui ut Filius Dei credatur, totum Evangelium scriptum est, XX. 35. Igitur cum Verbum omnia, quae Dei solius propria sunt, sibi tribuat, uti patet, et vindicet, vere Deus est, Filius Dei, Patrique consubstantiale.

102. In hoc ipsum evangelistae atque scriptores sacri reliqui conspirant. Ex Matth. enim XXVI. 64; Marc. XIV. 60; Luc. XXII. 70. ideo Christus morti uti blasphemiae reus addictus est, quod se palam *Filium Dei* professus sit. Paulus, Rom. VIII. 32. eum vocat Filium Dei *proprium;* Gal. IV. 14. Filium *suum, nempe Dei;* I. Cor. II. 8. *Dominum gloriae;* Tit. II. 13. *Deum*

salvatorem, magnum Deum; Hebr. vero I. 2 et seqq. scribit Deum novissime locutum esse nobis *in Filio, per quem fecit et saecula, qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens*, quibus verbis magnifice Filii Dei aeternitatem, omnipotentiam, divinamque naturam commendat.

103. Quamvis autem ariani ac sociniani eludere clara ac perspicua ejusmodi Scripturarum eloquia tentaverint, rationalistae candidiores se praebuerunt, fatentes tum Christum sibi, tum evangelistas ac apostolos Christo Filii Dei denominationem una cum attributis divinis vindicasse. Jam vero hoc admisso, aut Christus et apostoli deceperunt nos, omnesque veteratores fuerunt, et tunc non est quod amplius de religione christiana disseramus; aut fatendum pariter est Christum seu Verbum vere ac natura Deum esse, ac Patri consubstantiale.

DIFFICULTATES.

104. I. Obj. 1. *Λόγος* seu *Verbum*, de quo Joannes, non est nisi conceptus idealis ac sub prosopopoeia propositus, prout de *σοφία* seu Sapientia a Salomone [1] et a Siracide [2] aliisque jamdiu factum fuerat. Cum vero ejusmodi Sapientia nihil aliud sit, quam ipsa Dei ratio sic personificata, nil mirum si divina attributa, aeternitas, omnipotentia, aliaque de ea praedicentur. 2. Cum voluerint praeterea sacri scriptores significare hanc Dei Sapientiam per Christum in summo gradu manifestatam esse, ideo veluti incarnatam exhibent, et Christum Dei Filium, unigenitum etc. vocarunt; 3. nisi malis dicere eo sensu ejusmodi appellationes Christo tributas esse, quo angelis, judicibus, regibus tributae passim inveniuntur, inter quos David [3] *primogenitus* sive summe dilectus vocatus est; 4. ac propterea etiam Christo nomen Filii Dei, immo *Unigeniti* ac *dilecti* tributum est in sensu ideali ac metaphorico ad eximiam ejus commendandam virtutem et specialem Dei erga ipsum amorem; 5. nec obstat *generationis* vox, quae adhibita interdum invenitur; ejus enim notio analogice tantum ac symbolice in summum Numen cadere potest. Ergo.

105. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem de mero ideali conceptu, aut prosopopoeia, dici nequit quod *caro factus sit, et habitaverit in nobis,* caeteraque illi tribui non possent, quae Verbo caro facto in totius Evangelii decursu tribuuntur, quaeque singillatim recensuimus. Absurdum praeterea est continuari metaphoram idealemque conceptum per integrum librum, quin umquam Evangelista de hoc moneret lectorem, aut saltem ipsi suspicionem ingereret. Accedit, quod sensus traditionalis ab aetate apostolica proveniens gratuitum ejusmodi rationalistarum conceptum excludat. Falsum insuper, aut saltem valde dubium est, quod adversarii assumunt de personificata *σοφίᾳ* seu Sapientia a Salomone aut Siracide, cum veteres uno animo, quae de Sapientia

[1]) Proverb. VIII. 22.
[2]) Ecclesiast. I. 6—9; XXIV. 4 et seqq.
[3]) Ps. LXXXVIII. 28.

loc. cit. dicuntur, intellexerint de hypostasi proprie dicta, seu de Filio Dei. Verum, et hoc praetermisso, inficiamur paritatem, quae asseritur inter Sapientiam essentialem Dei personificatam, et Verbum, de quo Joannes; non enim ea Sapientiae illi adscribuntur, quae Verbo Joannes adscribit, quaeque nonnisi subsistenti hypostasi convenire possunt; nam non solum divina attributa, aeternitas etc., sed carnis seu humanitatis susceptio, et in hac suscepta humanitate affectiones omnes tribuuntur, quae profecto nonnisi absurde prosopopoeiae aut ideali conceptui adscriberentur.

106. Ad 2. In sensu adversariorum, *N.* Ejusmodi enim inductio pendet a principio, quod evertimus; sed scriptores sacri loquuntur de Verbi seu Filii persona carnem induta, in qua seipsum manifestavit tot prodigiis, quae in eum finem patrata sunt, ut ostenderet veritatem suae aeternae originis a Patre, adeoque se veri Dei Filium esse ac Patri suo consubstantialem, neque aliud umquam sacri scriptores praedicaverunt et inculcarunt.

107. Ad 3. *Neg.* Nam Christum exhibent uti coeli ac terrae conditorem ac rectorem, adeoque Deum angelorum, judicum ac regum; non potuerunt idcirco eodem sensu vocare Filium Dei, primogenitum Dei, unigenitum, quo interdum angeli, judices, reges, justique universim filii Dei appellati sunt. Adeoque Christus seu Verbum per proprietatem, caeteri per participationem et extensionem quamdam filii Dei appellationem, dilecti etc. consecuti sunt.

108. Ad 4. *Neg.* Haec enim pariter sequela ex praepostero principio, seu gratuita adversariorum fluit hypothesi. Hoc enim Verbum seu Dei Filius perhibetur a scriptoribus sacris uti unigenitus, qui est in sinu Patris, qui a Patre exivit ac venit in mundum, qui processit a Deo, qui in carne assumpta datus est in mortem ad humani generis redemptionem, ad placandum Patrem etc., quae certe non conveniunt conceptui ideali ac metaphorico, uti adversarii autumant.

109. Ad 5. *D.* Notio *generationis*, si materialiter atque carnaliter accipiatur, analogice tantum ac improprie in summum Numen cadere potest, *C.* in sensu formali de origine viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae, *N.* Notio formalis generationis in omnibus eadem est, *modus* generationis diversus est pro diversa natura entium, quae gignere aut gigni dicuntur; duo haec permiscent adversarii in objecta difficultate.

110. Inst. 1. Dei nomen Joann. I. praecise *Λόγῳ* seu Verbo tribuitur, non Christo. 2. Jesus numquam se Deum aut *Λόγον* divinum nominavit; 3. quin immo eum Deum suum ac suorum appellat Joann. XX. 10; quin unquam duplicis cujusquam in se naturae meminerit; 4. neque discipuli aliquando Christum Deum salutaverunt. 5. Quod si interdum perfectiones divinas, scientiam absolutam, e. gr., aut omnipotentiam ei adscribunt, Christus tamen sibi eas a Patre communicatas declarat. [4] 6. Idem dic de *operibus*

[4]) Matth. XI. 27, et XXVIII. 18; Joann. III. 35. et alibi.

divinis, cujusmodi sunt *creatio* et *conservatio*, quae Jesu tamquam *Λόγῳ*, quasi summo Dei administro, non vero tamquam Deo summo assignata sunt [5], sed neque illud quidpiam evincit, quod juberi videamur *divinos honores* Dei Filio deferre; nam praeterquam quod dubiae interpretationis sunt textus, qui adduci solent, Christus numquam divinam adorationem sibi poposcit, quin potius hanc ipsemet Deo exhibuit [6], ac discipulos suos ad Patrem tantum preces suas convertere jussit [7], nec umquam apostoli Jesum uti Deum adoraverunt. Quod si identidem christianis gratiam a Deo et Christo apostoli apprecantur, non exinde vera in Christo divinitas inferri potest. Ergo.

111. Resp. Ad 1. *D.* Dei nomen tribuitur *Λόγῳ* uti personae subsistenti, quae caro facta est, ex eodem Joanne [8], *C. Λόγῳ* ut vi divinae, *N.* uti constat ex dictis.

112. Ad 2. *D.* Expresse, *C.* aequivalenter, *N.*

113. Ad 3. *D.* Ast diversa ratione, *C.* eadem ratione, *N.* Numquam Christus in communi vocat Deum Patrem *nostrum*, sed constanter in singulari Patrem *meum*, prout etiam in objecto loco dicit: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Quo satis ostendit diversam esse conditionem suam a caeterorum conditione, etiam prout homo est. Toties porro duplicem naturam suam commemorat quoties se Filium Dei et Filium hominis, seu Deum et hominem praedicat, prout ubique facit; satis est Evangelia legere.

114. Ad 4. *Neg.* Etenim Joann. XX. 28. Thomas *dixit ei*: *Dominus meus et Deus meus.* Item s. Joannes, Epist. I. cap. V. 20. scripsit de Christo: *Hic est verus Deus et vita aeterna*, et alibi passim.

115. Ad 5. *D.* Christus declarat sibi communicatas esse perfectiones divinas ratione originis, quam habet uti Filius a Patre, *C.* tamquam a principio extrinseco, *N.*

116. Ad 6. *Neg.* Etenim non solum passim dicitur omnia per ipsum facta esse, sed apostolus Paulus scribit praeterea [9]: *Portansque omnia verbo virtutis suae*, quod certe ministri non est, sed Dei summi; insuper Christus eamdem sibi potestatem vindicat quam habet Pater suus, dicens [10]: *Pater meus usque modo operatur et ego operor... Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat.* Ex quibus optime intellexerunt judaei quod Jesus se Deum et aequalem Deo faceret. [11]

117. Ad 7. *D.* Expresse, *Tr.* aequivalenter, *N.* Siquidem et veram adorationem sibi poposcit, quoties se Deum ac Filium Dei esse declaravit; poposcit per Baptismi formam; admisit adorationem caeci nati [12], et apostolorum omnium. [13] Apostolus Paulus ex Christi nomine dicit [14]: *Mihi flectetur*

[5]) Joann. XVII. 3, 4, 7.
[6]) Matth. XXVI. 39; ac Joann. XVII.
[7]) Matth. VI. 9.
[8]) Cap. I. 14.
[9]) Hebr. cap. I.
[10]) Joann. V.
[11]) Ibid. V. 18.
[12]) Ibid. IX. 38.
[13]) Matth. XXVIII. 17.
[14]) Rom. XIV. 11.

omne genu; et iterum scribit [15]: *In nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.*

118. Quod si Christus adorationem exhibuit Patri, exhibuit ut homo, nempe in assumpta humanitate, et in forma servi.

119. Docuit vero apostolos orare Patrem, aut prout est fons totius Trinitatis, aut prout Deus est Pater omnium, adeoque sub nomine Patris tota Trinitas significatur. Insuper Joann. XIV. 14. docuit etiam rogare se ipsum.

120. Non poterant autem apostoli gratiam a Christo perinde ac a Patre apprecari, nisi Christus ejusdem gratiae auctor esset ac proinde Deus; alioquin inutilis immo et absurda foret ejusmodi apprecatio.

121. II. Obj. Cum veteribus arianis 1. Sapientia Prov. VIII. 22; atque Ecclesiast. XXIV. 4. dicitur *creata;* 2. Apostolus proinde Coloss. I. 15. vocat Christum *primogenitum omnis creaturae;* 3. qui et de se testatur [16]: *Pater major me est;* 4. se negat *bonum* bonitate scilicet essentiali [17]; aut etiam 5. fatetur [18], se judicii diem ignorare. 6. Pater praeterea secundum substantiam *ingenitus* dicitur, ergo Filius, qui genitus est, secundum substantiam differt a Patre; 7. sane aut Pater gignit Filium necessitate aut voluntate; si necessitate, miser est; si voluntate, potuit non gignere; 8. demum Filius, si natus est, aeternus esse non potest, quia non erat antequam nasceretur; si natus, dependens est, neque est a se, quae quidem Deo repugnant. Ergo.

122. Resp. Ad 1. *D.* Sapientia creata, id est, *genita* perhibetur in objectis locis, *C.* creatione presse sumpta, *N.* Notum enim est tum apud Graecos, teste Eusebio [19], tum apud Latinos, vocem *fecit* aut *creavit* accipi in sensu *generandi,* sic Horatius scribit: *Fortes creantur fortibus et bonis.* Praeterea, Prov. VIII. in hebraico est: *Possedit me.*

123. Ad 2. *D.* Causalitate et dignitate, ut dicitur *primogenitus mortuorum,* vel in natura assumpta, *C.* in ordine ad creaturas, *N.*

124. Ad 3. *D.* Vel ratione originis, ut placet Patribus graecis plerisque, vel ratione humanae naturae, uti exponunt Patres latini, *C.* ratione naturae divinae, *N.*

125. Ad 4. *D.* Ad mentem juvenis eum interpellantis, *C.* simpliciter, *N.*

126. Ad 5. *D.* In ordine ad manifestationem, *C.* absolute, *N.*

127. Ad 6. *Neg.* Patrem dici *ingenitum* secundum substantiam, sed ita vocatur per negationem originis ab alio, uti exposuimus.

128. Ad 7. Resp. Patrem Filium gignere necessitate et voluntate, uti et nos necessitate et voluntate prosequimur felicitatem in genere, quin tamen miseri dici possimus.

129. Ad 8. *Nego* sub omni respectu, quia nativitas Filii Dei aeterna est ac Patri coaeva; nec dependens proprie dici potest ac absolute, sed

[15]) Philipp. II. 10.
[16]) Joann. XIV. 28.
[17]) Matth. XIX. 32.
[18]) Marc. XIII. 32.
[19]) *De eccl. theolog.* cap. 2.

solum respectu originis prout respectu solius originis non potest dici a se, sed a se est respectu naturae, quam identicam habet cum Patre. Deus enim seu ens a se est Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ex traditione invictissime ostenditur.

130. Ea omnia, quae ex Patribus traditionis testimonia deprompsimus et ad dogma Trinitatis vindicandum superius attulimus, eadem pari robore Verbi divinitatem confirmant. Hoc monuisse contenti, ea tantum hic adjicimus, quae speciatim divinitatem et consubstantialitatem Filii cum Patre respiciunt.

131. Ac I. adversus unitarios, qui contendunt Justinum martyrem primum invexisse in ecclesiam de Filii divinitate doctrinam, urgemus auctoritatem s. Irenaei, qui scribit [1]: *Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in Deum Patrem omnipotentem, et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute.* Loquens Hegesippus Irenaeo coaevus de eadem fide testatur apud Eusebium [2]: *Se, cum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam.*

132. II. Urgemus auctoritatem symbolorum fidei; etenim praeter symbolum s. Gregorii Thaumaturgi, quod jam dedimus, symbolum quod exhibent *Constitutiones apostolicae*, ita se habet [3]: *Et in unum Dominum J. C. Unigenitum ejus Filium, qui ante saecula beneplacito Patris genitus est, non creatus; per quem omnia facta sunt in coelis et in terra, visibilia et invisibilia.*

133. III. Urgemus martyrum acta, inter quae eminent acta s. Ignatii, in quibus legitur ipsum coram Trajano professum esse *unum J. C. Filium Dei unigenitum.* In actis s. Symphorosae, sancta haec martyr vocat Christum *Deum suum.* In actis ss. Felicitatis et Perpetuae, Martialis natu minimus respondit Publio: *Omnes, qui non confitentur Christum verum Deum, in ignem aeternum mittentur.* In actis s. Achatii, sanctus martyr dixit praesidi: *Filius Dei Verbum veritatis ex Dei corde processit.* Et ita passim in aliis sanctorum antiquissimorum actis.

134. IV. Urgemus vel ipsos fidei hostes haereticos, judaeos et paganos. Haeretici, qui catholicam doctrinam foedarunt duobus prioribus saeculis, si paucos excipias ebionitas et cerinthianos, qui tamen contrariam doctrinam in ecclesia ab apostolis ad sua usque tempora obtinuisse non inficiabantur, dogma de Verbi divinitate cum ecclesia professi sunt docetae, phantasiastae, nazaraei, ac reliqui omnes. Judaei hac ipsa de causa Christum morti addixerunt, recentiores autem Orobius et Salvador, priorum sententiam confirmant, ut suo loco ostendemus. Pagani denique ipsis suis difficultatibus,

[1]) Lib. I. *Contra haeres.* cap. 10.
[2]) Lib. IV. cap. 22.
[3]) Lib. VII. cap. 4.

quas adversus christianam religionem intorquebant, dogma nostrum prima illa aetate commune fuisse ostendunt. Etenim Celsus apud Origenem [4], christianos exagitabat, eo quod Deum natum et crucifixum crederent, Deum qui fugam arripuerit; sic alii passim apud Tertullianum [5], apud Arnobium [6], ac caeteris omissis, Plinius in celebri sua ad Trajanum epist. scribit christianos solitos fuisse stato die *Christo quasi Deo carmen dicere.*

135. V. Urgemus demum adversus unitarios ac rationalistas testes singulares ex duobus prioribus saeculis. S. Ignatius M. vocat Christum *Deum in utero gestatum* [7]; et iterum [8]: *Verbum aeternum a Patre prodiens.* Presbyter apostolorum discipulus, de quo Irenaeus [9], non solum vocat Christum *Filium Dei et dominum Salomonis,* verum etiam *dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum; mensura enim Patris Filius, qui et capit eum.* Antiquissimus Auctor *XII Patriarcharum testamentorum* passim Christum *Deum* vocat, ac *Deum,* qui *corpus assumens et comedens cum hominibus salvabit eos.* Auctor libror. *Sibyllin.* lib. VI. dicit Christum *Deum in ligno extensum;* et lib. VII: *Ipsum genitum magnum Deum.*

136. Quae cum ita se habeant, patet agi de re testatissima; et saec. ecclesiae I et II. communem universalemque fuisse fidem de vera ac propria Verbi seu Filii divinitate, ex quo inferimus 1°. gratuita esse unitariorum ac rationalistarum philosophemata, immo et somnia, quaecumque ab ipsis excogitata sunt, ad eludendas Scripturarum auctoritates; 2°. Verbum seu *Λόγον* vere personam subsistentem semper creditam fuisse; 3°. merito synodum nicaenam adhaerentem traditionis auctoritate Verbum seu Filium Patri consubstantialem declarasse, ut omne arianis effugium eriperet.

DIFFICULTATES.

137. I. Obj. 1. Filii Dei notio primis saeculis varia ac inconstans fluctuabat, eaque nonnisi *Messias* significabatur. 2. Solliciti tantummodo erant veteres de vera Christi adstruenda humanitate. 3. Nazaraei, Hegesippo uno ex illis non excluso, teste Epiphanio [10], et Theodoreto [11], Christi divinitatem inficiabantur. 4. Hinc Hegesippus apud Eusebium [12] inter haereticos haud recenset cerinthianos et ebionitas; cumque testetur idem auctor [13], se cum Romam proficisceretur, eamdem penes omnes ecclesias fidem obtinuisse, patet dogma de Christi divinitate duobus prioribus saeculis nondum fuisse in ecclesiam invectum. 5. Quod vel ipse Justinus fatetur in *Dialogo cum Tryphone,* scribens [14]: *Sunt quidam, o amici, ex genere nostro, qui Christum (Messiam) esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient, quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quae mecum*

[4]) Lib. IV. n. 7 et seqq.; lib. VI. n. 13; et lib. VII. n. 41.
[5]) *Advers. judaeos,* cap. 7 et 11.
[6]) *Disput. adv. gentes,* lib. I.
[7]) *Epist. ad Ephes.* cap. XVIII.
[8]) *Ad Magnes.* cap. 8.
[9]) Lib. IV. cap. 27.
[10]) *Haeres.* XXIX. cap. 2.
[11]) *Haeretic. fabularum,* lib. II. cap. 2.
[12]) Lib. IV. cap. 22.
[13]) Ibid. cap. 21.
[14]) Num. 48.

consentit, idem diceret. Ergo quod Christus Deus sit, non fuit nisi privata Justini sententia, cum satis esset ad christianam religionem profitendam ut Christus uti Messias agnosceretur, et ad ecclesiam pertinerent tam qui ejus divinitatem admitterent, quam qui rejicerent.

138. Resp. Ad 1. *Neg.* Contrarium enim evincunt documenta omnia luculentissima, quae ex illis saeculis in probationibus attulimus.

139. Ad 2. *D.* Etiam, immo potissimum, eo quod docetarum haeresis praevaleret, qui Deo indignum existimabant veram carnem induisse, *C.* solum, *N.* Joannes enim, ut testatur historia ecclesiastica, duplicem scopum sibi proposuit in conscribendo Evangelio, adstruendi tum Christi divinitatem adversus cerinthianos et ebionitas, tum ejusdem humanitatem adversus docetas. Insistebant porro veteres potissimum adversus istos, eo quod numerosiores essent ac praevalerent, dum qui negabant Verbi seu Christi divinitatem, pauci ac numerabiles essent. Jam vero horum haereticorum paucitas ac indoles ipsa docetismi ejusque progressus evidens argumentum est, quod doctrina de Christi divinitate altas radices egerit.

140. Ad 3. *Neg.* Justinus enim ac Hieronymus, qui bene nazaraeos noverant, cum quibus conversati sunt, eos discriminarunt ab ebionitis ex hoc ipso articulo divinitatis Christi, quem nazaraei profitebantur, negabant vero ebionitae. Ex ipsorum praeterea nazaraeorum libris documenta attulimus, in quibus ipsi aperte hoc dogma tradiderunt. Quod si dubium circa illos se exhibet Epiphanius, et Theodoretus scribit eosdem Christum uti hominem justum habuisse, decepti sunt ex obscuritate istius sectae, quae parum cognita erat. Gratuita autem assertio est Hegesippum ad nazaraeos spectasse, cujus nullum documentum afferi potest, immo ex antiquis contrarium constat, a quibus ejus fidei integritas perpetuo commendata est.

141. Ad 4. *D.* Quia Hegesippus eos complexus generatim jam fuerat, cum commemoravit pseudochristos, pseudoprophetas et pseudoapostolos, qui adulterinam invexerunt doctrinam adversus Deum et adversus Christum ejus, *C.* quasi eos non habuerit uti haereticos, *N.* Nam eos omnes inter haereticos recenset, qui a simonianis, cleobianis aliisque orti sunt ad discindendam ecclesiam, prout refert Eusebius [15], nominatim vero non recensuit ob illorum obscuritatem et paucitatem, prout etiam se gessit Justinus. Porro cum Hegesippus fuerit Irenaeo fere coaevus, ex quo discimus universas ecclesias unanimes fuisse in Christi divinitate profitenda, deprehendimus consensum illum, quem reperit Hegesippus versari circa ejusdem divinitatis doctrinam, prout etiam confirmatur ex allatis documentis in probationibus.

142. Ad 5. *Neg.* S. Justinus hic respondet Tryphoni contendenti haud posse demonstrari ex Scripturis V. T. Christum uti Deum praeextitisse b. Virgini, et ex Virgine natum. In primis itaque respondit s. Martyr, quod etsi id efficere nequiret, non tamen debilitari quod jam ex sacris litteris evicerat, nempe Jesum esse Messiam in V. T. a Deo promissum. Quod quidem ad

[15]) Lib. IV. cap. 22.

praesens argumentum, seu praesentem disputationem satis erat. Nam, ait ipse, sunt quidam, qui *Christum ex genere nostro Messiam esse confitentur, quamvis hominem ex homine genitum pronuntient seu dogmatizent, quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quae mecum consentit, idem diceret.* Deinde pergit ad ostendendum ex sacris litteris utrumque articulum de Christi nempe divinitate, ejusque nativitate ex Virgine. Ex quibus liquet illud *ex genere nostro* non referri ad sectarios, qui utrumque dogma denegarent, sed ad Christum, quem illi sectarii Messiam fatebantur, etsi dicerent fuisse hominem ab homine genitum, qui quidem haeretici pauci sunt; sed si etiam maxima illorum pars esset, ipse nullo modo illis esset assensurus, cum id sit contrarium Scripturis, uti deinceps ostendit et adversus Tryphonem et adversus haereticos illos. Hac posita expositione, quae magis congruit graeco textui, nulla amplius est difficultas; quod si alii censeant illud *ex genere nostro* referri ad sectarios, tunc respondendum est hac locutione eos omnes fuisse complexum, qui agnoscunt in Christo Messiam, per oppositionem ad judaeos, qui id admittere recusant nulla ratione habita errorum particularium, quibus sectae detinebantur, uti etiam nunc temporis fit, cum nobis res est adversus ethnicos, judaeos aut islamitas. Utraque responsio bona est ac corollaria destruit, quae deducunt exinde adversarii.

143. Inst. 1. Atqui ss. Patres, vel ipso Petavio teste [16], ante nicaenum concilium maxime discreparunt circa hoc dogma; fides igitur de Verbi divinitate ante id temporis nondum in ecclesia firmiter constituta erat. 2. Sane alii docuerunt Verbum non ab aeterno, sed ante res caeteras fuisse prolatum vel genitum, ut Deus eo tamquam administro ad res condendas uteretur: ita Tertullianus [17], Theophilus antiochenus [18], Tatianus [19], Athenagoras [20], Hippolytus. [21] Alii 3. Filium etiam quoad naturam divinam Patri inferiorem esse: ita Hippolytus [22], qui docet Verbum non fuisse perfecte Filium, nisi post incarnationem, et Tertullianus [23], qui Filium vocat modulum divinae substantiae, cujus plenitudo in solo Patre est, et Filium proprie factum asserit, nec proinde Deum semper fuisse Patrem; his praeiverant Ignatius, Justinus, Irenaeus. Alii 4. solum Filium a prophetis visum docent, eo quod nec invisibilis, ut Pater, nec immensus sit: ita rursum Justinus, Theophilus et Tertullianus. Merito igitur 5. concludit Juriaeus Arii doctrinam *omnium theologiam, nemine excepto, ante nicaenam synodum fuisse.* Alioquin 6. nulla ratio assignari posset tam latae arianismi propagationis. Ergo.

144. Resp. Ad 1. *D.* Patres antenicaeni, teste Petavio, non satis accurati fuerunt in *terminologia,* seu in forma exprimenda dogmatis, *C.* dissenserunt circa dogma ipsum, *N.* Non aliud sibi proposuit Petavius in ob-

[16]) ***De Trinit.*** lib. I. cap. 3, 4 et 5.
[17]) ***Adversus Praxeam.***
[18]) Lib. II. n. 19.
[19]) ***Orat. contr. Graecos,*** n. 5.
[20]) Apolog. n. 10.
[21]) Lib. ***De Antichristo,*** n. 30.
[22]) Loc. cit. n. 15.
[23]) Lib. cit. cap. 9.

jectis capitibus, quae ingentem adeo clamorem excitarunt. Patres porro priorum saeculorum consentientes circa dogma fuisse in eruditissima praefatione, sex capitibus comprehensa et libris de Trinitate praefixa, luculenter ostendit doctus vir, qua non modo omnem a se suspicionem removit, sed insequentibus scriptoribus ac Bullo ipsi validiora arma ad vindicandam Patrum antenicaenorum orthodoxam doctrinam suppeditavit.

145. Ad 2. *D.* In ordine ad generationem, seu verius manifestationem Verbi *ad extra*, *C.* in ordine ad generationem proprie dictam *ad intra*, *N.* Triplicem enim antiquiores Patres distinguebant generationem, scilicet aeternam, quae est prima; generationem improprie dictam per manifestationem Verbi ad extra in rerum creatione, et est secunda; generationem pariter improprie dictam per assumptionem humanitatis, et est tertia. Patres igitur, quando loquuntur de externa ejusmodi duplici manifestatione, eam vocant generationem, quasi tunc primum fuerit Verbum prolatum, scilicet ad extra, quae tamen fundata in prima est, in qua cum Verbum in sinu Patris delitesceret, ideo vix a Patre distinguunt.

146. En quomodo mentem suam exponat Tertullianus in eodem libro contra Praxeam [24]: *Sermo* (Verbum) *et in Patre semper, sicut dicit:* Ego in Patre; *et apud Deum semper, sicut scriptum est:* Et Sermo erat apud Deum; *et numquam separatus a Patre, aut alius a Patre:* Quia Ego et Pater unum sumus. Ergo dum cap. VII. scripsit tunc genitum *perfecte* Filium, cum dixit Deus: *Fiat lux*, loquitur de externa manifestatione. Hanc eamdem doctrinam fuisse Athenagorae, Tatiani, Theophili, et Hippolyti declarat Hippolytus ipse, scribens [25]: *Quod Verbum, cum in se haberet* Pater, *essetque mundo creato inadspectabile, fecit adspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans.* Hujus generationis *metaphoricae ad extra* meminerunt etiam Patres postnicaeni, praesertim vero s. Athanasius.

147. Ad 3. *D.* Ratione originis, *C.* ratione naturae, *N.* Quo sensu Hippolytus non solum adnotat se dicere Filium *alium* esse a Patre, non *aliud*, sed adjicit: *Cum alium dico, non duos deos dico, sed tamquam lumen ex lumine, aut aquam ex fonte, aut radium a sole.* Sic ratione derivationis ejusdem Tertullianus *totam substantiam* Patri tribuit [26], Filium vero *portionem* seu *modulum* vocat, nec enim divina substantia utpote simplicissima in partes scindi potest.

148. Dum Ignatius, Irenaeus, Justinus, vocant Filium Patris *administrum, Patris subditum*, ejusque *voluntati servientem, consilio ac voluntate Patris genitum*, alludunt ad rerum creationem, quam Pater per Filium executus est per peculiarem *appropriationem*, nam et Pater et Spiritus S. res omnes crearunt; sed tribuitur creatio peculiari ratione divinae Sapientiae.

149. Justinus Filium etiam vocat secundam post Patrem *potestatem*, id

[24]) Cap. 8.
[25]) *Contra haeres. Noëti*, cap. 10.
[26]) Lib. cit. cap. 9.

est, *personam;* interdum Patrem vocat *causam*, id est, *principium* Filii. Quo sensu Filium dixerunt inferiorem Patri, nempe ratione originis, prout etiam Patres postnicaeni ita exposuerunt verba Christi: *Pater major me est.*

150. Ad 4. *D.* Docuerunt Patres solum Filium visum esse per apparitionem, quam vi missionis suae fecit patriarchis primum ac prophetis deinde vero per incarnationem, *C.* quasi alterius eum naturae putaverint a Patre, *N.* Fuit enim constans apud veteres sententia usque ad Augustinum solum Filium apparuisse in V. T. in visibili forma symbolica, utpote qui in plenitudine temporis humanam suscepturus esset naturam ad hominem reformandum, quem ipse condiderat. Cum vero Pater missionem non habuerit nec habere possit, qui a nullo originem habet, ideo Patrem *invisibilem, visibilem* vero Filium dixere; idem dic de immensitate ratione assumptae exterioris formae, sub qua Filius apparuit.

151. Ad 5. *D.* Immerito et contra historicam veritatem, *C.* ad veritatis normam, *N.* En quomodo s. Athanasius ejusmodi calumniam jamdiu everterit arianos perstringendo [27]: *En igitur nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam* (de Filii cum Patre consubstantialitate) *a Patribus ad Patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi judaei et Caiphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum Patres ostendere valetis? Ne unum quidem ex prudentioribus et cordatis nominare potestis; cuncti vos aversantur, praeter unum diabolum, qui solus hujus definitionis vobis auctor fuit.*

152. Ad 6. Resp. Data assertionis veritate, quae tamen falsa est, cum ariani proprie dicti semper pauci fuerint, ita ut ad fucum faciendum debuerint se sub formulis in specie catholicis tegere; dicimus eadem ratione, qua aetate hac nostra protestantismus, sub quovis respectu absurdus, longe lateque brevi diffusus est principum favore fretus, fraudibus ac mendaciis, divitiarum ope ac cupiditatum licentia, propagatum esse quoque arianismum.

153. II. Obj. Saltem nicaena synodus vocem obscuram et ambiguam consecravit. Etenim 1. vox ὁμοούσιος vi sua unitatem specificam non autem numericam significat; siquidem Aristoteles vocavit stellas ὁμοουσίας, prout homines ὁμοούσιοι sunt, quia ejusdem specie substantiae. 2. Hanc proinde vocem Deo applicatam jamdiu proscripserat synodus antiochena anno 259, vel 260. adversus errores Pauli samosateni congregata; 3. quapropter non immerito Patres nicaeni tritheismi accusati sunt. Ergo.

154. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Ita tamen ut nicaeni Patres eam consecraverint ad unitatem numericam significandam, *C.* ad unitatem specificam, *N.* Utique penes ethnicos, quibus consubstantialitas numerica prorsus ignota erat, vox haec usurpata erat ad unitatem specificam designandam, ut patet ex Aristotele; at in ore christianorum, quum de Trinitate sermo est, nullum alium patitur sensum. Numquam enim christiani tres substantias individuas divinas agnoverunt, ac propterea alium sensum non patitur vox *consubstantialis* quam unitatis numericae in substantia subsistente in tribus

[27]) ***De synodi nicaenae decretis,*** n. 37.

personis. Quod confirmat agendi arianorum ratio sive ante sive post definitionem nicaenam, qui eam semper detestati sunt.

155. Ad 2. *Neg.* Etenim nunc inter saniores criticos convenit supposititiam esse synodi antiochenae damnationem vocis *ὁμοούσιος*, qui his rationibus innituntur: 1°. quod nonnisi post annos 90 a celebratione conc. antiocheni semiariani in conc. ancyrano anno 368. hanc vocem disseminaverint; 2°. quod alte semper ariani de hac damnatione siluerunt; 3°. praesertim Eusebius arianis addictus, cuique semper vox haec displicuit, et tamen fatetur eam a veteribus usurpatam; 4°. quod Athanasius, Hilarius ac Basilius, qui a semiarianis decepti sunt, fateantur se acta illius synodi non vidisse; 5°. quod Dionysius alex. fuerit accusatus apud Dionysium rom. quod Filium Patri non diceret *consubstantialem, ὁμοούσιον;* 6°. quod s. Pamphilus in apologia pro Origene paulo post praetensam illam damnationem ostenderit Filium esse *ὁμοούσιον, consubstantialem,* Patri; 7°. quod eadem synodus antiochena in damnatione Pauli samosateni saepius hac voce usa fuerit, uti ostendit Maran.

156. Ad 3. *D.* Ab unitariis per summam calumniam, *C.* ab aliis, *N.* Si Patres nicaeni fuissent labe tritheismi infecti, id certe non fugisset arianos, quibus non minus invisi erant nicaeni Patres quam unitariis nostris, attamen etsi audaces numquam ejusmodi calumniam intentarunt; id reservatum erat novis arianis. Caeterum post Petavium laudatus Maran in opere *De divinitate J. C.* nicaenos Patres evidentissime vindicat. [28]

CAPUT IV.

DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

157. Macedoniani omnium primi divinitatem Spiritus Sancti adorti sunt, ita nuncupati a Macedonio, ariano episcopo constantinopolitano, intruso a Constantio. Hic docuit Spiritum S. creaturam esse. Damnatus fuit ab oecumenica synodo constantinopolitana I. anno 381. Sociniani ulterius progressi inficiati sunt Spiritum S. esse hypostasin seu personam subsistentem, eoque nomine divinam autumarunt significari vim et efficaciam. Rationalistae id ipsum effutierunt.

158. Hi omnes Spiritus Sancti osores *Pneumatomachi* vocantur. Eadem porro ratione, qua ss. Trinitatis dogma, et in specie Verbi divinitatem adstruximus, divinitatem vindicabimus Spiritus S. Cum vero argumenta, quae ex Scriptura et traditione efferuntur, eumdem quoque personam subsistentem esse evincant, ideo per modum corollarii veritatem hanc deducemus, prout praestitimus de Verbi agentes divinitate.

[28]) Lib. IV. cap. 30.

PROPOSITIO I.

Spiritus Sanctus vere et proprie Deus est, ut in primis ex Scripturis constat.

159. Et haec propositio de fide est, ut patet ex omnibus fidei nostrae symbolis, praesertim constantinopolitano.

160. Ita vero ejus veritatem evincimus: Ille vere et proprie Deus est, cui Dei nomen, proprietates divinae ac operationes, divinus item cultus, honor et dignitas, divina demum processio et origo tribuuntur. Atqui talis est ex sacris litteris Spiritus Sanctus. Ergo.

161. Et I. quoad nomen, Petrus arguens Ananiam dixit [1]: *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Igitur Spiritus Sanctus, cui mentitus erat Ananias, Deus vocatur. Sic etiam Apostolus scribit [2]: *Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis;* hunc vero Deum vocat, dicens v. 12: *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* Id ipsum adstruitur ex collatione Is. VI. 9, cum Act. XXVIII. 25. ubi, quem Isaias vocavit Dominum Deum Sabaoth, Paulus vocat Spiritum Sanctum, dicens: *Quia bene Spiritus S. locutus est per Isaiam... dicens: Vade ad populum istum;* nec non ex collat. I. Cor. III. 16, cum cap. VI. 19. ubi fideles dicuntur: *Templum Dei* et *Templum Spiritus Sancti.* Dei igitur nomine Spiritus S. in Scripturis designatur.

162. II. Sed praeterea divinae proprietates et operationes Spiritui S. tribuuntur in sacris litteris. Omniscientiam enim ei tribuit Apostolus, cum scribit [3]: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei... Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei;* tribuit et Christus [4]: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* item omnipotentia, ut [5]: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;* cum qua connexa est vivificandi virtus, de qua scribit Apostolus [6]: *Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis... vivificabit et mortalia corpora vestra.* Sic omnipraesentia [7]: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Quod vero spectat divinas operationes, adscribitur Spiritui Sancto inspiratio prophetarum [8]: *Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines;* creatio [9]: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur;* operatio miraculorum [10]: *In Spiritu Dei ejicio daemonia;* operatio gratiae, uti Christi conceptio [11], unctio et missio [12], peccatorum remissio *et* regeneratio [13], ecclesiae

[1]) Act. V. 3, 4.
[2]) Hebr. III. 7.
[3]) I. Cor. II. 10.
[4]) Joann. XVI. 13.
[5]) Ps. XXXII. 6.
[6]) Rom. VIII.
[7]) Sap. I. 7.
[8]) I. Petr. I. 11; et II. Petr. I. 21.
[9]) Ps. CIII. 30.
[10]) Matth. XII. 28.
[11]) Luc. I. 35.
[12]) Is. LXI. 1.
[13]) I. Cor. VI. 11.

regimen [14], collatio donorum [15], sanctificatio [16], diffusio gratiae [17], resurrectio mortuorum. [18]

163. III. Divinum cultum et honorem Spiritui S. tribui patet ex Baptismi forma, in qua ipse cum Patre et Filio conjungitur; prout pariter conjungitur a Paulo his verbis [19]: *Gratia D. N. J. C. et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

164. IV. Demum Spiritus S. cum Filio ita comparatur, ut *alius Paracletus* dicatur [20], et ei tribuatur divina origo ac processio uti Christo [21], qui eum vocat *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit,* prout de se dixit: *Exivi a Deo.*

165. Cum talia igitur in Scripturis de Spiritu S. praedicentur, non modo asserta est ejus divinitas, sed praeterea ejus personalis seu hypostatica subsistentia; etenim et vivens et operans eadem ratione perhibetur ac Pater et Filius; insuper et missus ac mittens, et *alius* dicitur et procedens per comparationem ad Patrem et Filium; cum proinde Pater et Filius duae sint hypostases seu personae subsistentes, talis quoque dicendus Spiritus Sanctus, nisi desipere velimus.

DIFFICULTATES.

166. I. Obj. Spiritus S. nec peculiaris persona, nec Deus est. Etenim 1. Quae de Spiritu S. in Scripturis praedicantur, de Deo sunt intelligenda, qui Spiritus est; 2. aut vis quaedam Dei, quae per prosopopoeiam veluti persona exhibetur; 3. nec obest aut apparitio Spiritus S. sub columbae specie in Christi Baptismate, aut sub forma linguarum ignearum die Pentecostes super discipulos [22], hae siquidem narrationes mythicae sunt ac symbolicae de Dei virtute; 4. sane Scriptura rebus inanimis consuevit subsistentiam tribuere et operationem perinde ac si reipsa existerent, viverentque; inducit e. gr. hac ratione mortem [23], peccatum [24], legem [25], et Scripturam sacram. [26] Ergo.

167. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* De Deo sunt intelligenda, quatenus in peculiari Spiritus Sancti persona subsistit, *C.* quatenus divina tantum significatur natura, *N.* Certe Deus *Spiritus est,* ut ait Christus [27], ast cum de Spiritu Sancto in Scripturis sermo est, uti divina peculiaris persona designatur, qui in ipsa natura divina agit et operatur, ut patet ex adducto Apostoli textu [28], ac ita nominatur per oppositionem ad Patrem ac Filium, quod profecto ostendit agi de peculiari in Deo persona. Accedit, quod Pater

[14]) Act. XIII. 2.
[15]) I. Cor. XII. 4.
[16]) II. Thess. II. 12; et I. Petr. I. 2.
[17]) Rom. V. 5.
[18]) Ibid. VIII. 11.
[19]) II. Cor. XIII. 13.
[20]) Joann. XIV. 16.
[21]) Ibid. XVI. 26.
[22]) Act. II. 1 seqq.
[23]) Rom. V. 12; Jac. I. 15.
[24]) Rom. VI. 12 et seqq.; VII. 14.
[25]) Ibid. VII. 23; Gal. III. 24.
[26]) Gal. III. 8.
[27]) Joann. IV. 24.
[28]) I. Cor. II. 10.

aut Deus, prout absolute in sua natura accipitur, nuspiam Spiritus Sanctus nuncupatur.

168. Ad 2. *Neg.* Nam cum Christus Spiritum S. dicat *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit,* cum dicat se eum a Patre missurum, ut apostolos omnem veritatem doceret: cum eum exhibeat veluti alium Paracletum, quem sibi ipsi sufficiat, seu qui vices suas impleat; nonnisi absurde haec per prosopopoeiam dicta perhibentur, alioquin Christus omnes loquendi leges invertisset.

169. Ad 3. *Neg.* Nimis sero mythicum systema a rationalistis inductum est, quo vel ipse Christus uti mythus effertur. Si quis legerit quae scribit s. Lucas [29]: *Et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum* (Christum) *et vox de coelo facta est: Tu es Filius meus dilectus;* tum quae scribit idem auctor, de Spiritu Sancto [30], qui descendit super apostolos, *seditque supra singulos eorum,* de effectu in iis secuto, de commotione universae civitatis Hierusalem, de stupore et exstasi spectatorum, de trium millium conversione ad Petri concionem; qui, inquam, haec legerit, numquam in suspicionem veniet alicujus mythi. Nemo porro tam rudis est, qui nesciat formam columbae, aut ignearum linguarum non esse nisi exteriora visibilia symbola ad numinis praesentiam significandam, non autem ipsam Spiritus Sancti substantiam, quasi haec finita et corporea esset. Haec inter se permiscent rationalistae, ut inde suum mythum obtrudant.

170. Ad 4. *D.* Ita tamen, ut ex substrata materia apprime innotescat, quando haec figura adhibeatur, et quando de vera subsistente persona sit sermo, *C.* secus, *N.* Alioquin concludi pariter posset nec homines veras personas seu individua esse, quoties de ipsis in Scriptura aliquid legitur. Igitur quamvis interdum Scriptura res inanimes uti subsistentes et operantes per figuram prosopopoeiae exhibeat, inferri nequit eamdem adhibere figuram cum loquitur de Spiritu S. Etenim praeterquam quod in illis per se figura obvia est, numquam Scriptura res illas iis characteribus et notis insignivit, quibus Spiritum S. praeditum exhibet, ut ex adductis probationibus abunde liquet.

171. Inst. 1. Ad eum modum, quo spiritus hominis non est persona distincta ab ipso in quo est, sic Spiritus S. qui passim in Scripturis dicitur *Spiritus Dei et Spiritus Christi,* non est persona a Deo vel Christo distincta. 2. Eo vel magis quod nos dicamur baptizari in Spiritu Sancto, uti dicimur baptizari in aqua, quae certe persona non est. 3. Spiritus S. praeterea dicitur donum Dei, in multos effusum die Pentecostes, quod personae non convenit. 4. Ita mentibus hominum inhaerens Spiritus S. exhibetur ut excitari possit [31], possit item homini tribui vel auferri ope mediorum externorum [32], e. gr. unguento [33], ejusdemque quasi particulae ab uno, qui imbutus

[29]) Cap. III. 22.
[30]) Act. II.
[31]) Is. I. 13, 14; et ibid. LXIII. 10, 11.
[32]) I. Reg. X. 6, 11; tum XVI. 24.
[33]) Ibid. XVI. 13; Jud. XV. 14; XVI. 20.

est alios multos, transferuntur, ut legitur Num. XI. 17, 25. Quae quidem omnia cum proprie dicta persona conciliari nequeunt. Ergo.

172. Resp. Ad 1. *Nego* paritatem. Vox enim *Spiritus*, cum de homine usurpatur, denotat essentialem ejus proprietatem; cum vero usurpatur de Spiritu Sancto, denotat proprietatem *notionalem*, ut vocant, ac *relativam*. Adeoque fit ut in divinis, cum relative vox *Spiritus* assumitur, nonnisi de persona intelligi possit, secus ac eveniat in homine, in quo *absolute* ponitur ad essentialem ejus partem significandam, prout naturam divinam significat, quando absolute de Deo dicitur. Ex subjecta proinde materia dignosci debet, quando vox *Spiritus* absolute aut relative adhibeatur. Nec obest instituta ab Apostolo comparatio inter spiritum, qui in homine est, et spiritum, qui est in Deo; haec enim non refertur ad modum subsistendi, sed ad modum cognoscendi, eo vel magis quod in divinis una persona in altera esse possit juxta Christi effatum [34]: *Pater in me est, et ego in Patre.*

173. Ad 2. *D.* Improprie, *C.* proprie, *N.* Etenim dicimur baptizari in Spiritu S. uti etiam dicimur baptizari in Christo, quem etiam induimus; Christus nihilominus, fatentibus unitariis, persona est subsistens. Itaque dicimur baptizari in Christo tamquam causa meritoria gratiae, quam in Baptismo consequimur; dicimur baptizari in Spiritu S. tamquam causa efficiente ipsam sanctificationem; dicimur baptizari in aqua tamquam causa instrumentali.

174. Ad 3. *D.* Dicitur donum Dei personale ac subsistens, quod effusum dicitur in suis effectibus, *C.* donum accidentale et effusum in se, *N.* Donum igitur Dei dicitur Spiritus S. uti donum dicitur etiam Christus [35], ratione missionis divinae, quatenus Pater miseratione sua utramque personam nobis largitus est; effusum autem dicitur in multos, quia novo effectu esse coepit in multis, conferens gratias suas, quas dividit, prout vult, quo fit ut *active* non autem *passive* se effundat Spiritus S.

175. Ad 4. *D.* In suis effectibus, *C.* in se, *N.* sive sermo sit de gratia sanctificante, sive de gratiis gratis datis, quae obnoxiae sunt augmento et decremento, hae autem a suo auctore *Spiritus Sanctus* generatim nuncupantur. Caeterum falsum est ope mediorum externorum, unguenti e. gr. Spiritum dari aut auferri, idque Scripturis perhiberi. Ad summum ejusmodi media externa possunt esse symbolica, quatenus exterius aliquo ritu significatur interior operatio. Et hac ratione evanescunt, quae male congessit rationalista vulgaris Wegscheider.

176. II. Obj. Quamvis Spiritus S. uti persona subsistens admitteretur, haud exinde sequitur eum Deum esse. Nam 1. numquam in Scripturis expresse *Deus* appellatur; 2. neque umquam adorandus aut invocandus proponitur; 3. Dei dona enumerans Apostolus [36], Patri ac Filio tribuit, nulla Spiritus Sancti injecta mentione; 4. Spiritum S. existere primi fideles igno-

[34]) Joann. X. 38.
[35]) Ibid. III. 16.
[36]) I. Cor. VIII. 6.

rarunt, cujusmodi fuerunt duodecim illi Ephesii, qui in Actis apost. interrogati ab Apostolo, *si Spiritum S. accepissent credentes,* responderunt [37]: *Neque si Spiritus S. est, audivimus.* 5. Immo non obscure in Evangelio Joannis factus perhibetur illis verbis [38]: *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt.* Ergo.

177. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *N.* Nam nos contrarium ostendimus. Ideo juxta adversarios *Deus* in Scripturis non vocatur Spiritus Sanctus, quia legere nolunt, prout nolunt legere quoties Verbum, seu Christus *Deus* vocatur.

178. Ad 2. *N.* Oppositum constat juxta dicta et ex Baptismi forma, et ex apprecatione Apostoli. [39]

179. Ad 3. *D.* In objecto loco, *Tr.* alibi, *N.* Nam in eadem Epist. cap. XII. charismatum dona Apostolus tribuit expresse Spiritui S.

180. Ad 4. *Neg.* Illi enim duodecim Ephesii discipuli solum fuerant Joannis Baptistae, et quidem satis rudes, cum ignotum nemini sit judaeos Spiritus Sancti notitiam habuisse, ut constat ex Luc. I. 15 et v. 35. Item Matth. I. 20.

181. Ad 5. *Neg.* Siquidem omnia a Verbo facta sunt, quae reipsa *sunt facta,* ut ibid. dicitur: Spiritus Sanctus *a Patre procedit*, adeoque factus non est.

182. Inst. 1. Spiritui S. tribuitur oratio [40]: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* 2. econtra scientia independens seu divina denegatur dicente Christo [41]: *Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur;* et *scrutari omnia* dicitur *etiam profunda Dei* [42], scrutari porro est de eo quod inquiritur; 3. demum Spiritus Sancti vox non est relativa; 4. vel esset genitus vel ingenitus; si genitus, esset Filius, si ingenitus, esset Pater. 5. Quod si a Patre perinde ac Filius procedere dicatur, Filius et Spiritus S. fratres essent; sin vero procedat per Filium, Pater ejus esset avus. Sic veteres pneumatomachi apud s. Athanasium. [43]

183. Resp. Ad 1. *D.* Efficienter, *C.* formaliter, *N.* Ideo postulare dicitur, quatenus nos postulare facit, eadem ratione qua dicitur de Spiritu S. per *appropriationem* quod locutus sit per prophetas, quatenus loqui eos fecit.

184. Ad 2. *Neg.* Ideo vero dicitur de Spiritu S. quod scientiam suam mutuetur a Filio, quia ab ipso subsistentem essentiam habet ab eo procedendo, ut paulo post ostendemus. Etsi vero *scrutandi* verbum interdum vim *inquirendi* habeat, in objecto tamen Apostoli loco usurpatur ad perfectam cognitionem significandam, uti de Deo dicitur [44]: *Scrutans corda et renes.*

185. Ad 3. *D.* Per se, *Tr.* relative non usurpatur Spiritus Sancti vox, *N.*

[37]) Cap. XIX. 2.
[38]) Cap. I. 3.
[39]) II. Cor. XIII. 13.
[40]) Rom. VIII. 26.
[41]) Joann. XVI. 13.
[42]) I. Cor. II. 10.
[43]) Ep. I. *ad Serapion.*
[44]) Ps. VII. 10.

186. Ad 4. Resp. non esse genitum nec ingenitum, sed procedentem, ut Scripturae et traditio nos docent.

187. Ad 5. *D.* Si procederet per generationem uti Filius, *C.* si per solam emanationem a Patre et Filio tamquam ab unico principio, *N.* Sic non habetur nec frater nec avus in Trinitate.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas evincitur ex traditione.

188. I. Hujus traditionis in ecclesia constantis testes in primis sunt Patres apostolici. Etenim Hermas, qui primo ecclesiae saec. floruit seu aetate apostolica, lib. III. op. inscripti *Pastor,* c. 5. aperte distinguit Spiritum S. a Patre et Filio, dum orbem terrae exhibet sub similitudine fundi seu vineae, cujus *Dominus* Pater est, *Filius* fundi Spiritus Sanctus, *Servus* qui excolit fundum *Filius Dei* forma scilicet servili indutus per Incarnationem; ac de Spiritu Sancto speciatim haec scribit: *Nuncius audit Spiritum Sanctum in quo habitaret Deus;* seu corpus in utero b. Virginis efformavit Verbo carnem ex ea sumenti. S. Clemens rom. apud s. Basilium scribit [1]: *Ille ergo Spiritus S. est et rectus, qui ab ipso* Patre *procedit;* adeoque Deus et a Patre distinctus. S. Ignatius inter haereticos recenset eos, qui *Spiritum S. nec esse confitentur,* dicentes *eumdem esse Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum.* [2] S. Polycarpus, ut vidimus, glorificat Spiritum S. cum Patre et Filio.

189. II. Ejusdem traditionis testes praeterea sunt Patres, qui apostolicis successerunt secundo et tertio saeculo. Justinus enim [3], et Athenagoras [4] ad repellendam calumniam atheismi, qua christiani impetebantur, profitentur christianos *credere* in *Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, quos adorabant.* Tatianus, vocat Spiritum S. *perfectum Deum* [5], cui Patris et Filii substantia tradita est. S. Irenaeus vocat *Sapientiam Patris, Creatorem* et cum Patre et Filio *solum verum Deum, Spiritum Dei, Spiritum Patris.* [6] Item s. Theophilus antiochenus, Clemens alex., Tertullianus, s. Hippolytus, Origenes, antiquus auctor constitutionum apostolicarum, Minutius Felix, s. Cyprianus, Novatianus ipse apud Maran [7], qui singulorum Patrum dicta expendit; ex quibus patet eos unanimes esse in profitenda divinitate Spiritus S. uti subsistentis personae.

190. III. Testes ejusdem sunt martyres, ex quibus jam attulimus verba s. Epipodii coram judice dicentis: *Christum cum Patre et Spiritu Sancto Deum esse confiteor.* Spiritus Sancti virtus atque omnipotentia celebrantur etiam in actis s. Felicitatis et septem filiorum ejus, et in Epistola ecclesiarum viennensis et lugdunensis apud Ruinartium.

[1]) Lib. *De Spiritu S.* cap. 29. n. 72.
[2]) *Ep. ad Trallen.* n. 6.
[3]) *Apolog.* I. n. 6.
[4]) *Legat. pro christianis,* n. 10.
[5]) *Orat. cont. gentes,* n. 4.
[6]) Lib. IV. *Advers. haeres.* cap. 20.
[7]) Op. cit. lib. IV. cap. 10 et 19.

191. IV. Testes demum sunt monumenta eaque antiquissima, quae exhibent Spiritum S. sub columbae specie a Patre et Filio distinctum animas in Baptismo gratia sanctificantem, vel b. Virgini ab angelo salutatae obumbrantem, aut malo navis, quae ecclesiam refert insidentem, quae collegerunt, praeter Gener, archaeologi christiani Bosius, Arringhius, Boldettus aliique.

192. Quae cum ita se habeant, pronum est inferre illum uti Deum divinamque subsistentem personam creditum constanter in ecclesia fuisse ex divina traditione, quem testes omnes, quos adduximus aut indicavimus, Deum praedicant cum Patre et Filio adorandum, omnibusque perfectionibus praeditum. Talis porro est Spiritus Sanctus. Ergo.

DIFFICULTATES.

193. I. Obj. 1. Patres interdum Spiritum S. cum Verbo confundunt, uti Justinus [8], s. Irenaeus [9], et Joannes damascenus. [10] Sane 2. Tertullianus [11]: *Spiritu Dei*, inquit, *et Sermone et Virtute collatis in Virginem, quod de eo nascitur, Filius Dei est.* 3. Athenagoras *Logi et Pneumatis,* sive vocis et Spiritus utpote ex eodem ore prolatorum sub *ideae* et *operationis* notione tamquam unum idemque exhibet. [12] 4. Aevo antenicaeno rarius substantiae unitas cum Patre et Filio vindicata fuit Spiritui Sancto. 5. Patri Filioque quodammodo subesse Spiritum S. docuerunt veteres illi; 6. nec nisi ante mundum conditum Spiritum S. peculiarem hypostasin prodiisse contenderunt. Ergo.

194. Resp. Ad 1. *Neg.* Patres aliquando Spiritum S. cum Verbo confudisse, sed apprime semper alterum ab altero distinxerunt. Etenim s. Justinus non solum vocat *Spiritum propheticum*, sed praeterea eum dicit *tertiam* Trinitatis personam seu *tertiam* ordine. [13] Causa erroris in adversariis orta ex eo est quod s. Martyr in cit. *Apol.* (siquidem in Dialogo nihil de hoc habet), n. 33. de Spiritus Sancti persona intelligit quod legitur Luc. I: *Spiritus S. superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ideoque* etc., quatenus hic *Spiritus S.* et *virtus Altissimi* sit ipsum Verbum quod carnem ex B. M. V. assumpsit, prout et alii Patres exposuerunt. Verum ex hoc inferri nequit aut Justinum, aut alios Patres, qui eamdem dederunt ejusdem textus interpretationem, confudisse personam Verbi cum persona Spiritus Sancti, sed solum evertisse socinianorum commentum, quod ideo Christus dictus fuerit Filius Dei ratione admirabilis ejus conceptionis, cum Patres isti potius docuerint ipsum Filium Dei supervenisse Mariae, et ex ea carnem sumpsisse.

195. Irenaeus juxta editionem adversarii haec scribit [14]: *Pater . . . per Verbum et Spiritum S. omnia faciens*, etc. Haec vero scribendi ratio indicatne confusionem Verbi cum Spiritu Sancto? Joannes damascenus, ex pro-

[8]) In *Dial.*
[9]) *Adv. haeres.* lib. I. cap. 19.
[10]) *De fide orthodoxa,* lib. III. cap. 2.
[11]) *Adv. Praxeam,* cap. 26.
[12]) *Legat. pro christianis,* cap. 10.
[13]) *Apolog.* I. n. 6 et 13.
[14]) Lib. I. cap. 22, seu cap. 19.

fesso agit de Trinitate [15], distinctis vero capitibus, nempe VI et VII, agit de persona Verbi et de persona Spiritus Sancti.

196. Ad 2. *Neg.* Tertullianus enim, ut Irenaeus, ac postea s. Joannes damascenus, nomine *Spiritus Sancti* et *virtutis* de quo scribit s. Lucas: *Spiritus S. superveniet in te, et virtus Altissimi*, etc. interpretatur de ipso Filio Dei carnem assumente in utero Virginis. Contendit porro solum Filium incarnatum esse adversus Praxeam. Apprime autem Tertullianum distinxisse Spiritum S. a Verbo, aperte liquet ex argumento, quod urget ex forma et ritu Baptismi ad personarum distinctionem statuendam scribens: *Mandavit Christus ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum S. . . non in unum. Nam non semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur.*

197. Ad 3. *D.* Athenagoras objectis verbis adstruit unitatem naturae in tribus personis, *C.* personas Verbi et Spiritus S. confundit, *N.* Cum enim ostendisset non posse christianos atheos dici qui adorant Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ad tollendam suspicionem tritheismi aut polytheismi, affirmat unam esse Patris ac Filii et Spiritus S. naturam. Concludit enim: *Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum, et Spiritum S. asserunt, at eorum in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant?*

198. Ad 4. *N.* Toties enim unitatem substantiae Patres antenicaeni in tribus personis vindicarunt, quoties sese illis obtulit occasio, ut ex allatis hactenus documentis manifestum fit; immo adeo vindicarunt, ut rationalistae in suspicionem venerint Patres illos confudisse Verbi ac Spiritus Sancti personas. Quomodo haec sibi cohaerent?

199. Ad 5. *D.* Id est, praedicarunt dependentiam, quae oritur ex ordine processionis adeoque improprie dictam, *C.* quae oriatur ex diversitate naturae, *N.*

200. Ad 6. *D.* Quoad externam manifestationem, uti pariter praedicarunt de persona Verbi, *C.* quoad processionem internam, *N.* Recolantur antea dicta.

201. II. Obj. 1. Ariani etiam divinitatem Spiritus S. rejiciebant, attamen neque Patres neque nicaena synodus hac de causa eos impugnarunt aut divinitatem Spiritus S. asseruerunt; 2. concilium vero constantinopolitanum I., quamvis adversus macedonianos coactum, nusquam expresse Deum Spiritum S. nominavit; 3. prout se gesserunt sive Hilarius, qui in XII *De Trinitate* libris numquam hoc nomine eum donavit, neque Basilius, qui integrum scripsit *De Spiritu S.* librum, qui praeterea auctor presbyteris tharsensibus fuit, ut contenti essent exigere a macedonianis confessionem quod Spiritus S. dici non debeat creatura; et reprehendit Dionysium alex. [16], eo quod Spiritum S. *ab adorata deitate sejunxerit, ac inferioribus una cum creata ac ministra natura numeraverit.* 4. Atque hinc factum est, ut ecclesia numquam ad Spiritum S. preces direxerit; 5. immo sancivit concilium cartha-

[15]) Lib. I. op. cit. cap. 8.

[16]) *Ep.* IX. *ad Maximum philosophum.*

giniense III. cap. XXIII: *Ut, cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio:* 6. demum in antiqua doxologia recepta formula haec erat: *Gloria Patri et Filio in Spiritu Sancto*, qua indicatur neque uti Deum Spiritum S. habitum fuisse, neque proinde Patri et Filio aequalem, immo neque uti peculiarem personam. Ergo.

202. Resp. Ad 1. *D.* Patres ac nicaena synodus hac de causa arianos non impugnarunt directe, neque expresse asseruerunt dogma divinitatis Spiritus Sancti, quia praecipuus ac primarius illorum error versabatur circa divinitatem Filii, *C.* quasi dubitarent de Spiritus S. divinitate, *N.* Cum igitur primarius arianorum error versaretur circa divinitatem Verbi, nec nisi per consequens ac indirecte inficiarentur divinitatem Spiritus Sancti, ideo tum antiquiores Patres, tum nicaena synodus primarium hunc errorem directe oppugnandum sibi sumpserunt, et contradictoriam veritatem asserendam, ut facere ecclesia consuevit. Caeterum s. Athanasio teste [17]: *Nicaeni Patres neque etiam Spiritum S. a Patre et Filio disjunxere, sed illum potius una cum Patre et Filio glorificavere in una sanctae Trinitatis fide, quia nempe una est in sancta Trinitate divinitas.*

203. Ad 2. *D.* Conceptis verbis, prout ferebat receptus loquendi usus, *C.* aequivalentibus, *N.* Nam eo ipso quod credendum synodus definierit et *in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem et cum Patre et Filio adorandum et glorificandum*, catholicum de Spiritus S. divinitate dogma adstruxit; cum vero usus non ferret Spiritum S. *Deum* dicere in fidei formulis, eum usum servandum synodus duxit.

204. Ad 3. *D.* Id est, nonnulli oeconomiae usu receptae causa, *C.* omnes, *N.* Plures enim, uti Dionysius alex., Tatianus, aliique *Deum* Spiritum S. expresse nuncupavere; alii vero formulae adhaerentes justis de causis ab apostolis inductae, aequivalentibus verbis ad idem significandum uti maluerunt.

205. Ita saltem ad tempus se gessit s. Basilius, qui scribit [18]: *Cum confiteri oporteat Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, ut eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere, docuerunt.* Ita pariter Hilarius, qui in *Comment.* ad illud Matth. ult.: *Euntes ergo*, haec praeclare habet: *Ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus est.*

206. Incerta porro res est inter criticos unde provenerit illa s. Basilii in s. Dionysium objurgatio, cum exploratum sit magnum hunc antistitem recte ac orthodoxe de Spiritus S. divinitate sensisse, uti ostendit s. Athanasius illius successor in *Epist. de Dionysii sententia;* ipsemet s. Basilius s. Dionysium inter assertores ejusdem divinitatis recenset, pluraque ex ejus operibus testimonia profert in lib. *De Spiritu S.* Demum palmaria sunt s. Dionysii verba in Resp. ad propositiones Pauli samosateni: *Spiritus autem est Deus,* loquitur porro de Spiritu S. Nonnulli suspicantur non omnia adhuc scripta

[17]) *Ep. synodica ad Jovianum imperat.* [18]) Ep. VII. alias CXLI.

Dionysii ad Basilii manus pervenisse, cum laudatam dedit epistolam, atque exinde factum, ut ab arianis deciperetur.

207. Ad 4. *D.* Quatenus in publica liturgia ecclesia consuevit ad Patrem totius Trinitatis fontem preces dirigere, *C.* in sensu exclusivo, *N.* Accedit quod in doxologia sua ecclesia tres simul semper divinas personas complexa sit, uti ex allatis documentis patet.

208. Ad 5. *D.* Ob conformitatem in publica liturgia servandam, et ad privatorum errores praecavendos, *C.* alia de causa, *N.* En integra ipsius concilii verba, ex quibus ejus mens aperte innotescit: *Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet: et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit.*

209. Ad 6. *D.* Alicubi et ad certum tempus, *Tr.* vel *C.* universim et constanter, *N.* Varia enim fuit in antiqua ecclesia doxologiae formula, ut constat ex s. Basilio [19], qui plures collegit, quae tamen omnes in idem recidunt, sive dicerent *in Spiritu Sancto,* sive *cum,* sive *et Spiritum Dei.* Eo enim omnes referuntur, ut tres aeque personae divinae celebrentur et conglorificentur utpote unus Deus. Quae cum ita sint, evanescunt adversariorum ex falso principio deductae consecutiones.

CAPUT V.

DE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO PROCESSIONE.

210. Dogma, ejusque professio in symbolo per additamentum vocis *Filioque* impugnantur a Graecis schismaticis, qui Latinos accusant, tum quod doceant Spiritum S. a Patre ac Filio procedere, tum quod contra decretum concilii ephesini inseruerint symbolo particulam *Filioque.*

211. Quo tempore quove auctore introduci apud Graecos coeperit error de Spiritus Sancti a solo Patre processione, incerta plane res est. Verisimilius videtur orta haec controversia ex occasione errorum arianorum ac macedonianorum. Theodoretus omnium primus impugnavit s. Cyrillum, eo quod in anathematismo XI. adversus Nestorium appellaverit Spiritum S. *Spiritum Christi proprium.* Rursum monothelitae, teste s. Maximo martyre, reprehenderunt s. Martinum I. eo quod in sua synodica docuerit Spiritum S. a Patre ac Filio procedere; tum etiam Constantinus Copronymus iconomachus de hoc articulo litem movit adversus apostolicam sedem, a qua damnatus fuerat. Exinde vero Photii error, quem Nestorii fautores peperererunt, monothelitae aluerunt et qui, iconomachis agentibus, altas apud Graecos radices egit.

212. Sic pariter incertum est, quo tempore et quo primum auctore inserta symbolo fuerit particula *Filioque.* Ratum penes omnes est in Hispania intra Missarum solemnia usum invaluisse canendi symbolum cum ejusmodi

[19]) Op. cit. *De Spiritu Sancto,* cap. 29.

additamento, ex occasione conversionis Gothorum ab ariana haeresi anno 589. Hic usus in Gallias, deinde vero in Germaniam, postea in Italiam propagatus est, rom. pontificibus passive circa eum se habentibus. Romae demum adoptatus videtur hic usus cum, adnitente Henrico imperatore, aegre tandem Benedictus VIII. indulsit ut symbolum constantinopolitanum in Missarum solemniis Romae caneretur; cani autem coepit una cum particula *Filioque.* Sane Photius de hoc ritu siluit, Michael vero Cerularius graeci schismatis instaurator, rom. ecclesiae id crimini vertit.

213. In conciliis oecumenicis lugdunensi et florentino Graeci ad unionem cum ecclesia catholica admissi sunt, postquam tum processionem Spiritus Sancti a Patre ac Filio admiserunt, et legitimum esse additamentum symbolo a Latinis factum sunt professi. Verum, prout fert Graecorum indoles, agente potissimum turbulento Marco ephesino, cito ipsi ad schisma iterum deflexere. Adversus catholicum dogma praeter Theophanem Propocowiez apostatam nostrum, scripsit novissime Philaret, actualis moscovita metropolita.

214. Nostri igitur muneris est prius catholicam adstruere veritatem, deinde latinam vindicare ecclesiam ob adjectam symbolo particulam *Filioque.*

PROPOSITIO I.

Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit.

215. De fide haec propositio est: concilium enim lugdun. II. sub b. Gregorio X. eam his verbis definivit: *Credimus et Spiritum S. . . ex Patre Filioque procedentem;* ac iterum conc. florentinum: *Definimus . . . quod Spiritus S. ex Patre et Filio aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit.*

216. Sic vero primum ex sacris litteris hoc dogma evincimus: Christus ita de Spiritu S. loquitur [1]: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.* Unde sic: Ille in divinis non solum a Patre sed et a Filio tamquam a communi ac unico principio procedere dicendus est, qui de eo accipit, et ideo accipit, quia Filius omnia cum Patre communia habet; atqui talis est ex verbis Christi Spiritus Sanctus. Ergo tum a Patre tum a Filio tamquam ab unico principio Spiritus Sanctus procedit. Hunc porro sensum verborum Christi antiquissimae versiones mirifice confirmant: etenim syriaca sic refert Christi verba: *Ipse glorificabit me, quippe de meo accipiet. . . Quidquid habet Pater meus, meum est: propterea dixi vobis: ex meo accipiet.* Persica: *Et ille est, qui me glorificabit, propterea quod a me accipiet.* Arabica demum: *Et ille me glorificabit, nam accipiet de eo, quod meum est.* Quae idem significant, nempe ideo Spiritum Sanctum accipere a Filio, quia, quod habet Filius, a Patre habet, sed Filius habet

[1]) Joann. XVI. 13 seqq.

a Patre per generationem substantiam, ergo hanc substantiam, quae identica est in Patre et Filio, accipit Spiritus Sanctus, adeoque sicut a Patre, sic a Filio procedit.

217. Hinc Spiritus S. a Filio missus perhibetur.[2] Ejusmodi autem missio in origine necessario fundatur in divinis, nec enim potest esse missio, quae dependentiam importet, nec in natura in se spectata, neque in imperio, ergo ratione originis est. Quapropter Spiritus S. vocatur *Spiritus veritatis,* quae Filius est; *Spiritus Christi,* Rom. VIII. 9; *Spiritus Filii,* Gal. IV. 6.

218. Nec alia fuit utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis fides. De occidentali nullum dubium esse potest, ut patet ex monothelitarum et iconomachorum hac de causa objurgationibus adversus ecclesiam latinam. Primi enim, uti testatur s. Maximus in Epist. ad Marinum Cyprium, reprehenderunt in Epistola synodica s. Martini, *quia dixit procedere etiam ex Filio Spiritum Sanctum;* posteriores, teste Adone viennensi in Chronico, synodum celebravere, et *quaestio ventilata est inter Graecos et Romanos de Trinitate, et utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio.*

219. Quod attinet ad orientalem non minus id luculenter constat. Scribens siquidem Hormisdas rom. pontifex anno 521. ad imperat. Justinum, ait: *Notum est . . . proprium Spiritus Sancti ut de Patre et Filio procederet sub una substantia deitatis.* Epistola haec vulgatissima fuit apud Graecos nec aliquis movit querelam, etsi dicat: *Notum est.* Ante id tempus synodus ephesina oecumenica non solum improbavit symbolum nestoriani Charisii, in quo dicebatur de Spiritu Sancto: *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium existentiam habere*, sed probavit anathematismos s. Cyrilli cum suis declarationibus, et epistolam synodicam ex nomine ecclesiae alexandrinae datam adversus Nestorium, in qua dicebatur: *Non est alienus* (Spiritus S.) *ab eo* (Filio); *Spiritus enim veritatis nominatur, et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit.* Et in anathematismo IX. Spiritum S. vocat *proprium Filii,* in ejusdem vero declarationibus adjecit: *Qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest.* Plenus proinde extitit utriusque ecclesiae circa hunc articulum consensus, nec ei, ut vidimus, refragati sunt nisi pauci obscurique haeretici absque ullo successu.

220. Hujus praeterea consensus testes sunt utriusque ecclesiae Patres. Ex latinis enim s. Hilarius scribit[3], Spiritum S. esse *ex Patre et Filio auctoribus;* et alibi passim. Spiritum S. *a Patre Filioque* procedere conceptis verbis docet s. Ambrosius[4], S. Augustinus eum dicit *Spiritum amborum.*[5] S. Leo M. inquit[6]: *Qui de utroque processit;* ut omittam Gennadium, s. Fulgentium, auctorem symboli athanasiani, s. Gregorium Magnum, caeterosque insequentes.

221. Ex graecis eminent s. Athanasius, qui scribit[7]: *Est Filius fons*

[2]) Joann. XVI. 7.
[3]) *De Trinit.* lib. II. n. 4.
[4]) Lib. I. *De Spiritu S.* cap. XI. n. 120.
[5]) *De Trinit.* lib. XV. cap. 7.
[6]) *Ep.* IV. *ad Turribium,* cap. 1.
[7]) Lib. *De Trinit.* n. 19.

Spiritus Sancti, et iterum [8]: *Ipse* (Filius), inquit, *dat Spiritui, et quaecumque Spiritus habet, haec a Verbo habet.* S. Basilius, qui haec scribit [9]: *Quia et Spiritus Christi dicitur... Denique tamquam Paracletus in se ipso exprimit Paracleti, a quo missus est, bonitatem, et in sua propria dignitate ejus, a quo processit, majestatem exhibet.* S. Jo. Chrysostomus, qui comparat Spiritum S. aquae ex fonte, qui Christus est, profluenti, concluditque [10]: *Ob id etiam ex Patre procedit.* S. Epiphanius, qui ait [11]: *Et Dei Spiritus a Christo, utpote qui ab utroque procedit, id quod Christus ipse testatur: qui a Patre procedit, inquit, et hic de meo accipiet.* Didymus, qui sic Christum de Spiritu S. loquentem inducit [12]: *Quia non ex se est, sed ex Patre et me est;* et haec sufficiant, ut pateat latinis Patribus graecos Patres circa hunc articulum plane consentientes esse.

222. Sed juverit hoc ipsum confirmare ex ipsa haereticorum agendi ratione. Ariani enim ac macedoniani 1°. ex receptissima in ecclesia doctrina de processione Spiritus S. a Patre et Filio occasionem nacti sunt asserendi Spiritum S. a Filio procreatum esse; 2°. Macedoniani praeterea ex eodem principio sic adversus catholicam doctrinam argumentabantur apud s. Athanasium [13]: *Si Filii dicatur esse Spiritus, Pater ergo avus est Spiritus Sancti,* prout et argumentabatur Eunomius ad tertiam Spiritus S. naturam adstruendam apud s. Basilium in lib. III. adversus eumdem, qui, admissa traditionis auctoritate quod Spiritus S. sit ordine tertius, pergit: *Nam dignitate secundum esse a Filio, ut qui esse ab illo habeat,* et *ab ipso accipiat ... pietatis sermo tradit.*

223. Quae cum ita se habeant, aut dicendum ecclesiam universam errasse, aut errare graecos, qui ab avita ecclesiae doctrina defecerunt.

DIFFICULTATES.

224. I. Obj. 1. Semel Christus locutus est de Spiritus S. processione, Joann. XV. 26; atque a Patre illum plane procedere testatur dicens: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* 2. *Acutum hoc telum* non effugiunt Latini testimoniis, quae ipsi pro sua sententia allegare solent; Christus enim quo sensu dixerit: *Mittam vobis Spiritum Sanctum*, declarat dicens: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis,* nempe de *missione morali* rogando, non de *missione physica* spirando locutus est. 3. Sic cum ait: *Ille de meo accipiet et annunciabit vobis,* contextus ostendit se id dixisse de sua doctrina, quam tunc intelligere nequibant discipuli ejus, prout exposuit vel ipse Maldonatus, suam confirmans interpretationem ex tempore futuro: *De meo accipiet.* 4. Nec magis proficiunt ex verbis illis: *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt,* quae si ad vivum resecarentur, evincerent Filium pariter gigni

[8]) *Orat.* III. *contra Arianos,* n. 25.
[9]) *De Spir. S.* cap. 18.
[10]) Apud Petav. *De Trin.* lib. VIII. c. 4. n. 4.
[11]) *Anchorat.* n. 67.
[12]) Lib. *De Spiritu Sancto,* n. 34.
[13]) *Epistol. ad Serapionem,* n. 15.

a Spiritu Sancto, cum in Filii generatione nulla intercedat Patrem inter et Spiritum S. relativa oppositio, quod tamen a fide alienum est. 5. Demum non intelligitur, quare si Spiritus S. etiam a Filio procederet, Christus, qui dixit eum procedere a Patre, non adjecerit quoque et a se procedere. Ergo.

225. Resp. Ad 1. *D.* Testatur Christus Spiritum S. procedere a Patre in sensu inclusivo Filii, *C.* in sensu exclusivo, *N.* Hoc ipso enim quod Christus saepe professus fuerit se unum esse cum Patre suo, dicens Spiritum S. a Patre procedere, a se quoque procedere testatur: praesertim cum id postea aperte declaraverit, dicendo Spiritum S. a se missum iri, et de suo accepturum, quia omnia, quae sunt Patris, sua quoque essent. Ideo vero hic meminit Christus solius Patris, vel ut ostenderet Patrem processionis ejus *esse auctorem, qui talem Filium genuit, et gignendo dedit ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus,* uti exponit s. Augustinus [14], vel uti placuit s. Cyrillo, ut ostenderet identitatem substantiae Patris ac Filii. Sane quamvis antiqui Patres graeci eadem verba legerint, tamen, ut vidimus, non ideo abnuerunt Spiritus Sancti processionem a Patre ac Filio profiteri.

226. Ad 2. Resp. non satis acutum esse ejusmodi telum, ut vidimus; caeterum ad prob. *D.* Christus loquitur de missione physica simul et morali, *C.* de morali tantum, *N.* Loquitur enim Christus ut Deus ac proinde de missione physica, cum dicit: *Mittam vobis Spiritum Sanctum;* loquitur ut homo, ac propterea de missione morali cum addit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Sic optime utraque missio simul consistit, nec altera cum altera confunditur, uti graeci ambas confundunt.

227. Ad 3. *D.* De doctrina loquitur seu scientia essentiali, *C.* de doctrina accidentali, seu prout exterius a Christo manifestata est discipulis suis, *N.* Absurdum enim est Spiritum S. accepisse seu didicisse a Christo docente apostolos suos. Porro doctrina seu scientia essentialis ipsa est divina substantia, si proinde Spiritus S. a Christo scientiam seu doctrinam accepit, accepit et essentiam, adeoque ab ipso procedit. Praesertim cum Christus affirmat se ideo dixisse Spiritum S. de suo accipere, quia *omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt.* Nec refert Christum in futuro locutum esse, tum quia in aeternitate nulla successio est, tum quia Christus alludit illis verbis ad externam futuram Spiritus S. processionem, quae in interiori fundatur. Atque hac ratione solvitur Maldonati difficultas.

228. Ad 4. *D.* Id sequeretur, si Spiritus S. non esset in processionis ordine secundus, *C.* si talis sit, N. Jam vero uti ex Baptismi formula constat ac fidei professionibus omnibus, Spiritus S. tertia ordine persona est, adeoque secunda in ordine processionis; fieri proinde non potest ut Filius, qui in hoc ordine primus est, gignatur a Spiritu S.

229. Ad 5. Resp. nostrum non esse in rationes inquirere, ob quas Christus his potius vel aliis verbis uti voluerit; satis nobis est ostendisse Christum hanc veritatem docuisse. Ad summum ex hoc sequeretur in Scri-

[14]) *Contr. Maximinum,* lib. II. cap. 14. n. 1.

pturarum dogmatica interpretatione non privatum sensum, sed ecclesiae magisterium et sensum traditionalem nos sectari debere, ut graeci ipsi fatentur.

230. II. Obj. Antiquae ecclesiae fidei testis est ineluctabilis synodus constantinopolitana, 1. quae in symbolo quod adhuc ecclesia canit, nos profiteri jubet *Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit.* 2. Testis est Theodoretus, qui illico impugnavit Cyrillum vocantem Spiritum S. *proprium Filii,* quin hic quidpiam reposuerit, adeoque Theodoretus perrexit eamdem doctrinam profiteri. 3. Testis est communis loquendi ratio apud Patres recepta, ut Spiritus S. diceretur procedere *a Patre per Filium.* 4. Immo s. Athanasius tum in *Refutat. hypocris. Meletii*, tum in *Quaest. sacris* testatus est Spiritum S. *a solo Patre* procedere. 5. His innixis s. Joannes damascenus, scribit [15]: *Spiritum S. et ex Patre esse dicimus, et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum nominamus.* 6. Hinc neque Theodorus Mopsuestenus, neque Theodoretus, aut Photius hac de causa damnati sunt. Ergo.

231. Resp. Ad 1. *D.* Objecta verba inseruit synodus constantinopolitana, ut sese directe opponeret macedonianis docentibus Spiritum S. a solo Filio procedere, seu potius esse factum, *C.* ut excluderet processionem etiam a Filio, *N.* Nam macedoniani utpote ab arianis profecti, qui Filium Patris creaturam esse docebant, et ipsi docuerunt Spiritum S. facturam seu creaturam Filii esse, quam blasphemiam exsecrans synodus adjecit symbolo verba, quibus Spiritum S. a Patre procedere significaret. Quod et Patres reliqui deinceps hac ipsa de causa praestare solliciti fuerunt.

232. Ad 2. *D.* Theodoretus impugnavit s. Cyrillum errore facti deceptus, *C.* in sensu catholico, *N.* Odio in Cyrillum non parum exaestuans Theodoretus, ratus quod sicut in caeteris, sic et in hoc Apollinaris erroribus fuerit implicatus, ideo censuit Cyrillum ex hujus haeretici, immo et Macedonii placitis docuisse Spiritum S. *proprium Filii* esse. En ejus verba ex *Epist. ad Monasteria* scripta adversus s. Cyrilli anathematismos: *Blasphemat vero* Cyrillus *et Spiritum S. non ex Patre ipsum procedere dicens, secundum Domini vocem, sed ex Filio esse. Iste vero Apollinaris seminum fructus est: propinquat vero et Macedonii malignae culturae.* Et haec ratio est quare nec Cyrillus institerit, nec Theodoretus in falsi dogmatis propterea suspicionem venerit. Caeterum ejus epistola damnata est in quinta synodo.

233. Ad 3. *D.* Et haec formula *per Filium* eumdem referebat sensum ac *ex Filio, C.* alium, *N.* Hac enim formula expensa, Patres florentini, graeci scilicet ac latini, declararunt: *Quod id quod sancti Patres et Doctores dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum graecos quidem causam, secundum latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti sicut et Patrem.* Sane s. Gregorius nazianzenus, s. Cyrillus ac s. Epiphanius modo

[15]) ***De fide orthodoxa,*** lib. I. cap. 8.

dicunt *ex Filio*, modo *per Filium*, prout et in Scripturis promiscue hae voces usurpantur.

234. Ad 4. *Neg.* Primum enim opusculum a criticis inter dubia, alterum vero inter spuria recensetur.

235. Ad 5. *D. Negat* s. Joannes damascenus Spiritum S. procedere ex Filio tamquam *causa procatarctica* seu *ab origine sine origine*, cujusmodi est solus Pater, *C.* simpliciter, *N.* Talem esse sensum s. Joannis damasceni exponunt ipsi doctores Graeci, Manuel Calecas, cap. XXXIX; Demetrius, *De Process. Spiritus S.;* Bessarion, in *Orat. Dogmat.* cap. VI; atque ex ipso Joanne damasceno, qui, explicans se ipsum in cap. *De divinis nominibus*, scribit Patrem *per Filium producere manifestantem Spiritum;* et iterum: *Spiritum autem Filii, non tamquam ex ipso, sed tamquam per ipsum ex Patre procedentem;* et in *Epist. de hymno trisagio*, n. 28. aeternam Spiritus S. processionem his verbis enunciat: *Spiritus Sanctus est ex Patre, siquidem per Filium procedit, non tamen filiationis more;* ut alia omittamus. Patet igitur illa particula *ex* s. Joannem damascenum significare voluisse originem primam, ex qua omnis processio provenit sive Filii, sive Spiritus Sancti, quo sensu profecto nonnisi a Patre repeti potest processio Spiritus Sancti.

236. Ad 6. *D.* Expresse seu directe hac de causa damnati non sunt recensiti auctores, quia hic non fuit praecipuus illorum error, *Tr.* vel *C.* implicite ac indirecte ob hunc etiam errorem, *N.* Theodori enim Mopsuesteni symbolum a Charisio concilio ephesino oblatum, nec non scripta Theodoreti contra s. Cyrillum reipsa repudiata sunt in conc. chalcedonensi, ac rursum expresse damnata in concilio oecumenico V. Sed et ipse Theodoretus haec scripta sua improbavit suscipiendo epistolas synodicas s. Cyrilli. Quod vero speciatim ad Photium attinet, ipse damnatus fuit praecipue ob ejus schisma, ad quod tollendum concilium VIII. congregatum est.

237. III. Obj. Si Spiritus S. etiam a Filio procederet, sequeretur 1. ipsum a duplici spiratione dimanare; 2. Patris posse appellari nepotem; 3. magis a Patre quam a Filio distare; 4. prius genitum Filium, quam illum spiratum; 5. Filium esse supervacaneum Spiritus Sancti principium, aut Patrem non fuisse principium sufficiens ad eum spirandum. Ergo.

238. Resp. *Neg. Ant.* quoad omnes partes; quia cum agitur de veritate a Deo revelata, quae comminiscitur humana ratio, ex se evanescunt. Et reipsa:

239. Non sequitur 1. Siquidem, cum nulla in spiratione sit realis oppositio inter Patrem et Filium, Spiritus S. ab utroque tamquam ab uno eodemque principio procedit, uti aqua ex fonte et rivo in lacum dimanans; Spiritus enim Sanctus procedit a divina substantia subsistente in Patre et Filio.

240. Non sequitur quod 2, 3 et 4 loco objectum est; nam spiratio coaeterna est ac immediata tam a Patre quam a Filio, qui per modum unius ejusdemque principii Spiritum S. spirant, nec nisi ordine alia persona prior altera dicitur; hinc fit, ut neque Spiritus S. appellari possit nepos, neque magis a Patre quam a Filio distans dici, neque Filio posterior.

241. Non sequitur 5. eadem ratione, qua non sequitur Filium et Spiritum S. non esse unum eumdemque creatorem cum Patre, etsi Pater dici posset sufficiens principium seu causa creationis, quia una eademque est omnipotentia in tribus personis. Haec sequela supponit quod falsum et alienum a fide est, nempe Patrem spectari posse sine Filio. Ergo si Pater spirat Spiritum Sanctum, necessario spirat cum Filio.

PROPOSITIO II.

Immerito Graeci ecclesiam latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particulae Filioque.

242. Graecis ac Latinis consentientibus in concilio florentino statutum fuit, Sess. XXV: *Explicationem verborum illorum, filioque, veritatis declarandae gratia, imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.* Jamdiu pariter in conc. lugdunensi II. anno 1274. a Graecis ac Latinis intra Missarum solemnia symbolum decantatum est cum additamento *Filioque* ad publicam patefaciendam utriusque ecclesiae concordiam. Post haec patet nonnisi injuste Graecos jam hac de causa succensere Latinis posse.

243. Ad tollendam nihilominus quamvis cavillandi causam sic assertae propositionis veritatem adstruimus: Si qua ratio foret culpandi ecclesiam latinam ob insertam symbolo ejusmodi particulam, haec esset decretum concilii ephesini id vetantis; nulla enim alia ratio a Graecis profertur aut proferri potest. Jam vero haec ratio nulla est.

244. Etenim si spectetur motivum memorati decreti et ejusdem decreti tenor, patebit nullo modo concilium sibi proposuisse prohibere ejusmodi fidei declarationes. Motivum siquidem, quo permota est synodus ad suum decretum edendum, fuit symbolum a Charisio presbytero oblatum nestorianis erroribus inspersum, quo plures decepti fuerant. Hoc enim recitato, synodus ad omnem in posterum seductioni viam intercipiendam decretum emisit, Act. VI. his verbis conceptum: *Statuit sancta synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a sanctis Patribus, qui in nicaena synodo cum Spiritu S. congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, aut offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex judaismo, sive ex qualicumque haeresi; hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clericatu decrevit: si vero laici fuerint, anathemati subjici.*

245. Porro si per *alteram fidem* ephesina synodus significavit fidem contrariam aut diversam a fide catholica, ut plures sentiunt, liquet eam minime prohibuisse, quominus justa de causa possit symbolo adjici hujusce orthodoxae fidei declaratio. Quod si per *alteram fidem* intendit synodus ulteriorem fidei formulam vel declarationem significare, ex ipsius decreti verbis patet decretum hoc solum afficere privata individua non autem integras

ecclesias, multo vero minus ecclesiam universam, alioquin Orientales ac Graeci ipsi primi fuissent hujusce decreti violatores.

246. Etenim concilium chalcedonense quod immediate post ephesinum celebratum est, additamentum probavit a Patribus constantinopolitanis symbolo nicaeno factum *propter illos qui Spiritui S. repugnabant*, et ita auctum symbolum recepit, et quod nondum hactenus factum fuerat, in communem totius ecclesiae usum deduxit.

247. Insuper, non obstante ephesino decreto, peculiares viguerunt fidei formulae *antiochena*, *hierosolymitana* ac *philadelphiensis* ab utroque symbolo discrepantes, quin quispiam reclamaverit tamquam de violata lege ephesina.

248. Licitum praeterea sibi duxerunt, decreto illo non obstante, orientales ob novas exortas haereses monothelitarum praesertim et iconomachorum novas prolixioresque fidei formulas condere ac declarationes ulteriores adjicere ad praemuniendos ab illis erroribus fideles. Ut inter caeteros praestitit Tharasius episcopus constantinopolitanus, qui fidei formulam misit ad Patriarchas, hoc additamento: *Et in Spiritum S. Dominum vivificantem qui ex Patre per Filium procedit*, nempe juxta dicta *ex Filio*.

249. Demum in consecratione episcoporum Graeci tres fidei professiones ad instar symboli emittunt, seu ipsum symbolum constantinopolitanum pluribus adjectionibus recitant locupletatum.

250. Jam vero si Orientalibus ac Graecis ipsis ita licuit legem ephesinam interpretari ac in praxim deducere, cur eodem jure frui non potuit ecclesia romana cum caeteris occidentalibus ecclesiis, gravi adeo urgente necessitate, qualem esse vidimus quae in Hispaniis et Galliis viguit respectu arianorum et iconomachorum? Certe numquam Graeci illarum regionum ecclesiis ejusmodi additamentum symbolo insertum exprobrarunt, aut ea de causa se ab illarum communione separarunt; cur itaque nunc hanc causam obtendunt, quare ab ecclesia romana defecerint, cum haec omnium novissima illud additamentum uniformitatis gratia admiserit? Multo vero minus eam obtendere nunc possunt, postquam scilicet in duobus oecumenicis conciliis, Graecis assentientibus, ratum ac licitum illud additamentum declaratum et dictis et factis est.

251. Immerito igitur Graeci, sub quovis respectu disciplinaris ephesina sanctio spectetur, ecclesiam latinam corrupti symboli ob adjectam particulam *Filioque* insimulant.

DIFFICULTATES.

252. Obj. 1. Ephesina sanctio totius ecclesiae est; ergo nonnisi ab universa ecclesia ei derogari potuit; 2. jure proinde conc. chalcedonense utpote ecclesiam universam repraesentans illi derogavit; 3. fidei formulae, quae in contrarium adducuntur, non fuerunt toti ecclesiae propositae, sed ecclesiis particularibus inserviebant; 4. haec ratio est quare additamentum injectum symbolo ab ecclesiis hispanicis, gallicis aut germanicis toleraverint Graeci,

reclamaverint autem, cum rom. pontifices illud toti ecclesiae commune efficere voluerunt; 5. hoc sane sibi non licere patefecit exemplo suo Leo III. qui cum curasset symbolum *pro amore et cautela orthodoxae fidei* duobus argenteis scutis incidi, ut refert Anastasius bibliothecarius, sine illa particula *Filioque* descriptum est; 6. idque merito, cum nefas sit verbis dominicis, quibus usi sunt constantinopolitani Patres quidpiam interserere; 7. et nequeat unus rom. pontifex absque caeterorum patriarcharum consilio quidpiam symbolo communi auctoritate sancito adjicere. Ergo.

253. Resp. Ad 1. *D.* Si lata esset ejusmodi lex eo fine, ut omnes sive ecclesias sive individua obligaret, *Tr.* si ut sola particularia individua obligaret, *N.* Transmisimus primum membrum, cum constet sanctiones disciplinares conciliorum etiam oecumenicorum, gravi praesertim intercedente causa, modificationi supremi ecclesiae capitis, cujusmodi est summus pontifex, subesse. Caeterum uti ostendimus, sanctio illa non afficiebat nisi particularia individua, non autem ecclesias, prout de facto intellexerunt illam etiam ipsi Graeci; ac demum duo oecumenica concilia eidem derogarunt in casu, de quo agimus.

254. Ad 2. *D.* Eodem nempe jure, quo concilia lugdunense et florentinum eidem derogarunt, *C.* alio sensu, *N.*

255. Ad 3. *Neg.* Sed ex illis patefit, quo sensu ecclesiae illae acceperint ephesinum statutum, quod non distinxit inter ecclesiam universam et ecclesias particulares, alioquin caeterae illis obstitissent.

256. Ad 4. *Neg.* Vera enim ratio, quare Graeci non obstiterint ecclesiis hispanicis, gallicis, germanicis atque italicis est, quia ita intellexerant sanctionem ephesinam, obstiterunt vero rom. pontifici, quia hic titulum *patriarchae oecumenici* denegaverat Michaeli Cerulario quem et anathemate perculit, qui proinde inter caeteras causas instaurandi photianum schisma et hanc praetexuit additamenti symbolo facti.

257. Ad 5. *D.* Ita se gessit Leo III. pacis et oeconomiae gratia, *C.* quasi illicitum sibi censuerit clausulam illam symbolo adjicere, *N.* Alioquin omnes ecclesias eam expungere jussisset. Ideo vero Anastasius refert Leonem voluisse symbolum scutis argenteis describi *pro amore et cautela orthodoxae fidei,* quia integritati fidei consultum hac ratione voluit. Omissum porro est additamentum *Filioque,* quia nondum ab ecclesia romana adoptatum fuerat.

258. Ad 6. *Nego* Patres constantinopolitanos eadem Christi verba symbolo inseruisse, mutarunt enim particulam *παρά*, scilicet *a*, in *ἐξ*, *ex;* tum tempus *ἐκπορεύεται*, *procedit*, in participium *ἐκπορευόμενον*, *procedentem;* atque idcirco licuit etiam ecclesiae latinae inserere vocem *Filioque* ad catholicam fidem declarandam, prout a Tharasio aliisque orientalibus jamdiu praestitum fuerat.

259. Ad 7. *Neg.* Ut patet ex resp. ad 1. Nunc addo nec potuisse rom. pontificem in consilium adsciscere patriarchas orientales, qui et a fide in hoc articulo defecerant, et schismatici erant. Accedit, quod Patres

constantinopolitani plura adjecerint symbolo nicaeno, non consulto rom. pontifice, aut episcopis occidentalibus, adeoque eodem jure usae sunt tum ecclesiae occidentales tum peculiaris ipsarum patriarcha rom. pontifex. Ad summum ex hoc sequeretur non decuisse rom. pontificem obligare ecclesias orientales ad ejusmodi additamentum admittendum absque patriarcharum consilio, prout reipsa facta est libera illis facultas illud omittendi in utroque concilio lugdunensi et florentino, confirmavitque Clemens VIII. in peculiari sua Constitutione quoad Graecos unitos.

CAPUT VI.

AD EA, QUAE DICTA SUNT, SCHOLIA COMPLECTENS.

260. Ne filum disputationis abrumpere cogeremur, quae ulteriorem expositionem exigere videbantur circa ea, quae ad augustissimum Trinitatis mysterium spectant, huc eadem reservavimus, ut sic pleniorem auditores cognitionem haurire possent ad apte de hoc mysterio disserendum. Complexi porro id sumus nonnullis scholiis, quae jam subjicimus.

SCHOLION I.

261. Atque ut a processionibus et relationibus exordiamur, duae sunt processiones admittendae, *generatio* et *processio* simpliciter dicta, et quatuor relationes, *Paternitas, Filiatio, Spiratio activa* et *Spiratio passiva.* Duas siquidem processiones ac origines dari Scriptura testatur, quae Filium *genitum* a Patre docet[1]; et Spiritum S. *procedentem* a Patre.[2] Patris nulla est origo, sed ipse est fons supremus caeterarum originum, qui propterea a Graecis, uti suo loco diximus, vocatur *causa procatarctica,* a Latinis vero *principium summum;* hinc Pater dicitur *ingenitus, improductus* et *innascibilis.*

262. Fiunt autem processiones per actiones, quae dicuntur *immanentes,* seu quae intimae sunt Deo ac in ipso manent ad illarum discrimen, quae *transeuntes* vocantur, quaeque respectu termini, extra Deum sunt, nempe creaturae. Actiones immanentes ex theologorum doctrina duae sunt, *intelligere* et *velle.*

263. Exinde plerique theologi inferunt principium proximum processionum esse *intellectum* et *voluntatem,* quatenus proprietates *notionales* sunt. Certe Scripturae ac Patres passim Filium *Verbum* et *Sapientiam* vocant, quae spectant ad intellectum; Spiritum vero Sanctum *Amorem, Caritatem, Gratiam,* quae quidem sunt voluntatis. Cum igitur Filius sit terminus adaequatus divini intellectus, utpote qui eum exhauriat, prout et Spiritus S. qui totam exhaurit voluntatis foecunditatem, divinae voluntatis terminus est adaequatus; hinc concludunt nonnisi duas esse posse processiones. Ita quidem communiter theologi, quibus tamen alii refragantur; agitur enim de eo, quod fides reliquit liberum circa modum explicandi tanti mysterii.

[1]) Ps. II. 7. [2]) Joann. XV. 17.

264. Salva itidem fide, theologi diversas tenent sententias in ratione exponenda, quare Filii processio sit generatio, non item vero Spiritus Sancti. Alii enim cum s. Thoma [3] inter utramque discrimen repetunt a *modo* originum. Cum generatio sit *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae,* ad eam requiritur, ut geniti origo sit a gignente per actionem, quae communicet similitudinem naturae; cum vero processio non dicat nisi emanationem unius ex altero, et voluntas ad amandam rem non autem ad inducendam rei similitudinem sit ordinata, fit ut Verbi processio sit generatio, non autem Spiritus S. qui est caritas et est ex voluntate. Alii vero cum s. Augustino sentiunt solum Filium esse genitum, quia solus ab uno Patre procedit, cum nullus Filius duos possit habere patres. S. Anselmus diversas sententias conciliare simul adnititur. [4] Ast satius videtur fateri cum s. Gregorio nazianzeno tum generationem Verbi tum processionem Spiritus S. honorandas potius esse quam investigandas utpote ineffabiles. Illud solum adjicere praestat, quod quamvis duae hae processiones distinguantur respectu termini, idem tamen sunt respectu principii.

SCHOLION II.

265. Proprietates, quibus singulae personae gaudent, vocantur *notiones.* Adeoque notio est character, tessera seu nota singularis, qua divina quaeque persona internoscitur. Proprietas tamen, relatio ac notio una eademque divina res sunt. *Proprietas,* quatenus est *Paternitas,* soli Patri competit; *relatio*, quatenus respicit Filium; *notio*, quatenus Patrem constituit et a Filio discernit. Notiones quinque numerantur a theologis: *Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio passiva, et Innascibilitas.* Quatuor priores cum se mutuo respiciant, ideo etiam relationes dicuntur, non item vero, si presse sumatur *innascibilitas.* In Deo igitur *natura* est una, *processiones* duae, *personae* tres, *relationes* quatuor, *notiones* quinque sunt.

266. Disputant theologi utrum relationes dici debeant nec ne perfectiones; alii enim affirmant, alii negant. Disceptatio videtur potius de voce quam de re. Quaecumque demum sententia admittatur, illud pro certo habendum est, quod si dicantur esse perfectiones, per quas altera ab altera persona distinguitur, non ideo personas singulas destitui ea perfectione, qua alia gaudet, quia etsi non habeat immediate, prout persona est, habet tamen mediate ratione ejusdem naturae, quae eadem in tribus et in singulis personis est.

267. Sunt autem ejusmodi relationes in Deo verae ac reales, alioquin personae realiter ab invicem non distinguerentur, secus ac fides docet. Si enim ratione naturae unum sunt, debent personae tres realiter esse per reales relationes, prout ipsarum nomina important; ac proinde Pater vere et realiter est Pater, sicut et Filius, et Spiritus S.

[3]) Part. I. qu. XXVII. art. 4.

[4]) *Monolog.* lib. I. cap. 57.

SCHOLION III.

268. *Circumsessio*, seu ut ab aliis dicitur, *circuminsessio* seu *commeatio* illa proprietas est, per quam divinae personae ratione identitatis naturae secum invicem communicant, definiri autem solet: *Intima existentia unius personae in altera, sine confusione personae seu personalitatis.* Quo sensu s. Fulgentius scribebat [5]: *Totus Pater in Filio et Spiritu S. est; et totus Filius in Patre et Spiritu S. est; totusque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est.* Ad hanc proprietatem referuntur Christi verba [6]: *Ego in Patre et Pater in me est.* S. Thomas exponit id triplici ratione contingere [7], *essentia* quae eadem est, *relatione* qua simul consistunt relativi termini, *origine* qua una persona ab altera emanat per processionem ad intra. Ejusmodi proprietas valde confert tum ad personarum distinctionem, tum ad earum consubstantialitatem constabiliendam.

SCHOLION IV.

269. *Missio* est *processio unius personae ab alia cum ordine ad terminum.* Missio prout dicit processionem, aeterna ac immutabilis est utpote necessaria et ad intra; prout dicit terminum, temporalis esse potest, gratuita et libera. De missione sub utroque respectu locutus est Christus [8]: *Ego ex Deo processi et veni, neque enim a me ipso veni; sed ille me misit.* Jamdiu observaverat s. Augustinus [9]: *Pater solus numquam legitur missus*, quia videlicet a nullo procedit. Si mittentis nomine principium designetur personae quae mittitur, uti animadvertit s. Thomas [10], tunc illa sola intelligitur mittere, quae personae missae principium est, sic Filius a solo Patre mittitur, Spiritus S. autem a Patre et Filio; quod si mittentis nomine significetur principium effectus, secundum quem attenditur missio, a tota Trinitate persona missa dicenda est: uti Filius qui Is. XLVIII. 16. missus perhibetur a Patre et Spiritu S. *Dominus misit me et Spiritus ejus.*

SCHOLION V.

270. Ut ratio accurate servetur cum de hoc mysterio disseritur, theologi plures solent regulas tradere, ex quibus nos hic praecipuas seligemus: *Unius* aut *unitatis* vocabula usurpantur ad essentiae unitatem significandam. Si tamen *unius* vox in masculino genere adhibeatur, refertur ad personam non ad naturam, hinc nisi adjiciatur vox *Deus*, dici nequit *Trinitas est unus*, alioquin propositio *sabelliana* evaderet. Idcirco cum de personis sermo est, debet dici *alius* et *alius*, non autem *aliud* et *aliud;* cum enim neutrum genus adhibeatur in ordine ad naturam, si diceretur *Pater est aliud a Filio*, propositio foret *ariana.* Magis idonea theologis videtur vox *unitatis* quam

[5]) ***De fide***, cap. 1. n. 4.
[6]) Joann. XIV. 11.
[7]) Part. I. qu. 2. art. 3.
[8]) Joann. VIII. 42.
[9]) ***De Trinit.*** lib. II. cap. 5.
[10]) Part. I. qu. 43. art. 8.

unionis ad significandam trium personarum naturae identitatem. Si res sit adversus christianos, praestat Deum unum vocare quam *unicum, singularem, solitarium,* prout facere consueverunt sociniani, qui proinde *unitarii* appellantur; si vero adversus polytheistas, perinde est eum *unum* ac *unicum* dicere, quia haec vox refertur ad naturam, quae reipsa *unica* numero est. Ex hac perfectissima divinae substantiae unitate in tribus personis, factum est, ut Deus *unum* aut *unus Deus*, aut *Trinitas unus Deus* diceretur, prout dicitur *Trinitas est Deus,* et promiscue *tres personae sunt Deus*, vel *Deus est Trinitas,* vel *Deus est personae tres.*

271. *Trinitas* idem est ac *ternarius* vel *ternio,* et ad collectionem personarum refertur. Usus obtinuit ut dicatur *Deus trinus* non *triplex,* si de personis sermo sit, possunt dici personae *trinae* aut persona *triplex.* In Deo dici nequit esse tres res, tria entia, tres unitates etc., nisi adjiciatur *relativas;* nullo vero modo asseri potest tria esse *individua,* cum haec vox ad naturam *specie* unam, non autem *numero,* cujusmodi Dei est, referatur.

272. Nomina essentialia in abstracto non possunt supponere pro personis divinis; adeoque dici nequit *essentia generat* aut *generatur,* prout etiam definivit conc. lateranense IV. Prout vero nomina essentialia concreta sumuntur, nisi adjiciatur attributum, sive proprietas notionalis, supponunt pro natura subsistente in tribus personis, uti cum dicitur: *Deus creat;* si autem proprietas notionalis adjiciatur, tunc nomina essentialia concreta supponere possunt modo pro una, modo pro duabus personis, ut cum dicitur: *Deus generat, Deus spirat.*

273. Merito synodus pistoriensis castigatur a Pio VI. in Constit. *Auctorem fidei,* eo quod a communi et accurata loquendi ratione recesserit, sive cum asseruit *Deum in tribus personis distingui,* sive cum affirmavit *secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum S.* quasi minus propria esset appellatio *Filii.* Sic jure arguitur Hermesius, dum in sua *Christiana cathol. dogmat.* pag. 470. scripsit Patrem, Filium, et Spiritum S. esse *effectus Dei,* Filium esse *efficientiam Patris seu divinae essentiae;* ortam esse reactionem divinae essentiae in seipsam per *coefficientiam ac Filii,* aliaque ejusmodi, quae non minus a recta loquendi quam a recta sentiendi ratione circa augustissimum hoc Trinitatis mysterium abhorrent.

TRACTATUS

DE DEO CREATORE.

1. Postquam Deum in suis actionibus *ad intra* spectavimus, eumdem prout se creaturis rationalibus manifestat in suis actionibus *ad extra* spectandum assumimus. Tria distinguuntur genera rerum, quibus Deus suam bonitatem communicando gloriam suam nobis manifestare dignatus est. Alia mere spiritualia sunt, ut angeli; alia mere corporea, ut res materiales, quibus hic orbis constat; alia denique mixta, cujusmodi homo est substantia spirituali et corporea coalescens. In tres proinde partes tractationem hanc partiemur, in quarum prima de angelis; in secunda de mundo; in tertia de homine disseremus.

PARS PRIMA.

DE ANGELIS.

2. Pauca sunt, quae Scriptura et traditio nos de angelis docent; eorumdem videlicet existentiam, naturam, officia, gratiam, plurimorum lapsum, poenam, machinationes. Et haec fere capita sunt, de quibus agendum suscipimus adversus incredulos ac rationalistas, qui illa aggrediuntur.

CAPUT I.

DE ANGELORUM EXISTENTIA.

3. *Angeli* nomen, uti Patres observant, officii potius est quam naturae. Quos Graeci *angelos,* Latini *nuncios* appellant, Hebraei *Malachim* aut etiam

Elohim, ethnici passim *genios* aut *daemones* vocant. Angelorum existentiam praeter antiquos sadducaeos impugnant sociniani passim ac rationalistae. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Tum ex Scriptura tum ex traditione universa angelos existere constat.

4. Haec propositio spectat ad fidem, uti ex dicendis constabit. Mirum est potuisse sadducaeos angelorum existentiam inficiari, etsi, ut pluribus placet, illi solum *Pentateuchum* uti divinum admitterent. Frequens enim in libris Moysis angelorum occurrit mentio. Caeteris omissis Genes. XVI. angelus commemoratur, qui Agarem compellat; ibid. XIX. duo angeli Sodomam veniunt, ac Lothum inde educentes, servant; et alibi passim. Quoad reliquos Veteris Testamenti libros sive propheticos sive historicos non vacat ex iis testimonia congerere, cum notissima ea sint. Nec minus frequens angelorum fit mentio in Novo Testamento. Angelus Gabriel primum Zachariae, deinde b. Virgini apparuit, Luc. I. Alter angelus apparuit in somnis Joseph, referente Matthaeo I. Angeli apparent mulieribus ad ipsis annunciandam Christi resurrectionem. Apostolus, Hebr. I. comparat angelos cum Christo, ut illorum inferiorem conditionem commonstret, quos dicit Dei *ministros*. Quapropter jure merito Augustinus affirmat [1]: *Esse angelos novimus ex fide . . . nec inde dubitare fas nobis est.*

5. Omnes populi antiqui ac recentiores in admittenda angelorum, seu substantiarum spiritualium, quae sub Deo sint ac natura hominibus praestantiores, existentia conveniunt. Thales, ut refert Athenagoras [2], trifariam superiores substantias distinxit, *in deos*, *in daemonas*, *et heroas*. Hierocles, ad *Aurea Pythagorae carmina* angelos ab ipso Pythagora *deos immortales* a summo Deo conditos, appellatos fuisse testatur. Socrates, teste Xenophonte, in daemonis seu *genii* custodiam traditum se dictitabat. Plato has substantias tum daemonas, tum *angelos* vocat. Hujus generalis persuasionis fidem facit Tertullianus [3], nec non Cyprianus. [4] Demum angelorum bonorum et malorum conflictus veluti fundamentum theologiae Orientalium est tum veterum tum recentiorum. Historici conveniunt hanc persuasionem vel ad ipsos silvestres Americanos pervenisse.

6. Constat igitur tum Scripturas tum universam traditionem nos certos facere de angelorum existentia.

DIFFICULTATES.

7. Obj. 1. Moyses nuspiam angelos creatos refert. 2. Angelorum nomina *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, nonnisi sub captivitate babylonica innotuerunt, nihil igitur vetat quominus a chaldaeis ad judaeos hanc opinionem de angelorum existentia promanasse dicamus. 3. Eo ipso quod *angelus* nomen

[1]) *Serm.* I. *in Psalm.* CIII.
[2]) *Legat. pro christianis*, n. 23.
[3]) *Apologetic.* cap. 22.
[4]) Lib. *De idolorum vanitate.*

officii est, verisimile est Scripturam *angelorum* nomine homines significasse, qui Dei voluntatem nobis annunciaverunt, prout reipsa Malachias et Joannes Baptista, immo et Christus ipse hac appellatione donati sunt. 4. Quae proinde in Scripturis de angelorum leguntur apparitionibus, metaphorice intelligi debent et ex vulgi opinione, ad Dei omnipotentiam aut efficientiam naturalem significandam, quae utpote vulgo ignota tribuebatur supernaturalibus causis. Ergo.

8. Resp. Ad 1. *D.* Expresse, *Tr.* implicite, *N.* Nam hoc ipso quod Moyses tradit Deum Creatorem coeli et terrae, eumdem Creatorem illorum angelorum exhibet, quorum adeo frequenter meminit. Specialem autem et expressam angelorum creationem non refert, cum ipsi propositum fuerit adspectabilis hujus universi originem describere.

9. Ad 2. Esto; *nego* tamen consequentiam, quae ex antecedente non fluit, cum potuerint ignota esse usque ad id temporis trium illorum angelorum nomina, quin ignoraretur angelorum existentia, prout certum est ex *Pentateucho* aliisque V. Testamenti libris fuisse compertam ante babylonicam captivitatem.

10. Ad 3. *Neg.* Ea siquidem a Scripturis tribuuntur angelis, quae nonnisi substantiis sui generis competere possunt, uti cum Christus respondit Sadducaeis [5], homines in futura resurrectione sicut *angelos* fore; vel cum testatur [6], angelos puerorum semper *videre faciem Patris;* vel cum Apostolus antithesin instituit inter Christum et angelos, et non angelos, sed semen Abrahae apprehendisse dicit. [7]

11. Ad 4. *Neg.* Si enim metaphorice, quaecumque de angelis in Scripturis referuntur, intelligi possent ac de divina *ἐνεργείᾳ*, nihil certi in Scripturis superesset; quae Christus aut Apostolus in adductis locis dicunt, et falsa et sine sensu essent. Rationalistarum proinde *mythica* interpretatio violenta est et Scripturae obvio sensui plane contraria.

12. Inst. Saltem Michaelis nomine intelligendus est ipse Filius Dei, qui variis sub figuris ac symbolis se in V. T. videndum praebuit; ac propterea per analogiam de eodem Filio Dei intelligi possunt, quae de caeterorum angelorum apparitionibus in Scripturis occurrunt, prout Exod. III. 2. *flamma ignis* vocatur angelus Dei, qui Moysen est allocutus.

13. Resp. *Neg.* In Apocalypsi, c. XII. Michael exhibetur pugnans cum dracone, quem virtute Agni, id est, Christi devicit; differt igitur Michael a Filio Dei. Sic Luc. I. 26. Gabriel differt a Christo, quem nunciare venerat ad Mariam. Falsum est Exod. III. *flammam ignis* dictam esse a Moyse angelum Domini, sed hunc plane ab illa distinguit Moyses scribens: *Apparuit illi* (Moysi) *in deserto montis Sina angelus in igne flammae rubi.* Haec excogitata sunt a protestantibus ad impugnandum angelorum cultum.

[5]) Matth. XXII. 30.
[6]) Ibid. XVIII. 10.
[7]) Hebr. I et II.

CAPUT II.

DE NATURA ANGELORUM.

14. Angeli definiri solent *substantiae spirituales completae* ad discrimen animarum nostrarum, quae ordinatae sunt ad informandum corpus, adeoque sine illo sunt *incompletae.* Plerique veterum angelos existimarunt subtili aliquo corpore praeditos. Post concilium lateranense IV. vix non obsolevit ejusmodi opinio. Pluribus tamen heterodoxis et philosophis adhuc ea arrisit sententia, autumantibus haud posse dari spiritum activum sine corpore. Ast vix nunc salva fide hoc placitum adstrui potest.

PROPOSITIO.

Angeli sunt meri spiritus omnis corporis expertes.

15. Propositio haec *certa* est ex concilio lateranensi IV. quod cap. *Firmiter* definivit adversus manichaeos: *Unum esse universorum principium, qui . . . utramque condidit creaturam, spiritualem et corpoream, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex corpore et spiritu constitutam.* Angelica igitur natura omnino spiritualis est omnisque corporis expers, qualis anima nostra est, alioquin homo substantia *media* seu *communis* non esset inter angelicam et mundanam.

16. Inniti autem ejusmodi doctrinam Scripturis aperta res est; etenim sacrae litterae constanter angelos sive bonos sive malos *spiritus* vocant. Sic Apostolus eos vocat [1] *administratorios spiritus.* S. Joannes scribit [2]: *Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt;* Christus: *Spiritus*, inquit [3], *subjiciuntur vobis,* et alibi: *Spiritus nequam, spiritus immundi* vocantur; et Ephes. VI. 12: *Spiritualia nequitiae.* Jam vero vocem *spiritus* substantiam simplicem et incorpoream significare patet ex eo quod Joann. IV. 24. Deo tribuatur, et I. Cor. II. 11. animae hominum. Et sane cum homo corpore etiam praeditus sit, numquam simpliciter *spiritus* vocatur; contra vero nuspiam fit mentio corporis angelorum, sed semper et absolute *spiritus* dicuntur. Evidens igitur est eos vere substantias spirituales esse et corpore plane destitutas.

17. Inniti praeterea hanc ipsam doctrinam traditioni exinde liquet, quod quamvis, ut diximus, plerique veterum subtili aliquo corpore constantes angelos existimaverint, plures tamen contrarium semper senserunt. Etenim ex Patribus alii eos plane dicunt *incorporeos, ἀσωμάτους*, uti Auctor *Homiliae in Theophaniam*, qui creditur Gregorius Thaumaturgus, vocans angelos *incorporeas virtutes;* Gregorius nyssenus, qui eos appellat *incorpoream creaturam* [4]; Gregorius nazianzenus, *naturam intelligibilem et incorpoream*, apud

[1]) Hebr. I. 14.
[2]) Apoc. I. 4.
[3]) Luc. X. 20.
[4]) Lib. XII. *Contra Eunom.*

Petavium [5]; Eusebius caesariensis, qui non solum eos nominat *substantiam incorpoream*, sed praeterea cum Deo comparat [6]; item s. Jo. Chrysostomus, Epiphanius, Theodoretus, Procopius, qui expresse insuper vocat *substantias penitus incorporeas* [7]; nec non Dionysius Areopagita nuncupatus, Nilus, Joannes damascenus, etc. Nec alia stetit Patribus latinis sententia; nam Marius Victorinus et Lactantius angelos dicunt *incorporeos* vel *incorporales*, prout praestiterunt Julius africanus atque Fulgentius apud eumdem eruditissimum auctorem, quibus accedunt duo summi pontifices Leo M. et Gregorius M., quorum primus scribit [8]: *Veram fidem, quae est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium sive corporearum, bonam confiteri substantiam;* alter vero interrogat [9]: *Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit?* Alii non solum angelos incorporeos vocant, sed insuper eos appellant *mentes*, *νοῦς*, seu *substantias intelligentes*, uti Gregorius nazianz. et nyssenus, Eusebius, Dionysius Areopagita dictus, aliique. Alii demum eos dicunt *simplices* et *sine materia*, *ἀΰλους*, uti uterque pariter Gregorius, Marius Victorinus, Lactantius etc., apud eumdem auctorem.

18. Quae cum ita se habeant, patet doctrinam de spirituali ac incorporea angelorum natura non minus Scripturae quam traditionis auctoritate fulciri.

DIFFICULTATES.

19. I. Obj. 1. Scripturae exhibent angelos mulieribus se commiscentes, uti legitur, Genes. VI. 2: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores;* 2. filiorum porro Dei nomine angelos significari ex versione alexandrina discimus, quae sic vertit: *Videntes angeli Dei* etc., nec non ex libro Henoch, teste Augustino. [10] 3. Quam sententiam secuti sunt Justinus, Clemens alex., Tertullianus, Ambrosius, Sulpicius Severus, Lactantius aliique non pauci apud Petavium. [11] Sed 4. contextus ipse eam exigit, cum referatur ex his connubiis procreatos esse gigantes; 5. et sane si pro filiabus hominum in sensu litterali veniunt foeminae ab hominibus oriundae, pro *filiis Elohim* in sensu proprio significari debent angeli seu *naturae supernales*, prout animadvertit Rosenmüller, adeoque angeli aut corpus sunt aut corpus habent. Ergo.

20. Resp. Ad 1. *Neg.* Neque id evincit objectus Geneseos locus, in quo ex communi interpretatione *filii Dei* intelliguntur filii Seth, seu principes, uti ex pluribus aliis testimoniis constat voce *Elohim* significari *principes*, ut Exod. XXI. 6, et c. XXII. et alibi; hinc Symmachus vertit: *Filii potentum* et eadem ratione verterunt Onkelos et Saadias; Arabs Erpenii: *Filii magnatum;* interpres samaritanus: *Filii dominatorum*, ac de filiis Seth vel ipse Clericus ea verba accepit, qui praeterea observat his vocibus passim

[5]) ***De angelis***, lib. I. cap. 3.
[6]) ***Demonstr. evangelica***, lib. I. cap. 3.
[7]) ***Comment. in Genesim***, cap. 15.
[8]) ***Ep. ad Turrib.*** cap. 6.
[9]) ***Dialog.*** lib. IV. cap. 29.
[10]) ***De civit. Dei***, lib. XV. cap. 24. n. 4.
[11]) Op. cit. lib. III. cap. 2.

in Scripturis designari veros Dei cultores, prout reipsa plerique Patres ea intellexerunt. Profecto repugnat expositio de angelis; nam si boni ii sunt, utpote Dei visione fruentes, non potuerunt capi mulierum illecebris, si mali, non potuerunt dici *filii Dei.*

21. Ad 2. *Neg.* Ut enim praeteream non omnes codices sic dictae versionis LXX. habere: *Angeli Dei*, eodem Augustino teste, sed alios habere: *Filii Dei*, prout habet codex, quo usi sunt editores polyglottae complutensis; notum est per *angelos Dei* saepe homines religiosos designari in Scripturis. Librum autem Henoch supposititicium esse critici omnes norunt.

22. Ad 3. *D.* Ex versione alexandrina aut libro Henoch decepti, *C.* ex sensu ecclesiae traditionali, *N.* Plerique ex objectis Patribus a versione illa decepti sunt; alii vero a libro Henoch, quem uti sacrum habebant, ut Tertullianus nonnullique alii. Ex hoc fonte fabulam hanc plures hausisse videntur. Verum haec sententia peculiaris istorum Patrum extitit, nec umquam in ecclesia praevaluit. Etenim alii Patres eam aperte refellerunt, alii, ut Philastrius brixiensis, inter haereses connumerant, sic enim Philastrius haereses recensens inter caeteras et hanc notat [12]: *Angelos se miscuisse cum foeminis ante diluvium, et inde esse natos gigantes.*

23. Ad 4. *Neg.* Tum quia nondum exploratum est vocem *Nephilim* significare *gigantes* proprie dictos, non autem homines *fortes, violentos, defectores,* seu impios ac praepotentes, qui omnia sibi pro arbitrio licere existimabant, prout vox illa alibi vertitur, et verba immediate sequentia insinuant: *Isti sunt potentes a saeculo viri famosi;* tum quia ex naturalibus causis fieri potest ut ex communis generis parentibus gigantes, seu procerae staturae homines oriantur, prout observat s. Augustinus loc. cit., qui id exemplis confirmat ex historia sacra et profana petitis, quin necesse sit confugere ad angelorum cum mulieribus nuptias.

24. Ad 5. *Nego* pariter. Alioquin etiam nomine *filiorum Dei* deberemus intelligere angelos a Deo progenitos, sicut *filiae hominum* ab hominibus generatae sunt.

25. Inst. 1. Angelis a Paulo *lingua* tribuitur [13]; immo et os praebere eis videtur Christus, dicens [14]: *Mittet angelos suos cum tuba et voce magna.* 2. Luc. XX. 36. *aequales angelis* in resurrectione homines futuros affirmat; nulla porro esset ejusmodi aequalitas nisi dicantur angeli corpus habere. 3. Daemones profecto, Matth. XXV. 41; II. Petr. II. 4; Jud. 6. igne torqueri perhibentur; I. Reg. XVI. 23. sono citharae compesci; Tob. VI. 8. fellis fumo fugari. 4. Patres etiam docent passim eos allici cibis, nidore, suffimentis etc., quae sine corpore intelligi nequeunt. Ergo.

26. Resp. *D.* Angelis lingua et os tribuuntur metaphorice, *C.* proprie, *N.* Apostolus hypothetice loquitur de angelorum lingua, seu potius idiomate; Christus vero, ut aliqui volunt, sub sensibili figura significat

[12]) Lib. *De haeresibus.*
[13]) I. Cor. XIII. 1.
[14]) Matth. XXIV. 31.

terrorem, quem homines experturi sunt cum ad judicium vocabuntur, seu ut alii existimant, corpore adscito angelos daturos vocem similem tubae clangori.

27. Ad 2. *D.* Aequales angelis homines redivivi erunt quoad modum vivendi, *C.* quoad modum existendi, *N.*

28. Ad 3. *D.* Daemones torquentur, compescuntur, fugantur virtute divina, *C.* propria ac materiali, *N.* Uti sacramenta, inquit s. Augustinus, sanctificant animam.

29. Ad 4. *D.* Alliciuntur ut *Spiritus signis*, divini scilicet honoris, quem affectant, *C. ut animalia cibis, N.* Ita s. Augustinus. [15]

30. II. Obj. Justinus M., Clemens alex., Tertullianus, Lactantius aliique non pauci, apud Petavium [16], angelos corporeos dixerunt. Ss. Augustinus et Bernardus ancipites se praebuerunt. Ergo.

31. Resp. *D.* Quorum tamen plerique improprie vocem *corporei* usurparunt, *C.* omnes de corpore proprie dicto locuti sunt, *N.* Alii enim corpore interdum angelos praeditos dixerunt, quatenus *corporis* nomine *substantiam* significarunt, quo sensu Tertullianus Deum ipsum *corporeum* vocavit; alii *corporeos* dixerunt angelos non absolute, sed comparate ad Deum, cui omnimoda solum simplicitas competit. Alii vero ea voce usi sunt ad significandum quidquid definito in loco continetur aut agit, uti Cassianus et Hilarius. Si qui sunt, quorum verba emolliri nequeant, sunt deserendi, quibus plures alii obsistunt, ac praecipue ecclesiae sensus. Sancti Augustinus et Bernardus in re nondum definita ab ecclesia maluerunt prudenter dubitare, quam quidpiam certi proferre.

32. Inst. Synodus nicaena II. dialogum probavit Joannis thessalonicensis, in quo angeli dicuntur corporei, si non omnino, saltem ex parte. Ergo.

33. Resp. *Neg. Ant.* Cum enim dixisset Tharasius: *Ostendit Pater* (Joannes) *quod et angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines apparuerunt*, respondit synodus: *Etiam domine*, nempe angelos posse pingi. Sed clarius adhuc mens synodi apparet ex fidei professione his verbis expressa: *Veneramur imagines sanctorum et incorporeorum angelorum, qui tamquam homines figura humana hominibus apparuerunt.* Quibus verbis patefecit concilium se plane rejicere sententiam Joannis de angelis corporeis.

34. Ex dictis non solum habetur angelos natura sua spirituales esse ac *incorruptibiles*, sed etiam *immortales;* tum eos intelligentiae vi ac virtute humanae naturae praestare.

CAPUT III.

DE ANGELORUM OFFICIIS.

35. Plura esse angelorum officia nemo in dubium revocat, tot enim sunt, quot ministeria, quae Deus illis committit. Inter haec eminet hominum

[15]) *De civ. Dei,* lib. XXI. cap. 6. [16]) Op. cit. lib. I. cap. 2.

custodia ac tutela, dicente Apostolo [1]: *Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.* Nonnulli antiquiores plus aequo istorum ministerium protenderunt, nec enim solum regnis, provinciis, communitatibus aut hominibus singillatim sumptis, quod et nos tuemur, angelos praefici docuerunt, verum etiam et bestiis ipsis, plantis, rebusque fere omnibus. Horum sententia numquam ab ecclesia probata est, adeoque obsolevit; perperam Joannes Bodinus et Le Maître, calviniani homines, eam instaurare adnisi sunt. Quod magis mirari subest in ejusmodi hominibus, est, quod ipsorum parens Calvinus veluti perniciosum commentum rejiciat angelorum custodiam. Calvinum secuti rationalistae doctrinam de angelorum custodia aevi rudioris et incultioris ingenio adscribunt. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Dogma catholicum est, Scripturae ac Patrum auctoritate firmatum, angelos in hominum custodiam deputari.

36. Propositio generalis est, qua adstruimus hominibus angelos praefici ad custodiam, quo sensu theologi passim eam ad fidem spectare docent. Singulis autem hominibus angelos singulos deputari non solum justis et praedestinatis, verum etiam peccatoribus et reprobis, singulis praeterea regionibus ac provinciis, praecipue autem ecclesiis angelos praeesse, certa quidem et communis sententia est, ad fidem tamen minime spectare omnes pene fatentur.

37. Ut ad veritatem adstruendam enunciatae propositionis accedamus, praeter Apostoli verba, quae ante adduximus, eam evincunt, quae Ps. XC. leguntur: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis,* quae tamquam de justis dicta omnes admittunt Patres ac theologi; huc pariter referuntur Christi verba [2]: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei.*

38. His testimoniis innixi Origenes [3], s. Basilius [4], s. Ambrosius [5], aliique passim hoc angelorum ministerium propugnant; nobis hic satis sit verba s. Ambrosii recitare: *Mittit Dominus,* inquit ipse, *angelos suos ad defensionem eorum, qui haeredes futuri sunt promissorum coelestium.* S. Augustinus vero statuit [6], angelos adjuvare *nos pro sua sublimitate, dum obtemperant Deo, qui pro nobis etiam unicum Filium suum dignatus est mittere.*

39. Singulis autem hominibus singulos angelos deputari, prout communis sententia fert, aperte colligitur ex recitatis Christi verbis: *Angeli eorum ... vident faciem Patris.* Christus enim non dixit *angelus* sed *angeli,*

[1]) Hebr. I. 14.
[2]) Matth. XVIII. 10.
[3]) *Hom.* VIII. *in Genes.* n. 8.
[4]) *Hom. in Ps.* XXXIII. n. 3.
[5]) *Serm. in Ps.* CXXIII. n. 9.
[6]) Lib. *De octoginta tribus Quaest.* qu. LXVII. n. 7.

et adjecit *eorum,* id est, *proprii,* seu cuilibet adscripti. Pervulgatam persuasionem hanc apud judaeos ac primos christianos evincit, quod legitur Act. XXII. 15. de Rhode puella asserente Petrum adesse ac pulsare, cui fideles domi congregati responderunt: *Angelus ejus est;* quae de angelo Petri custode intelligenda esse res clamat per se, ac Patres omnes confirmant. Hinc s. Hieronymus jure exclamabat [7]: *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum.* Et s. Basilius [8]: *Quod autem,* inquit, *unicuique fidelium adsit angelus tamquam paedagogus aliquis; et pastor vitam gubernans, nemo contradicet, qui verborum Domini meminerit, dicentis: Ne contemnatis* etc. Exinde concludebat s. Bernardus [9]: *In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe.... Si fidem consulas, ea tibi angelicam probat praesentiam non deesse.*

40. Porro angelorum custodiam non ad pios tantum electosque homines extendi, verum etiam ad peccatores ac reprobos theologi colligunt tum ex generali Patrum loquendi ratione, tum ex divina bonitate et clementia. S. Thomas ejusmodi custodiam peccatoribus ac reprobis utilem esse ostendit [10], quatenus hi *juvantur quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus et sibi et aliis nocere possunt.*

41. Variis autem Scripturarum testimoniis innixi catholici theologi docent, hanc ipsam tutelam angelis commissam esse regnorum, provinciarum et communitatum. Sane Exod. XIV. 19. memoratur *angelus Dei, qui praecedebat castra Israel;* Jos. V. 14. apparuit *princeps exercitus Domini;* Dan. X. fit mentio angeli regni Persarum, Graecorum et Judaeorum. Erudite de hoc argumento egit Trombellius.

DIFFICULTATES.

42. Obj. 1. Quae in Scripturis referuntur de angelorum custodia aut apparitionibus totidem mythi sunt, quibus populo incultiori divina providentia commendatur, ac veluti sub oculos ponitur. 2. Sane angelorum custodia supervacanea est, cum Deus ipse homines custodiat, juxta illud Ps. CXX: *Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* 3. Accedit, quod intelligi nequeat, cur si angeli custodes nobis dati sunt, a nobis non arceant calamitates, quibus torquemur, tentationes, quibus propulsamur, peccata, quibus inquinamur. 4. Sed nec possunt angeli praecipuis nostris necessitatibus prospicere, quae internae sunt, cor autem nostrum Deo soli patet. 5. Concludi igitur debet ethnicorum fabulas de geniis cuilibet homini assistentibus originem huic opinioni de angelorum tutela dedisse.

43. Resp. Ad 1. *D.* In systemate rationalistarum, quibus Scriptura universa non est nisi mythologia, *C.* in rei veritate juxta sensum christianum ac traditionalem, *N.* Juxta adversarios enim divini scriptores immo et

[7]) *Comment. in Matth.* lib. III.
[8]) *Contra Eunom.* lib. III.
[9]) *Serm.* XII. *in Ps.* XC. n. 5.
[10]) Part. I. qu. 113. art. 4. ad 3.

Christus ipse, ut sese accommodarent populo incultiori, nos perpetuo decepissent. Verum cum haec sentiendi ratio tota ac unice in gratuito systemate adversariorum innitatur, quod vix natum, obsoletum fere jam effectum est, non est cur in ea improbanda immoremur.

44. Ad 2. *D.* Si Deus excluderet in mundi ac hominum regimine cooperationem causarum secundarum, *C.* si et his utatur, *N.* Porro Deus, qui fortiter suaviterque disponit omnia, quemadmodum ecclesiam per legitimos pastores, populos per principes regit, sic angelos custodes ad hominum tutelam delegat.

45. Ad 3. Resp. Custodes angelos non omnia a nobis mala propulsare eadem ratione, qua eadem a nobis non arcet Deus ipse. Nonnulla nobis mala utilia sunt, alia a voluntate ac deliberatione nostra pendent.

46. Ad 4. *D.* Immediate, *Tr.* mediate, seu divina manifestatione, *N.*

47. Ad 5. *Neg.* Sed ethnici potius ex primaeva traditione didicere angelorum erga homines tutelam. Sane in Genesi, librorum omnium antiquissimo, cap. XLVIII. 16. Jacob meminit peculiaris angeli sui, dicens: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.*

48. Inst. In hac hypothesi 1. Angeli hominibus, quibus exhibent ministeria, inferiores essent. 2. Divina visione interim destituerentur. 3. Moerore aut laetitia afficerentur ex bono vel malo tutelae, quam praestant, exitu; quae absona sunt. Ergo.

49. Resp. Ad 1. *Neg.* In hoc enim famulatu angeli Deo obediunt eique serviunt, etsi objectum illorum ministerii sit utilitas nostra; uti officiales ac ministri publici, qui in bonum populi a principe constituti sunt, dici nequeunt populo inferiores.

50. Ad 2. *Nego* pariter; testante enim Christo, angeli puerorum custodes *semper vident faciem Patris.*

51. Ad 3. *D.* Si contra ipsorum voluntatem malus exitus accideret, *C.* secus, *N.* Jam vero angelorum voluntas divinae voluntati prorsus conformis est, quae mala sive adversa aut vult aut permittit. Eo vel magis quod numquam ex angelorum negligentia, sed semper ex hominum malitia, mala moralia repeti debeant.

CAPUT IV.

DE ANGELORUM GRATIA, LAPSU ET POENA.

52. Nulla circa hos articulos nobis controversia est cum incredulis aut heterodoxis. Si qua viget disceptatio, opiniones varias ea afficit, quae in scholis obtinent.

53. I. Ac primo quidem angelos omnes a primo creationis instante gratia sanctificante ornatos fuisse, qua Deo conjungerentur, communis est catholicorum doctorum sententia, quibus familiare est illud Augustini effatum [1]:

[1]) *De civit. Dei*, lib. XII. cap. 9. n. 2.

Deus erat simul in eis et condens naturam et largiens gratiam. Biblicis fundamentis innixa ea est; Christus enim de diabolo ait [2]: *In veritate non stetit,* nempe in *sanctitate et justitia,* uti exponunt s. Jo. Chrysostomus et Leo M. Sic etiam s. Judas v. 6: *Angelos,* scribit, *qui non servaverunt suum principatum;* ut alia omittam. Non defuerunt tamen, qui censuerint angelos prius in puris naturalibus conditos esse, ac nonnisi post aliquod tempus gratia illos sanctificante praeditos fuisse; horum testimònia collegit Estius, qui recenset inter caeteros Hugonem Victorinum, Petrum Lombardum una cum ejus commentatoribus usque ad s. Thomam. Hi recitata s. Augustini verba exponunt de gratia actuali, ut insinuare videntur, quae immediate s. Doctor adjecit: *Unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore numquam sanctos angelos fuisse credendum est.* Quidquid porro de hac sententia sit, illud ex ea saltem colligitur, perperam jansenianos ad negandam possibilitatem purae naturae, priorem sententiam ad fidem spectare affirmasse.

54. Praeter gratiam sanctificantem angelos consecutos esse gratias etiam actuales, sine quibus perseverare haud potuissent, dubitari nequit. Sed quaestio movetur utrum gratia haec actualis eadem fuerit sive in angelis reprobis sive in electis. Congruistae, augustiniani atque etiam jansenistae affirmant, inficiantur autem juxta principia alias exposita thomistae, qui contendunt perseverantibus datam esse gratiam *ex se efficacem* seu cum physica praedeterminatione, quae data non est illis, qui non perseverarunt. Unusquisque in suo sensu abundet. Verisimilis porro sententia est gratiam angelis collatam fuisse independenter a futuris Christi meritis.

55. II. Certum insuper est non omnes angelos his gratiis instructos in officio stetisse, sed plures ex illis excidisse a sanctitatis statu per grave peccatum.

56. Quod ad ejusmodi peccati speciem attinet, dimissis falsis aut minus probabilibus sententiis, communis est opinio illud superbiam fuisse, dicente Scriptura [3]: *Initium omnis peccati superbia;* et iterum [4]: *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Quod si in lib. Sapient. legitur: *Invidia diaboli mors introivit in mundum,* intelligi id debet de causa daemonem impellente ad protoparentes seducendos.

57. Ast iterum quaeritur, in quonam superbia ejusmodi constituenda sit? Alii enim existimant ideo diabolum superbia peccasse, quod voluerit ex se, seu absque alieno subsidio beatitudinem illam assequi, ad quam conditus fuerat. Alii censent, in eo superbia elatum fuisse quod divinos sibi honores expetierit; alii demum, quod dominatum ambierit in res creatas omnes. Antiquorum hac de re testimonia collegit Petavius. [5]

58. III. Quodnam temporis intervallum effluxerit ab angelorum creatione ad illorum praevaricationem, longum an breve, res est, quae certo definiri non potest. Extra dubitationis autem aleam est, ipsos post illud

[2]) Joann. VIII.
[3]) Ecclesiast. X. 15.
[4]) I. Tim. III. 6.
[5]) Lib. III. *De angelis,* cap. 3.

peccatum, quodcumque demum fuerit, illico mulctatos, velut laesae divinae majestatis reos, atque a coelestibus sedibus pulsos fuisse.

59. Multiplex fuit daemonum perduellium poena; ac prima quidem justitiae et gratiae sanctificantis amissio; privatio item perpetua juris adipiscendae beatitudinis ad quam ordinati erant; his accessit obumbratio quaedam intellectus, atque voluntatis in malo obfirmatio. Nihil tamen amiserunt daemones de naturae essentialibus.

60. Sed quid dicendum de poena sensus? Varia extitit veteribus hac in parte opinio. Siquidem plures censuerunt poenam sensus statim daemonibus minime inflictam fuisse, quorum testimonia congessit Petavius. [6] Ex istis nonnulli autumarunt, daemones ignis sempiterna poena nonnisi post extremum judicii diem fore plectendos; etsi Estius connitatur ipsorum verba detorquere ad aliam poenam secundariam et accidentalem significandam. Alii iique non pauci veteres in ea versati sunt opinione, quod non omnes nefarii hi Spiritus detrusi in tartara fuerint, sed eorum pars in aëre locisque proximis sedem quamdam habeant. Alii voluerunt ex daemonibus eos, qui in tartareas regiones compulsi sunt, vicissim quodammodo inter se mutare sedem, ut qui in inferis sunt, illinc emergant, atque ultro citroque commeent. Alii demum existimarunt, eos igne vero proprieque dicto seu materiali minime torqueri. Magna ex parte ejusmodi sententiae obsoleverunt, ratum nunc fere apud omnes est tum omnes statim et ex aequo daemones mulctatos esse, tum veri semper ubicumque fuerint ignis tormenta sustinere.

61. Cum ex his alia penes omnes certa sint, alia in mera opinione domestica versentur, haec ideo attulisse sufficiat, quin propositiones statuamus.

CAPUT V.

DE DAEMONUM CUM HOMINIBUS COMMERCIO.

62. Generali hac *commercii* voce significamus molimina omnia, quibus daemones utuntur sive ad homines vexandos, sive ad malum extremamque perniciem illos impellendos. Ad hominum vexationes referuntur potissime corporum obsessiones; ad mala autem, quibus homines inducere satagunt, referuntur tentationes ac reliqua omnia, ad quae daemones solent homines inducere, sive pacto intercedente id fiat, sive sine pacto.

63. Duo extrema in his vitari debent, credulitas nimia, ac nimia incredulitas. Alii enim nimis facile aures pronas habent daemonologiae; alii autem omnia prorsus rejiciunt; quod postremum, uti observat s. Thomas [1]: *Procedit ex radice infidelitatis sive incredulitatis, quia non credunt esse daemones nisi in aestimatione vulgi tantum.*

64. Ad hanc incredulitatem spectat recentiorum protestantium passim, neotericorum ac rationalistarum sententia; juxta quam eae, quas daemonum obsessiones dicimus, nihil aliud sunt, quam naturales morbi, vel super-

[6]) Op. et loc. cit. cap. 4.

[1]) *In* IV. *Sent. dist.* XXXIV. art. 1. n. 3.

stitiosi vulgi figmenta, cui non obscure ex catholicis adstipulatus est Jahn in sua *Archaeologia biblica.* [2] Hi ipsi cum prudentiore philosophia caeteros, qui referuntur, effectus componi haud posse pronunciant. Tum igitur veros dari daemoniacos, tum sapienter latas esse leges adversus superstitiones ac maleficia exercentes ostendendum assumimus.

PROPOSITIO I.

Tum ex Scriptura tum ex Patrum et catholicae ecclesiae sensu constat veros dari daemoniacos seu a daemone obsessos.

65. *Obsessorum, possessorum, daemoniacorum, energumenorum* nomine veniunt illi, quorum corporibus daemones insident, eaque movent, ac variis rationibus pro data sibi a Deo facultate exagitant. Quandoque minus presse voces illae usurpantur ad significandos scilicet peccatores aut infideles, qui sub daemonis potestate vivunt. Nos de veris daemoniacis agimus.

66. Sic igitur rem primo ex Scripturis conficimus. Aut veri dantur daemoniaci, aut de Christi et sacrorum scriptorum veracitate actum est. Etenim Christus passim exhibetur ejiciens daemones ab obsessorum corporibus, atque iis in adjunctis, ut nullus dubitandi locus sit, quin ibi de veris daemonibus verisque obsessis agatur. Nam 1°. praecipit Matth. IV. 24. et Marc. I. 32. daemoni, ut *exeat et non amplius introeat in eum*, qui obsessus fuerat; profitetur aliquod esse *genus daemoniorum* quod *in nullo potest exire nisi in oratione et jejunio,* ut Marc. IX. 24. et alibi; 2°. daemones interrogat, ipsi respondent, rogant praeterea et impetrant, ut Luc. VIII. 27 et seqq. 3°. Discipulis gestientibus quod in ejus nomine ejicerent daemones, respondit Luc. X. 19: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur.* 4°. Pharisaeis calumniantibus quod in Beelzebub ejiceret daemonia, reponit Christus, Matth. XII. 23—28: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* 5°. Matth. X. 1; Marc. XVI. 17. potestatem apostolis confert ejiciendi daemones distinctam a potestate aegros sanandi. 6°. Apostolus Act. XVI. 16. ejicit spiritum Pythonem a puella, quae haud modicum quaestum divinando dominis suis praebebat. Haec porro aliaque ejusmodi detorquere ad sanationes morborum perinde est ac vim inferre sacro textui, ac Christum traducere veluti apostolorum, populique deceptorem, scriptores vero sacros tamquam fabulatores, quae impia et absurda sunt omnia.

67. Sed non minus luculenter res conficitur ex Patrum et ecclesiae sensu. Patres siquidem antiquissimi uno consensu tum veros daemoniacos dari, tum inesse ecclesiae potestatem obsessos a daemone liberandi tradunt, ac ita tradunt, ut publice provocent paganos ut ad experimentum veniant, et videant an tali potestate christiani praediti sint nec ne. Ita passim Justinus, Minucius Felix, Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus aliique. Satis hic sit verba Tertulliani proferre. [1] *Detur hic,* inquit, *aliquis sub tribuna-*

[2]) §. 194 et seqq.

[1]) *Apologet.* cap. 23.

libus vestris, quem daemone agi constet: jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso . . jam ergo subjecta christianis divinitas vestra. Quin immo et pagani ipsi hanc potestatem de facto in ecclesia admiserunt, quamvis aut magiae aut daemonum simulachri ejusmodi expulsionem ab obsessis corporibus tribuerent, uti Celsus, apud Origenem [2]; Porphyrius, apud Hieronymum [3]; nec non Julianus apostata, apud Cyrillum. [4]

68. Ex publica ac notoria potestate christianis tributa colligebant Patres inelucrabile argumentum ad divinitatem Christi Jesu ejusque religionis veritatem adstruendam. Exinde etiam produxit exorcistatus ordo ab ipsa apostolica aetate in ecclesia institutus, ut eo instructi ex officio ejusmodi munus expellendi daemones exercerent; constitutae regulae ad illud rite obeundum, quae adhuc perseverant. Igitur aut omnia gravissima documenta abjicienda sunt absque ullo prorsus fundamento, aut omnino fatendum veros daemoniacos dari, prout tum ex sacris litteris, tum ex universa antiquitate hactenus ostendimus.

DIFFICULTATES.

69. I. Obj. Plura sunt, quae aperte insinuant daemoniacos, de quibus in Scripturis fit mentio, eosdem esse ac aegrotos. Nam 1. evangelistae inter aegrotorum numerum reponunt daemoniacos, ut Matth. IV. 23; X. 18; Marc. I. 32. et alibi: 2. quin immo aegroti omnes, quorum plerique in Evangeliis vocantur daemoniaci. Act. apost. X. 38. *oppressi a diabolo* dicuntur; 3. qui liberati a diabolo perhibentur, *curati* aut *sanati* dicuntur ad hoc ipsum insinuandum: 4. hinc Joannes nec in Evangelio nec in caeteris scriptis ullam daemoniacorum mentionem facit, et apostolus Paulus, I. Cor. XII. 14. licet commemoret dona omnia miraculorum, de dono ejiciendi daemones alte silet. Ratio vero hujus rei est, quia hi duo apostoli iis in locis praedicarunt, ubi ars medica florebat, et infirmitates non exorcismi, sed artis medicae mediis depellebantur. Ergo.

70. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. vel *N.* vel *D.* Quatenus nonnulli ex illis daemoniacis praeter obsessionem morbo insuper detinebantur, *Tr.* vel *C.* daemoniaci simpliciter, *N.* Nam in primis evangelistae apprime secernunt aegrotos sanatos a liberatis a daemone, illis ipsis in locis, quae nobis objiciuntur et alibi passim, ex qua agendi ratione luculenter patet haud posse daemoniacos cum aegrotis permisceri, ut promiscue hi sumi possint. Deinde Christus, qui et sanitatem contulerat, et ab obsessione liberaverat, duplicem ad haec praestanda potestatem distincte apostolis contulit Marc. ultimo. Si proinde aliqui exhibentur in Scriptura morbo aliquo laborantes et a daemone oppressi, uti surdus et mutus de quo Matth. IX. 32. tum caecus et mutus de quo ibid. XII. 22. duo haec bene inter se componuntur, cum simul con-

[2]) Lib. I. n. 6.
[3]) *Advers. Vigilantium*, n. 11.
[4]) Lib. VI.

sistere possint, praesertim si admittatur, ut plures contendunt, effectus hos morbosos a daemone ipso excitatos fuisse.

71. Ad 2. *D.* *Oppressi a daemone* dicuntur a Christo sanati, quatenus peculiari hac locutione voluit Petrus liberatos a daemone distinguere ab illis, quos Christus a morbis liberavit per collationem beneficiorum, *C.* quatenus aegrotos omnes indiscriminatim designare voluit, *N.* Dixit enim Petrus de Christo: Transiit *benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo;* quibus verbis et curationem a morbis et liberationem a diabolo Apostolus complexus est. Quoniam vero plures ex illis, qui a daemonis vexatione liberati sunt, aegritudine etiam laborabant, ideo ea loquendi ratione usus est, quae utrumque significaret.

72. Ad 3. *D.* Aliquando, *C.* semper, *N.* Addo voces *curandi* aut *sanandi* generales esse, quae aptari etiam commode possunt ad liberationem, de qua agimus; praesertim si animadvertatur ad id, quod modo diximus de energumenis aegrotantibus. Caeterum saepe etiam vox *ejecit* occurrit, quae nullam difficultatem admittit.

73. Ad 4. *D.* Joannes non meminit daemoniacorum, quia ejus scopus non ferebat, *C.* ad eos excludendos, *N.* Ex historia enim novimus Joannem sibi proposuisse ea supplere, quae a reliquis evangelistis omissa fuerant, quaeque peculiari ratione ad constabiliendam Christi divinitatem referuntur. Cum igitur de liberatione obsessorum caeteri abunde scripserint, ideo Joannes eam praetermisit.

74. Falsum autem est Paulum in objecto loco tacere prorsus de peculiari hoc dono; illud enim complexus est, dum commemorat *operationem virtutum.* Sane Paulus non semel hanc exercuit potestatem, ut constat ex Actis apostolicis, cap. praesertim XVI ac XIX.

75. Ex his falsitas deprehenditur rationis, quae adducitur silentii duorum apostolorum, quae gratuita est et contra factum; nam in Asia minori et praecipue Ephesi, ac in Macedonia, praecipue vero Philippis, celebriores liberationes obsessorum contigerunt, ut ex citt. Actuum apostolorum locis manifestum fit. Adeo acuti sunt adversarii!

76. II. Obj. 1. Qui agitati a daemone in Scripturis dicuntur, signa omnia ac symptomata amentiae prae se ferunt, aut epilepsiae; amentia seu idea fixa laborabant duo illi daemoniaci furiosi Gadareni, de quibus Matth. VIII. 28, Marc. V. 2, et Luc. VIII. 27. quos propterea regionis incolae invenerunt *sanae mentis* effectos; epilepsia vero affectus erat juvenis ille, de quo Marcus cap. IX. refert, modo in terram, modo in aquam aut in ignem detrusum, emittentem interim ex ore spumam, dentibusque frendentem. 2. Non desunt exempla de foeminis rudibus, quae melancholia laborantes concinne latine, aut alio idiomate loquebantur, testibus Petro de Abano, ac Pomponatio. 3. Nulla dantur certa signa ad veros daemoniacos secernendos a fictitiis. 4. Experientia docet ibi daemoniacos majori numero reperiri, ubi major ignorantia viget, ac fervidiores sunt exorcistae. 5. Quapropter exor-

cismorum usus, qui fanatismum et credulitatem fovet, prorsus est eliminandus. Ergo.

77. Resp. Ad 1. *D.* Quatenus praeter obsessionem nonnulli illis morbis correpti erant, *Tr.* ad exclusionem obsessionis, *N.* Nihil enim vetat, quominus dicamus, interdum qui a daemone agitabantur, aut amentia aut epilepsia laborasse, cum et hi morbi a daemone ipso injici possint, Deo ita permittente, uti plures Patres ac interpretes censuere. Sed hi casus singulares sunt, neque idem de omnibus daemoniacis dici potest. Historia evangelica Gadarenorum ac juvenis, de quo est sermo, nos dubitare non sinit de vera possessione daemonis, ac vera proinde liberatione; cum salva historiae veritate, de solis morbis naturalibus intelligi nequeat, quod in ea refertur.

78. Ad 2. *D.* Quorum tamen fundamentum historicum nutat, *C.* secus, *N.* Nam Petrus de Abano ex aliorum eaque incerta relatione factum illius foeminae scriptis consignavit; Pomponatius vero adjuncta non recensuit, quomodo scilicet, quanto tempore, quo idiomate mulier alia, de qua ipse egit, locuta fuerit. Adeoque ex incertis nihil inferri potest.

79. Ad 3. *Neg.* Plura enim eaque certissima signa, si simul spectentur, post Rituale romanum tit. *De exorcizandis obsessis*, theologi recensent; quae si adsint, nulli potest esse deceptioni locus, praesertim si exorcistae docti ac prudentes sint.

80. Ad 4. *Neg.* Ex historia enim novimus, quovis tempore et quovis loco ejusmodi contingere obsessiones. Certe cum Paulus Ephesi aut Philippis moraretur, cultissimae regiones illae erant, magno tamen numero exhibentur energumeni. Vigente incredulitate, diabolus ne se prodat suaeque causae noceat, a corporibus invadendis praecavet.

81. Ad 5. *D.* Nisi certo constet de veris daemoniacis, *C.* si vere constet ex indubiis signis, *N.* Exorcismi sicut et pharmaca, nonnisi necessitate exigente, sunt adhibenda.

PROPOSITIO II.

Jure merito leges sancitae sunt adversus superstitiosa cum daemone commercia.

82. Uti circa obsessiones sic circa superstitiosa cum daemone commercia in contrarias plane sententias diversis temporibus dilapsi sunt homines. Interdum plus aequo illis fides habita tum a catholicis tum a protestantibus est, interdum vero nulla prorsus, ita ut soli ignorantiae ac superstitioni iidem tribuant quaecumque ad magiam, incantationes, divinationes aliaque ejusmodi referuntur. Media via semper tutissima; siquidem aeque insanum est sive omnia, quae referuntur, ejusmodi admittere, sive omnia contemnere.

83. Sane argumenta validissima tum intrinseca tum extrinseca de veritate istius commercii nos dubitare non sinunt. Et quidem quoad intrinseca, admissa semel daemonum existentia ac malefica indole, ecquis in

dubium revocare poterit, eos, sic Deo permittente, omni quo possunt nisu, homines inducere ad talia molienda, quibus ex condicto ipsi respondeant? Ecquis praeterea ignorat quantum ferant, immo impellant vaferrimorum hominum cupiditates ad illa tentanda? Nihil profecto est, quod ex utraque parte repugnet. Quoad extrinseca, monumenta certissima nobis suppeditat Scriptura sacra; Exod. enim cap. VII et VIII. referuntur, quae a magis ac maleficis Pharaonis patrata sunt *per incantationes Aegyptiorum.* Pythonissa Endorea a Saule consulta commemoratur, I. Reg. XXVIII. In novo Foedere celebris est Simon Magus, qui Samariae, uti legitur Act. VIII. *multo tempore magiis suis* plures dementaverat. Alter Magus, scilicet Elymas memoratur, ibid. cap. XIII et XVI. puella habens *spiritum Pythonis,* quae divinationem exercebat. Huc accedit totius antiquitatis consensus non vulgi imperiti tantummodo, sed et ipsorum philosophorum, uti ostendit Cudworth [1], cum notis Moshemii, et auctoritas gravissimorum scriptorum, qui praeterea magiae originem pandunt, cujusmodi est Eusebius [2], qui id ipsum confirmat testimonio Porphyrii, nec non s. Augustinus [3], et s. Hieronymus [4], ut caeteros omittam.

84. Quo praemisso necessario fundamento, sic accedimus ad veritatem propositionis evincendam. Leges illae jure merito sancitae dicendae sunt, quae homines arcent a nefariis sceleribus, immo a scelerum uberrimo fonte; tales porro sunt, quae adversus diabolicas superstitiones constitutae sunt a Moyse, seu potius a Deo ipso per Moysen, postea vero ab ecclesia. Etenim Exod. XXII. 18. Deus praecepit populo suo: *Maleficos non patieris vivere;* item Levit. XIX. 31: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini;* et iterum ibid XX. 27.: *Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur.* Demum Deut. XVIII. 10: *Non inveniatur in te ... qui ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus nec incantator, nec qui pythonem consulat nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem.* Sic etiam ecclesia plures leges tulit ad superstitiones has compescendas, quae insertae sunt juri canonico, inter quas eminet Constitutio data ab Innocentio VIII. anno 1484. praecipue vero Constitutio Sixti V. *Coeli et terrae Creator,* in qua tum eos damnat, qui *sortilegiis et superstitionibus non sine daemonum saltem occulta societate aut tacita pactione operam dare non verentur,* tum eos, qui *etiam expressa cum diabolo pactione nefarias magicae artis incantationes adhibent;* quam confirmavit et extendit Gregorius XV. in Constit. *Omnipotentis Dei.*

85. Aut igitur realis admittitur diabolici hujusmodi commercii existentia, prout admittendam esse prolata paulo ante documenta ostendunt, et jam nemo poterit non agnoscere aequitatem illarum legum, quibus nefarium ejusmodi crimen compescitur; aut ea non admittitur nisi in vulgi opinione, ac emotae phantasiae ludibrio, et iterum earumdem legum aequitas deprehenditur,

[1]) *System. intellect.* cap. 5. §. 1.
[2]) *Praeparat. evangelica,* cap. 10 et 11.
[3]) *De doctrina christ.* lib. II. cap. 20. n. 30.
[4]) *Vita s. Hilarionis.*

quibus molimina saltem et nisus nefariorum hominum compescuntur, quae in religionis non minus quam societatis perniciem cedunt. Exinde enim factum est, ut quovis tempore a potestate etiam civili severissimae leges latae fuerint ad eliminandas ejusmodi superstitiones, atque ad plectenda delicta, quae hac in parte patrarentur.

DIFFICULTATES.

86. Obj. 1. Leges, quae objectum reale non habent, perniciosae sunt, jam vero in earum censu ponendae sunt leges adversus magiam, variasque ejus species, potissime autem adversus sagas ac lamias constitutae. 2. His enim ad plura saecula superstitiones altae sunt, ac proinde facinora omnimoda exinde orta. 3. Innumerae prope innocentes victimae ubique locorum ferro et igne consumptae sunt. 4. Philosophica lux tot tandem malis remedium attulit, diaboli regnum omnium ferme gentium conspiratione constitutum destruendo. 5. Haec scientiae ope ad sua vera elementa tot physicorum ac moralium malorum congeriem revocavit, scilicet ad insitas hominibus cupiditates. 6. Optandum proinde esset, ut tandem et ipsi exorcismi cessarent ad incantationes dissolvendas ac maleficia invecti, cum his fanatismus foveatur. Ergo.

87. Resp. Ad 1. *D. maj.* Leges quae nullum objectum reale aut apprehensum habent, *Tr.* quae saltem objectum habent apprehensum ac reali aequivalens, *N.* et *Neg. min.* Nam ex dictis superstitiosa ejusmodi commercia cum daemone vera ac realia sunt. Verum et hoc praetermisso, si ita sint in opinione, ut pro realibus habeantur, eosdem effectus gignunt seu eadem facinora, quae legibus sunt praecavenda aut compescenda; quod pluribus exemplis illustrari, si opus esset, facile posset.

88. Ad 2. *Neg.* Tum quia haec difficultas falsae innitur hypothesi de solum apprehensa ejusmodi superstitionum existentia; tum quia leges istae numquam datae essent, nisi superstitiones illae praecessissent, uti patet ex ipsa rei natura.

89. Ad 3. *D.* Ex prava legum applicatione, *Tr.* vel *C.* ex legibus ipsis, *N.* Optimae interdum leges pessime applicari possunt; verum ex mala applicatione, quae ex rerum adjunctis ut plurimum pendet, legibus detrahi nequit, cum constet optime statutas esse, alioquin in absurda laberemur. Accedit, quod quamvis pleraeque victimae, de quibus agitur, innocentes fuerint quoad accusationem superstitionis, culpabiles certe erant quoad reliqua delicta, de quibus ex processu constabat.

90. Ad 4. *Neg.* Gloria enim haec uni religioni catholicae debetur, quae extremas paganismi reliquias e cordibus avulsit. Fridericus Spee, Soc. Jesu, teste Leibnitzio [5], omnium primus remedium attulit inconsultis sagarum insectationibus et suppliciis opere suo, quod vulgavit suppresso nomine: *Cautio criminalis circa possessus contra sagas.* Fridericus Bierlingius

[5]) *Theodicea*, part. I. §. 96.

lutheranus miratus est et celebravit ejusdem animi fortitudinem in hoc opere vulgando. [6] Sane antiquiores philosophi prae caeteris superstitionibus et magiae addicti erant.

91. Ad 5. *D.* Ope destructionis, *C.* ope moderatae discussionis, *N.* Scilicet rationalistae eos imitati sunt, qui ad purgandam domum, eam incendunt. Nam ad destruendum diabolicum regnum, ut ipsi loquuntur, negarunt ipsam daemonum existentiam adversus Bibliorum auctoritatem. Elementa, ad quae ipsi autumant revocasse malorum physicorum et moralium congeriem, multo ante indicata fuerant a christiana religione, quam rationalistae orirentur. Ipsa vere homines docuit cupiditatum illecebris obsistere, ac peccata devitare, ex quibus calamitates profluunt omnigenae.

92. Ad 6. *Neg.* Siquidem his exorcismis christiani admonentur de Dei omnipotentia et Christi meritis ad diabolica molimina coercenda ac dissolvenda. Emotae phantasiae sedandae haud mediocriter iidem inserviunt. Penes protestantes numquam in usu exorcismi fuerunt, attamen penes ipsos magis invaluit diabolica superstitio, diutiusque perduravit. Nec alia fuit antiquiorum haereticorum conditio. Stulte igitur ab exorcismorum usu repetitur ejusmodi maleficiorum dilatatio. Hactenus de angelis.

PARS SECUNDA.

DE MUNDO.

93. Haud pauci ex recentioribus physicis, geologis et astronomis, quum ea, quae experientia compererant, cum mosaica cosmogonia componere vel nescirent vel nollent, hujus veritatem adorti sunt. Rationalistae quo brevius sese ab invisa veritate expedirent, ea qua sunt impudentia, totam illam historiam inter fabulas amandarunt. Utrisque itaque ob oculos veritatem ponere praesenti tractatione aggredimur.

CAPUT I.

DE MUNDI CREATIONE EX NIHILO.

94. Quotquot divinam revelationem aut ignorarunt aut rejecerunt, plus minus errarunt circa veram hujus mundi originem. Plerique veterum materiam aeternam constituerunt, et hylozoismum vel emanatismum professi sunt, aut pantheismum, aut dualismum aeternum. Recentiores philosophi, qui revelationis facem dedignati sunt, evanuerunt et ipsi in cogitationibus suis, dum alii purum *idealismum*, alii purum *materialismum* alii purum *phaenomenismum* tuiti sunt.

95. Nos mundi nomine significamus congeriem entium finitorum, et contingentium, seu rerum universitatem, quae praeter Deum existunt, sive

[6]) *De pyrrhonismo historico*, cap. 4. §. 5. et in nota a.

sint mere spirituales, sive corporeae, sive mixtae. Cum de mere spiritualibus, cujusmodi angeli sunt, in superiori tractatus parte egerimus, de mixtis vero, cujusmodi sunt homines, tractaturi simus in tertia parte, hic propterea sistimus in adspectabili hoc universo, quod ex nihilo conditum propugnamus.

96. Dum autem adstruimus mundum ex nihilo conditum, *nihili* voce intelligimus statum possibilitatis mere internae, *logicae* ab aliis nuncupatae, seu non existentiae, adeoque mundum eductum statuimus ex *nihilo sui*, ut ajunt, et *subjecti.*

PROPOSITIO.

Deus, prout ex divina revelatione constat, mundum ex nihilo in tempore et cum tempore condidit.

97. Propositio est de fide, uti ex utroque symbolo, apostolico et nicaeno, patet, quo profitemur credere *in unum Deum omnipotentem, Creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium;* tum ex concilio lateranensi IV. sanciente in cap. *Firmiter: Unum esse Creatorem omnium . . . qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam.*

98. Jam vero in divina revelatione doctrinam hanc inniti constat ex Genes. I.: *In principio creavit Deus coelum et terram*, scilicet in principio temporis Deus ex nihilo res omnes esse jussit, quae prius non erant. Talem porro sensum esse verborum Gen. patet 1°. ex vi vocis hebraicae בָּרָא, quae cum adhibetur in prima conjugatione *kal*, significationem retinet primitivam *creandi* seu *educendi substantiam ex nihilo*, uti adnotant praestantissimi rabbini David Kimchi, Moyses Nachmanides, Obadias Sephorno, Mendelssohn, ac Salomon Dubna; patet 2°. ex sensu traditionali Hebraeorum; nam Ps. CI. legitur: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli*; et iterum Ps. CXLVIII: *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Ac caeteris omissis, sensum hunc traditionalem optime expressit fortis ac pia mater Machabaeorum illis verbis, quibus II. Machab. VII. 28. filium suum natu minimum adhortata est ad fortiter martyrium subeundum: *Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt, ut intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus*, seu ut legitur clarius adhuc in graeco textu: *Ut agnoscas quod Deus ea fecerit ex non esse,* seu *ex eo quod non est.* His adjicimus Christi verba, Joann. XVII. 5. sic Patrem orantis: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset.*

99. Post haec supervacaneum foret opus, Patrum recensere testimonia ad constantem hanc ecclesiae doctrinam confirmandam, praesertim cum si paucos incredulos et haereticos contemptibiles excipias, vix umquam fuerit, qui veritatem hanc in dubium revocaverit. His igitur praetermissis, rem sic ratione ipsa conficimus: Mundus finitus est, utpote partibus finitis coalescens;

si finitus est, hoc ipso est contingens ac mutabilis, nec suae existentiae in se rationem habet; ab alio igitur a mundo distincto ab esse mere logico seu possibili ad existentiam determinari debuit, ab eo nempe, qui omnipotens sit et aeternus, qui nonnisi Deus esse potest.

100. Cum vero ex hujus dogmatis negatione effluxerint *hylozoismus*, *autotheismus*, *pantheismus*, *manichaeismus*, *emanatismus* sive *immanens* sive *transiens*, ac demum *infinitotheismus*, illo semel constituto, systemata haec omnia ex se concidunt ac evanescunt.

DIFFICULTATES.

101. I. Obj. 1. Creatio mundi ex nihilo dogma potius philosophicum est quam theologicum, quum ejus revelatio non satis constet. 2. Etenim verba Genes. I. juxta quosdam interpretes sic reddi debent: *Cum Deus fecit coelum et terram, materia erat informis.* 3. Sane hunc sensum confirmat versio alexandrina: *In principio Deus fecit coelum et terram,* seu formavit ex praejacente materia. 4. Prout pariter Sap. XI. 18. legitur juxta graecum textum: *Fecit* Deus *mundum ex informi materia.* 5. Hinc Tertullianus aliique Patres, ac nonnulli etiam theologi fassi sunt creationem ex nihilo ratione potius quam Scripturae auctoritate comprobari. 6. Immo Beausobre [1] creationis dogma alienum esse affirmat ab antiqua judaeorum theologia. Sed et alienum pariter fuit ab antiqua theologia christiana; siquidem Justinus martyr., Origenes, Clemens alex., nullam agnovere creationem ex nihilo, sed materiam aeternam professi sunt. Ergo.

102. Resp. Ad 1. *Neg.* Nam nonnisi ex revelatione dogma hoc novimus; quod adeo verum est, ut et antiquiores philosophi ex ejus ignoratione in absurda systemata, quae paulo ante enumeravimus, dilapsi sint, recentiores vero revelationem dedignati, eadem renovaverint, et creationis dogma rectae rationi adversari proclamarint, uti patet ex kantianis, hegelianis et eclecticis.

103. Ad 2. *D.* Juxta interpretes socinianos, *C.* juxta interpretes catholicos, *N.* Sociniani enim abjicientes omnem sensum traditionalem ex principio protestantico, cui propriam debent existentiam, Scripturam ad propria placita detorquent, nihilque adeo firmiter constitutum est, ut vel glossis vel commentis suis non infirment, sed perperam; sunt enim haec gratuita.

104. Ad 3. vel *N.* vel *D.* Quatenus in graeca lingua verbum ἐποίησε, *fecit,* in eadem significatione usurpatur ac בָּרָא, *creavit, C.* quatenus in sensu *ordinandi* aut *formandi* usurpetur, hoc in loco, *N.* Hoc enim aperte colligitur ex ipso symbolo constantinopolitano, in quo professionem fidei emittimus *in unum Deum factorem*, id est, *Creatorem coeli et terrae.*

105. Ad 4. *Neg.* Etenim in objecto loco Sapientiae auctor in eo Dei potentiam commendat, quod prius condiderit materiam informem, deinde vero

[1] *Hist. Manich.* tom. II. pag. 182.

eam disposuerit tot mirabilia efficiendo quae in mundo sunt, uti pariter insinuatur, in cap. I. Geneseos, ad quod alludit sacer scriptor; quae duo, materiae scilicet creationem et ejus dispositionem, quidam vocant creationem *primam* et creationem *secundam*.

106. Ad 5. *Neg.* Tertullianus siquidem et ex Scriptura, et ex argumento praescriptionis, et ex ratione dogma de creatione ex nihilo evincit adversus Hermogenem. Nullus autem ab adversariis aut ecclesiae Pater, aut catholicus theologus profertur aut proferri potest, qui contrarium aliquando docuerit, seu istiusmodi dogma ex Scripturis demonstrari non posse contenderit.

107. Ad 6. *D.* Quin tamen, quod adstruit, evincat, *C.* ita ut assertionem suam documentis ostendat, *N.* Porro omnia biblica documenta, quae attulimus, assertioni Beausobrii refragantur, falsitatisque eam aperte arguunt, quum nobis constantem exhibeant judaicae gentis traditionalem sensum circa hunc articulum, quemque confirmant Josephus et Philo judaei, ac recepta ab ipso mundi exordio consuetudo distribuendi in septem dies periodum hebdomadarum, quae in omnes pene gentes ex antiqua traditione primitiva diffusa est.

108. Ad 7. *Neg.* Etenim s. Justinus: *Creator*, scribit [2], *nulla re alia indigens, sua virtute et potestate id, quod fit, efficit. Opifex vero accepta ex materia condendi facultate, opus suum construit.* Adeoque Platonem arguit, quod Deum non *creatorem* sed *opificem* fecerit. Origenes autem erroris et impietatis eos accusat [3], qui materiam Deo coaeternam constituerunt, lateque confutat. Nec alia ratione se gessit Clemens alex., qui Dei voluntatem solam hujus conditi orbis causam adstruit efficientem. [4]

109. II. Obj. 1. Creationis notio ex nihilo contradictionem implicat; 2. prout viderunt antiqui philosophi, penes quos vulgatum erat axioma: *Ex nihilo nihil fit;* 3. etenim creari est mutari a non esse ad esse; subjectum igitur, in quo mutatio haec fiat, necessario exigitur, quod cum in nihilo constitui nequeat, patet impossibilem creationem esse; 4. sane materia, quae a Deo creata supponitur, ante creationem vel fuisset in Deo vel extra Deum; jam vero in Deo esse non potuit, qui totus Spiritus est, non extra Deum, alioquin fuisset, antequam crearetur. Ergo.

110. Resp. Ad 1. *Neg.* Nulla siquidem concipi in eo contradictio potest, quod ex non esse educitur ad existentiam Dei omnipotentis virtute.

111. Ad 2. *D.* Viderunt antiqui philosophi, quibus perspectum non erat creationis dogma, *C.* si fuisset ipsis perspectum, *N.* Certe aut neglecta aut ignorata revelatione, difficile admodum fuit antiquis philosophis rerum genesin explicare, uti patet ex Zenone, Xenophane, Platone, Aristotele aliisque antiquitatis sapientibus, qui omnes plus minus circa eam erraverunt, immo et evanuerunt; eo vel magis quod ipsi objectum axioma vel de nihilo

[2]) *Exhort. ad gent.*
[3]) *In Genesim,* cap. 1.
[4]) *Exhort. ad gentes.*

absoluto intellexerunt, vel de nihilo tamquam *termino positivo,* et ex quo res omnes ad esse perductae fuerint, quod certe contradictionem involvit.

112. Ad 3. *Neg. Mutari* enim proprie significat transitum ab uno positivo essendi statu in alium; jam vero quae condita ex nihilo sunt, ex non esse ad esse divina omnipotentia educta sunt, adeoque coeperunt esse, non autem mutata sunt, ac proinde nullum requiritur subjectum, in quo fieri mutatio debeat.

113. Ad 4. Resp. fuisse in Deo *virtualiter* non autem *formaliter,* uti scholae loquuntur, quatenus Deus virtute pollet materiam, quae nonnisi in possibilitate erat, ad existentiam educendi.

114. Inst. 1. Modus creationis concipi nequit, neque ulla experientia fulcitur, ergo est impossibilis e nihilo creatio; 2. aut saltem ab aeterno constitui debet, cum a causa aeterna et necessaria veluti effectus profluat; 3. immo cum effectus causae proprietates, ex qua dimanat, participare debeat, hoc ipso mundi creatio debet aeterna esse, ut intellectio respectu intellectus; 4. profecto nulla ratio assignari potest, cur Deus adeo distulerit creationem; 5. nisi enim ab aeterno facta fuisset, debuisset tempus infinitum creationi praecedere, quod est absurdum. Ergo.

115. Resp. Ad 1. *Neg. conseq.* Ex eo enim quod aliquid nobis incomprehensibile sit, profecto non sequitur, id impossibile esse censendum. Innumera prope sunt, quae oculis nostris obversantur, quaeque in nobis etiam experimur, modum tamen, quo sunt et operantur, plane ignoramus.

116. Ad 2. *D.* Mundi creatio a Deo est veluti a causa libere agente et quidem extra se, *C.* necessario agente et intra se, *N.* Ludunt adversarii in ambiguo, dum permiscent causam necessariam in se, seu necessario existentem, cum causa libere effectum producente. Prius verissimum est, cum Deus sit ens necessarium, seu necessario existens, posterius est falsum, cum Deus possit ad extra effectum producere vel non producere actu libero suae voluntatis. Accedit, quod nonnisi improprie creatio dicatur *effectus;* nam mundus effectus dicitur, quatenus productus a Deo est, non autem quatenus ex causa proprie sese evolverit, uti in causis physice agentibus contingit.

117. Ad 3. *Neg.* Responsio patet ex modo dictis, difficultas enim haec ex falsa suppositione oritur.

118. Ad 4. Resp. assignari Dei voluntatem, quae reipsa unica ratio est, quae a nobis reddi possit, ut omittamus prius ac posterius relativa nobis esse: nam in aeternitate nihil ejusmodi locum habere potest.

119. Ad 5. *Neg.* Tempus enim proprie cum rerum effectione incipit, exinde enim incipit successio, sine qua tempus concipi nequit, atque hinc est, quod creatio potius *cum* tempore coeperit, quam *in* tempore, nisi malis usurpare *in* tempore, pro *cum* tempore. Tempus proinde, quod ante creationem ab adversariis fingitur, nonnisi imaginarium est.

CAPUT II.

DE MOSAICA COSMOGONIA.

120. Increduli non ita pridem se plura blandiebantur invenisse tum ex physicis, tum ex geologicis, tum ex astronomicis argumenta ad concutiendam mosaicam cosmogoniam, aut saltem geogoniam. Ex physicis quidem, quatenus assumebant sive aquae sive ignis actionem longiorem periodum exigere ad telluris interiorem constructionem, quam quae a Moyse figitur, perinde ac ad montium primitivorum, quos vocant, formationem. Ex geologicis ad idem adstruendum urgebant maris situs mutationem, vulcanorum extinctorum pervetustam antiquitatem; fossilia in terrae visceribus delitescentia, aliaque ejusmodi non pauca. Ex astronomicis provocabant ad eclipticae inclinationem, ad constellationum, zodiaci praesertim evolutionem, ad phaenomena praecessionis aequinoctiorum etc., quae quidem omnia necessario eam saeculorum seriem exposcunt, quae cum historia mosaica conciliari nullo modo possunt.

121. Verum I. animadvertendum est, mosaicam chronologiam proprie ab hominis creatione initium ducere, siquidem Moyses Adae caeterorumque patriarcharum annos tantummodo enumeravit.

122. II. Notandum praeterea est, neque Patres neque interpretes sacros ac theologos consentientes esse circa dierum, de quibus scribit Moyses Genes. I. naturam; alii siquidem creationem dispositionemque omnium putant uno eodemque instante peractam fuisse, uti s. Augustinus et illi, qui eum sequuntur, qui proinde dies mosaicos allegorice interpretantur; alii vero de totidem temporis periodis indeterminatis dies illos accipiunt; quod quidem tum ex vaga *diei* significatione apud Moysem ipsum, usuque penes Graecos et Latinos consecrato colligunt, tum ex natura trium priorum dierum eruere se putant, qui certe caeteris similes esse nequiverunt, nondum conditis luminaribus, quae praeessent diei ac nocti, nec non ex postremo die, qui adhuc perseverat; etenim *dies septimus*, inquit Augustinus [1], *sine vespere est, nec habet occasum.*

123. III. Denique, dato etiam quod de diebus naturalibus in Genesi sermo sit, haud pauci, ex recentioribus praesertim, existimant duplicem in mosaica ratione epocham esse distinguendam, alteram quae tribus prioribus versiculis concluditur, scilicet ante lucis creationem; alteram vero quae a lucis formatione incipit, et protrahitur in seqq. versiculis. Jam vero in horum sententia prior illa indeterminata est, ac tempus indefinitum complectitur explicandis phaenomenis, quae difficultatem facessunt, maxime idoneum.

124. Nullum horum placitorum fidei adversatur, cum numquam hac super re ecclesia quidpiam definierit. Adeoque, quod consequens est, aut

[1]) Lib. XIII. *Conf.* cap. 36.

quae ab adversariis opponuntur cosmogoniae mosaicae, commode per communiorem sententiam, quae sensum litteralem sex dierum naturalium sectatur, disjici possunt, et huic erit insistendum; aut talia sunt, quae nisi confugiatur ad aliquam ex datis expositionibus, explicari nequeunt, et in hac hypothesi nihil vetat, quominus aliqua earum admittatur, et salva erit mosaica cosmogonia.

125. His praemissis jam via facilis patet ad doctrinam catholicam adstruendam. Sit igitur

PROPOSITIO.

Neque ex geologicis aut physicis, neque ex astronomicis observationibus quidpiam eruitur, quo cosmogonia mosaica infirmari possit.

126. Cum vix praeoccupata non fuerint, quae ab incredulis adversus mosaicam cosmogoniam objici solebant, aut etiam objici possunt, ad pleniorem tamen catholicae causae triumphum, et ad magis detegendam conatuum infirmitatem, quibus ipsi tanta fiducia sibi adblandiebantur evertere sacrorum Bibliorum veritatem, nonnulla subjiciemus, quae huc referuntur.

127. Atque 1°. animadvertimus omnia pene obsolevisse systemata illa geologica, quae ad haec ferme tempora invecta sunt, uti contraria mosaicae cosmogoniae, quaeque ad octoginta excreverant; 2°. plures, eosque doctissimos physicos et geologos Walerium, Kirvan, Pallam, Hermenegildum Pinium, Henslerum, de Luc, André, Buckeland aliosque, etiam non recedendo a communi interpretatione, contendere mosaicam cosmogoniam apprime convenire cum observationibus a se institutis. Qui proinde veluti somniatores habent quotquot aut ex telluris constructione, aut ex ejus superficie adnisi sunt falsitatis mosaicam cosmogoniam arguere. 3°. Immo videmus doctos geologos Brocchi, Demerson, de Luc, adeo progressos esse, ut consentientem ostenderint historiam mosaicam cum observationibus suis. 4°. Quae communi textus intelligentiae ac vulgari interpretationi obsistere potissime videbantur, nullius esse momenti doctiores naturalistae fassi sunt. 5°. Plura phaenomena a noetico cataclysmo explicari optime posse contendunt, praesertim si admittatur terras minus elevatas olim ab aquis maris usque ad diluvium coopertas fuisse; exinde enim repetunt ossa fossilia elephantum, rhinocerotum, aliorumque animantium, quae adhuc passim deteguntur.

128. Id ipsum contigit difficultatibus, quae pariter non ita pridem petebantur ex astronomia, ac praecise ex motu eclipticae, ex phaenomenis aequinoctiorum, ac nutationis axis telluris lunae ac planetarum; qui enim haec studia excoluerunt, nullas illas plane esse demonstrarunt; Eulerus enim prius quidpiam suspicatus fuerat, sed postea, scientia magis progrediente, absque ulla ambage Lagrange, Laplace, Frisius, aliique ostenderunt motum eclipticae non esse progressivum, sed oscillatorium; parvas irregularitates, ex quibus phaenomenon oritur praecessionis aequinoctiorum nuncupatum, ex motu poli qui *nutationis* dicitur, provenire compererunt, perinde ac telluris

inclinationis, caeterorumque phaenomenorum coelestium, ex quibus difficultates promebant increduli.

129. Tantum igitur abest, ut scientia, cum perfectionem attingit, religioni adversetur, ut eidem potius consolidandae atque tuendae non parum conferat. Quapropter dimissis, quae ambitioso quondam apparatu objiciebantur, ea dissolvemus, quae a rationalistis adhuc obtruduntur.

DIFFICULTATES.

130. I. Obj. 1. Duplex cosmogoniae species, quae exhibetur Genes. I. 1, et II. 4. mythis priscarum gentium simillima e philosophematibus et antiquissimis traditionibus videtur esse conflata. 2. Duplicis enim illius cosmogoniae auctor sibi in illis tradendis finem proposuit, *primo* unius Dei conditoris notionem veluti religionis et politici regiminis israelitici fundamentum confirmare, *secundo* constituere observationem diei Sabbati in Dei honorem. 3. Caeterum cum ejusmodi cosmogonia nec secum bene cohaereat, neque cum vera Numinis idea, neque cum perspecta nobis historia telluris, frustra in hoc mytho solutionem quaestionum metaphysicarum quaeras. Ergo.

131. Resp. Ad 1. *Nego* duplicem in primis a Moyse cosmogoniae speciem tradi, capp. I et II. Geneseos, sed una eademque est, quodque compendiose in primo capite continenti oratione absolvitur, latius explicatur in capite secundo circa hominis creationem. Negamus praeterea Moysen a philosophematibus aut antiquissimis priscarum gentium traditionibus historiam de mundi origine hausisse; ipsi enim praesto erat domestica patriarcharum traditio, ac etiam, si placet, non defuerunt ipsi sincera documenta, quibus tuto posset de veritate certior fieri. Cosmogoniae antiquarum gentium fabulis et amplificationibus refertae post plura a Moysis aetate saecula a phoeniciis et graecis scriptoribus editae sunt.

132. Ad 2. *D.* Praestituto fundamento historico ac reali, *C.* hoc non supposito, *N.* Nihil vetat, quominus historica rei veritate praestituta, Moyses ad duplicem illum finem cosmogoniam ordinaverit ac direxerit; nam duplex hic finis esset intrinsecus atque ex ipsa rei natura profluens. Ast fingere historicam narrationem suam ad duplicem hunc finem obtinendum absurdum est, nec ullo modo probari ab adversariis potest, qui in hoc asserendo solis conjecturis gratuitis indulgent, et cum recens esset adhuc universalis traditio, argui falsitatis facile potuisset Moyses, neque figmentum suum ulli persuadere potuisset.

133. Ad 3. *Neg.* Quicumque enim comparaverit caput II. Geneseos cum I. illico comperiet utrumque apprime inter se cohaerere nec de duplici geogonia, sed de una eademque sermonem esse. Certe hanc incohaerentiam adversarii non ostenderunt, ac nemo eam hactenus deprehendit. Conciliari autem illam non posse cum vera summi Numinis idea, aliud somnium vulgarium rationalistarum est; summae siquidem Dei sapientiae, potentiae ac bonitatis ideam exhibet mosaica cosmogonia; ecquid aliud exigerent adversarii ad veram Numinis ideam comparandam? Quomodo vero perspecta nobis

telluris historia cum mosaica geogonia conveniat, vidimus ex geologis peritissimis, quibuscum rationalistae comparari non possunt, quum quod ignorant, loquantur. Quae cum ita sint, patet quid sit iis respondendum, cum adjiciunt mosaicam narrationem mythum esse metaphysicis quaestionibus solvendis imparem. Haec non sunt nisi verba sensu vacua, quaeque ex systemate *a priori* constituto dimanant.

134. II. Obj. 1. Moysis cosmogonia infantiam redolet physicae scientiae et astronomicae; 2. terram enim sistit veluti centrum, ad quod universum systema coeleste referatur, sidera vero tamquam coelo expanso infixa; 3. dies quinque terrae instruendae assignat et unicum corporibus coelestibus efformandis; 4. nubes veluti solidum diductum exhibet ad detinendas aquas superiores destinatum; 5. nondum astris constitutis, dierum noctiumque vicissitudines refert; 6. animantia e terra eruit; 7. frustra proinde vetus ejusmodi commentum cum aevi nostri scientia componere studeas. Ergo.

135. Resp. Ad 1. *D.* Id est, non reperitur in mosaica cosmogonia tractatus scientificus physices ac astronomiae, *C.* non reperitur quod ad scopum satis est, *N.* Scopus Moysi fuit nobis praebere mundi creationis historiam, et hunc obtinuit; quod nobis sufficit.

136. Ad 2. *D.* Qui reipsa potissimum geogoniam sibi describendam Moyses assumpsit, *C.* absolute, *N.* Nam nihil ibi visitur de systemate universi, neque modum, quo universum se habeat, nobis tradere Moyses constituit. Sidera Moysen exhibere velut coelo expanso infixa ex proprio nobis dant rationalistae, de hoc siquidem Moyses ne verbum quidem.

137. Ad 3. *D.* Quia hanc describendam Moyses assumpsit, *C.* quasi reipsa unicum diem coelis formandis tribuat, *N.* Paulo ante attulimus diversas interpretationes expositorum et doctorum hominum circa intelligentiam textus Geneseos, adeoque si una potius quam altera arrideat, quae melius componi possit cum systemate universi, nihil est quod obsistat.

138. Ad 4. *Neg.* Haec pariter adversariorum excogitatio est, nec de *solido* firmamento quidpiam Moyses scripsit. Firmamentum, de quo loquitur Moyses, est atmosphaera, quae reipsa inservit aquis ab aquis dividendis, evaporatis videlicet aut evaporandis.

139. Ad 5. *D.* Quatenus exhibet lucem ab astris independentem, *Tr.* vel *C.* alio sensu, *N.* Duplex systema viget apud recentiores physicos, *emissionis* scilicet et *vibrationum* circa lucem; ex Moysis historia posterius hoc, quod nunc communius est, ad summum videretur magis conforme veritati esse, et sacram historiam scientiae etiam hac in parte praeivisse. Motu autem luci communicato dierum noctiumque vicissitudines haberi potuerunt.

140. Ad 6. *D.* Accedente Dei jussu ac potentia, *C.* per se, *N.*

141. Ad 7. *Neg. consequent.* Quin potius ex hactenus disputatis liquet non solum historicam Moysis narrationem de mundi origine conferri cum statu scientiarum naturalium posse, verum etiam debere suspici antiquissimi hujus libri accuratam adeo rerum notionem, ut non obstante mirifico scientiae pro-

gressu, nec verbum nec apex sit, qui non plene cum eo conveniat. Opus siquidem hoc non hominis, sed Dei est.

CAPUT III.

DE MOSAICA EPOCHA QUATENUS SPECTAT HUMANUM GENUS.

142. Chronologia mosaica, quae ab hominis creatione juxta textum hebraicum et vulgatam latinam editionem ab Adam ad nos usque, annos plus minus sex millia enumerat; septem eoque amplius millia effluxerunt juxta graecam alexandrinam seu LXX versionem; codex samaritanus mediam veluti epocham inter utramque assignat.

143. Nihil intentatum reliquerunt increduli, ut falsitatis arguerent historiam mosaicam, undique corrogarunt argumenta ex Aegyptiorum, Chaldaeorum, Indorum atque Sinensium annalibus, ut quod sibi proposuerunt, aliquo modo efficerent. Ast infelicem laborum suorum exitum sortiti sunt; in tanta enim historiae et critices, qua fruimur luce, sic omnia sunt discussa, ut vix nunc non pudeat nos ipsorum argumenta proferre. Hoc tamen lucri exinde consequimur, ut in propatulo ponamus imbecillitatem eorum, qui religionem aggrediuntur, et hujus soliditatem, quae nullius impetus reformidat.

PROPOSITIO.

Frustra increduli ex historicis documentis affirmant humanum genus antiquius esse epocha, quam Moyses constituit.

144. Nulla historica documenta ultra sextum ante Christum saeculum penes ethnicos, quae fidem mereantur, sive in occidentalibus sive in orientalibus regionibus existunt: ergo ex historicis documentis assignari nequit humano generi epocha, quae antiquior illa sit, quam idem Moyses constituit. Sane ad occidentales populos quod attinet, documenta ejusmodi apud illos non reperiri, ultro dant adversarii ipsi: quod vero spectat ad orientales, quibus Graecos etiam accensemus, omnium antiquior historicus, qui ad nos pervenerit, est Herodotus, qui floruit anno 440. seu saeculo V. cum dimidio ante Christi adventum, reliqui omnes posteriores sunt. Porro quae graeci scriptores facta antiqua referunt, aut mythologica sunt, aut ultra Moysis aetatem non se porrigunt, cujusmodi sunt quae de Cecropis, Deucalionis, Cadmi, Danai et Dardani migrationibus scriptis consignarunt.

145. Nec aliud judicium ferre possumus de iis, quae Aegyptii, Chaldaei, Indi ac Sinenses ad antiquitatem sibi vanam tribuendam proferebant. Critici siquidem omnes sive antiquiores sive recentiores uno ore veluti fabulosa rejecerunt chronica babylonensia et aegyptiaca, ex antiquioribus quidem Tullius, Varro et Plutarchus, ex recentioribus omnes prorsus. Quae quidem ex ipsa Moysis agendi ratione confirmantur, qui Aegypti scientiis enutritus, documenta, si quae erant, cognovisset, attamen nonnisi recentem mundo originem assignat, cumque praevidisset ac praedixisset populum suum penes

gentes omnes dispersum iri, tamen numquam falsitatis argui historiam suam posse certus omnino fuit.

146. Exitus porro veritatem mosaicae historiae confirmavit; Josephus Hebraeus, qui ut Romanorum indoli morem gereret, in suis Archaeologiae libris passim miraculorum magnitudinem extenuat; quod vero attinet ad mundi antiquitatem, Moysi apprime consentit. Immo scribens adversus Appionem alexandrinum, data opera Moysem vindicat atque tuetur. Sic etiam Celsus christianae religionis acerrimus impugnator, apud Origenem [1], recentem mundi originem vel invitus fateri debuit. Democritus, referente Diogene Laertio [2], peragratis Aegypti, Chaldaeae, Persidis, Aethiopiae, Indorumque regionibus, excussisque quotquot potuit illarum gentium documentis, in Graeciam redux mundum recens ortum proclamavit nullumque monumentum Thebano bello, ac Trojae excidio antiquius reperiri.

147. Restant Sinensium Indorumque antiquitates excutiendae. Porro quae de sinensibus antiquitatibus magnificabantur, nunc critica lance discussa sunt, atque inde compertum est primam annalium Sinensium partem totam mythologicam esse, alteram vero partem putidis fabulis scatere, tertiam denique aliquam historiae speciem prae se ferre, quae tamen vix ad Abrahae tempora pertinet, uti ostenderunt Goguet et Gerdilius. Idem dic de antiquitatibus indicis, quae juxta Guillelmum Jones et caetera societatis Calecutii membra vix pertingunt ad Sinensium et Aegyptiorum monumenta. Ezour Vedae, cujus antiquitatem adeo extollebat Voltaire, compertum est esse opus suppositititium P. Roberti de Nobilibus Soc. Jesu, qui illud conscripsit anno 1632. in lingua sanscritica, quam apprime callebat. Atque hae sunt antiquitates illae, quae ad Scripturarum auctoritatem evertendam opponebantur!

148. Cum mosaica historia congruunt historia profana, initia atque incrementa scientiarum et artium, ipsaeque denique observationes geologicae. Perhibet enim Moyses filios Noe in campo Sennaar primum versatos esse, ex quo deinceps emigrationes coeperunt; jam vero Babylonenses, Aegyptii et Assyrii, quibuscum Chaldaei permiscentur, primae gentes sunt, de quibus Herodotus et Diodorus siculus mentionem injiciunt. Quod si oculos ad scientiarum et artium originem et progressus convertamus, nullum de illis ante Moysem occurrit vestigium. Cadmus, qui uti perhibetur, primus ex Phoenicia in Graeciam litteras seu alphabetum detulit, nonnisi 12 aut 16 ante Christum saeculis floruit. Ante Thaletem et Pythagoram vix auditum philosophiae nomen. Quod si adeo antiqua est mundi origo, qualem adversarii contendunt, intelligi nequit, qui fieri potuerit, ut tanta saeculorum serie humana mens activitatem ac energiam suam numquam explicuerit, sed in perpetua infantia haeserit. Observationes denique geologicae a Cuvier, De Luc, Brochi, Ranzani, aliisque institutae, mosaicae historiae veritatem confirmant. Ex illis enim constat nusquam fossilia humana, seu *anthropo-*

[1]) *Contr. Cels.* lib. I. n. 20. [2]) Lib. IX. *Segm.* XXXV.

litas, ut vocant, reperta hactenus fuisse, aut si quae reperta perhibentur, dubia omnino ac rarissima esse; neque pariter uspiam apparuisse instrumenta sive metallica sive lapidea ab hominibus fabrefacta in locis et adjunctis, quae nimiam ostendant antiquitatem.

149. Quae cum ita se habeant, pronum est colligere adeo firmam consistere mosaicam de generis humani primordiis epocham, ut nullis omnino argumentis concuti illa possit.

DIFFICULTATES.

150. I. Obj. 1. Observationes astronomicae penes Chaldaeos, teste Herodoto, asservabantur quadringentorum septuaginta duorum annorum millium. 2. Hic ipse historicus refert se ab Aegypti sacerdotibus accepisse documenta, quibus longa regum et pontificum series continebatur, quae pertingeret ad ann. 11,340 ante Christum. Quo temporis spatio bis sol ab occidente ortus est, bisque occidit ad orientem. Observationes astronomicae penes Indos ac Sinenses praedictis plane consonant. Zodiacum et planisphaerium detecta in templis Tentyrae atque Latopolis, quae juxta regulas *praecessionis aequinoctiorum* a duodecim annorum millibus constructa reperiuntur, hactenus dicta confirmant. Ergo.

151. Resp. Ad 1 et 2. *D.* Observationes asservabantur apud Chaldaeos imaginariae, non secus ac imaginaria documenta regum successionis et pontificum penes Aegyptios, *C.* realia, *N.* Ut ordine progrediamur in iis, quae objiciuntur, observationes astronomicae Chaldaeorum, uti ostendit La Place [3], non excedunt ann. 800 aerae christianae, neque eis antiquiores sunt observationes Aegyptiorum; adhuc recentiores sunt, ut ibid. idem auctor ostendit, observationes Indorum ac Ptolomaeo posteriores. Delambre vero evincit [4], longe probabilius Sinenses doctrinam astronomicam mutuatos primum esse ab Indis, deinde a Mahumedanis. Vel ipsimet Sinenses fatentur antiquas omnes suas observationes ac tabulas periisse, nec nisi ann. 104 ante Christum Sse-Ma-Tssien nonnulla documenta ac praecepta collegisse ad dimetiendum planetarum motum, et ad eclipses determinandas. Nec est quod immoremur in aenigmatica sacerdotum Aegyptiorum evolvenda narratione de duplici solis ortu in occidente et occasu in oriente, in quo specimen habetur illorum imperitiae in doctrina astronomica; cum vel mentiti fuerint, vel decipere Herodotum voluerint.

152. Quod attinet ad prodigiosas series regum et pontificum Aegyptiorum, de quibus idem scriptor egit, nonnulli suspicantur eas fuisse collaterales, non autem successivas; alii censent fuisse series illas confictas, certe nihil actum ab ejusmodi suppositis regibus traditur.

153. Exploratum vero penes viros doctos nunc est, templa Tentyrae atque Latopolis recentioris constructionis esse, quippe quae initio aerae chri-

[3]) *Expositio systematis mundi,* lib. V. cap. 1.

[4]) *Historia astronomiae antiquae,* lib. II. cap. 1.

stianae aut paulo post aedificata sunt; adeoque tum zodiacum tum planisphaerium ad haec tempora pertinere. Sic etiam compertum est divisionem signorum in zodiaco nullam habere cum solstitio, uti putabatur, relationem. Concidunt propterea, quae increduli ex ejusmodi fictitiis antiquitatibus adversus mosaicam chronologiam petebant, quibusque se plenum de divina revelatione triumphum retulisse gloriabantur.

154. II. Obj. 1. Fieri nequit ut tam cito multiplicaretur genus humanum ad universam terram occupandam. 2. Nullum insuper argumentum est, quod ex artium scientiarumque progressu instituitur ad novitiam generis humani evincendam originem, cum vicissitudinibus nobis ignotis, aut generalibus cataclysmis oblivioni dari illae potuerint. Ergo.

155. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem supputationibus ab Eulero aliisque matheseos peritis ostensum est brevi intervallo ann. 400 a creatione aut diluvio ita multiplicari homines potuisse, ut vix terra ipsis alendis sufficeret. Ad cujus rei confirmationem satis est adducere exemplum Israelitarum, qui ann. 240 in Aegypto ita multiplicati sunt, ut ex 70 animabus, quae in eam regionem descenderant, sexcenta hominum millia armis ferendis idonea exierint, quibus si objicias senes, qui ann. sexagesimum aetatis excesserant, juvenes qui nondum ann. vigesimum attigerant, foeminas denique omnes, habebis ad minus tres myriades.

156. Ad 2. *D.* Si indulgendum esset conjecturis omni probabilitate destitutis, *Tr.* si factis insistendum sit, *N.* Satis non est ad factum evertendum sese intra possibilia conjicere, sed documentis opus est, quae cum adversarii nulla proferant, argumentum nostrum ne attingunt quidem. Nonnullae praeterea artes talis necessitatis sunt, usuque jugi et quotidiano tritae, ut semel inventae perire nullatenus, quavis vicissitudine supposita, potuerint, nisi universum periisset humanum genus.

PARS TERTIA.

DE HOMINE.

157. Regia quodammodo aede constituta, rex, qui eam incoleret, erat accersendus; quod Deus praestitit, dum adspectabili universo hoc prius condito, ad hominem creandum se contulit, ut ejus usu et contemplatione frueretur, seseque ad Dei cognitionem, admirationem et amorem attolleret. Cum vero de hoc nobilissimo Dei opere agere aggredimur, illas quaestiones missas facimus, quas sibi uti proprias vindicant sacrarum Scripturarum ac philosophiae institutores; nos eas persequemur, quae propriae theologi dogmatici censentur. De hominis proinde creatione, felicitate et gratia seu gratuita elevatione, de ejusdem deinceps lapsu, et peccati originalis propagatione et effectibus; de futura denique ejus pro meritis sorte ac resurrectione disceptare constituimus.

CAPUT I.

DE HOMINIS CREATIONE.

158. Circa anthropogoniam seu hominis originem potissimum increduli evanuerunt; cum enim creationem sint inficiati, qua una explicari hominis origo potest, incredibile dictu est, quam insana et absurda commenta excogitaverint. Alii quippe effutierunt hominem ab ovo, alii a limo, alii ab ipsius terrae foecunditate prodiisse. Rationalistae ipsam aggrediuntur mosaicam de hominis creatione historiam, quam veluti mythum traducunt; his adjiciendi sunt praeadamitae nuncupati, qui, duce Isaaco La Peyrerio calviniano, autumarunt alios homines Adae praeextitisse, quem tamen errorem una cum calviniana secta ille ejuravit, nec non coadamitae, qui plures simul homines immo et hominum species varias conditas esse existimarunt. Ad hos igitur errores evertendos nos prius immediatam primorum hominum a Deo creationem factam propugnabimus, deinde unicam humano generi originem contra praeadamitas et coadamitas vindicabimus.

PROPOSITIO I.

Primi parentes immediate a Deo conditi sunt.

159. Haec propositio de fide est, uti constat ex concilio lateranensi IV. cap. *Firmiter,* statuente *unum esse universorum principium Creatorem omnium... qui sua omnipotenti virtute... utramque condidit creaturam ... ac deinde humanam, quasi communem ex corpore et spiritu constitutam.* Dum vero dicimus protoparentes *immediate* a Deo conditos esse, significamus totum hominem tum quoad corpus tum quoad animam, adversus eos, qui saltem corpus primi hominis ex causis naturalibus e. gr. ex terrae limo, fungorum instar, prodiisse affirmant; non autem illorum impetimus doctorum sententiam, qui censent Deum angelorum ministerio humanum corpus coagmentasse, cui deinceps ipse vitam et animam infuderit. Licet enim huic placito minime assentiamur, cum tamen fidei non adversetur, ideo ne domesticum dissidium instituamus, illud praetermittimus. Sic porro veritatem enuntiatae theseos evincimus, Genes. II. 7. legitur: *Formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Deus igitur totum hominem condidit; corpus quidem, quatenus illud e *limo terrae formavit*, animam autem quatenus eam *inspiravit.*

160. Ad foeminam autem quod attinet, legitur ibid. v. 21: *Immisit Dominus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus et aedificavit eam in mulierem.* Etsi liberioris ingenii homines ejusmodi foeminae formationem uti mythicam habeant aut saltem allegoricam, in historico tamen ac litterali sensu adducta verba intelligenda esse suadent tum ipsa orationis series, tum sensus Hebraeorum traditionalis, tum denique caeterorum sacrorum librorum ineluctabilis auctoritas.

161. Etenim nisi in primis litteralis sensus veritas admittatur, cohaerere non amplius cum praecedentibus insequentia possent. Vix enim Adam e sopore suo expergefactus Hevam conspexit, ut in illas voces eruperit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Ad quae alludens Paulus, scribit [1]: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro;* et similia habet, I. Tim. II. 13. Judaei omnes, si paucos rabbinos fabulatores excipias, communi consensu litterali sensu mosaicam narrationem intelligunt. Veteres ecclesiae Patres in ratione, qua Heva ex latere Adam dormientis educta est, agnoscunt typum seu figuram ecclesiae, quae ex latere demortui Salvatoris efformata est.

162. Hujus historici facti vestigia in omnium pene gentium etiam recens detectarum traditionibus deprehendere est. Ipsis enim adversariis fatentibus, mythi recepti penes superioris Asiae populos parum differunt a mosaica descriptione; penes populos Novae Zelandiae, et insularum Tongae traditionem de muliere ex latere viri educta reperit anno 1830. Donant d'Oreille. Quae quidem argumento sunt de nativo mosaicae historiae sensu, adeoque de immediata protoparentum a Deo facta creatione.

DIFFICULTATES.

163. I. Obj. 1. Nihil vetat, quominus primum hominem ultro e terra prodiisse admittamus per fortuitam motus ac materiae conjunctionem, prout e terra jugiter animalia organis instructa producuntur. 2. Mosaica historia Gen. II. 7. evincit hominem puduisse humilis conditionis suae, nobilioremque sibi a Deo originem accersivisse; 3. cum praeterea prima anthropogonia, quae exhibetur Gen. I. 26. purior ea sit, quae traditur ibid. II. 7, 21, 22, illa praeferri debet. Ergo.

164. Resp. Ad 1. *Neg.* Haec enim hypothesis absurda est, qui enim vel leviter admirabilem sub quovis respectu consideret humani corporis (ut nihil de anima dicam) structuram, nequit non suspicere divini conditoris sapientiam. Tribuere proinde fortuitae motus ac materiae conjunctioni opus adeo perfectum, vere est camelum deglutire, prout increduli faciunt, qui dummodo Deum non cogantur agnoscere, absurda quaelibet lubenti animo devorant. Animalia organis instructa quotidie a natura ultro produci novum est adversariorum figmentum a sana physice abhorrens.

165. Ad 2. *D.* Juxta adversarios, *C.* juxta rei veritatem, *N.* Dum vero rationalistae ejusmodi originem spernunt, ipsi nescirent aliam eidem sufficere.

166. Ad 3. *Nego* falsum adversariorum suppositum de duplici mosaica anthropogonia, cum nonnisi una eademque in utroque capite referatur, licet diversa ratione; prout in simili argumento de duplici creatione paulo ante animadvertimus. Illud igitur ipsum, quod summatim et compendiose de

[1]) I. Cor. XI. 8.

hominis creatione retulerat Moyses in capite primo, uberius exponit in capite secundo.

167. II. Obj. 1. Hevae ex costa Adam formatio philosophema est ad mutuum in utroque sexu instinctivum amorem a Creatore inditum significandum. 2. Simili mytho usus est Plato in eumdem finem. 3. Voces emissae ab Adam expergefacto cum Hevam conspexit, fabulae adornandae causa adjectae sunt. 4. Ab hac expositione non valde absunt catholici ipsi interpretes, quorum aliqui allegorice Moysis verba intellexerunt, uti Cajetanus, alii autem hominem androgynum prius ab eo conditum vel hermaphroditum existimarunt. 5. Quam expositionem ipsa quodammodo rei natura exposcere videtur, alioquin primus homo monstrosus vel antea vel postea fuisset, antea utpote constans costa superflua, postea utpote costa deficiente. Ergo.

168. Resp. Ad 1. *D.* Id est, Hevae formatio ex Adae costa a Deo directa est ad mutuum conjugum amorem significandum, *C.* narratio ipsa historica mythica est, *N.* Duo haec distingui debent, prius enim verissimum est, et ecclesiae Patres illam significationem agnoverunt; ast ejusmodi significatio in litterali facti veritate fundatur; posterius est falsum, alioquin historiae veracitas periclitaretur. Biblicis reservatum erat purum philosophema in historia mosaica reperire.

169. Ad 2. *D.* Plato mytho suo exornavit quod in traditione populorum orientalium invenit, *C.* purum mythum dedit, *N.* Ostendit enim Banier [2], antiquae traditionis de mulieris formatione vestigia penes omnes gentes orientales conservata esse: has igitur cum peragratus esset Plato, inter caeteras traditiones et hanc invenit, quam ipse deinceps exornavit fingendo ab initio marem et foeminam simul conjunctos conditos esse, quos Jupiter postea in duos dissecuit.

170. Ad 3. *Neg.* Ejusmodi siquidem violenta expositio, cum unice innitatur falso supposito de narratione mythica, veritate historiae constituta, ex se concidit.

171. Ad 4. *D.* Qui proinde deserendi sunt, *C.* ipsis est adhaerendum, *N.* Nam hoc ipso, quod hi expositores a veritatis tramite aberraverint, suis conjecturis plus aequo indulgentes, utpote singulares deserendi sunt, nec ulla eorum interpretationis ratio haberi debet. Idque iis omnibus accidit, qui in Scripturarum explanatione sensum traditionalem deserunt ad novitates aucupandas.

172. Ad 5. *Neg.* Etenim si Deus aliam costam suffecit, ut innuit sacer textus, pro alia quam aedificavit in mulierem, jam sponte fluit Adam monstrosum non extitisse, sive ante sive post Hevae formationem, seu non peccasse ejus corpus aut excessu aut defectu, uti adversarii supponunt.

[2]) *Mythologia ac fabulae ab historia explicatae,* tom. I. lib. I. cap. 1.

PROPOSITIO II.

Universum humanum genus ab Adam omnium protoparente propagatum est.

173. Haec propositio spectat ad fidem; huic enim innititur dogma de propagatione peccati originalis: statuitur vero tum adversus *praeadamitas*, tum adversus *coadatamitas*, qui scilicet autumant aborigenes sive autochthonas in peculiari terrae solo conditos esse et ex ipsis diversas hominum repetunt species. Praeadamitae Scripturis utuntur, adeoque Scripturae auctoritatem adversus illos urgemus: coadamitae eam rejiciunt, hinc argumentis solum extrinsecis eos urgere possumus.

174. Jam vero sic in primis ex Scriptura adversus praeadamitas insurgimus: divina eloquia unum Adam veluti totius humani generis progenitorem exhibent, ergo nulli extitere praeadamitae. Sane Genes. I. 27. legitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam ..... masculum et foeminam creavit eos.* De hoc rursum homine, priusquam enucleatius ejus creatio describatur, dicitur ibid. cap. II. 5: *Et homo non erat, qui operaretur terram;* et iterum, v. 20: *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus;* denique cap. III. 20: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva: eo quod mater esset cunctorum viventium.* His consonant quae leguntur Sap. X. 1: *Haec* (Sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit;* et Act. XVII. 26: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.*

175. Huc accedit sensus traditionalis Hebraeorum et Christianorum constans et universalis, nec non dogma de propagatione peccati originalis in omnes homines, quod huic facto innititur.

176. Sed ut coadamitas jam aggrediamur, qui populos aborigenes seu autochthonas inducunt sive a Deo conditos sive e solo sponte prodeuntes, sic arguimus: I. Anthropogoniae omnes, quarum memoria extat, cum anthropogonia mosaica prorsus conveniunt. Ex Sanchuniatone apud Eusebium [1], habemus ex *Meruach Kolpia* seu *ex Spiritu vocis Dei* procreatos esse *aeonem* et *protogonon*, Adam videlicet et Hevam, ex quibus caeteri homines sunt progeniti. Idem habemus ex Beroso, apud Syncellum, in sua *Theogonia;* nec non ex Diodoro Siculo [2], qui exhibet theogoniam Aegyptiorum et Graecorum; item ex Orphei *Hymno* I; Hesiodi, lib. I. inscripto *Dies;* Aristophanis comoedia cui titulus *Aves*, v. 667; Horatii *Odar.* lib. I. *Ode* XVI. v. 13, et Ovidii *Metamorph.* lib. I. v. 75. quae omnia collecta inveniuntur apud Banier, op. cit.

177. II. Conveniunt traditiones omnium populorum tum antiquiorum tum recentiorum, quas inter caeteros collegit Klaproth in *Tabulis historicis Asiae.*

178. III. Historiae omnes, quae coloniarum transmigrationes ex Asia,

[1]) *Praepar. evangel.* lib. I. cap. 10. [2]) *Biblioth.* lib. I. cap. 1.

praesertim vero Chaldaea, Phoenicia, Aegypto, Graecia etc. referunt. Has praeterea consentiunt in exhibenda communi populorum origine, ac in tenuibus uniuscujusque populi principiis assignandis, quae postea incrementa acceperunt, uti traditur in historia mosaica, cujus profanae historiae veluti totidem commentarii spectari possunt.

179. IV. Convenit philologia, ex qua discimus linguas omnes ad duas veluti matres ac primitivas revocari, nempe ad *semiticam* ac *japeticam*, ac diversa idiomata, quae deinceps efformata sunt, plures radices, immo et voces communes habere, formas item et grammaticale systema. Novimus praeterea linguam *samscriticam*, quae in Indiis dominatur, in plerisque vocabulis cum graeca et latina aliisque antiquioribus ac recentioribus apprime congruere. Animadverterunt insuper doctissimi philologi, interdum populos longe a se dissitos eadem pene lingua uti, dum alii proximiores populi diversissima utuntur, licet non desint vocabula illis omnibus communia. Ex his proinde evidenter patet unam ab initio penes omnes linguam viguisse; adeoque, quod consequens est, unam communemque gentibus omnibus originem fuisse.

180. Quod vero spectat ad illos aborigenum et autochthonum assertores, qui insane homines absque divinitatis interventu e solo uti fungos prodeuntes exhibent, facile profecto est eos impietatis arguere. Etenim praeterquam quod, uti paulo ante adnotavimus, nonnisi stulte immo et absurde supponi potest hominem intelligentia praeditum atque adeo delicatis organis instructum, quae omnia in fines sibi proprios conspirant, e terra fortuito prodiisse; physica docet viventia cuncta a viventibus ejusdem speciei originem ducere, adeo ut tamquam absurda et repetitis experimentis adversantia rejiciat systemata tum ovi, tum animalculorum, tum putredinis non ita pridem invalescentia, ut inter caeteros ostenderunt Vallisneri, Redi ac Spallanzani in suis quisque lucubrationibus de hoc argumento editis. Debuit igitur a fortiori homo ab alio procreari, quem Deus ipse condiderit. Quod si quispiam contenderet dari infinitam generationum seriem, illi opponimus mathesim, qua demonstratum est, quamvis seriem infinitam sive successivam sive simultaneam repugnare.

181. Constat igitur ex hactenus vindicatis neque praeadamitas, neque coadamitas admitti ulla ratione posse, sed unum esse agnoscendum omnium hominum protoparentem, a quo omnes originem traxerint.

DIFFICULTATES
Praeadamitarum.

182. I. Obj. 1. Non obscure Scripturae duplicem exhibent anthropogoniam, alteram Gen. I. 26. ubi primi hominis creatio traditur, scilicet protoparentis gentilium, alteram Gen. II. 7. ubi alterius hominis scilicet Adae protoparentis Hebraeorum. 2. Sane diversa sunt utriusque creationis adjuncta, in priori enim conditi simul sunt masculus et foemina, in posteriori solus Adam conditus est, ex cujus postea latere Heva ejus conjux efformata

est; prior in paradiso, posterior extra paradisum locum habuit. 3. Quae referuntur de Adae filiis Cain et Abel c. IV. id mirifice confirmant: Abel fuit pastor ovium, qui gregem a furibus custodiebat; fures autem neque ejus parentes neque fratres esse poterant; Cain fuit agricola, nemo porro ignorat pluribus instrumentis opus esse ad hanc artem exercendam; debuerunt igitur esse fabri lignarii, fabri ferrarii, aliique opifices. 4. Nec deerant judices, qui Orientalium more in foribus civitatis consisterent, ut patet ex illis verbis, ib. v. 6 et 7. a Deo prolatis: *Nonne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* id est, deferetur ad tribunal, in quo judices poenas juxta codicem criminalem decernent. 5. Rursum ibid. v. 14. Cain, a Deo ejectus, ait: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me;* Deus vero, ne id fieret, *posuit Cain signum;* a quibusnam porro timere potuisset Cain nisi ab hominibus alterius stirpis, ex quibus 6. uxorem duxit, et eorum opera usus est ad aedificandam civitatem Henochiam nuncupatam a primogenito suo, et in quam incolas induxit ex iisdem hominibus? 7. Neque his obstat dogma de peccati originalis propagatione, cum omnes homines illi in diluvio perierint. Ergo.

183. Resp. Ad 1. *Neg.* Sed uti saepius adnotavimus et ostendimus, una eademque est anthropogonia, quae in utroque capite a Moyse describitur, in primo quidem summatim et compendiose ad explendam totius creationis historiam, in secundo autem capite enucleatius, ut sibi viam sterneret ad referendum lapsum Adami. Duplex origo gentilium et Hebraeorum commentitia est, et aperte adversatur universae Scripturae, quae eamdem gentibus omnibus originem tribuit, uti patet ex allatis Scripturae testimoniis.

184. Ad 2. *D.* Diversa referuntur adjuncta ejusdem creationis in sensu exposito, *Tr.* duplicis creationis, *N.* Hoc ipso quod Moyses sibi proposuerit in secundo capite ampliorem describere anthropogoniae narrationem, debuit adjuncta illa commemorare, quae in primo capite silentio praeterierat; cujusmodi illud est de creatione hominis seorsum a formatione mulieris, tum illud de creationis situ, de verbis ab Adam prolatis ad conspectum mulieris, et aliis ejusmodi.

185. Ad 3. *Neg.* Ars siquidem pastoritia non in solis furibus arcendis consistit, ut notum est; agricultura vero in sua infantia illum profecto apparatum non exigebat, qualem adulta requirit; industria supplebat instrumentorum defectui.

186. Ad 4. *Neg.* Phrasis enim, *statim in foribus peccatum aderit*, figurata est, nec aliud significat quam conscientiae angorem ac poenam, quae culpam ut umbra corpus suapte natura comitatur. Orientalium consuetudo multo post tempore introduci coepit. Phrasis ipsa hebraica sensum, quem dedimus, aperte patefacit. Adeoque gratuitae hypotheses evanescunt.

187. Ad 5. *D.* Si cum Cain facinus suum patravit, solus cum parentibus extitisset, *Tr.* si jamdiu multiplicati homines erant, *N.* Jam vero ex communi sententia chronologorum et interpretum Cain fratricidium patravit anno ab orbe condito 125. quo tempore alios genuerat filios et filias Adam,

uti postea dicitur; probabile praeterea est et ex Abel ipso filios procreatos esse, timere insuper poterat Cain, uti animadvertit s. Ambrosius, ex posteris, qui ex parente didicerunt homicidium posse committi, ob pravum scilicet exemplum.

188. Ad 6. *Neg.* Tum quia, uti Patres omnes docent in illis primordiis, necessitate cogente, ad propagationem generis humani licitum erat propriam sororem in conjugium adducere; tum quia ex posteritate Abel, uti diximus, fortasse notae jamdiu foeminae erant. Quod vero spectat ad Henochiam a Cain aedificatam, ante omnia constitui debet, cujusmodi ea civitas fuerit, longe probabilius non erat nisi tabernaculorum congeries, in quae se praecipue collegerunt, qui ex Cain posteritate provenerant; cum juxta chronologos civitas illa anno ab orbe condito quadringentesimo aut quingentesimo fuerit aedificata.

189. Ad 7. *Neg.* Dogma siquidem de originalis peccati propagatione juxta doctrinam catholicam omnes prorsus homines, seu universum humanum genus respicit. Supponi proinde nequit ante diluvium homines extitisse, qui fuerint ab illo immunes, cum omnes pariter morti obnoxii fuerint.

190. II. Obj. Apostolus Rom. V. scribit: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset; sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Haec porro lex ea est, quae Adae et in eo posteris ejus data est; ac proinde, Adam in eam peccante, omnes ejus posteri peccasse censentur. Peccatum igitur, de quo loquitur Paulus, illud est quod regnavit usque ad legem adamiticam, ab illis scilicet patratum, qui ante Adam extiterant, quod tamen ipsis imputatum non est ex legis positivae defectu. Ergo.

191. Resp. Negamus *legis* nomine hic designari legem Adae datam, sed significatur lex mosaica, quae antonomastice *lex* dicitur, uti innumeris prope Scripturarum exemplis confirmari posset, e. gr. Joann. I. 17: *Lex per Moysem data est, et gratia et veritas per Jesum Christum.* Sed potissime in tota Epistola ipsa ad Romanos; et in loco objecto ab adversariis, ubi Apostolus, exponens seipsum, subdit: *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem.*

192. Verum id ipsum luculentius adhuc patet ex scopo quem sibi proposuit Paulus in allegatis verbis, qui fuit ostendere peccatum originale ad omnes Adae posteros transmissum fuisse. Id porro colligit ex morte, quae poena est illius peccati; proinde cum mors dominata fuerit vel in ipsos infantes, qui nullo se coinquinare actuali potuere peccato, uti Adam, tamen obnoxii huic poenae fuerunt: concludit ex hoc facto universali universalem peccati originalis propagationem. Quod si plures peccatores, legis scilicet naturalis transgressores, morte mulctati a Deo sunt, ejusmodi punitio fuit potius poenae mortis anticipata exactio, quam mors simpliciter, quae jam incurrebatur ob originalem noxam. Atque hac ratione evanescit superstructa a Peyrerio moles.

DIFFICULTATES

Coadamitarum.

193. I. Obj. 1. Plures hominum species zoologi dignoscunt suis peculiaribus characteribus notisque distinctas. 2. Ab homine *bimano* progrediendo usque ad verspertilionem, species quaedam consanguineitatis reperitur. 3. Homo intellectualis necessaria consequentia tantum est hominis *mammalis;* 4. Linneus propterea duas hominis species admisit, hominis scilicet *sapientis* et hominis *troglodytis.* Duas pariter distinguit species Virey, quas determinat ex *angulo faciali;* Demoulins undecim enumerat, quindecim vero Bory de S. Vincent. 5. Praeterea fieri nequit, ut ad eamdem speciem spectent homines caudati, ac populi imberbes Americae; patagonici et pygmaei, nigritae insuper, cuprei, anacrocephali aliique ejusmodi. Ergo.

194. Resp. Ad 1. *D.* Gratuito seu absque ullo solido fundamento nonnulli zoologi plures hominum species distinguunt, *C.* prudentiores zoologi, *N.* Nonnulli utique non defuere zoologi, qui ex desiderio veritatem revelationis divinae impugnandi, varias hominum species distinguere adnisi sunt; ast, ut ejusmodi hominibus contingere consuevit, scientia progrediente, irrisioni expositi sunt et contemptui. Nam nulli specifici characteres fuerunt reperti et omnes ad unitatem humanae speciei proclamandam consensere. Novissime D. Flourens in op. *Buffonius, Historia ejus laborum et idearum,* Lutetiae 1844. unitatem speciei humanae uti *factum physicum demonstratum* ostendit pluribus ineluctabilibus argumentis, quae ibidem doctus auctor fuse prosequitur.

195. Ad 2. *D.* Quae tamen consanguineitas cum vespertilione relinquenda adversariis est, *C.* quae admitti uti realis debeat, *N.* Duo permiscent adversarii, qui hanc nobis consanguineitatem obtrudunt, conformationem scilicet organicam sive externam configurationem, quam anatomia comparata agnoscit in homine et in brutis per gradus quosdam, cum notis specificis, quibus diversa omnino in homine origo apparet, ac species, quae toto coelo differt ab animantibus brutis.

196. Ad 3. *Neg.* Ratio enim sive intelligentia ita propria hominis est, ut in brutis quibusvis nullo modo reperiatur. In brutis enim solus *instinctus* praevalet, quo agitantur et moventur. Sagacitas, quae in animantibus cicuribus apparet, nulla ratione comparari potest cum facultate intelligendi, comparandi, judicandi, abstrahendi, ulterius semper proficiendi, quali praeditus homo est. Si intelligentia esset consequentia hominis mammalis, in omnibus animantibus brutis mammalibus deberet reperiri; nec reperitur tamen.

197. Ad 4. *D.* Linneus duas subobscure visus est hominis species admittere, quas tamen postea rejicit, *C.* absolute et constanter, *N.* Ipsemet agnovit in eo, quod cunctanter scripserat de duabus illis speciebus, se passum aliquid humani, adeoque ab hac opinione se recepit retractando, quae ei exciderant. Quod vero spectat ad Virey, Demoulins et Bory de S. Vincent, reponimus aut ipsos minime significare voluisse species proprie dictas,

quae diversam scilicet originem habeant, sed quas vocamus varietates constantes, vulgo *races* sive stirpes; aut eos falsitatis argui ab ipsa scientia, quae patefecit pluribus ex capitibus unicam humanam esse admittendam speciem, uti Blumenbach, Cuvier, Ranzani, Flourens aliique recentiores celebrioresque zoologi ostenderunt. Hoc porro exploratum habemus, neminem adhuc adversus revelationem extulisse caput, quin indelebili se notarit ignominia.

198. Ad 5. *D.* Si reipsa homines ejusmodi caudati, cincturiati, aliique ejusmodi in rerum natura existerent, *Tr.* si non existant nisi in fabulosis quorumdam viatorum relationibus, *N.* Nunc porro ex pleniore luce quam adepta est geographia, compertum est nuspiam ejusmodi populos reperire, quos nimis leves ac creduli viatores non ita pridem se reperisse vulgaverant.

199. Quod vero speciatim attinet ad populos patagonicos et pygmaeos, quorum tamen aut procera in illis statura, in his vero depressa, nimium exaggerata sunt, non nisi excessum arguit aut defectum in eadem specie juxta accuratiores zoologos.

200. Sic color niger, cupreus, flavus, rubeus etc., ex climate, aëre, aquis, alimentis, localitatibus aliisque ejusmodi accidentalibus adjunctis pendet. Sane transitus ex uno in alium colorem insensibilis est per gradus quosdam, ita ut nulla exinde speciei diversitas colligi possit. Immo tantum abest, ut ejusmodi colorum varietas evincat multiplices species humanas, ut nunc assumatur ad unitatem speciei statuendam; siquidem *materia pigmentalis,* quae juxta Malpighi, Raysch, Alberium, Mekel, invenitur in epiderme nigritae, reperitur etiam in Kabyle, Arabe, Mauro, qui spectant ad stirpem albam; ac *stratum idem pigmentale,* quod cernitur in Americano, simile omnino est *strato pigmentali* quod detectum est in Europeo. Adeo ut nunc apprime cognoscatur, quomodo *apparatus pigmentalis,* ex quo stirpes coloratae effectae sunt, ex homine origine albo provenerit. Exinde patet unicum esse typum primitivum totius humanae speciei, idque evinci ex varietate ipsa colorum; consulatur cit. Flourens.

201. II. Obj. 1. Unitate generis humani constituta, ratio assignari nequit incolarum, qui in remotissimis insulis habitant; 2. multo vero minus incolarum utriusque Americae, cum nullum ipsis suppeteret medium illuc transmigrandi; 3. sane hac de causa s. Augustinus inficiatus est [3], antipodum existentiam, et Zacharias pontifex durius excepit Virgilium presbyterum qui saec. VIII. docebat dari antipodas, mandavitque Bonifacio Germaniae apostolo, ut nisi *sententiam perversam, et iniquam doctrinam* retractasset, illum damnaret. Cum vero nunc constet de antipodum existentia, concludi ex eodem principio debet plures homines in diversis mundi plagis conditos esse, prout plura animantia bruta condita sunt, quae sub alio climate vivere nequeunt. Ergo.

202. Resp. Ad 1 et 2. *Neg.* Quamvis enim nostrum haud sit deter-

[3]) ***De civit. Dei,*** lib. XVI. cap. 9.

minare peculiare medium, quo insularum incolae illuc appulerint, certum est hos incolas ex continentali terra ad illas transmeasse. Ritus siquidem, lingua, traditiones potissimum religiosae, evincunt ad nationes europeas et asiaticas illos pertinuisse. Porro ex geographia novimus duo hemisphaeria contigua esse, nec nisi angusto freto Americam dividi sive ab Asia, sive a Groenlandia. Quis itaque neget homines sive ex intentione sive ex naufragio hinc potuisse ad eas oras appellere? Non igitur opus est ad plurium hominum creationem recurrere, ut explicemus, quomodo factum sit ut insulae remotissimae habuerint incolas.

203. Ad 3. *D.* Ita tamen ut s. Augustinus et Zacharias pontifex nonnisi hypothetice negaverint antipodum existentiam, *C.* absolute, *N.* Nempe tum s. Augustinus, tum Zacharias juxta communem vigentemque illorum aetate sententiam, quod immensitas Oceani transmeari non posset, inficiati sunt existentiam antipodum, quippe qui in ea hypothesi ab alio quam ab Adam originem duxisse dicendi essent, quod revelationi opponitur. Cum vero nunc temporis falsa illa hypothesis demonstrata sit, sequitur cunctandum amplius non esse de eadem antipodum origine ac caeterorum hominum. Sane quod objecti s. Augustinus et Zacharias nonnisi hypothetice locuti fuerint, liquet ex utriusque verbis. Sic enim s. Augustinus scribit [4]: *Nimis absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* S. Zacharias vero [5]: *Si clarificatum fuerit, ita eum* (Virgilium) *confiteri, quod alius mundus et alii homines sub terra sint, hunc accito concilio ab ecclesia pelle, sacerdotii honore privatum. Attamen et nos scribentes . . . ut nobis praesentatus et subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inventus, canonicis sanctionibus condemnetur.* Nunc addimus, nullo modo hac de causa illis succensere posse adversarios incredulos aut protestantes, quia si ipsi eadem illa aetate vixissent, in eadem pariter sententia fuissent versati. Ecclesia non attingit quaestiones physicas, nisi quatenus connexionem cum dogmate habent, ut in casu nostro accidit.

CAPUT II.

DE PROTOPARENTUM GRATIA ET FELICITATE.

204. Philosophis metaphysicis et psychologis dimittimus ea, quae ad animae spiritualitatem ac immortalitatem spectant, ut de iis nos agamus, quae proxime ad theologos pertinent, cujusmodi ea sunt, quae ad ordinem supernaturalem referuntur, uti elevatio per gratiam seu justitiam originalem, quatenus haec complectitur dona illa gratuita, quibus Deus primum hominem praeditum pro sua benignitate voluit. Ex his caetera fluunt, de quibus in hujus partis prosecutione acturi sumus.

205. Ac I. circa statum, in quo primus homo constitutus a Deo est,

[4]) Loc. cit. [5]) *Epist. ad Bonifacium.*

catholica veritas docet, eum instructum esse *justitia originali.* Haec phrasis synthetica sive complexiva est; quatuor siquidem comprehendit: gratiam sanctificantem sive elevationis; donum integritatis seu omnimodam subjectionem partis inferioris, nempe concupiscentiae, ad superiorem, scilicet rationem; item donum immortalitatis; donum denique scientiae. Docet ecclesia dona haec fuisse, ut innuimus, gratuito humanae naturae superaddita, quum ea non exigeret essentialis ejus constitutio, ac proinde esse accidentalia respectu humanae naturae, quae absolute sine illis consistere potuisset.

206. II. Circa hanc catholicam doctrinam duplex extitit oppositus error. Pelagiani, sociniani, arminiani, rationalistae, negant protoparentes his donis a Deo auctos fuisse, adeoque inferunt hominem talem nunc esse, qualis a Deo conditus est, videlicet sine gratia et sine peccato, nulla proinde indiguisse reparatione, nullum existere originale peccatum, nullam esse gratiae necessitatem. Lutherani contra, calvinistae et janseniani assumunt justitiam originalem, qualem exposuimus, fuisse homini debitam ac naturalem, ex quo deducunt hominem per lapsum in essentialibus naturae fuisse corruptum, destitutum esse libero arbitrio; concupiscentiam formale esse peccatum, cum reliquis ex his consequentibus.

207. III. Praeter haec quaestiones inter catholicos agitatae inveniuntur, quarum 1ª est circa *tempus,* num scilicet Deus justitiam originalem, quatenus quatuor recensita dona complectitur, primo homini contulerit in ipso creationis instanti, an vero homo prius conditus fuerit in naturalibus, et adjecta deinde ei fuerint dona gratuita; 2ª est circa *rem* ipsam, num detur distinctio inter gratiam sanctificantem seu elevationis, et integritatem, immortalitatem et scientiam, ex quibus postremis donis distinctis a gratia sanctificante constituatur *justitia originalis,* quam prius seu in ipsa creatione Deus contulerit, cui postea adjecerit gratiam sanctificantem, qua protoparens ad ordinem supernaturalem evectus sit; an vero per modum unius ita Deus dona haec simul ita contulerit, ut penderent tria recensita a gratia sanctificante et in esse suo et in ipsorum conservatione; posterior sententia aliquot habuit inter scolasticos adstipulatores; prior quae est s. Thomae, communis in scholis effecta est; 3ª quaestio versatur circa possibilitatem, uti loquuntur, status naturae purae absolutam et ordinatam, num scilicet ratione habita decentiae et convenientiae potuerit Deus condere hominem saltem sine integritate, quae dicat immunitatem a concupiscentia inordinata, nec ne; plures negant, plures vero communiter affirmant. Qui tamen negant, non ideo docent debitam fuisse et non gratuitam illam integritatem.

208. Nos igitur his aliisve ejusmodi disceptationibus dimissis, de sola catholica doctrina solliciti sumus adversus heterodoxos; quae ut adstruatur, sit

PROPOSITIO I.

Primi parentes in statu justitiae et sanctitatis constituti a Deo fuerunt.

209. Propositio ad fidem catholicam spectat, in concilio enim tridentino sancitum est [1]: *Si quis non confitetur primum hominem, Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse . . . anathema sit;* et iterum [2]: *Si quis Adae praevaricationem sibi soli . . . asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit sibi soli, et non nobis etiam perdidisse . . . anathema sit.*

210. Evincitur autem ejus veritas tum ex Scriptura, tum ex traditione. Ex Scriptura quidem 1°. illis verbis a Deo prolatis [3]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quae ex communi Patrum expositione apud Bellarminum [4], et apud Petavium [5], intelligi debent de sanctitate Adamo collata, qui praeterea distinguentes inter *imaginem* et *similitudinem*, illam referunt ad naturam, hanc ad gratiam et justitiam. 2°. Ex verbis Eccles. VII. 30: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Hanc porro rectitudinem non solum moralem, sed supernaturalem ex sanctitate et gratia provenientem esse, facile deprehenditur ex voce *hebraica* יָשָׁר, quae de Deo passim usurpatur, ut Deut. XXXI. 4, et de hominibus justis, ut Num. XXIII. 10; Ps. XXII. 1; Ps. VII. 11. et alibi. 3°. Potissime ex Apostolo, scribente [6]: *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis;* et rursum [7]: *Exspoliantes vos veterem hominem . . . et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Jam vero, ut animadvertit Bellarminus [8], qui *renovari* jubetur, fuit aliquando *novus,* cum autem haec renovatio ex Apostoli verbis consistere debeat in eo, ut hominem induamus Christo similem, creatum secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis, sequitur nos fuisse aliquando, seu in primo parente, homines novos, conditos secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis, adeoque primos parentes in tali statu fuisse a Deo constitutos.

211. Ex traditione vero eadem veritas constat, ut patet ex concilio arausicano II. quod docet [9]: *Unde cum sine Dei gratia salutem non possit* humana natura *custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Reparatur autem per Christum gratia sanctificans amissa per Adam, ergo Adam illam consecutus fuerat ante peccatum. Ex Patribus, quorum unanimis in hac doctrina consensus est, satis hic nobis

[1]) Sess. V. can. I.
[2]) Can. II.
[3]) Genes. I. 26.
[4]) Lib. *De gratia primi hom.* cap. 2.
[5]) Lib. II. *De opific. sex dierum,* cap. 2.
[6]) Ephes. IV. 23 et 24.
[7]) Coloss. III. 9, 10.
[8]) Loc. cit. cap. 3.
[9]) Cap. XIX.

sit verba s. Augustini describere, qui ait [10]: *Vide ergo, quod sequitur:* Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. *Ecce, quod perdidit Adam per peccatum.* Reliqua exhibet Bellarminus. [11]

DIFFICULTATES.

212. I. Obj. 1. Nihil vetat, quominus allata Scripturarum testimonia intelligantur de justitia et sanctitate *morali*, quam Adam habuit ex integritate seu *physico-morali* constitutione in creatione, quae non modo fuit independens a gratia sanctificante, sed censeri potius haec debet *effectus* integritatis, non autem illius *causa efficiens;* 2. Sane per subjectionem sensus ad rationem homo Deo erat gratus et acceptus, *vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* 3. In hac porro Dei benevolentia erga homines gratia sanctificans consistit, ob quam hi efficiuntur *amici Dei*, et vi cujus Deus ipsis tribuit auxilia supernaturalia necessaria ad bonum morale patrandum. 4. Neque ab hac doctrina abludit s. Bonaventura [12], qui agnovit hanc Dei erga primos homines benevolentiam provenientem ex corum integritate, perinde ac Scotus aliique antiqui scholastici. Ergo.

213. Resp. Ad 1. *Neg.* Quominus enim allata Scripturarum oracula de justitia et sanctitate *morali* intelligamus, uti contendit Hermesius [13], vetat sensus traditionalis circa illos textus; insuper vetat concilium arausicanum II. quod adducta loca exponit de salute supernaturali, de justitia et sanctitate, quam perdidit Adam, ad quam reparandam opus est gratia Salvatoris. Quamvis vero daretur cum nonnullis antiquis scholasticis primos parentes prius a Deo accepisse integritatis donum gratuitum, in quo nihil est quod doctrinae catholicae adversetur, erroneum tamen est et contra eamdem catholicam doctrinam asserere moralem illam integritatem seu, uti loquitur adversarius, constitutionem *physico-moralem*, seu *naturali-moralem*, *esse causam efficientem* gratiae sanctificantis, adeoque hanc gratiam esse *effectum* illius *physico-moralis* constitutionis. Hoc siquidem pelagianum est; et cum in systemate auctoris, quem impugnamus, illa integritas seu constitutio inseparabilis sit a creatione hominis, utpote humanam naturam ita perficiens, ut haec sine illa condi non posset, sequeretur gratiam sanctificantem una cum gratiis supernaturalibus ad bonum morale operandum necessariis, sequelam esse creationis; quod damnatum est in proposit. Baji XXVI: *Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio;* et prop. LXXIX: *Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia originali.*

214. Ad 2. *D.* Erat in data hypothesi primus homo per illam subjectionem gratus Deo aeque ac sine illa, si Deo sic creare eum placuisset, bene-

[10]) Lib. IV. *De Genesi ad litt.* cap. 26.
[11]) Loc. cit.
[12]) Lib. II. *Sent.* Dist. XXIX. art. 1. qu. 1.
[13]) *Dogmatica special.* part. III. pag. 15 et seqq.

volentia generali qua prosequitur omnes creaturas suas, *C.* benevolentia *speciali* et in supernaturali ordine, de quo disserimus, *N.* Hac sublata aequivocatione, ruit difficultas.

215. Ad 3. *Neg.* Haec enim doctrina, quae constituit essentiam gratiae sanctificantis in Dei favore extrinseco et benevolentia, novatoribus saec. XVI. in acceptis referenda est, utpote abhorrens a catholico sensu. Concilium tridentinum docet [14], eam consistere in caritate Dei, quae diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque *ipsis inhaeret*, in sanctificatione et renovatione interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus. Quod si vi aut intuitu illius externae benevolentiae et favoris, qui provenit in adversarii sententia ex naturali physico-morali constitutione hominis a Deo conditi, indidem repeti deberent auxilia supernaturalia ad bene moraliter operandum, haec dona sequelae essent creationis, quod damnatum est in Quesnelli prop. XXXV: *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae.* Idem docuerat Bajus, prop. XXI.

216. Ad 4. *Neg.* Quin immo in allegato loco contrarium expresse docet seraphicus auctor; en ejus verba: *Dupliciter contigit dicere aliquid acceptari a Deo. Uno modo quadam acceptatione generali, ut idem sit acceptare aliquid quod reputare bonum, et in bono conservare: et hac acceptatione non tantum acceptatur creatura rationalis, sed etiam omne opus Dei. Est etiam alia acceptatio specialis, qua dicitur Deus acceptare illud, quod dignum reputatur aeterna beatitudine: et tali acceptatione non acceptat Deus nisi creaturam rationalem... Primum genus acceptationis non requirit superaddi donum gratiae ultra ea, quae sunt de conditione naturae. Secundum vero genus acceptationis non potest non esse gratuitum, tum propter gratuitam Dei condescensionem, tum propter creaturae exaltationem ultra terminos, sive status naturae... Et sic patet quod homo in statu innocentiae gratia gratum faciente indiguit ad hoc ut Deo placeret.* Quae cum ita se habeant, jure merito Gregorius XVI. in decreto damnationis librorum Hermesii, et hanc ejus doctrinam notavit uti erroneam *circa protoparentum statum.* Videsis *Reflexiones circa methodum a Georgio Hermesio introductam in Theologiam cathol.*, quam italica lingua vulgavi Romae 1843.

217. II. Obj. 1. Apostolus scribit [15]: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Adam agitur spiritu vivificante, seu sanctificante gratia instructus non fuit. 2. Hinc s. Augustinus passim docet non statim Adam accepisse spiritum gratiae, sed solum spiritum animae rationalis. Ergo.

218. Resp. Ad 1. *D.* Et loquitur Apostolus in objecto loco de diversa corporis conditione ante et post resurrectionem, *C.* loquitur de gratia sanctificante, *N.* Hoc aperte liquet tum ex Apostoli scopo, tum ex orationis serie; agit enim de Christi resurrectione tamquam causa efficiente et exem-

[14]) Sess. VI. cap. 6.

[15]) I. Cor. XV. 45.

plari resurrectionis nostrae futurae, ac de diversa conditione corporis mortalis sive terreni, et corporis gloriosi.

219. Ad 2. *D.* Adeo ut senserit s. Augustinus Adam non ipso creationis instante gratiam elevationis accepisse, *Tr.* non fuisse postea, saltem cum in paradisum translatus est, gratia sanctificante ornatum, *N.* Ad summum enim sequeretur s. Augustinum, tum lib. XXII. *De civ. Dei,* cap. XXIII; tum lib. II. *De Genesi contra Manich.* cap. VIII. n. 10, qui objici solent, in ea fuisse sententia, quod Adam prius in solis naturalibus conditus fuerit, cui postea, cum scilicet in paradisum translatus est, adjecta caetera fuerint dona una cum gratia sanctificante. Sic enim scribit in posteriori libro: *Nondum spiritualem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in paradiso, hoc est, in beata vita constitutus, praeceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur.*

PROPOSITIO II.

Una cum justitia et sanctitate conjuncta erant in primis parentibus eximia tum animae tum corporis dona: scientia in primis et perfecta voluntatis ordinatio quoad animam; immortalitas et immunitas ab aerumnis et doloribus quoad corpus.

220. Ad catholicam doctrinam hanc pariter propositionem spectare constat ex Tridentino [1]: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem, sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.* Si igitur Adam peccando amisit amicitiam Dei, quae exsurgit ex gratia sanctificante illi inhaerente, si mortem incurrit, si quoad corpus et animam in deterius commutatus est, patet ante praevaricationem ipsum et illa habuisse, et his destitutum esse, praesertim vero immunitate ab inordinata concupiscentia, quae ibid. can. V. declaratur *ex peccato esse.*

221. Jam vero *scientia* in primis praeditos protoparentes a Deo fuisse constat ex Eccl. XVII. 6: *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis;* nec obscure colligitur ex nominibus, quae Genes. II. 19. Adam animantibus singulis tribuit. S. Augustinus ostendit [2], ignorantiam cum beatissimo protoparentum statu consistere haud potuisse, quia *ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit.* Quod et ratio ipsa suadet, cum Adam futurus pater esset totius humani

[1]) Sess. V. can. I.

[2]) *De lib. arbit.* lib. III. cap. 18. n. 52.

generis, adeoque doctor filiorum suorum in iis, quae ad Deum et ad mores spectant. Amplitudinem porro hujus scientiae definire difficile est, nec pluribus id opus est prosequi, de quo fuse agit inter caeteros Suarez. [3]

222. De voluntate jam agentes, dum asserimus, fuisse in protoparentibus *perfectam ordinationem*, significamus nullis eorum voluntatem pravis affectionibus vitiatam fuisse, nullis pravis motibus exagitatam; adeo ut nulli luctae obnoxii fuerint protoparentes inter carnem et spiritum, sed plena pace fruerentur per plenam Deo adhaesionem. Talem autem fuisse primorum hominum conditionem Scriptura perspicue docet, dum scribitur [4]: *Erat autem uterque nudus ... et non erubescebant;* et post peccatum [5]: *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos*, etc. Cumque dixisset Adam Deo [6]: *Timui, eo quod nudus essem;* respondit ei Deus: *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo dixeram tibi ne comederes, comedisti?* His innixus s. Augustinus de protoparentibus scribebat [7]: *Hanc ergo* obedientiam *priusquam violassent, placebant Deo, et placebat eis Deus, et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant... Hinc et nudi erant et non confundebantur.*

223. Tertium porro donum praestantissimum, quo innocentes protoparentes cumulati sunt, in immortalitate situm erat. Haec autem intelligi debet de eo, quod ipsi *potuissent non mori*, uti scite animadvertit s. Augustinus, minime vero quod *non potuerint mori.* Hoc posterius non congruit nisi substantiae simplici et indestructibili seu indissolubili, cujusmodi sunt spiritus. *Potuisset* igitur Adam *non mori,* si in officio scilicet perstitisset; sicut enim per peccatum justitiae, sic per amissionem justitiae jacturam immortalitatis facere poterat; nec enim absolute, sed sub conditione Deus primo parenti privilegium immortalitatis largitus est. Sic componuntur contraria in speciem patrum effata, dum alii *immortalem* protoparentem dixere, alii *mortalem;* immortalem scilicet ex privilegio, mortalem ex conditione et in potentia.

224. Immortalitatis itaque dono Adam ante peccatum a Creatore praeditum esse luculenter Scripturae testantur; etenim legitur [8]: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum;* et [9]: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem ... invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Eadem veritas evincitur ex illa Dei comminatione, quae Adae facta legitur, si transgressus fuisset ejus praeceptum de non edendo fructu arboris scientiae [10]: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris;* nec non ex verbis Apostoli [11]: *Per peccatum mors,* et [12]: *Corpus mortuum est propter peccatum;* cum proinde mors non solum animae, sed et corporis

[3]) *De hominis creat.* lib. III. cap. 9 et 10.
[4]) Genes. II. 25.
[5]) Cap. III. 7.
[6]) Ibid. v. 10.
[7]) *De peccat. merit. et remiss.* lib. II. cap. 22. n. 36.
[8]) Sapient. I. 13.
[9]) Ibid. II. 23.
[10]) Genes. II. 17.
[11]) Rom. V. 12.
[12]) Ibid. VIII. 10.

exhibeatur in sacris litteris ut poena peccati, sequitur quod si non peccasset Adam, obnoxius morti minime fuisset.

225. Neque alia fuit umquam ecclesiae traditio; siquidem in concilio milevitano II. seu potius carthaginiensi universali adversus Pelagii doctrinam, hic canon I. constitutus est: *Placuit ... ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae; anathema sit.* Eadem habentur in conciliis diospolitano, carthaginiensi IV, et arausicano II, can. II. Merito idcirco s. Augustinus scribebat [13]: *Unde constat inter christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturae, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati.*

226. Exinde promanat, quod quarto loco constituimus, videlicet in innocentiae statu hominem immunem prorsus fuisse ab omnibus aerumnis, afflictionibus doloribusque. Haec enim non sunt nisi sequelae mortalitatis; sane Genes. cap. II. traditur Deum posuisse hominem *in paradiso voluptatis.* Hunc beatitudinis statum pulchre describit s. Augustinus, dum paucis complexus est, quae hactenus vindicavimus, dicens. [14] *Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat; vivebat Deo, fruens ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas.*

227. Hujus autem primaevae felicitatis traditio propagata est in universas gentes, ita ut ejus vestigia occurrant in omnium populorum antiquiorum ac recentiorum annalibus et documentis, in philosophorum scriptis, in poetarum carminibus, quibus aurei saeculi beatitudo describitur.

DIFFICULTATES.

228. I. Obj. 1. Sanctitas congenita, perinde ac sapientia implicat. 2. Certe hae conciliari nequeunt cum Adami lapsu, qui postea subsecutus est, quique supponit ignorantiam et sensuum illecebras. 3. Nativam denique humanae naturae conditionem excedunt, praesertim vero immortalitas ac immunitas a doloribus et aerumnis. Ergo.

229. Resp. Ad 1. *Neg.* Nulla enim est repugnantia tum in eo, quod Deus *habitualem*, ut vocant, gratiam, ac proinde sanctitatem una cum natura, aut si placet, paulo post ejus creationem homini communicaverit, qua carus ipsi esset et acceptus in ordine ad supernaturalem beatitudinem; tum quod ejus menti notiones illas ingesserit, quae ad scientiam constituendam requiruntur, prout adultum etiam quoad corpus eum condidit. Caeterum Scriptura, ut vidimus, de his collatis donis primo parenti nos dubitare non sinit.

[13]) ***De civit. Dei,*** lib. XIII. cap. 15. [14]) Ibid. lib. XIV. n. 26.

230. Ad 2. *D.* Si scientia et gratia sanctificans conciliari cum lapsu minime possint, *C.* si secus accidat, uti heu nimium! experientia nos docet, *N.* De scientia cum peccato nihil attinet dicere; quod vero spectat ad amissionem gratiae, luctuosa experientia id fieri passim patefacit in tot justis, qui a justitiae statu decidunt, nec enim gratia sanctificans praebet *impeccabilitatem.* Adam porro neque ex ignorantia peccavit neque ex sensuum illecebris, sed ex superbia ac seductione Hevae; Heva autem seducta est ex falsa serpentis promissione. Sed de his postea.

231. Ad 3. *D.* Et idcirco tenet doctrina catholica dona illa fuisse gratuito, praeterquam exigeret humana conditio, a Deo superaddita protoparentibus, *C.* tenet a naturali hominis conditione haec illis provenisse, *N.*

232. II. Obj. Ex iis, quae allata sunt, inferri nequit, protoparentes ordinationem seu rectitudinem ante peccatum prae se tulisse; etenim 1. quod non erubuerint de propria nuditate, ex statu infantili, in quo conditi sunt, repeti id debet, ut accidit in infantibus recens natis. Quod si postea pudore suffusi sunt, esus vetiti fructus id effecit, quo rationis usum adepti sunt. 2. Neque ab hac sententia nonnulli patres abludunt. 3. Accedit quod concupiscentia bonum naturae est, quo destitui protoparentes non debuerunt. Ergo.

233. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* In infantili statu protoparentes conditi sunt quoad innocentiam ac simplicitatem, *C.* quoad defectum usus rationis, *N.* Nam haec assertio adversatur *facto,* quo constat Adam rationis usu potitum esse, et ex nominibus, quae animantibus imposuit, et ex praecepto, quod dedit ei Deus, et ex responsione, quam Heva dedit serpenti de comminatione sibi facta de non comedendo fructu; adversatur praeterea *auctoritati,* ex qua novimus Deum iisdem bonum et malum ostendisse. Stultum porro est asserere ex fructus vetiti comestione protoparentes rationis usum accersivisse.

234. Ad 2. *D.* Id est, nonnulli patres admiserunt in protoparentibus illam innocentiam ac integritatem, quae in infantili reperitur aetate una cum expedito rationis usu, *C.* ad hujus exclusionem, *N.* Alioquin sibi non constitissent in admittendo peccato, quod sine rationis usu supponi nequit.

235. Ad 3. *D.* Concupiscentia quatenus denotat facultatem bonum appetendi, *C.* quatenus denotat inordinationem, et contra rationem insurgit seu vitiositatem ac morbum, prout hic ab adversariis accipitur, *N.* Ast de concupiscentia paulo post.

236. III. Obj. 1. Quae de protoparentum immortalitate traduntur in Scripturis, de magna longaevitate intelligi debent, prout reipsa Josephus Flavius exposuit.[15] 2. Comminationes autem Adae factae, si praeceptum praevaricatus esset, vel de morte animae, vel de mortis festinatione et poena accipiendi sunt, quam quidem poenam, si non peccasset, forsitan homo expertus non esset, cui mors ad instar dulcis somni obvenisset. 3. Hoc innuit

[15]) *Antiquit.* lib. I. cap. 1.

ipsa cibi ac potus indigentia, cui protoparentes inservire debebant. 4. Immo arbor illa, quae viribus instaurandis ac reparandis ad medicinae modum ordinata erat, apertissime id ipsum ostendit. Ergo.

237. Resp. Ad 1. *Neg.* Scripturae enim loquuntur de morte ipsa, quam Deus non fecit, sed peccatum intulit, quae praeterea primum hominem *inexterminabilem* appellant. Josepho, qui ut morem Romanis gereret, plura fabulatus est, Scripturarum auctoritatem opponimus.

238. Ad 2. *Neg.* De morte enim corporis comminationes illas intelligendas esse verba insequentia declarant: *Pulvis es et in pulverem reverteris;* Apostolus pariter expresse docet [16], per peccatum corporis mortem homines incurrisse. Mors animae nequit habere rationem poenae, cum in ipsa culpa consistat. Sed neque de mortis tantum festinatione, sed de morte simpliciter comminationes Dei intelligendas esse patet ex ipsa orationis serie, quae de morte absolute est; et ex patrum interpretatione, qui verba: *In quacumque die comederis, morte morieris*, exponunt ita ut sensus sit: *Morti obnoxius eris,* seu ut vertit Symmachus: *Mortalis eris.*

239. Ad 3. *D.* Illi indigentiae subjiciebantur protoparentes, ita ut illam semper explentes semper viverent, *C.* ut aliquando essent morituri, *N.*

240. Ad 4. *Neg.* Arbor enim vitae illum producebat effectum non ad instar naturalis medicinae, sed ex peculiari virtute illi a Deo insitae, ita ut mortem in perpetuum arceret ab iis, qui illius fructibus vescerentur.

241. IV. Obj. 1. Mythi, qui in populorum traditionibus inveniuntur, non sunt historici, sed addicti ad praesens fastidium temperandum, fictione melioris conditionis aut temporis anteacti, aut temporis futuri. Sane quo incultior est aetas, eo foecundior ejusmodi fabulis ac fictionibus est. 2. Theoriae progressus postulat, ut humani generis primordia fuerint incultissima, mediisque pene omnibus destituta, quibus vitae commoda comparari possint. 3. Aetas proinde aurea adeo celebrata ea praecise est, in qua universalis vigebat anthropophagia, belluino more homines vivebant, nudi incedebant, et glande nutriebantur. Ergo.

242. Resp. Ad 1. *Neg.* Aliud enim est mythis traditiones quandoque exornare, aliud vero eos omnino fingere. Prius fieri potest, immo et consuevit, prout laetiori imaginatione populi praediti sunt, nec hoc abnuimus. Posterius autem in re nostra fieri omnino non potuit. Nam traditiones, de quibus agimus, non sunt vagae, incertae, locales, sed determinatae characteribus et notis illis sunt, quae ostendunt primaevam historicam originem; constantes praeterea inveniuntur et universales. Si simul conferantur, quae Sinenses, Graeci, Latini, Aegyptii de primaeva tradidere hominis conditione una cum iis, quae de hominis ejusdem lapsu et de effectibus inde consecutis prodiderunt, vix ipsa historia mosaica non habetur. Porro gentes omnes longe inter se et loco et tempore dissitas non solum quoad rei substantiam, verum etiam quoad ejusdem adjuncta confingenda conspirasse, hoc profecto

[16]) Loc. cit.

omnem fidem superat. Hinc concidunt, quae de fastidio leniendo actualis conditionis per fictionem melioris aevi sive praeteriti sive futuri nec non de pronitate fabulas confingendi, quam prae se fert incultior aetas, conjiciunt adversarii.

243. Ad 2. *D.* Post hominis lapsum, *C.* ante illum, *N.* Non modo enim historici profani Hesiodus, Herodotus, Diodorus Siculus humilem hominum societatisque conditionem nobis exponunt, sed ipse Moyses, qui nobis patefacit praecipuarum artium inventionem, primam civitatum originem, populorum nomadum tribus, progressum societatis. Attamen tum historici profani tum Moyses pariter conveniunt in describendo illo innocentiae ac felicitatis originario statu, prout pariter traditiones omnes in id ipsum apprime collineant. Dummodo igitur tempora secernantur, haec, quae prima fronte sibi invicem adversari videntur, optime conciliantur.

244. Ad 3. *Neg.* Anthropophagia siquidem et belluina feritas numquam extitit primaeva humani generis conditio, uti ex historia omnium antiquissima, mosaica videlicet, novimus. Spectari idcirco illa debet uti degeneratio, cujusmodi pariter populorum sylvestrium conditio habenda est. Ad eum vero modum, quo dantur progressus in societate, dantur itidem regressus et defectiones, nonnullis praesertim impellentibus rerum adjunctis; levis antiquiorum quorumdam populorum conditionis cum praesenti, in qua versantur, conditione collatio, ejusmodi mutationem facile persuadebit. Veteres siquidem Aegyptii, Chaldaei, Graeci, cultissimi fuerunt, nunc vero sub Arabum dominatione in magna ignorantia tabescunt, prout Romanis contigit post barbarorum invasionem toto fere medio aevo.

PROPOSITIO III.

Status justitiae originalis seu gratiae sanctificantis et felicitatis, in quo primi parentes constituti a Deo sunt, non erat eis debitus.

245. Continet haec propositio catholicam doctrinam, uti constat ex damnatione contradictoriae doctrinae in propositionibus Baji et Quesnelli, quas paulo post adducemus. Ne in obscuris versemur in re tanti momenti, ex qua germana catholica doctrina, aut doctrina novatorum saec. XIV. ac jansenistarum veluti ex primo annulo totius catenae dependet circa peccatum originale ejusque effectus, nec non circa gratiam ejusque naturam et consecutiones nonnulla praemittere praestat ad status quaestionis declarationem.

246. Ac I. *debitum* naturae dici aliquid potest, vel quatenus origine contrahitur, vel quatenus naturae consentaneum est, vel quatenus naturam in sui ordinis operationibus perficit, vel demum quatenus partem naturae denotat, aut quod ex naturae principiis seu constituentibus profluit, cujusmodi sunt in homine corpus et anima, aut facultas sentiendi et intelligendi. Sic etiam *indebitum* naturae ac *supernaturale* duplici ratione dici aliquid potest, scilicet *per se* seu *ratione sui*, ac *per accidens* seu *ratione modi*. Aliquid indebitum naturae censetur per se, cum ex naturae principiis provenire

nequit, cujusmodi e. gr. fuit Eliae in coelum conscensus, Samsonis robur, etc. *Per accidens* vero aliquid uti indebitum naturae habetur seu ratione modi, quod miraculo obtinetur, quamvis alioquin ex naturae principiis fluere soleat, e. gr. omnes curationes instantaneae, visus caeco restitutus, sapientia Adami, etc.

247. II. Lutherus ac deinceps Bajus, Jansenius et Quesnellus contenderunt tum gratiam sanctificantem, tum immunitatem a concupiscentia, nec non immortalitatem cum consectariis exinde profluentibus sic naturales seu debitas hominis naturae esse, ut sine ipsis humana natura perfecta ac integra consistere non possit; nec proinde potuisse Deum, salva justitia sua ac bonitate, sine illis hominem condere. Ex hoc principio colligunt hominem in praesenti statu naturali bono destitutum esse, prout pecus aestimaretur, quae clauda aut caeca nasceretur. Quod si originalis justitia cum adnexis donis alicui redderetur, *supernaturalis* quidem ea diceretur, ast non per se ac ratione sui, sed per accidens ac ratione modi, ut visus caeco restitutus.

248. III. Catholica doctrina est, tum gratiam sanctificantem, tum immunitatem a concupiscentia ac immortalitatem supernaturalia esse in se seu ratione sui, ac naturae humanae indebita, sic ut Deus, salvis attributis suis, sine illis potuerit hominem condere, nec adjecerit ejusmodi dona nisi gratuito atque ex pura sua liberalitate. Quapropter homo, dum per peccatum excidit e statu originalis justitiae, nihil amisit ex essentialibus naturae suae, sed solum dona eidem naturae gratuito ex pura Dei liberalitate superaddita, seu quod idem est, si statum peccati excipias, homo nunc nascitur prout a Deo constitui poterat sine gratia, sine immortalitate, sine immunitate a concupiscentiae lucta.

249. IV. Circa subjectionem concupiscentiae, seu ut vocant, *donum integritatis* nonnulli theologi catholici, licet fateantur cum doctrina exposita, ejusmodi subjectionem non esse *exigentiam naturalem* nec proinde *debitam* humanae naturae, ac donum esse gratuitum, contendunt tamen *ex aliqua decentiae ratione* juxta providentiam *ordinatam* Deum non potuisse sine subjectione concupiscentiae hominem condere non secus ac absque elevatione ad ordinem supernaturalem. Alii praeterea adjiciunt praesentem statum naturae lapsae deteriorem in accidentalibus effectum esse, prout foret si Deus hominem in puris naturalibus condidisset. Esto, ipsi viderint. Neque enim hic intendimus quaestionem domesticam attingere, quam quisque, salva catholica doctrina, defendere pro suo sensu potest.

250. V. Concertationibus igitur privatis dimissis, duo juxta catholicam doctrinam in nostra propositione adstruimus, *primo* indebitam esse gratiam, *secundo* indebita pariter esse dona scientiae, integritatis et immortalitatis, quae sub generali *felicitatis* nomine complexi sumus.

251. Quibus ita compositis, sic ad probationes devenimus: status ille debitus non est sive ex parte hominis sive ex parte Dei, ergo ex sola Dei liberalitate gratuita repeti potest. Debitus non est ex parte hominis, cujus natura non exigit nisi ut sit animal rationale et ad bonum sui ordinis com-

paratum; jam vero gratia sanctificans eo ipso quod *gratia* sit, non est ex debito, alioquin non esset gratia, uti loquitur Apostolus.[1] Idem dic de concupiscentiae immunitate; conflictus siquidem ac lucta, quae inter carnem et spiritum viget ac passim exoritur, effectus est naturalis humanae constitutionis seu duplicis substantiae, qua homo constat, carnis scilicet et spiritus, ex quibus caro habet pro objecto bonum sensibile, spiritus pro objecto habet bonum spirituale ac intelligibile, ac in diversa immo contraria proinde feruntur; cum vero sibi intime praesentia sint et in unitatem suppositi conveniant, ac mutuo ab altero dependeant, hinc conflictus et lucta inter sensum et rationem suapte natura exsurgit. Quod consequens propterea est, humanam naturam per se ejusmodi immunitatem non exposcere. Nec aliud possumus judicium ferre de immortalitate et immunitate a doloribus ac poenis. Etenim humana natura, utpote diversis contrariisque elementis seu principiis concreta, poenis, doloribus, corruptioni, dissolutioni denique obnoxia est, prout uno animo physiologi docent etiam ex anatomia comparata. Si igitur hominis natura, quae recensuimus, ex se non exigit, jam et illud consequitur, quod nec debita sint ex parte Dei, qui liberrimus est, ac in gradibus majoris vel minoris perfectionis, quos adjicere creaturis potest, in illo potest consistere, qui ipsi placuerit juxta suae sapientiae dispositionem. Si quid addat exigentiae naturae, jam addit ex gratuito dono, atque ex pura liberalitate.

252. Id ipsum constat ex Baji et Quesnelli propositionibus a rom. pontificibus proscriptis. S. Pius V. et Gregorius XIII. has Baji theses confixerunt, scilicet XXI: *Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis;* XXVI: *Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio;* LV: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur,* LXXVIII: *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio;* demum LXXIX: *Falsa est doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali.* Clemens vero XI. hanc eamdem doctrinam Const. Unigenitus damnavit in prop. XXXV. Quesnelli: *Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae.* Cumque his affinia docuerit Hermesius in sua *Dogmatica speciali*[2], Gregorius XVI. in Decreto dato 26. Septembr. 1835. inter erroneas ejusdem sententias recensuit. Contradictoria igitur doctrina catholica est.

253. Jansenius, pressus damnatione propositionum Baji, non aliter sese ex angustiis potuit expedire, quam fidenter affirmando censura s. Pii V. et Gregorii XIII. damnatos fuisse novem doctissimos sanctissimosque pontifices, a quibus s. Augustini doctrina, uti ecclesiae catholicae fidem continens, iterum iterumque laudata et confirmata est. Ast nonnisi summa s. Doctoris injuria Jansenius uti certum assumit eum Baji doctrinae praelusisse. Etenim s. Augustinus ita gratuitam adstruit gratiam sanctificantem, qua primus homo

[1]) Rom. IV.

[2]) Part. III. pag. 18 seqq.

Dei filius effectus est [3]: *Homo ad Dei similitudinem factus est; tamen, quia non est unius ejusdemque substantiae, non est verus filius, et ideo fit gratia filius, qui non est natura;* si *gratia*, non igitur *debita* fuit. In libro vero I. *Retract.* his verbis de *ignorantia et difficultate* disserit [4]: *Quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset:* et loquens de anima [5]: *Si*, inquit, *talis esse coepit non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde conditori suo gratias agat. . . . . Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est . . . sed etiam quod facultatem habet, ut, adjuvante Creatore, se ipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante et ab ignorantia caecante liberetur.* De immunitate a concupiscentia haec pariter scribit [6]: *Gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habet in nudo corpore, quod puderet, spoliatus gratia sensit, quod operire deberet.* Demum de immortalitate disserens: *Qui status*, inquit [7], *eis mirabili Dei gratia praestabatur;* et alibi passim.

254. Neque a s. Augustini vestigiis hac in parte recessit angelicus Doctor, fidissimus illius discipulus, qui aperte scribit [8]: *Possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus;* et iterum [9]: *Poterat Deus*, inquit, *a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione naturae suae relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens, in quo nihil humanae naturae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur; non tamen iste defectus in eo rationem culpae et poenae habuisset, quia non per voluntatem* Adami *iste defectus causatus esset.* Quam eamdem doctrinam alibi saepe repetit et inculcat.

255. Auctoritas igitur ac ratio in id conspirant, ut *indebitum* prorsus statum justitiae originalis, in quo protoparentes constituti sunt, ostendant, prout tradit catholica doctrina.

DIFFICULTATES.

256. I. Obj. 1. Finis ultimus ac naturalis hominis est beatifica Dei visio; haec enim sola explere potest naturale rationalis animae desiderium, juxta tritum Augustini effatum: *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* 2. Nisi proinde homo hunc finem appeteret, esset perversus, quod si appetat, et non possit attingere, esset infelix. 3. Perstringens proinde s. Augustinus pelagianos docentes infantes, etsi nulla labe originali infectos, sine Baptismo decedentes excludi tamen a regno coelorum, sic scribit [10]: *Quare patrimonium regni coelorum abripis innocenti?*

[3]) *Contra Maximin.* lib. II. cap. 16. n. 2.
[4]) Cap. IX. n. 6.
[5]) *De lib. arbitrio,* lib. III. cap. 20. n. 56.
[6]) *Cont. Julian.* lib. IV. cap. ult. n. 82.
[7]) *De civ. Dei,* lib. XXIII. cap. 20.
[8]) *Quodl.* I. art. 8.
[9]) *Sentent.* II. dist. 31. qu. 1. art. 2. ad 3.
[10]) *Serm.* XCIV. n. 3.

A quo regnum coelorum non acquiritur, profecto magno bono fraudatur. Quae est ista justitia? 4. Nihil denique magis frequens in Augustino est, quam beatitudinem olim futuram *meriti mercedem*, factam nunc esse gratiae donum. 5. Nec aliter sensit s. Thomas, qui docet [11], inesse homini naturale desiderium videndi Deum, ac viso effectu desiderare hominem videre primam causam. Ergo.

257. Resp. Ad 1. *Neg.* Finis enim ultimus naturalis hominis est beatitudo in genere, in quocumque demum ista consistat, sive in cognitione abstractiva Dei in summo gradu, sive in alio quopiam. Beatitudo, quae in ipsa Dei visione sita sit, finis est supernaturalis hominis per gratiam ad superiorem ordinem elevati; alioquin gratia, quae medium est ad hunc finem obtinendum, naturalis homini esset eique debita, quod a doctrina catholica abhorret. Aut igitur objectum Augustini effatum est de fine naturali hominis, et tunc nequit intelligi de beatifica visione sive intuitiva Dei; aut est de fine supernaturali hominis ad sublimiorem ordinem evecti, et in hac hypothesi non ferit thesim nostram.

258. Ad 2. *Neg.* Si enim visio beatifica non est finis naturalis hominis non elevati, is nec esset perversus, si eum non appeteret, neque infelix, si eum non attingeret.

259. Ad 3. *D.* In pelagianorum hypothesi, *C.* secus, *N.* Pelagiani, qui non agnoscebant ullam hominis ad ordinem supernaturalem per gratiam elevationem, nec ullum propterea ab eodem lapsum, dum inficiabantur infantes nulla labe infectos sine Baptismo decedentes ad regnum coelorum pervenire posse, turpiter sibi contradicebant, Deumque injustitiae accusabant. Injuste quippe Deus arceret a regno coelorum seu beatifica visione eos, qui absque culpa erant, et quibus tamen haec ipsa beatifica visio finis naturalis est, eo quod non potuerint pervenire ad Baptismum. Jure igitur meritoque Augustinus eos perstringebat.

260. Ad 4. Improprie ac relative, *C.* proprie et absolute, *N.* Illa siquidem loquendi ratione s. Augustinus interdum usus est ad significandum majori gratia, immo et misericordia factum esse, ut homo post lapsum ad beatitudinem supernaturalem admittatur, quam ante lapsum, quamvis et in statu innocentiae etiam ex gratia concederetur. En quomodo aperte id constituat, dicens [12]: *Quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset;* dum igitur ibid. scribit: *Hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum;* intelligi debet de uberiori gratia et misericordia, prout ipsemet exponit, adjiciens: *Sed post illam ruinam major est misericordia Dei.*

261. Ad 5. *D.* Prout ejus fert conditio, *C.* absolute ac intuitive, *N.* Et eodem modo intelligi debet s. Doctor cum affirmat hominem, viso effectu, naturaliter desiderare primam videre causam. Talem sane esse veram s. Thomae

[11]) *Contra gent.* lib. III. cap. 50. et in *Summa,* part. I. qu. 10. art. 1.

[12]) *Enchir.* cap. 106.

mentem patet tum ex eadem quaest. art 4. ubi docet neque hominem, neque aliquam quamcumque creaturam naturaliter, seu spectata naturali conditione, Dei essentiam videre posse; tum *De veritate*, ubi scribit [13]: *Homini inditus est appetitus ultimi finis sui in communi, ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectationibus, vel hujusmodi aliis, non est determinatum a natura.*

262. II. Obj. 1. Deus condere non potuisset hominem absque rectitudine *physico-morali*, seu obnoxium ignorantiae et concupiscentiae. 2. Physica enim constitutio, ut *recta* dici possit, debet hominem immunem efficere a quovis errore etiam materiali, et ab omnibus illaesum illecebris, alioquin homo esset inordinatus a Deo effectus sive conditus, quod repugnat. 3. Haec erat unica conditio, qua homo Deo placere posset, ac sine illa jam fuisset in peccato constitutus. 4. Hinc s. Augustinus passim docet ignorantiam et concupiscentiam poenas peccati esse, et Apostolus absolute concupiscentiam *peccatum* appellat. [14] 5. Ecquis sane audeat naturalem hominis conditionem edicere statum illum, ob quem idem gemit Apostolus, scribens [15]: *Ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio... Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum... Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo*, etc. 6. Haec concupiscentia non solum esset naturalis hominis proprietas, sed etiam bona, in adversariorum hypothesi; cum tamen s. Augustinus plurimis in locis ostendat contra Julianum eam esse ex se malam probrosamque. 7. Eumdem insectatur, eo quod eam *naturalem* vocare non erubuerit. 8. Exinde originalis peccati transfusionem evincere satagit. 9. Quam quidem naturae corruptionem vel ipsi ethnici philosophi cognoverunt, naturam hac de causa non matrem sed novercam vocantes. 10. Alioquin Deus tum ignorantiae tum concupiscentiae, malorumque ex illis profluentium auctor censendus esset. 11. Hinc receptum illud in scholis effatum, hominem per peccatum originale et spoliatum esse gratuitis et vulneratum in naturalibus. Quod et tridentina synodus expressit [16], dum per peccatum totum hominem secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse declaravit; adeoque ignorantia et concupiscentia uti naturae vulnera non autem proprietates spectari debent, quae cum non susceperit Christus, ideo ab ignorantia et concupiscentia immunis prorsus fuit. Ergo.

263. Resp. Ad 1. *D.* Id est, non potuisset Deus hominem condere cum *actuali* inordinatione *physico-morali*, *C.* non potuisset condere hominem tali natura praeditum, ex qua *oriri posset* inordinatio moralis, *N.* Aequivocatio in eo est, quod permisceatur actualis inordinatio in homine a Deo

[13]) Qu. 22. art. 7.
[14]) Rom. VII. 20.
[15]) Loc. cit.
[16]) Sess. V. cap. 1.

condito aut condendo, quod utique repugnat, cum natura defectui obnoxia, in quo certe nulla est repugnantia, cum Deus ad optimum non teneatur, neque ejusmodi immunitatem exigat naturalis hominis constitutio.

264. Ad 2. *D.* In sensu exposito, *C.* in alio sensu, *N.* Alioquin Deus ita humanam naturam debuisset perfectam constituere, ut nulli umquam obnoxia esset defectui, quod et a priori et a posteriori patet esse falsum. A priori quidem ob adductas rationes in probationibus; a posteriori ex facto scilicet lapsus adamitici, etsi Adam pluribus fuerit auctus donis superadditis.

265. Ad 3. *Neg.* Haec enim doctrina erronea est; numquam enim homo ob defectus naturae physicae potest displicere Deo; absurdum autem est in physico hoc defectu peccatum reponendum esse. Quamvis etiam physica haec constitutio influxum exerceat super voluntatem liberam, adeoque super morale, quamdiu tamen haec non assentit cupiditatum illecebris, immunis est a peccato, et a statu peccati.

266. Ad 4. *D.* S. Augustinus docet ignorantiam et concupiscentiam esse poenas peccati in praesenti rerum ordine, *C.* absolute et in alio ordine, de quo disserimus, *N.* Agebat enim contra pelagianos, qui negabant propagationem originalis peccati, adeoque ex conditione naturae a Deo conditae repetebant ignorantiam et concupiscentiam, cum tamen ex fide sciamus eas in praesentiarum poenas esse peccati.

267. Apostolus vero vocat [17] concupiscentiam peccatum improprie, quatenus, ut declaravit Tridentinum, et ex peccato est et ad peccatum inclinat.

268. Ad 5. *D.* In *actuali* scilicet physicae constitutionis evolutione, quam deplorat Apostolus, *C.* in potentia, quae provenit ex defectu seu limitatione naturae, *N.* Jam praevenimus hanc difficultatem animadvertendo haud posse concupiscentiam in potentia permisceri cum concupiscentia prout est in actu exercito, uti scholae loquuntur, quam profecto Deus non potuit homini indere, cum haec sit inordinatio positiva; prout non potuit eum condere in statu morboso doloribusque affecto, quod pariter absonum est de Deo cogitare; ast nulla est repugnantia in eo, quod Deus condiderit talem naturam, ex qua deinceps ejusmodi sive morales sive physicae inordinationes ac proinde luctae oriri possent. Jam vero Apostolus in persona illius, qui ante legem, sub lege, et sub gratia invenitur, gemit de actuali statu inordinationis, non autem de natura in se obnoxia huic inordinationi, quae bona est, licet defectibus ob suam limitationem subjiciatur. Accedit quod non pari gradu in individuis singulis haec inordinatio evolvatur, sed alius magis alius minus urgetur et concutitur. Ex indole, ex habitu, ex sensuum custodia, aliisque ejusmodi major vel minor intensitas ejus pendet.

269. Ad 6. vel *N.* vel *D.* Si concupiscentiae nomine significetur facultas bonum sensibile appetendi malumque aversandi, tum *naturalis* tum bona dici potest, *C.* si pro actu malum concupiscendi, *N.* Responsio patet ex dictis. S. Augustinus autem loquitur de concupiscentia actuali, atque ut poena

[17]) Rom. VII.

peccati est, dum disputat adversus Julianum pelagianum, qui actualem ipsam concupiscentiam, quae inordinatio est, bonam vocabat. Nec obest eumdem s. Doctorem vocare concupiscentiam *et peccatum, et poenam peccati, et causam peccati* [18]; nam ipse loquitur de actuali concupiscentia, quae ex peccato originali profluxit et cum quo est in nexu causali, neque vocat peccatum *formale;* loquitur enim in sensu Apostoli; concilium porro tridentinum declaravit, quo sensu concupiscentia *peccatum* vocetur.

270. Ad 7. *D.* In sensu exposito, *C.* secus, *N.*

271. Ad 8. *D.* Conjecturaliter, ut ajunt, divina bonitate spectata, *C.* per se, *N.* Nam jam praemiserat veras probationes ex Scriptura et traditione.

272. Ad 9. *D.* Id est, nonnulli suspicati sunt, *Tr.* omnes, *N.* Philosophi ethnici, uti Bellarminus jamdiu animadvertit, diversimode prorsus de homine senserunt et locuti sunt, alii eum nimium dejecerunt, alii nimium extulerunt, prout nostri etiam increduli faciunt, qui eum modo brutis exaequant, modo Deo, immo et Deum faciunt, ut pantheistae et hegeliani.

273. Ad 10. *Neg.* Deus enim est causa naturae, quae bona est, non autem defectuum, qui ex illa oriuntur, quos solum non impedit, ac permittit justissimis de causis. Alioquin artifex dicendus esset auctor rubiginis, qui ex ense gignitur.

274. Ad 11. *D.* Vulneratus in naturalibus, perficientibus scilicet naturam in suo ordine, cujusmodi est integritas, ac proinde *relative, C.* in essentialibus naturae et *absolute, N.* Siquidem nihil homo per peccatum de essentialibus naturae deperdidit, prout neque angeli in his per lapsum quidpiam amiserunt. Itaque tota haec vulneratio relativa est ad naturam, donis superadditis a Deo in suo ordine perfectam. Nonnulli, uti praemisimus, contendunt deteriorem factam esse humanam naturam saltem in accidentalibus, hi possunt in sensu suo abundare, cum ecclesia nihil de his constituerit; s. Thomas, Bellarminus, Suarez et communis scholasticorum sententia id negant. Ex his jam patet etiam mens Tridentini in objectis verbis et quo sensu ignorantia et concupiscentia vulnera dici debeant naturae, quatenus natura a Deo constituta scientia et integritate praedita est, et per peccatum his est destituta. Christus porro naturam sine peccato suscepit, qualis in Adam ante peccatum fuit, adeoque neque ignorantiae neque concupiscentiae ulli obnoxius esse poterat. Quod si doloribus ac morti se subjecit, ex libera quadam dispensatione, seu sponte illos in se suscepit.

275. III. Obj. 1. Saltem sine culpa homo nequit esse mortalis doloribusque obnoxius, ut declarat conc. arausicanum II. can. II. definiens: *Injustitiam Deo dare, qui censent Adamum moriturum fuisse, etiamsi non peccasset;* et s. Augustinus affirmat [19]: *Corporis mortem non lege naturae sed merito inflictam esse peccati;* et iterum scribit [20]: *Crudelitatis fore, si Deus hujus*

[18]) Lib. V. *Contra Julian.* n. 8.
[19]) *De civ. Dei,* lib. XIII. cap. 15.
[20]) *Disp. contr. Fortunatum manich.* n. 9. et *Disp.* II. n. 28.

vitae aerumnis animas nullius peccati reas addiceret. 2. Quod vel ipsa ratio suadet, corpus enim animae naturam ac sortem, quae immortalis est, experiri debet; alioquin 3. homo neque beatitudinem naturalem assequeretur, quae ei saltem competit; vita autem, *si non est aeterna*, ut saepe arguit s. Augustinus, *nec est beata.* 4. Cumque anima perpetuo corporis, ad quod ordinata est, desiderio detineatur, vim pati deberet, aeternumque discruciaretur. 5. Illud demum omnium veluti animis insculptum principium est, neminem, qui innocens sit, posse doloribus, poenis, aerumnisque subjici. Tum igitur immortalitas tum immunitas a doloribus proprietates hominis naturales sunt censendae.

276. Resp. Ad 1. *Neg.* Concilium porro arausicanum objectam edidit definitionem ex principiis catholicae doctrinae de immortalitatis dono Adae innocenti collato, quo Deus absque injustitia eum privare non potuisset, ubi ille nullo se peccato commaculasset. Eodem etiam sensu loquitur s. Augustinus, et ex eadem suppositione, dum affirmat *corporis mortem merito inflictam esse peccati.* Dum vero contra Fortunatum asserit *crudelitatis fore, si Deus hujus vitae aerumnis animas nullius peccati reas addiceret*, perstringit manichaeos, qui Deum auctorem simul et ultorem peccati faciebant; sic etiam dum contra Julianum pariter scribit: *Deum fore injustum, si tam gravi jugo premeret innocentes,* loquitur, ut ipse subdit, juxta *hujus saeculi dispositionem,* seu de praesenti providentiae ordine.

277. Ad 2. *D.* Nisi naturalis corporis conditio aliud exposceret, *C.* secus, *N.*

278. Ad 3. *D.* Competeret homini beatitudo saltem naturalis vel in hac vel in altera vita, *C.* in hac vita, *N.* Praesens enim vita non est nisi praeparatio ac dispositio ad beatitudinem in altera vita obtinendam, quae meritis rependitur, ac proinde homo nunc in via est ad terminum ei praestitutum. Atque hoc sensu intelligi debet s. Augustinus.

279. Ad 4. *Tr. A.* et *Neg. cons.* Quae de animae desiderio post hanc vitam se iterum cum corpore conjungendi dicuntur, incerta sunt; verum et hoc dato, Deus illi extraordinaria ratione supplere potest, prout reipsa beatis nunc supplet, donec universalis corporum resurrectio fiat; aut etiam potest dono, ut ajunt, *quoad modum* supernaturali iterum corpora propria animabus restituere.

280. Ad 5. *D.* Principium omnium animis insculptum est neminem sine causa affligi ac cruciari posse, *C.* sine culpa, *N.* Causa porro dolorum, aerumnarum, et afflictionum quibus subesset homo, si in puris naturalibus constitutus fuisset, petitur ex physica ipsius constitutione, quod etiam patet in brutis animantibus, quae illis subjiciuntur, sine culpa. Hinc merito damnatae sunt binae Baji propositiones, scilicet LXXV: *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde et Job et martyres quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt; et* LXXIII: *Nemo praeter Christum est absque peccato originali: hinc b. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut*

et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. Exinde patet quomodo homini connaturales censeri possint sive immortalitas sive integritas, quatenus scilicet ejus naturae consentaneae sunt, et a Deo naturae innocenti concessae.

CAPUT III.

DE PROTOPARENTUM LAPSU.

281. Brevi protoparentes a statu justitiae originalis ac felicitatis, in quo constituti liberaliter a Deo fuerant, exciderunt per mandati sibi traditi transgressionem, omnibusque obruti poenis sunt, quas ipsis Deus interminaverat. Hunc lapsum tum neoterici biblici, tum rationalistae impugnant ac mythis accensent. Ast perperam.

PROPOSITIO.

Primi parentes mandatum sibi a Deo datum transgressi sunt, ac per ejus transgressionem graviter peccarunt.

282. Utraque propositionis pars ad fidem pertinet, uti ex recitatis canonis trid. verbis constat. Ac primo protoparentes mandatum sibi divinitus datum transgressos esse luculentissime patet tum ex sacris litteris, tum ex constanti traditione judaeorum, christianorum, immo et omnium ferme gentium. Sane Moyses exhibet sic Deum Adae praecipientem [1]: *De ligno scientiae boni et mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris;* jam vero de Heva legitur [2]: *Tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo.* Hinc Apostolus [3]: *Per unum hominem,* inquit, *peccatum intravit in mundum.*

283. Constantem praeterea judaeorum et christianorum de hujusmodi praevaricatione traditionem viguisse, ostendunt quoad Hebraeos documenta, quae de Sammaele Hevae seductore collegit Eisenmenger [4]; tum quae passim in sacris litteris Moysi posterioribus traduntur; sic Sap. II. 24. legitur: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum;* et ibid. X. 2. de Adam dicitur: *Et eduxit* Sapientia *illum a delicto suo.* Quod vero ad christianos spectat, nullum dubium oriri potest, cum ecclesia id ipsum didicerit a Christo et ab apostolis. Siquidem Christus de diabolo dixit [5]: *Ille homicida erat ab initio,* quatenus protoparentes ad peccandum induxit; et Apostolus loquens de serpente, quo veluti instrumento diabolus usus est: *Ilevam,* inquit [6], *seduxit astutia sua,* et alibi.

284. Nec desunt penes omnes gentes primitivae hujus traditionis vestigia, ut patet ex Zoroastri doctrina de Ahrimane in Zendavesta apud mediae ac

[1]) Genes. II. 17.
[2]) Ibid. cap. III.
[3]) Rom. V. 12.
[4]) *Judaismus detectus,* vol. I.
[5]) Joann. VIII. 44.
[6]) II. Cor. XI. 3.

superioris Asiae populos pervulgata; item apud Graecos ex Promethei et Herculis fabulis; apud Aegyptios ex hieroglyphicis ibidem repertis; adeo ut vel ipse Voltaire in *Philosophia historiae* scribere haud dubitaverit: *Casus hominis est fundamentum theologiae omnium pene antiquorum populorum.*

285. Graviter porro per hanc praevaricationem protoparentes peccasse, prout secundo loco constituimus, evincunt verba Ecclesiast. X. 14: *Initium superbiae hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus.* Peccarunt proinde primi parentes superbia; peccarunt praeterea inobedientia prout eis exprobravit Deus, dicens Adae [7]: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes.* Hinc Apostolus antithesim instituit inter inobedientiam Adae et obedientiam Christi [8]; peccavit insuper Heva infidelitate, dum assensit serpenti, dicenti sibi: *Nequaquam moriemini*, secus ac comminatus Deus esset. Quae profecto levia non sunt. Quapropter auctor *Sapientiae,* ut vidimus, peccatum Adae vocavit *delictum*, prout etiam Apostolus vocat *praevaricationem et delictum.* Poenae porro, quae ejusmodi delictum subsecutae sunt, ejusdem gravitatem magis patefaciunt, quod et collegit s. Augustinus [9], tum ex praecepti facilitate, tum ex ei adnexa poenae comminatione. Constat proinde quod proposuimus.

DIFFICULTATES.

286. Obj. 1. Quae de protoparentum lapsu in Genesi referuntur, mythice et allegorice exponi possunt, nihil proinde certi ex mosaica historia potest constitui. 2. Si ex objecto de gravitate peccati disserere velimus ac judicare, quisque facile intelliget, non potuisse protoparentes gravi se peccato commaculare; agitur de esu fructus. 3. Quis praeterea sibi persuadeat, Deum homini innocenti et justo sub gravi reatu vetare voluisse rem indifferentem ac plane innocuam? 4. Nonne Deus, qui hominem iis in adjunctis constituit, in quibus eum brevi lapsurum praevidit, dicendus esset ejusdem peccati auctor? 5. Iniquum demum videtur Adamum eadem cum Heva poena mulctatum a Deo, cum tamen longe levius ejus peccatum fuerit. Ergo.

287. Resp. Ad 1. *D. A.* A liberioris ingenii expositoribus, omnibusque sanae exegeseos legibus pessumdatis, *C.* a sobriis interpretibus catholicis, *N.* Si protestantium ac rationalistarum expositiones admitterentur, vix ac ne vix quidem certi quidpiam in Bibliis superesset, quibus universa Biblia non sunt nisi mythologia. Jam vero prima rectae ac germanae interpretationis regula sensus est traditionalis. Cum autem ostenderimus constantem viguisse hujus lapsus traditionem tum in synagoga tum in ecclesia christiana, et quidem fultam auctoritate biblica, nonnisi temere immo et erronee quispiam ab ea discedere potest in mosaicae historiae enarratione. Cajetanus, qui allegorice exposuit colloquium serpentis cum Heva, etsi a vero abluserit, numquam tamen protoparentum lapsum in dubium revocavit.

[7]) Gen. III. 17.
[8]) Rom. V.
[9]) *Op. imperfect. cont. Julian.* lib. XIII. n. 57.

288. Ad 2. *D.* Si ex solo reipsa praecepti objecto dijudicandum esset de peccati protoparentum gravitate aut levitate, *Tr.* si praeterea dijudicari debeat ex omnibus adjunctis et ex auctoritate Scripturarum, *N.* Nemo est, qui nesciat, non ex solo objecto materiali ferendum judicium esse de culpae reatu, sed praeterea ex dispositione subjecti, ex actibus, qui materialem transgressionem comitantur, ex comminatione poenae, aliisque ejusmodi. Jam vero ad protoparentum inobedientiam accessit superbia et infidelitas, poenae gravis insuper comminatio et exsecutio. Cumque Scriptura ipsa iterum iterumque vocet Adae peccatum *praevaricationem* ac *delictum*, ecquis dubitare poterit de illius gravitate materiali insistendo fructus comestioni? Certe s. Augustinus *ineffabiliter grande peccatum* illud Adami vocavit. [10]

289. Ad 3. *D.* Si justas Deus causas non habuisset suaque sapientia dignas ad illud praeceptum homini dandum, *C.* si has habuit, *N.* Plures autem Patres causas assignant, ob quas Deus ejusmodi praeceptum protoparenti dederit, tum scilicet ut homo cognosceret se Deo ac Domino subjectum esse, tum ut haberet in quo obedientiam exerceret, fidelitatem, grati animi sensum erga tam munificum benefactorem, ac proinde mereretur; alias praeterea causas se dignas habere Deus potuit, cur ita se gereret, etiamsi nos eas ignoremus. Cum de Deo agitur, optimum id esse dicendum est, quod ipsi placuit decernere.

290. Ad 4. *D.* Si Deus hominem ob eum finem conjecisset in illa adjuncta, ut laberetur, *Tr.* si praeter ejus intentionem solum futurum lapsum praevidit, neque adjuncta exposcebant, *N.* Impium foret vel suspicari Deum in eum finem hominem posuisse in illis rerum adjunctis, ut ipse transgrederetur praeceptum, quod ei dedit. Posita autem lapsus praevisione nihil impedit, quominus Deus potuerit illum lapsum permittere, uti ostendimus, cum ageremus de permissione mali moralis; eadem enim ratio valet tum quoad permissionem peccati adamitici, tum quoad permissionem alterius cujuscumque peccati.

291. Ad 5. *D.* Si levius reipsa peccatum Adae fuisset Hevae peccato, *Tr.* vel *C.* si levius non fuit, *N.* Porro determinare utrum gravius alter prae altera peccaverit, nostrum non est, sed soli cordium scrutatori Deo est reservandum. Doctores plures rationes pro utraque afferunt sententia, sed hae incertae sunt et conjecturales, nihilque certi ex illis constitui potest.

CAPUT IV.

DE PECCATI ORIGINALIS PROPAGATIONE.

292. Peccati originalis in omnes homines propagatio, generisque humani redemptio per Christum effecta, duo veluti cardines sunt, quibus tota volvitur religio christiana. Nil mirum proinde si ad utrumque dogma labefactandum religionis christianae hostes conatus omnes contulerint.

[10]) *Enchirid.* cap. 26. et 27.

293. Pelagiani omnium primi tum existentiam tum propagationem originalis noxae adorti sunt. Eos sociniani, neoterici biblici, rationalistae, recentioresque protestantes sunt imitati.

294. Ad germanum quaestionis statum cognoscendum juverit praemittere, 1°. non esse permiscendum dogma de originalis peccati *existentia* et propagatione cum propagationis *modo*. Illud enim de fide est, iste vero non item. 2°. Non esse pariter permiscendam controversiam de existentia cum *natura et essentia* originalis peccati. Circa ejusmodi peccati essentiam seu naturam plures viguerunt discrepantes sententiae non solum inter catholicos et protestantes, sed etiam inter catholicos ad invicem. Antiquiores enim novatores saec. XVI. autumarunt peccatum originale aut in substantia aliqua consistere, aut in ipsa concupiscentia, aut in actuali jugi peccato, quod ex fomite oritur, aut in actuali prava aliqua cupiditate. Nonnulli catholici theologi existimarunt idem peccatum consistere in morbida quadam animae qualitate, aut in ipsa Adae inobedientia nobis imputata. Quae quidem sive novatorum sive theologorum placita expendit Bellarminus. [1]

295. Nos ut fundamentum dicendorum constituamus, subjicimus concilii tridentini canones Sess. V. in quibus catholica veritas de natura et propagatione originalis noxae traditur. Can. I: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse; incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.*

296. Can. II: *Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae; anathema sit.*

297. Can. III: *Si quis Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium ... per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum ... Jesu Christi ...; anathema sit.*

298. Can. IV: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati ...; anathema sit.*

299. Can. V: *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quae in Baptismate*

[1]) ***De amiss. grat. et statu peccati,*** lib. V. cap. 1 et seqq.

confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet . . .: anathema sit.

300. Ex his colligimus 1°. reatum culpae, quatenus ab Adae actione provenit, in omnes ejus posteros transfundi, fierique uniuscujusque proprium. 2°. Hunc reatum, in quo tota ratio seu *formalitas* consistit peccati originalis, non aliud esse nisi *mortem animae*. Adeoque naturam seu essentiam hujus peccati prout *actionem* dicit, seu ut peccatum *actuale* est, esse ipsum peccatum personale Adae, quatenus caput erat totius humanae naturae: prout vero *reatum* dicit, seu *habituale* in Adae posteris est, consistere in *privatione* (non simplici *carentia* rei indebitae) gratiae sanctificantis et justitiae, *quae nobis inesse deberet* juxta ordinem a Deo constitutum: hac privatione fit, ut nos vere peccatores simus, filii irae, Dei inimici, et habitualiter, saltem negative, a Deo aversi. Hinc s. Thomas aperte scribit [2]: *Sic ergo privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali.* 3°. Colligimus mortem, concupiscentiam, morbos, ad malum pronitatem aliaque ejusmodi, non esse nisi peccati originalis *effectus*, appendices seu poenas.

301. Hujusce igitur originalis peccati existentiam et propagationem uti fidei nostrae dogma firmissimum, tum ex Scriptura tum ex traditione distinctim ob rei gravitatem ostendere adgredimur adversus haereticos omnes sive antiquiores sive recentiores. Adversus incredulos autem ostendemus numquam eos evincere posse hunc fidei articulum rectae rationi repugnare.

302. Protestor vero cum s. Augustino, quod *de B. Virgine Maria cum de peccato agitur, propter honorem Domini, nullam prorsus habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum; quae concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Quo pariter sensu declaravit tridentina synodus Sess. V. *Non esse suae intentionis comprehendere, ubi de originali peccato agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* [3]

PROPOSITIO I.

Peccatum originale, quod est mors animae, in omnes Adae posteros transfundi sacrae litterae docent.

303. Cum Vet. Testamenti testimonia, quae huc referuntur, lucem mutuentur a Novo Foedere, ideo ex hoc incipimus ad assertam thesim adstruendam. Ac primo luculentissima sunt, quae habet Apostolus [1]: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, et v. 18: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae*; ac v. 19: *Sicut per inobe-*

[2]) I. 2. qu. 82. art. 3.
[3]) Vid. infra prop. IV.
[1]) Rom. V. 12.

dientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi. Ac caeteris omissis: *Unus,* inquit [2], *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.*

304. Ex Apostolo igitur 1°. ideo omnes morti obnoxii sunt, quia omnes in Adam peccaverunt; jam vero non peccaverunt omnes, qui morti obnoxii sunt, peccato actuali uti infantes, ergo omnes peccaverunt peccato originali; 2°. Eadem ratione constituuntur homines peccatores per Adae peccatum, seu inobedientiam, qua constituuntur justi per Christi meritum et obedientiam; atqui homines vere et intrinsece per obedientiam et meritum Christi justi constituuntur, seu *formaliter;* ergo vere et intrinsece, seu *formaliter* per peccatum et inobedientiam Adae homines constituuntur peccatores. 3°. Eatenus Christus mortuus est pro omnibus, quatenus omnes mortui sunt aliquo peccato sive propria voluntate patrato aut patrato voluntate aliena. Porro non omnes mortui sunt peccato propria voluntate patrato, ergo mortui omnes sunt peccato patrato voluntate aliena, nempe Adae; seu quod idem est, ex adductis Pauli testimoniis luculenter patet, in omnes transfundi peccatum originale.

305. Haec robur accipiunt ex Apostoli scopo, qui est ostendendi adversus judaeos quomodo omnes homines ex justitia unius Christi justificentur; id autem evincit argumento, quod vocant ad hominem, ex recepta apud illos doctrina de damnatione in omnes homines per Adae peccatum illata; uti fatentur ipsi rationalistae biblici Michaelis, Rosenmüller et Ammon.

306. Hanc vero persuasionem seu doctrinam in judaeos promanasse ex sensu traditionali in sacris litteris Veteris Testamenti fundato, nec pauca nec obscura evincunt testimonia. Etenim Job. XIV. 4. legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Seu juxta hebraicum textum? *Quis dabit mundum ab immundo? Non unus, etiamsi breves dies ejus;* quem sensum sic expressit versio alexandrina: *Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.* Item nota sunt verba Ps. L. 7: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea;* quae sic clarius exhibet hebraicus textus: *Ecce in iniquitate genitus sum, et in peccato fovit me mater mea;* quae versio traditur ad litteram a Rosenmüller. Jam vero in his sermo est de immunditia individuali passiva, seu de iniquitate et peccato inhaerente subjecto genito ac concepto, et quidem adversariis ipsis nostris fatentibus, juxta traditionalem et communem persuasionem. Porro nullum aliud peccatum, nulla alia immunditia aut iniquitas fingi in infante concepto aut recens edito potest, praeter illud quod ex protoparente contrahitur, ergo utroque foedere consentiente, existit originale peccatum, quod in omnes homines propagatur.

[2]) II. Cor. V. 14.

DIFFICULTATES.

307. Obj. 1. Apostolus Rom. V. non loquitur nisi de personali Adae peccato, quod cum primum fuerit, caeterorum peccatorum agmen ducit, quae imitatione patrantur. 2. Aut si loquitur de peccato, quod in posteros dimanaverit, peccati nomen metonymice usurpat ad significandam peccati poenam ac effectus, quatenus infirmitas humana ac malorum colluvies, quae humanum genus invasit, inde est repetenda. 3. Hoc confirmatur ex particula ἐφ', *ex quo*, cujus vis est *quatenus* vel *quia, eo quod*, ita ut sensus sit: omnes peccarunt seu peccare solent ex quo et ipse Adam peccaverit, omnesque propterea poenas luunt. Ergo Apostolus in loc. cit. nullo modo de peccato originali in sensu catholicorum loquitur.

308. Resp. Ad 1. *Neg.* Primum enim peccatum fuit angelorum, aliud deinde fuit peccatum Hevae, quod primum ab hominibus patratum fuerit. Caeterum Apostolus loquitur de eo peccato, quo homines constituuntur peccatores, adeoque et infantes, qui morti propterea obnoxii sunt, per antithesim ad justificationem, quam homines per Christum consequuntur et ideo efficiuntur justi, etiam infantes, pro quibus Christus pariter mortuus est, quin ipsi peccatum Adae imitari potuerint.

309. Ad 2. *Neg.* Alioquin sic absurda evaderet sententia Apostoli: *per peccatum mors intravit in mundum*: *per mortem mors* etc., tum *regnum mortis per regnum mortis* introductum esse. Nulla demum esset comparatio inter damnationem inductam per Adam et justificationem, quam attulerunt merita Christi.

310. Ad 3. *Nego* iterum tum quia ipsi graeci Patres, uti Chrysostomus, nec non graeci interpretes Oecumenius et Theophylactus particulam ἐφ' exposuerunt in sensu Vulgatae *in quo*, quo in sensu eam usurpat idem Apostolus [3]; tum quia, etiam admissa litterali illa versione *ex quo*, non alius sensus erui potest ex contextu Apostoli, quam de peccati adamitici propagatione, cum ipse ex causa universali, nempe peccati in omnibus, colligat effectum universalem in omnibus, scilicet mortem, quae etiam in infantibus dominatur, etiamsi personalis peccati rei minime sint.

311. I. Inst. 1. Apostolus in v. 12. de eodem peccato loquitur ac in v. 13 et 14. ut patet ex causali *enim;* atqui in his versiculis loquitur de peccato actuali, quod non imputabatur ex defectu legis positivae. Ergo. 2. Si de peccato originali loqueretur Apostolus, non dixisset in v. 15. quod *multi* unius delicto mortui sint, cum debuisset *omnes* mortuos dicere; 3. cumque instituat antithesim inter damnatos per Adam et justificatos per Christum, scribit *donum in gratia unius hominis J. C. in plures abundavit,* quod falsum esset, si omnes in Adam peccassent. 4. Non omnes justificantur per Christum, ergo neque omnes damnantur per Adam. Ergo.

312. Resp. Ad 1. *Tr. Maj.* Variae siquidem de hoc sunt expositorum

[3]) Hebr. IX. 14.

sententiae; *D. min.* loquitur etiam de peccato actuali in illis versiculis, *C.* solum, *N.* Loquitur enim de eo peccato, per quod *mors regnavit in mundo etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae,* nempe etiam in infantes, quorum peccatum profecto actuale non fuit.

313. Ad 2. *D.* Si per illud *multi* non significasset *omnes, C.* si significavit *omnes, N.* Porro contextus Apostoli hanc significationem exposcit; jam enim prius dixerat *omnes in Adam peccaverunt.* Fatente Rosenmüller *οἱ πολλοὶ* cum articulo idem valet ac *multitudo, totum genus humanum*, est enim hebraismus in hac dictione, nam etiam vox hebraica *rabbim omnes* denotat; et confirmatur ex versione Theodotionis, Dan. XII. 3, immo et Latini interdum *multos* pro *omnes* usurparunt.

314. Ad 3. *D.* Si antithesis instituetur inter numerum et numerum, *C.* si instituitur inter damnum per Adam illatum, et donum proveniens ex Christi meritis, *N.* Institui autem antithesim inter malum, quod intulit Adae peccatum, et beneficium, quod nobis attulit Christus, patet ex scopo Apostoli, et ex orationis ejus serie. Totus enim hic Apostolus est, ut magnificet justificationem, quam nobis Christus promeruit; quae non tantum nos liberavit ab illo peccato, quod generatione contraximus, sed et a pluribus aliis, quae propria voluntate patramus, hinc concludit: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.*

315. Ad 4. *D. conseq.* Quatenus non omnes renascuntur in Christo, qui nati sunt ex Adam, *C.* alio sensu, *N.* Scopus Apostoli est instituere antithesim inter utrumque caput vitae naturalis et vitae supernaturalis, Adam et Christum, ita ut quemadmodum omnes, qui nascuntur ex Adam naturali generatione, nascuntur in statu peccati ac mortis animae, ita omnes, qui renascuntur in Christo per applicationem ejus meritorum, renascantur in statu gratiae ac vitae. Quo sensu antithesis perfecta est, etiamsi non omnes nati ex Adam renascantur in Christo.

316. II. Inst. 1. Adam propter peccatum mortalis effectus, necessario debuit filios gignere mortales, etiamsi ad filios peccatum suum non transmiserit. Ergo perperam ex regno mortis infertur regnum peccati. 2. Sane Apostolus cap. IV. v. 15. docuerat: *Ubi non est lex, nec praevaricatio;* jam vero infantibus non est lex, ergo non potest in ipsis concipi praevaricatio: ac rursum II. Cor. v. 10. ejusmodi peccatum generatione contractum excludit, scribens: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum;* infantes igitur, qui nihil boni vel mali gesserunt, nullo modo damnari poterunt. 3. Alioquin infantes poenam luerent ob peccatum patris, secus ac Deus protestatus sit per Ezechielem [4]: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.* Ergo.

317. Resp. Ad 1. *D.* Si Adam mortalis tantum effectus esset quoad corpus et non etiam esset mortuus quoad animam, *C.* si praeterea etiam quoad

[4]) Cap. XVIII. 20.

animam mortuus sit, *N.* Cum vero ex praenotatis *formalitas,* ut ajunt, peccati originalis consistat in *privatione justitiae originalis,* fit ut Adam, hac semel privatus, nequiverit eam ad posteros suos non transmittere, adeoque omnes ejus posteri non solum nascuntur morti obnoxii, verum etiam justitia originali privati, seu peccato originali infecti; regnumque mortis in praesenti providentia necessario connexum est cum regno peccati quoad naturaliter ab Adam genitos.

318. Ad 2. *D. Ubi non est lex, nec praevaricatio* est actualis, *C.* originalis per modum habitus transmissa in Adae posteros, ob ipsius Adae personalem seu actualem praevaricationem, *N.* Quod vero spectat ad alterum Apostoli testimonium ex II. Cor. V. negamus exinde inferri exclusum esse peccatum generatione contractum, de quo hic Apostolus non agit, loquitur enim de solis adultis, qui sive bonum sive malum gerere possunt.

319. Ad 3. *D.* Propter peccata, quorum filius particeps non sit sive imitatione sive generatione, *C.* quorum filius particeps sit saltem generatione, ut in casu nostro, *N.* Uti patet ex orationis serie, in objecto Ezechielis loco sermo est de filiis imitantibus aut non imitantibus patris peccata, non autem de peccato, quod generatione contrahitur, quatenus filii nascuntur, uti dictum est, justitia originali privati ob personale Adae peccatum, quod spectari debet uti peccatum naturae.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas constat ex traditione.

320. Quum neoterici cum socinianis soleant s. Augustinum traducere veluti auctorem doctrinae de originalis peccati propagatione, idcirco ostendamus oportet catholicum hunc articulum traditioni inniti, quae Augustino anterior sit.

321. Ante s. Augustinum porro hanc ipsam doctrinam ex Graecis jam tradiderat s. Justinus [1], qui docet Christum non ideo baptizari et crucifigi voluisse, *quod his rebus indigeret, sed pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem insiderat.* Nec non Tatianus, qui: *Non facti sumus*, inquit [2], *ut moreremur, sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas; servi facti sumus, qui liberi eramus, per peccatum venditi sumus;* moriuntur autem etiam infantes nullo personali inquinati peccato, ergo originale peccatum est, quod omnes perdidit, mortalesque effecit. S. Irenaeus: *Deum*, scribit [3], *in primo Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum, in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti.* Ex Latinis Tertullianus haec habet [4]: *Per quem* (diabolum) *homo a primordiis circumventus, ut praeceptum Dei exciderat, et propterea in mortem datus; exinde totum genus, de suo semine infectum, suae etiam damnationis*

[1]) *Dialog. cum Tryphone,* n. 88.
[2]) *Orat. cont. Graecos,* n. 11.
[3]) *Cont. haeres.* lib. V. cap. 16.
[4]) *De testimonio animae,* cap. 3.

traducem fecit. S. Cyprianus, in epistola totius carthaginiensis concilii nomine scripta ad Fidum contendentem, infantes nonnisi octavo a nativitate die baptizari debere: *A gratia,* inquit, *prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit. Illi remittuntur non propria sed aliena peccata,* id est, non actualia sed originale peccatum. His adjici ii omnes debent, qui verba Ps. L. *Ecce enim in iniquitatibus* etc., de originali noxa exponunt, uti inter Graecos Athanasius et Gregorius nazianzenus, inter Latinos Hilarius, Ambrosius, Hieronymus. Satis hic sit verba describere s. Gregorii nazianzeni, quae haec sunt [5]: *Cum omnes ex eadem terra et massa coagmentati simus, eamdemque vitii arborem gustaverimus.*

322. Non minus luculenter apostolica haec traditio constat tum ex praxi baptizandi infantes *in remissionem peccatorum* juxta nicaeno-constantinopolitanum symbolum, tum ex praxi quae ab immemorabili in ecclesia viguit exorcismorum ac insufflationum ad abigendum immundum spiritum. Neutram praxim umquam pelagiani inficiati sunt. Jam vero si infantes nullo inquinati peccato nascerentur, nulla esset ratio eos *in remissionem* baptizandi, et satanam ab eorum anima abigendi. His innixa principiis viginti quatuor concilia, quae in causa pelagianorum celebrata sunt, inter quae tria eminent carthaginiense, diospolitanum et milevitanum, hanc orthodoxam fidem de transmissione peccati originalis sanxerunt.

323. Sed vel ipsa pelagianorum agendi ratio, viguisse antea in ecclesia universa hanc fidei doctrinam, patefacit. Nonnisi siquidem cunctanter, et verborum ambagibus tecti suas novitates disseminare coeperunt, verentes, uti testatur s. Hieronymus [6], ne, si palam proposuissent doctrinam suam, a plebe lapidarentur. Attamen vix ea innotuit, cum eam statim ecclesia exhorruit atque damnavit. Merito proinde s. Augustinus expostulationi, quod ipse peccatum originale invexerit, respondebat [7]: *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus.*

DIFFICULTATES.

324. I. Obj. Paucis ante Augustinum annis, nondum in ecclesia innotuerat doctrina de originalis peccati propagatione; etenim s. Jo. Chrysostomus [8], exponens Apostoli verba: *In quo omnes peccaverunt,* 1. docet mortem non culpam ex Adam provenisse scribens: *Illo lapso ii etiam, qui de ligno non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales.* Si solum *mortales,* non igitur *peccatores;* 2. immo expresse negat nos Adamo peccante factos esse peccatores, adjiciens: *Quod enim illo peccante et mortali facto, qui ex illo orti sunt, tales efficiantur, id a verisimili non abhorret; quod autem ex inobedientia unius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit?* 3. Exponens illa Apostoli verba: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt*

[5]) *Orat.* V. n. 5.
[6]) *Dial.* III.
[7]) *De nupt. et concupiscent.* lib. II. c. 12.
[8]) *Hom.* X. *in Ep. ad Rom.*

multi, sciscitatur: *Quid hic significat illud peccatores? Mihi quidem videtur supplicio obnoxios et ad mortem damnatos.* 4. Clarius demum mentem suam exponens, concludit: *Non solum nihil nocumenti accepimus a morte hujusmodi et condemnatione, si sapuerimus, sed mortales effecti lucrum etiam fecimus.* Ergo.

325. Resp. *N. A.* De sincera s. Jo. Chrysostomi mente circa hunc articulum duplici ratione constat: 1°. ex apertis ejus testimoniis; 2°. ex theoria, quam statuit circa originale peccatum. Ac primo quidem ex apertis ejus testimoniis: caeteris enim omissis haec habet [9]: *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam; ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis.* Quibus verbis s. Doctor confert debitum contractum a nobis per actualia peccata cum debito, quod contraximus per peccatum Adae, ad quod utrumque debitum solvendum venit Christus. Jam vero nisi in nos transfunderetur Adae peccatum, non potuisset dici debitum nostrum, aut debiti initium auctum per peccata nostra. Insuper in objecta ipsa *Homilia* X. mentem suam aperit, dicens peccatum, quod ante legem dominatum erat in mundo, non fuisse legis transgressionem, *sed illud Adami peccatum inobedientiae ipsummet fuisse, quod omnia perdidit.* Cumque praemisisset, *quod uno inobediente Adam, orbis condemnatus est,* prosequitur: *Cum tibi judaeus dixerit, quo pacto, uno recte agente Christo, universus orbis salvus factus est? Possis illi respondere: quo pacto uno non obediente Adam, universus orbis condemnatus est?* Ex qua antithesi patet s. Doctorem contulisse justificationem per Christum illatam cum damnatione illata per Adam; porro Christus nos justificavit a peccato, ergo damnatio illa totius orbis erat damnatio quam induxit peccatum. Dixi praeterea constare de s. Patris mente ex theoria, quam ipse de peccato originali statuit; Chrysostomi enim sententia est, ex Adae peccato factum esse, ut ipse Adam tum originali justitia, tum dono immortalitatis ac integritatis naturae illi adnexo destitueretur, exinde vero omnes ejus posteri eadem justitia originali destituti nascerentur, ac proinde mortalitati, aerumnis, corruptionique obnoxii, seu damnationi. Fieri idcirco non potuit, ut homines mortales ac damnati ex Adam nascerentur, quin originali pariter justitia orirentur destituti ac essent privati. Sed in hac privatione *formale* peccati originalis consistit, ergo ex ejus mente, quoties docet homines mortales per Adae peccatum ac damnatos nasci, docet simul originali noxa nasci obstrictos. Quum vero haec culpa personalis fuerit Adae, qui actu eam propria voluntate patravit, sub hoc respectu inficiatur nos peccatores actuali peccato effectos esse, cum nondum extiterimus. His praemissis, satis est ea applicare, ut solutio habeatur eorum, quae prima fronte doctrinae de originalis peccati propagatione adversari in ejus scriptis videntur.

326. Ad 1. prob. *D. Mortales omnes effecti sunt* ob originalis justitiae privationem, adeoque ob contractum peccatum, *C.* absque hac privatione, *N.*

[9]) *Hom. ad Neophytos.*

327. Ad 2. *D. Quod ex inobedientia unius alter peccator fiat,* peccato *actuali,* quod in Adam praecessit, nullam habet consequentiam, *C.* non constituatur peccator *habitualis* propter illius inobedientiam, *N.*

328. Ad 3. *D. Morti obnoxios* ob privationem originalis justitiae, ex qua mors profluit, *C.* ad illius exclusionem, *N.*

329. Ad 4. *D.* Quatenus per Christi gratiam possumus malum in bonum vertere, *C.* quatenus peccatum haud contraxerimus, *N.* Peccato enim originali per Baptismum deleto, Dei gratiae cooperando possumus peccati poenalitates in meritum per patientiam convertere. Namque juxta Apostoli sententiam: *Non sicut delictum, ita et donum,* bona, quae Christus morte sua contulit, multo praestantiora sunt malis, quae ex peccato toti hominum generi provenerunt.

330. (I. Inst.) 1. Enumerans idem sanctus, *Hom. ad Neophytos,* decem Baptismi effectus, penitus emundationem ab originali noxa praetermisit, quae tamen in catholica doctrina primo loco recenseri debuisset. 2. Infantes praeterea omnis peccati expertes esse affirmat, dicens: *Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, et ejus membra sint.* Ergo.

331. Resp. Ad 1. *D.* Praetermisit emundationem a peccato, quia sic ferebat propositus sibi scopus, *C.* ad ejus exclusionem, *N.* Scopus s. Joannis Chrysostomi in hac Homilia praecipue fuit ostendere effectus Baptismi non ad solam peccatorum remissionem coarctari, ut vulgo censebatur; hac propterea supposita pergit s. Doctor alios recensere effectus. Caeterum paulo ante vidimus eumdem in hac ipsa Homilia constituisse peccati originalis existentiam et propagationem, quamvis parcius ob haereses tunc grassantes manichaeorum et massalianorum, qui doctrina de peccati originalis propagatione abutebantur ad naturam humanam vel ex principio malo procreatam, vel essentia sua malam constituendam.

332. Ad 2. *D.* Si verba s. Joannis Chrysostomi legi deberent prout a Juliano efferebantur, *Tr.* vel *C.* si aliter omnino se habeant, *N.* Porro s. Augustinus, qui prae manibus deperditam hanc Homiliam habuit, observat [10], textum s. Joannis hunc esse: *Praeterea etiam infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes,* quo relato, subdit s. Augustinus: *intellige propria* (scilicet actualia), *et nulla contentio est.* Sane in hoc ipso sensu s. Cyprianus scripsit [11], infantibus remitti *non propria, sed aliena peccata.* Dum vero ait s. Joannes Chrysostomus infantes baptizari, *ut eis addatur sanctitas* etc., juxta dicta intelligi debet praeter peccati originalis remissionem, non autem quasi sanctitati sanctitas adderetur, quod ejus menti aperte refragatur.

333. II. Inst. Idem s. Joannes Chrysost. in verba Apostoli I. Cor. XV. 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur etc.,* haec scribit [12]: *Quid igitur,*

[10]) Lib. I. *Contr. Julian.* n. 22.
[11]) *Ep.* LXIX. *ad Fidum.*
[12]) *Hom.* XXXIX. n. 3.

dic mihi, num omnes in Adam peccati morte mortui sunt? Quî ergo Noe vir justus... Quî Abraham, quî Job, quî multi denique alii? Quid vero, dic ergo, omnes vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt, qui abducuntur in gehennam? Ergo de corpore si dictum accipiamus, oratio constabit; si de peccato et justitia, minime. Ac rursum in eamdem Epist. scribit [13]: *Quid ergo, inquies, faciam ego, propter illum ne* (Adam) *peream? Non sane propter illum. Neque enim tu sine peccato mansisti; sed, si non idipsum peccatum, aliud utique admisisti.* Demum: *Corruptibile*, inquit [14], *est corpus nostrum, sed anima incorruptibilis. Ne itaque ipsam corrumpamus. Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post lavacrum, potest etiam animam corrumpere.* Ex Chrysostomo igitur 1. non omnes extiterunt peccatores in Adam, sed plures justi semper fuerunt; 2. nemo propter Adae peccatum perit, sed ob peccata personalia quisque perit; 3. solum corpus propter peccatum Adae corruptibile factum est, non anima, quae corrumpi nequit nisi per actualia peccata.

334. Resp. Ad 1. *D.* Non omnes extiterunt peccatores ex Adam peccato actuali proprio, *C.* peccato originali, *N.* Loquitur enim s. Doctor in primo textu de justitia et peccato actuali, ut liquet ex adductis exemplis. Hic praeterea agit adversus manichaeos, qui negantes futuram corporum resurrectionem, quae de resurrectione leguntur in sacris litteris, exponebant de resurrectione metaphorica et spirituali, scilicet a peccato. Ad hoc porro effugium ipsis eripiendum s. Joannes Chrysostomus ostendit tolli hac ratione resurrectionem omnem, cum plures justi sine peccato gravi vixerint, a quo resurgere non potuere; nemo vero sit sine aliqua levi culpa, adeoque neminem plene resurgere a peccatis venialibus. Quid hoc autem commune habet cum originali peccato, de quo s. Pater non disserit?

335. Ad 2. *D.* Nemo perit ob peccatum Adae, seu originale deletum Baptismate, *C.* non deletum, *N.* Alloquitur autem Chrysostomus baptizatos, qui si pereunt, certe ob actualia peccata pereunt.

336. Ad 3. *D.* Incorruptibilis anima per Baptismum ita effecta est, ut non amplius corrumpatur, nisi velit per actualia post Baptismum peccata, *C.* incorruptibilis, quatenus per Adae peccatum corrupta non sit perinde ac corpus, *N.* In hoc inter corpus et animam discrimen constituit Chrysostomus, quod corpus semel corruptibile per Adae peccatum effectum, incorruptibilitatem in hac vita recuperare amplius non possit, contra vero anima per Baptismum ad pristinam est incorruptionem revocata, quae corrumpi non potest nisi peccatis actualibus.

337. Et haec de mente s. Joannis Chrysostomi, quem nonnulli temere pravi dogmatis accusant, cum tamen de orthodoxa ejus doctrina post allata documenta dubitari non possit. Illis aliud adjicimus ex *Hom.* XL. *in* I. *Cor.* n. 2. ubi scribit: *Solus Deus hoc facit, quod quidem operatur in lavacro regenerationis. Ipsam animam* Deus *tangit, et illinc peccatum evellit radicitus.*

[13]) *Hom.* XVII. [14]) *Hom.* IV. *in Epist. ad Ephes.*

Loquitur autem de infantibus. In *Ep.* vero IV. *ad Olympiadem* deflet Pelagii lapsum.

338. II. Obj. 1. Clemens alex. scribit [15]: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adae cecidit praevaricationem, qui nihil est operatus?* 2. Origenes passim docet: *Non omnes homines, sed multos unius delicto peccatores fuisse effectos.* 3. Tertullianus [16]: *Quid festinat,* inquit, *innocens aetas ad remissionem peccatorum?* 4. Cyrillus hierosolymitanus [17]: *Hoc quoque addisce, quod, priusquam anima in hunc mundum veniret, nihil peccaverit; sed cum absque peccato venerimus, nunc ex libera voluntate peccamus.* 5. Demum Theodoretus scribit [18]: *Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit.* Unanimis igitur sententia Patrum antiquiorum est nullum ex Adam propagatum in nobis esse peccatum.

339. Resp. Ad 1. *D.* Ad excludendam basilidianorum et encratitarum haeresim, qui docebant malas esse nuptias, quosque hic Clemens impugnat, *C.* ad excludendam peccati originalis propagationem, *N.* Ejus mens patet ex contextu et ex substrata materia.

340. Ad 2. *D.* Scilicet peccati sectatores, *C.* peccatores simpliciter, *N.* Negat Origenes omnes, qui peccant, vocandos esse peccatores, qui tales non sunt juxta ipsum, nisi qui peccandi usum contraxerunt. Caeterum Origenem dogma de peccato originali docuisse patet ex iis, quae scribit *Hom.* XIV. *in Luc.: Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum.*

341. Ad 3. *D. Innocens,* seu nulla personali noxa obstricta aetas, *C.* nulla originali, *N.* Alioquin necessitatem Baptismi haud inculcasset, scribens [19]: *Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus est perditi hominis, si supersederit praestare, quod libere potuit.* Et alibi passim.

342. Ad 4. *D.* Juxta platonicum aut originianum commentum de praeexistentia animorum, qui se polluerint antequam corpora informarent, *C.* juxta doctrinam catholicam, *N.* Nam ipse agnoscit universum genus humanum peccato obstrictum [20], vocatque *humanitatem peccatricem*, ac peccatum dicit *maximum humani generis vulnus.*

343. Ad 5. *D.* Unusquisque decretum mortis suscipit propter peccatum quod contrahit, *C.* quod quisque propria voluntate fecit et prout actuale est, *N.* Alioquin infantes non morerentur. Sane Theodoretus mentem suam aperit, scribens [21]: *Justitiae decretum, cum unus peccaret, universum genus humanum morti tradidit. Divina autem misericordia, cum omnes homines essent sub maledicto, et peccati laqueis essent implicati, per unius justitiam dedit omnibus salutem.*

[15]) *Strom.* lib. III. n. 16.
[16]) *De nupt.* cap. 18.
[17]) *Catech.* IV. n. 19.
[18]) *Comment. in Ep. ad Rom.*, c. 5. v. 12.
[19]) Lib. *De Baptismo*, cap. 17.
[20]) *Catech.* XIII. n. 17.
[21]) *Epitome divin. decretorum*, cap. 11.

PROPOSITIO III.

Dogma de propagatione peccati originalis nullo modo rationi adversatur.

344. Praeter generale principium, quo saltem *indirecte* veritas propositionis adstruitur, non posse videlicet fieri, ut quae divinitus revelata sunt rectae adversentur rationi, sic *directe* etiam id ipsum conficimus.

345. Ex dictis formalis ratio, seu natura ac essentia peccati originalis in sola consistit *justitiae originalis privatione*, ac praecise gratiae sanctificantis, qua Deus gratuito elevavit primum hominem ad statum supernaturalem, et dilectum, amicum, immo et filium suum adoptione fecit. Huic gratiae adnexa erant caetera dona integritatis, immortalitatis, scientiae etc., quae quidem dona in sua conservatione pendebant a conservatione gratiae. Ejusmodi elevatio una cum recensitis donis ex Dei ordinatione erant veluti ipsius naturae dos et ornamentum; si proinde illam Adam Deo obsequendo conservasset, universum genus humanum ab eo propagandum iisdem muneribus fuisset auctum, quae naturae superaddita fuerant. Ast Adam mandatum sibi datum transgressus est, et transgrediendo graviter peccavit, privavitque proinde se gratia illa et, quod consequens est, universam posteritatem suam, quae gratia supernaturali privata peccatrix effecta est, et spoliata pariter caeteris donis, quae illam comitabantur. Hoc porro est, quod dicitur peccati originalis propagatio, quatenus singula individua ex Adam progenita nascuntur privata originali justitia, quae ipsis ex Dei ordinatione inesse deberet, et qua solum debebant esse Deo accepta. Prout vero justitiae originalis nomine significatur gratia sanctificans, ejus privatio rationem habet peccati, seu reatus aut maculae, quae per modum habitus sequitur ipsam peccati actionem, sive actum ipsum peccati, quo fit ut Adae posteri nascantur a Deo aversi, filii irae, peccatores damnationi obnoxii; prout vero justitiae originalis nomine complexio significatur caeterorum donorum, illius privatio efficit, ut Adae posteri nascantur cum concupiscentiae inordinatione, mortales, ignorantiae et doloribus addicti, quae sunt totidem *poenae et effectus* peccati illius, seu prioris privationis.

346. Totam hanc doctrinam paucis ac dilucide expressit s. Anselmus, scribens [1]: *Quod in illis* (infantibus) *non est justitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis sicut in Adam, sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam . . . spoliavit persona naturam bono justitiae in Adam; et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit.* Et c. XXVII: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem.* Nec minus luculenter s. Thomas idipsum docuit: *Dicendum*, scribit [2], *quod*

[1]) ***De Concept. Virgin. et peccato origin.*** cap. 23.

[2]) ***Sent.*** II. dist. 30. qu. 1. art. 2.

defectus illius originalis justitiae, quae homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit, et sicut illud naturae donum fuit, et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente, ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio et vitium naturae; ad idem enim genus privatio et habitus referuntur. Et in quolibet homine rationem culpae habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturae, id est, primi hominis inductus est talis defectus.

347. Ex his inferimus cum Cajetano [3], s. Thoma, Dom. Soto [4], et Bellarmino [5], illud intercedere discrimen inter hominem, quem Deus condidisset in statu purae naturae, et hominem lapsum, quod attinet ad collationem gratiae et adnexa ipsi dona, quale est inter hominem nudum et spoliatum, adeoque nullum, in essentialibus saltem, detrimentum in se naturam ex Adae peccato passam esse. Voces propterea *corruptionis, vulneris* etc., sunt relativae ad statum, ex quo primus homo decidit.

348. Quibus praemissis sic jam perstringimus incredulos ac rationalistas, qui adversari rectae rationi autumant dogma de peccati originalis propagatione. Si qua esset repugnantia, haec haberetur aut ratione *sui*, aut ratione *modi;* neutrum porro dici potest. Non ratione sui, nulla siquidem repugnantia est, quod natura ex culpa privetur re indebita, cujusmodi est gratia et dona, quae eam comitabantur: Deus enim ex pura sua liberalitate gratiam seu justitiam originalem superaddidit naturae. Non ratione modi; nam cum peccatum originale ex dictis in sua ratione formali consistat in *privatione,* nulla concipi potest repugnantia quod homo, qui per peccatum suum personale privatus justitia originali est, non amplius posteris communicet, quod in se non habet. Ergo.

DIFFICULTATES.

349. Obj. Peccatum originale repugnat in se, ac repugnat in modo propagationis. Etenim 1. omne peccatum necessario debet esse voluntarium, prout ejus notio postulat: est enim libera legis transgressio; peccatum vero originale nobis voluntarium non est. 2. Praeterea hoc dogma componi nequit sive cum divina *bonitate,* quod passa sit ob unius hominis peccatum universam hominum naturam corrumpi ac depravari; sive cum divina *sapientia,* quod permiserit humanam naturam praestantissimis dotibus cumulatam ob levissimam causam in aliam plane deterioremque conditionem paulo post transformari; sive cum divina *justitia,* quod innocentes ob alienum peccatum ita puniantur, ut ipsis peccandi necessitas imponatur; quare optime Pelagius, apud Augustinum [6], monuit: *Nulla ratione concedi posse, ut Deus, qui propria remittit peccata, aliena imputet.* 3. Repugnat ratione modi, ut enim iterum arguebat Julianus apud eumdem Augustinum [7]: *Non peccat qui*

[3]) *Comment.* in I. 2. qu. 109. art. 2.
[4]) *De nat. et grat.* lib. I. cap. 19.
[5]) *De grat. primi hominis,* l. I. c. 5. §. 12.
[6]) *De peccat. merit.* lib. III. cap. 8.
[7]) *De nupt. et concup.* cap. 28.

nascitur, non peccat qui genuit, non peccat qui condidit; per quas rimas, inter tot praesidia innocentiae, peccatum fingis ingressum? 4. Profecto nisi admittatur aut pactum Dei cum Adam, ut ex ejus fidelitate humani generis sors futura penderet; aut voluntates nostras in Adae voluntate inclusas fuisse; aut Adam caput morale posterorum suorum, qui nempe eos repraesentaret, aut per traducem una cum anima peccatum propagari, aliaque ejusmodi plus minus absona ac absurda, peccati originalis propagatio adstrui nequit. Ergo.

350. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Peccatum actuale, seu quatenus dicit actum, *C.* quatenus dicit reatum, *subd.* debet esse voluntarium ex parte illius, qui reatum induxit per transgressionem legis, *C.* ex parte illius, in quem reatus per modum habitus transit, ut in casu nostro, *N.* Peccatum enim prout originale est, seu in Adae posteros transmittitur et propagatur, est sui generis neque cum aliis comparari potest, quae semper actualem legis transgressionem requirunt. Quatenus ab Adam patratum est, fuit certe actuale et reatum induxit amissionis justitiae originalis; perdurat autem ejusmodi reatus donec justitia seu gratia restituta non fuerit. Quicumque igitur ex Adam gignuntur, privati originali justitia nascuntur, adeoque cum reatu illo jugiter perseverante, et ex dictis, in peccato seu statu peccati, cum privati illa gratia seu justitia sint, quae ipsis inesse deberet, et qua sola Dei amici ac filii esse possunt.

351. Ad 2. *Neg.* Optime enim cum tribus recensitis Dei attributis componitur existentia et propagatio originalis peccati, dummodo rite intelligatur. Quid enim officit sive divinae bonitati, sive sapientiae aut justitiae, quod spoliatus homo fuerit propter peccatum dono gratuito, ac naturae humanae indebito, liberaliterque superaddito? Adversarii profecto Deo indignum non asserunt, immo dignum plane Deo affirmant, quod homo conditus a Deo fuerit in illo ignorantiae, infirmitatis, immo et concupiscentiae statu, in quo nunc est; multo igitur minus Dei attributis indignum censeri debet, quod homo in hunc statum ex feliciori dejectus fuerit propter peccatum, quod praecesserit. Quod vero adjicitur de peccandi necessitate per originalem noxam illata, relinquimus Luthero et iis, qui lutherana placita sectantur, nihil enim ejusmodi docet ecclesia catholica. Iisdem pariter dimittimus Pelagii monitum, quod supponit nobis imputari peccatum Adae prout actus personalis extitit, quod tamen ex dictis falsum est.

352. Ad 3. seu ad Juliani expostulationem reponimus illud ipsum, quod ei jamdiu reposuit Augustinus: *Quid quaerit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus; per unius delictum, ait Apostolus; per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quaerit amplius? Quid quaerit apertius? Quid quaerit inculcatius?* Scilicet opus non est rima ad propagandam privationem. Tale autem est in sua notione formali originale peccatum.

353. Ad 4. *Nego,* quandoquidem necesse non est aliquam ex recensitis hypothesibus, quae adversariis non arrident, admittere, ut peccati primordialis propagatio adstruatur. Dogma catholicum permisceri non debet cum

expositionibus privatorum, quae, salva fide, admitti aut rejici possunt: sane commemoratum *pactum* a Dominico Soto *fabula* vocatur; voluntates vero nostras inclusas in voluntate Adae fuisse, cum sana philosophia componi haud posse videtur, immo et in se repugnare; idem dic de capite morali ac repraesentativo; animam demum propagari per physicam generationem, *haereticum* a s. Thoma pronunciatur.

PROPOSITIO IV.

Beatissimam Virginem Mariam ex primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, veritas est a Deo revelata, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credenda.

354. De fide est propositio, ut constat ex dogmatico decreto edito a summo pontifice Pio IX. in Constit. *Ineffabilis Deus.* VI. Id. Dec. 1854, cujus verba sunt: *Definimus, doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*

355. Agitur in hac propositione unice de Conceptione *passiva*, seu de primo illo instanti, quo anima B. M. V. a Deo creata et in corpus infusa est. Haec autem praeservatio a culpa originali intelligi debet *positiva ratione*, quatenus anima B. M. in primo creationis suae instanti Spiritus Sancti gratia ornata fuerit.

356. Patet insuper, non excludi b. Virginem a communi redemptione, eo ipso quod *intuitu meritorum Christi* dicatur ejusmodi privilegio *aucta*, quamvis singulari redemptionis specie Christus illi meruerit praeservationem ab originalis labis incursu.

357. Quibus praemissis sic assertam propositionem adstruimus: veritas illa a Deo revelata habenda est, atque idcirco ab omnibus credenda, quae in Scripturis, in divina traditione atque in perpetuo ecclesiae sensu fundatur. Atqui talis est propositio nostra. Ergo.

358. Ad Scripturas quod attinet, palmaria sunt verba Genes. III. 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Primis scilicet hujus textus verbis identitas inimicitiarum inter daemonem et mulierem, id est, Christi matrem, et inter daemonem et mulieris semen, id est, Christum denunciatur; de Christo autem ejusque matre, deque daemone deceptore hic agi, universi orbis christiani interpretatione certum est. Atqui nemo negaverit, inimicitias inter daemonem et Christum absolutas esse et perpetuas. Ergo absolutae et perpetuae erunt etiam inimicitiae inter daemonem Christique matrem, id est, nullo unquam instanti b. Virginis anima peccato subjecta

esse potuit. Insequentibus autem verbis: *Et ipsa (ipsum, ipse) conteret caput tuum*, effectus inimicitiarum edicitur, plenus nempe de daemone triumphus. Sive enim legatur *ipsum* vel *ipse*, ut hebraicus ac samaritanus textus versioque alexandrina praeseferunt, ita ut Christus sit, qui de daemone triumphabit; sive legatur *ipsa*, ut vulgata latina habet, ita ut mulier sit, quae virtute seminis sui hunc triumphum referet; semper propter inimicitiarum identitatem immunitas b. Virginis a labe originali necessario sequitur, quia secus triumphus de daemone, qui fructus inimicitiarum est, plenus non fuisset.

359. Cui praeclaro testimonio alia addi possent, quae ab illo primaevo textu vim suam mutuantur, e. gr. salutatio angelica: *Ave gratia plena* [1]; verba Gabrielis archangeli: *Invenisti gratiam apud Deum* [2]; nec non s. Elisabethae: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.* [3]

360. Eadem veritas ex Patrum traditione invicte demonstratur. Ne vero in eorum testimoniis nimii simus, eos in nonnullas veluti classes redigemus.

361. Prima classis eorum est, qui Geneseos protevangelium de hac b. Virginis immunitate exponunt, uti inter graecos s. Joannes Chrysostomus [4], s. Proclus [5], vetus auctor Homiliae *In Annunc. Deiparae* [6], Theophanes [7], s. Joseph hymnographus [8]; et inter latinos s. Hieronymus seu potius vetus auctor epistolae *De viro perfecto* [9], Prudentius [10] aliique.

362. Altera classis eorum est, qui salutationem angelicam ita exposuerunt, ut b. Virgo per gratiae plenitudinem fieret prorsus singularis inter creaturas omnes, purior angelis omnisque labis expers. Tales sunt Origenes, s. Ambrosius, s. Sophronius hierosolymitanus, s. Andreas cretensis, s. Joannes damascenus. Unius Sophronii verba attulisse sufficiat, qui scribit [11]: *Invenisti gratiam apud Deum prae omnibus splendidam, invenisti gratiam apud Deum integram... Invenisti gratiam apud Deum perpetuam.... Invenisti gratiam, quam nemo recepit.... Nemo praeter te praepurificatus est* (nempe maturius, anterius, *οὐδεὶς κατὰ σὲ προκεκάθαρται*). Et ecclesia graeca sic Deiparam celebrat [12]: *Purissimus Dei Filius (Verbum) cum purissimam te solam invenisset, o prorsus immunis ab omni labe, ex utero tuo genitus, a labe emundat credentes.*

363. Tertia et quarta classis ex iis constituitur Patribus, qui vel conceptis verbis vel saltem aequivalentibus hoc privilegium b. Virgini tribuunt. Audiantur prae caeteris s. Ambrosius, qui ait [13]: *Virgo per gratiam ab*

[1]) Luc. I. 28.
[2]) Ibid. v. 30.
[3]) Ibid. v. 42.
[4]) *Hom.* XVIII. *in Gen.* III. n. 7.
[5]) *Orat.* VII. *in Dei Genitr.* n. 16. Galland. tom. IX. pag. 643.
[6]) Inter opp. s. Jo. Chrys. tom. XI. pag. 839. ed. maur.
[7]) Ode IX.
[8]) Ode I. VI. VIII.
[9]) In app. opp. s. Hieronym. edit. maur. tom. V. col. 57. ann. 1706.
[10]) *Cathem.* hymn. III. v. 141 seqq.
[11]) In Annunc. Deip. tom. II. pag. 838.
[12]) Ode VII. die 9. Julii.
[13]) In Psalm. CXVIII. serm. XXII. n. 30.

omni integra labe peccati; et s. Augustinus, scribens [14]: *Excepta itaque s. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quaestionem.* His addantur s. Joannes damascenus, Georgius nicomediensis, Joannes geometra, s. Paschasius Radbertus, qui postremus affirmat [15], quod *constat, eam* (Mariam) *ab omni originali peccato immunem fuisse.*

364. Ad quintam classem ii referuntur Patres, qui comparationem inter primos progenitores et b. Virginem instituentes hanc ab illorum culpa immunem constituunt. Recensentur porro hac in classe Theodotus ancyranus [16], s. Ephrem syrus [17], vetus auctor Sermonis *De nativ. Domini* s. Augustino adscripti [18], s. Germanus, aliique passim. Caeterorum nomine audiatur s. Ephrem [19]: *Quae duae foeminae*, inquit, *innocentia et simplicitate floruerunt Maria et Eva, altera salutis, altera nostrae mortis origo fuit.* Reliquos Patres missos facio, quorum testimonia collegit cl. P. Carolus Passaglia, in suo op. *De immac. Deiparae semper Virginis conceptu Comment.* tres tomi in fol. Romae 1854.

365. Ostendendum superest, eandem thesim in perpetuo ecclesiae sensu fundari. Actualis ecclesiae fides, quae ex responsis 616 archiepiscoporum et episcoporum ad encyclicam summi pontif. Pii IX. elucet, certissimum criterium est ad cognoscendam fidem ecclesiae perpetuam; nam numquam ecclesia fidem suam immutare potest, alioquin divina promissio de ecclesiae infallibilitate plane concideret. Fieri quidem potest, ut nonnullis saeculis minus cognita perspectaque a privatis hominibus haec fides fuerit; at eadem in se jugiter perstitit, nec ulli umquam mutationi obnoxia.

366. Sed et perplura positiva documenta addi possunt, qualia sunt immemorabilis *festi conceptionis b. Virginis institutio, liturgiae* orientalis et occidentalis ecclesiae, *orationes panegyricae, hymni,* perpetua denique agendi ratio *apostolicae sedis*, quae tum negative tum positive piam sententiam semper promovit, ut ex plurium summorum pontificum Constitutionibus patet. [20]

367. Rationem porro theologicam suppeditat divina maternitas, cum omnino incongruum videatur Dei matrem subjacuisse daemonis servituti per originale peccatum.

DIFFICULTATES.

368. I. Obj. 1. Oraculum Gen. III. 15. commode exponi potest de aversione naturali inter homines et serpentes. 2. Nec ulla est identitas inimicitiarum inter daemonem et mulierem, et inter daemonem mulierisque

[14]) *De nat. et grat.* cap. 36. n. 42.

[15]) *De partu Virg.*

[16]) *Orat. in s. Christi nativ.* Galland. tom. IX. pag. 475.

[17]) *Serm. exeg. ad Genes.* cap. 3.

[18]) Opp. s. August. app. tom. V. pag. 125. n. 2.

[19]) *In annunc. s. Mariae,* ap. Combef. *Auctar.* tom. I. pag. 1427.

[20]) Cf. nostra *Disquisit. theologica de immac. B. V. M. concept.* Romae 1847.

semen; 3. quod sequenti inciso confirmatur, cum pronomine *ipsum* vel *ipse*, quae lectio passim apud Patres invenitur, victoria de daemone non mulieri sed Christo ejus semini deferatur.

369. Resp. Ad 1. *N.* Ejusmodi enim expositio propria est rationalistarum, qui nihil supernaturale vident in sacris litteris. Insuper talis expositio ad plura absurda duceret, vel quod serpens propria virtute locutus fuerit, vel quod tota historia non sit nisi mythus. Universa christiana traditio hoc testimonium de Messia ejusque matre constanter intellexit.

370. Ad 2. *D.* Diversus est titulus inimicitiae pro diversitate subjecti, *C.* ratione sui, *N.* In semine, videlicet Christo, haec inimicitia necessaria erat duplici ex capite, id est, ex unione hypostatica cum illa humanitate, cum qua peccatum consistere nulla ratione poterat, atque ex immunitate a quavis labe: in matre vero ex sola immunitate a culpa, quam per gratiam Christi ejusque redemptionem obtinere debebat.

371. Ad 3. *D.* Id est, mulier non retulit victoriam uti Christus propria virtute, *C.* nulla ratione retulit, *N.* Parum refert, sive legatur *ipsum*, aut *ipse*, sive legatur *ipsa*. Cum enim ex dictis inimicitia identica sit, ejusmodi vero victoria tamquam fructus ex inimicitia illa fluat, hinc sequitur communem pariter triumphum fuisse, licet diversa ratione in filio et in matre. Vis enim argumenti non ex voce *ipse* vel *ipsa*, sed ex inimicitia adversus daemonem pendet.

372. II. Obj. 1. Dogma fidei est, prout expresse sacrae litterae docent, in singulos Adae posteros peccatum originale transmitti; clara enim sunt verba Apostoli [21]: *In quo omnes peccaverunt*, quae nullam exceptionem admittunt; ergo non minus luculenta testimonia ad eximendam b. Virginem afferri deberent. 2. Certum praeterea est, solum Christum dici *sanctum*, *justum* etc. Denique 3. Christus ad omnes homines a peccato redimendos in hunc mundum venit, adeoque etiam ad liberandam b. Virginem.

373. Resp. Ad 1. *D.* Dogma fidei est, in omnes omnino homines peccatum originale transmitti, dempto speciali privilegio, *C.* hoc *admisso*, *N.* Loca s. Scripturae, quae de propagatione universali peccati originalis loquuntur, semper cum exceptione b. Virginis intelligi debent, ut ex decreto concilii tridentini de peccato originali liquet [22]: *Non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones fel. record. Sixti Papae IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Et haec quoad catholicos. Si vero res sit cum protestantibus, respondemus, non ex privato sensu, sed ex auctoritate ecclesiae divina eloquia esse intelligenda, quae objecta loca cum hac exceptione intellexit.

374. Ad 2. *D.* Solus Christus dicitur *justus*, *sanctus*, qui talis sit ex conditione sua, *C.* ad exclusionem justi et sancti virtute aliena, *N.* Distinctio haec per se patet.

[21]) Rom. V. 12.

[22]) Sess. V.

375. Ad 3. *Con. Ant.* et *Neg. consequ.* Omnes enim homines et etiam b. Virgo a Christo redempti sunt, cum hoc tamen discrimine, quod reliqui omnes redempti fuerint redemptione subsequente peccatum, b. vero Virgo redemptione antecedente ne peccatum contraheret. Sic omnia componuntur.

376. III. Obj. Patres b. Virginem a peccati originalis labe non excludunt. Etenim 1. docent, eam esse nubem *secundum haereditatem Evae*, scilicet peccatum, ut s. Ambrosius [23]; dicunt *culpae obnoxiam foeminam*, ut s. Joannes Chrysostomus [24]; Virginem *carnem natam* asserunt, *de nuptiis in fructu reddentem quod in radice perdiderat*, uti s. Hieronymus. [25] 2. Docent *solum* Jesum Christum sine peccato conceptum et natum, eo quod solus sine virili complexu conceptus fuerit. 3. Docent b. Virginem peccatis venialibus fuisse obnoxiam, cujusmodi sunt Tertullianus, Origenes, s. Maximus taurinensis, s. Gregorius nyssenus aliique.

377. Resp. *Neg. Ant.* ut ex supra allatis probationibus constat. Ad 1. prob. autem, *Nego* hos Patres designasse peccatum originale. Etenim s. Ambrosius non significat nisi naturam, quam Maria ex Eva habuit, eamque ex se peccato obnoxiam, ast in Maria peccato solutam; alioquin s. Doctor sibi contradixisset, cum ibid. *liberam ab omni labe* eam declarat. Severinus vero Gabalorum (non autem Chrysostomus) de foemina in genere loquitur, quin nominatim Mariam designet. S. denique Hieronymus nil aliud docet, quam b. Virginem communi caeterorum ratione procreatam, quod nemo umquam inficiatus est, et ipsam absque virginitatis laesione concepisse ac peperisse Christum.

378. Ad 2. *D.* Docent solum Christum sine peccato conceptum in ordine ad generationem carnalem et activam, *C.* in ordine ad generationem passivam, *N.* Solius certe Christi est, quod absque complexu virili conceptus fuerit ideoque nullam labem ex carnali generatione traxerit; ast hoc non impedit, quominus b. Virgo, naturali modo genita, ab originali labe praeservata fuerit.

379. Ad 3. *D.* Et hi decepti sunt, contradicentes ecclesiae sensui, *C.* rite ita senserunt, *N.* Expresse enim Tridentinum statuit [26]: *Si quis dixerit .... posse* hominem justificatum *in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de b. Virgine tenet ecclesia; anathema sit.* Sed praeterea *neg. consequ.* Fieri enim posset, ut quis in venialia peccata labatur, quin originalem noxam contraxerit, ut exemplo protoparentum patet.

380. IV. Obj. Si divina traditio dogma contineret de immaculato Virginis conceptu, 1. qui fieri potuit, ut s. Bernardus et plerique scholastici duce s. Thoma eam ignoraverint? 2. Eam ignoraverit integer Praedicatorum ordo? 3. Quomodo sero adeo pia sententia in ecclesia coeperit, contraria vero *communis* a Scoto dicatur? 4. Objectum festi Conceptionis

[23]) In Psalm. CXVIII. serm. V. n. 3.
[24]) *De mundi creat.* Orat. VI. n. 10.
[25]) *Ep. ad Eustoch.*
[26]) Sess. VI. can. 23.

non fuit semper festum Conceptionis *immaculatae* ut Alex. VII. statuit. 5. Hinc nulla habenda ratio est decantati universalis fidelium consensus, consensus rom. pontificum et episcoporum hujus aetatis. 6. Contrariae sententiae suffragatur *antiquitas*, *universalitas* et *consensio*. 7. Novum proinde est dogma, quod pontifex definire assumpsit.

381. Resp. Ad 1. *D.* In adversariorum hypothesi, quod s. Bernardus et s. Thomas propter documenta traditionalia inficiati fuerint Conceptionem immaculatam *passivam*, *C.* si adducti fuerint argumentis potius rationalibus, in hypothesi, quod eam negaverint, *N.* Plura enim rationum momenta suadent, hosce Doctores non passivam Conceptionem adortos fuisse. De s. Bernardo licet ambigere, quum ipse aperte loquatur de tempore, quod praecessit generationem, ac de eo quod eam comitatur [27]; porro hoc sensu nemo catholicorum immaculatum Virginis conceptum tuetur, cum anima ejus nondum fuerit corpori infusa. Alexander VII. expresse notat, animam B. M. V. *in sui creatione et in corpus infusione* gratia fuisse donatam. S. Thomas loquitur de sanctificatione animae b. Virginis post conceptionem foetus, quae sanctificatio non quidem *tempore* sed *ordine* posterior fuit creatione, cum prius *prioritate ordinis* aliquid existere debet, quam aliquo dono decorari. Neuter ipsorum ex traditione, sed principiis ex ratione petitis, quae cum pia sententia rite componi possunt, immaculatam Virginis Conceptionem impugnavit.

382. Ad 2. *N.* Plures enim, iique fortasse celebriores, pro pia sententia steterunt; impugnatores vero nonnisi s. Thomae auctoritati vel allatis rationibus institerunt.

383. Ad 3. *Nego* suppositum, cum a primis ecclesiae saeculis documenta suppetant. Scotus vero sententiam contrariam *communem* dicit, quia scholastici solum ex theologumenis disceptarunt, non freti documentis traditionalibus.

384. Ad 4. *N.* Insignis sane temeritatis esset accusare rom. pontificem, quod in re tam gravi ex ignorantia vel malitia, alloquendo universam ecclesiam, falsum protulerit.

385. Ad 5. *N.* Secus enim admittendum esset, quod universi fideles crassa laborent ignorantia in rebus fidei, vel quod Christus non promiserit ecclesiae quotidianam suam assistentiam. Attamen haec absona et haeretica sibi devorant impugnatores immaculatae b. Virginis Conceptionis.

386. Ad 6. *N.* Contrarium ex hactenus dictis luculenter constat.

387. Ad 7. *D.* Novum dogma respectu formalis definitionis, *C.* respectu sui, *N.* Ecclesia enim aut romanus pontifex non novum dogma, sed novam de veteri veritate definitionem edit, prout contigit in omnibus conciliorum definitionibus a concilio nicaeno usque ad tridentinum, quae pariter totidem nova dogmata dicenda forent in sensu adversariorum. Qui igitur de novo dogmate loquuntur, ostendunt se plane ignorare quid dicant.

[27]) Ep. CLXXIV. ad Canon. lugdun. n. 7—8.

CAPUT V.

DE PECCATI ORIGINALIS EFFECTIBUS.

388. Prout novatores diversimode circa statum primi hominis, *paradisiaci* nuncupati, senserunt, sic etiam diversum tulerunt judicium de originalis peccati effectibus.

389. Lutherus enim caeterique ejus sectatores ex principio, quod justitia originalis partem essentialem constituerit humanae naturae, essentialiter ex ejus amissione intulerunt immutatam fuisse naturam humanam. Ac 1°. docuerunt hominem lapsum omni pene libertate destitutum esse ac ipsa *potentia* ad se determinandum et agendum, factumque esse in spiritualibus veluti truncum, lapidem, salis statuam; 2°. concupiscentiam verum peccatum esse; quae cum proinde in omnes hominis actiones influat, eas inde infici, totidemque esse peccata, adeoque philosophorum virtutes totidem vitia esse docuerunt.

390. Janseniani cum idem constituerint principium easdem deduxere consequentias. Jansenianis siquidem eadem haesit doctrina de justitia originali, ac de effectibus, qui ex illius amissione provenere. Discrepantia si qua est inter jansenianos et lutheranos calvinianosque, in sola vocabulorum diversitate consistit. Nam jansenistae dixerunt justitiam originalem debitam esse humanae naturae, utpote partem ejus integralem, illa igitur deperdita, amissa est libertas a necessitate; et concupiscentiam peccatum esse, atque hinc infidelium virtutes totidem esse peccata ac vitia pariter effutierunt.

391. Rationalistis, quibus homo paradisiacus conceptus *idealis* est, peccatum originale non est nisi limitatio naturae; prout vero praevalet in homine sive *sensibilitas*, sive ratio, necessitate adigitur aut ad vitium aut ad virtutem. Christi redemptio non est nisi quaedam *rehabilitatio* ad vitam rationalem, cujus Christus in se typum exhibuit, quem typum homines possunt non solum attingere seu exprimere in se, verum etiam superare.

392. His rationalistis, seu potius incredulis velo biblico tectis, dimissis, quos suo loco refellemus, nec non aliis protestantium ac jansenistarum erroribus, hic illorum adorimur errores, qui sive germanam libertatis naturam, sive ejus in homine lapso existentiam impugnant. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non sufficit libertas a coactione, sed illa praeterea requiritur, quae dicitur a necessitate.

393. Propositio de fide est; contradictoria enim, quae III. est Jansenii propositio his verbis concepta: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione,* uti *haeretica* proscripta est ab Innocentio X. in Bulla *Cum occasione.* Jansenio praeiverat Bajus, cujus propositio XXXIX: *Quod voluntarie fit, etiamsi*

necessario fiat, *libere tamen fit*, jamdudum damnata fuerat a s. Pio V. et Gregorio XIII.

394. Ne verborum ambagibus implicemur, notiones praemittimus, quas circa naturam libertatis tum theologi tum probati philosophi tradunt.

395. Libertas, prout hic accipitur, definiri potest: *facultas eligendi.* Haec definitio universalissima est, ac tum Deo, tum angelis, tum homini competit. Libertatis species omnes complectitur, excluditque quamcumque necessitatem tum intrinsecam tum extrinsecam.

396. Multiplex distinguitur libertatis species: alia est libertas *exercitii*, alia libertas *executionis.* Libertatis exercitii nomine venit imperium ipsum voluntatis, seu ipse actus intimus volendi; libertatis vero executionis voce significatur actus imperatus a voluntate et externus, cujusmodi e. gr. esset actus surgendi, deambulandi, etc. Prior proinde libertas pro objecto habet actus internos voluntatis, posterior autem etiam actus externos. Quo fit ut proprie dicta libertas ea sit, quae dicitur exercitii, in qua sola facultas eligendi residet, quae a Latinis *optio*, a Graecis *προαίρεσις* seu *electio* vocatur.

397. Ad *electionem* porro, cum agitur de actibus internis voluntatis, requiritur, ut quis possit inter duos aut plures terminos, spectatis rerum omnium adjunctis, unum vel alterum velle aut nolle, ac vicissim.

398. Libertati executionis opponitur *violentia* seu *coactio*, uti cum quispiam impeditur ab aliquo moliendo; aut cogitur ad aliquid faciendum aut omittendum contra voluntatem suam, seu suae voluntatis imperium.

399. Libertati exercitii opponitur *necessitas*, quae secum trahit *impossibilitatem oppositi*, uti si aliquis interius determinaretur ad aliquid volendum vel nolendum.

400. Fieri proinde potest, ut aliquis fruatur libertate exercitii, non autem executionis; aut e converso libertate executionis, minime vero exercitii.

401. Electio duos saltem terminos comparationis exigit, alioquin facultas eligendi seu optio non haberetur. Qui enim determinatus ad unum est, non habet objectum, in quod electio cadat. Liber propterea non est sive homo circa felicitatem in genere, sive beatus circa Dei amorem.

402. Termini comparationis multiplices sunt; nam possunt esse duo contradictoria, e. gr. amare vel non amare, quo in casu illa habetur libertatis species, quae dicitur *contradictionis;* possunt praeterea esse duo contraria, ut amare et odisse, et ex his exsurgit alia libertatis species, *contrarietatis* nuncupata. Possunt denique esse duo *diversa*, e. gr. scribere vel legere, et tunc profluit tertia libertatis species, quae *specificationis*, aut etiam *disparitatis* dicitur. In Deo et in beatis nulla datur *contrarietatis* libertas inter bonum ac malum. In homine autem viatore una cum caeteris libertatis speciebus et haec reperitur.

403. Libertatis enim radix, ut docet s. Thomas [1], *est voluntas sicut subjectum, sed sicut causa est ratio; ex hac enim voluntas libere potest ad diversa*

[1]) I. 2. qu. 17. art. 1. ad 2.

ferri, quia ratio potest habere diversas acceptiones boni. Mutua tamen datur actio voluntatis in rationem, ac vicissim rationis in voluntatem, quatenus voluntas potest rationem applicare ad consideranda motiva electionis inter diversos terminos seu ad deliberandum, ac ratio permovere voluntatem potest ad eligendum. Nulla in Deo deliberatio reperitur, sed solum in creaturis finitis ac limitatis.

404. Pronum porro ex his notionibus colligere est 1°. non esse permiscendam libertatem exercitii, quae *antecedens* etiam dicitur, cum libertate executionis, quae *consequens* appellari consuevit; 2°. neque *voluntatem* cum *libertate,* cum fieri possit, ut actus maxime voluntarius sit, nec tamen liber; 3°. inferri nullam libertatem concipi posse, ubi non datur electioni locus, aut electionem, ubi duo saltem non habentur comparationis termini in quorum unum in praesentibus circumstantiis cadere non possit electio aut *optio;* 4°. naturam libertatis, de qua est sermo, proprie consistere in antecedenti immunitate a quavis necessitate, qua indifferentia ad electionem tollatur inter duos aut plures terminos sive diversos, sive oppositos, sive contrarios, si de homine viatore agatur. Parum vero refert, quo nomine necessitas illa vocetur, *physica* nempe aut *moralis.* Cum talis immunitas a necessitate reperitur, libertas quae inde exsurgit, *indifferentiae* aut *arbitrii* libertas nuncupatur, qua homo vere dominus efficitur actionum suarum.

405. Animadvertendum autem est ad veterum scriptorum intelligentiam, ipsos consuevisse 1°. *voluntarium* passim ac *spontaneum* pro *libero* usurpare; 2°. vocabula *voluntatis* ac *libertatis* promiscue adhibere; 3°. *necessitatem* cum *coactione* et praeterea cum *vi* atque *violentia* saepe confundere; 4°. nec non libertatem *naturalem* cum *morali*, non secus ac servitutem *moralem* cum *naturali.*

406. Quibus praemissis, perspicuitatis gratia, sic jam accedimus ad enunciatam thesim vindicandam. Etiam in statu naturae lapsae ad merendum vel demerendum non sufficit libertas a coactione, sed requiritur praeterea libertas a necessitate, si haec necessitas etiam in hoc statu omnis meriti ac demeriti rationem tollit. Res porro ita se habet.

407. Etenim I. Scripturae rationem meriti aut demeriti illis tantum actionibus tribuunt, quarum homo per electionem dominus est, ut patet ex Deut. XXX. 19. ubi dicitur: *Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam*, etc. Item ex omnibus locis, in quibus continentur praecepta, exhortationes et consilia, quae inania forent, nisi in hominis potestate esset ea executioni mandare ad obtinenda quae illis adnexa sunt praemia, aut ad evitandas ex illorum transgressione comminatas poenas, quae sunt retributiones meriti vel demeriti. His autem plena sunt utriusque foederis eloquia. Sic Exod. XX. 3 seqq.: *Non habebis deos alienos... Non assumes nomen Dei tui frustra,* etc. Patet demum ex illis omnibus testimoniis, in quibus aliquid hominibus promittitur ea sub conditione *si voluerint;* sic Matth.

XIX. 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* ac v. 23: *Si vis perfectus esse,* etc.

408. II. Nec alia umquam stetit Patribus sententia. S. Hieronymus: *Liberi*, inquit [2], *arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est.* Quae quidem verba maxime probat Augustinus, scribens [3]: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* Qui proinde in lib. *De duabus animabus* inter caetera haec habet [4]: *Quamobrem illae animae, quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, peccatum earum tenere non possumus.* Alia plura ejusmodi testimonia exhibet Petavius, toto lib. III. *De opificio.*

409. S. Thomas, s. Augustini caeterorumque Patrum vestigiis insistens, cum sibi proposuisset quaestionem: *Utrum homo habeat liberam electionem, aut ex necessitate eligat,* respondet [5]: *Dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur... Haec autem opinio est haeretica: tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus.*

410. III. Hoc ipsum recta ratio suadet; constituto enim semel principio de voluntate antecedente ac ineluctabili necessitate ad aliquid abrepta, nulla amplius *moralitas* in actibus humanis fingi potest; nec enim actiones nostrae *morales* tantum ex eo dicuntur, quod morum normae congruant vel ab ea dissentiant, verum etiam immo praecipue ex eo, quod ejus imperio ac disciplinae subjiciantur ab eaque dirigantur. *Incipit genus morum,* inquit s. Thomas [6], *ubi primum dominium voluntatis invenitur.* Quod vero interna necessitate fit, a norma seu regulis morum dirigi nequit. In eo praeterea, juxta eumdem angelicum Doctorem, totius meriti radix consistit, quod nempe aliquid ex his, quae in nobis sunt, tribuentes, ad aliena invicem accipienda quoddam nobis jus comparemus. *Per actum proprium,* scribit [7], *quis mereri non potest, nisi sit dominus sui actus. Sic enim suum actum quasi pretium pro praemio dare potest.* Jam vero ubi ineluctabilis intercedit necessitas, ibi nonnisi absurde dominium excogitari potest in proprios actus. *Ex hoc contingit,* ait rursum Angelicus [8], *quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.* Atque haec sufficiant, quin urgeamus exitiales fructus, adulteria scilicet, furta, homicidia, quae ex doctrina adversariorum promanarent in societatis universae perniciem.

[2]) *Contra Jovin.* lib. III. n. 3.
[3]) *De nat. et grat.* cap. 65. n. 78.
[4]) Cap. 12. n. 17.
[5]) *Quaest.* VI. *de malo.*
[6]) *Sent.* II. dist. 24. qu. 3. art. 2.
[7]) *De Verit.* qu. 29. art. 6.
[8]) I. 2. qu. 6. art. 2.

DIFFICULTATES.

411. I. Obj. 1. Ex s. Augustino, cui consonant ss. Prosper, Joannes damascenus, Fulgentius, Bernardus, Anselmus aliique passim, illud omne liberum censeri debet, quod *voluntarium* est; satis hic sit ex Augustino proferre, quae scribit in lib. *De spiritu et litt.* [9]: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit.* Atqui plura volumus etiam necessitate cogente. 2. Magis elucet eorum mens in discrimine, quod constituunt inter *naturam* et *voluntatem*, quod illa utpote determinata ad unum libera non sit, haec autem semper libera sit; ergo quidquid *voluntarie* fit, *libere* fit, quacumque demum ratione fiat. En verba s. Augustini [10], *Motus* animae *non est utique naturalis, sed voluntarius;* hinc s. Thomas: *Voluntas*, inquit [11], *dividitur contra naturam, sicut una causa contra aliam; quaedam enim fiunt naturaliter, quaedam voluntarie.* 3. Nec obest voluntatem praeeunte ratione velle, siquidem plura sunt, quae praeeunte ratione necessario volumus, e. gr. beatitudinem in genere, si de nobis sermo sit; si de beatis, certum est eos velle praeeunte ratione amorem beatificum, Deum vero processionem Spiritus Sancti. 4. Idque etiamsi intellectus proponat voluntati objectum necessario prosequendum aut fugiendum juxta s. Augustinum, qui objicienti Pelagio [12]: *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*, respondet: *Per enim absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram* (scilicet ad libertatem), *quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua et bona constrictione naturae; nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiae, quia non potest velle peccare.* 5. Loquitur porro s. Doctor in his postremis verbis de voluntate justitiae prout Deo et beatis inest, quae non patitur indifferentiam contradictionis, liberam tamen eam dicit; igitur ex Augustini caeterorumque Patrum doctrina optime libertas cum necessitate consistit.

412. Resp. Ad 1. *D.* Illud ex Augustino ac reliquis Patribus liberum est, quod est voluntarium, voluntate formaliter sumpta seu pro facultate eligendi, *C.* voluntate naturaliter seu necessario volente, *N.* Jam praemonuimus Patres promiscue voces libertatis ac voluntatis, proindeque voluntarii ac liberi usurpare; quum proinde docent id *liberum* esse, quod *voluntarium* est, vocem voluntarii uti synonymam adhibent *liberi,* seu ejus quod ex libera electione procedit. Cum voluntas naturaliter, seu prout natura est, vult, necessario vult; cum vero vult, prout est formaliter voluntas, seu ex deliberatione eligit, libera est. Quum Augustinus aliique Patres dicunt liberum, quod voluntarium est, in secundo sensu hac voce utuntur. Duplicem hanc *voluntatis* ac *voluntarii* notionem exhibet s. Thomas. [13] 3. Hac sublata aequivocatione, difficultas concidit.

[9]) Cap. 31.
[10]) Lib. III. *De lib. arbitrio,* cap. 1.
[11]) Part. I. qu. 10. art. 1. ad 1.
[12]) *De nat. et grat.* cap. 46.
[13]) *Quaest.* II. *de potentia,* art. 2.

413. Ad 2. *D.* Constituunt discrimen inter *naturam* et *voluntatem*, prout formaliter voluntas est seu facultas electiva. *C.* prout voluntas agit per modum naturae ad unum determinatae seu necessario. *N.* Eadem in his latet aequivocatio in voce voluntatis supra detecta; quod luculenter patet ex s. Thoma, qui in objecto loco exponit, quid significaverit per *voluntatem* et per *naturam*, subdens: *Est autem alius modus causandi proprius voluntatis, quae est domina sui actus, praeter modum, qui convenit naturae, quae est determinata ad unum.*

414. Ad 3. *D.* Si, quod ratio voluntati proponit, in deliberationem cadat, ita ut ejus electione voluntas dici possit domina actus sui. *C.* si ita proponat, ut sub deliberationem non cadat, sed necessario voluntas in objectum propositum feratur. *N.* Jam vero talia sunt, quae in exemplum adducuntur; circa haec enim deliberare voluntas nequit, neque proinde illam relate ad recensita objecta liberam dicimus.

415. Ad 4. *Neg.* Ad textum autem s. Augustini. *D.* Absurdum est nos liberos non esse in eo, quod beati esse volumus quoad libertatem contrarietatis. *C.* quoad libertatem contradictionis. *N.* Liquet s. Doctoris mens ex errore, quem refellebat in Pelagio, qui libertatis essentiam constituebat in libertate contrarietatis, seu indifferentia ad bonum et malum. Porro *nec libertas nec pars libertatis*, ut inquit s. Anselmus, *est potestas peccandi*, sed potius *libertatis defectus*, ut subjicit s. Thomas.[14] Quum proinde Julianus asseruerit: *Deus liber non est, qui malum non potest velle;* respondebat s. Doctor[15]: *Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?*

416. Ad 5. *D.* Adeoque ab ea voluntate s. Augustinus excludit libertatem contrarietatis juxta dicta. *C.* libertatem contradictionis aut specificationis circa justitiae exercitium ad extra, *N.*

417. I. Inst. 1. S. Augustinus, naturam libertatis nostrae exponens, scribit[16]: *Si illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse ut ire aliquid vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat libertatis. Neque enim vitam Dei et praescientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere et cuncta praescire.* Jam vero necessitas, quae similis est illi, qua necesse est Deum vivere et cuncta praescire, libertatem a necessitate excludit; atqui tamen ex Augustino haec non officit libertati voluntatis. Ergo. 2. Haec vero congruunt liberi arbitrii definitioni, quam tradit s. Doctor, dum ab eo dicitur[17]: *Animi motus cogente nullo.* Hinc s. Thomas scribit[18]: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest.* Ergo sola coactio opponitur libertati. 3. Proponens proinde sibi s. Thomas Augustini effatum: *Si aliquid est necessarium, non est voluntarium;* respondet: *Dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum de necessario*

[14]) I. 2. qu. 109. art. 2. ad 2.
[15]) *Op. imperf.* lib. I. n. 100.
[16]) *De civit. Dei*, lib. V. cap. 10.
[17]) Lib. *De duab. animab.* cap. 1.
[18]) *Sent.* II. dist. 25. qu. 1. art. 4.

necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit. Ergo.

418. Resp. Ad 1. *D.* Necessitas, quae similis est ei, qua necesse est Deum vivere et cuncta praescire vita essentiali et naturali, *C.* vita accidentali per operationem ad extra, *N.* De hac porro loquitur s. Augustinus disputans adversus stoicos, qui ex Dei praescientia inferebant adimi homini libertatem; respondet vero s. Doctor praescientiam libertati non officere, quia si qua necessitas ex praescientia Dei oritur, consequens est, non antecedens. Idem dic de operatione Dei ad extra, quae accidentalis Deo est, cum possit esse et non esse, siquidem libere Deus ad extra operatur, et haec est, quae *vita* ab Augustino nuncupatur.

419. Ad 2. *D.* Si *coactionis* vox ab utroque s. Doctore proprie seu stricte sumeretur, *C.* si improprie seu lata significatione pro *necessitate, N.* Hoc autem sensu in primis vocem hanc a s. Augustino usurpari, patet ex *Retract.* lib. I. c. XV. ubi scribit protoparentes ideo esse culpandos, quia *nullo cogente,* id est, libera voluntate peccarunt; *suasit enim*, inquit, *tentator, ut hoc fieret, non coëgit.* Eodem pariter sensu adhibuisse vocem hanc s. Thomam, constat ex iis, quae scribit *Contra Gent.* lib. III. cap. CXLVIII. ubi probandum assumpsit *per auxilium divinae gratiae hominem non cogi ad virtutem*, et alibi passim.

420. Ad 3. *D.* Non est *voluntarium*, id est, *liberum,* quatenus opponitur electioni seu facultati electivae, *C.* quatenus opponitur coactioni proprie dictae, *N.* Viget semper in his eadem aequivocatio orta ex diversa significatione vocis *coactionis*, quae, uti vidimus, tum a s. Augustino tum a s. Thoma adhibetur ad significandam *necessitatem.*

421. II. Inst. 1. Laus non debetur nisi actibus liberis; atqui s. Augustinus laudi Deo vertit, *quod negare seipsum non potest*, et angelis quod *Deo adhaereant*, seu laudat tum Deum tum angelos ob actus necessarios; censuit igitur necessitatem non opponi libertati. 2. Statuit praeterea homini post peccatum necessitatem peccandi inesse, quae tamen peccata ex necessitate patrata a Deo imputari docet, scribens [19]: *De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta juventutis et ignorantiae meae ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.* Ergo.

422. Resp. Ad 1. *D.* Laus proprie dicta ac presse sumpta non debetur nisi actibus liberis, *C.* latiori in sensu accepta, pro honore, *N.* Etenim, uti observat s. Thomas [20], laus proprie dicta est *sermo dilucidans magnitudinem virtutis.* Adeoque non debetur nisi liberis actibus; laus vero late sumpta pro honore *non actui sicut laus, sed magis agenti tribuitur,* ratione habita dignitatis solius suppositi, licet jam sit in fine ac proinde etiam propter actus necessarios. Quo sensu Deum s. Augustinus et angelos ob necessarios recensitos actus commendat.

[19]) *Op. imperf.* lib. I. cap. 105.

[20]) II. 2. qu. 91. art. 1. ad 1.

423. Ad 2. *D.* Statuit s. Augustinus inesse homini post originale peccatum necessitatem peccandi moralem et vagam, *C.* physicam et determinantem ineluctabiliter ad aliquod peccatum actu, *N.* Accedit, quod ibi s. Doctor nomen peccati etiam large sumat de imperfectionibus etiam naturalibus, quae ex peccato proveniunt.

424. II. Obj. 1. Christus liber fuit tum in amando Deo, tum in praecepto Patris servando de subeunda morte, meruit enim; atqui Christus nulla fruebatur in illis actibus libertate a necessitate, siquidem utpote comprehensor necessario Deum diligebat; utpote impeccabilis non poterat praeceptum sibi datum non observare. 2. Disserens proinde s. Thomas de libero Christi arbitrio, scribit [21]: *Vel dicendum, quod si etiam esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non poterat, tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coacte sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus.* Ergo ex s. Thoma 1°. non tollitur libertas *ex determinatione ad unum;* 2°. ad rationem laudis ac meriti satis est non *coacte,* sed *sponte* in laudabilia ferri, seu solam *coactionem* libertati officere, non autem *necessitatem* aut *spontaneitatem.* Ergo.

425. Resp. Ad 1. *D. maj.* quoad primam partem: Christus liber fuit in amando Deo effective quoad specificationem operum, *C.* in se et affective, *N.* Quoad alteram partem sic, *D. min.* Christus necessario Deum diligebat in se, *C.* effective quoad operum specificationem, *N.* Ac negamus omnino alteram minoris partem de absoluta mortis necessitate ex praecepto proveniente.

426. Itaque amor Dei sub duplici potest respectu considerari, in se seu in sua essentia spectatus, et certum est Christum non potuisse Deum non amare; potest considerari effective seu in actu practico in electione actuum particularium, et circa hos Christus ad nullum in specie determinatus erat, poteratque propterea quemcumque eligere, e. gr. ex Dei amore vel jejunare vel manducare; ambulare vel quiescere; praedicare vel desistere, etc. Quod vero spectat ad mortem subeundam liber Christus omnino fuit, siquidem *oblatus est, quia ipse voluit;* dicendum propterea est vel rigorosum a Patre praeceptum ipsum non habuisse, uti plures contendunt; vel si quod habuit, non habuisse absolutum sed conditionatum, adeo ut si noluisset mortem subire, potuisset dispensationem petere, ut ipsemet declarat. [22]

427. Ad 2. *D.* Ex s. Thoma non tollitur libertas ex determinatione ad unum secundum genus moris, *C.* ex determinatione ad unum simpliciter, *N.* En quomodo angelicus Doctor mentem suam aperiat [23]: *Licet enim,* inquit, *anima Christi esset determinata ad unum secundum genus moris, scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter; poterat enim hoc vel illud facere et non facere. Et ideo libertas in eo remanebat, quae requiritur ad merendum;* seu libertas *specificationis.*

428. Sic etiam: Ex eodem Angelico ad rationem laudis ac meriti satis

[21]) *Sent.* III. dist. 18. qu. 1. art. 2. ad 3.
[22]) Matth. XXVI. 53.
[23]) *De verit.* qu. 29. art. 6. ad 1.

est non *coacte* sed *sponte* in laudabilia ferri, id est, non *necessario*, *C.* coactione proprie dicta, *N.* Jam enim animadvertimus s. Thomam vocem coactionis adhibere in sensu necessitatis, et vocem proinde *spontaneitatis* in sensu libertatis. Hac detecta aequivocatione evanescit difficultas. Sane cum ibid. dicat s. Thomas: *Et ita est dominus actus sui*, patet ipsum vocem *coacte* pro *necessario* usurpasse, eo vel magis quod ipsemet declaret, quid significet, cum dicit, quempiam dominum esse actus sui, scribens [24]: *Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere.*

429. III. Obj. 1. Ad libertatem satis est, si actus praevio rationis judicio eliciatur, ac proinde voluntas se ipsam ad agendum determinet, ut actus elicitus possit voluntarius dici ac imperatus a voluntate, ac ita sit voluntarius et etiam sit in nostra potestate atque, ut loquitur s. Augustinus, *si homo vult, facit, si non vult, non facit*, praesertim si actus voluntaria delectatione eliciatur, juxta illud Augustini effatum [25]: *Ibi sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti;* et iterum [26]: *Libera voluntate facimus . . . quia delectati facimus.* Atqui cum his omnibus necessitas consistere potest; frustra igitur naturae libertati necessitatem adversari obtenditur; 2. sane licet peccatores obdurati dura necessitate premantur, libere tamen peccant; quin etiam peccant daemones atque damnati licet necessitate graviori adhuc compulsi; quemadmodum beati, qui etsi necessario Deum diligant, libere tamen diligunt, est enim ipsorum amor actus humanus; 3. Deus ipse, quamvis nunc saltem necessario creaturas velit, liber tamen circa eas est. Ergo.

430. Resp. Ad 1. *D. maj.* Si in recensitis actus ita voluntarie elicitus sit, ut electio a voluntate pendeat, *C.* si ita elicitus a voluntate sit, ut electio a voluntate non pendeat, *N.* Quaecumque demum causa electionem excludat, ita ut voluntas ineluctabiliter ad unum determinetur antecedenter, jam libertas adimitur indifferentiae, quae ad merendum vel demerendum requiritur. Dum vero s. Augustinus de delectatione loquitur, cum qua consistit libertas, delectatio est deliberata et consequens, ut ipsemet declarat, dum scribit [27], naturam sat bonam esse, *quae habet in potestate illicitam delectationem; si extiterit, ita cohibere, ut non solum de caeteris licitis recteque factis, verum etiam de ipsius pravae delectationis cohibitione laetetur.*

431. Ad 2. *D.* Premuntur peccatores obdurati necessitate morali ac late sumpta, *C.* necessitate physica et absoluta, *N.* Ejusmodi necessitas vaga est et consequenter neque ad ullum specie actum determinat, adeoque vinci potest, si praesertim oratione utantur, caeterisque subsidiis, quae a peccato retrahant; quae si omittant, sibi imputare debent, si peccare pergant. Quod vero attinet ad damnatos daemonesque ipsos, neque ii physica necessitate impelluntur, sed morali; quoniam tamen in termino constituti sunt, illorum peccata, ut docet s. Thomas, ad demeritum non imputantur.

[24]) Part. I. qu. 28. art. 1. ad 3.
[25]) *De nupt. et concup.* lib. I. cap. 30. n. 1.
[26]) *In Ps.* CXXXIV. n. 11.
[27]) *De Gen. ad lit.* lib. VI. cap. 7. n. 11.

432. Ad 3. *D.* Deus necessario nunc vult creaturas necessitate consequenti, *C.* necessitate antecedenti, de qua hic agimus, *N.* Eodem scilicet actu nunc Deus vult creaturas, quo ipsas voluit, nempe actu libero et immutabili.

PROPOSITIO II.

Quamvis per originale peccatum liberum hominis arbitrium attenuatum sit, non est tamen extinctum, seu manet in statu naturae lapsae vera libertas indifferentiae ad merendum vel demerendum necessaria.

433. Propositio de fide est, sancita a concilio tridentino [1]: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam; anathema sit.*

434. Thesim hanc adstruimus directe adversus novatores, qui saec. XVI. *nihilismum* rationis ac proinde libertatis proclamarunt ex essentiali hominis corruptione per peccatum originale inductum, nec non adversus jansenistas, qui causam cum illis hac in parte communem faciunt; argumentis proinde theologicis eam propugnamus, indirecte autem adversus incredulos humanam libertatem tuemur, quoniam et ipsi eam adorti sunt. Cum vero Scripturarum ac Patrum documenta, quae huc pariter spectant, in praecedenti propositione retulerimus, ne iterum huc revocemus, illis suppositis, sic pergimus ex ratione eaque multiplici rem nostram conficere.

435. Ac 1°. Ex sensu intimo, quo sentimus nos vi propria seu propria activitate permoveri ad aliquid eligendum, volendum aut respuendum, ita ut possimus, quoties libet, hujus activitatis argumenta praebere. 2°. Ex agendi ratione; si enim necessitate impelleremur, semper tota vi, ut in necessario agentibus fit, in aliquid ferremur, nec in nostra potestate esset eam suspendere aut cohibere, aut diverso gradu promere, quae omnia jugiter nos agere in comperto plane est. 3°. Ex communi omnium consensu; omnes siquidem se libertate frui persuasum habent, hanc enim libertatem, ut scribit s. Augustinus [2]: *Cantant et in montibus pastores, et in theatris poëtae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum.* 4°. Ex legibus, praemiis, ac poenis a legislatoribus constitutis ad bene regendam societatem. 5°. Ex sensu laudis aut vituperii, quo percellimur ex recte vel male factis. 6°. Ex ipsa incredulorum practica conversandi ratione, qui, quamvis sibi et aliis persuadere adnitantur dura hominem impelli necessitate ineluctabili, ita tamen se gerunt, perinde ac si plene ea fruerentur libertate tum circa se, tum circa sibi subjectos; dum propterea ipsi theoretici libertatem negant, eam adstruunt practice.

[1]) Sess. VI. can. 5.

[2]) Lib. *De duab. animab.* cap. 11. n. 15.

DIFFICULTATES.

436. I. Obj. Scriptura non obscure docet hominem in praesenti statu vera esse libertate destitutum; etenim 1. Jerem. XX. 23: *Scio, Domine,* inquit, *quia non est hominis via ejus.* 2. Prov. XXI. 1: *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud,* et alibi passim. Ergo.

437. Resp. *N. A.* Ad 1. *D.* Quoad executionem, *C.* quoad exercitium, *subd.* circa opera supernaturalis ordinis, *C.* circa opera ordinis naturalis, *N.* Posuit enim Deus hominem in manu consilii sui; quamvis Deus identidem executionem humanorum consiliorum impediat.

438. Ad 2. *D.* Salva libertate, *C.* ea sublata, *N.* Haec enim aliaque ejusmodi Scripturarum testimonia intelligi debent vel de libertate executionis, vel de necessitate gratiae, vel de servitute peccati, vel de necessitate morali pro subjecta materia.

439. II. Obj. 1. S. Augustinus docet hominem per peccatum liberum penitus arbitrium amisisse, scribens [3]: *Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.* 2. Ex quo infert ortam in homine lapso peccandi *necessitatem;* ait enim [4]: *Postquam ipse* Adam *libera voluntate peccavit, nos in necessitatem praecipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus;* 3. adeoque periisse in nobis arbitrii indifferentiam, uti scribit in libris *Contra Julian.* et in *Serm.* CVI. n. 11. ubi affirmat *nos non agere sed agi.* Ergo.

440. Resp. Ad 1. *D.* Docet hominem liberum amisisse arbitrium, quale in paradiso fuit *habendi plenam cum immortalitate justitiam,* seu quoad ejus perfectionem, *C.* absolute et simpliciter, *N.* Hanc porro nec aliam fuisse in hoc effato, quo tantopere novatores et janseniani abusi sunt, Augustini mentem, constat ex comparatione, quam ibid. s. Doctor instituit inter felicitatem et vigorem, quem habuit Adam ante peccatum, et languorem, qui post peccatum secutus est; hinc dicit *emortuum et non emortuum* arbitrium nostrum, *emortuum ad habendam plenam cum immortalitate justitiam, non emortuum* ad cooperandum Deo, et ad moralia opera saltem faciliora perficienda. Atque ut clarius adhuc se ipsum exprimit [5]: *Adhuc curatur ..... sanatur languor; libertas periit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit.*

441. Ad 2. *D.* Necessitatem *moralem* ortam ex inordinatione concupiscentiae, *C.* proprie dictam, *N.* Nempe loquitur de illa lege, quae est in membris nostris, ob quam scribebat Apostolus [6]: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio.*

442. Ad 3. *D.* Qualem tuebantur pelagiani, *C.* qualem nos adstruimus, *N.* Pelagiani siquidem ex principio quod homo adhuc sit, qualis primitus a Deo conditus fuerat, inferebant integris plane adhuc viribus hominem pollere ad bonum quodcumque operandum; s. Augustinus propterea ad errorem hunc refellendum inficiabatur tali integritate hominem constare, quia ita eum esse

[3]) *Enchir.* cap. 30.

[4]) Lib. *Contra Fortunatum,* n. 22.

[5]) Lib. *ad Bonifac. contra duas Epist. Pelag.* cap. 2.

[6]) Rom. VII. 15.

in praesentia constitutum docebat, ut nisi ipsi medicinalis gratia opituletur, nequeat saltem difficiliora mandata servare atque graves vincere tentationes. Falsum porro est, quod adjiciunt adversarii, hominem scilicet ex Augustino *non agere sed agi;* sed potius scribit: *Immo et agis et ageris, si a bono agaris,* quibus verbis gratiae et voluntatis concursum ad operationem expressit.

443. III. Obj. 1. Voluntas necessario fertur ad felicitatem in genere, ergo etiam in specie seu in singulis actibus. 2. Quoties enim voluntas eligit, eligit sub ratione majoris boni aut veri aut apparentis. 3. Si enim necessario non prosequeretur sub ratione majoris boni, eligeret sub ratione minoris boni, adeoque sub ratione mali, quod fieri nequit. 4. Si bona utrinque aequalia voluntati offerantur, numquam eliget, alioquin eligeret sine ratione sufficienti, uti trutina, quae numquam dabit praepondium, nisi aequilibrium tollatur. 5. Libertas indifferentiae cum in aequilibrio consistat, numquam in praxi dari potest: aut enim abripitur a motivis rationalibus, aut a sensibilitate, seu concupiscentia, ut vocant. 6. Sane voluntas, utpote facultas caeca, necessario sequitur aut objectum ab intellectu propositum, aut sensibilitatis impulsum. 7. Quod confirmatur ex eo quod voluntas necessario agat juxta dictamen practicum rationis, quod determinatur a judicio praevio theoretico intellectus adeoque necessario; 8. intellectus enim necessario repraesentat boni vel mali objectum, prout percipit. Ergo.

444. Resp. Ad 1. *C. A. Neg. Cons.* Tunc enim solum voluntas necessario abripitur ab objecto, quum sub sola ratione boni sub omni respectu proponitur, non autem cum proponitur sub ratione mixta boni ac mali; in casibus autem particularibus semper sub hoc respectu objectum proponitur, cum nullum sit in particulari bonum absolutum, si Deum excipias, quem tamen homo non cognoscit nisi abstractive.

445. Ad 2. *D.* Ita tamen ut praecellentia unius boni prae alia, utpote finita, non cogat voluntatem ad electionem, *C.* ut cogat sive necessitate impellat, *N.* Voluntas quidem vi illius generalis ac necessariae ad felicitatem tendentiae determinatur ad electionem in specie; ast cum nullum particulare objectum, uti diximus, sub sola ratione boni aut mali sese offerat, hinc potest semper libere se determinare seu deliberare, ita ut minus quandoque bonum eligat ad exercitium libertatis, quod tunc jam majus bonum ipsi est, aut irrationabiliter etiam, ut saepe fit.

446. Ad 3. *Neg.* Sed eligit sub ratione aut mixti boni aut mixti mali, prout diximus.

447. Ad 4. *Neg.* Posset enim hoc in casu eligere ad exercitium suae libertatis, adeoque non eligeret sine ratione sufficienti; atque hinc patet discrimen, quod interpositum est inter libram seu trutinam et voluntatem, quod illa passiva sit, haec vero activa, quae se ipsam scilicet propria vi determinare potest, ac inclinare in hanc potius quam in illam partem.

448. Ad 5. *D.* Libertas indifferentiae in aequilibrio consistit, quatenus nil sit quod ipsam necessario in alterutram partem compellat, *C.* quatenus

numquam in unam potius quam in alteram feratur aut inclinetur, *N.* Satis enim est ad libertatem indifferentiae, ut quavis inclinatione aut tendentia supposita dominium penes voluntatem sit.

449. Ad 6. *D.* Ita tamen ut postquam ab intellectu propositum est, aut cum sentit se a sensibilitate allici, voluntas dominium deliberationis suae teneat, *C.* ut ab alterutro necessario abripiatur, *N.* Voluntas nonnisi omnibus perpensis deliberat ac determinat se utpote semper activa.

450. Ad 7. *D.* Si pro judicio practico significetur actualis deliberatio, *C.* si significetur praevium seu antecedens judicium theoreticum intellectus, cui se necessario conformare debeat voluntas, *N.* In priori sensu deliberatio est ipsum libertatis exercitium reduplicative sumptum, et tunc necessitas non est nisi consequens, quatenus non potest non deliberare, dum deliberat; ast in altero sensu est falsum voluntatem necessario abripi a judicio speculativo intellectus; quoties enim verificatur illud poëtae:

> . . . . . Aliudque cupido
> Mens aliud suadet; video meliora proboque,
> Deteriora sequor?

451. IV. Obj. 1. Fieri potest, ut sensus intimus nos decipiat, ac dum videmur libere velle, antecedenti necessitate compellamur; 2. perinde ac si lapidi aut acui magneticae, paulo ante motum aut tendentiam, cum cognitione desiderium imprimeretur se movendi locum determinatum versus, putarent se libere tendere ac se movere, attamen reipsa necessario tenderent ac se moverent; quod verisimile fit ex eo, quod homo et singulos actus praevia motione seu praedeterminatione divina indigeat ut ex potentia exerat se in actum, ac proinde in singulis suis actionibus pendeat uti causa secunda a Deo causa prima. Ergo.

452. Resp. Ad 1. *Neg.* Numquam enim, ut philosophi suo loco ostendunt, sensus intimus decipere nos potest in objectis, quae ipsius propria sunt, alioquin in absurdum scepticismum dilabi deberemus. Quod si interdum videtur fallere nos, tunc sensus intimus non versatur circa objecta sibi propria.

453. Ad 2. *Nego paritatem.* Praetermissa enim absurda hypothesi, cui illa innititur, maximam in ea deprehendimus differentiam: nam homo non solum sentit se liberum esse, sed quoties ei libuerit, toties potest suam libertatem facto ipso ostendere movendo se aut sistendo, sedendo aut surgendo, majori vel minori festinatione incedendo, hoc vel illud, hoc vel oppositum eligendo, quod nec acus magnetica aut lapis decidens praestare possent.

454. Ad 3. *D.* Quatenus indiget jugi conservatione ad vivendum et agendum, *C.* alio sensu, *N.* Deus profecto quam rebus omnibus activitatem initio contulit, eam ipsis jugiter conservat: quo sensu optime dici potest ac debet, homines sicut res caeteras pendere uti causas secundas a Deo causa prima tum in essendo tum in agendo. Haec autem conservatio pendet ab

actu divinae voluntatis, qui se protendit ad universam existentiae periodum, nec alio opus est, ut homo potentiam suam in actum exerat.

CAPUT VI.

DE FUTURA HOMINIS VITA.

455. Brevis admodum praesens hominis vita est, quam aeterna altera excipiet. Ast quam diversa sors hominem in altera vita manet! Scilicet aut meritorum, quae opitulante Dei gratia, aut demeritorum, quae eidem obsistendo sibi comparavit, praemia vel poenae eum consequentur. Si nulla reatus macula obstrictus ex hac vita decedat, illico aeternum beatus erit; sin vero gravi culpae labe coinquinatus vitam hanc finiat, aeternum infelix; si aut leviori adspersus culpa, aut poena nondum omnino soluta, in alteram vitam migret, temporali expiationi subjicietur; si demum contingat eum mori originali noxa non expiata, ab aeterna beatitudine in perpetuum excludetur. De quadruplici proinde hoc statu nobis disserendum superest, de supernaturali scilicet beatitudine, de purgatorio, de inferno, deque statu sine Baptismo decedentium. Quae quidem totidem distinctis articulis ex ordine conficiemus.

ARTICULUS I.

DE SUPERNATURALI HOMINIS BEATITUDINE.

456. Beatitudo, quae etiam summum bonum aut ultimus finis nuncupatur, a Boëthio definitur[1]: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus;* a s. Augustino[2]: *Bonorum omnium summa et cumulus;* a scholasticis autem: *Summum bonum appetitus rationalis satiativum.*

457. Sub duplici porro respectu beatitudo spectari potest, prout nempe aut *objectiva* aut *subjectiva* est: prout objectiva, est res ipsa cujus possessione efficimur beati; prout autem est subjectiva aut formalis, est actus ipse, quo beatitate utimur ac fruimur, seu ipsa hujus rei possessio et fruitio.

458. Antequam divina revelatio hominibus affulsisset, philosophi in varias multiplicesque sententias distracti sunt circa veram hominis beatitudinem, ita ut supra bis centum enumerarentur, quae tamen omnes a vero abludebant. Depulsa tandem per evangelicam lucem spissa errorum caligine, compertum tandem omnibus est, eam in sola Dei cognitione ac possessione consistere, sive ejusmodi cognitio et possessio in ordine naturali spectetur, sive in ordine supernaturali. Finis siquidem intelligentis naturae non nisi Deus est, qui solus potest ejus facultates explere. Beatitudo naturalis, quamvis in se perfecta, evanescit, si comparetur cum beatitudine supernaturali; illa siquidem ex sola abstractiva Dei cognitione et fruitione exsurgit, haec vero in ipsa immediata intuitiva Dei visione seu cognitione et fruitione consistit.

[1]) *De consol. philos.* lib. III. p. 2. [2]) *Enarr. in Ps.* XI. n. 11.

459. De supernaturali hac beatitudine nos hic acturi sumus, et quatuor fidei nostrae articulos adstruemus: 1°. beatos superno lumine illustratos Deum immediate ac intuitive videre; 2°. non tamen ipsum comprehendere; 3°. pro diverso meritorum gradu eosdem Deum inaequali modo videre; 4°. divinam hanc beatificam visionem non differri usque ad corporum nostrorum resurrectionem.

PROPOSITIO I.

Beati in patria supernaturaliter Dei essentiam intuitive vident.

460. Definita haec veritas est a concilio florentino, act. XXII. dum statuit animas perfecte puras *in coelum mox suscipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est;* idemque jam definierat Benedictus XII. in Const. *Benedictus Deus.*

461. Ideo vero in enunciata propositione adjecta est vox *supernaturaliter,* ut excluderetur error beguardorum ac beguinarum, qui, uti dicitur in *Clementina, Ad nostrum de haereticis*, autumarunt Deum se videre posse absque *luminis gloriae* subsidio. In hunc ipsum errorem jamdiu impegerant eunomiani, qui non solum Deum se videre naturaliter posse audacter effutiebant, verum etiam comprehendere, teste Theodoreto. [1]

462. Statuitur autem propositio adversus Graecos palamitas; qui docuerunt Deum neque supernaturaliter intuitive videri a beatis in sua essentia, sed solum abstractive; his recentiores plerique Armeni, ut refert Radulphus, archiepiscopus armachanus, adhaeserunt.

463. Jam vero tum Scriptura, tum traditio catholicum dogma apertissime docent. Christus enim: *Angeli eorum,* inquit [2], *in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est;* de hominibus vero, cum dicat Christus [3]: *Erunt sicut angeli Dei in coelo*, aut uti legitur apud Lucam [4]: *Aequales angelis sunt.* Si igitur angeli Deum intuitive vident, et animae vident beatae. Quod pariter adstruit Apostolus, dum scribit [5]: *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Quibus verbis antithesin instituit inter visionem Dei abstractivam, quam in praesentia habemus, et intuitivam, qua olim fruemur. Ergo.

464. Nec minus luculenter id ipsum docuere Patres traditionis testes, quorum testimonia uberrime profert Petavius. [6] Nos ex illis unum vel alterum seligimus. S. Irenaeus sic pulcherrime scribit [7]: *Quemadmodum videntes lumen, intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt; sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem... Percipiunt ergo vitam qui vident Deum.* S. Cyprianus: *Quae erit gloria*, exclamat [8], *et*

[1]) ***Haeretic. fabular.*** lib. IV. cap. 3.
[2]) Matth. XVIII. 10.
[3]) Ibid. XXII. 30.
[4]) Cap. XX. 36.
[5]) I. Cor. XIII. 12.
[6]) ***De Deo,*** lib. VII. cap. 2.
[7]) Lib. IV. ***Contr. haeres.*** cap. 20. n. 5.
[8]) Epist. LVI.

quanta laetitia, admitti ut Deum videas! Demum s. Augustinus, qui verbis utitur s. Hieronymi: *Homo*, inquit [9], *Dei faciem videre non potest, angeli autem etiam minimorum in ecclesia semper vident faciem Dei; et nunc in speculo videmus et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in angelos profecerimus.* Quibus nihil luculentius dici potest.

DIFFICULTATES.

465. I. Obj. 1. Eadem ratione Scripturae dicunt angelos aut beatos Deum videre, qua tradunt sanctos V. T. Deum conspexisse *facie ad faciem*, ut Jacob. Genes. XXXII. 30: Moysen. Exod. XXXIII. 11, qui tamen Dei essentiam minime viderunt. 2. Deus expresse et absolute *invisibilis* in Scripturis dicitur, ut I. Tim. I. 17: *Regi saeculorum immortali et invisibili,* et iterum, ibid. VI. 16: *Qui . . . lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* et Joann. I. 18: *Deum nemo vidit umquam.* 3. Quin etiam et de angelis ipsis, I. Petr. I. 12. dicitur: *In quem* (Spiritum S.) *desiderant angeli prospicere;* si *desiderant* prospicere, igitur necdum prospiciunt. 4. Cum praeterea eodem modo dicatur Deus *incomprehensibilis* ac *invisibilis*, ac Deus reipsa incomprehensibilis sit, erit igitur pariter invisibilis. Ergo.

466. Resp. Ad 1. *Neg.* Tum quia in Scripturis V. T. nulla instituitur antithesis inter visionem abstractivam Dei ac intuitivam, uti fit in locis a nobis adductis: tum quia sensus traditionalis antiquitatis diverso sensu tum Veteris tum Novi Testamenti loca accepit ac intellexit.

467. Ad 2. *D.* Invisibilis sub aliquibus respectibus Deus in Scripturis praedicatur, *C.* omnimode, *N.* Nempe invisibilem dici Deum Patres docent 1°. oculis corporeis; 2°. in praesentis vitae conditione; 3°. solius naturae viribus: 4°. quatenus *invisibilis* synonymice accipitur cum *incomprehensibilis.* Sicque explicantur duo priora ex Apostolo objecta loca, et Joannis verba. Sane s. Augustinus ita enarrat verba Apostoli: Regi saeculorum etc., *invisibili autem,* inquit [10], *non in saecula saeculorum, sed tantum in hoc saeculo:* eademque ratione exponi debet Joannis textus, uti ostendit Toletus in hunc locum.

468. Ad 3. *Neg. Conseq.* Siquidem graecus textus illud angelorum *desiderium* non ad Spiritum Sanctum, sed ad mysteria refert, de quibus hic egit Petrus dicens: *in quae;* verum et hoc omisso, sic s. Gregorius M. haec praeclare inter se componit, scribens [11]: *Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.*

469. Ad 4. *D.* Sed diversa ratione, *C.* eadem prorsus, *N.* Nam repugnat creaturam finitam infinitam naturam, cujusmodi Deus est, posse comprehen-

[9]) Ep. CXLVIII. n. 7.
[10]) Ep. CXLVIII.
[11]) *Moral.* lib. XVIII. n. 91.

dere; nulla autem est repugnantia, quod creatura, adjuta lumine gloriae, ad Deum intuitive contemplandum admittatur.

470. II. Obj. Patres, inter quos Ambrosius et Hieronymus ex latinis; Chrysostomus, Theodoretus aliique passim ex graecis, aperte negant sive ab angelis sive ab hominibus divinam naturam videri posse. Sic prae caeteris scribit Chrysostomus [12]: *Id, quod est Deus, non modo prophetae, sed nec angeli nec archangeli vident ... creata quippe natura quomodo increatam videre possit?* Ergo.

471. Resp. *Neg. Ant.* Etenim in primis id non inficiatur Hieronymus, cujus verba supra protulimus, quibus aperte dogma catholicum expressit; dum igitur videtur denegare angelis aut beatis visionem Dei, loquitur de visione *comprehensiva juxta naturae suae proprietatem.* De eadem comprehensiva visione loquitur s. Ambrosius, dum eamdem visionem videtur inficiari; prosequitur enim scribens [13]: *Ideo Deum nemo vidit umquam, quia eam, quae in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit.*

472. Neque alia Chrysostomo stetit mens: nam et ipse solam excludit *comprehensionem,* seu *visionem comprehensivam,* uti patet tum ex verbis immediate sequentibus: *Quantum Pater habet de Filio;* tum ex ejus aperta doctrina circa visionem mere intuitivam, quam tradit in *Paraenesi* I. *ad Theodorum lapsum*, n. 11. ubi: *Quid dicetur,* inquit, *quando ipsa veritas aderit? Quando apertis regiis aedibus ipsum regem conspicere licebit: non ultra in aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem, nec ultra per fidem sed per speciem.* Eademque ratione reliqui graeci Patres exponi debent.

473. III. Obj. 1. Creaturae finitae conditio nequit objectum infinitum attingere, cujusmodi Deus est; 2. eo vel magis, quod Deus et creatura in diverso plane ordine sint, ac proinde nulla detur inter facultates nostras et Deum proportio; hinc eadem ratione, qua oculus corporeus non potest videre objectum spirituale, e. gr. angelum, sic nec potest anima videre Deum. Ergo.

474. Resp. Ad 1. *D.* Adeoque nequit Deum attingere *modo infinito, C.* non potest attingere *modo finito,* uti nos adstruimus, *N.* Alioquin nec ullam abstractivam Dei cognitionem habere possemus.

475. Ad 2. *D.* In diverso sunt ordine Deus et creatura, ita tamen ut intercedat inter eos saltem proportio *habitudinis, C.* ut haec excludatur, *N.* Constituta autem hac habitudine inter Deum et creaturam rationalem et intelligentem, fit ut haec habeat, ut loquebantur scholastici, *potentialitatem* ad Deum videndum; adjecto insuper subsidio *luminis gloriae*, idonea redditur ad ejusmodi intuitivam visionem.

476. Quid porro praecise veniat nomine *luminis gloriae*, difficile admodum est determinare. Juxta thomistas hoc lumen consistit in creata aliqua qualitate ad modum habitus animae beatae inhaerente. Juxta scotistas

[12]) *Hom.* XV. *in Joann.* [13]) *Comment. in s. Lucam.*

consistit in caritate ipsa, qua cum justi ex hac vita decedunt, et cujus ope consortes fiunt divinae naturae. Juxta Thomassinum est ipsa Spiritus Sancti hypostasis beatorum mentem intime collustrans. Juxta Petavium est Deus ipse animae beatae conjunctus; et ita porro alii aliam sententiam sectantur, quia ex fidei principiis, praeter existentiam, nihil certi quoad naturam constitui potest. Cum in patriam pervenerimus, divina adspirante gratia, quid sit plane cognoscemus.

PROPOSITIO II.

Beati supernaturaliter Deum non comprehendunt, nec comprehendere possunt.

477. Et haec propositio de fide est; concilium enim lateranense IV. cap. *Firmiter*, hanc dedit definitionem: *Credimus quod sit Deus incomprehensibilis.*

478. Ad penitiorem rei, de qua agitur, intelligentiam, praemittendum est diversam veteres Patres exhibuisse *incomprehensibilitatis* notionem ab ea, quam deinceps scholastici passim, s. Thoma duce, adoptarunt. Etenim veteres, ut ostendit Petavius [1], ad comprehensionem non requisierunt nisi adaequatam rei notitiam, tum scilicet ejus, quod *formaliter* eidem inesse dicitur, tum ejus quod *eminenter* aut *virtualiter* in ea includitur. S. Thomas [2], et cum eo scholastici passim ad comprehensionem praeterea requirunt cognitionem, quae ita exaequet et exhauriat objectum cognitum, ut nihil in eo sit, quod penitus non cognoscatur. Adeoque veteres constituebant comprehensionem in *aequalitate objectiva et intentionali* cognoscentis, ac *repraesentatitia;* scholastici vero eam constituunt in *aequalitate essentiali et entitativa* inter cognoscentem et rem cognitam. Petavius et Vasquezius veterum sententiae adhaeserunt. Nos in hac sententiarum discrepantia veritatem enunciatae theseos argumentis generalibus ex Scriptura et traditione desumptis incomprehensibilitatem Dei protuebimur in quacumque hypothesi.

479. Ac primo Scripturae aperte hanc Dei proprietatem praedicant; Jerem. enim XXXII. 19. Deus dicitur: *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu;* et Apostolus exclamat [3]: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus!* Quo pariter spectant loca illa, in quibus Deus *invisibilis* dicitur; cum vero ex demonstratis intelligi ea nequeant de absoluta *invisibilitate,* restat ut intelligantur de *incomprehensione.*

480. Id ipsum in traditione praedicatum invenimus. S. Irenaeus scribit [4]: *Immensurabilis in corde Deus et incomprehensibilis in animo.* S. Augustinus: *Attingere,* inquit [5], *aliquantum mente Deum magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile.* Sed luculentius adhuc haec veritas

[1]) *De Deo,* lib. VII. cap. 3.
[2]) Part. I. qu. 2. art. 7.
[3]) Rom. XI. 33.
[4]) *Contra haeres.* lib. IV. cap. 19. n. 2.
[5]) *Serm.* CXVII. *de verbis Evang. Joann.* cap. 5.

adstruitur ex principiis a Patribus adversus haereticos constitutis. Ipsi enim 1°. Filii et Spiritus S. divinitatem ex eo colligunt, quod divinitatem comprehendant: uti Chrysostomus [6], Cyrillus hieros. [7], et ante ipsos Irenaeus, qui scribit [8]: *Mensura Patris Filius, qui et capit eum.* 2°. Deum item Spiritum S. esse colligunt ex eo, quod divinam essentiam pariter comprehendat, ut sanctus Athanasius, disputans adversus Arium; Clemens alex., s. Cyrillus alexandr., s. Epiphanius, et s. Ambrosius apud Petavium. [9] 3°. Expresse docent Deum neque ab angelis et archangelis comprehendi posse, ut s. Joann. Chrysostomus, s. Hilarius, aliique.

481. Quapropter jure merito a Nicolao V. et Eugenio IV. probata est proscriptio facta in conc. basileensi propositionis Augustini de Roma, ita se habentis: *Anima Christi videt Deum tam clare et intense, quantum clare et intense Deus videt se ipsum.* Jam vero Christi anima Deum supernaturaliter videt.

482. S. Thomas juxta commemorata principia de aequalitate entitativa inter videntem et visum ad comprehensionem requisita, concludit beatorum animas, licet gloriae lumine perfusas, numquam tamen ad comprehensionem posse pertingere, cum finito modo lumen illud communicetur.

DIFFICULTATES.

483. Obj. 1. Apostolus, I. Cor. XIII. 12: *Tunc,* inquit, *cognoscam sicut et cognitus sum.* Deus porro nos cognoscit comprehensive. 2. Rursum, ibid. IX. 24. fideles sic hortatur: *Sic currite, ut comprehendatis;* ac Philipp. III. 12: *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* 3. Propterea beati comprehensores vocantur. 4. Haec confirmantur ex s. Augustino, qui ita comprehensionem definit [10]: *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt.* At hoc modo Deum beati vident. Deus enim ens simplicissimum est nullisque constans partibus, aut compositione; aut igitur omnino non videtur, aut ita videtur ut nihil videntem lateat. Ergo.

484. Resp. Ad 1. *D.* Cognoscam *simili* cognitione qua cognitus a Deo sum, *C. aequali, N.* Hoc enim sub omni respectu repugnat.

485. Ad 2. et 3. *D.* Per assecutionem termini, *C.* per adaequatam objecti cognitionem, *N.* Duplex siquidem haec est comprehensionis notio.

486. Ad 4. *D. min.* Si fines in Deo concipi possent, *Tr.* vel *C.* si nulli ejusmodi sint aut possint concipi, *N.* Deus enim sub quocumque respectu et absolute infinitus est. Ideo vero s. Augustinus eam praemisit comprehensionis definitionem, ut ostenderet Deum cuicumque intelligenti creatae naturae esse incomprehensibilem.

487. Sic etiam: Deus nullis constat partibus realibus, realique com-

[6]) *Homil. contra Anomaeos.*
[7]) *Catech.* VI.
[8]) Loc. cit. cap. 19.
[9]) *De Trin.* lib. II. cap. 14.
[10]) Ep. CXLVIII. cap. 9.

positione, *C.* virtualibus partibus, virtualique compositione, *N.* Ut constat ex iis quae disseruimus in Tract. de Deo, ubi de simplicitate Dei egimus. Deus igitur totus videtur, sed modo finito, cujus tantum creata mens capax est; et quidem juxta antiquos, quia beati solum vident, quae *formaliter* Deo insunt, non autem quae *virtualiter* et *eminenter;* juxta scholasticos autem, quia etsi Deus videatur totus, non tamen videtur *totaliter,* ut loquitur s. Thomas, *quia modus objecti non est modus cognoscentis;* nempe uti exponit Suarez [11]: *Quia objectum est cognoscibile infinite, et visio non est infinite cognoscitiva.* Et sic caeterae difficultates, quae urgeri solent, dissolvi possunt.

PROPOSITIO III.

Beati pro diversitate meritorum inaequali ratione Deum vident.

488. Haec item proposito de fide est; concilium enim florentinum in *decreto Unionis* statuit: *Sanctorum animas in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum pro meritorum diversitate aliam alia perfectius;* et Tridentinum eum anathemate ferit, *qui dixerit hominem justificatum per bona opera non mereri gloriae augmentum.*

489. Impetit autem Jovinianum, qui uti peccata sic merita paria esse docebat, adeoque parem omnibus fore retributionem. Impetit insuper Lutherum cum suis, qui, quamvis ex diverso principio, in eumdem errorem lapsus est. S. Siricius, in concilio romano, et s. Ambrosius in mediolanensi hunc errorem jamdiu conflixerant.

490. Haec inaequalitas visionis non sumitur ex parte objecti seu rei visae, sed ex parte subjecti seu videntis; adeoque non afficit gloriam essentialem et specificam, sed accidentalem. Idem quippe Deus ab omnibus videtur, et idem principium proximum visionis, lumen scilicet gloriae, omnibus inest, sed in diverso gradu communicatum.

491. Luculenter porro doctrina catholica sic ex Scripturis evincitur: Christus: *In domo,* inquit [1], *Patris mei mansiones multae sunt;* et Apostolus scribit [2]: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum.* In quae verba praeclare haec scribit Tertullianus [3]: *Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?* Sed rursum idem Apostolus scribit [4]: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* et iterum [5]: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet.*

492. Nec alia umquam doctrina in ecclesia viguit. Polycarpus in Actis passionis suae: *Merita mea,* dicebat, *doloris aestimatione pensabo:*

[11]) ***De Deo,*** lib. II. cap. 19. n. 14.
[1]) Joann. XIV. 2.
[2]) I. Cor. XV. 41.
[3]) ***Scorpiac.*** cap. 6.
[4]) I. Cor. III. 8.
[5]) II. Cor. IX. 6.

quanto graviora pertulero, tanto praemia majora percipiam; sic alii martyres passim. S. Hieronymus duos hac de re integros libros Joviniano opposuit. S. Augustinus, expendens verba Apostoli: *Stella a stella differt in claritate; haec sunt,* inquit [6], *merita diversa sanctorum.*

493. Ratio vero theologica est, quia aeterna beatitudo justis redditur uti corona et merces et quidem ex justitia; ubi igitur diversa sunt merita, diversa debet merces rependi; alioquin stimuli ad magna facienda, ac dura perferenda tollerentur, ac praecideretur omnis ad proficiendum via, siquidem his etiam indiget humana fragilitas ut confirmetur.

DIFFICULTATES.

494. I. Obj. Matth. XX. 10. unus denarius et una merces cunctis pariter retribuitur operariis; quamvis alii plus, alii minus in vinea Domini excolenda laboraverint. Ergo eadem omnes gloria donabuntur.

495. Resp. *D. Ant.* Una merces objectiva et essentialis, *Tr.* una merces formaliter et in eodem gradu, *N.* Transmisi primum membrum, quia nondum convenit inter Patres et interpretes in objecta parabola denarii nomine aeternam retributionem significari, cum longe verisimilius sit non agi nisi de gratuita gentium ad fidem vocatione, immo et praelatione judaeis incredulis. Attamen adversarii pro certo sumunt ibi agi de aeterna mercede; quod si negetur, totum ipsorum fundamentum concidit. Verum et hoc transmisso, dicimus ad summum exinde colligi unam futuram omnibus mercedem essentialem et specificam, non autem in pari gradu rependendam.

496. II. Obj. Si beati Deum inaequali ratione viderent, alter esset altero beatior, alter prae alio melius summo bono frueretur; qui proinde minus prae alio videret Deum, eoque frueretur minus, jam non esset perfecte beatus, neque ejus appetitus plene expleretur, posset aliorum majori felicitati invidere. Atqui haec in beatis admitti nequeunt. Ergo.

497. Resp. *Neg. maj.* in sensu adversariorum; nam major aut minor beatitudo non ab objecto viso pendet, sed a subjecto vidente, uti exposuimus; proinde omnes eumdem Deum vident, omnes eodem summo bono essentialiter fruuntur: diversitas igitur et inaequalitas visionis beatificae petitur ex diversa ratione, qua sancti Deum vident, prout copiosiori aut minus copioso lumine gloriae, quo Deus cum ipsis conjungitur, pro ratione anteactorum meritorum, donati sunt. Neque exinde sequitur eos, qui minus clare vident, non esse perfecte beatos, aut non expleri ipsorum appetitum, aut denique aliorum invidere majori gradui gloriae; siquidem optime noverunt collatam ipsis gloriam pro meritis, nec ulterius quaerunt, cum perfectissima flagrent omnes caritate, qua plene Dei voluntati conformes sunt. Praeclare in hanc rem s. Augustinus scribit [7]: *Ita Deus erit omnia in omnibus, ut, quoniam Deus caritas est, per caritatem fiet, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero,*

[6]) *De sancta virginitate,* cap. 26.

[7]) *Tract.* LVII. *in Joann.* n. 1.

quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis.

PROPOSITIO IV.

Animae justorum, quibus nihil luendum superest, non expectata corporum resurrectione neque extremo judicii die, simul ac corpore discedunt, beatifica visione donantur.

498. Definita est haec fidei veritas prius a Benedicto XII. in Const. *Benedictus Deus*, deinde vero a concilio florentino, in *decreto Unionis* his verbis: *Credimus . . . illorum animas, qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam animas, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae corporibus sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est.*

499. Cum satis implicata praesens controversia sit, nonnulla idcirco ad majorem ejus dilucidationem praemittenda sunt.

500. Ac I. Nonnulli antiquissimi haeretici Arabes, quos Origenes plane contrivit, effutierunt animas una cum corporibus interire, ad vitam postremo una cum corporibus revocandas, ut ad beatificam promeritam Dei visionem admittantur. Hunc errorem nonnulli protestantes opera Priestleyi exsuscitaverunt his fere annis. Alii vero autumarunt animas licet purgatas in aliqua requie degere, donec post corporum resurrectionem adipiscantur aeternam beatitudinem, quam interim expectant. Hic error longe lateque disseminatus est apud Graecos photianos, suumque fecerunt Lutherus et Calvinus; vix vero intermortuus, denuo, agente Burneto, inter protestantes novas radices egit.

501. II. Permisceri non debet praesens controversia cum millenarismo, quem sive antiquiores sive recentiores aliqui catholici sectati sunt; siquidem, si paucos excipias, eorum plerique, etsi justis post resurrectionem regnum in his terris tribuant, non inficiantur tamen eos interim admitti ad aeternam beatitudinem visionemque Dei intuitivam, praesertim recentiores chiliastae.

502. III. Neque cum haereticorum sententia confundi debet quaestio, quae sub postremis Joannis XXII. annis inter Minoritas quosdam et Dominicanos agitari coepit. Minoritae enim contendebant immediate quidem animas ex hac vita decedentes in coelum recipi, sed non admitti nisi ad visionem Christi sub forma servi, donec post resurrectionem admittantur ad visionem intuitivam Dei; Dominicani vero propugnabant eas immediate praeterea admitti ad visionem intuitivam Dei. Joannes XXII. rem maturandam dedit praestantioribus aetatis suae theologis, ac ipsemet, quae pro utraque sententia seorsim stare videbantur, sedulo expendit, antequam ad definitionem perveniret.

503. IV. Demum ad obscuriora Patrum dicta intelligenda secerni debet quaestio de immediata post obitum Dei visione ac fruitione a quaestione de

loco, seu beatorum sede, quam alii *paradisum*, alii *Abrahae sinum*, *receptacula* etc. vocarunt.

504. Ex his patet diversa ratione refellendum esse haereticorum errorem, diversa autem Minoritarum sententiam. Satis enim est contra illos testimonia urgere ex Scripturis et Patribus, in quibus fit sermo promiscue tum de Christi tum de Dei visione obtinenda statim post mortem; adversus istos illa praecise adhibenda sunt loca, in quibus de intuitiva Dei visione agitur.

505. Quibus ita declaratis, sic enunciatam catholicam veritatem evincimus. Ac ex Scripturis occurrit Apostolus, qui decretoria plane haec verba habet [1]: *Cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem); audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum.* Igitur, si dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, et optare debemus peregrinari a corpore, ut praesentes simus ad Dominum, evidens est nos immediate post corporis dissolutionem, si nihil obstet, admitti ad Dei praesentiam, ubi non amplius per fidem, sed per speciem, id est, intuitive Deum videbimus. Haec confirmantur adhuc clarius ex verbis praecedentibus: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.* Dissolutio propterea corporis ponitur in nexu causali cum aeterna felicitate in coelis retribuenda, adeoque immediate post mortem. Hinc idem Apostolus de se scribebat [2]: *Coarctor autem a duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos.* Pro certo igitur sumit illico post obitum admissum iri ad Christi consortium. Cum vero ex Pauli sententiis simul collatis idem sit *esse cum Christo* ac videre Deum *in specie*, jure inferimus tum adversus haereticos, tum adversus Minoritarum sententiam, statim post mortem, seu non expectata futura corporum resurrectione, animas evehi ad beatitudinem atque intuitivam Dei visionem.

506. Hanc eamdem veritatem ex Patribus adstruimus. Ex graecis eminet s. Gregorius nazianzenus, qui *Orat.* XI. n. 17. *in s. Gorgoniam sororem suam*, affirmat eam assecutam esse *contemplationem gloriae*, *tum caeterae*, *tum supremae Trinitatis puriorem;* et *Orat.* XVIII. *in s. Cyprianum*, n. 30. in qua adstruit hunc martyrem et in coelo esse, et *sanctae Trinitati adsistere.* S. item Gregorius nyssenus, loquens de Pulcheria, Theodosii imperatoris filiola: *Hinc est,* inquit, *avulsa planta, verum in paradiso consita est. A regno in regnum translata est. . . Quam ille pulcher oculus est, qui Deum aspicit!* Sic s. Joann. Chrysostomus, *Orat. in s. Philogonium*, de beatis scribit: *Illic autem qui adsunt, perpetuo vident* regem Deum, *quatenus illum videre licet, non solum praesentem, verum etiam suae gloriae condecorantem universum coetum.* Graeci proinde in *Menologio* sanctos vita functos

[1]) II. Cor. V. 6. [2]) Philipp. I. 23.

adstare Trinitati dicunt, uti de s. Basilio legitur: *Basili sapiens, qui assistis Trinitati!* Ex latinis satis sit verba s. Cypriani describere ex *Cohortat. ad martyrium*, quae est *Epist.* LVI: *Quae erit gloria, et quanta laetitia admitti ut Deum videas, honorari ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias!* Liber de *Mortalitate* totus de hoc argumento est.

507. Et haec satis sint, ut omittam generalia Patrum principia, quibus haec eadem veritas continetur, quod e. gr. animum assumere martyres debeant ad ferendos cruciatus, quos aeterna beatitudo statim excipiet; quod hoc intercedat inter conditionem sanctorum Veteris et Novi Testamenti discrimen, quod illi diutius debuerint exspectare coelestem beatitudinem ad quam isti statim admittuntur: *Nam antea*, ut scribit s. Joann. Chrysostomus, in *Hom. de ss. Bernice, Prosdoce et Domnina*, n. 3. *mors ad inferos deducebat, nunc autem ad Christum perducit*, quae doctrina universalis apud Patres est.

DIFFICULTATES.

508. I. Obj. Scriptura justorum impiorumque retributionem ad extremum refert judicii diem. Nam Matth. XXV. nonnisi prolata sententia utrisque retributio pro meritis confertur, primum ab invicem separati exhibentur, cum antea permixti fuerint; regnum *electis paratum* solum hactenus dicitur; electis *venite*, reprobis *discedite* in sententia pronunciabitur; concluditur autem: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam;* adeoque tunc primum *ibunt*, non *redibunt* juxta catholicorum sententiam. Haec confirmantur ex parabola zizaniorum, Matth. XIII. 24. quae crescere permittuntur, donec in consummatione saeculi ab angelis separentur; et ex promissione apostolis a Christo facta, Joann. XIV. 2: *Vado parare vobis locum. . . Iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut, ubi ego sum, et vos sitis.* Quapropter denarius diurnus, aeterna scilicet retributio, non datur nisi ad vesperam, seu ad mundi finem. Ergo.

509. Resp. *D. Ant.* Et in Scripturis haec omnia ad extremum judicii diem referuntur ratione retributionis adaequatae reddendae toti *homini, C.* ratione retributionis inadaequatae reddendae animabus corpore exutis, *N.* Haec unica via est ad concilianda objecta Scripturarum loca cum illis, in quibus retributio pro meritis exhibetur danda immediate post mortem, quaeque in probationibus attulimus; alioquin ea inter se componi nullo modo possent, praesertim cum ejusmodi conciliationem universae ecclesiae sensus traditionalis exhibeat, uti constat ex dictis.

510. Inst. 1. Retributio nemini datur ante meritorum discussionem, adeoque statim post uniuscujusque obitum esset particulare judicium instituendum; atqui nuspiam Scriptura nisi de uno universali loquitur judicio. Hinc Apostolus, de Veteris Testamenti sanctis disserens, ait [3]: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes;* et v. 16: *Nunc autem meliorem* patriam *appetunt, id est, coelestem;*

[3]) Hebr. XI. 3.

demum v. 40: *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ergo ex Apostolo nondum definita sors sanctorum utriusque Testamenti est; sed omnes, donec compleatur electorum numerus, seu usque ad consummationem saeculi in suspenso manent. 2. Quapropter Apostolus semper sibi constans de reposita sibi corona scribit [4]: *Quam reddet mihi in illa die justus judex.* 3. Cui consonat s. Joannes, qui: *Scimus*, inquit [5], *quoniam cum apparuerit* (Christus in fine mundi), *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo.

511. Resp. Ad 1. *Neg. min.* Apposite s. Augustinus [6]: *Quis adversus evangelium tanta obstinatione obduruit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae, et in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat, judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet, jam redditis corporibus, judicari?* Sane Apocal. VII. 9. testatur Joannes se vidisse turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, *stantem ante thronum Dei et in conspectu Agni.* Quae certe gloria reddita ipsis non est sine meritorum discussione.

512. Patriarchae porro, de quibus loquitur Apostolus in Ep. ad Hebr.: *Defuncti sunt non acceptis repromissionibus, Dist.* terrenis, *C.* coelestibus, *subd.* ante Christi in coelum ascensionem, *C.* post eam, *N.* Eodem enim Apostolo testante [7], cum Christus descendisset primum in inferiores partes terrae, *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.*

513. Sic etiam: *Nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem, D.* Ita ut particula *nunc* vim exprimat illationis, *C.* tempus significet praesens, *N.* Significat proinde Apostolus his verbis patriarchas non appetivisse patriam terrenam, ad quam si voluissent se conferre, potuissent; ex quo infert, *nunc,* id est, *igitur* cum non terrenam appeterent, patet eos appetivisse coelestem.

514. Demum: *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur, D.* Quoad animam usque ad Christi ascensionem, et quoad corpus usque ad generalem resurrectionem, *C.* quoad solam animam, *N.* Docet scilicet Apostolus meliorem esse conditionem nostram, qui sub Novo Testamento vivimus, quam fuerit veterum sanctorum conditio, qui debuerunt Christi adventum expectare antequam ad coelestem patriam perducerentur, dum nos statim post obitum, si nihil obstat, in illam admitti possumus, reserato per Christi adscensum in coelum aditu.

515. Ad 2. *D.* Toti personae *(mihi)*, *C.* animae, *N.* Uti patet ex dictis.

516. Ad 3. *D.* Etiam quoad corpus glorificatum, *Tr.* quoad animam, *N.* Caeterum plures solidis innixi rationibus contendunt interpretes objecta verba ad intuitivam ipsam Dei visionem referri.

517. II. Obj. Plurium Patrum doctrina est, animas corpore solutas *in custodia* detineri, *donec judex meritorum faciat examen*, ac interim *sitire*

[4]) II. Tim. IV. 8.
[5]) I. Epist. III. 2.
[6]) *De anima*, lib. II. cap. 4. n. 8.
[7]) Ephes. IV. 8, 9.

Dei aspectum, ut s. Hilarius et s. Ambrosius, qui eas aperte suspensas esse affirmat usque ad judicii diem [8]; a quibus non discrepat s. Joann. Chrysostomus, qui de anima corpore soluta affirmat [9], quod *absque carne non accipiet bona illa ineffabilia sicut neque punietur.* Sed neque discrepat Augustinus, qui non solum commemorat passim *receptacula,* in quibus animae usque ad resurrectionem corporum detinentur, sed ancipitem se ostendit [10], *utrum sancti defuncti homines dicendi sint in illa possessione,* in qua jam angeli reperiuntur. Non dissentit demum s. Bernardus, qui in tribus sermonibus *de Sanctis,* et alibi etiam, docet animas *in expectatione quietis sub altari et in atriis* esse, ubi expectant corporum resurrectionem ac tum exultabunt *visione et contemplatione Dei.* Ergo.

518. Resp. *D. Ant.* Plures Patres docuere beatitudinem completam, adaequatam et accidentalem, quae in corporis etiam glorificatione consistit, differri usque ad judicii diem, *C.* incompletam, inadaequatam et essentialem quoad animam, *N.* Differunt nempe objecti Patres a nobis in loquendi potius ratione quam in rei substantia, seu quoad peculiares, si placet, ac proprias ipsorum sententias, ad significandam differentiam, quae intercedit inter beatitudinem, quam habet nunc anima beata ab illa, qua resumpto tandem corpore fruetur.

519. Sane s. Hilarius sic argumentatur [11]: *Si Christus Dei requies est, ergo qui in Christo erunt, erunt in Dei requie.* Dum igitur asserit animas in *custodia* detineri, aut *sitire Dei aspectum,* loquitur de ulteriori et accidentali gloriae gradu, quem consequentur recuperatis corporibus.

520. Sic etiam s. Ambrosius descripta beatitudine coelesti, qua fruitur s. Acholius Thessalonicensium episcopus, concludit [12]: *Et haec omnia jamdudum quidem sibi comperta, sed nunc facie ad faciem manifestata.* Quapropter, in lib. *De Cain et Abel* nihil aliud significat, quam animas adhuc incertas esse de resurrectionis tempore. Quod si praeterea in lib. *De bono mortis* diversarum meminit *mansionum,* in quibus animae degunt, eas tamen collocat in coelis scribens [13]: *Hae sunt habitationes, de quibus dicit Dominus* (Joann. XIV.) *multas mansiones esse apud Patrem suum, quas suis pergens ad Patrem suum praepararet.*

521. S. Joann. Chrysostomus, catholicum dogma luculenter expressit his verbis [14]: *Ne timeas. Confide cum concideris. Neque enim ille dumtaxat te a corruptione vindicat, ac gravi sarcina levat, sed etiam ad Dominum confestim transmittit.* Idcirco in objectis verbis necessitatem dumtaxat adstruit corporis resurrectionis, quia cum corpus animae in laboribus comes fuerit, concludit aut utrumque aut neutrum coronandum, non autem differendam esse animae beatitudinem.

522. S. Augustinus: *Ubicumque,* scribit [15], *sit paradisus, quisquis bea-*

[8]) Lib. *De Cain et Abel.*
[9]) *Hom.* XXXIX. in I. *ad Cor.* XI. 3.
[10]) *Retract.* lib. I. cap. 14. n. 2.
[11]) *In Psal.* XLI. n. 9.
[12]) Epist. XV. n. 4.
[13]) Cap. 10.
[14]) *Hom.* X. in II. *ad Cor.*
[15]) Epist. CLXXXVII. n. 7.

torum ibi est, cum illo ibi est, qui ubique est; et de Nebridio, amico suo nuper defuncto, non solum eum aeterna beatitudine frui dicit, sed sic concludit [16]: *Domine, quem potat ille, nostri sis memor.* Ancipitem proinde se ostendit in adductis verbis; et alibi non de gloria, sed *de loco*, uti etiam jamdiu animadverterat Ludovicus Vives in suis adnotationibus ad s. Augustini opera.

523. Demum s. Bernardus ita luculenter communem doctrinam exponit [17]: *Qui in coelo sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, cohaeredes in gloria, similes in aeternitate jucunda.* Dicendum propterea est in sermonibus illis *De sanctis,* qui objiciuntur, vel locutum s. Doctorem esse de gloria consummata et adaequata obtinenda post corporum resurrectionem, vel de diverso felicitatis gradu ratione diversi status ante et post resurrectionem, cum juxta ipsum animae etiam in gloria *adhuc,* ut ipse loquitur, *resurrectionem sui corporis in fine saeculi praestolantur.* Certe ejus locutiones interdum duriusculae de hoc argumento occasionem praebuerunt controversiae, quae deinceps sub Joanne XXII. excitata est, praesertim ubi scribit in *Serm.* IV. *De sanctis,* n. 1. quod Christus post resurrectionem sit se manifestaturus, *non in forma servi* (ut antea) *sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem et Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis.*

524. III. Obj. 1. Ecclesia ab immemorabili orare in sua liturgia consuevit pro b. Virgine, apostolis, aliisque sanctis; e. gr. in liturgia syriaca antiquissima de sanctis sic legitur: *Deus, praesta eis requiem bonamque memoriam, et potissimum sanctissimae Deiparae Mariae;* et in caeteris liturgiis orientalibus eadem occurrunt. Neque ab illis discrepant occidentales, ut patet ex Sacramentario Gelasii et Gregorii M. nec non ex Missali mozarabico. Cujus rei adhuc vestigia occurrunt in *Secreta* s. Leonis Papae, in qua Deum exoramus, *ut illum beata retributio comitetur.* 2. Huc etiam referuntur orationes et responsoria pro defunctis, in quibus dicitur: *Libera eam de morte aeterna* etc., aut: *Ne absorbeat eas tartarus,* aliaque ejusmodi, quae ostendunt adhuc incertam manere animarum sortem. 3. Sane cum neque sancti V. T. statim admissi fuerint, cumque Christus ipse nonnisi postquam ad inferos descendit, in coelum post resurrectionem conscenderit, aequum est, ut nec nos confestim in coelum admittamur; 4. eo vel magis quod animam glorificari sine corpore ejus comite non deceat; ac 5. misera semper sit quamdiu corporis sui desiderio torquetur. Ergo.

525. Resp. Ad 1. *D.* Ut gloria ipsis accidentalis accrescat, *C.* ut gloria essentialis donetur, *N.* Hic enim sensus contrarius esset ecclesiae ipsius praxi se commendandi in eisdem liturgiis sanctorum precibus.

526. Ad 2. *D.* Quatenus ecclesia in ejusmodi officiis solet rem praeteritam veluti praesentem spectare, *C.* quatenus profiteri intendat incertam adhuc manere animarum pro quibus orat sortem, *N.* Ecclesia enim consuevit

[16]) *Confess.* lib. IX. cap. 3.

[17]) *Serm.* XLII. *De diversis,* n. 5.

in officiis suis ac solemnitatibus se spiritu veluti praesentem sistere mysterio aut facto, de quo agit; uti constat ex ejus officiis de adventu, de natalitiis Domini, aliisque ejusmodi; eadem proinde ratione se gerit in precibus pro defunctis, quos sibi veluti in agone constitutos repraesentat, ut sic etiam praesentes instruat de impendente sibi in mortis articulo agone ac periculo.

527. Ad 3. *D.* Si eadem ratio vigeret in sanctis N. T. quae viguit quoad sanctos Testamenti Veteris; et eadem quae viguit in Christo cum ad inferos descendit, vigeret in nobis, *C.* si diversa plane, *N.* Sanctis justisque Veteris Testamenti ideo expectandum erat, quia nondum reseratum erat coelum per Christum, prout nunc est; Christus vero ad inferos descendit, ut triumphantium more modoque exinde eriperet spolia, seu animas ibi detentas, quae profecto ratio in nobis non est.

528. Ad 4. *D.* Si anima sine corpore capax gloriae non esset, *C.* si capax sit, *N.* Addo animam esse meritorum causam, corpus vero nonnisi instrumentum, quod proinde etiam suo tempore glorificabitur.

529. Ad 5. *D.* Dato etiam, quod anima jugi corporis sui desiderio detineatur, si Deus interim non posset huic desiderio supplere, *Tr.* vel *C.* si abunde supplere possit, *N.* Cum essentiali gloria anima fruatur, torqueri profecto non potest aut misera esse propter ejusmodi desiderium.

530. Dices: Joannes XXII. adeo in sententiam de dilatione visionis beatificae propensus fuit, ut ipsam pene ex cathedra uti unice veram declaraverit. Ergo.

531. Resp. *Neg. Ant.* Nam pius et doctus hic pontifex, cum excitata esset sub finem pontificatus sui haec controversia inter Minoritas et Dominicanos, ut pleniore causae cognitione eam dirimeret, constituit ut documenta omnia, quae alterutri parti contendentium favere videbantur, colligerentur. Haec collecta ut examinarentur Cardinalibus tradidit, ac ipsemet huic discussioni operam dedit. Hac de causa opera malevolorum, schismaticorum praesertim Franciscalium, qui Ludovico Bavaro addicti erant, calumniam Joannes sustinuit apud Philippum Galliarum regem, perinde ac si addictus esset parti neganti visionem beatificam conferendam statim post obitum. Non solum autem pontifex ab impacta atroci adeo calumnia se purgavit, sed praeterea sub vitae finem jamjam editurus erat Constitutionem ad sententiam catholicam definiendam, quod utique fecisset, nisi morte fuisset praepeditus; interim juridice ante mortem coram Cardinalibus et tabellionibus protestatus est se et *habere* et *habuisse* hanc sententiam.

ARTICULUS II.

DE PURGATORIO.

532. Purgatorii nomine status ille expiationis venit, in quo defunctorum animae reperiuntur, donec solutae sint debitis, quibus obstrictae ex hac vita migrarunt, apud divinam justitiam. Debita vero haec vel ex peccatorum

venialium reatu, vel ex reatu peccatorum lethalium quoad culpam dimissorum proveniunt.

533. Adversus purgatorii dogma jamdiu Aërius, saeculi IV. haereticus, deinde vero petrobrusiani, albigenses, waldenses aliique obscuri sectarii medio aevo insurrexerunt. Novatores saec. XVI. istorum nebulonum errores instaurarunt. Lutherus, quamvis ab initio anceps circa hunc articulum haeserit, postea resumptis animis penitus eum rejecit; Calvinus vero, furore veluti percitus, se adversus eumdem articulum quasi in *satanae commentum* patefecit.

534. Duo tantum ab ecclesia de purgatorio definita sunt, ejusdem scilicet existentia, et suffragiorum utilitas erga defunctorum animas. Omnia proinde quae ad locum, tempus, poenarum naturam et acerbitatem spectant, dogma non attingunt; prout nec attingunt, quae ad modum pertinent, quo defunctorum animae fidelium suffragiis juvantur. Nos rata habentes quae juxta ecclesiae sensum communi theologorum calculo probantur (de quibus consuli possunt Bellarminus toto libro secundo *De purgatorio*, ac Walemburgici in *Tractatibus specialibus de controversiis fidei*), quae presse de fide sunt, adversus protestantes propugnamus.

PROPOSITIO.

Datur purgatorium, et justorum animae in eo detentae fidelium suffragiis juvantur.

535. Quoad utramque partem propositio de fide est, ut liquet tum ex fidei professione jussu Pii IV. edita illis verbis: *Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari;* tum ex Tridentino, quod Sess. XXV. in decreto *De purgatorio* tradit ecclesiam constanter docuisse: *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari.* Admonet ibidem episcopos, immo eis praecipit, *ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant... incerta item, vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quamdam ac superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidelium offendicula prohibeant.* Cumque protestantium erroris fundamentum sit, non posse dimitti culpam, quin tota simul remittatur et poena, idcirco idem concilium, Sess. VI. can. XXX. definivit: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae, vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit; anathema sit.*

536. Jam vero catholicam doctrinam tum Scripturarum tum traditionis auctoritate fulciri nullum dubium est. Etenim in Scripturis documentum hujus doctrinae de purgatorio, ac suffragiorum utilitate ex parte viventium,

ineluctabile suppeditat liber secundus Machabaeorum XII. 43. ubi de fortissimi Judae pietate legitur, quod *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum et vanum videretur orare pro mortuis), et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Quae adeo luculenta sunt pro catholico dogmate, ut cum nequiverint adversarii ullis subtilitatibus tenebras illis offundere, se receperunt ad hujus libri canonicam auctoritatem rejiciendam. Quamvis porro ex N. T. nulla decretoria hac de re testimonia occurrant, ea tamen habentur, ex quibus non obscure saltem haec veritas insinuatur. Siquidem Christus ait [1]: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro;* quibus alludit ad receptam penes Hebraeos persuasionem de nonnullorum peccatorum remissione in altera vita. Apposite proinde s. Augustinus: *De quibusdam*, inquit [2], *veraciter non diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc saeculo, neque in futuro, nisi essent* (quidam peccatores) *quibus, etsi non in isto, tamen remittatur in futuro.*

537. Traditio constans, quae de hoc dogmate jugiter in ecclesia viguit, talis est, ut nonnisi contumaces ei obsistere possint. Testes enim hujus traditionis antiquissimi Patres sunt, ac in primis Tertullianus, qui: *Oblationes*, scribit [3], *pro defunctis annua die facimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum,* subdit cap. 4, *si legem expostules Scripturarum, nullam invenies* (quae annuas istas oblationes praecipiat); *traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides roboratrix.* Et alibi passim eadem inculcat. S. Cyprianus, Epist. LXVI. prohibuit, ne fieret *oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus* (scilicet *Victorii* eo quo dFaustinum presbyterum fecerit bonorum suorum administratorem) *in ecclesia frequentaretur;* idque juxta praedecessorum statutum, ut *si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Ab immemorabili igitur in ecclesia africana, adeoque in ecclesia romana receptus erat usus orationes et sacrificia pro animarum defunctorum expiatione offerendi, ac proinde doctrina de purgatorii existentia, et suffragiorum utilitate.

In ecclesia palaestinensi eamdem praxim ac fidem viguisse testis est Cyrillus hieros., qui scribit [4]: *Deinde pro omnibus generatim* oramus, *qui inter nos vita functi sunt, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima.* Eusebius refert [5], oblatum sacrificium esse pro ejusdem imperatoris anima in martyrio, seu ecclesia apostolorum. Quod attinet

[1]) Matth. XII. 32.
[2]) *De civ. Dei,* lib. XXI. cap. 24. n. 2.
[3]) *De corona militis,* cap. 3.
[4]) *Catech. mystagogica,* V. n. 9.
[5]) Lib. IV. *De vita Constantini,* cap. 71.

ad reliquorum Patrum testimonia, supervacanea res esset singillatim proferre, cum vel ipsi haeretici, quos impugnamus, contra se esse aperte fateantur. Calvinus enim in lib. III. *Institut.* cap. 10. scribit: *In eo dico aliquid humani* Patres *passos esse; ideoque ad imitationem trahendum non esse contendo, quod fecerunt;* sic etiam Dallaeus id ipsum confirmat in suis *Instructionibus historicis,* concluditque pariter: *Non est tutum veteres imitari.* Nec aliter se gessit Petrus Vermilius cognomento *Martyr*, in *Ep.* I. *ad Cor.* cap. 3. dum admittit ecclesiam semper orasse pro mortuis.

538. Concilia item eaque antiquissima fidem et praxim ecclesiae circa utrumque articulum patefaciunt. Etenim concilium carthaginiense III. ann. 397. cavet, ut *Sacramenta altaris a jejunis hominibus celebrentur... Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum ... commendatio facienda sit, solis orationibus fiat.* Similia constituuntur in conciliis bracharensi I. cap. 16 et 21, cabillonensi, wormatiensi, etc.

539. Id ipsum praeterea testantur liturgiae omnes tum catholicorum, tum sectarum orientalium, quae a remotissimis temporibus ab ecclesia divisae sunt, cujusmodi sunt liturgiae Jacobitarum, Cophtorum, Armeniorum, Aethiopum, Syrorum, Nestorianorum, Malebaricorum et Chaldaeorum, adeo ut vere scripserit Lebrun, in *Explicat. Missae*, diss. 10. liturgias omnes ante sexdecim saecula editas, *nulla omnino excepta*, memorias et preces habere pro animabus defunctorum.

540. Nil mirum proinde si in epitaphiis seu sepulcralibus inscriptionibus reperiamus passim pacem et requiem defunctis superstites apprecari, ut fuse innumeris prope exemplis ostendit cl. Morcelli. [6]

541. Verum, quod magis mireris, est ipsa confessio adversariorum, quae hactenus dicta confirmat. Siquidem praeter commemoratos Calvinum, Dallaeum, Petrumque Martyrem, antiquae ecclesiae hac in parte consensionem fatentur Bingham, Montagu et Gunning, primus in *Origin. Christ.* [7] Alii apud Starckium in *Convivio Theoduli;* nec non Blanscford, Barow apud Tabaraud, Dr. Molanus apud Bossuetum, Leibnitzius in *Systemate theologico,* aliique quamplures recentiores, qui tum locum expiationis aut *epurationis,* tum preces pro defunctis admittunt.

542. Immo addimus universas pene gentes ejusmodi statum agnovisse expiationis vel ex antiqua traditione vel ipso lumine naturae edoctas, ut omnigena documenta fidem faciunt.

543. Concludendum propterea est tum ex Scriptura, tum ex constanti ac numquam interrupta traditione et ecclesiae praxi, tum ex confessione ipsorum adversariorum, fidem in utrumque propositum articulum de purgatorii existentia, atque suffragiorum utilitate obtinuisse, ac proinde foveri ex hac fide fidelium caritatem erga defunctos, quibus possunt amoris et grati animi sensus argumenta praebere.

[6]) *De stylo inscript. latin.* lib. II. cap. 3. *de epitaphiis.*

[7]) Lib. XV. cap. 3. §. 16.

DIFFICULTATES.

544. I. Obj. Ex neutro Testamento existentia purgatorii ac suffragiorum utilitas adstruuntur; non ex V. T. siquidem 1. unicus qui adducitur locus, ex II. Machab. apocryphus est, ac aliena manu inserta est clausula: *Sancta ergo* etc. 2. Sermo praeterea in eo est de lethali culpa adstrictis, utpote qui surrepta idolorum donaria sub vestibus celaverint. 3. Sequeretur ex adducto loco animas una cum corpore interire et ad vitam cum iisdem corporibus revocari: *Nisi enim*, legitur, *eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, vanum* etc. 4. Agitur de facto personali Judae ac prorsus singulari, cum nulla pro mortuis in lege sacrificia statuta fuerint. 5. Neque demum mens Judae fuit suppetias defunctis ferre illo sacrificio, sed affectum suum in commilitones defunctos patefacere, et Dei vindictam a reliqua exercitus parte avertere. Multo vero minus ex N. T. quidpiam evincitur; nam 6. Christi dictio: *Non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro,* alteri aequivalet quae penes Marcum III. 29. invenitur: *In aeternum*, ac apud Lucam XII. 10: *Non remittetur*, seu *numquam.* 7. Alioquin ex propositione negante affirmans statueretur, quod est contra dialecticen; 8. eo vel magis quod hic agatur de remissione culpae gravis, quae in altera vita nulla datur; 9. nisi dicere velimus leviores culpas in hac vita, graviores in altera remitti, quod est contra catholicam doctrinam. Ergo.

545. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* Siquidem hic nobis utrumque ratum est ex critica Biblica, de qua Professores sacrarum litterarum. Deinde monumentum saltem historicum est ab auctore fere coaevo, qui refert facta publica, et doctrinam ac praxim, quae apud suos obtinebat.

546. Ad 2. Resp. Esto; res enim incerta est, quum non idololatriae causa, sed immoderata cupiditate id fecerint; verum hoc transmisso potuit facti eos poenitere; sermo siquidem est de iis, *qui cum pietate dormitionem acceperant*

547. Ad 3. *D.* Nisi pro judaeorum more conjungeretur dogma de resurrectione cum animorum immortalitate, *C.* si conjungantur, *N.* Porro ex judaeorum more semper utrumque conjungi tum ex Matth. XXII. 31. patet, ubi Christus ait: *Non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacab? Non est Deus mortuorum, sed viventium;* tum ex Apostolo, I. Cor. XV. 32: *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus; cras enim moriemur.*

548. Ad 4. *Neg.* Nam omnes concurrerunt, et quidem ad legis mentem; quamvis enim expresse nulla in lege sacrificia pro mortuis fuerint constituta, comprehendebantur tamen sub generali statuto de sacrificiis pro peccatis juxta sensum synagogae traditionalem, fatente ipso Grotio in *Adnotat. ad Cassandri consultationem*, et eruitur ex illo Ecclesiast. VII. 37: *Mortuo non prohibeas gratiam,* eleemosynis, puta, precibus et sacrificiis.

549. Ad 5. *Neg.* Hae namque merae conjecturae sunt, quae aperta fronte adversantur sacro textui.

550. Ad 6. *D.* Ita tamen, ut quod *collective* dicitur apud alios evangelistas, *distributive* reperiatur apud Matthaeum, *C.* secus, *N.* Ideo vero distributive Christus illam sententiam expressit, quia alludit ad receptam penes judaeos persuasionem de peccatorum remissione tum in hac tum in altera vita, uti ostendit in hunc loc. Maldonatus.

551. Ad 7. Resp. Esto; in familiari vero locutione, qua usus est Christus, non semper ad strictas dialectices leges propositiones exiguntur; habita praesertim ratione allusionis ad communem Hebraeorum fidem, de qua nuper diximus.

552. Ad 8. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Complectitur enim Christus et culpam et poenam, ut constat ex Marco, ubi de blasphemo in Spiritum S. dicitur *reus aeterni delicti,* seu aeternae poenae, quae peccatum subsequitur, uti etiam exponunt exegetae protestantes Grotius, Griesbachius et Kuinoel. Sensus itaque est: peccatum in Spiritum S. non remittetur quoad culpam et quoad poenam neque in hoc saeculo neque in futuro, ad discrimen caeterorum peccatorum, quae si levia fuerint, et in hoc et in altero saeculo remittentur; si autem gravia, remittentur quoad culpam in praesenti vita, quoad poenam etiam in altera.

553. Ad 9. *Neg.* Ex dictis enim id non sequitur.

554. II. Obj. Scripturae medium hunc expiationis statum excludunt. Ac 1. iis omnibus in locis, in quibus duplex dumtaxat status defunctis assignatur, e. gr. Matth. XXV. 24 seqq.: *Venite benedicti... discedite maledicti;* et Ecclesiastae IX. 10: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem ... ibi erit.* 2. In iis, in quibus haec duplicis status immutabilitas illico post mortem incurrenda praedicatur; sic Luc. XVI. 22. legitur: *Factum est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno;* ibid. XXIII. 43. Christus pio latroni paradisum promisit eadem die obtinendum; Joann. autem V. 24. idem Christus de credente in se ait: *Transit a morte ad vitam;* ac generatim de iis, qui in Domino moriuntur, Apoc. XIV. 13: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis,* graece *ex nunc, illico,* etc. In iis, in quibus summa Christi meritorum efficacia commendatur, uti Hebr. X. 14: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos,* quin aliis precibus aut sacrificiis opus sit; etenim *Sanguis J. C... emundat nos ab omni peccato,* ut scribit s. Joannes, I. Ep. I. 7. Quod 4. congruit cum eo quod Deus, Ezech. XVIII. 21. testatur: *Si impius egerit poenitentiam... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Ergo.

555. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Post extremum judicium, *C.* ante illud, *subd.* quoad animas plene purgatas, aut lethali culpa adstrictas, *C.* quoad reliquas juxta dicta, *N.* Et sic solvitur, quod ex Matthaeo objicitur. Quoad reliquos textus, in quibus status immutabilitas adstruitur, resp. eos intelligendos de merito vel demerito, ac in ordine ad resipiscentiam, non autem de contracti in vita debiti solutione, de qua nos agimus.

556. Ad 2. *D.* Si nihil obstet, *C.* si quid adhuc luendum supersit, *N.*

Nihil enim *coinquinatum* in coelum intrat, sive reatu culpae sive reatu poenae. Si quis proinde vel levi culpa obstrictus ex hac vita decesserit, vel poena, peccatis dimissis, debita et non soluta, tamdiu in purgatorio detinebitur, quamdiu non solverit *usque ad novissimum quadrantem.* Cum igitur et Lazarus et pius latro debita sua persolverint, ideo dilata eis non est retributio; nec differetur iis omnibus credentibus in Christum, qui plene expiati ex hac vita decesserint.

557. Ad 3. *D.* Christus ut causa meritoria consummavit in sempiternum sanctificatos, ejusque sanguis emundat nos ab omni peccato ex se, *C.* quoad nos, *subd.* si nobis rite ejus pretium fuerit applicatum, *C.* secus, *N.* Alioquin neque infernus daretur, si nimis objecta loca urgerentur. Quemadmodum igitur satisfactio Christi non excludit bona opera nostra, sic neque excludit satisfactiones nostras.

558. Ad 4. *D.* Quoad reatum culpae et poenae aeternae, *C.* quoad reatum poenae temporalis, *subd.* interdum, caritate aut contritione perfecta interveniente, *C.* semper, *N.* uti suo loco ostendemus.

559. III. Obj. Patres docent 1. Nullam esse in altera vita peccatorum remissionem, ut s. Joann. Chrysostomus [8], qui negat quempiam posse post hanc vitam *commissa diluere;* s. Hieronymus [9], qui affirmat *unumquemque portare onus suum* absque remedio. 2. Docent nullum ibidem dari poenitentiae locum, ut Cyprianus, Ambrosius et Augustinus, atque ut in Augustino sistamus, ipse scribit [10]: *Requiem, quae continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, cum moritur.* Quapropter in *Enchiridio,* c. LXVIII. cum verba Apostoli: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* de tribulationis igne hac in vita exposuisset, cap. seq. subdit: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est; et utrum ita sit, quaeri potest;* ex quibus patet saltem ancipitem ac dubium circa purgatorii existentiam s. Doctorem haesisse, prout etiam ex aliis ejus testimoniis constat. Ergo.

560. Resp. Ad 1. *D.* Quatenus in statu termini nulla datur peccatorum lethalium remissio quoad culpam, *C.* quoad poenam de qua nos agimus, *N.* Adhortantur enim peccatores quemadmodum et in praesentia concionatores nostri, ut dum in via adhuc sunt, resipiscant, quia cum ad terminum pervenerint nullus erit amplius resipiscentiae salutari ac proinde remissioni locus.

561. Ad 2. Eadem esto distinctio, cum eadem sit ratio ejusmodi locutionum. Quod speciatim attinet ad primum Augustini objectum testimonium, responsio patet ex adjecta conditione, *si ea dignus est;* alioquin aut excidet omnino a gloria et requie, aut debitum, si quod superest, expiare debebit antequam ad illam admittatur. In altero autem testimonio se dubium exhibet s. Doctor non circa existentiam purgatorii, sed circa poenae qualitatem,

[8]) *Hom. de Lazaro,* n. 2.
[9]) Lib. III. in cap. 5. *Epist. ad Galat.* n. 10.
[10]) Epist. XCI. et *Tract.* XLIX. *in Joann.*

utrum scilicet in igne materiali ea consistat nec ne, de quo nihil definivit ecclesia umquam, et utrum adducta Pauli verba ad purgatorium referantur. Caeterum s. Augustinum numquam sive de purgatorio, sive de fidelium suffragiis dubitasse evincunt tum ea quae de s. Monicae funere scribit [11], ubi refert preces ad Deum fusas, *cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri;* tum ea quae habet *Serm.* CLXXII. *de verbis Apostoli,* ubi de suffragiis pro defunctis disserens: *Hoc enim,* inquit, *a Patribus traditum universa observat ecclesia.*

562. IV. Obj. 1. Origo opinionis de purgatorii existentia suffragiorumque utilitate a paganismo repeti debet; 2. aut ex naturali saltem quodam nobis insito in defunctos pietatis ac amoris sensu, quo facile illudimur. Ergo.

563. Resp. Ad 1. *Neg.* Nos utrumque articulum tum ex Scriptura tum ex traditione ostendimus. Paganismi seu potius gentium omnium hac in parte consensio et conspiratio evincit tum hanc doctrinam in ipsa quodammodo natura fundari, seu eidem maxime consentaneam esse, tum ex antiqua primaeva verae religionis traditione, deinceps plus minus foedata ad illas pervenisse.

564. Ad 2. *D.* Si de privatis individuis ageretur, *Tr.* si de publica, solemni, ac pluries asserta universae ecclesiae doctrina et praxi agatur, *N.* Aurea s. Augustini regula huc refertur, quam tradit [12]: *Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Naturalis porro ille amoris ac pietatis sensus, de quo adversarii loquuntur, unice evincit quam dura ac inhumana sit protestantismi indoles, qui pias omnes affectiones intercipit atque extinguit, ac longe melius catholicismum humani cordis naturalibus ac rectis propensionibus accommodatum esse, foverique per eum caritatis vinculum, quod neque morte ipsa dissolvitur.

ARTICULUS III.

DE INFERNO.

565. Inferni nomine significamus statum illum, in quo daemones una cum reprobis omnibus aeternum plectuntur. Inferni existentiam increduli ac materialistae omnes inficiantur. Ejusdem aeternitatem praeter origenistas et obscuros aliquot sectarios, *misericordes* nuncupatos, quorum meminit Augustinus, anabaptistae, quibus jam accesserunt sociniani, ac protestantes non pauci una cum rationalistis denegant. Olim siquidem protestantes pugnarunt contra ecclesiam pro solo inferno, nunc contra eamdem pugnant pro solo purgatorio, seu inferno temporario et expiatorio.

566. Ex his qui infernum temporalem propugnant, alii contendunt cum antiquis origenianis reprobos post magis minusve diuturnam expiationem ad

[11]) Lib. IX. *Confess.* cap. 12. n. 32.

[12]) *De Bapt. contra Donatist.* l. IV. c. 14.

aeternam felicitatem admissum iri; alii vero aut statim aut paulo post obitum, aut saltem post extremi judicii diem in nihilum impios redigendos autumant. Alii demum qualitatem ac naturam tantum poenarum, quibus cruciari impii dicuntur, impetunt.

567. Ut autem et in gravissimo hoc argumento, quae de fide sunt, ab iis secernamus, quae eamdem non obtinent certitudinem, dicimus, duo tantum definita ac de fide credenda circa infernum proponi; ac primo quidem inferni existentiam; secundo aeternitatem poenarum. Caetera vero omnia, quae sive ad locum spectant, sive ad poenarum positivarum naturam ac qualitatem, intensitatem, etc. nullo umquam ecclesiae decreto sancita sunt, ac plures etiam variaeque olim viguere sententiae, uti ostendit Petavius, *De angelis*, lib. III. c. 5. cui alii adstipulantur.

568. Licet vero nos communi certaeque sententiae adhaereamus de materiali igne, qui torqueat in inferno reprobos, utpote sensui ecclesiae in Scripturis fundato consentaneae; ne tamen quae fidei sunt cum illis permisceamus, quae de fide non sunt, cumque nobis propositum sit fidei dogmata adversus incredulos, rationalistas, haereticosque tueri, ideo aeternitatem poenarum prius in divina revelatione edoceri, deinde rectae eam rationi non adversari unice demonstrandum suscipimus.

PROPOSITIO I.

Daemonum hominumque impiorum poenae aeternae sunt.

569. De fide propositio est, uti ex anathemate constat inflicto ab oecumenica synodo V. origeniano errori: *Temporanea esse daemonum et impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura; atque impios ac daemones in priorem suum statum restitutum iri;* nec non ex symbolo athanasiano, quod ita concluditur: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum.*

570. Terribilis porro haec veritas tum in Scripturis tum in divina traditione continetur. Scripturae tres testimoniorum classes suppeditant ad quodvis dubium circa hoc dogma tollendum.

Prima classis complectitur loca omnia, in quibus impiorum poenae expresse *aeternae* dicuntur. Ex V. T. inter caetera illa verba occurrunt apud Daniel. XII. 2: *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper,* seu ut legitur in vers. alex. *in contemptum aeternum.* Ex N. T. praesto est futura Christi sententia, Matth. XXV. 41: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* concluditur autem v. 46: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* In his porro testimoniis non solum *aeternae* poenae impiorum asseruntur, sed ita ut conferantur cum *aeterno* justorum praemio, quod presse aeternum fore adversarii plane fatentur.

571. Altera classis illis testimoniis constituitur, in quibus haec eadem poenarum aeternitas per *negationem finis* exprimitur. Ex V. T. nota sunt,

quae leguntur Is. LXVI. 24: *Et vermis eorum* (damnatorum) *non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Ad haec alludit Joannes Baptista in N. T., Matth. III. 12. ubi de Christo ait: *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem* (impios) *comburet igni inextinguibili;* et apertius adhuc Christus, Marc. IX. 42 et seqq.: *Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam; bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.* Quod si vermis *non moritur*, si ignis *non extinguitur*, sine fine igitur erunt comminatae impiis poenae.

572. Tertia denique classis illis locis constat, in quibus *immutabilis* impiorum status perhibetur non secus ac justorum. Jam vero in V. T. pervulgata sunt Ecclesiastae verba, cap. XI. 3: *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* ex N. T. nota pariter sunt Christi verba, Matth. XII. 32: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; quicumque autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.* Nec minus luculenter id ipsum adstruitur, ubicumque reprobi vocantur *vasa irae et contumeliae, vasa irae apta in interitum; ira Dei manet super illos; regnum Dei non consequentur;* aliaque ejusmodi quae in Scripturis passim occurrunt, quae effugium omne excludunt.

573. De traditionali universali constantique ecclesiae sensu constat 1°. ex origeniani erroris damnatione. Vix enim Origenes novum hoc inauditumque commentum effutiit de cessatione poenarum sive daemonum sive impiorum, ut illico unanimi consensu nova haec doctrina uti *haeretica* fuerit conclamata ab universa ecclesia. Constat 2°. ex Patribus omnibus, qui sive ante sive post origenistas floruerunt, quique apud Petavium [1], unanimes sunt in *poenis sempiternis, igne inextinguibili, tormentis sine modo aut ullo termino, aeterno igne* etc. asserendis. Atque ut aliquod specimen exhibeamus, Clemens rom. in *Fragm.* apud Cotelerium [2]: *Poena sempiterna*, scribit, *ab inextinguibili igne punitae* animae, *neque morientes, magno suo malo, nullum finem obtinere possunt.* Justinus M. scribit [3]: *Quem* (diabolum) *in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius et hominibus, qui eum sequuntur, in aeternum puniendos, Christus ante significavit.* S. Irenaeus: *Quibuscumque,* inquit [4], *dixerit Dominus: Discedite... isti erunt semper damnati, et quibuscumque dixerit: Venite... hi semper percipient regnum.* Tertullianus: *Enim vero,* scribit [5], *nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus... et pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni eum timentes,* etc. Et haec attulisse satis sit, ut Patrum mens cognoscatur. Constat 3°. ex martyrum responsionibus, qui cum urgerentur ad diis sacrificandum, id recusabant, ne incurrerent *poenam per-*

[1]) *De angelis,* lib. III. cap. 8.
[2]) Tom. I. pag. 447.
[3]) Apolog. I. cap. 28.
[4]) *Contr. haeres.* lib. IV. cap. 28.
[5]) Apolog. cap. 48.

petuam; ut legitur in Actis s. Julii; vel ne irent *in aeternum interitum, in aeternum supplicium, in ignem aeternum,* ut habetur in Actis s. Felicitatis et ejusdem filiorum; sacrificantes siquidem diis *tormenta manebunt aeterna,* ut legitur in passione s. Maximi, et quia *mortis aeternae mercedem et inexplicabiles sine termino cruciatus* apostatae acquirent, ut dicitur in actis s. Victoris. Et ita porro.

574. Ex his proinde luculenter patet constantem universalem, perpetuam ejusmodi traditionem in ecclesia viguisse de poenarum aeternitate, quibus sine fine impii cum daemone cruciabuntur. Nec esset difficile, quatenus opus esset, ostendere etiam apud gentes omnes tum antiquas tum recentiores doctrinam hanc persuasionemque obtinuisse ex primaeva traditione in omnes populos diffusa, prout adductis documentis patefacit Patuzzi Ord. Praed. in op. *De futuro impiorum statu*, toto libro tertio; adeo ut verissimum sit christianam religionem nihil novi circa hoc dogma intulisse praeter medium hactenus ignotum, quo scelestissimi quique possint vel sub ipso mortis articulo ab aeternis illis cruciatibus eripi, coelique compotes in aeternum fieri.

DIFFICULTATES.

575. I. Obj. 1. Si Scripturae intelligantur de aeternitate proprie dicta, significant totalem impiorum destructionem, quae profecto aeterna est, eamque insinuant voces, quibus impiorum damnatio exprimitur, scilicet *perditionis*, *interitus* ac *mortis,* quae destructionem important. 2. Quod si intelligantur de aeternitate improprie dicta, de longa scilicet ac diuturna duratione, quo sensu saepius in sacris libris aeternitatis vox usurpatur, tunc finem poenae habiturae sunt. 3. Quo sensu scripsit sanctus Judas in Epist. sua v. 7: *Sicut Sodoma et Gomorrha . . . factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes*, cum tamen brevissimo tempore ignis ille perduraverit. Ergo.

576. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem Scripturae non solis vocibus *perditionis, interitus* ac *mortis* impiorum damnationem designant, quae sensum negativum admittere possent, sed vocibus praeterea, quae *positivam* poenam significant, cujusmodi sunt *ignis, tenebrae exteriores*, *stridor dentium*, *vermis, sitis*, aliaeque ejusmodi. Ideo vero *interitus* quandoque sive *perditionis* et *mortis* verbis impiorum damnatio exprimitur ad significandam infelicem illorum conditionem, quae perpetuae morti assimilatur. Sane Apostolus de infidelibus scribit [6]: *Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini;* quibus utrumque conjunxit, interitum scilicet aeternitatemque poenarum. Cujusmodi etiam sit futura impiorum mors exponit s. Joannes, scribens [7]: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure.*

577. Ad 2. *D.* Si latiorem ejusmodi aeternitatis ac impropriam significationem admitterent adducta Scripturarum testimonia, in quibus sermo est de impiorum poena, *C.* si non admittant, immo excludant, *N.* Excludere

[6]) II. Thess. I. 9.

[7]) Apocal. XXI. 8.

autem impropriam significationem adductos textus liquet ex eo, quod poenae impiorum dicantur *sine fine, sempiternae*, *ignis* quo torquentur *inextinguibilis*, et *vermis non moriens;* atque etiam ex antithesi, quae perpetuo instituitur inter felicitatem sanctorum aeternam, aeternumque impiorum supplicium. Quando vero improprie usurpetur aeternitatis vox, ex substrata materia colligitur, quae veram aeternitatem non patitur.

578. Ad 3. *D.* Si spectetur ignis ille in se, *C.* si in suis effectibus, ac prout typus ignis aeterni extitit, *N.* Dicitur igitur *aeternus* ignis ille, quo Sodoma et Gomorrha consumptae sunt, ob duplicem effectum, ob incolarum consumptionem in perpetuum, et ob indelebilia signa, quae reliquit; sub utroque autem hoc respectu etiam spectatur a s. Juda uti typus ignis aeterni, quem patientur impii, prout vel ipsi adnotant *critici sacri* in hunc locum.

579. I. Inst. Atqui Scripturae 1. saepe negant divinam ultionem fore aeternam; sic Ps. LXXVI. 8. dicitur: *Numquid in aeternum projiciet Deus?* et Ps. CII. 9: *Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.* 2. Exitum seu finem interdum impiorum poenis promittunt, ut Is. XXIV. 22. ubi de impiis in die judicii dicitur: *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur*; et alibi passim. 3. Docent servandam inter poenas et culpas proportionem etiam in duratione juxta illud Marc. XII. 40. ubi de pharisaeis ait Christus: *Hi accipient prolixius judicium.* Et haec cohaerenter ad Pauli doctrinam, Rom. V. quod magis Christi hominibus redemptio profuerit, quam nocuerit Adae peccatum, quod falsum esset in hypothesi de aeternitate poenarum. Ergo.

580. Resp. Ad 1. *D.* in hac vita, *C.* in altera vita, si de reprobis sermo sit, *N.* Objecta autem Scripturae testimonia, aliaque ejusmodi, quae afferri solent, de ultione unice loquuntur, quam Deus de peccatoribus sumit in his terris, adeoque frustra urgentur ad aeternitatem poenarum in altera vita impetendam.

581. Ad 2. *Neg.* Ad textum vero Isaiae, *D.* Post multos dies impii visitabuntur ad punitionem, *C.* ad liberationem, *N.* Verbum visitandi cum duplicem sensum habeat, ita ut et in bonam et in malam partem usurpetur, exinde difficultas orta est in hujus loci expositione. Origenianistae in bonam partem, reliqui omnes sive antiqui sive recentiores interpretes in malam partem accipiunt. Praeter Patres et catholicos expositores vel ipsi protestantes rationalistae in sensum punitionis accipiunt, inter quos Rosenmüller in hunc locum scribit: *Sensus est sceleratos multos etiam dies fore torquendos, id est, numquam futurum esse poenarum terminum.* Eamdem praebet expositionem R. Aben-Ezra. Et sane eam postulat series ipsa orationis. Circa *modum*, quo haec visitatio fiat ad ulteriorem ultionem sive perpetuam, non consentiunt expositores inter se. Nobis satis est ut unanimes sint in sententiae sensu.

582. Ad 3. *Neg.* Quod de proportione quoad durationem servandam

inter culpas et poenas asseritur, neque ea conficitur ex Marc. XI. 40. Perinde enim valet *prolixius judicium* ac *major damnatio,* ut in loco parallelo, Luc. XX. 46. Itaque tota proportio est in poenae acerbitate juxta illud Sap. VI: *Fortioribus fortior instat cruciatio.*

583. Ad 4. Quoad effectum, *C.* quoad extensionem, *N.* Confert scilicet Apostolus in objecto loco effectus seu fructus, quos nobis contulit Christi redemptio, et effectus quos Adae peccatum peperit. Peccatum scilicet originale intulit Adam in mundum, Christus vero redemptione sua nos et ab illo et a peccatis actualibus pene innumeris liberavit, et gratia sua uberrima communivit. Sed quoad extensionem longe plures invasit Adae peccatum, quam se protenderit Christi redemptio, nempe actu. Idque ob plurimas causas extrinsecas quae redemptionis applicationem impediunt. Quum propterea nihil prosit damnatis Christi redemptio, fit ut eorum reprobatio aeterna sit.

584. II. Inst. Quamvis Deus aperte in Scripturis aeternas comminatus fuerit poenas, jus tamen sibi non ademit eas mitigandi, aut etiam absolute damnatis ignoscendi. Hoc enim discrimen interponitur inter promissionem et comminationem, ut promissor alteri jus tribuat saltem ex fidelitate exigendi quod promissum est, comminator vero jus penes se teneat minas remittendi aut ex toto aut ex parte, uti pluries revera Deum fecisse ex Scripturis novimus. Nihil igitur impedit, quominus aliquando piissimus Deus damnatis indulturus sit. Ergo.

585. Resp. *D. A.* Si Dei decretum, quod habet pro objecto poenas aeternas, comminatorium tantummodo esset, *Tr.* si absolutum sit, *N.* Porro in hoc adversarii decipiuntur, dum autumant nonnisi comminatorium esse Dei decretum poenarum reprobis infligendarum, cum tamen absolutum sit, ut patet ex verbis, quibus Christus Matth. XV. exprimit sententiam olim proferendam adversus reprobos: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* Comminatio praeterea fit in ordine ad resipiscentiam delinquentis, porro resipiscentiae salutaris reprobi in termino constituti capaces non sunt. Quod si absolutum Dei decretum est, debet suae veracitati et fidelitati ut executioni mandetur. Demum quod praecipue prae oculis haberi debet, est ecclesiae fides, ex qua novimus hoc decretum esse irretractabile. Omnes proinde conjecturae ex se concidunt.

586. III. Inst. Scripturae ipsae illis conjecturis fundamentum praebent. 1. Etenim ex I. Cor. XV. 22 seqq.: *Illi omnes vivificandi sunt in Christo, qui mortui sunt in Adam;* adeoque et impii. *Destruenda est mors,* adeoque etiam *secunda mors* impiorum, de qua loquitur Joannes, in Apocal. XX. 14. Regnaturus Christus est in omnes, ita ut *Deus sit omnia in omnibus,* ac propterea etiam in impios redemptos. 2. Ex apostolo Petro, qui de Christo scribit [8]: *Quem oportet coelum suscipere usque in tempora restitutionis* (graece *ἀποκαταστάσεως*) *omnium,* id est, donec reparentur plene etiam damnati

[8]) Act. III. 21.

tum quoad culpam tum quoad poenam. 3. Hac de causa s. Joann. Apoc. XX. 5. commemorat resurrectionem *primam* justorum in ordine ad resurrectionem *secundam* impiorum, qui reipsa *secundam* mortem incurrerunt ex eodem, v. 14. et proinde concludit, ib. c. XXI. 5: *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia;* id est, omnia renovo et in pristinum statum restituo. Ergo.

587. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. Negamus hic Apostolum vel loqui de vivificatione impiorum, aut de mortis secundae destructione, de qua Joannes, aut de regno Christi et Dei conflato ex reprobis; hae siquidem omnes interpretationes gratuitae sunt et alienae ab Apostoli mente et scopo. Agit enim Paulus in objecto loco de Christi resurrectione, ac resurrectione gloriosa electorum, cujus Christus causa est meritoria, efficiens et exemplaris. Cum enim electi in Christo renati fuerint, et gloriam adepti; postquam destruxit in illis peccatum, eos liberavit a vexatione daemonum et impiorum, tandem eos a morte liberabit per futuram resurrectionem, qua mortem ipsam destruet in perpetuum, et cum illis uti caput membris suis conjunctum in coelo cum Deo regnaturus est, et sic in his electis erit Deus omnia in omnibus. De impiis potius dicitur ibid., quod subjicientur una cum daemonibus sub pedibus ejus, nempe Christi.

588. Ad 2. *Neg.* Sed ipsis assentientibus interpretibus protestantibus, genuinus verborum Petri sensus est, Christum non esse visibiliter venturum *usque ad finem mundi*, cum judicare venerit vivos et mortuos.

589. Ad 3. *D.* Commemorat Joannes resurrectionem *primam* justorum in ordine ad beatitudinem saltem inadaequatam consequendam, *Tr.* in ordine ad resurrectionem *secundam* impiorum ex morte *secunda*, *N.* Haec Apocalypseos verba, quae occasionem praebuerunt millenariorum sententiae, satis difficilis interpretationis sunt; et alii ea exponunt de beatitudine inadaequata, quam prius assequentur justi, plenam et adaequatam postea recepturi; alii de ordine temporis, quatenus prius justi, quam impii resurgent; alii alia ratione. Quaevis admittatur, perinde est ad rem nostram. Nam certum est ex contextu, ibi nullam, quam autumant adversarii, impiorum a secunda morte resurrectionis mentionem fieri, immo diserte eam excludi; de reprobis siquidem, ibid. XX. 10. legitur: *Cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum... Et qui non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* De solis electis porro, seu de iis, *qui vicerint*, dicitur: *Ecce nova facio omnia.*

590. II. Obj. Haud pauci ex antiquioribus Patribus Origeni adhaeserunt circa futuram impiorum reparationem; ex graecis eminent uterque Gregorius nazianzenus et nyssenus, ex latinis Ambrosius, Ambrosiaster, atque Hieronymus. His adjici possunt s. Justinus et s. Irenaeus. Ille enim de animabus impiorum scribit [9], eas puniri *quamdiu eas esse et puniri Deus voluerit;* iste

[9]) *Dial. cum Tryphone*, n. 5.

affirmat [10], has animas, quamdiu *perseverare eas Deus et esse et subsistere voluerit.* Ergo.

591. Resp. *D. A.* Ita tamen ut si quid minus caute ipsis exciderit, id postea emendaverint, *C.* secus, *N.* Fatendum utique est nonnullos Patres interdum nimis Origenis vestigiis institisse; ast et illud pariter verum est, eos se recepisse ac dogma catholicum in sua puritate aperte docuisse.

592. Sane s. Gregorius naz. scribit [11], damnatos a Deo projectos esse, ut *inustam in conscientia sempiternae ignominiae notam gerant... nullumque illis locum esse poenitentiae, neque morum emendationi.*

593. S. Gregorius nyss. in *Orat. adversus eos qui castigationem aegre ferunt*, de anima damnati affirmat, quod ipsa sit *luctu numquam finituro ac insolabili in aeternum luens,* et alibi passim.

594. S. Ambrosius ita catholicam veritatem profitetur [12]: *Scientes igitur in aeternum mansura judicia omnia justitiae Dei, caveamus ne opera nostra displiceant, et in aeternum incipiamus subire judicium;* quod et alias inculcat.

595. S. Hieronymus de impiis scribit [13]: *Detrahentur in gehennam, ibique aeternis cruciatibus deputati, potentiam et superbiam miseria cernent et humilitate mutari.*

596. Quod vero attinet ad s. Justinum, ipse id unice in objecto loco contendit, immortales non esse animas eadem ratione, qua immortalis Deus est, cum non habeant nisi immortalitatem communicatam. Ast in *Apologia* I. n. 28. ubi dogma catholicum, de quo agimus, profitetur, scribit: *Qui improbe vivunt, nec immutantur, eos igne aeterno credimus puniri.* Idem dic de s. Irenaeo, qui de reprobis agens ait [14], in ipsos pronunciandam sententiam: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum,* subditque: *Isti erunt semper damnati.*

597. Inst. Potest saltem damnatis levamen aliquod ex orationibus fidelium provenire, prout fusas hunc in finem preces, seu *ut tolerabilia fiant ipsa tormenta*, certissima documenta suppetunt. Ergo.

598. Resp. *N. A.* Neque obstat a nonnullis privatis interdum hanc persuasionem adeoque praxim esse adoptatam de utilitate orationum ad levamen poenarum, quibus reprobi subjiciuntur, nec enim attendere his debemus; si ecclesia et contrarium senserit ac numquam id probaverit, haec regula fidei nostrae est inconcussa. Porro ecclesia, teste s. Augustino [15], numquam pro damnatis orare consuevit, sive ut finem sive ut levamen suarum poenarum acciperent. Quaecumque in contrarium afferri possent spernenda sunt, utpote ab ecclesiae sensu abhorrentia et praxi.

[10]) *Cont. haeres.* lib. II. cap. 34.
[11]) *Orat.* XV. n. 30.
[12]) *Enarr. in Ps.* CXVIII.
[13]) *Comment.* in cap. 5. *Is.*
[14]) Loc. cit. cap. 28. n. 2.
[15]) *De civit. Dei,* lib. XXI. cap. 24. n. 1.

PROPOSITIO II.

Dogma de aeternitate poenarum rectae rationi minime adversatur.

599. Poenarum aeternitas, quibus impii afficiuntur, ex revelatione divina constat; fieri itaque non potest, ut veritas haec rectae rationi adversetur, ut per se patet.

600. Praeterea poenae, quibus damnati subjiciuntur, aut *privativae* sunt, aut *positivae;* porro tantum abest, istarum poenarum aeternitatem humanae rationi adversari, ut ab ipsa quodammodo exposci videatur. Et sane ad poenam *privativam* quod spectat, quae in privatione aeternae felicitatis consistit seu in amissione Dei summi boni, quaeque etiam *damni* appellari consuevit, aeternam eam esse debere exinde liquet, quod peccator sciens lubensque eam per culpam lethalem incurrerit, aeternae felicitatis voluntaria jactura. Hac autem semel amissa, nisi ipsam denuo recuperet, aeternum ea privatus existet; uti si quis semel utroque se oculo privaverit, nisi ei oculi restituantur, in perpetuum caecus perseverat. Jam vero ex se damnatus jacturam hanc recuperare non potest; Deus nullatenus ad illius restitutionem tenetur, prout non tenetur oculos restituere insano illi, qui se luminibus privaverit. Ergo.

601. Poena *positiva* alia intrinseca est ac sponte ex privativa profluens, alia vero extrinseca et in inflictione cruciatuum seu doloris consistit. Prior autem necessario oritur et exsurgit ex poena privativa seu poena damni, cum fieri nequeat moerore, tristitia, odio, desperatione, etc. damnatos non affici, conscientiae praeterea angore ac remorsu ex male factis: hoc sensu vermis intelligitur, quo perpetuo impii excruciantur. Posterior vero facile concipi potest ex ipso justitiae ordine, qui postulat ut quispiam iis plectatur, quibus, dum viveret, abusus est quibusque sibi damnationem conscivit; atque uti rite ratiocinatur s. Thomas [1]: *Sicut recte agentibus debentur bona, ita perverse agentibus debentur mala; sed illi, qui recte agunt, in fine ab eis intento percipient perfectionem et gaudium; e contrario ergo debetur haec poena peccantibus, ut ex his, in quibus sibi finem constituunt, afflictionem accipiant et nocumentum. Hinc est quod divina Scriptura peccatoribus comminatur non solum exclusionem a gloria, sed etiam afflictionem ex aliis rebus.*

602. Ad haec accedit, quod ejusmodi aeternarum poenarum sanctio, saltem quoad hanc vitam, necessaria omnino sit ad homines a vitiis retrahendos, ac ne in cupiditates omnes diffluant, omnigenisque criminibus se commaculent. Deme enim hanc sanctionem, nulloque amplius freno homines detinentur.

[1]) *Contra gent.* lib. III. cap. 145. n. 1.

DIFFICULTATES.

603. Obj. Dogma de poenarum aeternitate componi nequit cum divinis attributis, praesertim vero cum divina bonitate ac misericordia, cum divina clementia, cum divina denique justitia atque aequitate. Ergo.

604. Resp. *D. A.* Prout ab adversariis finguntur, *C.* prout in se sunt, *N.* Ut enim aliquid concludere possent increduli, deberent prius adaequatam divinorum attributorum cognitionem habere; cum vero illa destituti sint, nequeunt profecto determinare, quid illa attributa exigant seu exposcant, quidque refugiant, nec proinde umquam ostendere dogma, de quo agitur, cum ejusmodi pugnare attributis.

605. I. Inst. 1. Deus ex bonitatis suae ac amoris impulsu homines condidit ad aeternam felicitatem, cujus proinde vehementem cordibus eorum indidit appetitum. Hic porro frustraretur, si vel unus homo aeternum periret. 2. Hunc appetitum in catholicorum hypothesi non alium in finem Deus indidisset, nisi ut homines miserabiliores efficeret; quod asserere absonum est; ergo postquam poenas luerint culpis expiandis idoneas, ejusmodi explebunt desiderium. 3. Cum praeterea peculiarem providentiam creaturarum rationalium gerat Deus, ne fine sibi praestituto in illis condendis regendisque privetur, ad eum tandem perducere debet. Ergo.

606. Resp. Ad 1. *D. maj.* Deus hominem condidit ad aeternam felicitatem, sibi tamen debitis obsequiis comparandam, *C.* absolute, seu quavis ratione obtinendam, *N.* Somniant increduli, dum autumant Deum ens morale, cujusmodi homo est, condidisse, quin ab eo sibi debitum obsequium per legis observationem exigeret; hoc vere pugnat cum Dei sanctitate. Si igitur homo divinae voluntati obsequatur, aeternam profecto felicitatem, ad quam Deus eum condidit, consequetur; sin vero eam violet, poenas dabit atque a fine suo excidet. Appetitus felicitatis humano cordi insitus stimulum addere debet ad virtutem consectandam, quae via est ad felicitatem.

607. Ad 2. *D.* Si homines voluntarie seu ex malitia desciscant ab ordine, *C.* si ei obsequantur, *N.* Duplex enim finis in homine distingui debet, proximus in praesenti vita, et ultimus in altera; porro consecutio ultimi finis pendet a consecutione finis proximi, qui in Dei obsequio, famulatu et honore constitutus est, habetque rationem medii respectu finis ultimi; quapropter si ille negligitur, immo pervertitur, iste profecto frustrabitur, non obstante indito felicitatis appetitu. Qui impie agunt, se miseros efficiunt; non autem Deus, qui indidit hunc appetitum, ut homo permoveretur ad felicitatem debitis mediis assequendam. Poenis porro homo, amisso fine suo in perpetuum, ac in termino constitutus, numquam peccata expiabit.

608. Ad 3. *D.* Qua peculiari providentia fit, ut homo mediis idoneis instruatur quibus, si velit, possit finem suum obtinere, *C.* qua fiat ut, quocumque demum modo se gerat, ad suum finem perveniat, *N.* Hoc certe vellent impii homines, pessime scilicet vivere ac aeternum beati esse. Ast non ita vult Deus. Quid inde? Ergo ejus providentiae detrahendum erit?

Absit. Sed cum Deus mediis omnibus naturalibus ac supernaturalibus hominem instruxerit, ut is illis cooperando felicitatem, ad quam conditus est, attingat, si homo ea negligat, turpiterque abutatur, non Deus, sed homo fine suo frustratur. Ultimum finem suum, qui est gloria extrinseca, Deus obtinet, sive homo salvetur sive damnetur; homo solus ex culpa finem sibi praestitutum amittit.

609. II. Inst. Componi nequit poena aeterna cum misericordia et clementia. 1. Misericordia siquidem est compassio alienae calamitatis, et ad eam relevandam inclinat; clementia vero quaedam animi lenitas est in poenis irrogandis, movetque ad eas minuendas aut sublevandas. Jam vero poenae aeternae notio e diametro pugnat cum misericordia, quae nulla ratione exercetur in illius inflictione; pugnat cum clementia, quae locum non habet cum immanium cruciatuum ignisque aeterni jugiter torquentis perduratione. 2. Juxta hoc dogma contra poenarum naturam non ad reum emendandum Deus eas decerneret, sed unice ad puniendum; jam vero juxta Senecae effatum [2]: *Nemo prudens punit quia peccatum est, sed ne peccetur.* Saevitiae igitur notam numquam Deus effugiet, si poenas aeternas infligat. Ergo.

610. Resp. *Neg. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Si Dei misericordia et clementia deberet cum impiis damnatis exerceri, *C.* si exerceri non debeat, *N.* Duo siquidem hic distinguenda sunt, attributa misericordiae et clementiae, et eorumdem attributorum exercitium. Attributa necessario Deo insunt; ast exercitium liberum est, adeoque pro loco, tempore, personis exerceri possunt. Cum igitur Deus utrumque attributum cum impiis, dum adhuc viverent, exercuerit, ac ipsi abusi illis fuerint, in termino constituti eorumdem exercitium attributorum non experiuntur. Quamvis omnes fateantur et impios puniri *citra condignum*, adeoque lenius quam ipsi promeriti fuerint. Sub quo respectu posset negari minor propositi argumenti. Accedit nihil de fide circa naturam poenarum positivarum, quas extrinsecas vocavimus, definitum esse.

611. Ad 2. *D.* Deus unice ad puniendum poenas aeternas decerneret, id est, ex amore justitiae, *C.* ex amore punitionis in se, *N.* Dei idea necessario exposcit, ut omnem ab eo imperfectionem amoveamus, adeoque si poenas decernat aeternas, ex amore id unice justitiae faciat necesse est. Deus, uti animadvertit s. Thomas [3], *in poenis non delectatur;* sed eas infert *propter aliud, scilicet propter ordinem imponendum creaturis, in quo bonum universi consistit... Infligit igitur Deus pro quibusdam peccatis poenas aeternas, ut debitus ordo servetur in rebus, qui ejus sapientiam demonstrat.* Praeterea ostendit inutiles haud esse poenas aeternas, scribens [4]: *Sunt enim utiles ad duo: primo ad hoc, quod in iis divina justitia conservetur, quae est Deo accepta propter seipsam; unde Gregorius, lib.* IV. *Dial.: Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est, ab iniquorum*

[2]) *De clementia,* lib. I.
[3]) *Contra gent.,* lib. III. cap. 144.
[4]) *Suppl.* qu. 99. art. 1. ad 4.

ultione in perpetuum non sedatur. Secundo ad hoc sunt utiles, ut de his electi gaudeant, dum in his Dei justitiam contemplantur, et dum se evasisse eas cognoscunt, etc. Exinde patet effatum a Seneca laudatum huc minime referri posse, tum quia reprobi emendationis incapaces sunt in termino constituti et sine gratia, qua sola possent resipiscere; tum quia poenae aeternae non sunt medicinales, prout sunt temporales, sed ad restaurationem perturbatae justitiae infliguntur.

612. III. Inst. Componi saltem nequit cum justitia et aequitate. 1. Justitia enim postulat proportionem sub quovis respectu inter culpam et poenam; nulla porro fingi proportio sub quovis respectu potest inter culpam, utut gravissimam, et poenam aeternam. 2. Ut haec admitteretur, deberet culpa seu Dei offensa esse infinitae malitiae, uti reipsa nonnulli contendunt; ast certum est offensam Dei neque *subjective* neque *objective* infinitam esse, quod alii theologi non inficiantur; 3. malitia siquidem non solum ab objecto desumitur, verum etiam, immo praecipue ex gradu cognitionis quam de objecto habet delinquens; jam vero cognitio, quam homo de Deo habet, abstractiva est ac pene nulla. 4. Accedit, quod peccandi facultas a Deo homini data sit et conservetur, nec Deo invito ea peccator utitur, nulla proinde Deo peccato injuria fit; nam: *Nullus patitur injuriam volens.* 5. Nec valet, quod aliqui obtrudunt, Deum ideo in aeternum damnatos punire, quia in aeternum ipsi peccare non cessant; siquidem etsi daretur reprobos cessare non posse a peccato, hoc ipso a peccato cessant, alioquin peccatum necessarium esset; deinde ratio malae voluntatis, quae perseverat, nequit efficere ut perseveret punitio; satis enim est per *satispassionem*, ut vocant, promeritam poenam delinquentes luere, sive id aegre ac iniquo sive bono animo praestent, ut patet ex damnatis ad carcerem aut triremibus mancipatis ab humana justitia. Ergo.

613. Resp. *N. A.* Ad 1. *D. maj.* Justitia proportionem postulat aut etiam aequalitatem inter culpam et poenam in gradu, *C.* in duratione, *N.* et *Neg. min.* Duplex inter culpam et poenam aequalitas ac proportio distingui debet, altera in inflictione, ne poena excedat culpae gravitatem, seu reatum; altera vero in duratione: prior quidem servari debet, posterior vero non item, ne in absurda incidamus; alioquin enim gravissima delicta brevissimo tempore plecti deberent, quod nulla humana societas fert. Jam vero cum culpae gravitas seu reatus ex parte duorum extremorum, personae scilicet laedentis et personae laesae peti debeat, jam quisque intelligit, spectatis relationibus multiplicibus, quae Deum inter et peccatorem intercedunt, praesertim vero infinita Dei majestate, quae peccato laeditur, et creaturae vilitate, gravissimum esse peccatoris reatum, et quamdam exsurgere malitiae *infinitatem*, ut loquitur s. Thomas, adeoque nil mirum si aeternum puniatur. Caeterum in hoc spectari debet amissio irreparabilis ac proinde aeterna ultimi finis; quod vero spectat ad gradum poenae positivae, Deus justus novit, qua ratione ea infligi debeat; qui certe non excedet culpae reatum.

614. Ad 2. *N.* Neque enim ad poenae aeternitatem requiritur culpa,

quae sive subjective sive objective infinitae malitiae sit; sed sufficit juxta constituta principia, ut culpa talis sit, qua homo se a Deo ultimo fine suo averterit, et ab hoc supremo bono exciderit, ac in tali statu ex hac vita excesserit, prout contingit damnatis omnibus. Ejusmodi amissio cum irreparabilis sit, in animo immortali fit aeterna.

615. Ad 3. *Nego* suppositum, quod ex dictis locum non habet; satis enim est ad incurrendam aeternam poenam, quod peccator sciat se graviter delinquere, adeoque se a Deo, quantum ex se est, in perpetuum avertere, prout nemo ignorat.

616. Ad 4. *D.* Id est, libertas a Deo data homini est, qua is possit bene aut male uti, *C.* facultas proprie dicta peccandi, *N.* Hoc enim absonum est. Deus hominem libertate instruxit, quae bona est, si ea homo recte utatur; opitulante divina gratia, quae nulli deest, potest sibi aeternam felicitatem comparare; si ea vero contra Dei finem ac voluntatem abutatur, aeternam sibi consciscere potest perniciem. Porro hoc ipso quod contra Dei voluntatem peccator libertate sua pessime abutatur, Deo irrogat injuriam, quam eo tantum sensu permittit, quatenus non impedit ejusmodi abusum. Ob altissimos autem fines sua sapientia dignos Deus peccata seu abusum libertatis permittit, prout suo loco expendimus. Extra rem autem objectum effatum urgetur, quod est de volente *positive.*

617. Ad 5. Resp. Esto; nec enim nos eam rationem attigimus, quae certe nec sola nec praecipua est, quare Deus in peccatores aeternis poenis animadvertat. Vera ac praecipua ratio est, quia damnati ex se in perpetuum exciderint a fine suo. Adeoque peccent in inferno peccatores aut non peccent, certum est eos his peccatis demeriti ulterioris se reos non constituere, neque hac de causa gravius puniri; siquidem in termino sunt, ubi non amplius datur meriti aut demeriti ratio. Quae propterea de *satispassione* disserunt adversarii, nil vetat quominus etiam damnatis applicentur, hoc tamen interposito discrimine, quod ab humana societate inflictis poenis delinquentes, si perpetuae non sint, liberare se possint, assignato tempore percurso; non possint autem damnati, eo quod interminabiles poenae sint, quibus sunt addicti, adeoque numquam *satis* patiuntur. Deus posset eos destruere; ast utrum velit nec ne aliter scire nobis datum non est, quam per voluntatis suae positivae manifestationem. Porro Deus manifestavit se id nolle. Unum igitur superest, ut divinae gratiae obsequentes, dum possumus, comminatas aeternas poenas effugere satagamus.

ARTICULUS IV.

DE STATU DECEDENTIUM ABSQUE BAPTISMO.

618. De iis loquimur, qui sive in infantia sive in perpetuae infantiae statu constituti, absque salutari lavacro ex hac vita decedunt, quacumque demum ex causa id fieri contigerit.

619. Certa ab incertis hac etiam in quaestione distinguenda sunt.

Quae certa, immo de fide sunt, habemus ex conciliis lugdunensi II. et florentino, quae de infantibus ac de iis, qui infantibus aequiparantur, qui nempe numquam rationis usum adepti sunt, definierunt: *Credimus ... illorum animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Ita quidem Florentinum in *decreto Unionis*, quod descripsit verba lugdunensis in fidei professione. De fide igitur est 1°. parvulos ejusmodi in infernum descendere seu *damnationem* incurrere; 2°. *poenis puniri disparibus* ab illis, quibus puniuntur adulti. Quae proinde spectant ad hunc inferni locum, ad poenarum disparitatem, seu in quo haec disparitas constituenda sit, ad parvulorum statum post judicii diem incerta sunt omnia, nec fidem attingunt. Hinc variae de his sunt Patrum ac theologorum sententiae.

620. Prima eorum est, qui illis infantibus tribuunt poenam sensus, s. Augustino duce, quem Patres latini posteriores secuti sunt, inter quos eminet s. Fulgentius. [1] Censuit igitur s. Augustinus hosce infantes in *ignem aeternum* damnatum iri, ut constat ex *Serm.* CCXCIV. n. 3, *De verbis Apostoli*, et *Operis imperfecti* lib. III. cap. 19; in *Enchiridio* vero, cap. 93. n. 21; et *De peccat. meritis*, lib. I. cap. 16. n. 21; tum *Cont. Julian.* lib. V. n. 44. ubi declarat fore istorum poenam *mitissimam*, aut consistere in *damnatione omnium levissima*, ita ut haereat utrum *eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret;* immo se *angustiis coarctari*, quoties ad istorum infantium poenas pervenit, profitetur in *Epistol. ad s. Hieronymum* n. 16. nec definire se posse *quae, qualis et quanta erit* ejusmodi poena.

621. Altera sententia Patrum graecorum est, qui videntur tribuere his parvulis nonnisi poenam damni, praecipue vero uterque Gregorius. Nazianzenus enim scribit [2], eos *nec coelesti gloria nec suppliciis a justo judice afficiendos.* Nyssenus vero haec habet [3]: *Nam immatura mors infantium, neque in doloribus ac moestitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit.*

622. Scholastici ac theologi positivi in eadem sententiarum varietate versantur. Juxta Petavium a conc. florentino definitum de fide est, parvulos poenis sensus addici; juxta Vasquezium ab Innocentio III. definitum est, poenam peccati originalis in sola visionis beatificae privatione consistere; verba Innocentii in cap. *Majores* haec sunt: *Poena originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus.* Scholarum principes Petrus Lombardus, s. Thomas, s. Bonaventura, Scotus, quos pene omnes secuti sunt, excipiendus siquidem est Gregorius ariminensis, *tortor infantium* idcirco nuncupatus, censuerunt infantes non baptizatos nulla sensus poena affici, sed sola poena damni.

623. Ast circa hanc damni poenam theologi minime inter se conveniunt; siquidem alii cum Bellarmino existimant infantulos ex privatione visionis

[1]) Lib. *De fide*, cap. 27.
[2]) *Orat.* XL. *in s. Baptism.* n. 21.
[3]) *Orat. de infantibus, qui praemature abripiuntur.*

Dei aliqua affici tristitia; alii vero cum s. Thoma id aperte inficiantur; alii demum cum Catharino, et Card. Sfondrati censent eosdem aliqua naturali beatitudine frui, nunc quidem quoad animam, post resurrectionem vero etiam quoad corpus, et eo usque rem protrahunt, ut felicitatis hujus gradus determinent accuratissime, quemadmodum Card. Norisius determinavit gradus caloris, quos ab igne infantes isti patiuntur et sentiunt. Bellarminus sententiam, quae tribuit infantibus non baptizatis beatitudinem naturalem, fidei adversari autumat; contra vero Petrus Godoy Ord. Praed.: *Sententia*, inquit, *concedens parvulis naturalem beatitudinem, nullam censuram contra fidem meretur,* immo et alienam eam esse affirmat ab omni temeritatis nota.

624. Ex hac discrepantia sententiarum, quae inter Patres ac theologos viget, patet, si duos commemoratos articulos excipias de exclusione a gloria, ac disparitate poenarum, reliqua omnia ad fidem nullo modo spectare, adeoque posse quemlibet circa ejusmodi sententias in suo sensu abundare. Nec obest pelagianos parvulis naturalem tribuisse beatitudinem, nam etiam hoc dato, licet alii contendant *supernaturalem* eam tribuisse, attamen nihil haberet commune pelagianorum commentum cum doctrina, quam catholici theologi tuentur de naturali istorum parvulorum beatitudine. Etenim pelagiani eam concedebant parvulis *sine morte peccati,* adeoque uti naturalem conditionem, non autem sub ratione *poenae* ac *damnationis* provenientis ex peccato originali, quod negabant, contra vero catholici theologi eam tuentur *cum morte peccati;* ita ut exclusio a visione beatifica rationem habeat *poenae* et *damnationis* ex peccato provenientis. Quapropter merito a Pio VI. in Const. *Auctorem fidei* proscripta est synodi pistoriensis propositio 26. quae ita se habet: *Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa, poenas damni citra poenam ignis puniantur, perinde ac si hoc ipso quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium, expertem culpae et poenae, inter regnum Dei, et damnationem aeternam, qualem fabulabantur pelagiani, falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa,* declaratur.

625. Itaque si status istorum parvulorum *relative* spectetur ad supernaturalem beatitudinem, a qua per originale peccatum exciderunt, habet rationem poenae ac damnationis, et sunt ejusmodi infantes a Deo saltem negative aversi etc. Si autem spectetur *in se* et *absolute,* cum per peccatum homines nihil de naturalibus amiserint, talis est istorum parvulorum conditio, qualis fuisset, si Adam neque peccasset, neque elevatus ad statum supernaturalem fuisset, seu in conditione purae naturae. Hinc s. Thomas de ejusmodi infantibus scribit [4]: *Sibi* (Deo) *junguntur per participationem naturalium bonorum, et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione.*

626. Angelicus igitur Doctor, prout jamdiu animadverterant De Lemos

[4]) *Sent.* dist. 33. qu. 2. art. 2. ad 3.

ac Billuart, his parvulis tribuit bona naturalia, et aliquem naturalem Dei amorem et gaudium. Nullo vero modo eos poena sensus affici fuse ostendit, loc. cit. diluitque difficultates desumptas ex Matth. XXV. et ex vocibus *supplicii, tormenti, gehennae, cruciatus aeterni,* quibus post Augustinum auctor *Hypognostici*, Fulgentius et Gregorius M. usi sunt. Nam Christi judicium *discussionis* ostendit neque pertinere ad hos infantes, neque ad infideles, in quibus fides non fuit fundamentum meritorum; citatos vero auctores *large* illas voces accepisse pro poena, et *speciem* pro genere posuisse.

627. Deinde in quaest. 5. *De malo,* ostendit eosdem parvulos ex amissa beatitudine supernaturali, nulla affici tristitia, tum quia indebitam sibi esse cognoscunt illam beatitudinem ob Adae peccatum contractum, tum quia etsi perspicuum habeant se ad aliquam beatitudinem conditos fuisse, minime cognoscunt hanc positam esse *in visione clara Dei*, adeoque ignorant *se ab illa exclusos, nec proinde dolent,* sed hoc, quod per naturam habent, sine dolore possident.

628. Quidquid porro de his placitis sit, quae salva fide ac sine quavis temeritatis nota quilibet tenere potest, hoc lucri ex tali sententiarum discrepantia habemus, non deberi nec posse ecclesiae doctrinam cum privatorum placitis permisceri. Pessime igitur se gerunt increduli, cum fidei aut ecclesiae tribuunt doctrinam, quae ecclesiae non est, ut inde inferant catholicam ecclesiam docere dogmata, ut ipsi vocant, horribilia ac rectae rationi repugnantia. Tantum enim abest, ut ecclesia voluerit illas sententias sancire, ut potius summus pontifex eos damnaverit, qui notam inusserunt illorum doctrinae, qui poenam sensus ab ejusmodi infantibus removent.

629. His igitur dimissis, nos hic novatores illos ac socinianos perstringimus, qui infantes sine Baptismo decedentes autumant aeternam consequi salutem.

PROPOSITIO.

Infantes ex hac vita sine Baptismo decedentes ad aeternam salutem pervenire non possunt.

630. De fide propositio est, ut constat tum ex symbolo nicaeno-constantinopolitano: *Credo unum Baptisma in remissionem peccatorum,* tum ex conciliis lugdunensi ac florentino, quorum verba recitavimus, tum denique ex concilio tridentino, quod Sess. V. can. IV. edidit: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti: aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam . . .; anathema sit.*

631. Perstringit haec definitio praesertim calvinianos, qui docent infantes fidelium non indigere Baptismo ad aeternam obtinendam salutem, eo quod ipsis peccatum originale non imputetur, utpote in foedere spirituali comprehensis, quod inivit Deus cum Abraham ejusque semine in perpetuum. Perstringit praeterea zwinglianos ac socinianos; zwingliani siquidem cum

Calvino consentiunt quoad filios fidelium; sociniani autem cum negent propagationem peccati originalis, ideo autumant sine Baptismo infantes ad aeternam posse pervenire salutem; baptizari autem in signum externae fidei professionis, quo ab infidelibus distinguantur.

632. Veritatem assertae propositionis aperte evincunt Scripturarum ac traditionis testimonia. Etenim Christus: *Nisi quis renatus fuerit,* inquit [1], *ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Eadem proinde ratione, qua ut ad vitam naturalem quis perveniat, opus est carnali generatione, ita opus est regeneratione aquae et Spiritus Sancti, ut quis perveniat ad vitam supernaturalem ac idcirco ad vitam aeternam, seu indiscriminatim omnes sive a fidelibus sive ab infidelibus geniti sint.

633. Hunc porro sensum esse verborum Christi testis est antiquitas ecclesiastica universa, uti liquet 1°. ex sollicitudine totius ecclesiae, ne infans aliquis sine lavacro moreretur, quam neque pelagiani inficiati sunt; 2°. ex synodis omnibus in causa pelagianorum celebratis. In synodo diospolitana Pelagius ut catholicus censeretur, *anathematizare compulsus est, infantes, etiamsi non baptizarentur, habere vitam aeternam. Hac enim negata,* scribit s. Augustinus [2], *quid nisi mors aeterna remanebit?* Sic etiam duae synodi, carthaginiensis et milevitana, ann. 416. uti legitur in *Epist. synodica* ad Innocentium data, statuerunt: *Quicumque negat, parvulos per Baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere posse; anathema sit,* quod quidem decretum confirmavit Innocentius, ann. 417. 3°. Demum id patet ex omnibus illis Patribus, qui doctrinam de peccati originalis propagatione tradiderunt, quorum testimonia suo loco retulimus.

634. Hanc eamdem veritatem adversus Vincentium Victorem, qui eodem errore infectus erat, sic adstruebat s. Augustinus: Nemo regnaturus est cum Christo, quin fiat membrum Christi; nemo autem fit membrum Christi nisi *aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.* Jam vero, qui non regnaturus est cum Christo, quid ipsi superest, nisi ut in perpetuum arceatur a Christo, sive in aeternum damnetur.

DIFFICULTATES.

635. I. Obj. Cum Calvino: 1. Deus, Genes. XVIII. 7. sic Abraham omnium fidelium patrem allocutus est: *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus tuis, foedere sempiterno, ut sim Deus tuus et seminis tui post te;* ergo christianorum filii, qui sunt ex promissione, sanctitatem habent ex foedere sempiterno, in quo sunt inclusi. 2. Quare Apostolus scribit [3]: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem... Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt;* ergo alterutrius parentis sanctitate absque Baptismo, sancti efficiuntur. *Quemadmodum,* inquit Calvinus [4], *sicut judaeorum liberi, quod ejus foederis* (cum

[1]) Joann. III. 5.
[2]) *Epist.* CLXXXVI. *ad Paulinum.*
[3]) I. Cor. VII. 14.
[4]) *Instit.* lib. IV. cap. 1. §. 6.

Abraham initi) *haeredes facti, ab impiorum liberis discernerentur, semen sanctum vocabantur, eadem etiam nunc ratione sancti censentur christianorum liberi vel altero dumtaxat parente geniti, et Apostoli testimonio differunt ab immundo idololatrarum semine.*

636. Resp. Ad 1. *D.* Christianorum filii, spirituales filii Abrahae fiunt *regeneratione, C.* nativitate carnali, *N.* Non alia ratione gentes, quae ex Abraham carnali generatione non prodiere, in ejus semine computantur, nisi quatenus cooptantur in filios per regenerationem, scilicet per Baptismum. Quod si filii Hebraeorum ante circumcisionem dicuntur semen *sanctum*, eo tantum sensu ita vocantur, quod habuerint sanctitatem legalem, prout pertinebant ad populum Dei electum et ex eo progeniti erant, non autem quod veram ac internam animae sanctitatem habuerint. Haec enim haberi nequit nisi fide parentum applicata per aliquod signum externum, e. gr. circumcisionem, aut aliud ejusmodi.

637. Ad 2. *D.* Apostolus *sanctos* vocat filios fidelium sanctitate analogica, dispositiva ac improprie dicta, *C.* sanctitate formali, *N.* Eadem scilicet ratione Apostolus vocat sanctos natos a parentibus, qua *sanctificatum* dicit virum infidelem a muliere fideli, et vicissim, quatenus nempe in via sunt, qua ad sanctitatem pervenire possint. Alioquin impurissimus idolorum cultor vere sanctus aut sanctificatus ex consortio cum parte fideli dicendus esset, quod absonum est. Deinde praxis totius antiquitatis determinavit sensum istorum verborum juxta traditionem divinam et apostolicam.

638. II. Obj. cum socinianis: Durum est innocentes parvulos aeternum damnari ob culpam non suam, cum per ipsos non steterit, quominus Baptismum non consequerentur, sed aut ex lege naturae, aut ex ignorantia vel iniquitate parentum. Ergo.

639. Resp. *D. A.* Si incurrerent innocentes infantes damnationem, quae consistat in poena sensus, aut in tristitia ex poena damni proveniente, *Tr.* si in sola privatione rei indebitae, *N.* Talis porro est damnatio istorum puerorum, qua defectu Baptismi arcentur a visione ac fruitione Dei beatifica, quam non exigit naturalis eorum conditio, nec nisi ex gratia a Deo conceditur. Quo fit, ut infantes non priventur nisi eo bono, ad quod jus nullum habent ob originalem maculam, qua infecti ex hac vita decedunt, et qua sola illorum conditio rationem damnationis habet, seu relative ad ulteriorem gloriam. Quod si praeter hanc damnationem nonnulli censent infantulos non baptizatos incurrere poenam sensus, aut tristitiam et acerbitatem ex privatione supernaturalis felicitatis, cum ecclesia, uti praefati sumus, nihil de his definierit, Patres vero et ecclesiae Doctores theologique in diversas abeant sententias, si sociniani has respuant, salva fide id efficere possunt; praesertim cum s. Thomas [5], non solum contrariae sententiae adstipulatus sit, sed solverit praeterea difficultates eorum, qui contendunt ejusmodi parvulos tristitia affici ac moerore ex poena damni.

[5]) *Sent.* II. dist. 33. qu. 1. art 2.

CAPUT VII.

DE FUTURA CORPORUM RESURRECTIONE.

640. Futura corporum nostrorum resurrectio semper aluit spem christianam, et ad fortia quaelibet facienda ac toleranda impulit, unde merito Tertullianus dixit [1]: *Fiducia christianorum resurrectio mortuorum.*

641. Haeretici antiquissimi post sadducaeos, uti simoniani, marcosiani, marcionitae aliique magno numero inficiati sunt futuram corporum resurrectionem. Increduli omnes eam ut impossibilem traducunt. Horum omnium partes tuendas sibi sumpserunt hodierni rationalistae.

642. Adversus hos omnes 1°. adstruemus ex Scripturis ac traditione hunc fidei articulum; 2°. eumdem ostendemus rectae rationi haud refragari.

643. Ut omnis ambiguitas e medio tollatur, juverit nonnulla praemittere, quibus rite quaestionis status declaretur.

644. I. Resurrectio, quam tuemur, *universalis* est, tum justorum videlicet, tum impiorum, secus ac nonnulli antiqui Hebraei autumaverunt, eam coarctantos ad solos justos.

645. II. Resurrectio praeterea ejusdem physice corporis erit, quod per mortem amittimus. Ad hanc porro corporis identitatem constituendam necesse haud est, ut singulae moleculae ipsius corporis resumantur, sed sufficit, ut essentiales recuperentur corporis partes, quae idem numero corpus constituunt, atque ab alieno quovis distinguunt ac secernunt.

646. III. Futura proinde est in resurrectione diversitas sexuum, secus ac contenderint origeniani. Unusquisque siquidem corpus recipiet in ea perfectione, quae singulorum individuorum propria est.

647. IV. Diversa tamen erit conditio justorum ac reproborum in resurrectione. Corpora enim justorum quatuor illis dotibus fulgebunt, quas recenset Apostolus [2], scilicet claritate, impassibilitate, agilitate et subtilitate, quibus destituta erunt corpora reproborum, quorum resurrectio erit potius ad ignominiam et ad novum supplicium quam ad ipsorum emolumentum.

648. Quod vero spectat ad aetatem, formam, staturam, ut vocant, integrales corporis partes, aliaque ejusmodi, incerta sunt omnia et a scholasticis ac theologis majori vel minori probabilitate adstruuntur.

649. His proinde dimissis, solliciti hic tantummodo sumus de vindicanda catholica doctrina adversus incredulos et rationalistas; caetera si quae scitu necessaria sunt, veluti corollaria ex principio fundamentali deducemus.

PROPOSITIO I.

Datur futura corporum nostrorum universalis resurrectio.

650. De fide est propositio, ut constat ex fidei nostrae symbolis; nam in symbolo apostolico dicitur: *Credo . . . . carnis resurrectionem;* in constan-

[1]) *De resurrect. carnis,* n. 1.

[2]) I. Cor. XV. 42 et seqq.

tinopolitano: *Expecto resurrectionem mortuorum;* in athanasiano: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis;* demum in concilio lateran. IV. cap. *Firmiter* definitum est: *Qui omnes* (tam reprobi quam electi) *cum suis corporibus resurgent, quae nunc gestant.*

651. Tum apud antiquos patriarchas, tum apud judaeos fidem resurrectionis obtinuisse constat 1°. ex Job. XIX. 25 seqq. qui in sterquilinio sanie manans dicebat: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse et non alius; reposita est haec spes mea in sinu meo.* Quae quidem verba ad resurrectionem referri nec ipsi rationalistae biblici inficiantur, immo tuentur. 2°. Ex Daniel. XII. 2: *Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.* Sed luculentissime 3°. fides haec traditionalis apud Hebraeos exprimitur a septem illis fratribus, qui animi strenuitate sub Antiocho sustinuerunt martyrium, ut enim legitur in II. Machab. VII. 9—14. respondebant Antiocho supplicia comminanti ac inferenti: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit. . . Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos.* Qua etiam fide innixa Martha Christo interroganti respondebat, Joann. XI. 24: *Scio quia resurget* frater meus *in resurrectione in novissimo die.*

652. Cumque ab avita hac fide sadducaei declinassent, tum animarum immortalitatem tum futuram negantes resurrectionem, Christus utrumque dogma his verbis adstruxit contra illos [1]: *De resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum sed viventium, omnes enim vivunt ei.* Apostolus vero universalem resurrectionem praeterea collegit ex resurrectione Christi, scribens [2]: *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. . . Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt.* Quapropter sic idem Apostolus fideles solabatur ex carorum funere moestos supra modum atque sollicitos [3]: *Si enim credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit; ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo . . . mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Nihil igitur exploratius in sacris litteris hoc dogmate, quod Christus et apostoli veluti fundamentum totius religionis ac spei christianae proposuerunt.

653. Hac fide et spe numquam non fuit enutrita christianorum pietas; hac enim freti martyres ad acerbissima quaeque perferenda se obtulerunt; hac sancti omnes ingentes labores susceperunt; hac demum quicumque piam in Christo transegerunt vitam, volentes libentesque extremum diem sustinuerunt et obierunt. Exinde illa sollicitudo Patrum ac doctorum hominum

[1]) Matth. XXII. 31; collat. Luc. XX. 38.
[2]) I. Cor. XV. 16.
[3]) I. Thess. IV. 13.

patefacta est in hoc dogmate sive ab ethnicorum sive ab haereticorum impugnationibus vindicando; exinde christianorum sollicitudo in ejusmodi inscriptionibus adornandis, quibus extinctorum fides et spes manifestaretur circa hoc dogma; sollicitudo denique colligendi martyrum ac sanctorum exuvias, utpote quae ad novam aeternamque vitam aliquando sint resurrecturae. Saeculorum omnium documenta constantis ac jugis traditionis argumenta ineluctabilia constituunt.

DIFFICULTATES.

654. I. Obj. 1. Resurrectionis opinionem Hebraei ex Persis, zoroastrica disciplina institutis, primum mutuati sunt; 2. in Novo autem Testamento haec doctrina originem habuit ex populari conceptu de mythico Messia, cui Christus sese accommodavit, ut in pluribus aliis; et ex narratione Christi post mortem ad vitam revocati; 3. quapropter vel ab ipsa aetate apostolica a pluribus resurrectio mortuorum impugnata fuit; 4. spectari proinde ea potest veluti mythus, quo significetur animorum post hanc vitam immortalitas, seu nova vita eademque vera et actuosa. Ergo.

655. Resp. Ad 1. *Neg.* 1°. quia ex libro Job omnium facile antiquissimo constat longe antiquiorem fuisse hunc fidei articulum, anteriorem proinde ipso Zoroastro; 2°. quia incertum apud eruditos adhuc est, num reipsa Zoroastro, Persis, Aegyptiis, aliisque orientalibus populis vera corporum futura resurrectio innotuerit, quod plures inficiantur; 3°. quia nulla omnino probari potest ratione judaeos ab his populis hanc mutuatos esse doctrinam, adeoque quippe gratuita et ad libitum conficta sententia, jure merito rejicitur; 4°. demum quia Christus, loc. cit. doctrinam de resurrectione a sacra Scriptura repetit, dicens sadducaeis: *Erratis nescientes Scripturam neque virtutem Dei.*

656. Ad 2. *Nego* pariter; sed hic articulus fidei traditionalis apud judaeos quovis tempore receptus est, neque hac in parte Christus aut apostoli novi aliquid intulerunt, sed confirmarunt avitam fidem. Quod adjicitur de mythico conceptu Messiae, deque accommodatione Christi ad errores vulgares, intolerabilem sapit blasphemiam, et impudentiam singularem quidem, sed a rationalistis non alienam. Arctum porro existere nexum inter Christi resurrectionem, et futuram excitationem corporum nostrorum verissimum est, prout declarat Apostolus, ast mythicam asserere Christi resurrectionem, est refragari omni historicae certitudini, quod suo loco ostendimus.

657. Ad 3. *D.* Ab ipsa aetate apostolica non defuerunt epicurei et haeretici, qui impugnaverint hoc dogma, *C.* alii, *N.* Quid nostra refert si ethnici ac epicurei, qui et ipsam immortalitatem animorum inficiati sunt, mortuorum resurrectionem impugnaverint? Idem dic de haereticis, qui hac ipsa de causa ab apostolis ejecti sunt ex ecclesia uti *fidei subversores.* Ecquid intactum circa fidem reliquerunt haeretici? Si ex istorum oppugnatione dogmata nutarent, ne unus quidem fidei articulus in praesentia nobis superesset. Si igitur haeretici veritatem futurae resurrectionis impugnarunt

ab ipsa aetate apostolica, evidens est, quod ab aetate illius fides obtinuerit in ecclesia.

658. Ad 4. *Nego sequelam*, quae ex gratuitis ac falsis praemissis deducitur. Dogma de animorum immortalitate est omnino distinctum a dogmate de corporum resurrectione, ac revelatio utrumque credendum exhibet. Sane quoad animorum immortalitatem Christus de patriarchis nondum excitatis dixit [4]: *Omnes vivunt ei*, scilicet Deo, qui *non est Deus mortuorum*. Ad resurrectionem autem ea omnia loca spectant, quae paulo ante recitavimus.

659. II. Obj. 1. Scripturae interdum videntur aut absolute futuram corporum denegare resurrectionem, aut saltem resurrectionem impiorum. Etenim Ps. LXXVII. 39. Deus dicitur hominibus pepercisse eo quod *recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens*, ad corpora scilicet rursum informanda; ac Ps. CXIII. 17: *Non mortui laudabunt te, Domine.* 2. Ps. I. 5. legitur: *Non resurgent impii in judicio:* et Dan. XII. 2. non *omnes*, sed *multi* evigilare dicuntur *de his, qui dormiunt in terrae pulvere.* 3. Apostolus idcirco scribit [5]: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* Christus vero loquens de hominibus ad vitam revocandis [6]: *Erunt sicut angeli Dei in coelo*, id est, sine vero corpore palpabili ac visibili erunt, prout etiam declarat Apostolus illis verbis [7]: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

660. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Pepercit Deus hominibus spectata ipsorum infirmitate et caducitate. *C.* secus. *N.* Quod dicitur: *Spiritus vadens et non rediens*, intelligi debet ad vitam naturalem, non autem ad futuram resurrectionem, quae ad alium ordinem spectat.

661. In Ps. vero CXIII. significatur, praesentem vitam illam esse, in qua ritu et cultu publico homines Dei laudes celebrare possunt.

662. Ad 2. *D.* Non resurgent impii ad gloriam ut resurgent justi. *C.* non resurgent absolute. *N.* Talem esse horum verborum sensum indicat ipsa orationis series et ex altero hemistichio: *Neque peccatores in concilio justorum;* nec non ex hebraico textu, qui ad litteram sic verti debet: *Non surgent,* seu *non stabunt impii in judicio,* id est, nec audebunt vultum attollere prae confusione.

663. Vox *multi* apud Danielem, ut alias adnotavimus, totam significat multitudinem.

664. Ad 3. *D. Caro et sanguis*, id est, opera carnalia, seu flagitiose viventes regnum Dei possidere non possunt. *C.* caro et sanguis materialis. *N.* Alioquin neque Christus in corpore redivivo coelum conscendisset, quod neque adversarii contendunt: sic neque *corruptio incorruptelam*, id est, impassibilitatem electorum propriam possidebit.

665. Sic etiam: Erunt homines redivivi *sicut angeli*. *D.* quoad modum rationemque vivendi. *C.* quoad modum seu rationem subsistendi. *N.* Optime

[4]) Luc. XX. 38.
[5]) I. Cor. XV. 50.
[6]) Matth. XXII. 30.
[7]) I. Cor. XV. 44.

Tertullianus in hunc textum scribit [8]: *Non dixit* Christus, *erunt angeli, ne homines negaret: sed tamquam angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.*

666. Apostolus item scribit corpus ex animali *spiritale* futurum in resurrectione gloriosa, quatenus scilicet iis proprietatibus induetur, quae ipsum angelis simillimum efficient. Hinc s. Irenaeus [9]: *Hoc autem*, inquit, *non secundum jacturam carnis, sed secundum communionem spiritus fit.*

PROPOSITIO II.

Dogma de futura corporum resurrectione rectae rationi non adversatur.

667. Praetermittimus, utpote ad propositum nostrum minus aptas, erroneas parumque verisimiles hypotheses, quae confictae sunt, ut. aliqua si fieri posset ratione, futura corporum resurrectio explicaretur, puta germinis praeformati quod animae adhaereat, ac suo tempore evolvatur; aut reduplicationis corporum nostrorum per existentiam simultaneam. Independenter ab hisce hypothesibus ad rem conficiendam sic accedimus.

668. Ac primo quidem, si res in se spectetur, possibilis profecto est, et nullo modo in se repugnat mortuorum resurrectio. Id enim solum involvit repugnantiam, in quo reperitur intrinseca notarum oppositio, quae certe in nostro dogmate neque est nec fingi potest. Etenim Deum posse efficere, ut mortuum corpus reviviscat, ex eo conficitur, quod ejus virtute corpus ipsum exstiterit. Ergone qui corpus condidit aut efformavit, cum non esset, non poterit cum mortuum fuerit ac dissolutum etiam in sua elementa iterum reconstruere? Oppositio in eo haberetur, si corpus idem eodem tempore vivum et mortuum simul esset. Rursum, si a tenui initio Deus potuit efficere ut corpus integrum evolvatur usque ad plenam perfectionem suam, non poterit moleculas, in quas corpus dissolutum est, recolligere, ac denuo eadem anima informare? Ut enim Tertullianus animadvertit [1], corpora quidem nobis pereunt, ast non pereunt Deo, qui minimas eorumdem particulas quamvis in auram resolutas, caeterisque corporibus commixtas certissime praesentes jugiter habet.

669. Quae quidem confirmantur tum ex Lazari quatriduani resurrectione, tum ex ipsa resurrectione Christi. Deus eos potuit excitare, quare non poterit pariter corpora iterum excitare, etsi jamdiu penitus resoluta? Quoad rei substantiam nullum intercedit discrimen inter illorum ac caeterorum excitationem. Corpus Lazari jam tabe diffluebat, quid inde? Excitatum tamen est, numquid excitari a Deo non amplius potuisset, si praeterea in pulverem resolutum fuisset? Ecquis terminos praefiget omnipotentiae divinae?

670. Non solum autem nullam videt ratio repugnantiam in corporum resurrectione, sed sive argumenta analogica sive moralia spectentur, maxime

[8]) ***De resurr. carn.*** cap. 51.
[9]) ***Cont. haeres.*** lib. V. cap. 8. n. 2.
[1]) Op. cit. cap. 68.

consentaneam praeterea eam deprehendet. Ac primo quidem universi analogia nos ducit ad resurrectionem expectandam. Ut enim praeclare scribit Tertullianus [2]: *Omnia in statum redeunt, quum abscesserint; omnia incipiunt, quum desierint; ideo finiuntur, ut fiant, nihil deperit nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum; operibus enim praescripsit Deus antequam litteris; viribus praedicavit antequam vocibus. Praemisit tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiae discipulus naturae; quo statim admittas, quum audieris, quod ubique jam videris; nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium novisti restitutorem.* Quod vero magis mireris, est, vel ipsum Senecam [3] in hoc Tertulliano praeivisse.

671. Sed clarius adhuc argumenta moralia ejusmodi resurrectionem suadent, ut enim loquitur s. Ambrosius [4]: *Cum omnis vitae nostrae ratio in corporis animaeque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus praemium habeat, aut poenam improbi; necesse sit corpus resurgere, cujus actus expenditur. Quomodo enim in judicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo et corporis contubernio ratio praestanda sit?* Idem Patres caeteri persequuntur ac varie exponunt, congruum nempe esse corpus excitari ut una cum anima, cujus organum ac instrumentum sive ad bona sive ad prava opera fuit, mercedem aut supplicium recipiat. Eo vel magis quod ex utriusque arctissima conjunctione oriatur suppositum humanum, seu uti nunc dicitur, *nostrum Ego*, quod neque ex sola anima neque ex corpore solo exsurgit, sed ex utriusque conjunctione. In aeternum proinde *homo* seu humanum suppositum periret, nisi futura daretur corporum resurrectio. Atque huc refertur inditum nobis a Deo perpetuae conservationis desiderium, quod frustrari omni ex parte non potest.

672. Et haec quidem, spectato homine *physico* atque *morali;* quid si attendamus ad hominem *christianum?* Ipse membrum Christi est, adeoque capitis sui sortem experire debebit, quod redivivum in sempiternum est; saginatus praeterea vivifica carne ac sanguine ejus, ac proinde germina, ut ita dicam, futurae resurrectionis in se suscepit, quae suo tempore erunt evolvenda, uti Patres passim ratiocinantur, et in his s. Irenaeus [5], et s. Justinus passim. Tandem nisi corpora ad novam excitarentur vitam, magis nobis Adam nocuisset, quam Christus meruisset atque acquisivisset, secus ac docet Apostolus Rom. V: Christus nempe, quidquid per Adae peccatum amissum est, abundanter reparavit. Quapropter merito ecclesia in symbolo constantinopolitano in fidelium ore ponit ejusmodi expectationem illis verbis: *Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi.*

[2]) Op. cit. cap. 12.
[3]) Epist. XXXVI.
[4]) *De fide resurrect.* n. 52.
[5]) *Contr. haeres.* lib. V. cap. 2.

DIFFICULTATES.

673. I. Obj. 1. Intelligi nequit quomodo corporis particulae, quae in tot alia corpora etiam humana dispersae sunt et mutatae, iterum colligi possint ac restitui. 2. Corpus praeterea frustra mercedem futuram expectat, cum ipsum nec perperam nec recte agere potuerit. 3. Nec minus latet, cur nonnisi post multa demum saecula a benignissimo Deo corpus homini restituatur, cum tamen sine ipso, ut dicitur, veram vitam vivere non possit. 4. Haec doctrina praeterquam quod parum divinam omnipotentiam et sapientiam curare videtur, locum praebet innumeris superstitionibus ac ineptissimis quaestionibus, quae per simpliciorem purioremque sententiam in libris sacris fundatam facile excitari possint. Ergo.

674. Resp. Ad 1. *D.* Seposito divinae omnipotentiae interventu intelligi nequit, *C.* hoc admisso, *N.* Porro difficile Deo non est moleculas omnes ad corpus aliquod spectantes, etiam post innumeros transitus, ex uno in aliud colligere. Haec mutatio seu transitus accidentalis est, minime vero essentialis, ut ex physiologia ac zoobiologia constat universa.

675. Ad 2. *D.* Per se, *C.* prout cum anima hypostatice conjunctum est, *N.* Totum hominis suppositum *nostrum Ego* est, quod meretur aut demeretur; congruum itaque est, ut totum item suppositum praemia vel poenas assequatur. Anima sentit per corpus, voluptate aut dolore per corpus afficitur.

676. Ad 3. *Neg.* Quamvis enim animae a corpore separatae substantiae sint incompletae, ratione habita totius suppositi, veram tamen vitam vivunt cum conscientia sui, et capaces gaudii, aut poenae per se sunt, adeoque statim post mortem praemio aut poena donantur. Quae cum ita se habeant, jam sequitur, Deum, salva benignitate sua, posse differre post plura saecula corporis excitationem. Quid sunt plura saecula comparata ad aeternitatem?

677. Ad 4. *D.* Si doctrina a Christo et ab apostolis tradita posset parum omnipotentiam sapientiamque Dei curare, ac praebere causam ex se superstitionibus ineptisque quaestionibus, *C.* si id fieri nequeat, *N.* Cum de divina alicujus doctrinae revelatione constat, eam reprehendere uti Deo injuriosam ac foventem superstitiones et ineptas quaestiones, non solum impium sed alogicum est. Ecquis ferat stultos ejusmodi planeque vulgares rationalistas effutientes se puriorem doctrinam simplicioremque doctrina Christi praebere? Tantum porro abest, ut istorum systema fundatum sit in libris sacris, ut iisdem penitus adversetur, ab iisque evertatur. Hi sunt genuini fructus protestantismi proclamantis liberum Scripturarum examen ad sibi fidem cudendam.

678. II. Obj. 1. Materiae atomi, dum ex uno in aliud corpus trans-

eunt, mutantur in substantiam plane diversam ab illa quam prius constituebant: 2. jam vero homines totidem antropophagi sunt; sive immediate, uti cannibales qui carnibus vescuntur humanis, sive mediate dum vescuntur vegetabilibus aut animantibus, in quorum substantiam resoluta cadavera sunt. fieri igitur nequit, ut eadem in resurrectione corpora resumantur. 3. Accedit, quod in eodem individuo corporis substantia jugiter immutetur per continuam molecularum amissionem et acquisitionem: adeo ut substantia, qua corpus hesterno constabat die, diversa sit ab ea, qua constat hodie, elapso vero septennio diversum plane integrum corpus sit. Quodnam igitur ex tot, quot habuit idem homo tota vitae periodo, olim resumet? 4. Neque omittendum, quod inita supputatione tot hominum myriadum quot exstiterunt, aut usque ad mundi finem exstituri sunt, et comparata cum telluris spatio, haec impar omnino sit ad eos simul redivivos continendos. Ergo.

679. Resp. ejusmodi difficultates, quas adeo increduli magni faciunt, concidere, si ad scientiae physiologicae normam exigantur, ex qua illi eas mutuati sunt. Etenim, admissa etiam hypothesi de illa quam adversarii exaggerant universali anthropophagia tum mediata tum immediata, certum est 1°. principia materiae primigenia, etsi diversam modificationem aut *combinationem* chimicam subeant, esse prorsus in se incorruptibilia et indestructibilia. Hinc data etiam quavis immeatione seu transitu de una in alteram substantiam, ipsa in se eadem omnino permanent, adeoque Deus semper ea poterit illi restituere, ad quem aliquo vitae tempore pertinuerunt. 2°. E contra incertum est, utrum totum reipsa corpus ex integro in data periodo renovetur, an vero quaedam tantum elementa, alii enim in aliam sententiam concedunt; magis recepta apud physiologos opinio est stamina primigenia, quae ex textu cellulari componuntur, non deteri, adeoque nec renovari, sed eas dumtaxat materias consumi, quibus textura cellularis imbuitur. Exinde illa *compositionis* ac *decompositionis* seu, uti modo loquuntur, *assimilationis* ac *dissimilationis* jugis vicissitudo habetur, ex qua *nutritio* pendet. Hac propterea non obstante jugi permeatione aut *reproductione*, idem semper in nobis corpus perseverat, uti etiam ex intimo sensu edocemur; 3°. ex hoc colligitur ad identitatem corporis constituendam minime requiri identitatem omnium ac singularum molecularum.

Caeterum in utraque hypothesi res semper conficitur: etenim si quis velit admittere illorum physiologorum opinionem, qui contendunt reproductionem seu renovationem corporis seu potius molecularum, quibus illud constat, non esse nisi partialem, satis erit, ut nonnullae partes staminum primigeniorum seu texturae cellularis conserventur, ut identitas corporis perseveret. Si qui autem sint, qui totalem ejusmodi reproductionem fieri contendant, exinde patet ad identitatem corporis constituendam minime requiri vel unius etiam moleculae identitatem, cum hae omnes mutari possint, quin corpus aliud a primo seu diversum exsurgat; ratio porro est, quia cum ejus-

modi permeationes seu mutationes ac reproductiones successivae sint, et corpus ab eadem semper anima informetur, semper idem permanet; eo vel magis quod indentitas corporis ex forma potius exteriori, organismo et structura pendeat, quam ex materia repeti debeat. Ex his proinde consequitur idem corpus in resurrectione assumi, licet paucissimae recipiantur ex illis moleculis, quibus ante mortem hoc corpus constabat; cum probabile etiam sit corpora post resurrectionem minori indigere materiae quantitate, quam corpora mortalia et passibilia.

680. Ad 1. igitur, his praemissis, *D.* Mutantur atomi seu principia primigenia in aliam substantiam, ita tamen ut in se incorruptibilia et indestructibilia permaneant, *C.* ita ut haec in alia mutentur, *N.*

681. Ad 2. *D.* Ita tamen ut, quavis data anthropophagia, principia primigenia eadem subsistant, *C.* secus, *N.* Si ita est, certe poterit Deus singulis sua restituere.

682. Ad 3. *D.* Quin mutetur corpus, *Tr.* vel *C.* ita ut per jugem illam molecularum vicissitudinem corpus mutetur, *N.* In utraque enim hypothesi de totali vel partiali mutatione, corpus, uti videmus, idem semper perseverat; satis proinde erit, ut illud resumatur in resurrectione corpus, quod per mortem depositum est.

683. Ad 4. *Neg.* Ejusmodi enim supputatio fallax est et arbitraria. Ostensum siquidem est centum milliaria quadrata idonea esse ad continendam ingentem hominum multitudinem, quae sex mille annorum periodo hunc mundum incolere potuit juxta praesentem incolarum frequentiam. Vere nugantur increduli, dum talia obtrudunt ad impugnanda catholica dogmata.

CAPUT VIII.

DE JUDICIO EXTREMO.

684. Cum protestantismus in suis placitis in dies usque progrediatur, mirum nemini esse debet, si quod antea pro aris focisque tuebatur, brevi perneget impudentissime. Ita profecto factum est, ut prius adstruere debuerimus adversus priores protestantes existentiam judicii particularis, quod cum suis Calvinus negabat ad solum judicium universale propugnandum; nunc vero adversus protestantes posteriores debeamus vindicare dogma de judicio universali, quod isti inficiantur ad solum judicium particulare constituendum; utrique tamen protestantes sunt.

685. Huic universali judicio quotquot sunt, fuerunt, eruntque homines, ad unum omnes subjicientur, et hoc pariter perinde ac judicii existentia certum est. Quod vero attinet sive ad tempus, sive ad locum, sive ad

modum instituendi universalis hujus judicii, incerta sunt omnia. Nos ergo orationem nostram coarctabimus ad solum dogma vindicandum.

PROPOSITIO.

Post corporum nostrorum resurrectionem instituetur a Christo universale omnium hominum judicium.

686. De fide propositio est. In symbolo enim apostolico profitemur, quod *Christus venturus est judicare vivos et mortuos;* et in symbolo athanasiano fusius dicitur: *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.*

687. Luculenter porro hoc dogma traditur in Scripturis; etenim Christus: *Cum venerit*, inquit [1], *Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes;* et alibi saepe hoc ipsum inculcat. Apostoli ut plurimum ab hujus judicii denunciatione auspicabantur evangelii praedicationem; sic Petrus, Act. X. 42, ac Paulus, ibid. XVII. 31, et rursum, ibid. XXIV. 25. De hoc item judicio extremo refertae sunt apostolorum Epistolae, satis hic sint, quae in II. ad Cor. V. 10. leguntur: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Joannes vero, Apocal. XX. 21: *Et vidi*, inquit, *mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt ... et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.*

688. Convenientissimum autem fore ejusmodi judicium universale ac solemne, unusquisque facile perspiciet: in eo siquidem divini Numinis providentia in tota hac rerum universitate dirigenda, et patefiet et ab impudentissimis detractorum hominum blasphemiis justificabitur; in eo impiorum consilia et machinationes adversus justos, istorum autem angustiae et injustae vexationes angoresque in apertam lucem venient, in eo demum quotquot fuerunt hominum intimiores secretioresque animi recessus detegentur. Quo fiet profecto, ut et Deo gloria, et justis triumphus, et impiis opprobrium sempiternum proveniant. Haec porro sunt, quae Patres passim afferre solent, quibus christianos excitent ad vigilantiam, ut digni habeantur sisti coram supremo Judice, qui districte singulorum conscientias excutiet.

DIFFICULTATES.

689. I. Obj. 1. Judicio particulari post obitum instituto, inutile prorsus evadit universale alterum. 2. Dicendum propterea doctrinam de extremo judicio originem traxisse tum a mythicis seriorum judaeorum messianis

[1]) Matth. XXV. 31.

ideis, tum a perperam intellectis nonnullis Jesu effatis. 3. Sane Christus Marc. XIII. 32. tempus magnae illius rerum conversionis se ignorare professus est. 4. Sub velamine igitur istius forensis judicii ac sententiae, in pios ac impios proferendae, illorum super istos victoriam adumbratam agnoscere debemus. Ergo.

690. Resp. Ad 1. *D.* Si judicium extremum solius hominis causa foret instituendum, *Tr.* si ad Dei potissimum gloriam, *N.* Certe tum justi tum impii immediate post mortem promeritam sententiam ut privata individua subibunt; ast divinae providentiae ratio exposcit, ut publicam praeterea ac solemnem uti membra societatis subeant, et sic utrique completam et adaequatam remunerationem demum consequantur. Apposite s. Thomas huic ipsi difficultati respondit [2]: *Universale judicium magis directe respicit universalitatem hominum quam singulos judicandorum; quamvis ergo cuilibet homini ante judicium erit certa notitia de sui damnatione vel praemio; non tamen omnibus omnium damnatio vel praemium innotescet. Unde judicium necessarium erit.* Catechismus vero romanus quinque urget rationes [3], quibus ostenditur privato judicio generale subjiciendum esse, quas inter quarto loco et hanc profert, *ut divinae providentiae ratio omnibus constet.*

691. Ad 2. *Neg.* Siquidem hae non sunt nisi phrases congestae passim a rationalistis, quibus aperta Scripturarum testimonia eludant, seu impietates velo obductae. Verba Christi apertissima sunt, quibus judicium extremum denunciatur; ex Christi ore ea acceperunt apostoli, qui omnes uno animo hanc veritatem praedicarunt, consignaveruntque scriptis suis; qua igitur ratione possumus, quove jure ea repetere a mythicis seriorum judaeorum opinionibus? Hoc modo nulla superesset plane veritas, quae firma consisteret. Estne verisimile, quod apostoli male Christi verba intellexerint, adeo ut nonnisi post tot saecula eorum tandem intelligentiam rationalistae, id est, increduli, assequerentur? Quis haec, nisi plane desipuerit, affirmabit?

692. Ad 3. *D.* Christus apud Marcum loc. cit. fassus est diem illum ignorare in ordine ad manifestationem, *C.* simpliciter, *N.* Quomodo diem illum ignorare potuit Deus homo, qui praeterea in assumpta humanitate constitutus est supremus judex vivorum et mortuorum? Qui adjuncta omnia singillatim apud eumdem evangelistam secundi adventus sui, adeoque extremi judicii patefecit? Hanc difficultatem jamdiu disjecimus, agentes adversus arianos et socinianos, a quibus eam mutuati sunt rationalistae.

693. Ad 4. *Neg.* Nam hoc systema gratuitum est, cujus nulla affertur probatio, ac refragatur divinae revelationi, quae victoriam justorum super impios et judicium extremum plane distinguit.

[2]) *Suppl.* qu. 88. art. 1. ad 3.

[3]) Part. IV. cap. 8. n. 4.

694. II. Obj. Atqui omnia suadent ejusmodi judicium non esse nisi mythum ex formulis et allegoriis judaicis de adventu Messiae conflatum, mortuos resuscitaturi atque ad judicium vocaturi. Nam commemorantur nubes, quibus Messias vehitur; archangeli cum tuba et omne satellitium angelorum; convocatio omnium hominum et defunctorum et viventium; tribunal judicis, libri censurarum aperti et inspecti; singulorum examen atque sententia pronunciata, qua pii coelestis regni gaudiis, epulis coelestibus digni ac fruituri declarabuntur, impii autem cum diabolo flammarum infernarum suppliciis aeternis tradentur. Ac posteaquam judicium illud, quod statim post Hierosolymorum excidium instituendum ac prope instare diserte monent, peractum sit, mundum hunc igne interiturum, aliumque oriturum esse, novam Hierosolymam in novam terram e coelo demissum iri, aliaque ejusmodi perhibent. Haud obscure tamen significatur, aevo jam apostolico doctrinam illam mythis fuisse involutam, ut patet ex II. Petr. I. 16. Ergo.

695. Resp. *N. A.* Ad probationes autem adductas dicimus ab adversariis rei veritatem seu existentiam cum ejusdem enunciationis modo omnino permisceri, quae tamen ab invicem secernenda sunt. Nonnullae interdum veritates sub symbolicis figuris annunciantur, ut aliquo modo nobis sensibiles reddantur, cujus rei exemplum suppeditant Scripturae ipsae, quae Deo tribuunt oculos, aures, manus, pedes, alas, iram, indignationem etc., quae tamen non inserviunt nisi ad patefaciendas nobis intelligibiles ejus proprietates aut operationes. Quidni igitur idem eas praestitisse dicamus, cum nobis sub sensibilibus imaginibus extremum judicium veluti ob oculos ponunt? Nuda veritas est Christum olim venturum esse ad omnium hominum instituendum judicium, ut reddat unicuique juxta opera sua. Caetera possunt totidem emblemata esse ad rationem, ordinem, effectusque hujus judicii sensibili aliquo modo, quo altius mentibus nostris haec veritas infigatur, patefacienda.

696. Caeterum nihil impedit, quominus haec ipsa, quae ab adversariis recensita sunt, magna saltem ex parte litterali sensu adimpleantur. Si Christus a nube susceptus in coelum conscendit, poterit profecto et in nube descendere. Archangelus in corpore adscito poterit sensibili ratione apparere ac tuba canere, angelorumque satellitium Christum comitari. Convocandos porro omnes homines esse a quatuor ventis seu mundi plagis certa res est, quae in dubium revocari nequit. Quae de immutatione in resurrectione leguntur, afficiunt potissime electos, qui corpus recipient, ut vidimus, dotibus praeditum, quae glorioso ipsorum statui competunt; nam ad impios quod attinet, Apostolus scribit [4]: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, saltem ut fert vulgata lectio.

697. Quo autem sensu accipi debeant, quae de tribunali, censurarum

[4]) I. Cor. XV. 51.

libris atque examine dicuntur, jamdiu exposuerunt veteres Patres, inter quos s. Ambrosius scribit [5]: *Judicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum;* prout non obscure declarat Apostolus ipse, dum ait [6]: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum. Nihil enim est opertum,* ait Christus [7], *quod non revelabitur, et occultum quod non scietur.* Ex his discimus tum quae de libris et quae de examine in sacris litteris leguntur, metaphorice esse intelligenda; tum uno, ut ita dicam, temporis momento omnium conscientias patefactum iri, ita ut et propria et aliorum gesta ab omnibus ac singulis cognoscantur. Ex hac autem cognitione quisque intelliget praemiis ne an poenis aeternis donandus sit. Nec refert justorum retributionem sub epularum symbolo interdum proponi, prout alias sub laetis aliis imaginibus aut domus, aut regni, aut bravii exhibetur; siquidem homines sensibiles sensibilibus ejusmodi indigent figuris, ut ad intelligibilia extollantur. Alibi enim sensibilis hic apparatus abigitur.

698. Falsum vero est Christum praedixisse extremum judicii diem mundique finem *immediate* Solymorum eversionem subsecuturum. Etenim etiam admisso, quod plures negant interpretes, Christum Matth. XXIV. et in locis parallelis Marci et Lucae etiam de mundi fine ac judicii die esse locutum, haec tamen non conjunxit, uti adversarii autumant. Ex communiori expositorum sententia, cui adstipulantur etiam protestantes rationalistae, uti Kuinoel, tria in illo sermone Christus complexus est, urbis devastationem, secundum ipsius visibilem in terras adventum, ac demum judicium et mundi finem. De prima affirmavit: *Non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant.* De reliquis nullum tempus determinavit, immo vero professus est se diem illum manifestare nolle, cum hoc Pater in sua posuerit potestate, uti explanavimus ejus verba: *De die illa nemo scit neque angeli neque Filius.*

699. In hoc consentiunt, ut diximus, ipsi rationalistae biblici, inter quos recensuimus Kuinoelium, juverit proinde exscribere, quae habet hic auctor in cap. XXIV. Matthaei: *Quo vero,* inquit, *praeconceptae eorum* (discipulorum) *opinioni occurreret* (Christus), *cum eversione templi reipublicaeque judaeorum conjunctum fore initium regni messiani terreni . . . ita respondebat, ut appareret finem mundi serius secuturum esse; et ut hic mundi interitus ab interitu civitatis judaeorum satis perspicue discerneretur.*

700. Quod postremo loco adjicitur de hac doctrina mythis aevo apostolico involuta, somnium est rationalistae *vulgaris,* quem impugnamus. Ad hoc enim suadendum appellat Wegscheider ad II. Petr. I. 16; agit porro hoc in loco s. Petrus de praedicatione sua, ac de Christi Domini transfigu-

[5]) ***In Luc.*** lib. X. cap. 22. n. 49.
[6]) Rom. II. 15.
[7]) Matth. X. 26.

ratione, cujus se testem exhibet. En ejus verba: *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis D. N. J. C. virtutem et praesentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem, et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria... Et hanc vocem audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Quid hic autem commune habetur cum doctrina de judicio extremo jam apostolico aevo mythis involuta? Talis est indoles adversariorum catholicae fidei.

Et haec de Deo creatore hactenus.

INDEX VOLUMINIS I.

pag.

Lectori benevolo 5
Historiae theologiae cum philosophia comparatae synopsis 6

TRACTATUS DE VERA RELIGIONE.

CAPUT I. De possibilitate divinae ac supernaturalis revelationis 61
Prop. Possibilis est divina ac supernaturalis revelatio etiam veritatum, quae mentis captum excedunt 62

CAPUT II. De necessitate revelationis 65
Prop. Ex eo, quod nullus unquam populus, divina revelatione destitutus, dignum Deo cultum exhibuerit atque in absurdos contra sanae ethices principia errores dilapsus non sit, a quibus nullo modo revocari potuit, jure merito infertur divinae revelationis necessitas 65

CAPUT III. De notis verae ac supernaturalis Dei revelationis 69
ARTIC. I. De miraculis 70
Prop. I. Miracula sunt possibilia 70
Prop. II. Miracula certissimam divinae ac supernaturalis revelationis notam constituunt 72
ARTIC. II. De prophetiis 77
Prop. I. Prophetia est possibilis 77
Prop. II. Prophetia eventu comprobata certissimum exhibet divinae ac supernaturalis revelationis argumentum . . . 78

CAPUT IV. De existentia supernaturalis ac divinae revelationis 81

pag.

Prop. I. Christus divinam missionem suam miraculis ac vaticiniis eventu completis et praesertim sua a mortuis resurrectione comprobavit 81
Prop. II. Doctrinae evangelicae excellentia et sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missionem mirifice confirmant 86
Prop. III. Ejusdem divinae ac supernaturalis Christi missionis veritas ex admirabili christianae religionis propagatione adstruitur 90
Prop. IV. Divina ac supernaturalis christianae religionis origo ex ejusdem mira conservatione evincitur 92
Prop. V. Divinam eamdem ac supernaturalem revelationem evincit martyrum christianorum testimonium in suis omnibus adjunctis spectatum 94
CONCLUSIO 97

TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.

PARS PRIMA.

DE ECCLESIA.

SECTIO PRIOR.

Prooemium 98
De Ecclesia in se spectata 99
CAPUT I. De Ecclesiae origine 99
Prop. Ecclesia a Christo fundata est, antequam quidpiam Scripturis N. T. consignaretur, seu ecclesia Scripturis anterior est 100
CAPUT II. De Christi ecclesiae constitutione 102
ARTIC. I. Ecclesiae anima 103
Prop. Omnes ac soli justi pertinent ad ecclesiae animam . . 103
ARTIC. II. De Ecclesiae corpore 104
Prop. I. Ad Christi ecclesiae corpus spectant fideles omnes tam justi quam peccatores 105
Prop. II. Constituitur ecclesiae corpus ex hierarchia divinitus instituta, et ex coetu fidelium seu ex clericis et laicis divino jure a se invicem distinctis 107
ARTIC. III. De mutuo inter Ecclesiae animam et corpus commercio 111
Prop. Mutuum existit inter ecclesiae a Christo institutae animam et corpus commercium, quo illam vita supernaturali jugiter vivere et operari certissime deprehenditur 111
ARTIC. IV. De iis qui excluduntur a vera Christi Ecclesia . . . 114
Prop. I. Quotquot in communione non sunt cum vera Christi ecclesia, ad eam pertinere nullatenus possunt 114

pag.

Prop. II. Quoad illos omnes, qui culpabiliter extra ecclesiam ex hac vita decedunt, nulla datur salus 117

CAPUT III. De vera Christi Ecclesia 119

ARTIC. I. De Ecclesiae Christi proprietatibus 120

Prop. Vera Christi ecclesia necessario una esse debet, visibilis atque perpetua 120

ARTIC. II. De notis verae Ecclesiae 122

Prop. Notae verae ecclesiae sunt unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas 123

ARTIC. III. De praedictarum notarum applicatione 127

Prop. Recensitae et vindicatae verae Christi ecclesiae notae nonnisi ecclesiae romanae competunt atque competere possunt 127

CAPUT IV. De Christi Ecclesiae dotibus 133

ARTIC. I. De Ecclesiae indefectibilitate 133

Prop. Christi ecclesia est indefectibilis 133

ARTIC. II. De Ecclesiae infallibilitate 135

Prop. I. Ecclesia infallibilis est in iis omnibus, quae ad fidem moresque pertinent 135

Prop. II. Ecclesia infallibilis pariter est in factis dogmaticis decernendis 139

ARTIC. III. De auctoritate Ecclesiae 143

Prop. Ecclesia divinitus accepit auctoritatem independentem atque supremam sanciendi per leges exteriorem disciplinam, cogendique fideles ad earum observationem, et coercendi salutaribus poenis devios et contumaces 144

SECTIO POSTERIOR.

De Romano Pontifice 150

CAPUT I. De Petri primatu 150

Prop. I. Christus b. Petro primatum honoris et jurisdictionis in universam ecclesiam contulit, cui propterea eum caput praefecit 150

Prop. II. Eadem veritas ex traditione adstruitur 157

Prop. III. Petrus jurisdictionis primatum in universam ecclesiam immediate a Christo, non autem ab ipsa ecclesia accepit 160

CAPUT II. De Petri primatus in Ecclesia perpetuitate 162

Prop. I. Primatus a Christo Petro collatus debuit in ecclesia esse perpetuus 163

Prop. II. Petrus Romam venit, in eaque episcopatum instituit, rexitque usque ad obitum suum 165

Prop. III. Romani pontifices Petri in episcopatu romano successores illius primatum divino jure obtinuerunt, non autem humana, sive ecclesiastica sive politica, dispositione . 168

CAPUT III. De natura et juribus primatus Romani Pontificis 174

pag.

Prop. I. Auctoritas primatus, quo divino jure pollet romanus pontifex, auctoritas est episcopalis, quae omnes complectitur Christi fideles, etiam episcopos 174

Prop. II. Romanus pontifex vi sui primatus suprema auctoritate gaudet in omnes episcopos, etiam in generali synodo collectos 177

Prop. III. Ad solum romanum pontificem vi sui primatus spectat concilia oecumenica cogere, iis praesidere eaque confirmare 180

Prop. IV. Decreta dogmatica concilii oecumenici, confirmati a rom. pontifice, irreformabilia sunt ex se seu ante consensum et acceptationem ecclesiae 183

Prop. V. Commentitia est ac naturae pontificii primatus prorsus adversatur nuper invecta distinctio inter jura primatus essentialia et accidentalia sive accessoria 186

CAPUT IV. De Romani Pontificis primatus dotibus . . 189

Prop. I. Romanus pontifex ex cathedra definiens in rebus fidei et morum infallibilis est, ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat ecclesiae consensus, sunt prorsus irreformabilia; prout in primis sacrae litterae ostendunt . . 191

Prop. II. Eadem veritas evincitur ex sensu traditionali . . . 194

Prop. III. Idipsum confirmatur ex facto romanorum pontificum, quorum neminem in dogmaticis definitionibus errasse ostendi potest 198

PARS SECUNDA.

DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO.

SECTIO PRIOR.

De verbo Dei scripto 203

CAPUT I. De sacrorum Librorum canone et auctoritate . 203

Prop. I. Canon sacrorum librorum a concilio tridentino editus solidum habet in primitiva ecclesia fundamentum, ac integer est omnino retinendus 204

Prop. II. Rejecta ecclesiae catholicae auctoritate nequeunt protestantes certum sacrae Scripturae canonem constituere . . 208

CAPUT II. De divina sacrorum Librorum inspiratione . . 210

Prop. I. Jure merito concilium tridentinum docet unum Deum esse librorum canonicorum utriusque Testamenti auctorem seu eos esse libros sacros, utpote Spiritu Sancto afflante, saltem quoad res et sententias conscriptos 211

Prop. II. Rejecta ecclesiae catholicae auctoritate certo constare nequit protestantibus divina librorum canonicorum inspiratio 214

CAPUT III. De sacrarum Scripturarum interpretatione . 216

ARTIC. I. De sacrarum litterarum interpretatione dogmatica . . 217

pag.

Prop. I. Scriptura sacra etiam in iis, quae ad fidem moresque pertinent, non ita clara est, ut interprete non indigeat . 217

Prop. II. Solius ecclesiae est dogmaticam praebere Scripturae sacrae interpretationem 221

Prop. III. Protestantes, abjecta ecclesiae auctoritate, numquam certi esse possunt de dogmatica Scripturarum interpretatione 222

ARTIC. II. De exegetica seu scientifica Scripturarum expositione . 227

CAPUT IV. De Scripturae sacrae versionibus 229

Prop. I. Merito tridentina synodus ex omnibus latinis editionibus, quae circumferebantur, sacrorum librorum, veterem vulgatam editionem pro authentica habendam esse statuit et declaravit 230

Prop. II. Jure optimo romani pontifices societates biblicas nuncupatas veluti noxias et perniciosas iteratis decretis improbarunt 234

CAPUT V. De Scripturae sacrae lectione in lingua vernacula 237

Prop. I. Sacrae Scripturae lectio Christi fidelibus indiscriminatim omnibus minime necessaria est ad salutem 238

Prop. II. Numquam ecclesia, aut romani pontifices universim prohibuerunt fidelibus sacrae Scripturae lectionem in lingua vernacula, sed modo improbarunt, modo probarunt, prout temporum, locorum aut personarum adjuncta ac fidelium utilitas exposcere videbantur 241

SECTIO POSTERIOR.

De traditione 245

CAPUT I. De necessitate et existentia traditionis . . 246

Prop. Praeter sacram Scripturam admitti necessario debent traditiones divinae dogmaticae ab illa prorsus distinctae . . 246

CAPUT II. De mediis generalibus quibus transmissa est primitiva dogmatica traditio, quibusque tuto agnosci potest 256

§. 1. De ecclesiae magisterio 257

§. 2. De conciliorum, praesertim oecumenicorum, actis . . . 257

§. 3. De actis martyrum 258

§. 4. De sacra liturgia 258

§. 5. De ecclesiae praxi in publica et solemni sacramentorum administratione et cultu religioso 259

§. 6. De sanctis Patribus 259

§. 7. De scholasticis theologis 260

§. 8. De haereticis 261

§. 9. De historia ecclesiastica 261

pag.

CAPUT III. De mediis singularibus, quibus antiqua traditio transmissa est atque cognoscitur . . . 262
§. 1. De epigraphia 263
§. 2. De veterum christianorum monumentis reliquis . . . 264

PARS TERTIA.

DE ANALOGIA RATIONIS ET FIDEI.

SECTIO I.

Prooemium 266
CAPUT I. De ratione ante fidem spectata 267
ARTIC. I. De recto rationis usu ante fidem 270
Praenotanda 270
Prop. I. Plures veritates naturalis ordinis, quae tamquam praeambula fidei spectari possunt, sine supernaturalis revelationis subsidio recta ratio omnimoda certitudine cognoscere potest 274
Prop. II. Potest ratio, etiam individualis, ac propterea absque humani generis subsidio, sibi in pluribus certitudinem comparare 279
Prop. III. Potest humana ratio certo cognoscere motiva, quae vocant credibilitatis, ac per ea sibi certitudinem comparare de divinae revelationis existentia 284
Prop. IV. Potest pariter humana ratio certo verae Christi ecclesiae cognoscere existentiam 286
ARTIC. II. De abusu rationis ante fidem 288
§. 1. De philosophicae doctrinae placitis, quae directe fidei susceptioni adversantur 288
I. De pantheismo 288
II. De materialismo 290
III. De fatalismo ac determinismo 291
§. 2. De placitis philosophicis, quae indirecte fidei susceptioni obsistunt 291
I. De sensismo mystico 291
II. De empirismo 293
III. De hermesianismo philosophico 293
CAPUT II. De ratione cum fide 295
ARTIC. I. De fide in sua natura spectata 296
Prop. I. Fides in natura sua ac principio formali spectata essentialiter a scientia distinguitur 296
Prop. II. Licet motiva credibilitatis extrinsecam pariant objectorum fidei evidentiam, numquam tamen constituere possunt motivum formale actus fidei 297
Prop. III. Demonstratio, cujus capax est veritas christianae fidei

pag.

aut motivum quodcumque credibilitatis, non officit libertati illi, qua voluntas actum fidei imperare debet . . 299
Prop. IV. Potest de uno eodemque objecto haberi simul scientia ac fides 301
ARTIC. II. De nexu ac mutua relatione fidem inter ac rationem . 303
Prop. I. Fides neque extinguit naturale rectae rationis lumen, neque illi umquam potest adversari 304
Prop. II. Fides nedum humanae rationis incrementis adversatur, ea prorsus mirifice provehit 307
CAPUT III. De ratione post fidem 310
ARTIC. I. De recto rationis usu post fidem 311
Prop. I. Post susceptam fidem potest humana ratio fundamenta ipsius fidei singulorumque dogmatum investigare eaque tueri 311
Prop. II. Potest praeterea humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere 313
ARTIC. II. De abusu rationis post fidem 316
Prop. I. Nequit humana ratio seipsam unicam fidei regulam constituere, quin fidem destruat, quae ab auctoritate necessario pendet 316
Prop. II. Si verus est protestantismus, falsus est christianismus 318

SECTIO II.

De methodologia 322
CAPUT I. De theologi munere 322
CAPUT II. De methodo 324
CAPUT III. De instrumentis seu de mediis, quae theologo usui esse possunt 327

TRACTATUS DE DEO UNO.

Prooemium 330

PARS PRIMA.

DE DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS GENERATIM.

CAPUT I. De Dei existentia 331
Prop. Deus existit 332
CAPUT II. De Dei unitate 341
Prop. I. Deus unus est 343
Prop. II. Ethnici vel polytheismo proprie dicto, vel idololatrico cultu absoluto, vel passim utroque simul se commaculârunt 345

pag.

Prop. III. Absurdum est dualistarum systema, ac malorum origini explicandae impar 350

CAPUT III. De essentia Dei ejusque perfectionibus generatim 354

Prop. I. In Deo sunt omnes perfectiones 356

Prop. II. Deus habet omnes perfectiones simplices formaliter, mixtas autem eminenter 356

Prop. III. Essentia Dei metaphysica videtur constituenda in eo quod sit ens a se ac independens, seu in existentia a se 357

PARS SECUNDA.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS SINGILLATIM.

CAPUT I. De simplicitate Dei 358

Prop. I. Deus est omnino simplex 360

Prop. II. Absurda et haereticalis est illorum sententia, qui Deum corporeum esse censent. 361

Prop. III. Systemata pantheismi et autotheismi absurda sunt . 364

Prop. IV. Nulla admitti potest realis distinctio inter Deum ejusque attributa sive absoluta sive relativa, neque inter attributa absoluta ad invicem 371

Prop. V. Admitti debet rationis seu cogitationis distinctio tum inter divinam essentiam ejusque attributa sive absoluta sive relativa, tum inter ipsa attributa absoluta . . . 374

CAPUT II. De Dei libertate et immutabilitate 376

Prop. Deus est liber et immutabilis 377

CAPUT III. De infinitate, immensitate ac aeternitate Dei 379

Prop. I. Deus est infinitus absolute ac in omni genere perfectionis 380

Prop. II. Deus est immensus rebusque omnibus et locis intime praesens essentia sua 381

Prop. III. Deus est aeternus 383

PARS TERTIA.

DE SCIENTIA ET VOLUNTATE DEI.

CAPUT I. De scientia Dei 385

ARTIC. I. De divinae scientiae existentia ejusque proprietatibus . 385

Prop. I. Est in Deo veri nominis scientia eaque perfectissima 385

Prop. II. Scientia Dei est simplex, immutabilis ac infinita . 386

Prop. III. Scientia Dei est efficax et causa rerum 387

ARTIC. II. De objecto scientiae divinae 388

Prop. I. Deus seipsum perfecte cognoscit et comprehendit . . 389

Prop. II. Deus cognoscit omnia possibilia 389

pag.

Prop. III. Deus distincte cognoscit omnia praeterita, praesentia et futura sive necessaria, sive contingentia et libera . . 389

Prop. IV. Deus certo ac infallibiliter cognoscit futura contingentia conditionata 394

ARTIC. III. De medio scientiae divinae 398

ARTIC. IV. De divisione scientiae Dei 401

CAPUT II. De voluntate Dei 404

Prop. Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente, vult omnes homines salvos fieri, et Christus non pro solis praedestinatis sed pro omnibus mortuus est 405

PARS QUARTA.

DE PROVIDENTIA AC DE PRAEDESTINATIONE.

CAPUT I. De providentia 415

Prop. Datur in Deo providentia, quae ad omnia et singula sese extendit 415

CAPUT II. De praedestinatione 419

ARTIC. I. De praedestinationis existentia, natura et proprietatibus . 419

Prop. I. Datur ex parte Dei veri nominis praedestinatio, eaque certa est et immutabilis 421

Prop. II. Nemo sine speciali revelatione certus esse potest de sua praedestinatione 424

ARTIC. II. De causis et effectibus praedestinationis 425

CAPUT III. De reprobatione 426

Prop. Impium est asserere Deum ex solo beneplacito aliquos homines positive reprobasse atque aeterno supplicio destinasse, absque praevii peccati praevisione 427

TRACTATUS DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Prooemium 430

CAPUT I. De vocibus, quae in disserendo de augustissimo Trinitatis mysterio usurpantur 431

CAPUT II. De numerica divinae essentiae unitate in tribus personis 434

Prop. I. Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae. Probatur primo ex sacris litteris generatim . 434

Prop. II. Unitas divinae essentiae in tribus distinctis personis ex perpetuo et constanti ecclesiae sensu traditionali confirmatur 440

Prop. III. Mysterium sanctissimae Trinitatis rectae rationi adversari nullo modo ostendi potest 446

pag.

CAPUT III. De Verbi seu Filii divinitate et cum Patre consubstantialitate 449
Prop. I. Verbum est vere et proprie Deus ac Dei Filius Patrique consubstantiale 450
Prop. II. Eadem veritas ex traditione invictissime ostenditur . . 455
CAPUT IV. De divinitate Spiritus Sancti 461
Prop. I. Spiritus Sanctus vere et proprie Deus est, ut in primis ex Scripturis constat 462
Prop. II. Eadem veritas evincitur ex traditione 467
CAPUT V. De Spiritus Sancti a Patre et Filio processione 471
Prop. I. Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit 472
Prop. II. Immerito Graeci ecclesiam latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particulae Filioque . . 478
CAPUT VI. Ad ea, quae dicta sunt, scholia complectens 481

TRACTATUS DE DEO CREATORE.

PARS PRIMA.

DE ANGLEIS.

CAPUT I. De angelorum existentia 485
Prop. Tum ex Scriptura tum ex traditione universa angelos existere constat 486
CAPUT II. De natura angelorum 488
Prop. Angeli sunt meri spiritus omnis corporis expertes . . . 488
CAPUT III. De angelorum officiis 491
Prop. Dogma catholicum est, Scripturae ac Patrum auctoritate firmatum, angelos in hominum custodiam deputari . . 492
CAPUT IV. De angelorum gratia, lapsu et poena . . . 494
CAPUT V. De daemonum cum hominibus commercio . . 496
Prop. I. Tum ex Scriptura, tum ex Patrum et catholicae ecclesiae sensu constat veros dari daemoniacos seu a daemone obsessos 497
Prop. II. Jure merito leges sancitae sunt adversus superstitiosa cum daemone commercia 500

PARS SECUNDA.

DE MUNDO.

CAPUT I. De mundi creatione ex nihilo 503
Prop. Deus, prout ex divina revelatione constat, mundum ex nihilo in tempore et cum tempore condidit 504

pag.
CAPUT II. De mosaica cosmogonia 508
Prop. Neque ex geologicis aut physicis, neque ex astronomicis observationibus quidpiam eruitur, quo cosmogonia mosaica infirmari possit 509
CAPUT III. De mosaica epocha quatenus spectat humanum genus 512
Prop. Frustra increduli ex historicis documentis affirmant humanum genus antiquius esse epocha, quam Moyses constituit 512

PARS TERTIA.

DE HOMINE.

CAPUT I. De hominis creatione 516
Prop. I. Primi parentes immediate a Deo conditi sunt . . . 516
Prop. II. Universum humanum genus ab Adam omnium protoparente propagatum est 519
CAPUT II. De protoparentum gratia et felicitate . . . 525
Prop. I. Primi parentes in statu justitiae et sanctitatis constituti a Deo fuerunt 527
Prop. II. Una cum justitia et sanctitate conjuncta erant in primis parentibus eximia tum animae tum corporis dona: scientia in primis et perfecta voluntatis ordinatio quoad animam; immortalitas et immunitas ab aerumnis et doloribus quoad corpus 530
Prop. III. Status justitiae originalis seu gratiae sanctificantis et felicitatis, in quo primi parentes constituti a Deo sunt, non erat eis debitus 535
CAPUT III. De protoparentum lapsu 544
Prop. Primi parentes mandatum sibi a Deo datum transgressi sunt, ac per ejus transgressionem graviter peccarunt . . 544
CAPUT IV. De peccati originalis propagatione 546
Prop. I. Peccatum originale, quod est mors animae, in omnes Adae posteros transfundi sacrae litterae docent 548
Prop. II. Eadem veritas constat ex Traditione 552
Prop. III. Dogma de propagatione peccati originalis nullo modo rationi adversatur 558
Prop. IV. Beatissimam Virginem Mariam ex primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, veritas est a Deo revelata, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credenda 561

pag.

CAPUT V. De peccati originalis effectibus 567

Prop. I. Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non sufficit libertas a coactione, sed illa praeterea requiritur, quae dicitur a necessitate 567

Prop. II. Quamvis per originale peccatum liberum hominis arbitrium attenuatum sit, non est tamen extinctum, seu manet in statu naturae lapsae vera libertas indifferentiae ad merendum vel demerendum necessaria 576

CAPUT VI. De futura hominis vita 580

ARTIC. I. De supernaturali hominis beatitudine 580

Prop. I. Beati in patria supernaturaliter Dei essentiam intuitive vident 581

Prop. II. Beati supernaturaliter Deum non comprehendunt, nec comprehendere possunt 584

Prop. III. Beati pro diversitate meritorum inaequali ratione Deum vident 586

Prop. IV. Animae justorum, quibus nihil luendum superest, non expectata corporum resurrectione neque extremo judicii die simul ac corpore discedunt, beatifica visione donantur 588

ARTIC. II. De Purgatorio 594

Prop. Datur purgatorium, et justorum animae in eo detentae fidelium suffragiis juvantur 595

ARTIC. III. De Inferno 601

Prop. I. Daemonum hominumque impiorum poenae aeternae sunt 602

Prop. II. Dogma de aeternitate poenarum rectae rationi minime adversatur 609

ARTIC. IV. De statu decedentium absque Baptismo 613

Prop. Infantes ex hac vita sine Baptismo decedentes ad aeternam salutem pervenire non possunt 616

CAPUT VII. De futura corporum resurrectione 619

Prop. I. Datur futura corporum nostrorum universalis resurrectio 619

Prop. II. Dogma de futura corporum resurrectione rectae rationi non adversatur 623

CAPUT VIII. De judicio extremo 627

Prop. Post corporum nostrorum resurrectionem instituetur a Christo universale omnium hominum judicium 627

PRAELECTIONES THEOLOGICAE

QUAS IN COLL. ROM. HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

AB EODEM IN COMPENDIUM REDACTAE.

PRAEMISSA EST EJUSDEM HISTORIAE THEOLOGIAE CUM PHILOSOPHIA COMPARATAE SYNOPSIS.

EDITIO XXVII. RATISBONENSIS II.

NOVISSIMIS CL. AUCTORIS CURIS ORNATA ET AUCTA.

VOLUMEN II.

RATISBONAE MDCCCLVI.

SUMPTUS FECIT G. JOSEPHUS MANZ.

works of heretical tendency.

Errors

PRAELECTIONES THEOLOGICAE.

TRACTATUS
DE INCARNATIONE.

PROOEMIUM.

1. *Magnum pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne*, ut Incarnationem vocat Apostolus [1], duae potissimum hominum classes adortae sunt: et illi videlicet, qui *nihil omnino de hoc mysterio credunt*, cujusmodi sunt Hebraei, rationalistae et increduli; et illi, qui illud *non sicut est, credunt*, uti haeretici multiplicis denominationis. Cum utrisque propterea nobis res est. Adversus priores nobis adstruenda est promissio, expectatio et adventus Messiae, adversus posteriores germana hujus mysterii veritas est vindicanda. Quod quidem duabus partibus, in quas tractationem hanc distinguimus, efficere adnitemur.

PARS PRIOR.

DE MESSIA ADVERSUS HEBRAEOS.

2. Quae ad Messiam referuntur, revocari possunt ad ejus promissionem et expectationem; ad ejusdem adventus epocham, munia et officia; ad personam denique, in qua haec omnia adimpleta sunt. De his propterea singillatim totidem capitibus agere aggredimur.

[1]) I. Tim. III. 16.

CAPUT I.

DE MESSIAE PROMISSIONE ET EXPECTATIONE.

3. Circa hunc articulum duplex exortus est error: tum eorum, qui nullum umquam Messiam a Deo in Scripturis, praesertim in lege, promissum autumarunt, atque ab Hebraeis expectatum; tum eorum qui, etsi utrumque dent, tamen Messiae nomine non peculiare aliquod individuum, sed vagum ac indeterminatum, immo et multiplex designatum esse effutierunt. Ad priorem censum praeter Orobium haud pauci liberiores in Germania protestantes spectant, nec non Voltaire; ad posteriorem vero judaeo-incredulus spectat Salvador, qui non alium Messiam aut promissum aut expectatum censuit praeter temporalem liberatorem consilio et virtute pollentem, ad suppetias populo ferendas destinatum, quamvis ethnicum et idololatricum, cujusmodi Cyrus extitit, qui *Christi* seu *Messiae* nomine in Scripturis donatur. Ex quo infert et Messiam jamdiu advenisse, et adhuc expectari.

4. Neque ab hoc auctore valde abludunt sansimoniani, qui et ipsi rati sunt politicae libertatis assertorem et vindicem, aut etiam humanae naturae moralem restauratorem Messiam significare; quod quidem munus et ipsis foeminis credi posse, immo et debere non dubitant affirmare.

5. Rationalistae ad eludenda omnia Scripturarum oracula singulare quoddam *messianismi* aut *christologiae judaeorum* systema invexerunt, quo Messiae nomine idealis cujusdam felicissimique regni fundatorem venire arbitrantur; per hunc vero aurea illa aetas, varie a prophetis descripta et judaicae genti promissa, efflorescet, et illa verorum Dei cultorum societas ad honeste beateque vivendum hic in terris instituetur, quae in futura dein vita continuabitur, novaque exornabitur felicitate, cujus spei semina in V. T. libris sparsa reperiuntur.

6. His porro duas opponimus propositiones, in quarum altera promissionem et expectationem Messiae adstruemus; in altera promissum hunc et expectatum Messiam peculiare ac determinatum individuum esse ostendemus. Cujusmodi vero ille sit, patefiet ex illis, quae de Messiae muniis et officiis paulo infra disseremus.

PROPOSITIO I.

Aliquis Messias fuit a Deo in lege promissus et quovis tempore ab Hebraeis expectatus.

7. *Legis* nomine hic intelligitur universus Pentateuchus, seu quinque Moysis libri, qui *lex* in utroque foedere passim appellantur. Jam vero aliquem Messiam a Deo in lege fuisse promissum, tum ab Hebraeis quovis tempore expectatum, facile evincimus sive ex legis oraculis, sive ex numquam interrupta Hebraeorum traditione, cui traditio pariter omnium antiquissimorum populorum suffragatur.

8. Sane Genes. III. 15. Deus serpenti seu potius daemoni, sub serpentis larva latenti, his verbis poenam comminatus est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quibus in verbis tria habentur: *primo* poenam denunciatam serpenti, seu daemoni; *secundo,* poenam hanc inferendam daemoni esse a Messia; *tertio,* homines a diaboli servitute esse eripiendos. Etenim ad primum quod spectat, ex substrata materia id constat, quae est de auctore seductionis ac peccati, qui certe materialis serpens esse non potest, atque ex sensu totius antiquitatis; siquidem Sap. II. 24. legitur: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum;* Christus pariter de diabolo ait [1]: *Ille homicida erat ab initio;* et Apoc. XII. 9: *Et projectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem;* et reipsa a judaeis malorum daemonum princeps *serpens vetus* vocatur. Poenam autem diabolo inferrendam a Messia esse, liquet tum ex antithesi inter semen diaboli et *semen mulieris* antonomastice nuncupatum, et ex praenomine *ipsa* vel *ipsum,* siquidem הוּא hebraici textus in utroque genere legi potest: si legatur *ipsa,* sensus erit *ipsa per ipsum;* si vero legatur *ipsum,* refertur ad *semen,* quovis modo semper erit Messias, qui conteret serpentis caput seu debellabit diaboli potentiam, qui ad peccatum protoparentes induxit; liberatio denique hominum a servitute diaboli est effectus et consequentia triumphi, quem Messias laturus de diabolo est. Hac de causa merito hoc oraculum *protevangelium* vulgo vocatur.

9. Hanc eamdem promissionem labentibus temporibus Deus excitare non destitit, ut viva jugiter servaretur, et quo propiora tempora erant magis illustraretur; sic Gen. XII. 3; item XVIII. 18; XXII. 18; XXVI. 4; XXVIII. 14. promisit Deus Abraham, Isaac et Jacob in eorum semine omnes gentes benedicendas esse. Agi autem his in locis de benedictione per promissum Salvatorem obtinenda constans evincit judaeorum sensus traditionalis, juxta quem Apostolus eam de Messia exponit, dicens [2]: *Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenunciavit Abrahae: quia benedicentur in te omnes gentes.* Quae quidem confirmantur ac robur accipiunt ex Jacobi oraculo, atque ex prophetarum vaticiniis, in quibus promissi Messiae adventus epocha, locus, proprietates, munia ac officia praedicuntur, ut paulo post ostendemus.

10. Constantem praeterea hujus Messiae tum promissionis tum expectationis traditionem penes Hebraeos viguisse vel ex eo constat, quod sectae omnes, licet in pluribus a se invicem discrepantes, circa hunc articulum plane consentiant. De antiquis pharisaeorum, esseniorum, sadducaeorum ac herodianorum sectis nullum movetur dubium. De recentioribus karraitarum, qui sadducaeis successerunt, quique respuunt traditiones, et rabbanitarum successorum pharisaeorum, qui traditiones praeterea admittunt, circa hoc dogma consensionem unanimem, qui de illis scripserunt, luculenter osten-

[1]) Joann. VIII. 44. [2]) Gal. III. 8.

dunt. Hinc quamvis Samaritani pluribus ante captivitatem babylonicam saeculis a judaica tribu divisi fuerint, atque ex plerorumque criticorum sententia nonnisi Pentateuchum admitterent, attamen et ipsi in futurum promissum Messiam credebant eumque expectabant, uti aperte colligitur ex Christi colloquio cum muliere Samaritana. [3] Quapropter neque Christus neque apostoli umquam disceptare cum judaeis debuerunt circa ejusmodi promissionem atque expectationem messianam, sed eam uti ratam penes omnes habentes, de persona tantummodo, cui messiana dignitas esset adscribenda, discussio versabatur, vaticinia et miracula eo referebant.

11. Neque intra Judaeae fines firma haec persuasio se continuit, sed percrebuit per omnes orientales regiones, prout Suetonius ac Tacitus testantur. Sic enim scribit Suetonius [4]: *Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur.* Tacitus vero [5]: *Pluribus persuasio inerat,* inquit, *antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur.* Id ipsum confirmat Plutarchus in lib. *De Iside et Osiride;* virique eruditi monumentis in medium adductis apud Aegyptios, Persas, Chaldaeos, Zabianos, Graecos, Romanos, immo vero et apud Indos, Sinenses, Japones, Americanos, hanc eamdem persuasionem obtinuisse ostendunt; ita ut vere scribere potuerit doctus Prideaux [6], expectationem sive necessitatem cujusdam mediatoris Deum inter et homines ab ipso mundi exordio *apud omnes populos* invaluisse.

12. Constat igitur tum in lege a Deo Messiam fuisse promissum, tum quovis tempore ab Hebraeis expectatum; quod probandum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

13. I. Obj. 1. De promisso aut expectando Messia nihil prorsus in lege occurrit, non in Decalogo, non in Levitico aliisve mosaicis libris. 2. Nuspiam legitur: *Credite in Messiam.* 3. Dicendum igitur est messianam ideam ex divinis minis atque promissis divinando ortam esse. 4. Quae cum in quinque libris fundamentalibus haud expresse contineatur, nullo modo fidei articulum respectu Hebraeorum constituit, secus ac Maimonides contenderit, qui proinde a R. Josepho Albo eo nomine vapulat, quod numerum articulorum fundamentalium amplificaverit legis mosaicae, inter quos et hunc retulit de expectatione Messiae. 5. Hoc ipsum jamdiu praestiterat Rabbi Hillel, synedrii praeses ante Hierosolymorum excidium, qui affirmavit, Israelem nullum habere quem expectet Messiam. Ergo.

14. Resp. Ad 1. *Neg.* Si *legis* nomine universus veniat Pentateuchus; etenim praeter oracula, quae ex Genes. cap. III, XVIII, XXII, XXVI, XXVIII, attulimus, in quibus futuri liberatoris seu Messiae aperta promissio

[3]) Joann. IV. 25—29 et 42.
[4]) *Vespasian.* cap. 4.
[5]) *Hist.* lib. V. cap. 13.
[6]) *Hist. Judaeor.* part. I. lib. V.

continetur, nota sunt Moysis verba [7]: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus; ipsum audies;* tum verba Dei ipsius [8]: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi; qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, Ego ultor existam.* Quae non de sola prophetarum serie, uti post Orobium intelligenda esse contendit Salvador, sed de prophetarum maximo, scilicet Messia, dicta esse praeter veteris synagogae rabbinos, universa judaeorum natio semper intellexit. Hinc nemine prorsus contradicente, Petrus [9] et Stephanus [10] pro concione de Messia illa exposuerunt. Sane nullus in Israel unquam surrexit propheta, excepto Messia, qui sub quovis respectu Moysi similis dici possit, prout etiam Deut. XXXIV. 10. annotatum est. Falsum igitur est in lege neque promissum neque expectandum juxta eam esse Messiam. Quod si in Decalogo nulla ejus mentio injecta est, ratio patet, quia Decalogus agendorum, non credendorum, normam continet. In *Levitico* autem caeremoniales seu rituales leges levitis tantum traduntur.

15. Ad 2. *D.* Expressis verbis, *C.* aequivalentibus, *N.* Obligatio credendi ex ipsa divina manifestatione necessario oritur; nam si Deus revelavit aliquam veritatem, obligatio eam credendi suapte natura exsurgit; haec enim relativa sunt. Quamvis propterea nuspiam in lege legatur: *Credite in Deum,* nemo tamen dubitavit umquam, ex eo quod se Deus manifestaverit, esse in eum credendum.

16. Ad 3. *Neg.* Sed orta messiana haec idea est ex promissione Salvatoris, primum Gen. III. ac deinceps patriarchis saepe iterata. Comminationes ac pollicitationes divinae ad summum eam foverunt. Prophetae sequioribus temporibus divinam Messiae promissionem passim Hebraeorum mentibus excitarunt; tale est messianae ideae, seu potius fidei fundamentum.

17. Ad 4. *Neg.* Ut constat ex dictis; in libris symbolicis judaeorum et hic articulus praecipuus recensetur, et merito; siquidem Messiae expectatio perpetuum objectum fuit Hebraeorum antiquiorum ac recentiorum fidei: Messias enim finis est mosaicae legis. Hinc in *Thalmude, Tract. Sanhedrin,* cap. *Chelech,* diserte legitur: *Omnes prophetae non vaticinati sunt nisi de diebus Messiae.* Ex his patet, quo jure vapulet a Rabbi Albo Maimonides, qui tamen praecise eum non reprehendit quod inter fundamentales articulos recensuerit expectationem Messiae.

18. Ad 5. *D.* Postquam Messias advenit ac repudiatus est, *C.* absolute, *N.* En verba Hillelis ex *Thalm.* Tract. cit. *Sanhedrin,* cap. XI. ex edit. Cocceji excerpt. 31 et 36: *Expirarunt omnes termini: jam nullus Messias pro Israele.* Cum nempe Hillel cum gente sua noluerit messianam dignitatem in Christo Jesu agnoscere, compereritque elapsas esse epochas omnes a prophetis pro adventu Messiae determinatas, in desperationem actus

[7]) Deut. XVIII. 15.
[8]) Ibid. v. 18.
[9]) Act. III.
[10]) Ibid. cap. VII.

prorupit in adducta verba. Ex his specimen habemus doctrinae ac sinceritatis increduli Salvador.

19. II. Obj. Cum rationalistis: 1. Expectatio Messiae est idealis conceptus de quodam felicissimo quondam regno orituro, cujus germina jam ab ipso patriarcharum aevo praejacta erant. 2. Diviso davidico regno, sub quo florentissima fuit Hebraeorum conditio, multo magis conceptus ille idealis invaluit ex spe de novo regno davidico instaurando. 3. Laetam spem hanc prophetae potissimum foverunt, qui aut paulo ante captivitatem aut sub ipsa captivitate babylonica floruerunt, ad judaeos solandos ob tot calamitates, quibus eos obrui cernebant. 4. Inter hos eminet Daniel, qui describit imperium *ideale theocraticum* sub symbolica *filii hominis* persona judaeis destinata, ut quinta orbis terrarum monarchia post varias quidem calamitates obventura, sed aeterna et immutabilis mansura, cum mortuorum resurrectione et judicio extremo conjuncta. 5. Promissio igitur et expectatio Messiae non est nisi vana spes idealis, orta ex melioris conditionis desiderio ac prophetarum poëticis fictionibus fota. Ergo.

20. Resp. Ad 1. *Neg.* Sed idealis conceptus totus ac unice existit in capite rationalistico adversariorum, qui systema hoc sibi confixerunt, non solum absque vel levi fundamento, sed contra Scripturarum totiusque traditionalis sensus auctoritatem. Sane germina futuri regni hujus, quae ab aevo ipso patriarcharum praejacta dicuntur, alia non sunt praeter benedictionem patriarchis promissam, atque obtinendam ab omnibus gentibus per Messiam, qui erat ex eorum semine nasciturus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae,* quae verba de fide in Messiam exponit Apostolus [11], qui certe praeferendus est omnibus simul rationalistis.

21. Ad 2. *Neg.* Tum quia promissio et expectatio Messiae, uti vidimus, longe regno ipso davidico anterior est, cujus passionem et gloriam perpetuo David celebrat in Psalmis suis; tum quia post davidici regni divisionem non alium judaei Messiam praestolati sunt, quam promissum patriarchis et a Davide ipso celebratum. Regnum davidicum instaurandum est ecclesia a Messia constituenda, ad quam gentes omnes vocandae erant, prout vocatae sunt, constituuntque non *ideale,* sed vere *reale* Christi seu Messiae regnum.

22. Ad 3. *D.* Prophetae cujusvis aetatis laetam foverunt spem de bonis spiritualibus per Messiam obtinendis, *C.* spem regni idealis juxta gratuitum adversariorum systema, *N.* Prophetae quidem judaeorum animos ad fidem atque spem messianae expectationis jugiter erexerunt, spiritualia bona, quae esset Messias hominibus allaturus, modo aperte modo sub symbolicis descriptionibus exposuerunt; ast numquam spem inanem ac mere idealem foverunt. Fieri potuit, ut symbolicae ac typicae descriptiones materiali sensu a non paucis intelligerentur, prout reipsa a carnalibus judaeis, sub finem judaicae praesertim reipublicae, factum est. Verum enim vero aliud est perperam aliquid intelligere, aliud vero ex toto fingere rem ipsam, uti adversarii autu-

[11]) Gal. III. 8.

mant. Nisi fundamentum praecessisset realis hujus expectationis, numquam judaei errassent circa ejus intelligentiam.

23. Ad 4. *Neg.* Neque enim Daniel *ideale theocraticum* imperium praenunciat, sed *reale* Messiae regnum in aeternum mansurum, quodque universam terram occupaturum sit. Falsum insuper est regnum hoc messianum sub symbolo *filii hominis* venientis in nubibus coeli describi, siquidem filius hominis, ut ibid. legitur cap. VII. 13 seqq., qui pervenit usque ad thronum Altissimi, ille est, cui data exhibentur potestas et honor et *regnum*, et populi omnes, tribus et linguae; adeoque distinguitur a regno quod ei confertur. Quod porro ibid. v. 9. legitur de mortuorum resurrectione, deque judicio extremo, ac de Filio hominis veniente in nubibus coeli, Christo ipso interprete, de secundo et glorioso ipsius adventu intelligi debet, ut constat ex Matth. XXIV. ac locis parallelis Marci et Lucae.

24. Ad 5. *Nego* hanc *sequelam*, utpote provenientem ex gratuito ac male consuto rationalistarum systemate, quod repugnat non solum Scripturae, sed et universae constantique judaeorum et christianorum traditioni, immo et traditioni omnium antiquorum populorum, prout ostendimus.

PROPOSITIO II.

Messias a Deo promissus atque ab Hebraeis expectatus singularis et unicus est.

25. Scripturae numquam nisi de singulari et unico Messia loquuntur; Hebraei singularem quovis tempore et unicum Messiam praestolati sunt; characteres denique et officia, quae Messiae tribuuntur, singularem et unicum postulant. Ergo Messias a Deo promissus atque ab Hebraeis expectatus singularis et unicus est.

26. Sane cum Scripturae non per quamdam impropriam denominationem, qua reges et sacerdotes interdum Christos seu Messias vocare consueverunt, sed proprie de promisso liberatore loquuntur, qui per antonomasiam Messias dicitur, nonnisi singularem et unicum constanter significant. Sic Genes. III. ille promittitur, qui conterat serpentis caput; item Genes. XII. 18, 22, 26. ille promittitur, in quo benedicendae sunt omnes gentes; ibid. v. 49. ille praenunciatur qui mittendus est, qui est expectatio populorum, seu cui obedient populi. Hic ipse est, qui oriundus praedicitur ex familia David, ita ut per excellentiam Messias *Filius* David nuncuparetur. Ille cujus adventus epocha, et nativitatis locus accurate determinantur, uti latius postea expandemus. Atqui is certe singularis et unicus est. Ergo.

27. Neque alium praeter hunc ipsum Hebraei quovis tempore expectarunt. Quamvis enim identidem hebraici populi surrexerint strenui liberatores, qui illum e captivitatis eripuerunt jugo, qui fines hebraicae reipublicae extenderunt, extiterintque florentissimi reges, nemo umquam illorum Messias salutatus est, nec destitit umquam universa natio, quin Messiam sibi promissum praestolaretur. Contra vero fatiscente judaica republica ac in finem vergente, juxta prophetarum oracula avitamque traditionem ad unum omnes

Messiam aut advenisse aut proxime sese manifestaturum pro certo habebant. Etenim per id temporis, ut legitur Luc. III. 15. de Joann. Baptista: *Existimante autem populo, et cogitantibus in cordibus suis de Joanne, num forte ipse esset Christus;* ad eumdem, ut habetur Joann. I. 19. solemnis sacerdotum ac levitarum legatio missa est ad eum interrogandum, si esset *Christus.* Ibid. cap. IV. mulier samaritana dicit ad Jesum: *Scio quia Messias venit;* Matth. II. 2. Magi Hierosolymam veniunt interrogantes fidenter: *Ubi est, qui natus est rex judaeorum?* Cumque a sacerdotibus sciscitatus esset Herodes ubi *Christus nasceretur*, ipsi incunctanter responderunt: *In Bethlehem Judae,* juxta Michaeae V. vaticinium. Hoc ipsum testatur Josephus Flavius tum alibi, tum *De bello judaico,* lib. IV. cap. V.

28. Huc denique spectant characteres promissi atque expectati Messiae, nec non officia ac munia ab ipso juxta vatum oracula obeunda. Describitur enim venturus Messias ab Isaia, cap. XI. 1 seqq. nec non capp. XLII. 3; LXI. 1. mansuetus et humilis, cujus vox non esset audienda foris, qui calamum quassatum non conterat, nec linum fumigans extinguat, qui sit evangelizaturus pauperibus, allaturus lucem populis, aliaque prope innumera, de quibus in tractationis decursu agendum a nobis erit.

29. Jam vero haec omnia unicum ac singulare individuum necessario exposcunt, ut per se patet. Messias igitur a Deo promissus atque ab Hebraeis expectatus singularis et unicus est.

DIFFICULTATES.

30. Obj. 1. Messiae nomen ac dignitas ex Scripturis nulli peculiari individuo alligata est; tot proinde tributa est, quot notas messianas prae se tulerunt. 2. Has vero describit Isaias, dum viros sapientia atque intelligentia praeditos, spiritu consilii et fortitudinis exhibet, qui prophetarum exemplo idonei sint ad populum ab oppressione liberandum, excutiendosque animos, ut subita mutatione, ex servitute in libertatem, ex abjectione ad honorem revocetur. 3. Itaque juxta hebraicam doctrinam liberator istiusmodi seu Messias naturae limites haud praetergreditur. 4. Huc Balaami spectat vaticinium de stella, quae orietur ex Jacob, de radice, quae consurget ex Israel ad populum firmandum, ut fortiter agat. 5. Unaquaeque oppressionis periodus suos peperit salvatores, inter quos Cyrus, quamvis ethnicus *Christus* seu *Messias,* immo et *Salvator* ab Isaia, cap. XLV. 6. nuncupatus est. 6. Atque post *magnam dispersionem* quotquot judaicum populum e servitute liberare adnisi sunt, potuerunt inter Messias computari, uti Barcochebas ac Sabathai Levi, si felicior exitus ipsorum conatibus respondisset. Ergo.

31. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem nonnisi unus notas messianas prae se ferre potuit, prout ostendimus, verus scilicet Messias in lege promissus atque ab Hebraeis immo ab universo humano genere expectatus, non autem fictitius, qualem Salvador imaginatione sua sibi finxit.

32. Ad 2. *D.* Isaias unici Messiae characteres et notas exhibet, *C.* Messiarum in genere, quasi plures esse possent, *N.* Etenim Isaias postquam

cap. VII. vaticinatus est Emmanuelem, scilicet Messiam ex Virgine concipiente et pariente nasciturum, cap. XI. ejusdem Messiae dotes magnifice describit, dicens: *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini;* cum iis quae sequuntur. Quomodo vero haec transferri possunt ad eos, quos adversarius noster sibi confingit?

33. Ad 3. *Neg.* Nam vel ipse Isaias, ad quem provocat adversarius, exhibet cap. VII. Messiam nasciturum ex Virgine, quod suo loco vindicabimus, et cap. XI. eumdem perhibet thaumaturgum, qui aures surdorum patefaciat, caecos illuminet, claudos exsilire faciat, ut alia silentio praetereamus; uti prophetam eum praenunciavit Moyses, Deut. XIII. atque ut prophetam, thaumaturgum, ac Salvatorem etiam spiritualem praestolabantur judaei, ut ex Joann. III. 2; IV. 42; VI. 14; VII. 35. constat, et alibi passim. Dixi *etiam* spiritualem; nec enim inficiamur, sub finem praesertim judaicae reipublicae, invaluisse aliam opinionem de Messia quoque temporali, uti ex libris N. T. compertum est; sed ejusmodi idea superinducta numquam ideam, ut ita dicam, primogeniam de Messia spirituali delevit, sed utraque simul conjuncta est. Immo haec fuit lapis offensionis, in quem judaei impegerunt.

34. Ad 4. *Neg.* Ex unanimi enim constantique judaeorum traditione, Balaam locutus est de supremo illo rege Messia, cujus adventus fama longe lateque per orientales populos diffusa erat. Quanam porro ratione Messias devastaturus esset *omnes filios Seth*, seu *omnes homines*, ut exponit Onkelos, facile deprehenditur ex armorum genere, quibus esset usurus. Jam vero ipse *percutiet terram*, inquit Isaias XI. 4. *virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

35. Ad 5. *D.* Unaquaeque oppressionis periodus suos peperit salvatores improprie dictos, *C.* proprie dictos seu Messias in sensu, quo eam vocem hic accipimus, *N.* neque alio sensu nisi latissimo, Cyrus *Christus* seu *Messias* ac *Salvator* ab Isaia nuncupatus est, ob figuram etiam, quam suo modo Christi gessit per liberationem populi electi a captivitate temporali, quae typus fuit liberationis spiritualis, quam Messias allaturus erat a captivitate peccati et diaboli. Alioquin reges et judices vere dii essent, eo quod hoc nomine interdum in Scripturis donentur.

36. Ad 6. *D.* Per spiritum vertiginis, *C.* jure meritoque, *N.* Adeoque nec Barcochebas neque Sabathai aut alius quivis potuerunt aut umquam potuerunt inter Messias annumerari, quicumque fuisset aut futurus sit illorum conatuum exitus, cum Messias ex hactenus disputatis nonnisi unus sit, talibusque notis insignitus, ut cum alio permisceri numquam ullatenus possit.

CAPUT II.

DE EPOCHA ET OFFICIIS PROMISSI MESSIAE.

37. Triplex a recentioribus judaeis effugium excogitatum est, ut se a christianorum argumentis subducerent, quibus hi ostendunt Messiam promissum jamdiu advenisse. Aut enim inficiantur determinatam esse epocham adventus Messiae, aut si determinata sit, conditionatam eam esse autumant; aut demum si determinata et absoluta sit, nondum eam esse completam. His totidem propositiones opponimus, quibus ostendimus tum determinatam, tum absolutam, tum denique elapsam ejusmodi epocham esse. His quartam adjicimus, qua id ipsum ex officiis juxta prophetas a Messia obeundis conficiemus.

PROPOSITIO I.

Epocha adventus promissi Messiae ex sacris litteris certa ac determinata est.

38. Impetit haec propositio Paraphrasten Chaldaeum, R. Joseph Ben Jachia, Maimonidem aliosque omnes, qui nihil certi de tempore adventus Messiae in Scripturis constitutum affirmant.

39. Ast falsitatis arguitur ejusmodi assertio: 1°. ex Jacobi, Danielis, Aggaei ac Malachiae vaticiniis, in quibus epocha adventus Messiae determinatur ab interitu judaici sceptri et ab eversione urbis ac templi, ita ut ulterius protrahi non possit; 2°. ex judaeorum traditione agendique ratione sub illud tempus. Etenim juxta scholam elianam Messias adventurus erat anno ab orbe condito quatermillesimo, ad quem thalmudistae referunt *dies regis Messiae*. Et reipsa hac aetate magna animorum contentione exoptatus et expectatus Messias fuit, cujus rei fidem faciunt Solymorum commotio ac perturbatio ad Magorum adventum, Herodis timor, infantium caedes, ac paulo post interfectio eorum omnium, qui ex stirpe davidica provenire deprehenderentur, desperatio Hillelis, tumultus hac de causa excitati, veteratorum apparitio, qui se Messias venditarent, fama per id temporis longe lateque vulgata de dominatore a Judaea egressuro, aliaque id genus multa, quae aperte evincunt persuasum fuisse et ex sacris litteris et ex traditione constanti judaicae genti universae de epocha determinata adventus promissi Messiae. 3°. Falsitatis arguitur ex ingenua tot rabbinorum, qui nobis id ultro concedunt, confessione. 4°. Ex ipsa rei, de qua agitur, natura, cum Messiae expectatio fuerit objectum desiderii universae gentis, quae in hoc praefinitum tempus intuens, mirum in modum concitabatur ac permovebatur ad eum excipiendum, praesertim cum et genus et nativitatis locus, et characteres, et officia, et vitae ratio promissi Messiae in Scripturis patefacta ei fuerint.

DIFFICULTATES.

40. Obj. 1. Doctiores rabbini inter septem res hominibus ignotas recensent tempus restitutionis regni davidici seu adventus Messiae; 2. Danielis XII. 9. legitur angelum prophetae sciscitanti tempus adventuri Messiae respondisse: *Clausi sunt signatique sermones usque ad praefinitum tempus.* Ergo.

41. Resp. Ad 1. *D.* Recentiores seu qui post Christi adventum scripserunt, *Tr.* vel *C.* antiquiores seu ante illius adventum, *N.* In primis nonnisi pauci rabbini ita sentiunt; deinde cur et isti pauci in hanc sententiam concesserint, ratio aperta est. Nullum post tot saecula viderunt apparere Messiam, postquam scilicet verum Messiam repudiaverant; adeoque nil mirum si animum despondentes, negarunt epocham illius adventus determinatam esse. Deberent hi ostendere ante Solymorum excidium eamdem viguisse sententiam penes suos. Ast documenta omnia et publica facta contrarium evincunt.

42. Ad 2. *Nego* agi in objecto loco de tempore adventus futuri Messiae, cum hoc tempus angelus jam patefecerit Danieli, ut legitur ibid. cap. IX; fieri igitur nequit, ut Daniel sciscitatus fuerit ab angelo cap. XII. quod antea aperte adeo didicerat. Igitur sermo est in allegatis verbis de eo, quod toto hoc capite agitur; quidnam vero istud sit, res adeo obscura et incerta est, ut inter se nondum convenerint interpretes sive judaei sive christiani. Nequit idcirco ullum ex incerta re argumentum deduci.

PROPOSITIO II.

Epocha adventus Messiae in Scripturis determinata retardari nequit.

43. Nimia luce perculsi plerique judaei oraculorum propheticorum traditionisque universae, haud inficiari potuerunt epocham, de qua disserimus, determinatam esse. Argumentis idcirco christianorum pressi, confugerunt tanquam ad extremam tabulam, ad dilationem hujus epochae ob judaici populi peccata et demerita. Inane porro ejusmodi effugium esse sic ostendimus.

44. Si dilata esset epocha adventus promissi Messiae, ideo differri potuisset, quia conditionate praenunciata. Atqui hoc falsum est: 1°. quia nuspiam ejusmodi conditionis vestigia in Scripturis occurrunt, sed constanter in omnibus oraculis absolute epocha determinata exhibetur; 2°. quia hanc conditionem non patitur res ipsa, de qua agitur; siquidem Messias non pro solis judaeis venturus erat, sed etiam pro gentibus; absonum autem est gentes ob demerita judaeorum detrimentum pati debuisse; 3°. quia expresse in Scripturis conditio omnis excluditur, Danielis siquidem cap. IX. 24. tempus adventus Messiae *decisum* seu *determinatum* dicitur, juxta hebraicae vocis vim; ac Deus praeterea, Is. LII. 3 seqq. et alibi, protestatur se populum suum redempturum *propter se et propter gloriam nominis sui;* 4°. quia supervacanea fuisset toties in Scripturis epochae hujuscemodi determinatio;

5°. quia hanc conditionem numquam suspicata est vetus synagoga; 6. quia denique absurdum est peccata in causa fuisse dilationis Messiae, ejus nempe qui ad peccata delenda venturus erat. Quae cum ita se habeant, jure concludimus effugium de dilatione promissi Messiae vanum esse atque unice ad christianorum argumenta eludenda a serioribus judaeis excogitatum.

DIFFICULTATES.

45. Obj. 1. Plura sunt vaticinia in Scripturis absolute enuntiata, quae tamen conditionem saltem implicitam continere eventus patefecit; id ipsum igitur evenire potuit in vaticiniis messianis. 2. Nec desunt prophetiae, licet messianae, quae conditionem tamen expresse continent: sic Deut. XXX. 10. redemptio Israel promittitur: *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui... et revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua.* 3. His permoti auctores *Pesichtà*, et thalmudistae in *Ghemarà babylonica*, quos plerique omnes rabbini sequuntur recentiores, poenitentiae defectui adscribunt dilationem adventus Messiae, quamvis transacti termini sint a prophetis constituti. Ergo.

46. Resp. Ad 1. *D.* Quae tamen conditio sive ex subjecta materia, sive ex adjunctis, sive denique ex aliis locis appareat, *C.* secus, *N.* Haud inficiamur in Scripturis quandoque reperiri vaticinia conditionata, quae tamen absolute enunciantur. Verum ab ipsa substrata materia, e. gr. comminationibus aut promissionibus temporalibus, conditio innuitur, eamque satis aperte conditionem, quae alibi etiam exprimitur, patefaciunt Scripturae. Contra vero vaticinia messiana neque conditionem patiuntur, neque alia loca Scripturarum insinuant, uti ostendimus, immo eam prorsus excludunt.

47. Ad 2. *Neg.* Siquidem in adducto Deuteronomii testimonio nullus est de Messia sermo, sed de sola felicitate aut punitione Israelitarum, prout diversa ratione in ordine ad legis observationem aut transgressionem se gererent. Promittit tamen Deus se eos revocaturum a captivitate, in quam forte ob peccata sua incidissent, si eorum sinceram poenitentiam egissent, prout reipsa saepe factum esse sub judicibus et regibus ipsorum historia testatur.

48. Ad 3. *D.* Postquam scilicet elapsae omnes epochae sunt, verusque Messias abjectus est, *C.* ante id tempus, *N.* Deberent ostendere rabbini, qui hoc perfugium invexerunt, veterem synagogam id ipsum sensisse, cum epochae illae nondum transactae essent.

PROPOSITIO III.

Advenisse Messiam a Deo promissum atque a judaeis expectatum, jamdiu elapsae epochae, prophetarum oraculis determinatae, luculentissime ostendunt.

49. Prophetarum oracula, in quibus epocha promissi Messiae determinata est, quatuor praecipue sunt; oraculum videlicet jacobaeum, vaticinium Da-

nielis, prophetiae demum Aggaei ac Malachiae. Haec igitur expendenda suscipimus singillatim, ne simul congesta confusionem pariant.

§. 1.

JACOBAEUM VATICINIUM EXPENDITUR.

50. Celeberrimum hoc vaticinium exhibetur Gen. XLIX. 8 seqq. Cum enim Jacob jamjam moriturus ad se vocasset filios suos, ut eis benediceret *benedictionibus propriis,* annunciaretque ipsis obventura in diebus novissimis, cum ad Judam pervenisset quartum filium suum, sic ei fausta ominatus est: *Juda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad praedam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena; quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium;* seu ut postrema haec verba in hebraico textu leguntur: *Non recedet sceptrum a Juda, et legislator de inter pedes ejus, donec veniat Sciloh et ei obedientia populorum.*

51. Tria, ut rem conficiamus, hic nobis evincenda sunt: 1°. hoc oraculum ad Messiam pertinere; 2°. ejusdem adventus epocham determinare; 3°. jamdiu fuisse completum.

52. Primum autem evincitur tum ex vi vocis שִׁילֹה tum ex iis, quae huic *Sciloh* tribuuntur. Jam vero etsi multiplex a philologis radix voci *Sciloh* assignetur, tamen omnes in eo collineant, ut de Messia intelligi debeat. Etenim qui eam derivant a שָׁלֵהּ, *tranquillus* aut *quietus fuit,* hunc ei sensum tribuunt oraculo: *Non recedet sceptrum a Juda... donec veniat pacificus* aut *tranquillator.* Huic interpretationi favet codex samaritanus, in quo legitur: *Donec veniat pacificus.* Messias porro ab Isaia IX. 7. vocatur *Princeps pacis,* utpote qui venturus esset ad tranquillitatem ac pacem afferendam. Si vero eam vocem repetamus a radice שִׁיל vel שָׁלַל, tunc idem est *Sciloh* ac *Filius ejus,* seu qui antonomastice filius Judae dici potest, scilicet Messias. Qui demum malunt legere שִׁלֹּה pro שִׁלּוֹ, huic voci vim tribuunt significandi *quod ei* seu *cujus est,* nempe sceptrum, de quo hic loquitur Jacob. Quo sensu hanc vocem videntur plerique veteres accepisse. Sane LXX. habent: *Donec veniat quae ipsi reposita sunt,* seu ut alii legunt: *cui repositum est,* ut etiam interpretantur Aquila et Symmachus. Hi igitur hunc sensum referunt: *Donec veniat regnum, quod repositum est ei,* videlicet Messiae. Hunc sensum clarius expressit Onkelos scribens: *Donec veniat Messias.* Vere igitur, hic saltem, Rosenmüller scripsit interpretes omnes *raro consensu,* quavis etiam admissa etymologia vocis *Sciloh,* convenire in illa de Messia intelligenda aut aliqua ejus proprietate. Hinc veteres Hebraei in Thalmude, *Tract. Sanhedrin, Perek Chelek, in Berescith rabbà* vocem *Sciloh* inter Messiae nomina retulerunt.

53. Non minus luculenter id ipsum evincitur ex iis, quae huic *Sciloh*

tribuuntur; subdit enim Jacob: *Et ipse erit expectatio gentium,* seu: *Et ei obedientia populorum,* quae verba Onkelos reddit: *Et ei obtemperabunt populi;* Jarchi vertit: *Et ei congregatio populorum;* uterque Arabs interpres: *Et ad eum congregabunt se populi;* Alexandrini, quos secutus est s. Hieronymus, habent: *Ipse expectatio gentium;* quibus consonat Syrus: *Et eum expectabunt populi.* Jam vero ille qui *κατ' ἐξοχήν expectatio gentium* dicitur, cui erit *obedientia populorum,* ad quem se populi congregabunt, ad quem confluent gentes omnes, profecto alius non est nisi Messias, prout prophetae saepe declarant, praesertim vero Isaias tum alibi, tum XI. 10; XLV. 6; LI. 5; LXV. 1; LXVI. 19. Et Hebraei ipsi contendunt. Exploratum igitur est, quod primo loco constituimus, tum ex voce *Sciloh*, tum ex iis quae *Sciloh* tribuuntur, sermonem in hoc oraculo de Messia esse.

54. Epocham porro in hoc ipso oraculo determinari adventus promissi Messiae, constat: 1°. ex ipsis particulis עַד־כִּי, quae semper vertuntur: *donec, usque dum, usque ad,* etc. Constat 2°. ex Jacobi scopo vaticinantis nunquam ablatum iri *sceveth* sive *sceptrum,* nempe supremam potestatem, aut tribum e Judae pedibus, seu de medio ejus, donec veniat *Sciloh* seu Messias, ut hac ratione signum praeberet adventus ejusdem Messiae; jam vero si nullum terminum praestituisset Jacob in adductis particulis, nullum signum dedisset quo et expectaretur et agnosceretur promissus Messias. Constat 3°. ex communi antiquorum interpretatione, qui cum viderent judaicum regnum ad finem properare, tempus, ab hoc vaticinio pro adventu futuri Messiae praestitutum, advenisse collegerunt.

55. Transactam demum hanc epocham esse, seu adimpletum jacobaeum vaticinium facile ostenditur: ex Jacob non erat auferendum a Juda sceptrum, donec veniret Messias; atqui jamdiu sceptrum defecit; ergo jamdiu transacta designata epocha est, completumque est vaticinium.

56. *Sceveth* porro nomine significari *supremam potestatem, imperium, imperatoriam dignitatem,* patet tum ex Num. XXIV. 17; Is. XIV. 6; Zachar. X. 11; ubi identica phrasis reperitur: *Et sceptrum Aegypti recedet;* tum ex versione alexandrina et Theodotionis, ubi vox *Sceveth princeps* vertitur, in Symmachi translatione vero *potestas;* tum denique ex paraphrastis Chaldaeis, inter quos Onkelos posuit: *exercens dominium,* Jonathan vero et Jerusalmi exposuerunt de *rege.* Confirmatur autem vocis *Sceveth* hoc in loco data significatio ex altero membro, ubi voci *Sceveth* respondet vox מְחֹקֵק *(mechokek),* quae proprie eum, *qui aliquid statuit, decrevit,* significat, et *legislatorem* denotat, ac in universum de *primoribus praefectis* populi exercitusve usurpatur, ut Judic. V. 14; Psalm. vero LIX. 9. Judas vocatur *princeps antesignanus, mechokek.*

57. Constat igitur ex dictis oraculum jacobaeum et Messiae adventum respexisse, et illius certum tempus praenuntiasse; hoc denique jamdiu praeterlapsum esse, adeoque oraculum completum, Messiamque advenisse.

DIFFICULTATES.

58. I. Obj. 1. Jacobaeum vaticinium habere pro objecto Messiam, res admodum incerta est, cum aeque Moysi, Sauli, Davidi, Jeroboamo, potissime vero Nabuchodonosor aptari possit, quibus gentes seu populi obediverunt. 2. Potest praeterea vox *Sciloh* de urbe hujus nominis intelligi, adeo ut sensus oraculi sit: *Non recedet sceptrum a Juda,* seu Judas non desinet esse antesignanus et dux populi israelitici universi donec venerit *Siluntem;* nempe juxta vocabuli vim, donec venerit ad *quietem* post longas in deserto peregrinationes. Haec interpretatio communis jam est; eam siquidem propugnant Rab. Lipman, Teller, Zirkel, Justius atque Gesenius. Ergo.

59. Resp. Ad 1. *N.* Notae siquidem, quae *Sciloh* tribuuntur in jacobaeo vaticinio, nulli praeterea quam Messiae convenire possunt. Quominus enim intelligatur vaticinium de Moyse, Saule, Davide aut Jeroboamo obstat perduratio sceptri seu supremae potestatis, quae longe post ipsos in Juda perseveravit, uti ex historia constat; nulli horum insuper competit, quod de obedientia populorum ibidem dicitur. Multo vero minus ea conveniunt Nabuchodonosor, sub quo suspensa quidem est suprema potestas in tribu Juda, non autem penitus ablata; quamvis autem pluribus populis dominatus hic fuerit rex, quum tamen ejusmodi obedientia violenta fuerit, non ea est, de qua loquitur Jacob, qui de subjectione aut confluentia spontanea disserit juxta vim hebraicae vocis יִקְהַת et allusionem ad benedictionem omnium gentium, obtinendam ex semine Abraham, Isaac et Jacob ipsius.

60. Ad 2. *Nego,* jacobaeum oraculum *frigidam* hanc interpretationem, ut vocatur ab ipso Rosenmüller, admittere posse; tum quia Jacob loquitur de persona, non autem de urbe; tum quia notae *Sciloh* tributae aptari urbi *Silo* nullo modo possunt; tum quia denique contraria ejusmodi interpretatio est sensui traditionali totius synagogae et antiquiorum interpretum Hebraeorum, uti ostendimus. Communis porro ea expositio non est nisi penes paucos rationalistas protestantes.

61. II. Obj. Saltem nulla epocha adventus Messiae determinata deprehenditur in verbis Jacob: 1. Particulae enim עַד־כִּי, quae verti solent *donec, usque, usque dum,* non terminum sed continuationem significant, quod innumeris prope utriusque foederis exemplis ostendi potest: e. gr. in Ps. CIX. 1. legitur: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos* etc.; Matth. I. 25. de Joseph legitur: *Et non cognoscebat eam* (Mariam) *donec peperit filium suum primogenitum,* ostenditque ex professo s. Hieronymus, *Comment.* in hunc locum. Sensus igitur hujus oraculi est, ut animadvertit Rab. Aben-Ezra: *Non recedet sceptrum a Juda, donec veniat Sciloh, id est, numquam auferetur, seu numquam recedet sceptrum a Juda, multo minus quum venerit Sciloh,* cujus locutionis exemplum suppetit Gen. XXVIII. 15. ubi Deus Jacob juxta hebraicam veritatem sic affatur: *Non deseram te, usque dum fecero quod locutus sum tibi,* id est, *multo minus*

te deseram cum te reduxero in terram hanc. 2. Accedit, quod particula עַד non solum significet *donec, usque dum,* sed etiam *perpetuo,* ut patet ex Exod. XV. 18. ac propterea hic sensus exsurgit: *Non recedet sceptrum a Juda in perpetuum, quia veniet Sciloh.* 3. Insuper *Sceveth* passim in Scripturis significat *virgam afflictionis*, ut liquet ex Ps. II. 9; et Is. X. 5. adeoque sic exponi potest oraculum Jacob: *Non recedet virga afflictionis a Jacob, donec veniat Sciloh.* Ergo.

62. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Particulae *donec, usque* etc. non semper significant terminum aut cessationem in propositione *enunciativa, C. prophetica, N.* Etenim in prophetia seu futurorum eventuum praedictione, particula *donec* semper terminum significat, alioquin vaticinium vagum fieret, vimque suam amitteret; propheticum vero est oraculum jacobaeum, adeoque particula *donec* terminum exprimit. Exempla, quae allata sunt, aliaque ejusmodi quae adduci possent, ad rem praesentem non referuntur. Concidit proinde Aben-Ezra expositio et argumentum superstructum.

63. Ad 2. *D.* Si particula עַד solitarie sumatur, *C.* si conjuncta cum כִּי reperiatur, *N.* Nusquam in Scripturis conjunctio particularum עַד־כִּי significat *in aeternum, in perpetuum*, aut *perpetuo.* Sane exempla ab adversariis adducta exhibent solam particulam עַד; contra vero quoties conjunctae illae duae particulae occurrunt, toties in significatione *donec, usque ad* etc. reperiuntur. Adeoque falsitas allatae expositionis colligitur, quae praeterea nova est, ac tum scopo Jacobi; tum sensui traditionali contraria.

64. Ad 3. *D.* Si adhibeatur *Sceveth* cum epitheto afflictionem significante, *C.* per se in usu biblico, praesertim vero in casu nostro, *N.* Objecta porro exempla responsionem nostram confirmant; in Psalmo enim II. dicitur *virga ferrea,* apud Isaiam legitur *virga furoris.* Hunc autem sensum excludit Jacobi oraculum, in quo omnia fausta Jacob ominatur Judae, *legislator* sive *princeps, antesignanus* et *dux* contraponitur in altero hemistichio voci *Sceveth;* ut praeteream ejusmodi violentam interpretationem ab historia explodi.

65. III. Obj. Nondum exploratum est jacobaeum vaticinium esse completum. Nam 1. dici nequit desiisse sceptrum a Juda, cum adhuc vigeat regnum florentissimum sub Echmalotarcha seu principe captivitatis, in quo judaei propriis legibus ac institutis vivunt. 2. Retinent praeterea judaei jus ad regnum patrum suorum, quo per summum nefas a Romanis exspoliati sunt. 3. Nisi porro hoc jus sufficeret ad sceptrum retinendum, defecisset sceptrum a tribu Juda quinque ad minus saeculis ante generalem dispersionem, quod profecto christiani non admittunt. 5. Cum demum ex Levit. XXVI, XL et XLI; Deut. XXX, XXXII et XLIII. judaica respublica restitui debeat, praesens judaeorum conditio precaria dici potest, adeo ut templum Jehovah ac palatium legis iterum excitari debeant. Ergo.

66. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* Ejusmodi enim florentissima regna

nullibi existunt nisi forte in imaginatione rabbinorum. Mirum est in tanta geographiae luce judaeos adhuc ejusmodi fabulis delectari, ac sibi turpiter illudere.

67. Ad 2. *D.* Si Jacob de *jure* locutus esset, *Tr.* si de facto, *N.* Jam vero Jacob loquitur de *ablatione sceptri,* adeoque de facto, alioquin nullum prorsus signum praenunciasset de adventu futuri Messiae; atque hinc vetus synagoga non de jure, sed de facto hoc oraculum intellexit.

68. Ad 3. *Neg.* Captivitate enim babylonica sceptrum judaicum non penitus ablatum est, tum quia captivitas illa brevi perduravit; tum quia Deus per prophetas populum suum saepe certiorem fecit de reditu seu proxima liberatione ab eadem captivitate; tum quia denique cum sceptri nomine, ut postea declarabimus, non regalis, sed suprema potestas veniat per collectionem ejusdem Judae tribus, quae semper perstitit, nec cessavit hoc sensu, tota illa captivitatis periodo, sceptrum a Juda.

69. Ad 4. *D.* Quatenus Deus miseraturus aliquando sit caecitatis judaicae gentis, *Tr.* in sensu adversariorum, *N.* Nempe in allegatis testimoniis vel agitur de partialibus captivitatibus, in quas incurrere debuerunt Hebraei ob ipsorum peccata, et a quibus liberandi erant, si eos patratorum scelerum poenituisset; aut agitur de conversione Hebraeorum ad Messiam, quem repudiarunt, uti paulo post ostendemus. Caeterum cum de facto judaica gens privata sceptro sit ab octodecim saeculis, quaecumque demum futura sit ejus conditio, certum est et oraculum jamdiu fuisse impletum, adeoque Messiam jamdiu advenisse.

§. 2.

EXPENDITUR VATICINIUM DANIELIS.

70. Daniel in babylonica captivitate peccata sua ac populi universi confitens afflictabatur, veniam eorum et liberationem per promissum Messiam enixe rogabat. Adhuc oranti adstitit angelus Gabriel, qui eum his verbis cap. IX. 24. effatus est: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.* Vers. 25: *Scito ergo et animadverte; ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt; et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum.* Vers. 26: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Vers. 27: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

71. Ita quidem vulgata versio, a qua in nonnullis discrepat textus originalis; praecipuae autem variantes hae fere sunt: in v. 24. pro *abbreviatae*

hebraica veritas habet *decisae, resectae,* vel *decretae* aut *statutae* sunt; et quod noster Vulgatus vertit *Sanctus Sanctorum,* hebraicus habet *Sanctissimum,* aut *Sanctitas Sanctitatum.* Sic v. 26. pro *occidetur Christus et non erit* etc., legitur in textu originali: *extirpabitur* vel *excidetur unctus (Christus), et non ei. Urbem et Sanctuarium destruet populus principis venturi, et finietur in inundatione, et usque ad finem est bellum, decretum ruinarum.* Demum v. 27. illud: *Et erit in templo abominatio desolationis* etc., ita se habet in textu: *Et super extremitatem* seu *culmen abominationum vastator, et quidem usque ad completum et resectum stillabit,* seu *fundetur supra vastatum.*

72. Quibus praenotatis tria pariter hic praestare debemus, tum videlicet Danielis vaticinium ad Messiam pertinere; tum epocham promissi Messiae in eo determinatam esse; tum denique elapsam jamdiu ejusmodi epocham esse.

73. Porro oraculum Danielis Messiam unice spectare, primo quidem vaticinii verba, secundo vero characteres et notae, tertio demum veteris synagogae sensus traditionalis apertissime evincunt. Etenim ille promittitur, qui vocatur *Sanctus Sanctorum,* seu *Sanctitas Sanctitatum,* seu etiam *Sanctissimus.* Jam vero talem futurum Messiam nemo est qui ambigat, cum Ps. XV. 16; et Is. XII. 6. expresse per excellentiam *Sanctus* vocetur; item qui ibidem promittitur, dicitur *Messias* et *princeps* sive *dux,* qui praeterea debebit pactum, sive foedus Dei cum hominibus confirmare; quamvis autem improprie plures alii in Scripturis *Uncti, Christi,* aut *ducis* nomine donentur, solus Messias est, cui proprie competit ejusmodi denominatio, qui ab Isaia XLII. 6; et XLIX. 8. datus dicitur in *foedus populi,* et a Malachia III. 1. *Angelus Testamenti* seu *foederis* vocatur. Et haec quoad verba. Si nunc characteres et notas expendamus, quae huic *Messiae* seu *duci* tribuuntur in vaticinio, melius adhuc res conficitur. Siquidem ille promittitur venturus, qui praevaricationem consummet, finem imponat peccato, deleat iniquitatem, atque justitiam adducat sempiternam. Atqui haec munia propria esse Messiae, prophetae omnes uno animo tradunt, Isaias LXI. 1; Zacharias III. 8; Malachias capp. III et IV; ita ut Petrus pro concione, Act. X. 43. de Christo dicere non dubitaverit: *Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Sive igitur verba ipsa Danielis sive characteres illius, qui in vaticinio promittitur, spectentur, constat alium hunc non esse aut esse posse nisi Messiam.

74. Haec autem mirifice confirmantur ex veteris synagogae sensu traditionali, cujus rei testes locupletissimi sunt Rabbi Manasses, et Josephus Flavius, qui tum in *Antiquit.* lib. X. cap. 11. §. 7; tum *De bello judaico,* lib. IV. cap. 6. §. 2. habet, omnes judaeos ex antiqua traditione ad Messiam retulisse oraculum Danielis, eaque de causa sub Vespasiano ac Tito arma sumpsisse adversus Romanos. Id ipsum constat ex eo, quod refert R. Rasci in *Seder holam,* in *Jalkut Simeoni,* II. fol. 79. ideo Jonathano Ben-Uziel interdictum fuisse ne suam paraphrasin in *Chetuvim* seu *Hagiographos* evulgaret, quia nimirum messiani adventus epocha manifestius statueretur. Juxta

rabbinos in *Berescit Rabba* in cap. 14. *Genes.* pag. 264. Messias adducere debet *justitiam saeculorum;* immo vero juxta Nachmanidem, Mosem Geronensem ac Mosem Haddarschan, apud Schöttgenium [1], ipsemet Messias justitia est sempiterna, et Sanctus Sanctorum; R. Mordachai in *Scemen Amischà Aphtarà,* I. fol. 12. fatetur Messiam illum esse, ad cujus adventum perducunt LXX Danielis hebdomadae. Exploratum igitur est veterem synagogam praecipuosque rabbinos pro certo habuisse Messiam objectum esse Danielis vaticinii.

75. Multiplici vero ex capite adstruitur, quod secundo loco constituimus, determinatam scilicet esse adventus messiani epocham in hoc vaticinio; ac 1°. ex relatione LXX harum hebdomadarum cum ann. LXX a Jeremia constitutis captivitatis babylonicae, singulis enim annis hebdomada respondet; porro LXX anni determinati sunt, igitur et LXX hebdomades tempus determinatum significant; 2°. ex partitione harum hebdomadarum in tres periodos: nempe in septem, in sexaginta duas, et unam, scilicet postremam; esset enim partitio haec supervacanea, nisi de tempore determinato ageretur; 3°. ex duplici termino *a quo* et *ad quem*, qui in vaticinio constituitur; terminus enim *a quo* decurrere debent illae hebdomadae, est *exitus sermonis ut iterum aedificetur Jerusalem;* terminus autem *ad quem* seu in quem desinunt, est urbis templique excidium; 4°. ex analogia hujus vaticinii cum reliquis, in quibus tempus ab eodem propheta praefinitur, ut patet ex capp. 4 et 12; demum 5°. ex veterum judaeorum consensu, ut constat ex allatis documentis.

76. Completum denique vaticinium esse seu transactam jamdiu praefinitam epocham adventus Messiae ex dictis res aperta est. Ex Daniele intra duos terminos *a quo* et *ad quem* septuaginta hebdomades annorum, id est, ann. 490 effluere debuerunt; intra id tempus et Messias venire, inungi, et morti tradi debuit, abolenda erant V. T. sacrificia, complenda visio, delenda iniquitas, et justitia sempiterna adducenda; atqui terminus *ad quem,* urbis scilicet ac templi destructio una cum abolitione veterum sacrificiorum, ab octodecim saeculis transactus est; ergo et adimpleta caetera sunt, quae intra utrumque terminum adimpleri debebant, scilicet et venit Messias, et unctus est, ac morti traditus. Completa igitur est visio et prophetia, seu epocha transacta est a Daniele determinata pro Messiae adventu.

DIFFICULTATES.

77. I. Obj. 1. Incertum inprimis est utrum in hoc vaticinio de uno an vero de duplici Christo seu Messia sermo sit. 2. Incertum utrum vaticinium Danielis ad Messiam referatur, an potius pro objecto habeat aut Cyrum, aut Antiochum Epiphanem, ut placuit Marshamo; aut Alexandrum M., uti contendunt Bertholdt ac Rosenmüller; aut demum Seleucum II. aut Seleucum IV., ut alii existimant. 3. Marshami expositio, in quam quoad rei substantiam caeterae conveniunt, praeferenda videtur; eam enim veriorem esse

[1]) *De Messia*, lib. II. pag. 264.

suadet scopus prophetae, qui sollicitus erat de futura populi sui, ac templi urbisque sorte; item calculus chronologicus, qui nos ad ea tempora perducit: inauguratio Sancti Sanctorum, nempe templi, quae sub Juda Machabaeo facta est: templi desolatio, quae perduravit usque ad finem belli: confirmatio pacti cum multis hebdomada una ex parte fidelium judaeorum adhaerentium Judae: defectio hostiae seu victimae et farti in medio postremae hebdomadae, quae per id temporis contigit; demum deletio peccati et iniquitatis, id est, poenae peccatis debitae, quae quidem poena *peccatum* passim in Scripturis vocatur, praesertim Jer. L. 20. ad quem locum alludit Daniel; nec non adductio justitiae sempiternae seu legalis, quoniam ex eo tempore numquam judaei sese idololatria polluerunt. 4. Cum igitur omnia apprime in tempora Judae Machabaei collineent, quum etiam occisus sit Christus, id est Onias sacerdos, nil mirum si in eamdem expositionem concesserint Harduinus et Calmet catholici interpretes. 5. Nisi dicere malueris cum Bertholdt ac Rosenmüller, totam hanc prophetiam a quodam veteratore fuisse confictam post rerum eventum ad consulendum honori Jeremiae, cujus vaticinium de futura judaici populi felicitate post 70 annos verificatum non est. Ergo.

78. Resp. Ad 1. *Nego* incertum esse utrum de uno vel duplici Messia loquatur Daniel. Etenim 1°. ex orationis serie luculenter patet unum eumdemque esse *Christum ducem* venturum, et Christum occidendum post hebdomadas LXII, seu potius LXIX, a publica ejusdem manifestatione. 2°. Messiae mors ponitur in nexu causali cum excidio urbis ac templi, prout ejus adventus, v. 25. nectitur cum collatione bonorum, v. 24. 3°. Ex morte violenta subeunda a Messia venturo, prout etiam vaticinati sunt David, Ps. XXI. 17; Isaias, cap. LIII. 5; et Zacharias, cap. XII. 10.

79. Ad 2. *Neg.* Tum quia nemo illorum, qui recensiti sunt, occubuerit morte violenta: de Cyro siquidem res admodum incerta est; caeteros vero certo constat morte naturali occubuisse: Messias tamen venturus ex Daniele occidendus erat; tum quia nulli eorum quadrant adducta vaticinii adjuncta; tum demum quia haec omnia absque ullo vel levissimo fundamento excogitata sunt, nec nisi per summam violentiam Cyro, Alexandro, Seleucis etc., ab interpretibus anti-messianis, quae in vaticinio recensentur Danielis, applicantur.

80. Ad 3. *Neg.* Nam 1°. non congruit scopus prophetae, qui non de sola populi, urbis templique futura sorte sollicitus erat juxta lectionem Jeremiae, sed praecipue, ut ipse Daniel v. 19 seqq. fatetur, de peccatorum remissione, adeoque de Messia, cujus munus erat juxta omnes prophetas ea delere ac tollere; cum Messia vero connexa erat sors populi, urbis ac templi, ac proinde de iis omnibus loquitur angelus ad Danielem.

81. 2°. Non congruit calculus chronologicus, siquidem ex angeli verbis LXX hebdomades decurrere debebant ab *exitu sermonis,* seu decreto reaedificationis Hierusalem, quod datum est ann. 20. Artaxerxis Longimani; [2] jam

[2]) Nehem. II. seqq.

vero si ab ann. 20 regni Artaxerxis supputemus ann. 483, incidimus in ann. 782. Urbis conditae, sive in ann. 15. imperii Tiberii Caesaris, id est, pervenimus ad publicam Christi manifestationem; [3] longe igitur hoc tempus excedit omnes commemoratos principes, quos vellent interpretes non-messiani constituere uti terminum *ad quem* vaticinii Danielis.

82. 3°. Non congruit templi inauguratio sub Juda Machabaeo facta, [a]) quia in nostro vaticinio non agitur de *inauguratione*, sed de *unctione*, secundum vero templum numquam inunctum fuit; [b]) quia non est sermo in Daniele de templo materiali, sed de *persona*, ut evincunt veteres versiones, veterum rabbinorum expositio et contextus; [c]) quia ejusmodi unctio contigisset in hypothesi, quam impugnamus post ann. 490. attamen v. 27 templum hoc tempore praedicitur *destruendum;* [d]) quia non congruit chronologica supputatio, uti ostendimus.

83. 4°. Non congruunt templi desolatio, confirmatio pacti cum fidelibus judaeis ac defectio victimae et farti. Adversarii enim in hac expositione falso assumunt illam desolationem de *profanatione;* contra vero propheta loquitur de *destructione, vastatione* et *inundatione;* item perperam assumunt illud *usque in finem perseverabit desolatio* intelligendum *de fine belli*, cum Daniel disserat de destructione perpetua. Gratis pariter exponunt confirmationem pacti seu foederis de adhaerentibus Judae Machabaeo, cum sermo in vaticinio sit de foedere per Messiam ineundo cum populo fideli. Demum quod de sacrificiorum legalium cessatione perpetua in vaticinio dicitur connexa cum templi destructione, violenter trahunt adversarii ad suspensionem sacrificiorum, quae sub Antiocho Epiphane contigit.

84. 5°. Non congruit quod dicitur de peccato seu poena peccati, ac de justitia legali; est enim sermo apud Danielem de peccato proprie dicto, proindeque de proprie dicta justitia; peccatum enim heic conjungitur cum *iniquitate* seu *culpa* עָוֹן, quae significat actionem personalem sive reatum, quodque juxta Isai. X. 11. auferendum a Messia erat; cum vero justitia ablationem peccati necessario in praesenti providentia sequatur, jure infertur hanc a Messia esse afferendam. Justitia porro legalis per templi ac sacerdotii destructionem erat abolenda, dum justitia afferenda a Messia debeat esse aeterna.

85. Ad 4. *D.* Si subsisteret veritas praemissarum, *C.* si haec non subsistat, uti ostendimus, *N.* Quamvis Harduinus et Calmet non omnem excluderent a vaticinio Danielis relationem ad Messiam, imprudenter tamen se gesserunt, dum saltem ex parte Marshami expositionem admiserunt. Onias nequit dici *Sanctus Sanctorum*, neque per eum deleta iniquitas, neque adducta justitia sempiterna: quam ob causam, ut caetera omittam, vaticinii objectum nullatenus esse potest.

86. Ad 5. *D.* Omnem repudiando historicam veritatem ac per summam

[3]) Luc. III. 1 seqq.

impietatem, *C.* secus, *N.* Mirum est veritos haud esse scriptores christianos, si christiani rationalistae vocandi sunt, contra Christi auctoritatem, qui aperte hoc vaticinium Danieli adscribit [4], illud tribuere veteratori pseudo-Danieli; et quidem ut alteri veteratori, scilicet Jeremiae, qui falso vaticinatus esset, suppetias ferret. Huc pervenerunt protestantes, qui puro verbo Dei innituntur. Sed praeterea ejusmodi assertio est contra omnem veritatem historicam, cum, referente Josepho Flavio, volumen Danielis oblatum fuerit Alexandro M., in quo ejus victoriae erant praenunciatae.

87. II. Obj. Plura obstant, quominus dicamus determinatam epocham esse adventus Messiae in vaticinio Danielis; ac 1. quod angelus praenunciare potuerit id, quod Christus non solum angelis sed sibimetipsi manifestum esse negavit, Matth. XXIV. 36; Marc. XIII. 32. ac post suam resurrectionem, Act. I. 6. 7; incredibile 2. videtur Deum voluisse, ut fides a chronologia penderet. Ergo.

88. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Denegat Christus angelis cognitionem temporis gloriosae suae manifestationis, *C.* sibi, *N.* Itaque in primis Christus in allegatis textibus loquitur de secundo suo in terram adventu, uti manifestum est: frustra igitur quod de gloriosa hac sua manifestatione dicitur, permiscetur cum primo ejus adventu. Numquam praeterea sibi denegat cognitionem secundi adventus sui, sed solum (ut alias exposuimus illud *neque Filius* quod legitur apud Marcum) illius diei revelationem, quam Deus omnibus occultam voluit.

89. Ad 2. *Neg.* Contrarium siquidem constat ex facto; innumera pene vaticinia sunt, in quibus tempus accurate determinatur, uti Genes. XV. 13; Is. VII. 8; XVI. 14; XXI. 16; XXIII. 25; Jerem. XXV. 11; XXVIII. 16; Matth. XXVI. 34. et alibi passim. Sane non differunt notae chronologicae a caeteris adjunctis accidentalibus praedictorum eventuum; nihil igitur vetat, quominus fides nostra sicut a caeteris adjunctis, ita et a temporis determinatione pendeat. Deo quippe omnia futura praesentia sunt, adeoque potest etiam tempus revelare; quod si faciat, eidem fidem adjungere debemus.

90. III. Obj. Nondum saltem exploratum est transactam esse epocham in vaticinio definitam, 1. quia incertum est utrum Daniel loquatur de hebdomadibus annorum, an non potius de hebdomadibus dierum aut septenniorum, aut decenniorum, aut jubilaeorum; 2. quia incertum utrum illae LXX hebdomades continuae sint, an vero in tres distinctas periodos dispesci debeant, ita ut indefinitum intervallum interponatur, prout insinuat accentus *athnach* in hebraico textu post hebdomadas septem constitutus, quo admonetur lector eas dividendas esse ab hebdomadibus LXII quae sequuntur; quod a fortiori dici debet de postrema hebdomada, catholicis ipsis adsentientibus; 3. nec desunt ecclesiae Patres, qui illas hebdomadas protrahunt usque ad mundi finem. Ergo.

91. Resp. *N. A.* Ad 1. resp. 1°. non posse intelligi ejusmodi hebdo-

[4]) Matth. XXIV. 15; Marc. XIII. 14; Luc. XXI. 20.

madas de hebdomadibus dierum, cum hoc refugiat substrata materia, quae sedecim mensium spatio compleri non potest; eo vel magis quod Daniel, volens hebdomadas dierum significare, *dierum* expresse meminit [5]; 2°. non posse autem intelligi de hebdomadibus septenniorum, decenniorum aut jubilaeorum ex eo facile colligitur, quod nondum elapsa esset major pars illarum hebdomadarum, et transactus jamdiu esset terminus *ad quem* ejusdem vaticinii, qui est urbis ac templi destructio. Reliquum igitur est ut nonnisi de hebdomadibus annorum accipiantur hebdomadae vaticinii, quae in usu erant apud Hebraeos, ut patet ex Genes. XXIX. 27, 28; Levit. XXV. 8, 26, 34, 35, 43; et II. Paral. XXXVI. 21. ubi septimus annus magnum sabbatum vel sabbatum simpliciter appellatur, seu annorum hebdomada. Immo vero hic annorum cyclus in usu erat vel apud ethnicos, ut patet ex A. Gellio [6], ubi *duodecimae annorum hebdomadae* mentio occurrit. Ratio autem, qua Daniel permotus est ad LXX ann. hebdomadas commemorandas, petitur ex harum relatione ad annos LXX Jeremiae, ita ut singulis captivitatis annis responderet annorum hebdomada usque ad postremum urbis excidium.

92. Ad 2. *Neg.* Sed quod jam compendiosa ratione in v. 24. definitum fuerat implendum intra LXX hebdomadarum, seu 490 annorum spatium, in v. 25. ratione distinctorum eventuum in tres partes dividitur. Nec refert accentus *athnach* interpositus inter hebdomadas priores septem et reliquas sexaginta duas, siquidem hic accentus adhibetur ab Hebraeis tum ad majorem tum ad minorem interpunctionem significandam, non ad res descriptas dividendas ac secandas. Idem dic de postrema hebdomada, quae pariter ab illis sejungi nequit. Illi, qui censuerunt postremam hanc hebdomadam, aut etiam dimidiam hujus hebdomadae partem separandas esse vel a reliquis hebdomadibus vel posteriorem ab alia saltem priore hebdomadae parte, ex falsa suppositione decepti sunt; quippe existimarunt urbis templique excidium contingere debere intra LXX hebdomadarum cyclum, quod tamen in vaticinio non dicitur, immo ejusmodi excidium post illas transactas exhibetur complendum.

93. Ad 3. *D.* Mediate, *C.* immediate, *N.* Scilicet nonnulli patres excidium Hierosolymorum spectarunt uti figuram et typum cladis universi orbis, atque hoc sensu quod praedictum a Daniele est de eversione Solymorum, extremo hujus orbis fini applicarunt.

§. 3.

EXPENDUNTUR VATICINIA AGGAEI ET MALACHIAE.

94. Duo haec vaticinia simul junximus, quia de eodem argumento sunt, et lucem sibi vicissim afferunt. Ad solandos enim judaeos a captivitate babylonica reduces, qui, memores salomonici templi magnificentiae, moesti erant ad conspectum templi zorobabelici, sic eos Deus per Aggaeum allo-

[5]) Cap. X. 2, 3.

[6]) *Noct. Attic.* lib. II. cap. 10.

cutus est [1]: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?... Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus... Meum est argentum et meum est aurum... Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum... et in loco isto dabo pacem.*

95. Rursum cum increduli non pauci judaei de divina providentia quererentur, ita eos Deus per Malachiam affatur [2]: *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

96. Tria quoque juxta methodum, quam sectari constituimus circa ambo haec vaticinia nobis ostendenda sunt: tum ea ad Messiam spectare; tum epocham, saltem negative, in illis determinari adventus Messiae; tum denique ejusmodi epocham jamdiu elapsam esse.

97. Primum porro ita evincimus: Ex allatis vaticiniis supra gloriam prioris domus seu templi, posterioris gloria efflorescet, quippe ad hoc venturus *desideratus cunctis gentibus, dominator,* quem judaei expectabant, quique *Angelus Testamenti* seu foederis vocatur, ac venturus erat ad templum *suum,* et ad cujus adventum commovendi erant coeli ac terra, mare et arida, ac brevi quidem venturus erat. Jam vero haec nonnisi de Messia intelligi possunt, qui solus *desideratus cunctis gentibus, Dominator, Angelus foederis,* cujus templum proprium sit, dici potest, et ad cujus adventum omnia essent elementa commovenda. Nec dissentiunt celebriores ipsi rabbini, inter quos eminet R. Sira, qui ante secundi templi eversionem floruit, in *Thalmude,* Tract. *Sanhedrin,* cap. 2. nec non Rasci in eodem Tr. fol. 95. R. Achibà et R. Manasses in *Conciliatore,* parte III. pag. 184. ac non pauci in *Devarim rabbà*, sect. 1. fol. 250. apud Raymundum Martini in *Pugione fidei,* nec non apud Schoettgenium [3], et apud Bern. de Rossi. [4]

98. Alterum autem conficimus ex termino, qui, ut innuimus, negative saltem huic adventui assignatur, scilicet stante adhuc secundo templo, ad quod praesentia sua cohonestandum promissus Messias venturus erat juxta utriusque prophetae vaticinium, quod proinde destruendum non erat antequam Messias advenerit, a quo majorem gloriam prae templo priore derivare debebat.

99. Ast ab octodecim saeculis zorobabelicum templum solo aequatum est; ergo ab octodecim saeculis adimpleta sunt utriusque prophetae vaticinia, seu quod idem est, ab octodecim saeculis Messias advenit.

[1]) Cap. II. v. 4 seqq.
[2]) Cap. III. 1 seqq.
[3]) *De Messia,* lib. II.
[4]) *De vana expectatione Hebraeorum.*

DIFFICULTATES.

100. I. Obj. Aggaei vaticinium ad Messiam trahi nullatenus potest. Etenim 1. Non repetit Deus gloriam posterioris domus a praesentia Messiae, sed a copia auri et argenti, dicens: *Meum est argentum et meum est aurum.* 2. Quam ob causam gentes omnes Deus erat excitaturus, ut ad templum exornandum mira quadam consensione confluerent; hoc profecto innuitur ipsis verbis, prout in hebraico textu leguntur: *Et venient desiderium* חֶמְדַּת (singulare collectivum) seu *desideria cunctarum gentium;* nempe res pretiosissimae omnium gentium, non autem, ut habet vulgatus interpres, *desideratus cunctis gentibus,* quasi de persona ageretur. 3. Accedit, quod alterius templi *gloria* relativa esse debebat ad gloriam prioris; sed ea consistebat in ornamentis argenti et auri, ergo et gloria secundi templi in iisdem consistere debuit; 4. quod congruit scopo vaticinii solandi moestos judaeos ob nuditatem seu paupertatem zorobabelici templi comparati cum magnificentia ac divitiis, quibus affluebat templum salomonicum. Ergo.

101. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* 1°. quia expositio haec non-messiana adversatur sensui traditionali synagogae veteris, quae non ex divitiis sed ex Messiae praesentia repetebat majorem templi zorobabelici gloriam; 2°. quia vaticinium falsum fuisset, siquidem numquam secundum templum etiam ab Herode refectum pervenit ad illam divitiarum copiam, qua affluebat templum salomonicum; 3°. quia ex Hebraeorum confessione quinque illa decora a secundo templo abfuerunt, quibus templum primum instructum erat, nempe Urim et Thummim, seu rationale judicii, arca, ignis et praesentia Dei in propitiatorio, et Spiritus Sanctus; 4°. quia absonum est tam magnifica oratione Deum ad materiales ejusmodi divitias alludere voluisse, nulla ratione habita praesentiae futuri Messiae, de qua loquitur etiam Malachias, a quo templum Messiae esse dicitur, et ad quem Aggaei vaticinium pertinere declarat Apostolus. [5] Denique 5°. quia sibi ipsis in hac expositione adversarii contradicunt, siquidem Rosenmüller, quem etiam hic impugnamus, semel et iterum fassus est vaticinium Aggaei ad Messiam pertinere.

102. Ad 2. *Nego* suppositum. Si enim, uti ostendimus, non a gentium divitiis, sed a praesentia Messiae secundi hujus templi gloria repetenda erat, jam sequitur Deum non esse universum orbem commoturum ad gentes cum divitiis ad templum pertrahendas. Addo gentes non tam divitias quam profanationem in templum attulisse, ut constat de Alexandro prius, deinde de Pompejo, demum de Romanis sub Tito et Vespasiano. Neque obstat phrasis hebraica *venient desiderium:* siquidem, ut ostendit Scheibel [6], constructio singularis cum plurali infrequens non est, cum sequitur plurale, ut in casu nostro *cunctarum gentium,* etiam ad denotandam personam; quod confirmatur a Glassio. [7] Hinc optime vulgatus interpres reddidit sensum hebraici textus.

[5]) Hebr. XII. 26.

[6]) *Observation. critic. et exeget.*

[7]) Lib. III. Tract. III. can. 34.

103. Ad 3. *D.* Loquitur propheta de gloria templi, comparati cum gloria prioris templi, sed diversi generis, *C.* ejusdem generis, *N.* Immo ex antithesi patet gloriam secundi templi opponi gloriae primi templi veluti in alio constituendam ab eo, in quo gloria illa consistebat.

104. Ad 4. *D.* In adversariorum hypothesi, *C.* juxta germanam vaticinii intelligentiam, *N.* Hoc ipso enim quod propheta seu potius Deus solatium voluerit afferre lugentibus judaeis ob defectum auri et argenti, in secundo templo excludit aurum et argentum, quasi diceret: quid solliciti estis de auro et argento? Haec mihi praesto essent, si vellem ab his gloriam hujus templi pendere; sed gloria secundae hujus domus non ex magnificentia auri et argenti, sed ex eo quod in eam venturus sit desideratus cunctis gentibus, est repetenda; atque ex hac parte domus haec longe priori domui praestabit. Simili locutione usus est Deus Ps. XLIX. 10 seqq.

105. II. Obj. Orationis series in vaticinio Malachiae Messiam excludit, subdit enim immediate post allata verba: *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum; et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum*, etc. Haec porro componi nequeunt cum miti Messiae indole, qualem describit Isaias, XLII. 1 seqq. Ergo.

106. Resp. *N. A.* Immo vero apprime omnia cohaerent. Nam judaei querebantur de divina providentia, dicentes sub finem praecedentis capitis: *Omnis, qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe ubi est Deus judicii?* Adeoque expetebant Dominatorem, qui eos eriperet e gentium jugo. Hinc Deus ait: *Ecce ego* etc., subnectens porro adjecta verba: *Et quis poterit* etc.; praenunciat nullum istorum querulorum blasphemantium substiturum, cum expetitus Dominator venerit, qui sumpturus sit vindictam ab eis, quippe sint eum experturi longe diversum ab eo, quem expetebant; nam ipse discriminabit bonos a malis, quos perditurus et examinaturus sit, non quidem per se, sed gentium armis, prout reipsa factum est adversus judaeos incredulos in Solymorum eversione. Sicque optime componuntur, quae de personali Messiae mansuetudine vaticinatus est Isaias, et quae de punitione incredulorum blasphemantium praedixit Malachias.

PROPOSITIO IV.

Officia ac munia a promisso Messia juxta prophetas obeunda eumdem advenisse luculenter ostendunt.

107. Duo haec munia sive officia a promisso Messia obeunda praecipue sunt, scilicet abrogatio veteris cultus ac sacerdotii et novi suffectio; vocatio gentium ad Dei cognitionem et amorem, atque synagogae rejectio; si igitur constiterit duo haec peracta esse, hoc ipso constabit Messiam promissum jamdiu advenisse.

108. Ac primo quidem abrogandum fore veterem cultum in ordine ad

alterius suffectionem, adeoque et alterius sacerdotii, adveniente Messia, aperte liquet ex Malach. I. 10 seqq., ubi Deus ita loquitur: *Non est mihi voluntas in vobis* (sacerdotibus levitici generis), *dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* Agitur porro in hoc vaticinio de sacrificio externo, cui proinde novum sacrificium externum pariter sufficiendum sit, illudque mundum ex *ferto* seu *dono* constituendum, quod offerendum inter gentes sit in omni loco. Sacrificio porro immutato, quod pars essentialis est religionis seu cultus, ob intimam relationem, quam ad se habent sacrificium ac sacerdotium, et hoc abrogetur, seu immutetur in aliud necesse est. Haec autem, adveniente Messia, compleri debere constat ex Danielis paulo ante expenso vaticinio, in quo sacrificiorum legalium cessatio praedicitur una cum destructione ipsius templi. Cum igitur ab octodecim saeculis cultus publicus judaici populi per oblationem sacrificiorum legalium abolitus sit, cumque novus ubique gentium fuerit institutus, consequens est ex primo hoc Messiae munere, ab octodecim saeculis eum advenisse.

109. Nec minus luculenter id ipsum conficitur ex altero ejusdem Messiae officio, de vocatione scilicet gentium ad Dei cognitionem. Jamdiu, ut vidimus, praedictum fuit veteribus patriarchis in ipsorum semine benedicendas fore omnes gentes. De Messia Jacob moriturus dixit: *Et ipse erit expectatio gentium;* nihil frequentius in Psalmis legitur et in prophetis, quam haec gentium ad veri Dei cognitionem vocatio; in Ps. II. dicitur Messiae: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae;* in Ps. XXI. 28 seqq.: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Isaias passim id ipsum praenunciat, praesertim cap. II. 2 seqq.; et cap. LV. ubi de gentibus per Messiam vocandis haec habet: *Ecce testem populis dedi eum, ducem et praeceptorem gentibus. Ecce gentes, quae te non cognoverunt, ad te current.* Et haec quidem speciminis gratia.

110. Eadem porro perspicuitate, qua vocatio gentium, judaeorum reprobatio in poenam interfecti Messiae praenunciata est. Siquidem Dan. IX. 26. praedicitur: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Isaias autem, cap. VIII. 14. loquens de Messia: *Et erit*, inquit, *vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus Israel: in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent et conterentur, et irretientur, et capientur.* Eadem occurrunt Oseae, III. 4; Jerem. XXX. 9; Ezech. XXXIV. 23; XXXVII. 24. Hoc adeo exploratum erat apud priscos judaeos, ut chaldaeus interpres verba Oseae: *Et post haec revertentur filii Israel, et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum,* sic enarret: *Quaerent cultum Domini Dei sui atque obedient Messiae filio David regi suo.*

111. Jam vero tum vocatas gentes ad unius veri Dei cultum, tum super universam terrae faciem judaicam gentem esse extorrem a patria sua sine rege, sine sacerdotio ac sacrificio, facta sunt luculentissima, quorum non pars sed testes sumus, et quidem a saeculis octodecim, ex quo ea contigerunt. Nullum jam cernitur signum specialis illius providentiae, qua Deus olim hunc populum complectebatur, etsi numquam amplius in idololatriam defluxerit, immo certet Deum placare sibique propitium facere. Tum igitur abolitum fuit vetus foedus, tum rejecti Messiae populus hic reum se constituit. Quod quidem energice non minus quam eloquenter prosequitur Hieronymus [1], ac omni ex parte evolvit Grotius. [2]

DIFFICULTATES.

112. I. Obj. Nihil evincitur ex Malachiae vaticinio; nam 1. nil aliud significat, quam quod gentes praeter deos suos supremum sint Deum adoraturae, uti David Kimki, ac R. Salomon exponunt; aut hypothetice Deus loquitur, ut vult Aben-Ezra, perinde ac si diceret: si gentes jussissem offerre mihi munus ac sacrificium, purum illud et exquisitum offerrent, non autem hostias mutilas et languidas, quales vos mihi offertis; aut sermo in eo est de sacrificio improprie dicto, quod in precibus ac laudibus consistat. 2. Fieri enim nequit Malachiam cap. I. loqui de abolitione sacrificiorum legalium, cum cap. III. 4. sic de levitis scribat: *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. Et placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies saeculi, et sicut anni antiqui;* ac demum vaticinium suum, cap. IV. concludat hoc monito: *Mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Ergo.

113. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* Nulla siquidem ex tribus rabbinorum recensitis expositionibus admitti potest. Non prima, ut patet ex antithesi a Deo instituta inter sacrificia utique externa judaeorum, et sacrificium offerendum a gentibus in omni loco, ac proinde pariter externum, quo Deus agnosceretur et adoraretur a gentibus, sicut per sacrificium externum agnoscebatur et colebatur a judaeis. Ut omittam absurdum, quod Deus praediceret magnum fore nomen suum in gentibus, quia cum idololatria adjiciunt adorationem summi Dei, quum ipse saepe adeo protestetur se zelotem Deum esse, nec pati deos aemulos. Non secunda, quia verba Dei non sunt *hypothetica*, sed *absoluta: offertur.* Non tertia, quia, ut vidimus, Deus loquitur de sacrificio externo proprie dicto offerendo in *ferto puro.*

114. Ad 2. *D.* Si loqueretur Propheta de sacerdotibus levitici generis, *C.* si de sacerdotibus ex gentibus assumendis, *N.* Porro non loqui prophetam in objectis verbis de sacerdotibus leviticis ex eo liquet, quod ipse praedixerit cap. III. eos a Messia mox futuro puniendos atque exterminandos esse utpote detrahentes providentiae ac justitiae suae, uti ostendimus; sermo

[1]) *Epist.* CXXIX. *ad Dardanum*, n. 7. [2]) *De veritate religionis christ.* l. V. §. 16.

igitur est de sacerdotibus a gentilitate per Messiam conversa assumendis, de quibus Isaiae, cap. LXVI. 21. dicitur: *Et assumam ex eis* (gentibus) *in sacerdotes et levitas.* Ideo vero utitur Deus similitudine levitarum ac sacrificii, quod offerebatur in Jerusalem, ut sensibili ratione ob oculos judaeorum rem hanc poneret, quo facilius ab eis intelligeretur.

115. Nec obest monitum datum a propheta de observatione legis mosaicae; cum enim adhuc per quinque saecula esset lex illa perduratura, tenebantur judaei eam sedulo observare, donec aboleretur quoad partem judicialem ac ritualem, adveniente Messia, juxta praedictionem Danielis, cap. IX. 27. prout reipsa *jure* abolita est per mortem Messiae, *facto* per templi eversionem. Elias vero mittendus erat ut Messiae praecursor ad viam ei praeparandam, quo populus disponeretur ad ipsum recipiendum, ut patet ex eodem propheta, cap. IV. ubi post objecta verba immediate adjicit: *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam et percutiam terram (hanc,* ut legitur in hebr. textu) *anathemate;* prout reipsa factum est per Romanorum arma.

116. II. Obj. 1. Quae de gentium vocatione praenunciantur, intelligi debent de cognitione veri Dei, quam gentes ope judaeorum adepturae sunt. 2. Haec adimplebuntur, cum gentes omnes subjicientur judaeorum ditioni, duce Messia, qui ipsas debellaturus est. 3. Quo bello confecto, perpetua ac universalis pax ubique obtinebit. 4. Sub ea autem judaei ingenti gloria bonorumque omnium fruentur affluentia juxta repetita prophetarum oracula. 5. Ex his intelligimus plura adhuc vaticinia esse adimplenda, siquidem adhuc debellandi sunt Gog et Magog a venturo Messia, ex Ezechiel, XXXVIII. adhuc restaurandum templum hierosolymitanum ex eodem vate, cap. XL et seq. 6. Sed neque completa sunt, quae praedixit Isaias, cap. II. 2. eventura *novissimis diebus,* cum scilicet *mons Domini exaltabitur super omnes colles,* aliaque non pauca, quae nondum evenere, quibus admonemur praestolandum adhuc esse Messiam. Ergo.

117. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim munus hoc adimplendum erat a Messia, quem Deus se daturum pollicetur, Is. LV. 4: *Ducem ac praeceptorem gentibus;* sane quamvis judaei ante Solymorum cladem longe lateque dispersi fuissent inter Assyrios, Persas ac Romanos, numquam tamen potuerunt gentibus persuadere, ut abjecto polytheismo ac idololatria, unum verum Deum colerent, neque unum oppidum aut vicum converterunt.

118. Ad 2. Resp. *Nego* suppositum de gentibus ditioni judaeorum per Messiam subigendis. Nihil umquam tale occurrit in prophetarum vaticiniis. Immo Deus judaeos a praeconcepta ejusmodi idea abducere numquam destitit, sive cum judaeos potius puniendos ac dispergendos praedicit, Dan. IX; et Malach. III; sive cum praenunciant prophetae Messiam gentibus propitium fore, ut Zach. IX. 10. dicit de Messia: *Loquetur pacem gentibus;* Is. LXII. 3. de eodem ait Dominus: *Dedi te in foedus populi, et in lucem gentium;* et cap. XI. 10: *Radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur,* ut alia non pauca silentio praeteream, quae etiam paulo ante

attigimus. Itaque non gentes debellaturus erat Messias, sed idololatriam; adeoque bellum hoc totum spirituale est, quod etiam constat ex armorum genere, quibus usurus erat Messias juxta Isaiam, qui: *Percutiet,* inquit [3], *terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium, et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.*

119. Ad 3. *D.* Spiritualis, *C.* temporalis, *N.* Pax enim est belli fructus; porro ex dictis bellum a Messia gerendum est spirituale, spiritualis proinde est pax, in tranquillitate conscientiae consistens, afferenda.

120. Ad 4. *D.* Si judaei Messiam suscepissent, *Tr.* hoc rejecto, *N.* Longe verisimilius ejusmodi vaticinia de regno spirituali Messiae, seu de ejus ecclesia intelligi debent, ut eventus ostendit; gloria autem regni Messiae sub sensibilibus symbolis adumbrata est. Quod si Hebraei contendant ea litteraliter esse accipienda, non abnuimus, sed ea bona obtinenda ab ipsis erant mediante receptione Messiae; sibi tribuere debent, si illis destituti sint.

121. Ad 5. *Trans.* Omnia siquidem incerta sunt, quae de Gog et Magog praenunciavit Ezechiel, ac ita discrepant interpretes non modo christiani, verum etiam Hebraei a se invicem, ut nihil ex illis constitui possit. Idem dic de adumbratione templi ab eodem propheta, cap. XL seqq. facta.

122. Ad 6. *D.* Si perperam intelligantur, quae figurata locutione prophetae vaticinati sunt, *C.* si rite, *N.* Etenim cum ex factis luculentissimis pateat jamdiu praeterlapsam esse epocham a prophetis determinatam pro adventu Messiae, necessario inferri debet, si nonnulla, quae ab iisdem praenunciantur complenda, adveniente Messia, litteraliter adimpleta non sunt, ea esse figurate dicta ac spirituali sensu esse accipienda. Haec unica via suppetit in quavis hypothesi ad veritatem vaticiniorum cum eventibus conciliandam. Qui aliter se gerit, velum sibi obducit, ac viam sibi praecidit ad veritatem assequendam. Adeoque quod dicitur de elevatione montis Domini super omnes montes, de stabulatione leonum cum ovibus, de lusu infantium cum anguibus, aliaque ejusmodi metaphorice dicta, sunt intelligenda ut alia plura in sacris litteris. Pro *novissimis diebus* venire dies Messiae vel ipsi interpretes judaei propugnant.

123. III. Obj. 1. Foedus, quod saepe *aeternum* in Scripturis dicitur, rescindi non potest, tale autem est initum inter Deum ac populum israeliticum per Moysen. 2. Adeoque nec rejici absolute a Deo potest populus judaicus, qui si deliquerit, corripiendus praedicitur, non autem rejiciendus, si proinde facti poenitens resipiscat, iterum a Deo paterno amore in gratiam recipietur, ut reipsa saepius factum est. 3. Praesens proinde judaeorum conditio non arguit populi rejectionem aut abrogationem foederis, sed paternam correptionem, qua expleta, Deus juxta pollicitationes suas, Deut. XXX. 2 seqq. populum suum iterum congregabit ab extremis terrae in patriam suam. 4. Hujus providentiae et amoris argumentum est ipsa populi conservatio jugis inter tot gentes dispersi. 5. Alioquin deterior esset

[3]) Cap. XI. 4.

populi electi conditio, quam sit impiorum hominum, qui in hac et in altera vita poenas lueret. Ergo.

124. Resp. Ad 1. *D.* Quatenus foedus mosaicum in nexu et continuatione cum foedere messiano, quod illud complet, spectatur, *C.* in se, *N.* Aeternum dici potest ac in aeternum duraturum foedus mosaicum quatenus suam perfectionem adipiscitur a foedere per Messiam ineundo non solum cum judaeis, sed etiam cum gentibus; quatenus vero in se spectatur ac typicum et praeparatorium est, adveniente Messia, seu figurato, necessario cessare debuit. Atque hoc est quod Deus per Jerem. praedixit [4]: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum . . . . . pactum, quod irritum fecerunt.* Eadem leguntur Is. LV. 3.

125. Ad 2. *D.* Perseverante foedere, *C.* hoc rescisso, saltem ex parte judaici populi, *N.* Quamdiu perseveravit foedus inter Deum ac Israelem initum, Deus reipsa ita constanter cum populo se gessit, eum corripiendo, ac veniam poenitenti largiendo; non item vero postquam populus per repudiationem Messiae ex parte sua pactum seu foedus rescidit. Sibi propterea judaei imputare debent, si Deus rationem pristinam non servat. Non aliter foedus reviviscere potest, quam per conversionem ad repudiatum Messiam.

126. Ad 3. *Nego,* hoc ipso quod Deus diversam agendi rationem sectetur ab ea, quam antea tenebat. Cum olim populum ob frequentes legis transgressiones plecteret, solabatur tamen spe veniae ac reditus, mittebat ad eum prophetas, praenunciabat captivitatem ejusque solutionem, aliaque ejusmodi paterni amoris signa exhibebat; ex quo autem populus Messiam repudiavit atque extorris a propriis sedibus factus est, templo ac urbe eversis, nullum jam specialis illius providentiae signum suppeditavit Deus, qui propterea non solum corripit, sed vere ut in populum rebellem animadvertit. Atque id juxta vaticinia expensa Danielis, Isaiae, Oseae etc.

127. Ad 4. *D.* Quia non in perpetuum Deus populum suum abjecit, *C.* in signum actualis amoris, *N.* Nempe, quamvis Deus abjecerit populum suum in poenam rejecti Messiae, attamen ob patrum sanctitatem, cum quibus foedus inivit, non abjecit absolute, sed olim eum revocaturus est ad repudiatum Messiam per universae gentis conversionem juxta antiqua prophetarum oracula, ac Pauli praedictionem. [5]

128. Ad 5. *D.* Prout populus collective spectatur, *C.* prout singula spectantur individua, *N.* Punitio populi temporaria est, seu poenis temporalibus populus plectitur; spiritualibus vero et aeternis poenis non afficientur individua nisi pro uniuscujusque merito, et eo gradu, quo singulorum peccata merentur. Si proinde judaei singillatim deteriores fuerint incredulis et impiis, gravius punientur, secus vero si minoribus culpis detineantur.

[4]) Cap. XXXI. 31.

[5]) Rom. XI. 31.

CAPUT III.

DE JESU NAZARENO VERO MESSIA.

129. Messias ex demonstratis certissime venit; inquirendum igitur unice superest, quisnam ille sit. Jam vero alius esse nequit nisi ille unus, in quem et epochae a prophetis determinatae, et officia ac munia a Messia juxta eosdem prophetas obeunda, et characteres et notae promissi Messiae conveniunt. Hic autem alius non est nec esse potest nisi solus Jesus Nazarenus. Ipse igitur Messias est in lege promissus et ab Hebraeis quovis tempore expectatus. Cum vero, praeeunte Orobio, contenderit Salvador jure merito morti addictum Jesum Nazarenum esse atque ad legis praescriptum, nostrum erit ostendere non solum injuste latum esse in eum synagogae judicium, sed exinde invicte ostendi et confirmari Jesum Nazarenum verum esse Messiam.

PROPOSITIO I.

Jesus Nazarenus verus Messias est in Scripturis promissus atque ab Hebraeis expectatus.

130. In Jesum Nazarenum quadrant epochae messianae, notae et officia a Messia promisso obeunda. Ergo Jesus Nazarenus verus Messias est in Scripturis promissus atque ab Hebraeis expectatus.

131. Ac primo quadrant in Jesum epochae messianae; Messias enim venturus erat stantibus adhuc urbe ac templo, ablato sceptro a Juda, ad finem properantibus LXX Danielis hebdomadis, quibus expletis, sacrificium cessare debebat et cultus leviticus una cum aaronico sacerdotio. Atqui Jesus hoc praecise tempore venit in mundum, stantibus scilicet adhuc urbe ac templo, fatiscente civili judaeorum republica, quae sub ditionem deciderat Herodis ex patre Idumaeo ac matre Ascalonitide; venit sub finem LXX hebdomadum Danielis, ita ut sub initium postremae hujus hebdomadae publicam sui fecerit manifestationem, in ipsius autem medio morti sit traditus, quam necem paulo post subsecuta est etiam de facto sacrificiorum legalium ac sacerdotii aaronici destructio per urbis ac templi eversionem; venit ea aetate, qua messiani adventus expectatio universalis propemodum facta erat tum apud judaeos, cum apud finitimas nationes. Ergo primo epochae adventus Messiae in Jesum Nazarenum mirifice conspirant.

132. Conspirant praeterea in Jesum Nazarenum characteres ac notae messianae. Etenim Jesus ortus est ex tribu Juda et ex familia David; natus ex Virgine matre juxta vaticinium Is. VII. 14. quod suo loco expendemus, atque in civitate Bethlehem, ut praedixit Michaeas, v. 2; vitam humilem ac pauperem vixit, juxta Zachar. IX; magnus extitit thaumaturgus, ut praedixit Isaias, XXXV. 6 seqq.; quae vaticinia omnia messiana esse cuncti fatentur judaei, uti ostendit praeter Raymundum Martini in *Pugione fidei,* Schoettgenius, op. citato *De Messia.* Morti addictus est a populo suo juxta

Dan. IX. eoque supplicii genere quod praedicitur Ps. XXI; et Is. LIII. ut caetera omittamus vaticinia, quae futuram ejus resurrectionem et gloriam afficiunt juxta Ps. CIX; et Ps. XVI. et alibi passim.

133. Cum vero repudium synagogae, deletio urbis ac templi, cessatio victimarum legalium et sacerdotii levitici a prophetis in nexu causali ponantur cum repudio Messiae, et haec omnia evenerint paulo post ejusmodi repudium, cum praeterea novus cultus, novum sacrificium, novum sacerdotium suffectum veteri a Jesu Nazareno, cumque ipse per apostolos a se missos in universam terram gentes omnes ad veri Dei cognitionem reduxerit; jure inferimus ipsum munia obivisse, quae a promisso Messia juxta prophetas obeunda erant, adeoque et ex his constare ipsum verum esse Messiam.

134. Haec porro, quae de Jesu diximus, facta sunt luculentissima ac in omnium conspectu posita, quae in dubium revocari nequeunt, nisi ab eo qui sceptice omnem rejiciat historicam veritatem. Cum igitur res ita se habeat, propositionem hanc concludemus eadem argumentatione, qua usus est R. Nachmanides in disputatione habita cum Paulo Burgensi, paucis in rem nostram mutatis. *Ego ostendam,* inquiebat Nachmanides, *neutiquam Messiam venisse. Non enim quispiam fuit, qui aliqua similitudine et specie veri, aut se ipsum Messiam profiteretur, aut Messias ab aliis fuerit appellatus praeter Jesum Nazarenum. Atqui Messiae nomen ac dignitas in Jesum Nazarenum conferri nequit; Messias igitur nondum venit.* Nos e contra sic in judaeos hanc argumentationem intorquemus: *Messias jamdiu certissime venit; atqui nemo se ipsum Messiam professus est, aut cum aliqua similitudine et specie veri Messias ab aliis appellatus et creditus est praeter Jesum Nazarenum; ergo Jesus Nazarenus solus est, cui Messiae nomen ac dignitas tribui jure optimo possit.*

DIFFICULTATES.

135. I. Obj. Adimpleta in Christo non sunt vaticinia, quae epocham Messiae adventus definiunt. Etenim 1. jacobaeum vaticinium vel ipsi christiani diversimode exponunt, dum alii sceptri nomine significari contendunt regiam dignitatem, alii potestatem supremam aut legislativam; alii autumant solam tribum Juda, alii universam gentem israeliticam oraculum respicere. 2. Sceptrum praeterea a Juda cessavit sub Nabuchodonosor, nec umquam deinceps ad eum rediit, cum judaei primo sub Persis, deinde sub Graecis, postea vero sub Assamonaeis levitis fuerint. 3. Sed neque Herodes alienigena fuit, sed teste Josepho [1], extitit *genere et religione judaeus;* quod Scaliger, adnotante Valesio, abunde ostendit in notis ad Eusebii Chronicon. Ergo.

136. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Diversimode christiani jacobaeum oraculum exponunt quoad accidentalia, *C.* quoad rei substantiam, *N.* Omnes mire consentiunt in agnoscendo jacobaei vaticinii adimplemento in Christo Jesu; dissentiunt autem circa rationem ejus adimplementi; ex hoc autem nihil aliud inferri potest, quam plures vias esse ad ostendendum completum

[1]) *Antiquit.* lib. XX. cap. 6.

in Jesu istud vaticinium. Caeterum verior nobis videtur Petavii expositio, quod sceptri nomine suprema significetur potestas, quae jugiter in tribu Juda usque ad Messiam perseverare deberet. Sane sola tribus Juda numquam dissipata est, ut tribus caeterae omnes; sola semper integrum corpus constituit, licet diversas regiminis formas subierit. Nihil propterea officit, quod soluta captivitate sub Persarum, Graecorum aut Machabaeorum ditione fuerit, cum politicus hujus tribus status numquam desierit.

137. Ad 2. *Neg.* Etenim juxta datam expositionem, tribus Juda neque sub Nabuchodonosor, neque post solutam captivitatem cessavit, sed jugiter uti corpus politicum perseveravit propriis se legibus regens, licet sub aliena ditione, nec umquam tribus confusa est, ut aliis tribubus contigit.

138. Ad 3. *Neg.* Josephus enim Flavius saepe expresse scribit Herodem Idumaeum genere esse, refellitque Nicolaum damascenum, qui ex assentatione Herodem judaeum dixerit; objecta autem verba non sunt Josephi, sed judaeorum altercantium cum Syris circa jus, quod praetendebant in Caesaream ab Herode aedificatam. Caeterum in data explicatione parum refert utrum Herodes indigena an alienigena fuerit.

139. Nec obstat oraculi veritati, quod Judae tribus adhuc post Christum perseveraverit; nam cum agitur de politicis ejusmodi rerum conversionibus, sufficit si per gradus compleantur; et reipsa judaica potestas imminuta prius est sub Pompejo, magis vero sub Herode, donec omnino desierit sub Vespasiano ac Tito. Hinc quemadmodum mori eum dicimus, qui ad extremum spiritum exhalandum proximus est, ita plane defecisse judaicam potestatem affirmabimus, dum in praeceps ruebat.

140. I. Inst. 1. Disceptant christiani inter se circa initium et finem LXX Danielis hebdomadarum. 2. Ostendi nequit Jesum Nazarenum in medio septuagesimae hebdomadae morti datum esse. 3. Multo vero minus defecisse in medio ejusdem hebdomadae hostiam et sacrificium; aut per Jesum *finem accepisse peccatum*, *consummatam praevaricationem*, *deletam iniquitatem*, *et adductam justitiam sempiternam*, cum tam late post ipsum patuerit iniquitas ac ante ipsum. 4. Numquam Jesus inunctus legitur, ut in Danielis vaticinio praedicitur. Igitur neque epocha, neque adjuncta hujus oraculi in Jesu Nazareno adimpleta sunt.

141. Resp. Ad 1. *D.* Circa supputationes chronologicas disceptant christiani inter se, *Tr.* vel *C.* circa utrumque terminum *a quo* et *ad quem*, inter quos vaticinium concluditur, *N.* Quicumque dicuntur, et revera sunt christiani, in eo ad unum conveniunt, quod terminus *a quo* saltem incipiat cum reaedificatione urbis et templi, et terminus *ad quem* desinat saltem in utriusque excidium, prout et ipsi judaei antiqui consentiebant. Discrepantia igitur tota unice versatur circa accuratam chronologiae determinationem, et ut plurimum tota haec discrepantia intra 10 annorum periodum continetur; et hoc pendet a supputatione annorum, quibus regnavit Artaxerxes, a quo decretum datum est reaedificationis urbis ac templi.

142. Ad 2. *Neg.* Si enim ann. 20. Artaxerxis incipit *terminus a quo*,

ascendendo pervenimus ad ann. 15. Tiberii Caesaris, quo anno, teste Luca, cap. III. 1. Christi publica manifestatio facta est, nempe ann. 782. ab Urbe condita; quo intervallo fluxerunt ann. 483, nempe hebdomades LXIX. Christus, uti colligitur ex Joanne, praedicavit tribus annis cum dimidio, quo tempore cruci affixus est, ac propterea in dimidio hebdomadis septuagesimae. Adeoque epocha apprime collineat cum morte Christi.

143. Ad 3. *D.* Ostendi nequit defecisse *facto, C.* defecisse *jure, N.* Hoc ipso siquidem quod vetera sacrificia typica fuerint, significarentque magnum sacrificium expiatorium a Messia in cruce offerendum, patet, hoc oblato, illa jure cessasse; quod etiam exterius apparuit per templi velum, quod in morte Christi *scissum est in duas partes a summo usque deorsum.* [2] Facto autem paulo post etiam cessarunt, ut notum est.

144. Atque exinde patet, quomodo expiatorio Christi sacrificio tum finem acceperit peccatum, tum consummata fuerit praevaricatio, deleta iniquitas et adducta justitia sempiterna, non quidem *subjective,* auferendo libertatem, sed *objective,* quatenus remissionem culpae ac poenae promeruit peccatorum omnium, et gratiae sanctificantis et actualis largitatem, qua per ejus merita justi efficeremur.

145. Ad 4. *D.* Numquam legitur Jesus inunctus unctione *materiali, C.* spirituali ac mystica, *N.* Cujusmodi enim futura esset haec Messiae unctio, habetur in Ps. XLIV. 8: *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae;* ac rursum Is. LXI. 1: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annunciandum mansuetis misit me,* etc. Hoc autem contigit in ipso Incarnationis instante, cum ejus humanitas assumpta est a divini Verbi persona, ut paulo post ostendemus, et patefactum est solemni ejus Baptismo.

146. II. Inst. Saltem Aggaei ac Malachiae oracula in Jesu adimpleta non sunt. Etenim 1. juxta utrumque prophetam Messias venire debebat ad secundum templum, zorobabelicum videlicet, quod tunc excitabatur; at vero Jesus venit in tertium, nempe herodianum. Teste enim Josepho Flavio [3], Herodes, *sublatis veteribus fundamentis* (templi zorobabelici) *et jactis aliis, super eis templum erexit.* 2. Dicitur Messias *desideratus cunctis gentibus;* adversus Jesum autem gentes omnes insurrexerunt. 3. Intra *modicum* tempus, immo *statim* ad templum zorobabelicum venturus erat Messias, Jesus vero post quingentos plus minus annos apparuit. 4. Demum nulla, adveniente Jesu, coeli terraeque commotio contigit, prout ab Aggaeo praenunciatur. Ergo.

147. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si herodianum templum reipsa *tertium* sit, *Tr.* vel *C.* si non sit nisi *secundum,* instauratum et amplificatum, *N.* Jam vero Herodes nonnisi per partes, vetere destructo, novum templum aedificavit, ita ut saepe ab eodem Josepho herodianum opus vocetur *instauratio;* sane numquam interruptum fuit juge sacrificium. Accedit, quod in sensu religioso et theocratico *secundum* templum semper spectatum fuerit

[2]) Matth. XXVII. 5.

[3]) *Antiq.* lib. XV. cap. 11. n. 3.

templum herodianum; quapropter Hebraei ipsi vocant templum *tertium* olim juxta ipsos excitandum a Messia. Hinc universa natio, uti vidimus, in expectatione Messiae erat sub Herode.

148. Ad 2. *D.* Antequam agnosceretur, *C.* postquam agnitus est, *N.* Nam vix agnitus ab ipsis populis est Christus, ut mirabili prorsus ratione in ejus amorem exarserint, ac commoda omnia, immo et vitam ipsam pro ipso dare non dubitaverint, iique pene innumeri.

149. Ad 3. *D.* Relative, *C.* absolute, *Tr.* Illud *modicum,* vel *adhuc semel,* ut est in hebr. textu apud Aggaeum, ac *statim* apud Malachiam, de postrema periodo, quae effluere debebat usque ad Messiae adventum, intelligenda sunt, quae relate ad transactas, ex quo promissio Messiae facta fuerat, his verbis enunciari poterat.

150. Ad 4. *D.* Prout judaei sibi fingunt, *C.* in sensu vaticinii, *N.* Totius enim, ut ita dicam, naturae commotio facta est ad Jesu adventum sive physica sive moralis. Physica quidem in tot miraculis, quae aetate illa contigerunt; moralis vero in tanta atque universali humani generis immutatione.

151. II. Obj. 1. Si reipsa in Jesu completa messiana vaticinia fuissent, hanc dignitatem in ipso agnovissent synedrium doctoresque legis ac sacerdotes; atqui eam non agnoverunt; immo Jesum repudiarunt ac reum mortis uno animo edixerunt, etsi Messiam vehementer expeterent. 2. Sane ut christiani in Jesu messianam dignitatem admittant, coguntur contra sensum traditionalem synagogae et nativum oraculorum sensum quaecumque de humili Messiae conditione, afflictione, aerumnis efferuntur, intelligere in sensu litterali proprio; quae autem ad ejus gloriam, triumphos, bonorum affluentiam referuntur, accipere in sensu spirituali ac mystico; quod vere est sibi ultro illudere. 3. Sane quoties in Psalmis aut in prophetis sermo de Messia occurrit, toties sub imagine potentissimi regis et gloriosissimi reipublicae restitutoris pacem et felicitatem temporalem ac politicam afferentis judaico populo exhibetur, a regno davidico coloribus petitis. Quod si alicubi humilis, afflicta ac patiens effertur Messiae conditio, nonnisi raro ac obiter id fit. 4. Quapropter vel ipsi discipuli Christi nonnisi temporalem hanc praestolabantur restitutionem Israel ab ipso, etiam post ejus mortem, qua maxime offensi sunt. 5. Quod si aliquanto serius ad Jesum retulerunt vaticinia, quae portendebant Messiam afflictum et patientem, ut ipsius honori consulerent, id effecere nativo tamen sensui obluctantes, quae per prosopopoeiam integrum populum respiciebant afflictum et patientem vel propter peccata deterioris partis populi, vel propter peccata gentilium, cujusmodi est vaticinium Is. LIII et seqq. Ergo.

152. Resp. Ad 1. *D.* Si depositis animi praeconceptis judiciis et cupiditatibus, quibus aestuabant, rem in se et ex veritatis amore expendissent, *C.* si secus omnino egerunt, *N.* Jam vero synedrium aetate illa constituebatur hominibus nutu potentium electis, sacerdotes pharisaeismo imbuti arrogantia tumebant ac ambitione, aut etiam sadducaeismo infecti inhiabant vitae commodis, divitiis ac voluptatibus. Cumque praeterea in

Messia sibi fingerent domitorem gentium, qui ipsos e Romanorum jugo eriperet, conspecto Jesu paupere et humili, qui verbo et exemplo ipsorum agendi vivendique rationem arguebat et se Messiam profitebatur, in transversum acti sunt, et scandalum passi eum repudiarunt ac morti addixerunt. Hac ratione mensuram revera impleverunt patrum suorum, qui eodem modo missos ad eos prophetas exceperunt ac morti addixerunt; et quin adverterent, vaticinia de repudiatione ac nece Messiae executioni mandarunt. Qui vero cupiditatibus liberi rem in se spectarunt, messianam dignitatem in Jesu agnoverunt.

153. Ad 2. *D.* Ad diversam illam oraculorum intelligentiam coguntur christiani ab ipsa natura rei, ac veritate eorumdem vaticiniorum, *C.* ex arbitrio seu pro lubito, *N.* Ex una parte negari non potest plura oracula messiana etiam juxta antiquiorum rabbinorum confessionem portendere promissum Messiam humilem, pauperem, despectum, doloribus ac morti violentae obnoxium; ex altera vero plura item sunt, quae eumdem gloriosum, Regem, Dominatoremque exhibent; jam vero haec inter se conciliari debent; conciliantur autem apprime in Jesu Nazareno spectato duplici ejus statu ante et post resurrectionem: ante siquidem pauper et humilis, aerumnisque ac morti obnoxius fuit, postea vero gloriosus, institutor novi regni, quod extenditur super universam terram, complectiturque gentes omnes, quas sibi fide subegit. Hanc autem conciliationis rationem admittendam esse suadent: 1°. *veritas* utriusque generis vaticiniorum, quae procul dubio subsistere debet. 2°. *Nexus causalis*, qui constanter reperitur inter vaticinia, quae Messiae futuram passionem et ignominiam, et vaticinia, quae ejusdem Messiae gloriam portendunt; e. gr. in Ps. CIX. 7. dicitur: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput;* Is. LIII. 20: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum et voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, et ita porro. 3°. *Epochae* determinatae adventus Messiae, quae omnes desinunt in urbis ac templi excidium, nisi admitteretur expositio christianorum, elapsae omnes jamdiu essent, quin tamen Messias advenerit, completaque fuerint, quae intra illud spatium adimpleri debebant. 4°. Dei gloria, quae profecto longe melius elucet in spirituali regno, quam in terreno, in divitiis gratiae, quam in divitiis temporalibus et carnalibus. Quae cum ita se habeant, evidenter patet non pro lubito conflictam christianorum expositionem esse, verum realitate ac veritate factorum, et vaticiniorum comprobatam.

154. Ad 3. Vel *N.* vel *D.* Id est, sub illis symbolis futura praenunciatur gloria spiritualis promissi Messiae, et quidem uti fructus voluntariae ejusdem passionis et humiliationis, juxta dicta, *C.* alio sensu, *N.* Nunc addimus falsum praeterea esse, quod adversarii adjiciunt, vaticinia, quae praenunciant humilem et afflictam Messiae conditionem, pauca esse, nec nisi obiter reperiri; pleni siquidem sunt horum vaticiniorum Psalmi davidici, plena prophetarum oracula, ut cuilibet ea percurrenti facile patebit. Hinc nonnulli judaei veriti non sunt horum vaticiniorum numero a perspicuitate perculsi, contra constantem antiquae synagogae traditionem, duplicem distin-

guere Messiam, alterum patientem, scilicet filium Joseph; alterum gloriosum, nempe filium David.[1]

155. Ad 4. *D.* Quamdiu et ipsi carnales fuerunt et communi illius aetatis anticipato judicio abrepti, *C.* postea vero, quando scilicet cognoverunt mysterium sublimissimum crucis, *N.*

156. Ad 5. *D.* In sententia rationalistarum seu incredulorum, *C.* juxta rei veritatem, *N.* Nam apostoli vix accepto Spiritu Sancto, quo illustrati sunt, illico coeperunt Jesum crucifixum praedicare, in cruce Jesu omnem constituerunt gloriam suam, cujus crucis et ipsi participes effecti sunt. Si proposuerunt Christi mortem uti sacrificium expiatorium, ideo est, quia luculenter id praedictum fuerat a prophetis omnibus, non autem ut honori consulerent magistri, cui satis per gloriosam ejus a mortuis resurrectionem fuerat consultum. Caeterum contra nativum sensum vaticinium Isaiae illos exposuisse, assertio est digna rationalistarum, qui contra expressam Christi ipsius interpretationem [4], Isaiam ad metaphoram et ad prosopopoeiam trahunt. Praetermissis porro aliis animadversionibus circa absurdam hanc et violentam interpretationem, mirum est protrahi metaphoram ac prosopopoeiam per sex fere capita, quin ullum illius indicium praebeatur, quod nec adversarios ipsos fugit.

PROPOSITIO II.

Judicium in causa Christi Jesu latum fuit iniquum in se, illegale in formis judiciariis, saevum in executione, novumque suppeditat divinae Christi missionis ac messianae ejus dignitatis argumentum.

157. Impetit haec propositio incredulo-judaeum Salvador, qui vestigiis Orobii insistens, tria constituit [1]: 1°. judicium in Christum latum aequissimum in se fuisse, eo quod judices Jesu ipsi applicaverint articulos Deut. IV. 15; XIII. 1; et XVIII. 20; 2°. sententiam in Christum fuisse prolatam juxta formas judiciarias tunc vigentes; 3°. judaeos, praesertim vero principes, seniores ac sacerdotes immunes omnino esse ab omni saevitia, cui Christus obnoxius fuit, quae in solos ministros refundi debet. His vero tria pariter nos contradictoria opponimus, ac 1°. allegatos articulos Jesum non afficere; 2°. neglectas immo ac proculcatas fuisse formas omnes judiciarias vigentes in Christi judicio; 3°. judaeorum proceres ac sacerdotes primariam causam extitisse saevitiae, quam Jesus passus est. Quae si ostenderimus, non modo refellimus adversarium nostrum, verum etiam novum argumentum eruimus ad vindicandam Christo messianam dignitatem. Sic porro ex ordine rem conficimus.

158. Ac primo inique prorsus illos Deuteronomii articulos Christo Jesu fuisse applicatos exinde constat, quod ejusmodi articulis morti addicatur, qui populum vel ad idololatriam vel ad polytheismum inducere adnisus fuerit;

[4]) Luc. XXII. 37.

[1]) *Hist. institut. Moysis,* II. lib. IV. c. 3.

etenim Deut. IV. legitur: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis;* cap. autem XIII. dicitur: *Si surrexerit in medio tui prophetes... et dixerit tibi: eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetae illius aut somniatoris... propheta autem ille... interficietur, quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro.* Demum cap. XVIII: *Propheta, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.* Atqui tantum abest, ut Christus Jesus populum adnisus fuerit aut ad idololatriam aut ad polytheismum inducere, ut utrique bellum perpetuum indixerit, atque ad utrumque evertendum se missum perhibuerit, et ex nomine suo ad id perficiendum in universum orbem miserit discipulos suos.

159. Sane primo constanter Jesus se missum profitetur a Deo Abraham, Isaac et Jacob; monotheismum et fundamentum jecit doctrinae suae, Matth. XXIII. 9; Marc. X. 18; Joann. IV. 24, et in compendium doctrinam suam circa hunc articulum redegit in oratione quam ad Patrem suum fudit, dicens [2]: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*, quibus et unitatem Dei adstruit, et omnes deos falsos ac vana gentium idola excludit.

160. Quod si Jesus se ipsum Filium Dei praedicavit, non ideo multiplicavit divinitatem, quin potius se ipsum *unum* dixit cum Patre, seu ejusdem naturae ac substantiae cum Patre, adeoque se quidem uti personam distinctam a Patre exhibet, ejusdem tamen divinitatis cum Patre. Pluralitatem autem personarum non officere singularitati naturae divinae docet christiana religio, et nos suo loco ostendimus. Libri ipsi Veteris Testamenti non uno in loco apertissime eamdem in uno Deo pluralitatem praedicant personarum; neque hoc latuit ipsos antiquiores Hebraeos, ut constat ex arcana *Kabbalae* seu *traditionis* doctrina, et ex libro *Sohar* aliisque certissimis documentis. Nihil igitur hac in parte novi intulit Christus in mundum, si excipias ejus applicationem ad se ipsum, quod innumeris miraculis et vaticiniis jure se id facere demonstravit. Haec expendere debuissent pharisaei ac sacerdotes, antequam Jesu applicarent articulos Deuteronomii, qui profecto nihil habebant commune cum Jesu. Proinde merito inferimus iniquum ejusmodi judicium in eum fuisse.

161. Illegale praeterea in formis judiciariis vigentibus idem extitisse judicium evincimus ex adversario ipso; etenim Salvador, septem recenset ejusmodi formas [3], ac 1°. tribus opus fuisse tribunalibus, quae in reum praesumptum inquirerent; 2°. hunc praesumptum reum nulli esse subjiciendum subdolae interrrogationi, ne arma contra se praeberet; ac probitatem expendendam testium esse; 3°. accusato facultatem faciendam esse se defendendi; 4°. esse differendam sententiae executionem in diem insequentem, immo usque in diem tertium; 5°. suffragiorum pluralitate opus esse ad rei condemnationem;

[2]) Joann. VII. 3.

[3]) Op. cit. lib. IV. cap. 2.

6°. comitatum duorum magistratuum usque ad supplicii locum, ut si quid per viam offerretur, quod reo faveret, retractari sententia posset; 7°. demum adigendum reum ad confessionem criminis.

162. Jam vero formas istas non solum neglectas, sed prorsus proculcatas fuisse in Jesu judicio evangelica historia, quam basin suarum probationum adversarius assumit, evidenter ostendit. Etenim ex ea liquet 1°. pharisaeos invidia permotos fuisse, non religionis causa ad eum perdendum [4]; 2°. machinatos fuisse eidem mortem et quidem *dolo* longe antequam comprehenderetur [5]; 3°. plures eidem structas fuisse insidias ut eum caperent in sermone et accusarent [6]; 4°. in conciliabulis ad hoc constitutis communi consilio ejus mortem decrevisse [7]; 5°. pecunia ejus discipulum corrupisse, ut eum proderet [8]; 6°. vix Jesu capto consuluisse inter se sacerdotes et seniores circa modum, quo eum possent morti addicere. [9] Praeterea 7°. eosdem fuisse judices et accusatores hostes nempe ejus acerrimos [10]; 8°. omnia tumultuarie, paucarum scilicet horarum spatio, gesta fuisse, nempe captum, accusatum, judicatum, cruci affixum, neque ob delictum religiosum, sed ob crimen politicum sine testibus, renuente praeside, cui vim per tumultum et incussum timorem intulerunt. Hae ne fuerunt formae judiciales a Salvador enumeratae? Judicet vel adversarius ipse.

163. Saevum denique Jesu judicium in executione ex parte ipsorum procerum fuisse luculenter patet 1°. ex eo, quod nulla summo sacerdoti ac reliquis adstantibus cura fuerit de alapa Jesu inflicta, dum ejus causa agitaretur [11]; 2°. ex eo, quod totam noctem illum dimiserint ministrorum insolentiae ac voluntati, quibus cum probe prospectus animus dominorum suorum esset, nihil omiserunt, quo eum affligerent eique insultarent; secus ac leges ferrent [12]; 3°. ex eo, quod vel ipsi pontifices supplicium crucis a praeside expetierint [13]; tum 4°. ex eo, quod principes sacerdotum cum scribis ac senioribus Jesu jam cruci affixo barbare omnino illuserint, amarissime eum irriserint, insultaverint, blasphemaverint. [14] Non igitur ex militum solum ac ministrorum licentia, sed ex procerum, seniorum ac sacerdotum maligno animo repeti ea debet inaudita crudelitas, qua in patientem ac morientem Jesum saevitum inhumaniter est.

164. Quibus constitutis ac demonstratis pronum jam est inferre novum exinde argumentum pro divina Christi Jesu ac messiana ipsius dignitate. Sic enim ad amussim impleta sunt, tum quae veteres praedixere vates de violenta et crudeli ex parte populi sui subeunda morte a promisso Messia, ut Ps. XXI. vers. 17; toto Psalmo LXVIII; Dan. IX. 26; Zachar. XII. 10;

[4]) Matth. XXVII. 18; et alibi.
[5]) Ibid. XII. 14; XXVI. 4; Marc. III. 6; Luc. VI. 11; et alibi.
[6]) Matth. XXII. 15; XXIII. 34; Marc. XII. 13; et alibi.
[7]) Matth. XXVI. 3, 4; Joann. XI. 47 seqq.
[8]) Matth. XXVI. 15; et alibi.
[9]) Matth. XXVII. 1.
[10]) Joann. XVIII. 13 seqq.
[11]) Ibid. XVIII. 22 seqq.
[12]) Luc. XXII. 63 seqq.
[13]) Joann. XIX. 6, 15.
[14]) Matth. XXVII. 41; Luc. XXIII. 35.

tum quae Jesus ipse adjuncta omnia mortis suae praenunciaverat, Matth. XVI. 21 seqq.; XVII. 21, 22; XX. 18; Marc. IX. 30; X. 33; Luc. IX. 44; XVIII. 31. Adeoque, quod consequens est, reprobatio judaicae gentis, dispersio, ejusque miseranda conditio post 18 saecula adhuc perdurans, in poenam acciderunt repudiati Messiae et in eam propterea sanguis recidit interfecti Salvatoris, prout dire in se illum imprecata est.

DIFFICULTATES.

165. I. Obj. Jure merito in Jesum animadversum est uti reum criminis religiosi: 1. siquidem ipse de se tamquam de Deo locutus est; jam vero judaeorum lex morti eum addicebat, qui novitatem circa hunc articulum machinatus esset; sane offensi judaei sunt, quod Joann. VI. 41. de se diceret: *Quia de coelo descendi;* et cum iterum, ibid. X. 30, 33. dixisset: *Ego et Pater unum sumus, sustulerunt lapides judaei, ut lapidarent eum*, adjicientes: *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* 2. Porro si se ipsum Jesus prophetam exhibuisset, seu depravatorum morum censorem, omnes eum suspexissent, prout jus publicum ferebat; ast cum hos fines transilivisset, ideo morti adjudicatus est ex legis praescripto. Ergo.

166. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Jesus de se tamquam de Deo, seu verius tamquam de Filio Dei locutus est, nihil detrahens Dei unitati, *C.* illi detrahens, *N.* Scopus Christi Jesu fuit divinam missionem suam comprobare, quod reipsa effecit per omnia credibilitatis motiva, praecipue vero per miracula. Qua constituta, reliquum erat ipsi auscultare; cum igitur Jesus se veluti Filium Dei, utique natura, praedicaret, ac simul dogma inculcaret monotheismi, si quam judaei difficultatem in arcana hac doctrina invenirent, nodi ab eo solutionem petere debuissent, non autem velut blasphemum traducere. Hoc autem praetermiserunt, ideo impegerunt, ac rei effecti sunt. Eo vel magis quod, uti animadvertimus, in V. T. saepius divinitas Messiae aperte enunciata sit, et exhibeatur uti Dei Filius a Patre genitus ab aeternitate, e. gr. Ps. II. 7; Ps. CIX. 3; Mich. V. 2; Is. IX. 6; et alibi passim.

167. Ad 2. *Tr.* vel *N.* Antiqui vates se ipsos tamquam prophetas solum exhibuerunt ac depravatorum morum censores; attamen judaei eos ingenti furore persecuti sunt; etenim Jerem. II. 30. legitur: *Devoravit gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator*, adeo ut vere exprobrare Stephanus eis potuerit, Act. VII. 52: *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui praenunciabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidae fuistis.* Sane universa evangelica historia testatur pharisaeos, ac sacerdotes cum senioribus in Christum insurrexisse, eo quod depravatos ipsorum mores insectaretur. Quid igitur nobis obtrudit Salvador publicum jus? Veritas redarguens semper odium parit.

168. II. Obj. Saltem ut in perturbatorem publicae quietis judaei in Jesum insurgere potuerunt ac poenae subjicere. Ipse enim 1. dissensiones

in populo serebat [15]; ac 2. plures perditae vitae homines ad suam admittebat sequelam, ut ad bonam quidem frugem eos revocaret; hi tamen timores ingerebant concilio nationali. [16] Augebantur 3. ejusmodi timores ex concionibus suis ac declamationibus, anathematibusque in divites [17]; 4. in ejusmodi rerum adjunctis concilium deliberat: nonnulli censent eum uti insanum spectandum [18], alii ut seducentem turbas. [19] Caiphas pro munere suo deliberat bonum totius societatis unius individui bono esse praeferendum, quare se ipsum ejus accusatorem constituit. [20] Huic tamen *judicio comprehensionis* 5. aliud praecesserat *admonitionis* [21], eo quod sibi arrogaret auctoritatem juri communi contrariam. 6. Duplicis idcirco criminis Jesus incusatus est, religiosi ac politici, et ob utrumque damnatus. Ergo.

169. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *N.* Sed cum Christus coelestem plane doctrinam traderet eamque communiret uti divinam prodigiis omnigenis, cumque perspectum odium esset, quo in eum ferebantur pharisaei ac principes sacerdotum, quorum hypocrisim detegebat, ideo factum est ut turbae diversum ferrent de Jesu judicium, et hi quidem bonum, prophetam, thaumaturgum dicerent, hi vero malum, seductorem, novatorem existimarent; ast diversitas haec sentiendi circa Christi personam nullum effectum politicum turbationis et agitationis, unde timores exsurgere possent, producebat; uti liquet ex allegato ipso Joannis textu.

170. Ad 2. *Nego* ejusmodi homines timorem ingerere potuisse, de qua re nullum apparet in tota historia evangelica vestigium. Recipiebantur enim a Christo uti a patre perditi filii, a pastore oves errantes, a medico infirmi. Nonnisi tumidi pharisaei aegre Christi mitem erga peccatores agendi rationem ferebant, quia falsa justitia, quam ipsi affectabant, dura et immitis est.

171. Ad 3. *Neg.* Nec enim in divites, sed in scribas et pharisaeos multiplicia *vae* Christus protulit [22], eo quod plebis favore abutentes, retraherent homines a salutis via; interdum quidem et in divites insurrexit sed avaros; divites enim in se spectatos comites semper excepit et fovit. Longe acrius invexerunt antiqui prophetae in eosdem divites duros ac avaros, ut patet ex Is. V. 8; XXXII. 9; Jerem. XV. 13; Amos VI. 1; et alibi passim. Itaque non *conditionem,* sed *mores* divitum perstrinxit Christus, uti *censor depravatorum morum* ad normam publici juris, ut loquitur adversarius.

172. Ad 4. *Nego* universam texturam mendaciorum, quam Salvador orditus est, ut suis patrocinaretur. Etenim 1°. falsum est deliberasse concilium in illis adjunctis, sed deliberavit ob excitationem Lazari, ob quam multi credebant in Jesum; 2°. falsum est in concilio nonnullos Jesum ut insanum traduxisse aut seducentem turbas, de quibus actum in concilio illo non est;

[15]) Joann. VII. 43; Luc. XXIII. 5.
[16]) Matth. IX. 10; Marc. II. 15; Luc. XV. 1.
[17]) Matth. XXIII. 13 seqq.
[18]) Joann. X. 20.
[19]) Joann. VII. 12.
[20]) Ibid. XI. 47—50.
[21]) Luc. XX. 1 seqq.; Joann. VII. 38; Matth. XXI. 21.
[22]) Matth. XXIII. 13.

3°. falsum est Caipham his de causis se accusatorem Jesu constituisse; sed cum diceretur in concilio: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem,* Caiphas confirmavit hoc assertum, deditque consilium de interficiendo Jesu, *ne tota gens pereat*, in quo nesciens et contra mentem suam vaticinium edidit, sed sensu plane contrario, ut eventus probavit, et prout passim contingere solet pseudopoliticis.

173. Ad 5. *Neg.* Duo siquidem haec judicia *comprehensionis* et *admonitionis* duo somnia sunt patrocinatoris nostri, de quibus nihil occurrit in Evangeliis. Judicium, quod adversarius vocat *comprehensionis*, fuit conspiratio, ut vidimus, et deliberatio perdendi Christum et quidem *dolo,* uti habetur Matth. XXVI. 4; Marc. XIV. 1, ob multitudinem miraculorum, quae ab ipso patrabantur; judicium vero, quod vocat *admonitionis,* non fuit nisi disceptatio excitata a principibus sacerdotum et senioribus circa doctrinam et missionem Jesu, quos ipse ad silentium redegit, proposita quaestione de baptismo Joannis Baptistae. Quae vero attexuit adversarius ex Joann. VII. 38; Matth. XXI. 21, nihil habent commune cum judicio *admonitionis;* sed sermo in iis est de fide et de credentibus in Jesum.

174. Ad 6. *D.* Accusatus de duplici crimine est, sed sine fundamento et probationibus, et damnatus sub utriusque criminis praetextu, *C.* convictus et jure damnatus ob utrumque vel alterutrum crimen, *N.* Numquam sibi constiterunt accusatores Christi, qui modo eum de religioso crimine incusarunt, modo de politico; et rursus hoc omisso, ad primum pervicaciori mente rediere, ut constat ex Joann. XVIII et XIX. Ast crimen religiosum nihili fecit Pilatus, qui Jesum a crimine politico iterum iterumque absolvit, eo quod de eo non posset constare; nec nisi victus clamoribus ac minis multitudinis tandem invitus cessit eorum voluntati. Hac ratione et innocentia Christi, et malitia aemulorum suorum, Deo ita providente, clarissima in luce positae sunt.

175. III. Obj. 1. Ratione habita personarum, sacerdotum videlicet et seniorum, ordinis quem in processu iidem tenuerunt, et causae ob quam Jesus morti addictus est, fieri nequit ut ironice atque ad irridendum prolata illa verba censeamus: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere; si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credimus ei* [23]; 2. miraculum tunc fuisset decisivum. 3. Non judaei sed vaticinia ipsius Jesu ipsum interfecerunt; nam si judaei non interfecissent, falsa ejus vaticinia reddidissent, adeoque fuissent deicidae; quemadmodum et interficiendo fuere deicidae. Ergo.

176. Resp. Ad 1. Immo vero ratione personarum et adjunctorum habita, luculentissime patet ad insultandum ac irridendum morientem Jesum adducta verba prolata fuisse. Erant enim sacerdotes et seniores acerrimi ejus hostes et aemuli, invidia et impotenti odio acti, qui vias omnes ad mortem ipsi inferendam pertentaverant, nunc vero voti compotes facti, bar-

[23]) Matth. XXVII. 42.

bare omnino canebant triumphum. Sane ex evangelistis novimus etiam qua ratione ea verba proferrent, scilicet *moventes capita sua, et dicentes ad alterutrum cum scribis: alios salvos fecit,* etc. [24] Nec advertebant se ad litteram vaticinia complere ea ipsa proferentes quae David, Ps. XXI. 8, 9. praenunciaverat.

177. Ad 2. Resp. I. *Tr.* Quos enim non tetigerant tot alia miracula, quorum ipsimet spectatores fuere, nec miraculum mortis tempore patratum commovisset. Quid agas cum hominibus in malitia obfirmatis? Resp. II. Neque haec miracula hora illa defuisse; talia fuere veli scissio a summo usque deorsum, tenebrae, terrae concussio [25], praecipue vero gloriosa Jesu a mortuis resurrectio; quin tamen illis permoti fuerint excaecati sacerdotes et pharisaei.

178. Ad 3. Resp. argutiolam objectam veram scurrilitatem esse indignamque gravitate argumenti, de quo agitur. Ordine ac ratione, seu logice, praevisio futurorum liberorum posterior est deliberatione, a qua pendet; nisi enim libera deliberatio praecessisset, ea futura nec praevisa, nec praenunciata fuisset.

CONCLUSIO.

179. Ut in synopticam veluti tabulam revocemus hactenus fuse discussa, colligimus: 1°. Ab ipsius mundi primordiis promissum a Deo Liberatorem, seu Salvatorem ac Messiam fuisse; iteratam eamdem promissionem patriarchis fuisse, immo labentibus jugiter saeculis, et ad praefinitum diem adventantibus illustriora edita vaticinia; fidem hanc atque expectationem propagatam apud omnes gentes, praecipue vero in sua integritate viguisse et conservatam esse apud israeliticam gentem; 2°. promissi Messiae adventus epocham fixam ratamque, praenunciatos characteres, officia et munia; adeoque nonnisi unicum esse, cujus adventus retardari non potuit. 3°. Colligimus jamdiu elapsas esse epochas omnes adventus promissi et expectati Messiae; munia insuper ac officia completa esse Messiae ejusdem, adeo ut spes omnis ablata sit illum in posterum praestolandi. Colligimus 4°. denique hunc alium non esse, nec esse posse nisi unum Jesum Nazarenum, qui et ea praecise aetate apparuit, quae designata erat ab antiquis vaticiniis, a quo adimpleta munia omnia sunt messiana quoad vocationem gentium, abolitionem veteris foederis, novique suffectionem, repudiationem synagogae. Ipse solus illos characteres personales ac notas prae se tulit, quibus Messias a prophetis praesignificatus est: originem siquidem a tribu Juda duxit et a familia David, ortus est ex Virgine matre in Bethlehem terra Judae; humilis fuit et pauper, doctor ac thaumaturgus; neci violentae addictus, ac redivivus post triduum e sepulcro, gloriosus, novique regni theocratici seu ecclesiae institutor, quae per universum mundum illico dilatata est.

180. Cum vero pleraque vaticinia messiana talia sint suapte natura,

[24]) Marc. XV. 29, 31; Luc. XXIII. 35; Matth. XXVII. 39—41.

[25]) Matth. XXVII. 45—51 seqq.; Marc. XV. 33—38; Luc. XXIII. 44.

ut nonnisi semel compleri potuerint, cujusmodi sunt, quae addicta erant tempori, loco, characteribus personalibus; plane consequitur vana omnino spe judaicam gentem sibi illudere, quae adhuc praestolatur venturum eum, qui jamdiu venit. Cum enim stantibus adhuc urbe ac templo venire deberet Messias, cum haec solo aequata sint, jam patet fieri haud posse, ut venturus adhuc sit. Sed praeterea cum census tribuum ac familiarum omnino perierint, cum omnes de stirpe davidica progeniti ablati sint, numquam poterunt ostendere judaei quemquiam esse promissum Messiam.

181. Ex his non solum confunduntur judaei, sed increduli pariter arguuntur, dum non agnoscunt in admirabili hac factorum serie argumentum ineluctabile divinae ac supernaturalis revelationis. Divina enim prorsus providentia elucet in populi judaici fatis tum ante tum post Messiae a se repudiati adventum. Siquidem olim numquam Deus destitit ab hac gente conservanda, colligenda, tutanda jugi, ut ita dicam, prodigiorum serie, et prophetarum missione; post dispersionem vero magnam, quae contigit post repudiatum interfectumque Messiam, jam nullum amoris signum eidem exhibet post tot saecula, ubique dispersae, ubique invisae, notam veluti in fronte gerenti occisi Messiae; conservatur tamen, quia illius testimonium prodest gentibus ab infidelitate conversis aut convertendis, et quia cum gentium plenitudo ad Christi cognitionem pervenerit, tandem et ipsa judaeorum gens ad Christum convertetur, ad unum idemque ovile efficiendum sub unico pastore Christo ejusque in terris Vicario.

PARS POSTERIOR.

ADVERSUS HAERETICOS.

182. Germana de Incarnatione doctrina melius erui non potest quam ab ejusdem definitione. Est igitur *Incarnatio*, ab antiquis *oeconomia* etiam seu *dispensatio* nuncupata, *assumptio naturae humanae a Verbo divino facta in unitate personae ad humanum genus redimendum.* Verbum hoc divinum homo factum *Christus* vocatur.

183. Ex hac definitione intelligimus ad plenam dominicae Incarnationis adstruendam doctrinam opus esse ut vindicemus in Christo 1°. naturam divinam; 2°. naturam humanam; 3°. unitionem, seu unionem ambarum naturarum in una divini Verbi persona; 4°. integritatem utriusque naturae post unionem; 5°. utriusque proinde naturae operationem ac voluntatem; 6°. idiomatum communionem, theandricas actiones ex hypostatica conjunctione provenientes, adorationemque Christo debitam; 7°. ejusdem titulos, munia et excellentiam; 8°. meritum actionum Christi; 9°. exhibitam denique ab eo satisfactionem pro peccatis nostris et redemptionem.

184. In his igitur singillatim constituendis ac vindicandis tota exinde versabitur tractatio nostra adversus antiquiores ac recentiores haereticos,

rationalistas et incredulos, qui nullis pepercerunt nisibus ad haec catholica dogmata evertenda.

CAPUT I.

DE DIVINA CHRISTI NATURA.

185. Divinitatem Christi directe impugnarunt sociniani, haeresim Photini, Theodoti ac Pauli samosateni renovantes. Impietate rationalistae socinianos superarunt; hi enim in Christo non agnoscunt nisi philosophum seu sapientem a divina providentia excitatum ad hominum aetatis suae mores rite informandos, prout excitati fuere Zoroaster, Confucius, Mahumedes.

186. Cum vero Verbi seu Filii Dei divinitatem ejusque cum Patre consubstantialem naturam abunde vindicaverimus in Tractatu de Trinitate, ad divinitatem idcirco Christi evincendam satis nobis erit ostendere Christum Jesum esse idem Dei Verbum humana carne indutum seu in assumpta humanitate. Hoc vero tum ex sacris litteris tum ex perpetua constantique ecclesiae traditione ac doctrina efficiemus, adjicientes etiam probationes, quae magis directe Christi adstruant divinitatem.

PROPOSITIO.

Vera ac proprie dicta divinitas seu natura divina in Christo Jesu agnoscenda est ac profitenda.

187. De fide propositio est, ut constat ex professione fidei in omnibus symbolis exhibita, et ex perpetua ecclesiae doctrina. Adjecimus autem: *Vera et proprie dicta divinitas*, ad excludendam impropriam ac late sumptam divinitatem, quam in Christo agnoscere sociniani non renuunt.

188. Ita vero enunciatae propositionis veritatem evincimus: Verbum, de quo loquitur Joannes initio Evangelii sui, ut constat ex Tract. *De Trinitate,* verus Deus est, omnium rerum conditor, Patrique Deo coaeternus; atqui hoc Evangelii initium: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* ad alium referri nequit, nisi ad Christum; ergo ex Joanne vera et proprie dicta divinitas, seu natura divina in Christo est agnoscenda. Porro minor propositi argumenti nec ab adversariis ipsis in dubium revocatur, cum de hoc ipso Verbo scribat evangelista, v. 14: *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Reipsa ideo magnificum illud exordium ab evangelista praemissum est, ut lux affulgeret iis omnibus, quae in totius Evangelii decursu erat scripturus, quod scilicet Jesus e coelo venerit, Filius Dei fuerit antequam mundus fieret, extiterit apud Patrem, ex Patre ac Deo processerit, quod ipse esset in coelo, dum loqueretur in terra, aliaque id genus multa, quae praemisso illo exordio facile intelliguntur, eo sublato totidem inextricabilia aenigmata fiunt nullo modo explicanda.

189. Insuper Christus verus Deus agnoscendus est, si ipse sibi veram

tribuit divinitatem ejusque attributa; si verba ipsius judaei de vera intellexerunt divinitate; si denique scriptores omnes inspirati hujus articuli professionem veluti praecipuum fundamentum constituunt fidei a Jesu praedicatae. Atqui ita est.

190. Sane Christus veram sibi tribuit divinitatem, 1°. dum se *Filium Dei* toties vocavit, ut Joann. III. 16. ubi de se ita loquitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam;* ac ita se vocat *Filium Dei et Unigenitum Dei*, ut unum se cum Patre suo dicat, uti Joann. X. 30: *Ego et Pater unum sumus;* et unum cum Patre suo profitetur, *quia,* ut subdit, ibid. v. 38: *Pater in me est, et Ego in Patre;* adeoque saepe inculcat, quod ipse a Deo venerit, de coelo descenderit, processerit a Deo; sic Joann. VI. 51: *Ego sum,* inquit, *panis vivus, qui de coelo descendi;* et ibid. XVI. 27: *Ego a Deo exivi;* et ibid. VIII. 42: *Ego enim ex Deo processi.* 2°. Hac de causa sibi tribuit *aeternitatem* dicens, Joann. XVII. 5: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te;* et ibid. VIII. 58: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Tribuit *omnipotentiam*, ut Joann. V. 19: *Quaecumque ille* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit... Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat.* Tribuit sibi scientiam comprehensivam ipsius Patris dicens, Matth. XI. 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.* Tribuit sibi cultum supremum, dum templum sibi vindicat dicens, ibid. XXI. 13: *Domus mea domus orationis vocabitur.* 3°. Exigit fidem in se tamquam in Filium Dei, ut Joann. IX. 35 seqq.: *Tu credis in Filium Dei?* dixit caeco nato; cumque hic quaesiisset, quisnam hic esset, respondit ei Jesus: *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Domine, et procidens adoravit eum;* et ibid. XIV. 1. dicebat apostolis suis: *Creditis in Deum, et in me credite.* Exigit in se spem, dum promittit se facturum quidquid discipuli ejus a se petierint, ibid. v. 13: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Exigit caritatem in se super omnia, ut Matth. X. 37: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus;* et iterum, Joann. XIV. 21: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me;* et v. 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Et haec speciminis gratia ex aliis pene innumeris, quae afferri possent.

191. Judaeos autem ac discipulos Christi ejus verba de divinitate proprie dicta intellexisse nullum dubium esse potest. Etenim in primis judaei hoc ipso quod verba Christi de vera divinitate intellexerint, saepe eum uti blasphemum interficere voluerunt, ut Joann. V. 18: *Propterea ergo magis quaerebant eum judaei interficere: quia... Patrem suum* (graece ἴδιον, *proprium*) *dicebat Deum, aequalem se faciens Deo;* et ibid. X. 33: *Responderunt judaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Cumque in concilio interrogatus esset Jesus, immo et adjuratus a summo sacerdote, Marc. XIV. 62: *Tu es Filius Dei?*

respondit: *Ego sum;* quod quidem responsum uti blasphemum tum summus sacerdos tum reliqui omnes adstantes habuerunt, ut enim legitur Matth. XXVI. 65 seqq.: *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* Hoc ipsum crimen Jesu objecerunt coram Pilato, Joann. XIX. 7: *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Jam vero hic sermo profecto non est de appellatione improprie dicta Filii Dei, quam justis omnibus, immo et sibimetipsis judaei tribuebant, Joann. VIII. 40. adeoque in vero et presso sensu, prout judaei intellexerunt, Christus se Filium Dei professus est, alioquin eos debuisset ab hac persuasione retrahere, ne reos eos faceret injustae necis; quo casu ipsemet Jesus eos in peccatum induxisset, quod impium vel cogitatu est. Demum nonne Orobius, ut vidimus, et Salvador aequitatem propugnant judicii in causa Christi, eo quod se vere Deum et Filium Dei fecerit? Judaei igitur et increduli socinianos impietatis arguunt.

192. Quod vero attinet ad Christi discipulos, eos veram semper in Christo divinitatem ex ejus doctrina agnovisse non minus evidens est; nam ut insistamus in apostolo Paulo, ipse in Epist. ad Hebr. I. Christum ita vocat *Filium Dei*, ut *sit splendor Patris et figura substantiae ejus portansque omnia verbo virtutis suae;* et cap. III: *Qui creavit omnia;* ac rursum I. 10. eidem applicat illud Ps. CII. quae manifeste de Deo solum dici possunt: *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli; ipsi peribunt, tu autem permanebis. . . Tu autem ipse es, et anni tui non deficient.* Rom. VIII. 32. vocat Jesum Filium Dei *proprium;* Coloss. I. 16: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* I. Timoth. III. 16: *Deum* dicit *manifestatum in carne;* et Rom. IX. 5: *Deum benedictum in saecula;* ad Tit. II. 13: *Magnum Deum;* ad Philipp. II. 6. de eodem scribit, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Eadem habent Petrus, I. Epist. II. 3; s. Judas, Epist. sua, v. 4 et 5; s. Joannes, I. Epist. I. 2. vocat Christum *vitam aeternam, quae erat apud Patrem, Verbum vitae, verum Deum.* Hinc evangelistae sua commentaria a testimonio aliquo divinitatis Christi exordiuntur. S. Matthaeus, cap. I. 23. ei applicat vaticinium Isaiae: *Ecce virgo concipiet . . . et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus;* cap. XVI. inducit Petrum profitentem divinitatem Christi illis verbis: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* ob quam confessionem Petrus fundamentum ecclesiae designatus est. S. Marcus incipit: *Initium Evangelii J. C. Filii Dei.* S. Lucas inducit cap. I. 16. angelum sic alloquentem Zachariam de filio illi nascituro: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse praecedit illum* (Dominum Deum) *in spiritu et virtute Eliae.* Post tantam itaque argumentorum seriem concludere jam liceat cum s. Hilario [1]: *Deum igitur Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus,*

[1]) *De Trin.* lib. VII. n. 9.

nomine, nativitate, natura, potestate, professione; quibus ea omnia complexus est, quae hactenus evolvimus. Tum etiam exinde inferimus: aut Christus verus Deus est, seu in ipso vera et proprie dicta divinitas est agnoscenda, aut totus christianismus non est nisi vana chimaera; nec nisi uti schola ad summum philosophica spectari posset, in qua ethices principia evoluta essent, sed ejusmodi erroribus, immo et ipso idololatrico cultu deturpata, ut jure merito despici deberet. Attamen sociniani, rationalistae, protestantes universim hunc fidei articulum evertunt totius religionis christianae fundamentum; et hi sunt, qui disseminare profitentur *verbum Dei purum* in bibliis, quae ubique diffundunt, immo projiciunt!

193. Hic adjicere possemus documenta omnigena, quibus constat hanc fidei doctrinam constanter a christianae rei primordiis usque ad nos in ecclesia catholica viguisse; verum cum haec jamdiu evolverimus in Tract. *De Trinitate,* ubi egimus de divinitate Verbi, ne actum agere videamur, cum ea huc pariter referantur, ab iis propterea hic iterandis supersedemus, cum illinc peti possint.

DIFFICULTATES.

194. I. Obj. 1. Ideo Christo Dei nomen, proprietates et cultus in Scripturis tribuuntur, quia utpote Dei legatus, Dei ipsius personam sustinuit; quaecumque idcirco Dei sunt, de se et ipse praedicavit, ac praedicarunt scriptores hagiographi. 2. Sane licuit angelo in V. T. sibi vindicare Dei nomen, proprietates et cultum, dicens Moysi [2]: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob... Ego sum qui sum... Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est;* a fortiori eadem sibi vindicare Christus potuit, qui longe sublimiori inter homines pro Deo legatione fungebatur, quamvis reipsa Deus non esset. Ergo.

195. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim 1°. numquam Christus ut merum Dei legatum se exhibuit; 2°. se constanter distinguit a Patre, a quo et genitus et missus est; 3°. quamvis divinam naturam cum divinis attributis sibi adscribat, haec tamen omnia a Patre sibi communicata ab aeterno praedicat; 4°. ea et ipse de se, et inde de eo docent scriptores sacri, quae non sine impietate Patri, soli nempe personae divinae in socinianorum hypothesi, tribui possent, et nihilominus Christi Jesu divinitatem mirifice adstruunt; e. gr. quod ipse genitus sit a Patre, sit unigenitus Patris, in sinu Patris, exierit a Deo, processerit a Deo, unum sit cum Patre suo, aequalis Patri; quod descenderit e coelo, et, cum in forma Dei esset, acceperit formam servi, et in hac obediverit, passus et mortuus sit, aliaque ejusmodi.

196. Ad 2. Resp. I. *Tr.* Siquidem antiquissimi Patres graeci atque latini usque ad s. Augustinum uno consensu tradunt nomine angeli *Jehova* aut *foederis* ipsum Dei Filium significari, qui antiquis patriarchis ac Moysi apparuit. Quo admisso, quin ex objectis locis aliqua oriatur difficultas, thesis nostra potius mirifice confirmatur.

[2]) Exod. III. 5 seqq.

197. Resp. II. *Nego paritatem.* Dato enim, quod vere angelus Dei nomine locutus Moysi sit, sibique propterea uti legato Dei nomen et attributa vindicaverit, nihil exinde contra nos conficitur, quia ea non occurrunt in angelo illo adjuncta ac locutiones, quae occurrunt in Christo, uti ex dictis patet.

198. II. Obj. Scriptura ipsa causas patefacit, ob quas Christus Filius Dei nuncupatus fuerit; ac 1. ratione *admirabilis suae conceptionis.* Nam angelus alloquens b. Virginem: *Spiritus Sanctus,* inquit [3], *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei;* quo sensu etiam Adam, Luc. III. 38. *filius Dei* dicitur, eo quod Patrem terrenum non habuerit; sane angelus non dixit *erit*, sed *vocabitur* Filius Dei. 2. Ratione *resurrectionis ex mortuis*, ut declarat Apostolus [4], dicens eam praedictam fuisse illis verbis Psalmi secundi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* nec non in Epist. ad Rom. I. 3, 4. scribens: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum J. C. D. N.* 3. Ratione *missionis* ac *sanctificationis* suae, prout declarat ipse Christus, Joann. X. ubi cum blasphemiae accusaretur a judaeis, eo quod se Filium Dei dixerit, respondit: *Nonne scriptum est in lege vestra: Quia ego dixi: dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est; et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum?* Ergo non alia de causa Christus *Filii Dei* denominationem sibi tribuit, quam tributa fuerit justis, prophetis ac judicibus in vetere lege, quamvis peculiari ratione sibi eam vindicet prae illis ob missionem nobiliorem, quam adeptus est. Porro si natura Filius Dei esset Christus, eam hoc in loco silentio non praeteriisset. Ergo.

199. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si particula *ideoque* sit causalis, *Tr.* si sit *explicativa, N.* Transmisimus vero primum distinctionis membrum, quia etiam in hypothesi quod ea particula causalis sit, non sequitur quod contendunt adversarii, admirabilem scilicet conceptionem Christi causam esse denominationis Filii Dei, cum possit causam exprimere, quare sic Christus concipiendus fuerit, nempe quod sit natura Filius Dei. Hoc ipsum autem melius apparet, si cum omnibus interpretibus particula *ideoque* dicatur *explicativa,* quatenus scilicet angelus exponit rationem, ob quam Spiritus Sancti virtute in Virgine esset concipiendus Christus. Jam enim angelus aperte alludens ad vaticinium Isaiae, capp. VII et IX. cujus verba usurpat, dixerat: *Ecce concipies in utero et paries filium. Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis,* nempe annunciat eam esse concepturam et parituram *Emmanuelem*, qui vocandus erat *admirabilis, Deus, fortis, Pater futuri saeculi* etc., seu Filium Dei; cum vero b. Virgo interro-

[3]) Luc. I. 35.

[4]) Act. XIII. 33.

gasset de modo, quo haec fierent, respondit angelus objectis verbis: *Spiritus Sanctus* etc., demum rediens ad id, quod prius proposuerat, adjecit: *Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei,* seu haec est ratio, ob quam sic debet concipi et nasci Dei Filius humana carne indutus. Alioquin a sublimi illa idea filii Dei concipiendi, abduxisset in exilem illam, quod hic concipiendi modus sit unica ratio, ob quam hic esset appellandus *Filius Dei.*

200. Neque obstat verbum *vocabitur*, quo usus est angelus, cum nemo ignoret vocem istam penes Hebraeos idem valere ac *esse,* ut loquendi usus ostendit. Eodem enim sensu hoc verbum occurrit, Is. I. 26; IV. 3. Nobis hic satis sit afferre exemplum ex Jacobo, cap. II. 23. ubi de Abraham scribit: *Et amicus Dei appellatus est;* Judith vero, cap. VIII. 22. de eodem patriarcha dicitur: *Et amicus Dei effectus est.* Nec pariter obstat, quod ponatur in futuro, *vocabitur*, sermo enim est de *Deohomine*, qui uti talis nondum conceptus erat.

201. Falsum porro est, quod dicitur de Adam, a Luca cap. III. *filio Dei* nuncupato; solum scribit evangelista: *Qui fuit Dei,* id est, non ab alio genitus, sed a Deo creatus.

202. Ad 2. *Neg.* Neque enim colligit Apostolus in duobus objectis locis Christum ideo dici Filium Dei, quia excitatus a mortuis et sacerdos constitutus, sed e converso ex eo, quod fuerit filius Dei, colligit debitam ei fuisse et resurrectionem et sacerdotium, cum utriusque fundamentum sit *filiatio,* ut ita dicam, naturalis divina Christi. Hinc verba Psalmi priora: *Filius meus es tu,* sejungi debent ab insequentibus: *Ego hodie genui te,* id est, quia *filius meus es tu,* ideo hodie *suscitavi te,* quia resurrectio in Scripturis consideratur veluti nova generatio; alioquin ex iisdem Psalmi verbis idem Apostolus non intulisset Christi excellentiam super angelos scribens[5]: *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu: Ego hodie genui te?* In Epistola vero ad Rom. juxta vim graeci textus, resurrectio et effusio Spiritus Sancti sunt declaratoria divinae Christi naturae, per ea siquidem agnitus est Christus verus Filius Dei; juxta vulgatam lectionem latinam referuntur verba Apostoli ad humanitatem Christi, quae praedestinata est ad unionem hypostaticam cum Dei Verbo, et unio haec causa extitit resurrectionis et effusionis Spiritus Sancti. Utra admittatur lectio et interpretatio, omnis eliminatur difficultas.

203. Ad 3. *Neg.* Christus enim missionem et sanctificationem seu destinationem ad munus messianum explendum attulit ad amovendum a se blasphemiae crimen, eo quod se dixerit *Filium Dei,* argumentum instituendo ad hominem a minori ad majus. Hoc porro crimine amoto, pergit ostendendo se reipsa verum Filium Dei esse, dicens: *Ego in Patre, et Pater in me est*: quod ut evincat, provocat judaeos ad opera sua, dicens: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me*

[5]) Hebr. I. 5.

est, et ego in Patre. Quod cum probe intellexissent judaei, multo magis quaerebant ipsum lapidare. Patefecit proinde hoc in loco Christus, immo et inculcavit se vere naturalem Filium Dei esse; tantum abest, ut silentio praeterierit.

204. I. Inst. Apostolus de Christo scribit [6]: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri... Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* 1. Christus igitur regnum suum tradet Patri, eo pacto, inquit Crellius, quo dux potestatem sibi concessam, bello confecto, regi tradit; 2. subjicietur et ipse aliquando Patri, qui subjecit ei omnia. Non est ergo Deus summus.

205. Resp. *Nego* primam illationem; neque enim Christus juxta Apostolum resignabit regnum suum Deo, ut belli dux imperium sibi traditum, bello confecto, resignat regi suo, sed tradet regnum ut filius Patri suo, cum quo et cum Spiritu Sancto unum habet imperium; alioquin regnum Christi finem haberet, secus ac angelus dixerit b. Virgini [7]: *Et regni ejus non erit finis;* quod ibidem exprimit Apostolus scribens: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus;* cum hi devicti fuerint, multo magis regnabit.

206. *Nego* alteram illationem, siquidem non in propria persona Christus subjiciendus erit Patri ex Apostolo, sed ut caput ecclesiae cum integro corpore mystico, completo scilicet electorum numero. Alioquin nunc subjectus non esset Patri, quod nemo dicet; itaque subjicietur cum corpore suo mystico; cum hic sit unicus sensus, qui admitti possit.

207. II. Inst. Ex eodem Apostolo [8] quidquid Christus habet, ei essentiale non est, sed communicatum habet a Patre, seu a Deo summo. Cum enim praemisisset Christum omnibus peractis consedisse ad dexteram Dei in excelsis, subdit: *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu: Ego hodie genui te?* Et rursum: *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium?* Ex his porro habemus 1. comparationem inter angelos et Christum; esset autem comparatio inter disparata, si Christus naturalis filius Dei esset; 2. *effectum* meliorem angelis, quatenus nomen excellentius prae illis *haereditavit:* quod vero haereditate obtinetur, non est naturale, neque generatione proprium; 3. idque in futuro enunciatum per illa verba: *Ego ero illi in Patrem* etc., et quidem in typo, qui praecesserat, scilicet in Salomone, de quo litterali sensu haec dicta sunt a Nathan. [9] Salomon autem non potuit typus esse Christi quoad aeternam generationem. 4. Nec obest ibidem dici: *Per quem fecit et saecula;* illud enim *per quem*, uti animadvertit Grotius, exprimit causam finalem, quasi diceret: *propter quem* juxta opinionem Hebraeorum, quod omnia facta fuerint in gratiam Messiae. 5. Proinde ibid.

[6]) I. Cor. XV. 24.
[7]) Luc. I. 33.
[8]) Hebr. I. 4 seqq.
[9]) II. Reg. VII. 24.

Apostolus vocat Christum *splendorem gloriae et figuram* (characterem) *substantiae Dei*, ut alibi eum vocaverat *imaginem Dei invisibilis;* jam vero splendor, seu ille, in quo refulget Dei gloria et imago Dei, nequit ejusdem numero substantiae cum illo esse, alioquin sui ipsius splendor et imago foret. Ergo.

208. Resp. *D. A.* In natura humana, *C.* in natura divina, vel *N.* vel *subd.* per aeternam generationem, *C.* secus, *N.*

209. Ad 1. prob. *D.* Instituit Apostolus comparationem inter angelos et Christum spectatum in natura assumpta, *C.* in natura divina in se spectata, *N.* Spectato Christo Deo-homine seu in assumpta natura, comparatio non amplius versatur inter disparata, cum haec natura, sicut angeli, creata fuerit, nec nisi ratione unionis hypostaticae cum persona Verbi dicatur et sit filius Dei naturalis.

210. Ad 2. *D. Effectus* melior angelis est, et *excellentius nomen haereditavit* in assumpta natura, *C.* in se, *N.* Nam hoc ipso quod haec natura humana elevata fuerit ad unionem hypostaticam, in hac Christus *effectus* est melior angelis; et cum in hac natura obediverit, passus sit et mortuus, haereditavit jure merito nomen excellentius prae angelis.

211. Ad 3. *D.* In futuro verba illa enunciata sunt in ordine ad naturam assumendam, *C.* quoad naturam divinam, *N.* Et hoc sensu intelligitur, quomodo Salomon potuerit typus esse Christi, seu Dei hominis.

212. Ad 4. *D.* Quae tamen animadversio Grotii falsa est, *C.* vera, *N.* Jam enim aures socinianis Grotius praebuerat, dum sua commentaria edidit, adeoque ubique ipsis favet. Jam vero falsam atque violentam ejusmodi animadversionem esse patet 1°. ex eo quod contra innumera prope Scripturarum testimonia, quibus Verbo seu Christo rerum tribuitur creatio, contendat perinde valere *per quem* ac *propter quem;* 2°. quia repugnat contextui, in quo Paulus Christo tribuit fundationem seu creationem terrae et coeli, et ita, ut omnia portet verbo virtutis suae. Quapropter vel ab ipsis rationalistis biblicis ea expositio excluditur.

213. Ad 5. *Nego*, Apostolum vocare Christum *splendorem gloriae, et figuram substantiae Dei;* sed *Patris* eum dicit splendorem et figuram, quatenus proprium filii est patris gloriam et figuram, seu *characterem substantiae* Patris referre, quod non efficit nisi filius naturalis, qui Patri coaeternus ac consubstantialis est.

214. Ideo vero ad Coloss. I. 15. Paulus vocat Christum *imaginem Dei invisibilis,* aut etiam *primogenitum omnis creaturae,* quia, ut adjicit, *in ipso condita sunt universa, in coelis et in terra, visibilia et invisibilia... Et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant,* seu Deum invisibilem visibilem reddidit per universi creationem, et ipse causa efficiens est creaturae omnis; vox proinde *Dei* hic usurpatur in significatione *Patris.*

CAPUT II.

DE NATURA CHRISTI HUMANA.

215. Qui Christi negarunt humanitatem, anteriores iis sunt, qui ejusdem initiati sunt divinitatem, indignum autumantes Deum conjungi cum humana natura eique annexis infirmitatibus. Alii peccarunt circa naturam ipsam, alii circa ejusdem proprietates, alii circa originem.

216. Circa naturam peccarunt, tum qui nonnisi carnem apparentem Filium Dei assumpsisse censuerunt, *docetae* propterea nuncupati aut *phantasiastae*; tum qui animam ipsi vel denegarunt omnino, quemadmodum nonnulli ex arianis, ut scilicet Verbum animae vices in Christo sustinuisse docerent, vel irrationalem unice concessere, nempe ut loquitur s. Augustinus, *dederunt ei animam pecudis, subtraxerunt hominis.*

217. Circa proprietates errarunt ii omnes, qui corpus nescio quod aethereum aut sidereum ac coeleste Christo tribuerunt, quod per Mariam transiit ut aqua per tubum aut fistulam. Recentiores non pauci protestantes cum antiquis gnosticis insanierunt tribuentes et ipsi Christo corpus quodammodo coeleste.

218. Circa originem e vero desciverunt, quotquot ex antiquis autumarunt Christum ex s. Joseph progenitum esse, ut cerinthiani, carpocratiani, ebionitae, nostraque hac aetate illorum vestigiis insistentes rationalistae, qui Christi conceptionem et nativitatem e Virgine mythis accensent.

219. Cum docetarum, gnosticorum, apollinaristarum commenta jamdiu obsoleverint, vere tempus frustra tereremus, si illorum erroribus refellendis insisteremus. Ideo duo hac in parte praestabimus: 1°. generali propositione adstruemus veram ac perfectam in Christo humanitatem, ex quo uti totidem corollaria deducemus veritates contradictorias recensitis erroribus; 2°. Christi conceptionem et ortum ex Virgine matre vindicabimus.

PROPOSITIO I.

Verbum divinum naturam humanam nobis consubstantialem assumpsit integram atque perfectam.

220. Propositio de fide est ex concilio chalcedonensi definiente Actione V. Christum *perfectum in humanitate; Deum verum et hominem verum, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato;* atque ex symbolo athanasiano, in quo Christus dicitur: *perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens.*

221. Ejus veritatem Scriptura, traditio, et constans ecclesiae doctrina patefaciunt. Etenim non modo Scripturae passim Christum *hominem* et *filium hominis* appellant, verum etiam ea referunt, quae nonnisi de vera humanitate intelligi possunt; exhibent siquidem Christi conceptionem, nativitatem,

genealogiam, universam vitae rationem, mortem ac resurrectionem, quae sine vera perfectaque humanitate intelligi nequeunt. Patres praeterea plura argumenta congerunt ad eamdem veritatem persuadendam; ac 1°. ex eo illam adstruunt, quod si alterutra pars humanitatis, anima scilicet aut corpus, defuisset Christo, non fuisset verus homo; 2°. ex fine incarnationis Deique consilio, qui voluit ut per hominem homo liberaretur; 3°. ex eo quod Christus naturalis mediator fuerit, nec talis extitisset nisi simul Deus et homo fuisset; 4°. denique ex eo quod totus et integer homo esset liberandus, adeoque totus ac integer homo esset assumendus. Horum singillatim testimonia protulit et expendit Petavius. [1] Constans demum ecclesiae doctrina liquet ex symbolis, fidei professionibus, conciliorum definitionibus, quas partim attulimus, partim etiam inferius afferemus. Ex hoc porro generali constituto fundamento inferimus:

COROLLARIUM I.

Christi caro est vera, solida et expressa, non autem ficta, umbratilis, apparens aut phantastica.

222. Nisi enim vera esset Christi caro, non esset nobis consubstantialis. Carnis autem suae veritatem Christus ipse his verbis comprobavit [2]: *Videte manus meas et pedes, quia Ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere;* ex quibus sic argumentatur s. Augustinus [3]: *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus.* Idem argumentum jamdiu confecerant Irenaeus, Tertullianus, Epiphanius, aliique.

DIFFICULTATES.

223. Obj. 1. Christus ex Scripturis non habuit nisi similitudinem hominis, dicente Apostolo [4]: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo;* et in Ep. ad Rom. VIII. 3: *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati.* 2. Id ipsum confirmat, scribens [5]: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt,* adeoque nec caro Christi. 3. Hinc resipiscens a sententia in qua prius fuerat de vera Christi carne: *Itaque,* inquit [6], *nos ex hoc neminem novimus secundum carnem; et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* 4. Quamvis propterea Verbum in V. T. humana carne indutum saepius apparuerit, prout et angeli apparuerunt officia hominis propria exhibentes, inferri tamen nequit carnem illam veram fuisse. 5. Indignum denique Deo est sibi conjungere carnem immundam, corruptibilem, mortalem totque imperfectionibus obnoxiam. Ergo.

[1]) *De Incarn.* lib. V. c. 11.
[2]) Luc. XXIV. 39.
[3]) Lib. LXXXII *Quaestionum,* qu. 14.
[4]) Philipp. II. 7.
[5]) I. Cor. XV. 50.
[6]) II. Cor. V. 16.

224. Resp. Ad 1. *D.* Non habuit Christus nisi similitudinem hominis aut carnis *speciei*, *C.* naturae, *N.* Significat Apostolus in primo textu Christum per omnia et in omnibus similem caeteris hominibus apparuisse, etsi Deus praeterea esset; in altero vero *similitudo* refertur ad *carnem peccati*, non autem ad carnem simpliciter, quatenus carnem passibilem et corruptibilem gessit nostrae similem, excepto peccato, quo caro nostra passibilis et corruptibilis effecta est.

225. Ad 2. *D.* Quatenus in sensu morali caro et sanguis usurpantur per oppositionem ad spiritum et sanctitatem, *C.* in sensu physico et in se, *N.*

226. Ad 3. *D.* Affectu carnali ratione ejusdem originis ex Abraham, *C.* alio sensu, *N.*

227. Ad 4. *D.* Quia tum Verbi tum angelorum apparitiones symbolicae in V. T. fuerunt, *C.* reales quoad carnem, *N.* Quod et Scripturae identidem monent, uti Tob. XII. 18.

228. Ad 5. *Neg.* Divina profecto caritate indignum non est censendum, quod fit ad hominum redemptionem et salutem.

COROLLARIUM II.

Christi Corpus non e coelo delapsum est, aut ex coelesti substantia consistens, sed est humanum ex Virgine matre susceptum.

229. Nisi enim ejusmodi esset Christi corpus, non descendisset ex semine veterum patriarcharum, nec posset Christus dici filius David, quibus tamen promisit Deus Messiam ex eorum semine esse nasciturum, ut in prima parte ostendimus. Praeterea angelus Mariae dixit [7]: *Ecce concipies in utero et paries filium;* et Matthaeus intexuit Christi genealogiam ab Abraham et David usque ad Joseph et Mariam. Hinc Apostolus de Christo scribit [8]: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, et Gal. IV. 4: *Misit Deus filium suum factum ex muliere,* adeoque conceptum in utero Virginis ex ejus substantia. Ex his porro non solum veteres haeretici valentiniani falsitatis arguuntur, sed et insanientes protestantes illi, qui *purum Dei verbum* consectantes coeleste nescio quod corpus Christum prae se tulisse autumant contra Scripturae et traditionis auctoritatem perpetuamque ecclesiae doctrinam.

DIFFICULTATES.

230. Obj. Terrenam carnem Christus a se amovet 1. dum Joann. III. 6. affirmat: *Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est;* repugnat autem dicere Christum *carnem* fuisse; 2. dum ibid. XIII. adjicit: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis qui est in coelo.* Porro Christus descendit in natura assumpta, qua pariter in coelum conscendit; ergo de coelo ipsam detulit; quod confirmat Joann. VI. 41. ubi de corpore suo sub panis metaphora ait: *Ego sum panis*

[7]) Luc. I. 31. [8]) Rom. I. 3.

vivus, qui de coelo descendi. 3. Angelus proinde de b. Virgine ait [9]: *Quod in ea* (non autem *ex ea*) *natum est, de Spiritu S. est.* 4. Hac de causa Christus numquam b. Virginem *matrem* appellavit; 5. quin immo admonitus his verbis [10]: *Ecce mater tua et fratres tui*, respondit Jesus: *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?* 6. Hinc Apostolus Christum cum Adam conferens, *primus homo*, scribit [11], *de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.* Ergo.

231. Resp. Ad 1. *N.* Loquitur enim Christus in objecto textu de regeneratione spirituali, quae fit per baptismum in oppositione ad generationem, quae fit per carnem.

232. Ad 2. *D.* Ratione personae et quoad *effectum, C.* ratione assumptae naturae, *N.* Idem dicatur de eo, quod dixit sub metaphora *panis.* [12] Nam loquitur de toto se.

233. Ad 3. *D. In ea* et *ex ea,* ut dicitur Luc. I. 35. *quod nascetur ex te sanctum,* et iterum Gal. IV. 4, *C.* secus, *N.*

234. Ad 4. *D.* Ita tamen ut suppleverint evangelistae vocantes b. Virginem *matrem Jesu, C.* ut non suppleverint, *N.* Nam caeteris omissis, Joann. XIX. 26. legitur: *Cum vidisset Jesus matrem ... dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus.*

235. Ad 5. *D.* Praeferendo cognationem spiritualem carnali, *C.* ad illius exclusionem, *N.*

236. Ad 6. *D.* Vocat Apostolus Christum coelestem ratione personae aut verius resurrectionis gloriosae, quae dotes attulit Christi corpori plane coelestes, *C.* ratione naturae, *N.* Exinde etiam in sensu mystico hortatur fideles ut annitantur in anima eas dotes prae se ferre, quae elucent in corpore Christi glorificato.

COROLLARIUM III.

Animam, eamque rationalem, Verbum assumpsit.

237. Etenim 1°. Christus est homo perfectus; jam vero, uti argumentatur s. Augustinus [13]: *Non est homo perfectus, si vel anima carni, vel animae ipsi mens humana defuerit.* 2°. Juxta veteres Patres Verbum corpus *mediante anima* assumpsit; 3°. id omne praeterea assumpsit quod sanavit, sanavit autem peculiariter animam; 4°. juxta symbolum apostolicum Christus post mortem *descendit ad inferos;* at non descendit divinitate, quae ubique est, non corpore quod mansit in sepulchro, descendit igitur anima; 5°. Christus mortuus est, atqui mors in separatione animae a corpore consistit. Christi porro animam rationalem esse, evincunt illae omnes proprietates, quas de anima Christi praedicant sacrae litterae, quod affecta fuerit *tristitia, pavore,*

[9]) Matth. I. 20.
[10]) Ibid. XII. 47.
[11]) I. Cor. XV. 47.
[12]) Joann. VI.
[13]) Ep. CLXXXVII. n. 4.

metu, exultatione, dolore etc., de quibus paulo post agemus; et ex operatione et voluntate humana, ut suo loco vindicabimus, quae sine anima rationali nec esse nec intelligi possent.

DIFFICULTATES.

238. Obj. Tum Scriptura, tum sana ratio a Christo animam excludunt. Nam 1. Joann. I. 14. dicitur: *Et Verbum caro factum est;* ergo solam carnem Verbum assumpsit; 2. nam Verbum ipsum animae vices in Christo gerebat et mentis; 3. alioquin necessario in humana mente carnales cogitationes, carnisque prudentia, quam reprobat Apostolus [14], inveniri debuissent. Ergo.

239. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Id est, Verbum factum est *homo*, *C.* caro ad animae exclusionem, *N.* Etenim loquendi usus in Scriptura obtinet, ut carnis nomine totus homo significetur, ut patet ex Gen. VI. 12: *Omnis caro corruperat viam suam;* plures autem rationes afferunt Patres, quare hac locutione Joannes usus fuerit, quas refert Petavius, lib. IV. cap. 2. Caeterum Scriptura saepe meminit Christi animae.

240. Ad 2. *N.* Alioquin Christus non fuisset homo.

241. Ad 3. *N.* Siquidem in Adam innocente nullae ejusmodi fuere carnales cogitationes; nec esse poterat in Christo prudentia carnis, cum humana natura regeretur a Verbo.

COROLLARIUM IV.

Christus humanis affectibus, doloribus, et corruptioni obnoxius fuit, ex naturae suae conditione.

242. Prior enunciationis hujus pars de fide est; posterior vero, qua dicitur *ex naturae suae conditione,* non est nisi *fidei proxima.* Sane de fide esse primam partem, patet ex omnibus fidei nostrae symbolis, in quibus Christus dicitur *passus* et *mortuus,* adeoque ante resurrectionem passibilis et corruptibilis. Quoad alteram partem ex eo liquet, quod viguerit controversia inter catholicos, nec quidpiam ecclesia definierit.

243. Evincitur porro veritas primae partis ex iis omnibus Scripturae locis, quae Christum exhibent in ordine ad corpus esurientem, sitientem, flentem, ex itinere defatigatum, et prae doloris acerbitate clamantem. Hinc Is. LIII. Christus dicitur *vir dolorum et sciens infirmitatem, vulneratus, attritus;* in ordine vero ad animam Christus ipse suas patefecit angustias, cum dixit [15]: *Pater, si vis, transfer a me calicem istum;* adjicit autem evangelista: *Apparuit illi angelus de coelo confortans eum, et factus in agonia prolixius orabat.* Quae profecto doloris arguunt vehementiam, prout Christus ipse testatus est, dicens [16]: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

[14]) Rom. VIII. 6.
[15]) Luc. XXII. 42.
[16]) Matth. XXVI. 31.

244. Utrum autem has affectiones Christus ex natura sua, seu ex insita humanae naturae infirmitate passus fuerit, an vero extraordinaria quadam lege, ac velut per miraculum eas sit expertus, magna olim exarsit controversia inter Philippum Abbatem Bonae Spei negantem, et Joannem Praepositum affirmantem ex naturae conditione, licet voluntarie suscepta, illis affectionibus Christum obnoxium fuisse. Haec Joannis sententia communis evasit: ei enim aperte Scripturae adstipulantur et ecclesiae Patres. Sane Apostolus scribit [17], debuisse Christum *per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari;* eadem ferme inculcat ibid. c. IV. 15. Jam vero ad solatium nostrum haec parum apte dicta viderentur, si quae passus est Christus, humano modo haud sustinuisset; in quo et unanimes habemus Patres consentientes, licet fateantur, quod et nos ultro profitemur, Christum non invite, sed libere dolores et cruciatus pertulisse.

DIFFICULTATES.

245. I. Obj. Patres inficiari videntur Christum ullo dolore aut tristitia affectum esse, 1. quia affectiones et passiones ejusmodi Deo indignas esse censebant, et imperfectionem arguere. 2. Insignis est Hilarii pictaviensis locus, ubi scribit [18]: *In quo, quamvis aut ictus incideret, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra verberans. . . . . Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur; sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit: dum et poenali ministerio desaevit, et virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit.* Qui praeterea adjicit cum nonnullis aliis Patribus Christum nullum metum aut mortis dolorem sensisse. Ergo.

246. Resp. Ad 1. *D.* In natura divina, *C.* in humana, *subd.* passiones, quae ex humanae naturae vitio vel ex prava hominis voluntate procedant, *C.* quae innoxiae sunt ac naturales, *N.* Hae siquidem Deo amplius indignae censeri nequeunt, postquam Deus caritate compulsus, qua dilexit nos, eas in se admisit, et hanc nostram induere naturam dignatus est.

247. Ad 2. *D.* Loquens de natura divina, *C.* de humana, *subd.* ut ostendat Christi passiones et infirmitates voluntarias fuisse, ejusque imperio dominioque subjectas ac temperatas, *C.* ut eas a Christo prorsus eliminet, *N.* Etenim s. Hilarius profitetur [19], se librum decimum conscripsisse adversus arianos, qui, ut loquitur [20], *quae ab eo* (Christo) *secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturae divinae infirmitatem mentiuntur.* Hos igitur

[17]) Hebr. II. 17.
[18]) *De Trinit.* lib. X. n. 23.
[19]) Lib. I. n. 32.
[20]) Lib. XI. n. 5.

refellens ostendit passiones non ad divinam, sed ad humanam Christi naturam esse referendas. Ostendit praeterea ibidem Hilarius Christi infirmitates quadruplici ratione a nostris differre: nostrae enim sunt coactae, promeritae, in nos dominantur, nec quidquam in nobis est, quod non eis subjaceat; contra vero infirmitates in Christo fuerunt voluntariae, propter nos susceptae, ad nutum voluntatis ejus temperatae, nec divinam sed humanam naturam attingentes. Sic tum Hilarius tum Patres illi, qui negant Christum aut ullum metum aut mortis dolorem sensisse, aut de morte contristatum, de metu, dolore aut perturbatione loquuntur, quae in Christum invitum dominarentur.

248. II. Obj. Tristitia et dolor cum gaudio profluente ex visione beatifica, qua perfruebatur Christus, simul consistere nequeunt, ut patet ex beatis, qui hac de causa nullo dolore aut tristitia affici possunt. Si igitur Christus illis obnoxius fuit, non ex naturae conditione, sed praeter naturam, seu per miraculum, talia ipsum fuisse perpessum dici debet.

249. Resp. Cum Verbum naturam humanam hunc in finem sibi copulaverit, ut patiendo moriendoque nos redimeret, gaudium ex divina visione profluens ita attemperavit, ut sive ab anima sive a corpore affectiones et passiones naturales non removeret. Hac ratione ambo haec inter se componuntur. Quae ratio cum non militet aeque pro beatis comprehensoribus, qui jam in termino constituti sunt, exinde patet inter illos et Christum discrimen, qui simul comprehensor et viator extitit.

PROPOSITIO II.

Christus Dominus de Spiritu S. conceptus est, atque ex Maria Virgine, salva ipsius integritate, natus.

250. De fide propositio est; in symbolo enim apostolico de Christo dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.*

251. Cum hanc veritatem adoriantur judaei et haeretici, atque in his protestantes non pauci biblici et rationalistae, ad eam proinde evincendam iis argumentis biblicis, criticis, exegeticis ac traditionalibus uti debemus, quae omnibus refellendis inserviant.

252. Exordimur porro a celebri vaticinio, Is. VII. 14. Cum enim incredulus Achaz rejecisset signum ultro sibi a Deo oblatum de imminente liberatione a Rasin rege Syriae, et Phacee rege Israel Hierusalem obsidentibus, dixit Isaias: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Hoc autem signum de Virgine concipiente et pariente Spiritus Sancti virtute interpretatus est s. Matthaeus, I. 22 seqq.; cum enim supernaturalem b. Virginis conceptionem retulisset, addidit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium; et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Ad hoc ipsum oraculum manifeste alludit

angelus b. Virginem alloquens illis verbis[1]: *Ecce concipies in utero et paries filium.* Ex his exploratum est apud christianos tum Isaiae vaticinium ad Christi conceptionem et nativitatem pertinere, tum de Virgine matre esse intelligendum.

253. Porro evangelistas genuinum vaticinii sensum ac traditionalem exhibuisse constat 1°. ex eo quod alioquin ipsi injecissent novam difficultatem sine causa; 2°. ex eo quod congruat ipsorum expositio cum eo quod legitur Michaeae v. 2, 3. ubi propheta veluti de re nota loquitur, cum ait: *Parturiens pariet ... et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis,* quibus describit Messiae nativitatem sine viri opera juxta Isaiae oraculum; 3°. ex Isaiae proposito, vocibus et contextu. Propositum enim Isaiae fuit exhibere Achaz signum prorsus extraordinarium promissae liberationis; et hoc in extraordinaria Messiae conceptione ac nativitate, veluti jam nota, collocat, dicens: *Ecce Virgo illa* cum articulo; hac ratione confirmabat promissionem, quod non esset interitura domus David, si virgo ex ejus stirpe debebat concipere et parere Messiam; porro nullum extraordinarium dedisset signum, si de virgine communi more concipiente et pariente locutus esset. 4°. Ex veteris synagogae traditione cujus vestigium occurrit Joann. VII. 27. et expresse exhibent plures rabbini, quorum testimonia collegerunt Du Voisin, in *Observ. ad Pugionem fidei* Raymundi Martini; Schöttgenius, *De Messia,* aliique passim, praesertim vero cl. Drach, in *tertia Epist.* part. I. Demum 5°. constat ex traditione, quae apud omnes ferme gentes dimanavit de nascituro ex Virgine matre, qui salutem et justitiam esset in terras allaturus; satis hic sit commemorare, quae habet Virgilius, *Ecloga* IV. v. 4 seqq., quibus aperte alludit ad traditionem, quae ex Isaiae vaticinio longe lateque diffusa erat.

254. Tum igitur argumenta interna tum externa conspirant in exponendo Isaiae vaticinio de matre Virgine concipiente et pariente; adeoque Christus vere ex Virgine conceptus et natus est, salva illius integritate.

DIFFICULTATES.

255. I. Obj. 1. Vox עַלְמָה, qua utitur propheta, exprimit solum *aetatis* conditionem, non autem *statum* solutae aut conjugatae. 2. Judaei virginem illibatam voce בְּתוּלָה designant; 3. virginis illibatae significatio ab *alma* excluditur saltem ex Prov. XXX. 19, caetera siquidem alia loca aequivoca sunt. 4. Hinc veteres interpretes Aquila, Symmachus et Theodotion vocem *alma* verterunt *juvenem.* Ergo.

256. Resp. Ad 1. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Ex Hieronymo in hunc Isai. locum novimus tum ex etymologiae vi, tum ex loquendi usu vocem *alma* non solum *virginem* generatim significare, sed *virginem in primis juventutis annis, virginem absconditam et secretam, quae numquam virorum latuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit.*

[1]) Luc. I. 32.

257. Ad 2. *D.* Virginem illibatam sive juvenem sive aetate provectam, *C.* juvenem tantum seu *non nuptam, N.* Hoc igitur interest inter utramque vocem *alma* et *bethulah* discrimen, quod haec promiscue adhibeatur ad significandam virginem sive juvenem sive provectam, illa vero ad juvenem virginem tantum, eamque integerrimam. Locus Joel. IV. 8. qui objici solet quoad vocem *bethulah,* est incertae significationis.

258. Ad 3. *N.* Nam ex omnibus locis, quae ex Scripturis afferri possunt, in quibus vox *alma* occurrit, quae praeter locum nostrum, non plus quam sex sunt, numquam de nupta, sed ubique de innupta foemina usurpatur, quorum quinque certissime sunt de virgine tori nescia; sextus vero qui occurrit Prov. XXX. 19. ubi legimus: *Viam viri in adolescentia,* seu uti fert hebr. textus: in *adolescentula,* est de virginea professione; hic vero Salomon exprimit difficultatem cognoscendi, utrum talis, quae in communi existimatione virgo habetur, reipsa sit nec ne; ac propterea retinet etiam hoc in loco vox *alma* suam significationem *de virgine innupta*, quod fatetur vel ipse Rosenmüller, et patet ex vers. sequenti per oppositionem adulterae, quae quid sibi haereat vitii dissimulat.

259. Ad 4. *D.* Interpretes judaizantes ad eripiendum christianis hoc vaticinium, *C.* vetustiores, *N.* Etenim Alexandrini verterunt: *παρθένος*, *virgo.*

260. II. Obj. Scopus et adjuncta, in quibus Isaias vaticinium edidit, excludunt interpretationem messianam. Etenim 1. signum exhibere Isaias voluit Achaz de imminente liberatione Hierusalem; jam vero si referendum esset ad Messiam, nullius valoris signum esset. 2. Potuit praeterea nasci Messias ex stirpe davidico, quin conservaretur actualis reipublicae status, prout eventus ostendit. 3. De eodem insuper filio nascituro loquitur propheta in cap. VII. ac in cap. VIII. nomen siquidem et nativitas pueri in utroque capite pro signo exhibentur liberationis a dominio Syrorum; jam vero in cap. VIII. mater illa pueri, et puer ipse non sunt nisi uxor et filius prophetae, ergo et mater et filius, de quo sermo fit in cap. VII. Quod 4. declarat ipse Isaias, c. VIII. 18. dicens: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel.* 5. Filius igitur nasciturus in *signum,* de quo cap. VII. 14. est filius nasciturus ex uxore, quam propheta virginem duxit post priorem jam defunctam; vel si magis cum antiquis Hebraeis lubet, est filius Achaz, nempe Ezechias. 6. Eatenus vero ad Christum a Matthaeo refertur, quatenus instans eventus, quem proxime propheta respexit, signum fuit et figura Christi nascituri; divina proinde providentia factum est, ut iis verbis uteretur propheta disserendo de puero mox nascituro, quae melius Christo, quam puero illi aptari possent. Ergo.

261. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg. min.* Duplici siquidem ratione scopo prophetae inserviebat exhibitum signum: primo quidem veluti certissimum pignus erga populum israeliticum amoris Dei, qui ipsius praesertim bono tale ac numquam antea auditum prodigium erat patraturus. Deinde vero secura domus David reddebatur contra omnes, quotquot ipsam funditus

evertere adoriebantur; prout reapse rex Syriae et rex Israel tunc temporis pertentabant. Ipsius enim ex semine, licet pluribus saeculis labentibus, Messias modo adeo prodigioso erat oriturus.

262. Ad 2. *D.* Nisi praeterea Deus aliud adjecisset signum et vaticinium ad utrumque in praesens confirmandum, tum scilicet liberationem proximam, tum futurum partum virginis, *Tr.* vel *C.* si aliud adjecit, *N.* Jam vero post vaticinium editum c. VII. 14; ibid. v. 16. de Jasub, quem propheta ex mandato Dei (v. 3.) secum detulerat, cum venit in occursum Achaz, dixit: *Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra a facie duorum regum suorum;* seu antequam Jasub perveniat ad annos discretionis, liberata erit Judaea a duobus illis regibus. Nec enim frustra jussus est propheta secum puerum Jasub deferre.

263. Ad 3. *Nego,* quia c. VII. mater pueri vocatur *alma* seu *virgo,* ut constat ex dictis; capite vero VIII. vocatur *neviah, prophetissa* seu *uxor prophetae;* in c. VII. vaticinium tantum exhibetur futuri pueri nascituri ex virgine; cap. VIII. fusior habetur narratio cum apparatu testium, instrumenti etc.; c. VII. mater nomen dat filio juxta hebraicum textum; c. VIII. nomen filio imponit pater; cap. VII. filius nasciturus ex virgine vocandus erat *Emmanuel;* cap. VIII. vocatus est *Maherschalal-Chaschbaz* seu *Accelera spolia detrahere-festina praedari;* evidens igitur est de duobus plane diversis filiis agi in utroque capite.

264. Ad 4. *Neg.* Filii enim, qui dati sunt Isaiae in signum, sunt *Jasub,* de quo cap. VII. 3; et *Maherschalal-Chaschbaz,* ob nomina symbolica ipsis imposita.

265. Ad 5. *Neg.* Non potest esse filius prophetae, alioquin ipse foret *Emmanuel,* de quo dicitur cap. VIII. 8: *Et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel,* nempe dominus Judaeae. Quod vero propheta, defuncta priore uxore, aliam duxerit, quae virgo esset, est gratuita adversariorum assertio, de qua nihil in Scripturis habetur. Neque potest esse Ezechias filius Achaz, qui jam annos novem natus erat, cum hoc vaticinium edidit Isaias; ut caetera omittam, quae falsas omnes ejusmodi antimessianorum interpretum conjecturas evincunt; omne siquidem prodigium seu portentum in illis evanesceret.

266. Ad 6. *Neg.* Hoc enim effugium de sensu figurato in filio prophetae uti typo nascituri Messiae invectum est ab antimessianis interpretibus, ut se subducerent ab auctoritate evangelistae Matthaei. Hi porro non advertunt, quod si in uxore prophetae, quae more consueto concepit et peperit, illud vaticinium adimpletum est, cesset omnis figura et typus Virginis concipientis et parientis sola virtute Dei. Ita se implicant, qui nobis celebre hoc vaticinium eripere annituntur.

267. III. Obj. Plura suadent conceptum prodigiosum Christi Jesu ad mythos amandandum esse; etenim 1. hoc receptum est apud gentes omnes, quae ut augustiora redderent primordia civitatum aut virorum illustrium, a divinitate illa repeterent. 2. Id ipsum contigisse in casu nostro ex eo

patet, quod Cerinthus, Carpocrates, Ebion consueta ratione a Joseph genitum Jesum dixerint; 3. cujus rei indicium praebet s. Lucas, qui cap. II. 48. vocat Josephum patrem Jesu, quod Jesus ipse, oblata sibi opportunitate, Joann. VII. 27, non negavit; et s. Paulus, Rom. I. 3. et alibi, Jesum dicit genitum ex *semine David*, et Gal. IV. 4. affirmat Jesum *factum ex muliere;* 4. et sane cum virginitate in conceptione et ortu servata componi nequeunt, quae scripsit s. Lucas, c. II. 22: *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus... sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* Ergo.

268. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Et hoc ipso quod gentes illae fingerent heroas suos ex virgine operante numine conceptos et natos esse, patefaciunt talem suos heroas decuisse conceptum et ortum eisque notam esse antiquam traditionem vaticinii nostri, *C.* ex hoc colligitur fictam aut mythicam esse conceptionem et nativitatem Christi Jesu, *N.* Numquam fortasse gentes illae in eam persuasionem venissent de conceptu et partu virginis, nisi ipsis illuxisset cognitio vaticinii nostri. Caeterum quod attinet ad factum, profecto nullis documentis historicis illud gentes communiverunt, prout munita est conceptio et nativitas Jesu Christi, ut patet ex dictis.

269. Ad 2. *D.* Si ratio aliqua habenda esset illorum haereticorum, qui ab ecclesia universa damnati sunt, *C.* si nulla sit eorum ratio habenda, *N.* Jam vero illi obscuri haeretici ita se gesserunt contra apertam evangelistarum auctoritatem, quemadmodum se gerunt rationalistae vulgares aetatis nostrae, qui falsitatis arguere audent Christum et apostolos. Cum porro neutri documenta afferant, quibus impietatem suam fulciant, ideo utrique pari ratione contemni debent.

270. Ad 3. *D.* In communi existimatione, *C.* in veritate, *N.* Nam idem evangelista c. III. 23. scribit: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.* Exinde patet quare Christus, data sibi opportunitate (ut hoc liberaliter adversariis concedamus), non patefecerit originem suam ex Virgine; nam nondum a mortuis excitato, prudens oeconomia exigebat, ut judaei in sua relinquerentur persuasione.

271. S. Paulus, Rom. I. 3. scripsit Jesum esse ex *semine David* remote seu ratione originis, non proxime seu ratione generationis; in Epistola porro ad Galatas ideo dicit Jesum *factum ex muliere,* quia *carnem suam materna traxit ex carne,* uti exponit Beda, et constat ex historia evangelica; vocem *mulieris* usurpavit in ordine ad sexum; non in ordine ad statum seu conditionem.

272. Ad 4. Resp. optime componi, si dicatur b. Virginem ultro se legi subjecisse oeconomiae et humilitatis gratia, qua minime adstringebatur, ut patet ex ipso ejus conceptionis modo, et Patres omnes uno animo docent. Evangelista porro phrasibus utitur ex lege depromptis, quin insinuare voluerit b. Virginem consueto modo concepisse aut peperisse, alioquin sibi ipsi contradixisset.

CAPUT III.

DE UTRIUSQUE CHRISTI NATURAE HYPOSTATICA CONJUNCTIONE.

273. Naturam divinam et humanam Christo vindicavimus. Superest ut disseramus de modo, quo inter se duae istae naturae connexae sint. Hic alius esse nequit nisi hypostaticus seu personalis, ita ut una sit persona, quae ambas in se naturas sustentet, regat possideatque.

274. Cum vero in ejusmodi ambarum naturarum hypostatica unione nucleus, seu ratio formalis Incarnationis consistat, praestat ad dicendorum intelligentiam, unionis hypostaticae praemittere accuratam et germanam definitionem, ut deinceps ex ea consectaria deducamus, quae suapte natura profluunt.

275. Hypostatica unio sive unitio est conjunctio illa, qua duae naturae, divina et humana, integrae, inconfusae, impermixtae, ac suis proprietatibus et operationibus praeditae in se permanentes, subsistunt in una divini Verbi persona.

276. Ex qua definitione sequitur 1°. ejusmodi conjunctionem immediate factam esse *in persona,* qua fit, ut una eademque ambarum naturarum subsistentia seu personalitas sit, sive ratio suppositi seu subjecti. 2°. Cum hypostasis seu persona Verbi jam extiterit ante unionem seu assumptionem humanae naturae, sequitur naturam humanam non concurrisse per modum partis ad constituendam personam, quae proinde in se simplicissima est; ideo vero, peracta Incarnatione, composita dicitur, quia totum suppositum, quod est Christus, ex ambabus naturis coalescit; hinc *formaliter* persona in Christo simplex est, *materialiter* composita. 3°. Sequitur personae Verbi non cohaerere naturam humanam ad instar accidentis *subjecto,* quod eam sustentet, sed ad instar *termini,* quatenus ejusmodi conjunctio in unam subsistentiam ac personam desiit. 4°. Cum subsistentia Verbi se porrigat ad humanam naturam regendam, fit ut haec humanitas sit *propria* seu *juris* Verbi; persona proinde Verbi, peracta Incarnatione, utitur ut sua hujusmodi natura humana, in ea et per eam operatur tamquam *principium quod,* prout ante Incarnationem utebatur natura divina, agebat et operabatur in ea et per eam, quemadmodum etiam pergit uti, agere et operari post Incarnationem in iis, quae a sola natura divina pendent; naturae vero operantur tamquam *principium quo.* 5°. Adeo vero arcta est ambarum naturarum in Christo conjunctio, ut quamvis in se realiter semper distinctae et impermixtae perseverent, attamen nonnisi *ratione* seu *cogitatione* a nobis distinctae concipi possunt. 6°. Cum naturae existentia pendeat a subsistentia, consequitur quod humana natura, quae suam subsistentiam habet a persona Verbi, concipi nequeat existens nisi in indivisibili instanti, in quo Verbum suam subsistentiam eidem communicavit eam assumendo, adeoque totam rationem existentiae hujus humanitatis esse subsistentiam ei communicatam a Verbo; hac enim dempta, non esset amplius humanitas Christi, sed ens rationis.

7°. Cum denique haec unio *immediate* facta sit in persona, non autem in naturis, sequitur has naturas ab invicem realiter distingui, adeo ut unaquaeque realiter distinctas retineat suas proprietates, suasque eliciat operationes proprias; cumque natura virtualiter ac ratione distinguatur a persona, sequitur *mediate* factam esse conjunctionem inter naturas; et hac de causa haec ipsa unio *physica* etiam et *substantialis* nuncupatur.

277. Nobis igitur vindicanda est 1°. unitas personae in Christo divinae; 2°. adeoque filiatio naturalis divina Christi Dei-hominis; 3°. integritas uniuscujusque naturae in Christo, peracta Incarnatione; 4°. conservatio denique proprietatum naturalium et operationum uniuscujusque naturae in Christo. Haec autem praestabimus distinctis articulis.

ARTICULUS I.

DE UNICA CHRISTI PERSONA.

278. Disceptationem hanc suscipimus adversus Nestorium; hic prius monachus et presbyter antiochenus evectus est ad constantinopolitanam sedem ann. 428. Cum discipulus fuerit Theodori Mopsuesteni haustam ab eo haeresim vix episcopus constitutus disseminare coepit, tum per se tum per alios. Ejus haeresis in eo sita erat, ut autumaverit nonnisi externam ac moralem intercessisse inter Deum et hominem unionem. Ex quo sequebatur duas esse in Christo admittendas personas; Deum in Christo habitasse sicut in domicilio et in templo; Christum esse *theophorum* seu portantem Deum; Incarnationem non esse nisi *connexionem;* b. Virginem non peperisse nisi purum hominem cum quo, licet excellentiori gradu, Deus conjunctus est sicut cum sanctis, adeoque eam *Christiparam* proprie esse vocandam, non autem *θεότοκον* seu *Deiparam.*

279. Non abnuebat tamen, ut se tegeret, latiori sensu tum Christum vocare Deum, prout et Moyses dictus est Deus Pharaonis, et b. Virginem Deiparam eodem sensu; volebat nempe haereticus esse, et catholicus apparere. Ejus versutia non latuit s. Cyrillum alexandrinum, qui duodecim ei subscribenda proposuit capitula, quae vocavit *Anathematismos,* in quibus dilucide et accurate doctrinam catholicam exposuit; non modo autem Nestorius iis subscribere recusavit, sed totidem anathematismos suos cyrillianis opposuit, in quibus virus suum totum evomuit. Quare in concilio ephesino, quod celebratum est ann. 431. Nestorius cum doctrina sua damnatus est ac depositus ab episcopatu, et fides catholica asserta. A Theodosio Nestorius relegatus primum Antiochiam, demum Oasim, misere periit.

280. Ob locutiones in specie catholicas, quibus Nestorius usus interdum est, nonnulli audacioros critici inter protestantes Nestorii patrocinium suscepere, quasi actum esset in ejus causa de pura logomachia; sed perperam. Si de vocibus unice lis fuisset, certe Nestorius potuisset ac debuisset fidem catholicam aperte profiteri, quod numquam fecit; atque ejus discipuli

sectarentur articulos de unica in Christo persona, ac dicerent Virginem Deiparam, a quibus tamen semper abhorruerunt et adhuc abhorrent.

281. Cum haec ita se habeant, duo nos efficere debemus: 1°. unicam eamque divinam in Christo adstruere personam; 2°. vindicare b. Virgini veritatem et denominationem *Deiparae.* Ad haec duo siquidem tota revocatur haec controversia.

PROPOSITIO I.

Unica in Christo est eaque divina persona.

282. De fide propositio est definita ab oecumenico concilio ephesino, et iterum a constantinopolitano II. can. VII. et VIII. dum Christus dicitur *ex duabus naturis in una subsistentia et in una Verbi persona;* in symbolo vero athanasiano habetur: *Non duo tamen sed unus est Christus.*

283. Scripturae, fidei symbola, Patres uni eidemque Christo tribuunt, quae in utraque natura gessit, eumdemque constanter Deum hominemque esse docent, seu de Christo Deo-homine tamquam de uno eodemque subjecto loquuntur; ergo unica eaque divina in Christo persona, unusque Christus agnoscendus.

284. Sane Apostolus ita scribit de Christo [1]: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Quibus verbis ille idem, qui antea solum erat in forma Dei, dicitur exinanitus, dum accepit formam hominis; et in hac assumpta humana forma seu natura, ut postea prosequitur, *factus est obediens usque ad mortem*, et exaltatus est; atqui profecto, qui ejusmodi est, non est nec esse potest nisi unum subjectum, una eademque divina persona. Rursum de Verbo divino scribit Joannes, I. 14: *Et Verbum caro factum est;* ergo idem Verbum, quod antea erat apud Deum et Deus erat, illud est, quod factum est caro sive homo; ergo eadem semper unica divini Verbi persona mansit cum et in assumpta natura. Demum eaedem Scripturae de Deo-homine tamquam de eodem subjecto loquuntur, uti cum eumdem vocant filium Dei et filium hominis; ubi commemorant *Dominum gloriae crucifixum,* ut I. Cor. II. 8; dum dicunt *Deum ecclesiam acquisivisse sanguine suo,* ut Act. XX. 28; filium hominis existentem in coelis, dum loqueretur in terra, ut Joann. III. 13; existentem antequam Abraham fieret, ibid. VIII. 38; aliaque ejusmodi de Christo affirmant, quae de duabus personis aut individuis nullo modo enunciari possunt. Ergo juxta sacras litteras nonnisi una persona eaque divina, nec nisi unus Christus Deus-homo agnosci potest.

285. Nec aliam Christi notionem nobis constanter ingerunt fidei nostrae symbola; etenim tum symbolum apostolicum, tum nicaenum et constantinopolitanum proponunt nobis fidem in Christum unicum Filium Patris,

[1]) Philipp. II. 6 seqq.

Deum de Deo, qui incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, ac pro nobis passus et mortuus est. In quibus persona regens, seu subjectum non est nisi unum, quod in utraque natura agit et operatur.

286. Cohaerenter ad has fidei tesseras locuti sunt Patres, ex quibus s. Ignatius M. haec luculenter scribit [2]: *Unus medicus est carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus* seu *factus et non factus, in carne genitus Deus ... et ex Maria et ex Deo... Jesus Christus Dominus noster;* et iterum [3]: *In uno Jesu Christo secundum carnem et ex genere David, filio hominis et filio Dei.* Idem igitur est ex Ignatio filius Dei et filius Mariae. Sic etiam, caeteris omissis, qui recoli possunt apud Petavium [4], scribit s. Augustinus [5]: *Unus Dei filius idemque hominis filius; unus hominis filius idemque Dei filius; non duo filii Dei, Deus et homo, sed unus Dei filius; Deus sine initio, homo ex certo initio, Dominus noster Jesus Christus.*

287. Huc accedit ratio theologica, qua docemur, quod semel morali unione admissa, licet in summo gradu inter Deum et hominem, duo necessario deberent Christi admitti: evanesceret dogma de Christi divinitate, oeconomia incarnationis, redemptionis et satisfactionis, quibus nihil fingi potest magis abhorrens a christiana omnium saeculorum doctrina.

DIFFICULTATES.

288. I. Obj. 1. Scriptura duplicem assignat Christo generationem adeoque filiationem, alteram ex Deo, alteram ex Maria; duo igitur filii in eo agnosci debent, quorum alter dicitur *filius Dei*, alter *filius hominis;* 2. quoties proinde aut generationem ejus ex Maria aut ejus mortem commemorat, toties vocat *Jesum* aut *Dominum*. 3. rationem assignat quare Deus per gratiam sit homini conjunctus in Christo, siquidem Joann. VIII. 29. ipse Jesus ait: *Qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, quia ego quae placita sunt ei, facio semper.* 4. Hinc de Verbo pronunciat Joannes, I. 14: *Et habitavit in nobis*, nempe in carne seu in humana natura, et ibid. II. 19. Christus vocat corpus suum seu humanitatem *templum;* et Apostolus, Hebr. VIII. 2; et IX. 11. *tabernaculum;* ad Philipp. vero II. 7. *habitum.* Porro inter templum, tabernaculum, domum et habitantem in eis, inter habitum et illum qui eo induitur, non intercedit nisi conjunctio extrinseca et moralis. Ergo et in Christo inter Deum et hominem.

289. Resp. Ad 1. *D.* Duplicem Scriptura generationem assignat Christo nempe uni eidemque Verbo seu filio, *C.* assignat diverso subjecto, *N.* Duplex revera Verbo competit generatio, aeterna in natura divina, temporalis in natura humana: subjectum igitur duplicis istius generationis unum idemque est, scilicet Verbum divinum. Hinc filiatio, quae pro termino habet personam, nonnisi unica est; quae pro duplici natura, qua constat, modo

[2]) *Ep. ad Ephes.* cap. 7.
[3]) Ibid. cap. 20.
[4]) Lib. III. cap. 11.
[5]) *Enchirid.* cap. 35.

dicitur filius Dei, modo filius hominis, quia eadem persona genita est et in aeternitate et in tempore.

290. Ad 2. *Neg.* Sed promiscue Jesus, Dominus ac Deus dicitur, filius Dei, filiusque Mariae; sane Apostolus ait, loquens de ecclesia [6]: *Quam Deus acquisivit sanguine suo;* ad Galat. IV. 4. scribit: *Misit Deus filium suum factum ex muliere;* ad Philipp. II. scribit: *Christum, qui* cum in *forma Dei* esset et *aequalis Deo, accepisse formam servi.*

291. Ad 3. *Neg.* Ad prob. *D.* Si particula *quia* causalis esset, *C.* si *signum* solum exhibeat et effectum divinae missionis, *N.* Sensus enim verborum Christi est: ex hoc poteritis cognoscere me esse a Deo missum, quia ego quae placita sunt ei, facio semper, ut patet ex scopo ejus sermonis, et ex iis quae adjecit, ibid. v. 42: *Ego ex Deo processi et veni.*

292. Ad 4. *D.* Admissa absurda adversariorum interpretatione, *C.* in genuino sensu quem objecta loca prae se ferunt, *N.* Jam vero Joannes, I. 14. de Verbo homine facto scribit: *Et habitavit in nobis,* nempe Deus-homo habitavit inter homines.

293. Christus, ibid. II. 19. corpus suum vocat templum respectu animae, a quo dissolvendum erat per mortem, non respectu divinitatis seu respectu personae Verbi, a qua numquam poterat dissolvi.

294. Apostolus vocat Christi corpus *domum, tabernaculum, habitum,* improprie seu metaphorice, prout corpus nostrum pariter *domum, habitationem, et tabernaculum, vestimentum* vocat [7], quin inferri possit non intercedere inter corpus et animam nostram nonnisi moralem et externam unionem.

295. II. Obj. Patres eadem ratione qua Nestorius de Christo locuti sunt. 1. Nam alii affirmant Deum assumpsisse *hominem,* ut Ambrosius et Augustinus, qui praeterea scribit [8], Christum *esse aliud propter Verbum, et aliud propter hominem.* 2. Alii vocant Christum hominem *Deiferum,* ut Basilius; alii vero hominem *Dominicum* ut Athanasius, Epiphanius, Augustinus. 3. Nec desunt qui Christi humanitatem aut *organum,* aut *templum,* aut *vestem,* aut *sponsam* esse divinitatis dixerint. 4. Prae caeteris Jo. Chrysostomus explanans verba Ps. XLIV. relata ab Apostolo: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus,* haec pro causa nestoriana scribit [9]: *Hic* (Apostolus) *et judaeos et Pauli samosateni asseclas et arianos, Marcellumque et Sabellium feriit et Marcionem. Quomodo? Judaeos quidem, ostendens unum esse duo et Deum et hominem... Adversus Marcellum et alios, quod sunt duae personae divisae per hypostasin; adversus Marcionitas autem, quod divinitas non ungatur, sed humanitas.* Ergo.

296. Resp. *D. A.* Eadem ratione Patres interdum locuti sunt qua Nestorius, sed sensu plane diverso, *Tr.* vel *C.* eodem sensu, *N.* Id enim

[6]) Act. XX. 28.
[7]) II. Cor. V. 1 seqq.
[8]) *Enchirid.* cap. 35.
[9]) *Hom.* III. *in cap.* 1. *Epist. ad Hebr.* n. 1.

liquet ex diverso scopo, quem sibi Patres proposuerunt, dum illis formulis interdum usi sunt et ex catholica illorum mente.

297. Ad 1. prob. *D. Hominem* pro *humanitate* seu concretum pro abstracto usurpantes, *C.* pro humano individuo seu persona, *N.* Hoc eodem sensu Patres posteriores immo et ecclesia ipsa in suis precibus eadem locutione usi sunt absque ulla nestorianae labis suspicione. Dum Augustinus scribit Christum esse *aliud* et *aliud,* de naturis id asserit, non de persona, quam unicam ibidem apertissime adstruit.

298. Ad 2. *D.* Christum dixerunt hominem *Deiferum, Dominicum,* etc. ratione hypostatici nexus inter utramque naturam, *C.* ratione moralis et extrinsecae unionis, *N.* Ita eas phrases Maximus martyr et Theodoretus ipse exposuerunt. Caeterum illae locutiones sunt minus exactae; Christus enim proprie *Deus* et *Dominus* dici debet, ut ipsemet Augustinus se corrigens animadvertit. [10] S. Basilius vero propric non *hominem,* sed *carnem* deiferam appellat.

299. Ad 3. *D.* Dixerunt humanitatem *organum, instrumentum, templum* divinitatis in ea habitantis per hypostaticam unionem, *C.* alia ratione, *N.* Ad eum scilicet modum respectu personae Verbi vocarunt interdum Patres humanitatem Christi organum et instrumentum, quo organum et instrumentum vocantur brachium aut manus alicujus respectu animae his utentis. Voces autem *vestis, sponsae, trabeae,* etc. adhibuerunt ad realem utriusque naturae distinctionem significandam.

300. Ad 4. *Neg.* Etenim Chrysostomus verbis: *unum esse duo,* utitur ad duplicem in Christo naturam distinguendam; adjicit enim: *Deum et hominem;* illis vero: *duae personae divisae per hypostasin* utitur in ordine ad duas personas in Deo distinguendas, quae per hypostasim seu subsistentiam ac personalitatem propriam ab invicem distinguuntur. Id enim ferebat ejus scopus adversus Marcellum et sabellianos, qui unicam in Deo personam admittebant, saltem sabelliani. Quod probe intelligens Nestorius numquam ad Chrysostomi patrocinium confugit; Cyrillus vero ac Coelestinus papa summopere ejusdem orthodoxam fidem commendant.

301. III. Obj. 1. Dogma catholicum variis ac saepe repugnantibus philosophicis notionibus personae et naturae inniti nequit. 2. Porro inter naturam ac personam nulla distinctio intervenit, aut nonnisi metaphorica, ut patet ex qualibet re in concreto existente. 3. Sane ad hominem constituendum satis est ut corpus et anima rationalis jungantur; quod nisi sufficeret, 4. jure possemus usque dubitare, utrum nobis persona insit nec ne. 5. Sed dato etiam, quod divina virtute fieri posset, ut Christi humanitas in persona divini Verbi subsisteret, nonne melius effecisset Deus ut persona humana cum divina persona substantialiter conjungeretur? In hac hypothesi, praeterquam quod aptissime mysterium explicaretur, illud tolleretur inconveniens, quod de una eademque persona enuncientur, quae inter se pugnant. 6. Eo

[10]) *Retract.* lib. I. cap. 30. n. 8.

vel magis quod personalitas ad humanae naturae perfectionem spectet, qua Christus homo destitutus esset. Ergo.

302. Resp. Ad 1. *D.* Et illis notionibus nititur Incarnationis mysterium, *N.* illis nos utimur ad mysterium divinitus revelatum exponendum, *C.* Mysterium hoc perinde ac mysteria caetera unice innituntur divinae revelationi. Cum vero ex eadem revelatione deprehendamus unicum subjectum esse, quod Deus simul et homo est, ad hoc aliquo modo declarandum, notionibus sumptis ex philosophia, quod unicum est, vocamus *personam,* quod multiplex est, vocamus *naturas;* persona enim est, quae possidet naturam eamque adhibet; est enim quod nunc dicitur *proprium ego;* natura vero in sua notione complectitur constitutiva ac proprietates, quibus aliquid in suo esse concipimus. Contra vero in Trinitate, quod commune tribus personis est, dicitur natura, quod peculiare est possidetque naturam, dicitur persona; et quidem analogice id dicimus, cogentibus nos haereticis, qui aut confuderunt personas in Deo, aut naturas in Christo. Hae igitur notiones a nobis accommodatae sunt mysteriis, non autem mysteria notionibus, cum mysteria divinitus acceperimus.

303. Ad 2. *D.* Quatenus nihil existere possit quin subsistat, *C.* quatenus inter naturam et subsistentiam seu personalitatem in suis conceptibus nullum intercedat discrimen, *N.* Quidquid existit in concreto, profecto subsistit; at haec subsistentia seu modus existendi potest esse proprius vel alienus, saltem divina virtute, ut patet in mysterio de quo agimus, ex quo dignoscimus humanam naturam in Christo subsistere subsistentia divini Verbi, in quo nulla concipi repugnantia potest.

304. Ad 3. *Neg.* Sed praeterea requiritur, ut sit sui juris, ita ut *proprium ego* possideat uti suam naturam, animam et corpus, iisque utatur tamquam suis. Persona enim est, *quae habet* naturam per propriam subsistentiam.

305. Ad 4. *Neg.* Intimo enim sensu edocemur de *proprio ego,* et quod ab alio non regamur.

306. Ad 5. *Neg.* Quia Deus non potest efficere quod in se repugnat, aliquod nempe individuum esse juris sui et non esse; hoc enim esset contradictorium. Porro si humana persona esset in Christo simul cum persona divina, vel duo essent individua, vel si unum esset, hoc juris Verbi esset, et non esset; in hac sententia non explicaretur melius mysterium, sed plane destrueretur. Nullum porro inconveniens est, quod respectu duarum naturarum ejusdem personae de ea enuncientur, quae inter se pugnant, e. gr. quod eadem persona respectu naturae divinae dicatur aeterna, immortalis, immensa, respectu vero naturae humanae eadem dicatur nata in tempore, passibilis, circumscripta; uti de homine dicitur quoad animam immortalis, mortalis vero quoad corpus.

307. Ad 6. *D.* Si a nobiliori subsistentia non suppleretur, *C.* si suppleatur, *N.* Nemo est qui dubitet subsistentiam ad perfectionem immo et ad humanam dignitatem spectare; ast pariter in dubium revocari nequit, divina

virtute fieri posse, ut haec ipsa subsistentia aliena sit, praesertim divina, quae si adsit, quin detrimenti aliquid patiatur natura humana, mirum potius in modum elevatur ac nobilitatur. Ut si aedificio luteo basis adamantina subjiciatur. Cum igitur humana natura coeperit existere in subsistentia divinae personae, haec propria humanae naturae facta est, qua haec regeretur et sustentaretur. Hoc porro nihil nobilius excogitari potest.

PROPOSITIO II.

B. Virgo vere et proprie Deipara vocatur et est.

308. Hanc propositionem de fide definivit concilium constantinopolitanum II. collat. VIII. anathematismo VI. his verbis: *B. Virgo proprie et veraciter Dei genitrix est.* Eam vero sic evincimus. B. Virgo vere et proprie Deipara vocatur et est, si quem genuit, Deus seu divina persona est; talis porro ex s. litteris est Christus; etenim Luc. I. 35. ait angelus Mariae: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, et Apostolus scribit [1]: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula;* atque rursum [2]: *Misit Deus filium suum, factum ex muliere.* Ac demum huc ea omnia referuntur, quae paulo ante adduximus ad divinitatem Christi probandam.

Sed et apostolica traditio, uno pene consensu conspirante, b. Virginem Deiparam vocat atque veneratur; testibus enim duobus Nestorii fautoribus, Joanne antiocheno in Epist. ad Nestorium, et Theodoreto cyrensi [3], denominatio haec a remotissima obtinuit antiquitate, atque ab ipsis apostolis profluxisse dicenda est. Sic enim Joannes hortatur Nestorium, ut deposita contentione nomen illud impugnare desinat, *quod a permultis Patribus compositum, scriptum et pronunciatum est... Hoc enim nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt, iique celebres; et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt.* Theodoretus vero testatur, *antiquissimos catholicae fidei praecones, ex apostolica traditione, docuisse, matrem Domini memorandam, colendamque esse ut Dei genitricem.* Sane hoc nomine mira quadam consensione Virginem appellarunt Origenes, Dionysius alex., Alexander item alexandrinus, Athanasius, Basilius, Gregorius nazianzenus, quorum testimonia profert Petavius. [4] Quid quod ipse apostata Julianus de hoc universali consensu testem se nobis praebet? Profecto ita ipse apud Cyrillum alexandr. christianos lacessebat: *Atqui vos Mariam non cessatis vocare Theotocon,* id est, *Dei genitricem.* Constat igitur longe ante Nestorium in ecclesia universa ejusmodi obtinuisse denominationem.

309. Ratio vero theologica petitur ex termino generationis; hic enim est persona seu totum suppositum, non autem aliqua ejus pars; atqui haec persona, hoc integrum suppositum est Deus et Filius Dei, quem

[1]) Rom. IX. 5.
[2]) Gal. IV. 4.
[3]) *De haeres.* lib. IV. cap. 12.
[4]) Lib. V. cap. 15.

b. Virgo in assumpta natura genuit in utero ac peperit, fatente Nestorio. Ergo b. Virgo Dei mater vere est, et Dei mater appellari debet.

310. Ex his deprehendimus 1°. duplici ex titulo nomen patris aut matris ac proinde filii haberi in re, de qua agimus, aut ratione *generationis* per communicationem substantiae, juxta tritam generationis definitionem, quod scilicet ea sit: *Origo viventis a vivente principio in similitudinem naturae;* aut ratione *hypostaticae unionis*, quatenus persona divina in qua natura subsistit assumpta. Ratione generationis Christus est filius b. Virginis, ex qua Verbum filius Dei hypostatico nexu sibi assumpsit et copulavit naturam humanam: ratione vero hypostaticae unionis b. Virgo est mater Dei in assumpta carne; e converso Pater aeternus pater est naturalis Christi ratione hypostaticae unionis, in qua natura humana subsistit, et est pater Verbi ratione aeternae generationis. Deprehendimus 2°. latius patere terminum filiationis quam generationis, cum omnis quidem genitus filius sit, non autem omnis filius sit genitus.

DIFFICULTATES.

311. I. Obj. 1. B. Virgo divinitatem, cui originem dare non potuit, minime genuit; ergo mater Dei neque est, neque appellari debet. 2. Proprie enim Virgo hominem genuit, cui Deus unitus erat, quique per Mariam solum transiit; ergo Christi mater solum vocari potest. 3. Hinc qui Mariam Dei matrem esse contendunt, ei absurde divinitatem conferant necesse est, imitantes gentiles, qui Cybelem deorum matrem fabulati sunt. 4. Scriptura propterea numquam hac voce usa est. 5. Patres vero nicaeni definierunt quidem *Christum* ex Virgine matre conceptum et natum, non autem Deum, nec Mariam uspiam *Theotocon* appellarunt. Ergo.

312. Resp. Ad 1. *D.* Adeoque catholici b. Virginem ratione hypostaticae unionis cum humana Christi natura Deiparam vocandam esse docent, *C.* ratione generationis divinitatis, *N.* Recolantur, quae paulo ante diximus de duplici titulo, ob quem parens aut filius dici potest, et difficultas quam tanti faciunt adversarii, evanescit.

313. Ad 2. *D.* Hominem Virgo genuit, seu potius humanam naturam hypostatice cum persona Verbi conjunctam, *C.* hominem seorsum sumptum, *N.* Exinde etiam observatio Nestorii concidit, juxta quam Deus nonnisi per Mariam transiisset, siquidem Deus seu persona Verbi sibi assumpsit et hypostatice copulavit humanam naturam, quae de Virgine efformata est. Quo fit, ut cum ille qui natus de Virgine Deus sit, merito Deipara Virgo est appellanda. Non abnuimus posse etiam eam vocari Christiparam, cum reipsa talis sit; sed cum hac voce abusus Nestorius fuerit ad suam haeresim obtrudendam, ideo adversus nestorianos Deiparae potius quam Christiparae penes catholicos nomen invaluit.

314. Ad 3. *Neg.* Ut patet ex respons. ad 1. Ethnici porro vere Cybelem aliasve deas divinitatem seu deos quoad naturam genuisse fabulati sunt, a

quo errore tam absunt catholici, quam veritas divina ab absurdissimo distat commento.

315. Ad 4. Vel *N.* cum inveniamus Luc. I. 43. Elisabeth exclamantem: *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quo sensu ibidem v. 46. b. Virgo dixit: *Magnificat anima mea Dominum;* vel *D.* Non habet Scriptura hanc vocem, *Tr.* non habet rem per vocem significatam, *N.* Nam cum Scriptura exhibeat Christum natum ex Maria Virgine Deum et filium Dei, hoc ipso exhibet Mariam Dei matrem ac genitricem.

316. Ad 5. *D.* Expresse non dixerunt nicaeni Patres b. Virginem Theotocon, cum nemo id inficiaretur, *C.* non dixerunt aequivalenter, *N.* Nam cum Jesum Christum definierint esse *Deum de Deo, consubstantialem Patri,* conceptum et natum ex Maria Virgine, apertissime docuerunt b. Virginem Dei matrem esse.

317. II. Obj. 1. Quamvis anima intimo nexu cum corpore conjuncta sit, inepte quaevis mater animae diceretur, sed rite mater hominis vocari debet; sic etiamsi hypostatica unione persona Verbi fuerit cum humanitate conjuncta, inepte Virgo Dei mater dicitur, sed Christi est mater vocanda, seu totius suppositi, quod est Christus. 2. Alioquin eadem ratione Deipater Spiritus Sanctus, de quo Christus conceptus est, esset potiori jure vocandus. 3. Sane numquam angeli mater ea vocaretur, in qua humanum corpus angelus sibi copulasset hypostatica unione; adeoque hypostatica unio non est ratio quare b. Virgo Dei mater appellari jure possit. 4. Admissa praeterea Deiparae appellatione, admitti deberent Dei etiam avus et avia, fratres ac sorores, quod absonum esse declaravit proscriptio, quae Romae facta est libri Thomae a s. Cyrillo, *De laudibus b. Annae,* in quo auctor docuerat Annam Verbi incarnati aviam esse. 5. Non expedit saltem Virginem compellare Deiparam, cum hic titulus rudibus et imperitis erroris occasio esse possit, dum sibi facile persuadent eam divinitati originem dedisse. 6. Ex quo reipsa titulus hic assertus est, idololatrica superstitio catholicam ecclesiam invasit. 7. Melius proinde meritus de ecclesia Nestorius fuisset, si admissa ejus esset doctrina, quam Cyrillus, qui machinationibus omnigenis ac vi adversarium suum oppressit. Ergo.

318. Resp. Ad 1. *D.* Et hac ipsa de causa b. Virginem Deiparam vocandam esse contendimus, *C.* secus, *N.* Ideo enim quae hominem genuit, hominis mater nuncupatur, quia denominatio non ad hanc vel illam geniti partem refertur, sed ad integrum suppositum, quod homo est. Sic etiam b. Virgo mater Dei est appellanda, quia integrum suppositum quod genuit, Deus est, aut si placet, Verbum carne indutum, seu Verbum caro factum; quo sensu si Nestorius aut quilibet alius vocet b. Virginem Christi matrem, nihil est quod repugnet, ut supra animadvertimus; ast cum ille Christi nomine purum hominem significaret, et hoc sensu contenderet Virginem vocandam esse Christiparam, ideo ad haereticum hunc sensum excludendum b. Virgo Dei mater nuncupata est.

319. Ad 2. *Neg.* Neque enim Spiritus S. quidpiam contulit de sua

substantia ad conceptionem Christi; immo per solam *appropriationem*, ut vocant, Christi conceptio tribuitur Spiritui Sancto, cum omnes tres divinae personae ad incarnationem Verbi concurrerint.

320. Ad 3. *Neg.* Nam jure hac in hypothesi mulier illa mater angeli vocaretur.

321. Ad 4. *D.* Adjecta formula *secundum carnem*, *C.* absolute, *N.* Nullum porro inconveniens est, ea clausula adjecta, dicere Deum et avum et aviam habere, siquidem in Scripturis legimus commemoratos *fratres Domini*, prout in antiquis Patribus invenimus David vocatum *Deipatrem* fuisse; referuntur haec enim ad assumptam humanitatem. Quod si Romae proscriptus est liber *De laudibus b. Annae*, non praecise ob ejusmodi denominationes id contigit, sed ob doctrinas erroneas, quibus liber adspersus est.

322. Ad 5. *D.* Si reipsa ejusmodi error mentes rudium incessere posset, *Tr.* si id fieri nequeat, adhibita instructione opportuna, *N.* Nemo profecto inter fideles invenietur adeo stolidus, ut sibi persuadeat b. Virginem divinitati originem dedisse conceptu suo ac partu.

323. Ad 6. *Neg.* 1°. Tum quia haec denominatio longe ante concilium ephesinum in ecclesia obtinuit, quin idololatricae superstitioni locum dederit; 2°. tum quia, fatente ipso Bayle, eaedem consecutiones ex titulo *Christiparae* deductae fuissent; tum quia denique negamus falsum adversariorum suppositum de idololatrica superstitione in ecclesia catholica vigente, cum non vigeat nisi in adversariorum mente.

324. Ad 7. *D.* Si bene quispiam mereri de ecclesia posset, qui incarnationis ac redemptionis doctrinam labefactat et evertit, *C.* si secus, *N.* Talis porro fuisset exitus, si Nestorius vicisset; ast cum portae inferi praevalere adversus ecclesiam nequeant, ideo causa Nestorii ut caeterorum haereticorum omnium necessario perire debuit. Quae de Cyrillo adjiciunt adversarii, calumniosa ab historicis documentis declarantur.

ARTICULUS II.

DE ADOPTIANISMO.

325. Adoptianismus ortum habuit in Hispania sub finem saec. IX. opera Felicis urgellitani episcopi, et Elipandi archiepiscopi toletani. Considerari autem potest adoptianismus uti nestorianismi propago. Adoptiani enim distinguebant in Christo duos filios pro ratione duplicis naturae, alterum quidem Dei filium natura, alterum vero adoptione et gratia. Cum vero terminus filiationis sit persona, consequens erat in istorum systemate duplicem distingui debere personam in Christo.

326. Dogma catholicum nos docet unicum filium seu unicum Christum subsistentem in duplici natura et agnoscere et fateri, quatenus in concreto existit, seu quatenus *hic homo est*. Utrum vero natura humana, prout in Christo per mentis operationem distincta a persona Verbi, in qua subsistit, spectatur, seu in se, possit dici adoptata, quaestio est agitata inter schola-

sticos, nec dogma attingit. Nos arbitramur quaestionem hanc otiosam esse et aleae plenam. Hac igitur dimissa, sic pergimus ad catholicum dogma adstruendum.

PROPOSITIO.

Jesus Christus est Filius Dei naturalis, non autem adoptivus.

327. De fide propositio est, definita a concilio francofordiensi in epistola synodica probata a rom. pontificibus, nominatim vero ab Hadriano, atque ab universa ecclesia: in ea Christus in utraque natura subsistens declaratur *Filius Dei proprius et naturalis, nequaquam adoptivus.*

328. Ejus veritatem adstruimus I. ex sacris litteris; in his enim Christus tamquam filius Dei proprius et naturalis perhibetur, quem Pater dedit pro mundi salute, atque pro nobis omnibus tradidit [1], et in quo idem Pater sibi complacuit. [2] Atqui eum dedit ac tradidit pro salute nostra crucifigendum ut hominem, in eo ut homine Pater sibi complacuit; ergo Christus ut homo est filius Dei proprius et naturalis adeoque non gratia et adoptione. Rursum, quem Petrus Dei filium confessus est [3], quem uti Dei filium caecus natus adoravit [4], quem tamquam affectatae divinitatis reum Caiphas morti adjudicavit, est Christus homo; ergo Christus homo est vere et proprie filius Dei naturalis.

329. Adstruimus II. ex Patribus, qui uno ore docent 1°. Christum Deum esse, ut constat ex eorum testimoniis paulo ante allegatis; 2°. unam in Christo esse personam, unum filium, unum Christum Deum-hominem, quorum pariter testimonia adduximus adversus nestorianos, quibus adjicimus verba concilii chalcedonensis ex Act. V. profitentis: *Sequentes igitur sanctos Patres, unum et eumdem confiteri Filium et Dominum Nostrum J. C. communi omnes consensu docemus.* 3°. Huc pariter referuntur fidei nostrae symbola, in quibus Christus perhibetur Filius Dei, qui natus est ex Maria Virgine. Quapropter sic jure synodus francofordiensis in Epist. synodica auctorem haeresis adoptianae compellabat: *Tu vero, quisquis es, qui Christum praedicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire: ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchae nescierunt, prophetae non dixerunt, apostoli non praedicaverunt, sancti tractatores hoc nomen tacuerunt, doctores fidei nostrae non docuerunt.*

330. Adstruimus III. ratione theologica desumpta ex adoptionis natura. Adoptio enim est assumptio personae extraneae in propriam haereditatem: jam vero Christus, qua hic homo est, dici nequit persona Deo extranea, quin duae in ipso admittantur personae; ergo cum Christi Dei-hominis nonnisi una persona sit, filius Dei proprius et naturalis, nequit esse adoptatus; unum siquidem eumdemque posse respectu ejusdem patris esse natura et adoptione filium, proprium et extraneum repugnat.

[1]) Joann. III. 16; Rom. VIII. 32.
[2]) Luc. III. 22.
[3]) Matth. XVI. 16.
[4]) Joann. IX. 38.

DIFFICULTATES.

331. I. Obj. 1. Loquens Apostolus de Christo, ait [5]: *Qui praedestinatus est filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis.* Jam vero praedestinatio non est nisi adoptio in filium; non est autem adoptatus Christus in natura divina, ergo in natura humana, qua sola filius Dei adoptivus est. 2. Hinc ibid. cap. VIII. 17. sub hoc respectu comparatur Christus cum hominibus justis qui *sunt filii Dei; si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi;* et v. 19. dicitur idem Christus *primogenitus in multis fratribus.* Si igitur justi, qui sunt filii Dei adoptivi per gratiam, sunt *cohaeredes* Christi, si Christus primogenitus eorum est, patet ejusdem esse Christum cum his conditionis, nempe per gratiam secundum humanitatem adoptatum. 3. His consonant Patres, qui passim docent Christum secundum humanitatem adoptatum esse in filium Dei; luculenta sunt Hilarii verba, qui scribit [6]: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Ergo.

332. Resp. Ad 1. *D.* Christus praedestinatus est ad gratiam unionis, *C.* adoptionis, *N.* Ut enim post s. Augustinum animadvertit s. Thomas [7], aeternam praedestinationem Jesu Christi in filium Dei habere pro objecto gratiam unionis duarum naturarum, quae fieri debebat in tempore, et per quam Deus factus est homo, et homo Deus. Nam unio duarum naturarum in persona Christi cadit sub aeterna praedestinatione, et ratione hujus Christus dicitur praedestinatus filius Dei.

333. Ad 2. *D.* Comparatur Christus cum hominibus justis sub aliquo respectu, *C.* sub omni respectu, *N.* Comparatur scilicet quoad haereditatem, non autem quoad jus ad haereditatem; ipsi siquidem haereditas competit ut filio naturali Dei, nobis autem, sive justis, ut filiis adoptivis; sic etiam comparatur quoad communem naturam quam suscepit, quo sensu frater noster est, primogenitus in multis fratribus, qui elevati per gratiam sunt ad Dei filiationem, cujus gratiae incapax est natura a Verbo assumpta; hinc vocatur filius Dei *proprius* ab eodem Apostolo, et *Unigenitus* a Joann. I. 14.

334. Ad 3. *D.* Edocent Patres Christum secundum humanitatem adoptatum esse in filium Dei in sensu improprio, *C.* in sensu verae adoptionis de qua disserimus, *N.* Etenim Patres vocem *adoptati* usurpant in sensu *adsciti, conjuncti, assumpti*, ut hujus vocis vis fert; aut etiam quatenus significant illam numero humanitatem per gratiam electam et praedestinatam esse ad hypostaticam cum Verbo unionem, sed tunc eam considerant in abstracto, ut patet. Utroque porro sensu potuit Hilarius in objecto loco scribere, *dum carnis humilitas adoptatur, seu adsciscitur, eligitur, evehitur.*

335. II. Obj. 1. Christus ut Deus genitus a Patre est ejusdemque cum eo substantiae, ut homo neutrum ei competit. 2. Exinde factum est

[5]) Rom. I. 4.
[6]) Lib. I. *De Trinit.*
[7]) Part. III. qu. 34. art. 1.

ut in catechismis dicatur, Christum uti Deum patrem habere sine matre, uti hominem matrem habere sine patre. Adeoque ut homo filius Dei naturalis esse nequit. 3. Sane ut homo Christus fuit gratia habituali instructus, quae efficit filium Dei adoptivum, quo sensu Christus est caput nostrum, cum ejusdem conditionis esse debeant caput et membra; 4. alioquin grave illud incommodum vitari non posset, quod idem filius duos patres habeat naturales, Deum nempe, et David. 5. Hinc si de Christo recte dicimus esse hominem natum, passum et mortuum, quare eum dicere etiam cum Scripturis non poterimus *servum* ac proinde filium adoptivum, cum aeque relativa sint nomina *servi et filii?* Ergo.

336. Resp. Ad 1. *D.* Et proinde ut homo Christus dicitur naturalis filius Dei ratione unionis hypostaticae, *C.* ratione generationis ejusdemque cum Patre substantiae, *N.* Recolantur quae paulo ante scripsimus de duplici titulo, ob quem Christus ut Deus potest dici filius naturalis Mariae, et ut homo dici filius naturalis Patris.

337. Ad 2. *D.* Id est, docent catechismi Christum uti Deum non habere matrem divinam et uti hominem non habere patrem humanum, *C.* non esse filium naturalem respective Patris et Mariae in utraque natura ratione unionis hypostaticae juxta dicta, *N.*

338. Ad 3. *D.* Praeditus fuit gratia habituali proveniente ex unione hypostatica, *C.* qua fieret filius adoptivus, *N.* Cum enim Christus homo ipso existentiae instanti esse coeperit filius Dei naturalis vi hypostaticae unionis, gratia habitualis supervenit, ac propterea non amplius potuit ipsi communicare adoptionem in filium, cum filium naturalem repererit. Ex quo patet ejusdem nobiscum conditionis esse non potuisse Christum, qui ut est caput nostrum excellentiori ratione, atque ut ajunt *eminenter*, continet in se quod est in nobis in inferiori gradu et ordine.

339. Ad 4. *D.* Sub eodem respectu, eademque ratione, *C.* sub diverso respectu, diversaque ratione, *N.* Etenim Christus habet ut Deus patrem naturalem vi aeternae generationis, atque ut homo eumdem patrem habet vi hypostaticae unionis; et e converso, ut homo David patrem (mediatum) habet naturalem vi generationis, et eumdem patrem naturalem habet ut Deus vi hypostaticae unionis.

340. Ad 5. *D.* Secundum humanam naturam seu secundum carnem, *C.* secundum totum suppositum quod est Deus-homo, *N.* Naturae siquidem est nasci, pati ac mori, neque haec directe de persona praedicantur, contra vero filium esse, terminus personae est subsistentis. Idem dic de *servi* notione, quo fit ut rigoroso sensu Christus non possit servus appellari, cum sit *Dominus.* Improprie autem apud Isaiam servus vocatur aut ratione voluntariae Christi subjectionis, aut ratione naturae humanae, quae, remote et in abstracto spectata, debitum habuit servitutis ut creatura respectu Dei; sed in concreto postquam scilicet juris Verbi ejusque propria effecta est, non amplius serva dici potest, nec proinde Christus servus ratione etiam assumptae naturae. Atque ex his disparitas patet, quae intercedit inter appellationem

servi et filii adoptivi. Nullo enim sensu Christus filius Dei adoptivus dici potest, cum sit terminus personalis; duplici autem ratione allata, latiori sensu potest dici servus.

ARTICULUS III.

DE DISTINCTIONE DUARUM NATURARUM IN CHRISTO POST UNIONEM HYPOSTATICAM.

341. Eutyches archimandrita monasterii constantinopolitani ex odio nestorianae haereseos in haeresim oppositam dilapsus est, unam post incarnationem praedicans in Christo naturam. Qua de causa accusatus apud Flavianum episcopum constantinopolitanum ab Eusebio Dorylei episcopo, ipse in publica synodo in hanc vocem erupit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem, post unitionem vero unam naturam confiteor.* Cumque ab hoc errore revocari non potuerit, damnatus a synodo est, a qua Eutyches ad Leonem pontificem appellavit, at is, certior factus per acta synodalia ad ipsum a Flaviano transmissa de rei veritate, sententiam confirmavit. Agente nihilominus Dioscoro episcopo alexandrino, ann. 449. in latrocinio ephesino Eutyches fuit absolutus et damnatus Flavianus, qui, cum Romam ab iniqua hac sententia appellasset, graviter adeo a Dioscoro percussus est, ut post triduum Deli e vita migraverit. Interim convocata oecumenica synodo chalcedonensi, ann. 451. rescissa fuerunt acta latrocinii ephesini, Eutyches et Dioscorus depositi sunt, et asserta catholica veritas.

342. Praecipue eutychianae haeresis natura consistit in eo, quod unica, peracta incarnatione, sit in Christo agnoscenda natura, reliqui autem errores hunc vel supponunt vel sequuntur. Utrum vero *ex duabus ante unitionem naturis,* ut ajebat Eutyches, in Christo *post unitionem* unica effecta fuerit, per utriusque *commixtionem,* an vero per alterius in alteram *mutationem* seu *conversionem,* an denique per *compositionem,* nec ipse neque ejus asseclae unquam determinare potuerunt. Sic pariter inter se non potuerunt convenire circa tempus, quo haec unitas naturae facta sit, an in incarnationis instanti, an post resurrectionem, an vero post ascensionem; ac propterea in varias partiales sectas, ut solemne est apud haereticos, diffluerunt.

343. Verum quacumque hypothesi admissa, illud certum est, quod semel admisso eutychiano principio universa labefactetur incarnationis ac redemptionis oeconomia, prout vidimus eamdem labefactari in systemate nestoriano. Inter utramque haeresim catholica veritas consistit, ut scilicet admittantur duae naturae distinctae et impermixtae ac inconfusae in unitate personae. Ad hanc veritatem vindicandam sit

PROPOSITIO.

Duae sunt in Christo naturae distinctae, inconfusae atque impermixtae.

344. De fide est propositio ex definitione concilii chalcedonensis decernentis, Act. V: *Christum, filium, Dominum, unigenitum in duabus naturis,*

inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia post unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentem concurrente.

345. Hanc autem veritatem evincunt illa omnia, quae sive ex Scriptura sive ex Patribus attulimus ad vindicandam Christo tum veram divinitatem, tum veram humanitatem. His duo peculiaria adjicimus ex Scripturis, quae rem praesentem conficiunt adversus eutychianam haeresim; loquens Joannes in exordio Evangelii sui de Verbo quod Deum praedicavit, concludit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Hujus autem Verbi incarnati genealogiam texuerunt evangelistae Matthaeus et Lucas. Verbum igitur caro factum duas in se distinctas complectitur naturas, divinam et humanam. Rursum idem Joannes ita cap. VIII. 40. Christum se hominem esse profitentem inducit: *Quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum;* et de hoc ipso Christo in I. Epist. v. 20. scribit idem evangelista: *Hic est verus Deus et vita aeterna.* Apostolus Paulus ad Rom. I. 3. utramque naturam conjungens, sic scribit de Christo: *De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Ergo etiam post unitionem et Deus est et Filius Dei, et homo est et filius hominis ex semine David procreatus.

346. Ex Patribus vero tot hujus veritatis testes et assertores habemus, quot aut contra docetas aut deinde contra apollinaristas veram carnem et integritatem Christo vindicarunt humanae naturae; et quot adversus cerinthianos, photinianos, samosatenos aliosque haereticos divinam ejusdem Christi naturam propugnaverunt.

347. Nec aliud nos docent fidei symbola; in symbolo enim nicaeno post verae fidei circa Christi divinam naturam professionem adjicitur: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo et incarnatus est... et homo factus est, passus* etc. Idem symbolum concilia constantinopolitanum et ephesinum professa sunt; utraque igitur natura divina et humana distincta post unitionem ex fidei regula admitti debent.

348. Ex ratione demum theologica veritas catholici dogmatis non minus aperte elucet; licet enim praetermittamus, concipi omnino non posse, cum in se repugnet, qui tandem duae naturae adeo inter se disparatae, cujusmodi sunt divina et humana, et ex quibus prior completa est quoad subsistentiam, in unam coalescere queant aut *conversione* alterutrius, aut utriusque *commixtione*, aut demum *compositione*, quibus tertia assurgat divino-humana; hoc, inquam, praetermisso, certum est, quod in quacumque hypothesi, in qua ejusmodi unitio contigerit, natura haec unica ex duabus coalescens non esset nec divina nec humana; adeoque quod consequens est, inepta ad redemptionem operandam, nisi absurde quis contenderet divinam naturam ut coalescentem cum humana, potuisse pati et mori, quod repugnat, utpote abhorrens a notione divinitatis; haec insuper natura tertia nec esset consubstantialis Patri, nec consubstantialis matri, siquidem cum neutra plane

conveniret, secus ac senserit universa antiquitas. Duae igitur necessario in Christo naturae, etiam peracta unitione, distinctae sunt agnoscendae.

DIFFICULTATES.

349. I. Obj. 1. Incarnationis oeconomiam complexus Joannes est, dicens: *Et Verbum caro factum est*, ad eumdem modum quo ib. cap. II. legitur *aquam vinum factam*, quod certe sine conversione fieri non potuit. 2. Id ipsum declarat Apostolus, scribens de Christo [1]: *Qui cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;* si formam servi accipiens exinanitus est, mutavit igitur se ipsum. Ergo.

350. Resp. Ad 1. *D.* Verbum caro factum est per assumptionem humanitatis in Deum, *C.* per conversionem divinitatis in carnem, *N.* Hoc enim repugnat; Deus enim natura sua immutabilis est. Itaque non alio sensu potuit dici de Verbo, quod factum fuerit caro, quam per assumptionem ejusdem carnis, qua sibi conjuncta, ut subdit evangelista, *habitavit in nobis*, uti etiam quovis tempore Patres exposuerunt, inter quos s. Ambrosius sic Joannis verba enarrat [2]: *Hoc est illud Verbum, quod carnem suscepit; hoc habitavit in nobis, hoc est, in carne habitavit humana.* Sic etiam s. Joann. Chrysostomus: *Unitate*, scribit [3], *et conjunctione Deus Verbum et caro unum sunt, sine ulla confusione, vel substantiarum ablatione; sed per unionem ineffabilem inexplicabilemque.*

351. Paritas porro inter aquam, quae in vinum est conversa, et Verbum, quod factum est caro, nulla prorsus est. Nam pro diversa substrata materia diversam significationem verbum *fieri* accipiat necesse est; alioquin concludi deberet Christum *factum* per conversionem esse *maledictum* aut *peccatum*, eo quod Apostolus ita scripserit de Christo [4], prout Patres observant agentes adversus apollinaristas.

352. Ad 2. *D. Accipiens formam servi*, ut ait ipse Apostolus, seu assumens naturam nostram, *C.* amittens formam Dei, *N.* Itaque ejusmodi exinanitio tota extrinseca est, quatenus Verbi persona sibi univit humilitatem seu abjectionem naturae nostrae, in qua et per quam obedivit, et caetera praestitit, quae ibidem Apostolus commemorat.

353. II. Obj. Ex Patribus 1. alii docent ita inter se duas in Christum convenisse naturas, ut anima et corpus nostrum, ex quibus nonnisi una natura exsurgit, ut s. Leo, Cyrillus, aliique; 2. alii comparant incarnationem cum Eucharistia, in qua panis in corpus Christi convertitur, ut s. Justinus [5]; alii aperte docent: *Ex duabus naturis unionem esse factam, post unionem vero unam esse naturam verbi incarnatam* in Christo, ut s. Cyrillus [6]; 4. alii appellant *mixtionem, mixturam, conversionem* etc., unionem utriusque naturae; 5. inter hos eminet s. Gregorius nyssenus, qui tum

[1]) Philipp. II. 7.
[2]) *De domin. incarn.* cap. 4. n. 59.
[3]) *Hom.* XI. *in Joann.* n. 2.
[4]) Gal. III. 13; et II. Cor. V. 21.
[5]) *Apolog.* I. n. 66.
[6]) Ep. I. *ad Successum.*

Oratione IV. contra Eunomium, tum potissime contra Apollinarem, statuit 1°. humanum corpus, cum a Verbo assumptum est, id factum esse quod est ipsa natura divina assumens, atque humanam naturam in id, quod divinum est, esse mutatam; 2°. carnem divinitati commixtam non amplius in suis terminis et proprietatibus mansisse, sed hac mixtione divinitatis participasse virtutem, eo fere modo quo si aceti gutta in oceanum projiciatur, ipsa per hanc mixtionem fit mare, suamque amittit qualitatem naturalem. Ergo.

354. Resp. Ad 1. *D.* Ad significandam unitatem personae seu suppositi, in quod ambae naturae concurrunt, *C.* ad significandam unitatem naturae, *N.* Hunc sensum egregie expressit auctor symboli athanasiani illis verbis: *Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.*

355. Ad 2. *D.* Quoad praesentiam, *C.* quoad conversionem, *N.* En integra ipsius Justini verba: *Quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa, sic etiam* (in alimonia Eucharistiae) ... *incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.*

356. Ad 3. *D.* Docent post unionem unam factam esse naturam *incarnatam, C.* absolute, *N.* Strenue enim s. Cyrillus formulam suam defendit ab omni apollinarismi suspicione, de quo accusatus fuerat, sic scribens in Ep. II. ad eumdem Successum: *Si dicentes unam Verbi naturam, tacuissemus, ac minime adjunxissemus incarnatam* (haberent in quo reprehenderent) ... *sed quia et illa in humanitate, et essentiae nostrae declaratio illata est, dum dicimus incarnatam, desinant baculo inniti arundineo. Nihil jam intelligere prohibet, Christum, cum sit unus ac solus Filius, eumdem Deum esse et hominem, ut in deitate sic etiam in humanitate perfectum.* Quo nihil luculentius praeter totius epistolae argumentum, proferri a Cyrillo poterat ad catholicum dogma de distinctione duplicis in Christo naturae asserendum. Attamen effatum cyrillianum fuit scopulus, in quem stolidus Eutyches impegit, et quo haeresim suam excogitavit. Dum igitur videtur s. Cyrillus asserere ita inter se unitas ambas in Christo naturas esse, ut nonnisi mentis cogitatione secernantur, dum videtur realem naturarum distinctionem inficiari; haec referri debent ad hypostaticum nexum, quo arctissime in una divini Verbi persona subsistunt ambae naturae.

357. Ad 4. *D.* Salvis integrisque manentibus utriusque naturae proprietatibus, *C.* his sublatis, *N.* Objectae elocutiones aliaeque ejusmodi a Patribus usurpatae sunt ad summam naturarum unionem in eadem persona significandam, divinae praesertim naturae in humanam immeationem, ut sic sese illi opponerent nestoriano errori moralem unionem adstruenti. Id enim fert Patrum scopus et subjecta materia; sola siquidem corporea inter se permisceri, componi, confundique possunt, non autem spiritualia, cujusmodi est divina natura summe simplex, et anima humana, multo vero minus

potest intercedere commixtio aut compositio in sensu Eutychetis inter divinam naturam et corpus.

358. Ad 5. *D.* Salva humanae naturae integritate, ut ipsemet Nyssenus declarat, et per mutationem improprie dictam, *C.* cum humanae naturae detrimento et per mutationem proprie dictam, *N.* Totus in eo est Nyssenus, ut efferat humanam Christi naturam a Verbo susceptam atque pervasam, et decora, quae ex eadem natura Verbi in humanam provenerunt exaltet, quod et praestiterunt alii Patres, qui et ipsi aptissimis similitudinibus ad id adumbrandum usi sunt. Alii enim ferri igniti, alii aëris luce perfusi, alii superexcedentis luminis, quo lumen minus evanescere videtur exemplum attulerunt. S. Gregorius vero usus est similitudine guttae aceti in pelagus immissae; attamen omnes in eo conveniunt, ut salvent semper essentiales humanae naturae proprietates. Hoc ipsum praestitit Nyssenus, qui quamvis asseruerit carnem Christi non amplius in suis terminis mansisse, statim se ipsum exponens subjicit in objecta *Orat.* IV. adversus Eunomium: *Carnis tamen et divinitatis proprietatum inconfusa permanet contemplatio*, quod etiam ibid. fuse prosequitur, praesertim vero contra Apollinarem, ubi ea similitudine usus est; adeoque patet, ipsum locutum esse de proprietatibus accidentalibus in objecto loco.

ARTICULUS IV.

DE DUPLICI IN CHRISTO VOLUNTATE ET OPERATIONE.

359. Uti adoptianismus ex haeresi nestoriana, sic monothelismus seu error de unica in Christo voluntate et operatione ab haeresi eutychiana ortus est. Hujus erroris semina jecerat Anastasius jacobitarum patriarcha ann. 630. et Heraclii imperii ann. 20. Agentibus deinde Sergio episcopo constantinopolitano, et Cyro Phasidis primo, deinde alexandrino episcopo, incrementum ac firmitatem nactus est monothelismus. Utrique fortiter restitit Sophronius monachus, ac deinceps episcopus hierosolymitanus, qui coacta synodo tum ad Sergium, tum ad Honorium pontificem romanum epistolas dedit, quibus de haeresi monothelitica hunc certiorem fecit. Ast Sergius eodem anno, quo Sophronius pariter ad Honorium scripsit ad eum decipiendum, dum assertores duplicis voluntatis traduxit, quasi pugnam inter utramque voluntatem in Christo inducerent, eumque adhortatus est ut efficeret, ne in posterum sive una sive duplex voluntas commemoraretur, sed potius altum utrique parti silentium indicens totam sopiret controversiam. Istius artibus deceptus Honorius ejus consilio cessit, unam adstruens voluntatem ad conflictationem duarum voluntatum removendam a Christo.

360. Ejusdem Sergii fraude deceptus Heraclius imperator probavit et ipse oeconomicum silentium, publicata *Hectesi* a Sergio conscripta. Hoc ipsum silentium inculcavit Constans Heraclii successor, suasione Pyrrhi episcopi constantinopolitani monothelitae, proponens edictum *Typum* nuncupatum. Sic diffusa haeresis est, donec sub Constantino Pogonato et Agathone rom.

pontifice ann. 680. celebrata est oecumenica synodus VI. et constantinopolitana III. in qua haeresis cum suis auctoribus et fautoribus damnata est, et asserta catholica veritas de duplici in Christo voluntate et operatione.

361. Dogma monothelitarum praecipuum erat, ut unicam naturalem seu physicam in Christo propugnarent voluntatem, sive prout *facultas* est, sive prout est *actio* seu *energia* seu *vis*, quam etiam *personalem* vocabant ac *electivam*, ne si duae voluntates in Christo physicae et electivae admitterentur, haec inter se pugnarent. Illam unicam voluntatem, quam admittebant in sensu exposito, dicebant esse divinam seu Verbi. Solebant praeterea hanc unicam voluntatem cum Pseudo-Dionysio Aeropagita vocare *theandricam* seu *deivirilem*, veluti coalescentem ex divina et humana, ita tamen ut humana esset iners instrumentum passivum, uti est corpus nostrum respectu animae.

362. Ad hoc perversum dogma tegendum, vix umquam solebant nominare voluntatem *naturalem*, aut naturalem *actionem* aut *operationem*, ne unicam sic viderentur adstruere cum eutychianis naturam; sed caute contenti erant hi haeretici voluntatem simpliciter nominare, ut innuerent se unicam asserere voluntatem moralem in Christo ob conformitatem humanae cum divina. Dum vero ita se tegebant, conflabant invidiam assertoribus duarum voluntatum, quasi isti pugnam inter duas Christi voluntates propugnarent. Ast cito ipsis larva detracta est.

363. Nostrum igitur est adstruere in Christo duplicem voluntatem naturalem, divinam et humanam, non solum quatenus voluntas humana pro facultate volendi accipitur, sed etiam quatenus et actionem et operationem volendi denotat, nec non ostendere ejusmodi actionem et operationem humanae voluntatis activam esse et ex proprio motu profluere. Sit igitur

PROPOSITIO.

Duae naturales operationes et voluntates indivisae et inconfusae in Christo sunt confitendae.

364. De fide propositio est his verbis definita a concilio generali VI. seu constantinopolitano III: *Et duas naturales voluntates in eo* (Christo) *et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam adaeque praedicamus.*

365. Duas naturales in Christo operationes tot in locis Scripturae praedicant, quot divinas et humanas ejusdem Christi actiones et operationes exhibent, quae innumera prope sunt. Etenim Christum exhibent vaticinia edentem, miracula patrantem, quae certe solius divinae virtutis sunt, et ad ejus manifestandam divinam naturam ordinata, exhibent item ambulantem, loquentem, cibo potuque reficientem, esurientem, sitientem, lassatum, gaudio exultantem, moestitia angentem, lacrymantem, patientem, vulneratum, morientem, quae quidem omnia solius humanae naturae sunt, et ordinata ad ipsum verum hominem patefaciendum. Cum igitur absonum sit tum quae

divinae naturae proprie actiones sunt, humanae adscribere, tum quae sunt naturae humanae, naturae tribuere divinae, cum ambae distincte recenseantur de Christo, omnino fatendum est duplicem actionem et operationem naturalem in Christo admitti oportere.

366. Id ipsum constat de voluntatibus, prout naturales facultates seu motiones et operationes naturae sunt. Tot enim ejusmodi voluntates praedicat in Christo Scriptura quot naturas, eo ipso quod naturales facultates et operationes sunt; jam vero paulo ante luculentissime ostendimus duas distinctas et inconfusas in Christo naturas Scripturam praedicare, divinam et humanam; ergo totidem in Christo naturales voluntates esse docet distinctas et inconfusas divinam et humanam.

367. Sic pariter ex Scripturis duas agnoscere in Christo debemus voluntates, prout hae actus elicitos dicunt seu *volitiones.* Volitionem divinam in Christo ultro admittebant adversarii; superest igitur, ut ex Scripturis ostendamus fuisse seu esse in Christo etiam volitiones activas humanas. Jam vero id efficiunt omnia illa biblica testimonia, quae tribuunt Christo voluntatem distinctam a voluntate Patris, quae plura sunt. Sane Matth. XXVI. 39; et Marc. XIV. 36. ita Christus orat Patrem suum: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* seu ut legitur Luc. XXII. 42: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ibi certe non est sermo de voluntate divina, quae una in Patre et Filio est, ergo de humana voluntate locutus est Christus. Rursum Joann. VI. 38: *Descendi de coelo,* inquit Christus, *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me;* ubi idem redit argumentum. Hinc Apostolus de Christo scribit [1]: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum.* Christus igitur Deo ac Patri suo obedivit, promeruitque hac obedientia exaltationem suam ac redemptionem humani generis; atqui neque obedivit neque meruit voluntate divina; ergo obedivit ac meruit voluntate humana. Huc referuntur, quae de Christo homine passim leguntur, e. gr. Marc. VI. 48. quod accedens ad apostolos *volebat praeterire eos;* et ibid. VII. 24: *Ingressus in domum, neminem voluit scire, et non potuit latere;* tum XXVII. 34: *Et dederunt ei vinum cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere;* aliaque id genus multa in Scripturis occurrunt, quae aperte evincunt Christum actus elicuisse humanae voluntatis proprios.

368. Patres ea principia constituunt, ex quibus eorum circa duplicem Christi voluntatem naturalem et operationem doctrina manifeste colligitur; alii siquidem ex diversis operationibus Deum et hominem Christum esse inferunt, ut Ignatius, Justinus, Irenaeus, Hippolytus, Tertullianus apud Petavium [2]; alii disputantes adversus arianos constituunt actiones infirmitatis, quae de Christo in Scripturis referuntur, non posse naturae divinae tribui, sed humanae, uti Athanasius, Eustathius, Cyrillus hieros., Epiphanius,

[1]) Philipp. II. 3.

[2]) Lib. VIII. cap. 8. §. 1.

Basilius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, aliique apud eumdem; alii demum ex distinctione operationum colligunt adversus apollinaristas duas esse in Christo distinctas et inconfusas naturas, uti Basilius, uterque Gregorius, Cyrillus alex., Theodoretus, Ambrosius, Leo M., Fulgentius.

369. Nec solum duas in Christo voluntates naturales operationesque Patres adstruunt, sed conceptis verbis duas etiam in eodem adstruunt voluntates, prout hae in actus seu volitiones erumpunt. Etenim s. Athanasius, adductis Christi verbis: *Pater, si fieri potest*, etc. subdit [3]: *Duas hic voluntates ostendit: unam scilicet humanam, quae est carnis propria; alteram divinam.* Sic etiam s. Gregorius nyssenus apud Agathonem *in Epist. ad Imper.* ex eodem Evangelii textu infert: *Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina;* et s. Jo. Chrysostomus ibid. scribit: *Propriam quidem habere voluntatem manifeste demonstrat, sed ubique paternam voluntatem anteponit suae.* S. Ambrosius: *Sed alia,* inquit [4], *voluntas hominis, alia Dei... Suscepit ergo voluntatem meam, suscepit tristitiam meam... Mea est voluntas, quam suam dixit.*

370. Demum ex ratione theologica id ipsum conficitur: operatio seu energia ex omnium philosophorum consensu est motio substantialis naturae ejusque nota essentialis, cum natura sine operatione, vi, ac energia propria, neque sit, neque intelligi possit. Tot igitur in Christo operationes agnosci debent, quot sunt in eo naturae; duae autem distinctae et inconfusae ex demonstratis sunt in Christo naturae, duae igitur sunt in eodem distinctae et inconfusae operationes. Rursum si unica in Christo esset operatio et naturalis voluntas, haec vel esset simplex vel composita; neutrum porro dici potest: si enim esset simplex, haec esset vel divina vel humana; si esset divina, Christus non esset homo; si humana, non esset Deus. Quod si composita dicatur conflata ex utraque natura, esset simul divina et humana, creata et increata, finita et infinita, seu potius nec divina nec humana foret. Quae omnia absurda sunt.

371. Voluntatem porro humanam activam ac liberam esse in Christo ex eo liquet, quod libertas sive contradictionis sive specificationis spectet ad perfectionem naturae rationalis et intelligentis; cum igitur Christus perfectam habeat humanam naturam, libertate destituta esse non potest. Alioquin nec mereri potuisset nec satisfacere pro peccatis nostris. Quaquaversus igitur res spectetur, patet duas necessario in Christo esse agnoscendas et admittendas naturales voluntates et operationes, easque etiam liberas et deliberatas.

DIFFICULTATES.

372. I. Obj. 1. Duabus in Christo admissis voluntatibus, pugna pariter inter utramque admitti deberet, ut patet ex allatis Scripturae textibus litteraliter acceptis; metaphorice proinde sunt isti intelligendi, nec duplex voluntas ex illis in Christo conficitur. 2. Quapropter Patres docent, vel

[3]) *De Incarn.* n. 21.

[4]) *De fide,* lib. II. cap. 7. n. 8.

Christum natum *absque carnalibus voluntatibus et cogitationibus humanis*, ut s. Athanasius; vel 3. Christi *velle* totum fuisse *deificatum*, ut s. Greg. nazianzenus [5]; vel 4. *carnis quidem fuisse passionem*, *Dei autem operationem*, ut Gregor. nyssenus; vel 5. Christum *unam cognatam operationem per ambas naturas* demonstrasse, ut Cyrillus alexandrinus; vel 6. denique Christum *unam quamdam theandricam (deivirilem) operationem nobiscum conversando exhibuisse*, ut Dionysius Areopagita. [6] Ergo.

373. Resp. Ad 1. *Neg.* Neque enim hanc pugnam exhibent 1°. Christi verba, Matth. XXVI: *Si fieri potest* etc.; haec siquidem non exprimunt nisi naturalem affectionem naturae mortem refugientis, hanc porro vicit voluntas humana presse sumpta in Christo dicente: *Non sicut ego volo, sed sicut tu;* seu *non mea voluntas, sed tua fiat*, in quibus tantum vis argumenti catholicorum consistit, dum duplicem adstruunt in Christo voluntatem. 2°. Neque hanc pugnam exhibent, quae leguntur Joann. VI: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam*, *sed voluntatem ejus*, *qui misit me;* nam exprimunt quidem duas voluntates, ast plene inter se conformes, cum numquam humana voluntas a divina difformis fuerit.

374. Ad 2. *D.* Id est, sine corruptione ab Adam inducta, *C.* sine humana voluntate simpliciter, *N.*

375. Ad 3. *D. Velle deificatum,* adeoque velle humanum a divino distinctum, *C.* absorptum aut confusum, *N.* Quod enim divinum est, non potest *deificari,* ut jamdiu animadverterat s. Agatho; itaque eo sensu nonnulli Patres humanum Christi velle dixere deificatum, quatenus intime conjunctum erat cum velle divino; uti ipsa humana natura cum divina.

376. Ad 4. *D.* Dixere Dei operationem esse, carnis vero passionem, quatenus Dei operatio principalis est et humanam voluntatem movet et excitat, quin ipsa moveatur, *C.* quatenus excludat activam voluntatis humanae motionem, *N.* Humana enim voluntas in Christo semper movebatur ad nutum Verbi, a quo regebatur natura; quo sensu improprie haec motio *passio* vocata est ad discrimen divinae, quae a nullo accipit impulsum.

377. Ad 5. *D.* Ob indivisum utriusque naturae et operationis concursum, *C.* ob unicum naturale operationis principium, *N.* Utraque enim operatio per modum unius concurrebat in Christo ob intimum utriusque naturae nexum.

378. Ad 6. *D.* Unam seu potius *novam* theandricam operationem Christus ostendit ob mirabilem utriusque naturae unionem et concursum ad operandum, *C.* ob unitatem principii, *N.* Attamen hoc Pseudo-Dionysii effatum erat Achilles monothelitarum.

379. II. Obj. 1. Unica est in Christo persona; ergo in ipso unica est operatio. 2. *Actiones enim sunt suppositorum.* 3. Sane in Christo unus est volens et operans, adeoque una voluntas et operatio. 4. Quod quidem analysi accurata Incarnationis mysterii melius patefit; 1°. natura enim humana in

[5]) *Orat.* XXXVI. [6]) *Ep.* IV. *ad Cajum.*

Christus nihil ex se operari potest, sed solum quatenus mota est a Verbi persona, quae ut ut duo quidem *operata* exsurgant, non autem duae operationes: 2°. esse ad hypostasin subsistentem pertinet, adeoque et *operari*; 3°. si operatio tribuatur naturae, cum eadem sit natura Verbi, ac Patris, et Spiritus Sancti, sequeretur operationes divinas Christi tribus divinis personis esse tribuendas: 4°. persona Verbi adhibet naturam humanam ut instrumentum, ut Patres loquuntur: porro una est artificis et instrumenti operatio: 5°. hinc merito Honorius pontifex unam asseruit in Christo voluntatem in duabus epistolis ad Sergium datis, in quibus ejusdem Sergii prudentem probavit sententiam. Ergo.

380. Resp. Ad 1. *D. Cons.* Unica est operatio *personalis, C. naturalis* et *elicitiva, N.* Operatio, ut diximus, est naturae: personalitas non est nisi conditio necessaria ut natura subsistat, existat et operetur: cum igitur persona ea sit, quae habet naturam, ideo prout actiones personales sunt, tribuuntur personae.

381. Ad 2. *D.* Actiones sunt suppositi, ut principii *quod*, uti loquuntur scholae, *C.* ut principii *quo*, juxta dicta, *N.*

382. Ad 3. *D.* Christus est unus volens et operans, ut persona, *C.* ut naturae in ipso spectantur, *N.*

383. Ad 4. *Neg.* Itaque ad confirmat. 1^m. *D.* Non operatur humana natura in Christo nisi mota et excitata a persona Verbi, salva naturali ejus activitate, *C.* hac perempta, *N.* Aliud est regi humanam naturam et moveri quoad actiones suas elicitivas ad nutum personae Verbi, aliud privari seu destitui propria activitate: prius verum est, posterius est falsum. Ut si quis ad secandum utatur ferro ignito, hoc urit et secat per virtutem propriam ignis et ferri: motio Verbi est consentanea liberae naturae quam excitat.

384. Ad conf. 2^m. *D.* Ast diversa ratione, *C.* eadem ratione, *N.* *Esse* pertinet ad personam tamquam terminum individuantem naturam: *operari* vero pertinet ad personam ut conditionem sine qua natura sicut neque existere, sic nec operari potest: posita semel personalitate, natura exerit vires et operationes suas.

385. Ad conf. 3^m. *D.* Si tribuantur naturae in se spectatae, *C.* si tribuantur naturae subsistenti sua personalitate, *N.* Jam vero cum Verbum assumpserit naturam humanam, prout est persona realiter a reliquis distincta, seu cum sua personali nota et characteristica, eadem ratione prout est cum humanitate conjuncta, vult, agit et operatur, nempe ut persona distincta.

386. Ad conf. 4^m. *D.* Adhibet naturam humanam ut instrumentum vivum et activum, *C.* iners et passivum, *N.* Persona Verbi non aliud tribuit humanae naturae quam subsistentiam: jam vero natura humana perfecta vivens ac activa est, etsi in Verbo subsistat, adeoque motu suo volebat, patiebatur, etc.

387. Ad conf. 5^m. *D.* Unam asseruit Honorius in Christo voluntatem *humanam* ad excludendam pugnam carnis et Spiritus, *C.* ad excludendam

voluntatem divinam, *N.* Etenim, praeter apertum testimonium de sincera Honorii mente Joannis IV. ejus successoris, s. Maximi martyris, Joannis abbatis qui fuit Honorio a secretis, id aperte patet ex ejusdem Honorii verbis, quae in *Epist.* I. *ad Sergium* ita se habent: *Unde et unam voluntatem fatemur* D. N. J. C., *quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vexata... Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia supra legem natus est humanae conditionis.* Sic porro dilucide Honorius in altera *Epist.* data ad eumdem Sergium, catholicum dogma de duplici voluntate profitetur: *Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei sunt operantem; et humanam, quae carnis sunt exsequentem, non divise, neque confuse aut convertibiliter... sed naturarum differentias integras confitentes.*

388. Quod si Honorius probavit Sergii consilium circa oeconomicum silentium, deceptus istius vaferrimi viri fraude, ita se gessit, sperans fore ut ecclesiae tranquillitati et paci post tot in Oriente exortas dissensiones ac jurgia, hac ratione tandem consuleret. Sed de Honorio recolantur, quae scripsimus in tractatu *De locis theologicis*, ubi de infallibilitate rom. pontificis.

CAPUT IV.

DE COMMUNIONE IDIOMATUM ET ADORATIONE JESU CHRISTO DEBITA.

389. Ex vindicata hactenus Incarnationis dominicae doctrina corollaria consectemur oportet, quae ex ea proveniunt. Duo vero praecipua haec sunt, nempe idiomatum seu proprietatum communio seu communicatio, et adoratio Jesu Christo debita. Id autem prosequemur distinctis articulis, ne simul proposita confusionem ingerant.

ARTICULUS I.

DE IDIOMATUM COMMUNIONE.

390. *Communio idiomatum* a Graecis *ἀντίδοσις* seu *mutua communicatio* aut *permutatio* nuncupata, id dicitur quo utraque natura et utriusque naturae proprietates sic enunciantur de Christo, ut quae conveniunt homini, tribuantur Deo, et quae conveniunt Deo, de homine praedicentur. Hujus enunciationis fundamentum est hypostatica duarum naturarum unio.

391. Plures solent a Patribus ac theologis regulae tradi ad rectum hujus idiomatum communionis usum, ne quis, his neglectis, in nestorianorum aut eutychianorum errores incurrat. Princeps ac fundamentalis regula, ad quam caeterae facile revocantur, haec est, ut quaecumque de naturis mutuo praedicantur, aut de Christo contraria enunciantur, ea ad suppositum seu personam referantur, non autem ad naturas seorsum sumptas; seu quod idem est, enuncientur in *concreto*, non vero in *abstracto*. Nestorius priorem hujus

regulae partem impugnavit, Eutyches posteriorem. Nos utriusque veritatem adstruere aggredimur.

PROPOSITIO I.

Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto.

392. Ad fidem propositio haec pertinet, quam semper professa ecclesia est. Fundatur autem in Scripturis, quae de uno eodemque Christo disserentes, modo eum Deum ac Filium Dei vocant, modo hominem et filium hominis, modo eumdem exhibent ab aeterno genitum, existentem ante omnia saecula, modo vero in tempore natum ac novissimis diebus hominem, aliaque ejusmodi enunciant, quae contraria invicem sunt. Innititur praeterea symbolis fidei nostrae, quae de uno eodemque Christo dicunt eum Deum de Deo esse, et simul natum ex Maria Virgine, passum, mortuum ac sepultum.

393. Patres non solum uno animo hanc communionem idiomatum in concreto probant, verum etiam exinde argumenta promunt ad refellendum Nestorium abhorrentem a voce *Deiparae*, quae huic regulae innititur. S. Gregorius nyssenus adhuc ante Nestorium sic Apollinarem perstringebat: *Propter exactam assumptae carnis assumentisque divinitatis unitatem, mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur.* [1]

394. Ratio vero theologica est personae unitas, quae ambas naturas in se complectitur et proprias habet; hinc quemadmodum de homine, spiritu et corpore constante, dicimus eum esse immortalem, rationalem, etc. et corruptibilem, corporeum, etc. sic de Christo juxta diversas has naturas Deus dicitur et homo, passibilis et impassibilis, aliaque ejusmodi de ipso enunciantur, quae ad idem referuntur suppositum.

DIFFICULTATES.

395. Obj. 1. Licet omnes homines eadem fruantur natura, nemo tamen de uno enunciat, quod proprium est alterius hominis; multo igitur minus potest in Christo enunciari, quod proprium est unius naturae de altera. 2. Multo magis inter se conveniunt divinae personae, quam duae naturae in Christo; attamen nonnisi absurde quispiam diceret Patrem esse Filium et vicissim, neque idcirco quod spectat ad unam Christi naturam praedicari de altera potest. 3. Sic neque de homine dici debet *corpus* esse *animam* aut e contrario, etsi idem homo utrumque possideat. 4. Accedit, quod quae enunciantur de Deo, *absolute* toti Trinitati conveniant; si proinde aliquid de Deo in Incarnatione praedicetur, praedicatur de tota Trinitate; adeoque haec propositio: *Homo est Deus*, huic aequivalens esset: *Homo est Deus; sed Deus est Pater, Filius et Spiritus Sanctus; ergo homo est Pater, Filius et Spiritus Sanctus;* prout ratiocinabatur Scotus. Ergo.

[1]) *Adv. Apoll.* Opp. tom. II.

396. Resp. Ad 1. *Nego* paritatem; siquidem homines in eadem personalitate non subsistunt, uti duae naturae in Christo.

397. Ad 2. *D.* In ratione naturae, *C.* personae, *N.* Tres enim in Deo personae realiter inter se distinguuntur, eadem porro est persona, quae ambas in Christo regit naturas.

398. Ad 3. *D.* In abstracto, *C.* in concreto, ita ut dicatur: homo constat anima et corpore, *N.*

399. Ad 4. *D.* Si *Dei* nomen pro *natura* assumatur, *C.* si pro *persona, N.* Et haec de his subtilitatibus scholasticis satis sint.

PROPOSITIO II.

Admitti nequit communicatio idiomatum in abstracto, nec tribui proinde possunt Christi humanitati omnipotentia, ubiquitas seu omnipraesentia.

400. Et haec propositio ad fidem spectat, quam constanter ecclesia catholica professa est. Lutherani ad adstruendam realem Christi praesentiam adversus sacramentarios excogitarunt divinas proprietates per Incarnationem communicatas esse humanae naturae, adeoque *ubiquitatem,* seu ut ipsi loqui adamant, *omnipraesentiam,* sicque in eutychianismum lapsi sunt.

401. Ejusmodi lutheranum dogmatismum evertunt I. sacrae litterae, quae Christum exhibent in loco, ita ut non sit in alio, ambulantem de loco in locum; sic Joann. XI. 15. Christus loquens de Lazaro ait: *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi, sed eamus ad eum.* Marc. XVI. 6. angelus ad mulieres, quae parentandi causa venerant ad Christi sepulcrum, dixit: *Surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum.* Rursum Petrus de Christo ait [1]: *Quem oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium;* atqui haec aliaque ejusmodi pene innumera falsa essent in adversariorum hypothesi. Ergo.

402. Evertunt II. fidei symbola, quae Unigenitum Dei Filium perhibent in Virginis utero conceptum, indeque in lucem editum, descendisse ad inferos, in sepulcrum illatum, ac indidem resurgentem in coelum conscendisse, illinc venturum ad judicium; quae pariter ostendunt Christum ut hominem definito in loco consistere et aliquo spatio comprehensum.

403. Evertunt III. oecumenica concilia chalcedonense, constantinopolitan. II. et III. quae constituunt duas in Christo convenisse naturas inconfusas, impermixtas, cum perfectione et differentia uniuscujusque propria; item conc. generale VII. seu nicaenum II. quod damnavit iconoclastas asserentes Christum in humana natura *incircumscriptum.* His consonant omnes ecclesiae Patres, qui adversus apollinaristas et eutychianos distinctionem naturarum post unitionem in Christo propugnavere.

404. Evertit denique IV. lutheranorum commentum ipsa theologica ratio, juxta quam divinae proprietates seu attributa unum *formaliter* sunt,

[1]) Act. II. 21.

ita ut nequeat una sine alia communicari, adeoque non potuit ubiquitas aut omnipraesentia sine aeternitate, infinitate, immo sine ipsa divinitate, cum qua identificantur, humanae Christi naturae tribui, seu sine hujus absorptione et destructione, quod et absurdum et contra fidem omnino esset.

DIFFICULTATES.

405. I. Obj. Scripturae tum indirecte tum directe Christo competere ubiquitatem adstruunt; indirecte quidem 1. iis omnibus in locis, in quibus omnia a Patre Filio communicata asserunt, e. gr. Luc. X. 22. ubi Christus de se ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo,* seu clarius adhuc, Joann. XVI. 15: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt;* quibus significatur divinas proprietates humanae naturae communicatas esse, prout colligitur ex Apostolo, qui scribit [2], in Christo *omnem plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitare;* 2. iis omnibus in locis, in quibus peculiaria attributa omniscientiae et omnipotentiae Christo competere testantur, e. gr. Coloss. II. 3: *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Joann. II. 25. scribit evangelista de Christo: *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine;* et Apoc. V. 12. de Christo dicitur: *Dignus est accipere virtutem, et divinitatem, sapientiam, et fortitudinem, et gloriam, et benedictionem,* seu omnia divina attributa. 3. Directe vero patefacit Scriptura omnipraesentiam Christo homini competere, dicente ipso Christo, Matth. XVIII. 20: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* et ibid. XXVIII. 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Paulus vero [3]: *Qui descendit,* scribit, *ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.* Sane Christus sedet ad dexteram Dei, porro Dei dextera est ubique; ergo et Christus.

406. Resp. *N. A.* Ad 1. et 2. prob. *D.* Et haec omnia dicuntur de Christo seu de toto supposito, *C.* de humanitate ejus formaliter sumpta, *N.* Sicque omnia concidunt, quae magno molimine adversarii congesserunt ad suum absurdum commentum persuadendum ex Scripturis privato sensu intellectis.

407. Ad 3. *D.* Protectione et assistentia sua, *C.* praesentia corporali, *N.* ut duo priores loci. Vel de potentia dominationis suae, ut Ephes. IV. 10, *C.* de omnipraesentia humanitatis, *N.*

408. Ad confirm. deductam ex sessione ad dexteram Dei, *D.* Ratione suppositi, *C.* ratione humanitatis, *N.* Alioquin etiam animae justorum, quae in manu Dei esse dicuntur, ubique pariter essent.

409. II. Obj. 1. S. Cyrillus alex. docet [4], *Christum ubique esse.* 2. Sane Christus est Verbum divinum, sed Verbum divinum ubique est; ergo et Christus. 3. Deus est ubique praesens, sed homo in Christo factus est Deus;

[2]) Coloss. II. 9.
[3]) Eph. IV. 10.
[4]) *In Joann.* lib. XII. cap. 32.

ergo homo in Christo ubique praesens est. 4. Christi humanitas est hypostatice unita naturae divinae; ergo ubicumque est natura divina debet esse natura humana; alioquin dici non posset unita toti naturae divinae, sed alicui ejus parti; vel saltem alicubi esset divinitas quae conjuncta non esset cum humana natura, quod dicere nefas est. Ergo.

410. Resp. Ad 1. *D.* Quoad totum suppositum, aut ratione assistentiae et dominationis, uti diximus, *C.* ratione formalis ubiquitatis respectu humanitatis, *N.* Cum s. Cyrillus prae caeteris hypostaticam humanae naturae cum Verbo divino unionem propugnaverit adversus Nestorium, de toto supposito, quod est Christus, affirmavit *ubique esse,* non autem ratione formalis humanitatis. Accedit quod ex Patrum sententia possit Christi humanitas reduplicari, atque hoc sensu quamdam communicatam habere ubiquitatem, quae permisceri non debet cum immensitate, quae est attributum divinitatis incommunicabile.

411. Ad 2. *D. maj.* Quatenus est persona seu suppositum, *C.* quatenus est humana natura, ut ab adversariis sumitur, *N.*

412. Ad 3. *D. min.* Homo in Christo factus est Deus denominative ratione hypostaticae unionis, *C.* formaliter, *N.*

413. Ad 4. *D. maj.* Inadaequate, *C.* adaequate, *N.* Hypostatica unio efficit ut humanitas subsistat in persona Verbi, ab eaque regatur, non autem ut immutetur vel acquirat proprietates divinae naturae, quarum incapax est. Exinde fit, ut ubicumque est humanitas Christi, ibi sit divinitas, at non e converso, ut patet ex sole invadente crystallum, ex vento appensum urgente velum, aliisque ejusmodi exemplis. Error adversariorum ex eo provenit, quod apprehendant hanc unionem per modum cujusdam coexistentiae et adaequationis, quod omnino absonum est.

ARTICULUS II.

DE CHRISTI ADORATIONE.

414. Circa Christi adorationem errarunt ex antiquioribus haereticis apollinaristae, eutychiani ac nestoriani; ex recentioribus wicleffitae et sociniani plerique. Apollinaristae et eutychiani unam latriae adorationem Christo tribuendam censerunt ex haeretico illorum principio de naturarum confusione et permixtione. Nestoriani rati sunt Christo ut homini etiam debitam esse latreuticam adorationem; attamen duplicem distinctam adorationem introduxerunt, alteram Deo, alteram homini, idque ex errore de duplici in Christo persona. Sic etiam Wicleffus contendit Christo homini, prout seorsum spectatur a divinitate distinctus, cultum divinum deberi, non secus ac ipsi Verbo divino. Sociniani, qui Christi negant divinitatem, divisi sunt in *adorantes* et in *non adorantes;* adorantes contenderunt Christo deberi cultum latriae ut Dei legato seu referenti personam Dei, quod non adorantes negant.

415. Synodus pistoriensis ut sibi viam sterneret ad impugnandum cultum sanctissimi Cordis Jesu, Prop. LXI. asserit: *Adorare directe humanitatem*

Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae.

416. Ad tuendam germanam ecclesiae doctrinam duo a nobis praestanda sunt: 1°. adversus antiquos haereticos ostendendum uno eodemque latriae cultu adorandam esse humanitatem Christi cum Verbo in quo subsistit; 2°. adversus synodum pistoriensem ac jansenistas reliquos vindiciae sumendae sunt cultus, quem s. Sedes probavit erga SS. Cor Jesu.

PROPOSITIO I.

Uno eodemque supremo latriae cultu humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino, cum quo est hypostatice conjuncta.

417. De fide est propositio, cujus contradictoria proscripta est in concilio generali V. can. IV. *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo et semotim homini; aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei ecclesiae ab initio traditum est; talis anathema sit.*

418. Ad majorem dicendorum perspicuitatem animadvertendum est I. aliud esse *objectum* cultus nostri, in re de qua agimus, aliud *motivum.* Objectum est ipsa caro seu verius humanitas Christi prout subsistit in Verbo, seu *in concreto*, quae adoratur directe et in se; motivum est unio hypostatica, qua caro illa facta est *propria Verbi*, seu *caro Dei,* ut Patres loquuntur. Quamvis haec caro adoretur *in se*, non adoratur tamen *propter se*, quod est proprium solius Dei, qui est simul et objectum et motivum cultus latreutici, adeoque adoratur *in se,* et *propter se.* Cum igitur motivum adorationis supremae, quae Christi humanitati tribuitur, sit unio hypostatica, sequitur ejusmodi adorationem non terminari seu sistere in ipsa Christi humanitate, sed in Verbo, quod ei factum est subsistentia, ut loquitur s. Jo. damascenus.[1]

419. Animadvertendum II. est unum idemque esse adorare Christi humanitatem seu carnem, ac Christum, qui Deus-homo est. Non igitur adorari potest Christi humanitas in abstracto, sed in concreto, prout nempe in Verbo subsistit, adeoque totus adoratur et integer Christus, qui profecto in partes discerpi nequit.

420. His praemissis, propositionis enunciatae veritatem adstruimus tum ex sacris litteris, tum ex perpetua et constanti traditione, tum denique ex ratione theologica.

421. Ac primo sacrae litterae Christo deferendum atque delatum esse supremum hunc cultum aperte docent. Apostolus scribit[2]: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes*

[1]) *De fide,* lib. III. cap. 8. [2]) Hebr. I. 6.

angeli Dei. Sane caecus natus sciscitanti Christo: *Tu credis in Filium Dei?* respondit [3]: *Credo, Domine, et procidens adoravit eum;* quem etiam Apostoli *videntes, adoraverunt.* [4] Agi porro in his de adoratione latriae exhibenda aut exhibita Christo homini-Deo tum ex contextu, tum ex universae ecclesiae sensu traditionali constat.

422. Patres proinde eos, qui Christo latriae cultum negabant, ut ariani plerique, aut qui Christo homini deferre eum recusabant ut apollinaristae, qui propterea catholicos *ἀνθρωπολάτρας* vocabant seu *hominicolas,* insectati sunt. Unanimi praeterea consensione Verbo incarnato latriae cultum asseruerunt. Sic inter caeteros scribit s. Augustinus enarrans verba Ps. XCVIII: *Adorate scabellum pedum ejus: fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra... Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est; et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Quibus in verbis pene exscripsit s. Ambrosium, et patefecit praxim universae ecclesiae in latriae cultu Christi carni deferendo. Huic adjicimus s. Jo. damascenum, qui rationem etiam theologicam affert scribens [5]: *Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus, quippe quae adoratur in una Verbi persona, quae quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Qua in re non creaturae servimus; non enim illam ceu nudam carnem adoramus, sed velut divinitati unitam, et quia duae ipsius naturae ad unam Dei Verbi personam reducuntur unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro.*

423. Ex quibus Damasceni verbis patet rationem theologicam hujus adorationis peti ex hypostatica unione, qua fit ut una ambarum naturarum persona sit; cumque terminus adorationis sit persona, exinde fit ut nos adoremus Verbum cum carne sua.

424. Quo dogmate constituto inquiri a scholasticis solet utrum praeter latriae cultum, qui Christi humanitati tribuitur ut in Verbo subsistenti, tribui eidem possit cultus *hyperduliae* prout mentis praecisione ea humanitas apprehenditur a Verbo distincta. Nobis videtur ejusmodi quaestionem otiosam esse nec ullum habere sensum; siquidem Christi humanitas sic apprehensa non est amplius humanitas Verbi. Deinde nulla est ratio cur excogitetur diversa ejusmodi adoratio, quasi nempe carni Christi non sufficeret cultus ipse latriae.

DIFFICULTATES.

425. Obj. 1. Latriae cultus deferri nequit creaturae, cujusmodi humanitas Christi est. 2. Hinc s. Augustinus: *Honoratur,* inquit [6], *homo Christus,*

[3]) Joann. IX. 38.
[4]) Matth. XXVIII.
[5]) *De fide,* lib. III. cap. 8.
[6]) *Tract.* XXII. *in Joann.* n. 13.

sed non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundum hoc dixit: Pater major me est. 3. Et s. Cyrillus Alex. *Anathematismo* XII. contra Nestorium, affirmat *nefas esse hominem assumptum cum Deo Verbo adorare.* 4. Unio hypostatica efficit humanitatem colendam esse cultu relativo, jam vero cultus latriae semper absolutus est. 5. Durandus censuit Christi humanitatem adorandam esse *per accidens.* Ergo.

426. Resp. Ad 1. *D.* Per se ac ratione sui, *C.* ratione Verbi divini, in qua humana Christi natura subsistit, *N.* Adoratur enim Verbum in carne sua cultu latriae.

427. Ad 2. *D.* Spectata humanitate in se ipsa, *C.* subsistente in Verbo, *N.* In concreto enim s. Doctor constanter divinos honores Christi humanitati vindicat, ut patet ex allegatis ejus verbis.

428. Ad 3. *D.* In sensu Nestorii dividentis personas, *C.* in sensu catholico, *N.* Semel enim sejuncta a persona divina humanitate Christi, nonnisi impie huic tribueretur latriae cultus. Jure igitur merito arguitur Nestorius a Cyrillo quod duplicem cultum vellet latreuticum invehere, alterum Verbo, alterum homini deferendum juxta illud ejusdem Nestorii effatum: *Propter gestantem gestatum veneror; propter latentem adoro spectabilem.* Cui anathematismum VIII. opposuit: *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, et connuncupari Deum, tamquam alterum cum altero... et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem impendit, juxta quod Verbum caro factum est; anathema sit.*

429. Ad 4. *Neg.* Cum enim per unionem hypostaticam facta sit caro illa caro Dei, Deum cum carne sua adoramus.

430. Ad 5. *D.* Id est, docuit Durandus Christi humanitatem non esse adorandam propter se sed propter Verbum, *C.* alio sensu, *N.* Voluit enim significare Verbum, cui hypostatico nexu conjuncta est humanitas, esse motivum hujus adorationis supremae, quam eidem impendimus.

PROPOSITIO II.

Cultus sacratissimi Cordis Jesu, prout ab apostolica Sede probatus est, atque in ecclesia catholica frequentari consuevit, pius est, et ab omni superstitionis labe immunis.

431. Propositio est *certa,* ut patet ex censura lata a Pio VI. in dogmatica Constit. *Auctorem fidei,* in propos. LXII. synodi pistoriensis: *Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat* (synodus) *velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata; falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa;* nec non propos. LXIII: *Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit* (synodus), *quod non advertant, sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae. Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum*

separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro; captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

432. Ex his porro liquet 1°. objectum cultus, de quo agimus, esse cor carneum seu physicum Christi Jesu seu personae Verbi incarnati; 2°. cultum hunc esse latriae; 3°. cultum istum prout ab apostolica Sede probatus est, ab omni prorsus superstitionis labe immunem esse.

433. Verum cum *objecto* nequit ejusdem cultus *motivum* confundi. Hoc vero multiplex est. 1°. Ipse Christus Cor suum sacratissimum nobis exhibuit, veluti sedem omnium piarum suarum affectionum, ad quas pro virili imitandas nos agit dulcissimis his verbis [1]: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* 2°. quia cor ex communi hominum sensu ac recepto loquendi usu, a Scriptura ipsa consecrato, symbolum amoris est, ac proinde Cor Jesu symbolum est immensae illius caritatis et amoris, quo tot tantaque pro nobis passus Christus est ad nos redimendos, ac pro nobis Eucharistiae sacramentum instituit Corporis ac Sanguinis sui; 3°. quia per hoc sanctissimi Cordis symbolum vehementer fideles incalescunt ad rependendum eidem Christo amorem et grati animi sensum pro tot beneficiis, quibus ab eo cumulati sunt. Et haec sunt quae substantiam, ut ita dicam, et spiritum constituunt ejusmodi devotionis et cultus, prout non semel rom. pontifices declararunt.

434. Ex objecti et motivi collectione seu unione exsurgit *materiale* et *formale* istius cultus; materiale enim est ipsum Cor Jesu, quod latriae cultu adoratur: formale est ratio ob quam speciali ratione prae reliquis corporis Christi partibus directe adoratur, prout in se spectatur, praecisione facta a reliquo corpore, non autem diviso aut avulso, ut hujus cultus adversarii calumniantur. Simul duo haec comprehenduntur in corde, quod est cultus objectum et symbolum amoris.

435. Cor itaque reale ac physicum Christi Jesu, quod objectum hujus devotionis et cultus est, juxta censuram proposit. pistoriensium, supremo latriae cultu esse adorandum in se; motivum vero ejusdem cultus certum suppeditare fundamentum, quo speciali ratione dirigatur adoratio ad Cor Jesu prout symbolum amoris Christi est; specialem demum hunc cultum, qui Cordi Jesu defertur, tum ratione sui tum ratione symboli pium ac immunem esse ab omni superstitionis labe, sic per partes ostendimus.

436. De fide est, ut ex demonstratis constat, integram humanitatem cum singulis partibus suis immediate cum persona Verbi unione hypostatica conjunctam esse, immo vi istius unionis subsistere, quae etiam ratio formalis est latriae cultus, qui eidem humanitati impendi debet. Igitur uti integra humanitas, sic Cor Jesu cultu latriae debet adorari. Sane pars istius humanitatis, scilicet corpus, quod exsangue in triduo mortis Christi, et Sanguis

[1]) Matth. XI. 29.

etiam a corpore separatus, erant objectum adorationis ob eorum subsistentiam in persona Verbi, quidni igitur Cor Jesu in se spectatum, prout est cor personae divinae adorandum non erit latriae cultu? Hoc adeo apertum est, ut neque ipsi adversarii impugnare potuerint. Ergo.

437. Motivum porro fundamentum praebere speciali cultui, qui dirigitur in Cor Jesu, non minus facile evincitur: etenim ejusmodi fundamentum suppeditat motivum, de quo loquimur, si proprium sit istius partis, ita ut eam a caeteris distinguat et illis commune non sit: hac enim de causa ecclesia jamdiu probaverat Officium et Missam *Quinque plagarum;* siquidem in Oratione, quae dicitur *Postcommunio,* sacerdos dicit: *Ut qui vulnera D. N. J. C. hodie devote colimus.* Ast quare specialis cultus erga vulnera Christi probatus est, nisi quia specialia motiva militant pro vulneribus, quae propria horum sunt nec caeteris corporis Christi partibus sunt communia? Atqui, uti vidimus, tria specialia motiva pariter peculiaria militant pro SS. Corde Jesu; ergo quemadmodum speciale festum et specialis cultus decretus est pro vulneribus Christi, ita speciale festum et specialis cultus decerni potuit erga sanctissimum Cor Jesu.

438. Demum specialem hunc cultum pium esse, ac ab omni superstitionis labe immunem, non est nisi dictorum consectarium. Si enim Cor Jesu per se adorabile est latriae cultu, si peculiaria motiva aperte ostendunt Cor istud prae caeteris corporis illius sanctissimi Christi Jesu esse colendum, utpote illis non communia, plane consequitur specialem hunc cultum Cordis Jesu et pium esse et ab omni superstitionis labe immunem, prout, adversariis fatentibus, et pius et immunis a superstitione omni est specialis cultus qui defertur *quinque vulneribus* Christi.

439. Cum vero ex dictis ratio formalis adorationis Christi humanitatis aut alicujus ejus partis sit unio hypostatica, sequitur ipsam personam Verbi seu totum Christum adorari, dum aut humanitas ipsa aut peculiaris ejus pars adoratur, licet adoratio dirigatur specialius ad aliquam partem ob specialia motiva, adeoque dum adoratur Cor Jesu, adoratur Verbum in Corde suo. Et sic tollitur omnis suspicio divisionis.

440. Huc demum accedit ad dictorum confirmationem hujus cultus usus frequentissimus in universa ecclesia, ac plurium indulgentiarum largitio facta a rom. pontificibus hujus devotionis cultoribus: nam non sine insigni temeritatis nota ecclesiam universam et summos ejus pontifices quispiam accusabit, quod foverint cultum superstitiosum et Deo indignum.

DIFFICULTATES.

441. I. Obj. 1. Contra Sedis apostolicae mentem est cultus realis ac physici Cordis Jesu, quae non probavit nisi cultum cordis symbolici. 2. Id non semel ipsa declaravit, tum nempe in decreto, quod pro hoc cultu dedit sacra Rituum Congregatio, die 6. Febr. 1765. quo edixit per ejusmodi cultum *symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo Unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam*, tum in Lect. III. sec. Nocturni hujus festi illis

verbis: *Quam caritatem ... ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII. ejusdem SS. Cordis festum, quibusdam petentibus ecclesiis, celebrare permisit.* 3. Nec ab his dissentit Card. Gerdilius. Ergo.

442. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim s. Sedes probavit cultum ab episcopis Poloniae et ab Archiconfraternitate in Urbe sub titulo Cordis Jesu erecta petitum; probavit cultum, quem antea probare recusaverat; probavit cultum, jam longe lateque in ecclesia receptum; atqui, ipsis adversariis fatentibus, hic cultus est Cordis veri et realis Christi Domini. Sane nisi ita esset, eum minime impugnassent anticardiani. Demum omne dubium circa verum hujus cultus objectum sustulit Pius VI. in allata censura prop. LXIII. synodi pistoriensis.

443. Ad 2. *D. Symbolice,* per ipsum Cor quod simul symbolum est amoris, *C.* ad Cordis realis exclusionem, *N.* Scilicet sacra Rituum Congregatio complexa est objectum materiale et formale hujus cultus, quod simul habetur, juxta dicta, in Corde Jesu; ideo enim colitur speciatim Cor Jesu, quia symbolum caritatis est. Idem dic de Lectione objecta, quae habetur in Officio hujus festi; siquidem in ea dicitur concedi festum Cordis Jesu, quod symbolum est caritatis, jam vero symbolum distinguitur a re significata, cum nihil sit symbolum sui ipsius; praesertim cum ibid. dicatur concedi festum *quibusdam petentibus ecclesiis;* ecclesiae porro non petierunt cultum mere symbolicum, ut fatetur ipse Blasius adversarius noster et Grégoire episcopus jansenianus. Demum hic sensus patefit tum ex lectione s. Bernardi, in qua est sermo de *Corde* Jesu *vulnerato*, et ex hymnis ejusdem officii, in quibus exhibetur ut objectum cultus Cor *vulneratum, percussum lancea et ex quo aqua manavit et sanguis;* nescio porro utrum ex symbolo ideali scaturire umquam possint sanguis et aqua, illudque percuti lancea, etc.

444. Ad 3. *Neg.* Hoc est apertum mendacium; cl. Gerdilius immo impugnavit notas, quas Feller opposuit censurae Pii VI. in quibus verum hujus cultus objectum impetitur.

445. II. Obj. Semel admisso cultu realis Cordis Jesu, sequeretur 1. exhiberi cultum materialem directum ad determinatam partem corporis Christi; 2. introduci nestorianismum per uniuscujusque naturae divisionem tribuendo alteram adorationem Deo, alteram homini contra ecclesiae doctrinam; 3. Dei cultum fore secundarium et concomitantem cultum novae hujus devotionis. Ergo.

446. Resp. Ad 1. Vel *Neg.* vel *D.* Si cultus, qui tribuitur sanctissimae Christi humanitati aut ejus parti, materialis dici posset, *C.* si sine impietate id dici nequeat, *N.* Eadem porro ratio formalis cultus, qui tribuitur Cordi Christi, militat pro singulis ejus partibus, scilicet unio hypostatica. Dum colitur Cor Jesu, colitur Cor Verbi seu personae divinae, uti diximus. Adeoque merito haec propositio censura notata est a Pio VI. in allegata Constitutione.

447. Ad 2. *Neg.* Haec enim mera calumnia est. A Cordis Christi

cultoribus una eademque adoratione colitur Cor divini Verbi, seu potius persona Christi in Corde suo.

448. Ad 3. *Neg.* Si enim ex dictis colitur persona Verbi in Corde suo, jam patet non tribui cultum secundarium Deo; sed potius propter Deum, seu propter unionem hypostaticam adoratur Cor Jesu *in se* quidem, sed *non propter se.*

449. III. Obj. 1. Nulla est ratio adorandi partem, quae jam adoratur in toto, seu in Christi corpore; 2. nec apparet quomodo dirigi possit cultus ad Cor, quin laniatio ac discerptio quaedam introducatur in ejusdem Christi corpus; 3. et quare Cor potius quam oculi, pedes, aut manus colatur, ut arguebat Benedictus XIV. 4. Accedit falsum esse ex physiologia cor esse humanarum affectionum sedem, cum cor sit musculus sine nervis et centrum systematis vascularis seu sanguinei, systema vero nerveum sit sensationum ac proinde affectionum principium et organum, quo anima utitur; porro nervei systematis centrum cerebrum est, aut spina dorsalis aut diaphragma; melius proinde institueretur festum sacri cerebri, spinae dorsalis, diaphragmatis, unde istorum cultores dicerentur *cerebellistae, pinealistae,* etc. 5. Quare hic cultus incognitus fuit toti antiquitati; 6. nova ejus introductio ubique turbas excitavit; 7. ter a sacra Congregatione rejectus, donec factiosorum machinationibus extorta approbatio est. 8. Jure proinde hi superstitiosi cultores dicti sunt *cordicolae, cardialatrae, sectarii.*

450. Resp. Ad 1. *D.* Si specialia motiva non haberentur, quare haec peculiaris pars colatur, *C.* si haec adsint, *N.* Haec motiva recensuimus; hinc eadem ratione, qua ob specialia motiva coluntur quinque vulnera, colitur etiam Cor Jesu.

451. Ad 2. *D.* Si excluderentur ab adoratione reliquae corporis partes, *Tr.* vel *C.* si sola mentis praecisione fertur adoratio in Cor personae Christi, *N.* Porro adoratur totus Christus in Corde suo.

452. Ad 3. Resp. Ideo prae oculis, pedibus, etc. colitur Cor, quia mysticam habet significationem; quia est amoris symbolum; quia a Christo ipso exhibetur tamquam sedes piarum suarum affectionum. Haec porro non habentur in oculis, pedibus, etc. Benedictus XIV. seu potius Prosper Lambertini pro munere suo promotoris fidei haec objiciebat, ad pontificatum evectus hunc cultum indulgentiis ditavit.

453. Ad 4. *D.* Et ratio, quae a nobis affertur, innititur principio physiologico, *N.* rationibus quas recensuimus, *C.* Numquam a sacra Congregatione vel ab aliis dictum est ideo peculiari cultu adorari Cor Jesu, quod sit sedes affectionum; sed ideo quia Christus exhibuit *tamquam* piarum affectionum sedem, quae longe diversa inter se sunt. Caeterum vere adversarii supinam patefaciunt ignorantiam physiologiae, dum haec obtrudunt. Etenim nunc exploratum est nervos neque a solo cerebro exclusive, nec a sola spina dorsali, neque a solo diaphragmate originem trahere, sed etiam a gangliis et plexibus peculiaribus veluti totidem centris; exploratum est cor innumeris prope nervis praeditum esse adeoque sensibilitate summa donari;

quae cum ita sint, patet quo in sensu haberi debeant scurrilitates adversariorum hujus cultus ab ecclesia probati.

454. Ad 5. *D.* Quoad festi celebrationem, *C.* quoad rem ipsam, *N.* Nam plures Sancti jamdiu specialem affectum erga Cor Jesu patefecerunt, ut ex vita s. Gertrudis, ex scriptis s. Bernardi, s. Francisci Salesii aliorumque notum est. Alioquin sub hoc praetextu plura alia festa deberent aboleri, qui cum primum instituta sunt, nova fuere.

455. Ad 6. *D.* Turbas excitavit apud jansenianos, *C.* apud sinceros catholicos, postquam praesertim hic cultus ab apostolica Sede probatus est, *N.* Multo plures excitarunt difficultates in festum immaculatae b. V. Conceptionis, et Ss. Corporis Christi, quae tamen evanuerunt.

456. Ad 7. *D.* Quae proinde agendi ratio prudentiam summam ac maturitatem s. Congregationis commendat, *C.* causae huic nocet, *N.* Sacra siquidem Congregatio ideo distulit probationem, quia nondum satis eliquatae erant difficultates, quae opponebantur; post maturum deinde examen hae dissipatae sunt, atque idcirco probavit, quod antea probare renuit. Nam quod adjicitur de machinationibus factiosorum, dimittimus adversariis s. Sedis.

457. Ad 8. *D.* Ad eum modum, quo olim catholici ab apollinaristis vocati sunt *anthropolatrae* seu *hominicolae*, *C.* secus, *N.* Si ad impugnandum cultum SS. Cordis Jesu placet adversariis causam communem agere cum perditissimis haereticis, ostendunt nihil ab ipsis habere catholicos piosque hujus Cordis cultores quod pertimescant, qui potius in instituto valide confirmantur.

CAPUT V.

DE CHRISTI TITULIS ATQUE MUNERIBUS.

458. Tituli ac officia, quae ex Scripturis Christo tribuuntur, profluunt ex hypostatica unione. Haec autem praecipua sunt capitis hominum et angelorum, prophetae, regis, judicis, sacerdotis, Dei hominumque mediatoris. Quatuor priores titulos, cum in controversiam non veniant, explanasse contenti erimus. Posteriores reliquos duos appositis propositionibus adversus socinianos vindicabimus.

459. I. Igitur Christus caput hominum dicitur et angelorum. *Hominum* quidem ratione animarum, in quas influit per gratiam suam sive actualem sive sanctificantem; ratione corporum, quia ea aliquando Christus a mortuis excitabit; ratione finis seu beatitudinis, ad quam homines ejus munere ordinati sunt. Qua ratione omnium omnino caput dicatur et sit sive in *potentia* sive in *actu*, sive pro *praesenti* vita, sive pro *futura*, exponit s. Thomas. [1] *Angelorum* praeterea Christum caput esse declarat Apostolus, scribens [2]: *Qui est caput omnis principatus et potestatis;* et rursum Ephes. I. 18. Nam angelis et dignitate praestat et potestate, suntque praeterea angeli *administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt*

[1]) Part. III. qu. 8. art. 3.

[2]) Coloss. I. 10.

salutis. [3] Quo fit, ut Christus ecclesiae caput sit, prout ea distinguitur in triplici suo statu militantis, purgantis et triumphantis.

460. II. Christum praeterea prophetam ac magistrum esse, qui homines coelestem plane doctrinam docuerit, omnia Veteris ac Novi Testamenti eloquia testantur.

461. III. Eidem denique regiam competere dignitatem, angelus b. Virgini patefecit, dicens de Christo Deo-homine [4]: *Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis;* atque interrogatus Christus ipse a Pilato, num esset rex? respondit [5]: *Tu dicis; quia rex sum Ego.* Christi autem regnum in terris inchoatur et in coelis perficitur. Cum regia dignitate adnectitur judiciaria potestas quam pariter Christus sibi vindicat, dum ait [6]: *Pater ... omne judicium dedit Filio;* et Petrus [7]: *Ipse est,* inquit, *constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum;* ut alia silentio praetermittam.

462. His igitur breviter delibatis, superest ut adversus socinianos catholicam tueamur doctrinam de Christi sacerdotio ejusque mediatione.

463. Circa sacerdotium sociniani contendunt Christum proprie in terris sacerdotem non fuisse, ejusque proinde mortem in cruce non fuisse sacrificium, sed praeparationem illius oblationis, quam Christus solum in coelis offerre coepit, ubi etiam quotidie interpellat pro nobis. Nam ex istorum theoria Christus post suam in coelum ascensionem vere sacerdos constitutus est, ibique solum munia obivit sacerdotalia, quae in sacrificii oblatione et intercessione cōnsistunt.

464. Sic etiam contendunt Christum improprie mediatorem esse, quatenus ipse velut internuncius ac sequester inter Deum et homines eos sibi invicem conciliat, atque apud Deum ut intercessor et advocatus est. Hac ratione sibi viam sternunt ad satisfactionem ab ipso exhibitam pro peccatis nostris eliminandam. Exitialibus istis erroribus doctrinam catholicam opponimus insequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Christus verum ac proprie dictum habuit sacerdotium ejusque munia in mortali etiam vita complevit.

465. Utraque propositionis pars ad fidem pertinet, doctrinamque continet catholicam, quam Tridentinum asseruit, Sess. XXII. can. I seqq.

466. Ac primo Christum vere et proprie ab ipso Incarnationis instanti sacerdotem fuisse non quidem secundum ordinem leviticum, sed secundum ordinem Melchisedech, aperte praenunciavit David illis verbis [1]: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* idque declaravit Apostolus [2], qui

[3]) Hebr. I. 14.
[4]) Luc. I. 33.
[5]) Joann. XVIII. 37.
[6]) Ibid. V. 22.
[7]) Act. X. 42.
[1]) Psalm. CIX. 4.
[2]) Hebr. V. et seqq.

ei non solum allegatum davidicum applicat oraculum, sed praeterea *primo* ostendit quibus potissimum rebus Melchisedech Christi sacerdotium adumbraverit, *nomine* scilicet, *persona* et *oblatione; secundo* praeeminentiam hujusce Christi sacerdotii super sacerdotium aaronicum fuse prosequitur.

467. His non contentus Apostolus, postquam docuit duo praecipua sacerdotium munia complecti, sacrificii scilicet oblationem atque intercessionem, dicens: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,* pergit ostendere quomodo Christus utrumque munus in mortali vita sua obierit.

468. Nam de sacrificio, quod praecipuum est, haec habet in cit. Epist. cap. IX. 11. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum... Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* His verbis Apostolus comparat pontificem veteris legis cum pontifice novae legis, Christo, ut quemadmodum ille per singulos annos, immolato sacrificio legali, ingrediebatur in Sancta Sanctorum ad offerendum effusum victimarum sanguinem, quas immolaverat, ita Christus, immolato vitae suae sacrificio in cruce, ingressus est coelum ad offerendum sanguinem in cruce effusum. Jam vero in illa victimarum immolatione sacerdos veteris legis verum offerebat sacrificium, seu praecipuum hoc sacerdotii munus obibat, sic ex Apostolo Christus verum obtulit sacrificium in morte sua cruenta, adeoque munus praecipuum sacerdotii sui in mortali vita sua obivit; antequam scilicet ingrederetur ad sanguinem suum offerendum in coelum.

469. Prosequitur Apostolus, ibid. v. 24: *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit... sed in coelum ipsum... Neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, nunc autem semel in consummatione saeculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium; sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Quatuor hic complexus est Apostolus, quae necessario postulant Christum in mortali adhuc vita verum et proprie dictum sacrificium obtulisse in morte sua. Etenim 1°. assumit Apostolus Christum nonnisi semel obtulisse semetipsum, adeoque loquitur de oblatione seu sacrificio in cruce peracto, non autem in coelo ubi jugiter se ipsum offert; 2°. assumit ideo Christum semel obtulisse seipsum, quia alioquin oportuisset eum frequenter pati, pro certo igitur habuit Christum in oblatione sua passum esse; porro passus Christus est in terris, non autem in coelo; 3°. assumit Christum per *hostiam suam apparuisse,* jam vero dum in coelum receptus est, non apparuit, sed ab oculis nostris potius se eripuit, apparuit autem per hostiam in cruce;

4°. assumit Christum oblatione sua peccata multorum exhausisse, seu delevisse; porro teste Petro [3], id praestitit Christus in cruce moriendo. Ex doctrina igitur Apostoli luculenter evincitur non solum Christum in mortali vita sua verum sacerdotem fuisse, verum etiam et in eadem mortali vita praecipuum sacerdotii munus per sui ipsius sacrificium obivisse.

470. Quod vero ad alterum sacerdotii munus seu ad intercessionem spectat, eo pariter Christum in mortali vita sua perfunctum esse praeter alia, constat ex celebri oratione, quam pridie mortis ipse effudit, quamque refert Joannes, cap. XVII.

471. Utrumque autem munus in terra inchoatum, Christum in coelo perficere per jugem sacrificii mortis suae oblationem et intercessionem, qua interpellat pro nobis, nemo est qui dubitet. Inquiri tantum solet, in quo praecise hujusmodi Christi intercessio consistat; alii, inter quos s. Augustinus [4], censent vere Christum oratione intercedere pro nobis; alii vero communius censent in sola praesentia et applicatione meritorum suorum eam sitam esse, eo quod statum gloriosum Christi dedeceat veram orationem ac interpellationem.

472. Cum quaeritur, qua ratione Christus fuerit sacerdos, an prout Deus, an vero prout homo est, haeretici juxta principia a se adoptata diversimode respondent; ariani siquidem ut constituant Filium diversum a Patre natura esse ac inferioris conditionis, autumant Christum fuisse sacerdotem ut Deum; nestoriani e contra volunt sacerdotem fuisse ut hominem. Catholici hos errores declinantes ex principio quod vi Incarnationis Christus fuerit sacerdos, concludunt esse sacerdotem ut Deum-hominem; quatenus enim Christus homo est, ut *principium quod* perfunctus est ac perfungitur muniis sacerdotalibus exhibens materiam; quatenus est Deus eisdem tribuit ut *principium quo* valorem ac pretium infinitum. Hoc feliciter expressit Virgilius scribens [5]: *Quia reconciliationis sacramentum, immaculatum flagitabat sacrificium, talis hostia requirenda fuerat, quae ita media esset inter Deum et homines, ut et morti succumberet per illud, quod hominis habebat, et mortem revinceret per id, quod in se divinitatis tenebat.*

DIFFICULTATES.

473. I. Obj. 1. Apostolus, Hebr. X. 5 et 7. de illa loquitur oblatione, quae facta est in ingressu ejus, quando sacrificia legalia abolita sunt; at ille ingressus non est, qui contigit in ortu Christi, nam tunc abolita non sunt sacrificia mosaica, ergo est ille, quo intravit in coelum. 2. Tunc Christus factus est sacerdos, cum ei dictum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* atqui teste Paulo [6] in resurrectione id Christo dictum fuit a Patre.

[3]) I. Ep. cap. II. 24.
[4]) *Enarr. in Ps.* LXXV. n. 1.
[5]) *Contra Eutychen,* lib. V.
[6]) Act. XIII. 33; Rom. I. 4. collat. Hebr. V. 5.

3. Sed absque ambagibus idem Apostolus negat Christum cum adhuc in terris degeret sacerdotem fuisse, scribens [7]: *Si* Christus *esset super terram, nec esset sacerdos; cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbrae deserviunt;* adeoque neque super terram obtulit sacrificium, sed solum in coelis. 4. Ibid. VII. 26. *debuit* Christus *Pontifex sublimior coelis fieri,* in coelis igitur prius esse debuit quam sacrificium offerret. 5. Ostendit, ibid. v. 24. ideo Christum sempiternum esse sacerdotem, quia semper in coelis interpellat pro nobis; quod falsum esset, si Christus in cruce sacrificium pro peccatis nostris obtulisset. 6. Accedit, Christum numquam sibi vindicasse sacerdotium. Ergo.

474. Resp. Ad 1. *Neg. min.* Siquidem Apostolus ipse, scribit [8]: *Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Coarctari autem non debet ejusmodi Christi in mundum ingressus ad individuum instans, quo conceptus aut natus est, sed protenditur ad totam ejus mortalem vitam. Sacrificia porro legalia in morte Christi abolita sunt.

475. Ad 2. *N.* Nec enim Apostolus id asserit, sed solum docet Christum factum esse sacerdotem *ab eo,* qui *dixit ei: Filius meus* etc., non autem *tunc* aut *quando* id ei dictum est. Ideo vero Apostolus in allegatis locis applicat Christo verba adducta cum excitatus a mortuis est, quia per resurrectionem maxime patefacta est naturalis Christi filiatio. Nam jamdiu ante resurrectionem Pater declaraverat Christum Filium suum esse. Haec porro filiatio fundamentum fuit et sacerdotii ac resurrectionis Christi.

476. Ad 3. *N.* Ad prob. *D.* Quatenus esset Christi sacerdotium ejusdem ordinis et praestantiae ac sacerdotium leviticum, *C.* si alterius ordinis et praestantiae sit, *N.* Totus in eo est Apostolus, ut supra aaronicum extollat sacerdotium Christi, atque inter caetera argumenta et illud affert, quod si Christi sacerdotium ejusdem ordinis ac praestantiae esset ac sacerdotium leviticum, esset prorsus inutile.

477. Ad 4. *D.* Munere sacerdotali praecipuo in terra expleto, *C.* hoc non expleto, *N.* Docet scilicet Apostolus debuisse pontificem nostrum excelsiorem coelis fieri, ut ibi jugiter offerret, seu verius applicaret pretium sacrificii oblati.

478. Ad 5. *D.* Per applicationem, ut modo diximus, sacrificii oblati, *C.* per meram interpellationem, *N.* Sic componuntur et veritas sacrificii in cruce oblati, et efficacia ejusdem infinita in jugi ipsius applicatione; item virtus sacrificii in exhauriendis peccatis omnibus, et eorumdem peccatorum in singulis individuis deletio.

479. Ad 6. *N.* Etenim hoc ipso, quod Christus sibi applicaverit Ps. CIX. in quo aperta fit mentio sui sacerdotii, se sacerdotem declaravit. Naturam et proprietatem et officia hujus sacerdotii exponit deinde Apostolus in tota ad Hebraeos Epistola.

[7]) Hebr. VIII. 4. [8]) Ibid. X. 5.

480. II. Obj. In catholicorum hypothesi 1. Christus contra omnium sacrificiorum naturam simul fuisset hostia et sacerdos. 2. Hostia non a sacerdote sed a profanis tortoribus mactata fuisset. 3. Nec obest quod Christus patienter immo voluntarie mortem sustinuerit; nam et martyres omnes voluntarie mortem pro Christo tolerarunt, quin illorum mors verum ac proprie dictum sacrificium dici possit. Ergo.

481. Resp. Ad 1. *D.* Quia id fert singularis natura sacrificii Christi, *C.* secus, *Tr.* Nam ex Apostolo [9], hoc sibi peculiare vindicat sacrificium Christi, ut ipsemet fuerit simul sacerdos et victima, et sic discriminatur a sacrificiis omnibus, maximeque commendatur. Hoc ipsum proinde semper tenuit ecclesia, ut liturgiae omnes testantur. In coelo ipso idem est sacerdos et victima, fatentibus socinianis.

482. Ad 2. *D.* Tortores fuerunt instrumenta, quibus usus est Christus, *C.* fuerunt veri immolatores aut mactatores, *N.* Nempe Christus pro vehementissima, qua erga homines flagrabat caritate, immolavit seipsum; *oblatus est, quia ipse voluit,* ac tortoribus uti instrumentis usus est ad se immolandum; major siquidem infinite fuit caritas Christi morientis quam crucifigentium iniquitas.

483. Ad 3. *Nego paritatem.* Nec enim martyres instituti erant sacerdotes ad offerendos se ipsos in veri nominis sacrificium, prout fuisse Christum, testatur Apostolus. [10]

PROPOSITIO II.

Christus Jesus veri nominis mediator fuit.

484. Et haec propositio ad fidem spectat, quam constanter ecclesia catholica professa est. Cum Christus dicitur mediator veri nominis, significatur eum talem esse natura et officio; natura, quatenus ipse Deus-homo est, seu naturae participat utriusque, quorum mediator est, Dei scilicet et hominis; officio, quatenus uti sponsor ac redemptor, soluto pretio, pro peccatis nostris satisfecit. Sociniani, qui negant Christum Deum esse, et se ipsum in pretium dedisse, coguntur inferre, Christum non fuisse mediatorem nisi improprie, uti est sequester, arbiter et advocatus.

485. Jam vero Apostolus: *Unus Deus*, scribit [1], *unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quibus verbis declarat Christum utraque de causa a nobis assignata mediatorem exstitisse, natura scilicet et munere seu officio. Hinc s. Augustinus: *Mediator,* inquit [2], *inter Deum et homines oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in utroque hominibus similis longe esset a Deo, aut in utroque Deo similis longe esset ab hominibus, atque*

[9]) Hebr. IX. 11 et 12.
[10]) Ibid. X. 5.
[1]) I. Tim. II. 5, 6.
[2]) *Confess.* lib. X. cap. 42.

ita mediator non esset. Sic caeteri Patres graeci ac latini loquuntur apud Petavium. [3]

486. In mediatione distingui debet *persona* mediatoris a mediationis *opere;* ad mediatorem proprie dictum constituendum, in re de qua agimus, requiritur concursus, ut praemisimus, utriusque naturae. *Opus* autem mediationis posuit sola humana natura in Verbo subsistens, haec enim sola potuit pati ac mori seu pretium solvere; natura vero seu persona divina non contulit nisi dignitatem et valorem ejusdem operis.

487. Ex his patet Christum nec praecise fuisse mediatorem ut Deum, prout contendebant ariani, nec ut hominem solum ut cum Franc. Stancharo contendunt sociniani, sed ut Deum-hominem, ut perpetuo docuit ecclesia catholica. Juxta hanc doctrinam evanescit difficultas illa, qua Stancharus permotus est ad asserendum ideo Christum fuisse mediatorem ut hominem, ne, si diceretur etiam ut Deus, foret mediator sui ipsius: siquidem fuit uti secunda divina persona mediator, prout haec in concreto regit naturam humanam, quae pretium contulit, quaeque obedivit, passa et mortua est; persona autem divina fuit conditio tantum sine qua natura humana nec potuisset subsistere, nec praestare quae ad mediationis opus necessaria sunt, nec habere dignitatem ac valorem, qui ad tale opus requiritur.

488. Quando proinde ab antiquioribus Patribus Verbum ante incarnationem mediator dicitur, intelligi id debet de mediatione improprie dicta.

489. Cum praecipuae difficultates adversus assertam thesim peti soleant ex satisfactione, ideo eas solvendas distulimus in caput insequens.

CAPUT VI.

DE CHRISTI SATISFACTIONE ET MERITO.

490. *Satisfactio*, si vim nominis spectes, idem valet ac facere quod satis est erga alterum: *Sive est rei debitae integra solutio* juxta Catechismum romanum. [1] Res autem debita aut *realis* aut *personalis* est; debitum *reale* illud est, quod exsurgit ex re aliqua, e. gr. pecunia, qua erga aliquem obstringimur; *personale* est illud, quod oritur ex injuria alteri illata. Nos de satisfactione loquimur personali, qua scilicet tantum alteri praestatur, quantum animo irato ad ulciscendam injuriam satis esse potest. Quo sensu satisfactio est injuriae alteri illatae compensatio.

491. Satisfactio haec personalis potest esse aut presse aut large sumpta. Presse seu proprie sumitur, cum qui satisfacit, illatam injuriam ad justitiae rigorem per compensationem reparat; large seu improprie accipitur, cum ex benignitate potius partis laesae, quam ex vi praestitae reparationis, injuriae venia datur.

492. Quaestio agitatur inter socinianos eorumque surculos, quackeros, methodistas ac rationalistas, atque catholicos, num Christus vere et proprie

[3]) Lib. X. cap. 42.

[1]) Part. II. cap. 5. §. 92.

satisfecerit, an vero large ac improprie. Sociniani cum reliquis enumeratis haereticis ex proprio principio, quod Christus non sit nisi denominative Deus, non natura, inferunt nonnisi improprie eum pro nobis Deo satisfecisse, quatenus 1°. partibus sibi a Deo impositis ad salutem hominum procurandam expletis, ab ipso gratuitam peccatorum nostrorum relaxationem obtinuerit; 2°. deinde partes Salvatoris *praeconio* et *consilio* egerit annunciando hominibus salutis viam, atque exemplo praeeundo; 3°. demum doctrinam suam morte confirmaverit consulens sic utilitati nostrae.

Catholici e converso ex principio, quod Christus verus ac naturalis Filius Dei sit, colligunt eum satisfactionem veri nominis seu proprie dictam Deo exhibuisse, quatenus ipse 1°. salutis nostrae pretium ex justitiae legibus Deo persolverit; 2°. ut verus ac proprie Salvator noster reipsa nos opere ac merito redemerit; 3°. suffectus denique in nostrum locum fuerit ad poenas peccatis nostris debitas sustinendas.

493. Peccatum enim, cui expiando Christus venit, triplicem habet respectum. Nam 1°. est *debitum*, quo divinae justitiae obligamur; 2°. est *injuria*, quae inimicitiam inducit inter Deum et homines; 3°. est *crimen*, quo rei evadimus mortis ac aeternae damnationis. Peccatores proinde in Scripturis passim *debitores* vocantur, *inimici* atque *rei*. Deus propterea 1°. est *creditor*, cui debetur; 2°. est *pars offensa*, quae est placanda 3°. est *judex*, qui poenam repetit.

Ad satisfactionem idcirco proprie dictam tria requirebantur: 1°. debiti solutio; 2°. irae divinae placatio; 3°. reatus expiatio. Jam vero ad debiti solutionem exigebatur sponsor, qui pro nobis impotentibus debitum solveret; reparator, qui nos cum Deo reconciliaret; sacerdos et victima, qui se pro nobis substitueret, ac peccata nostra expiaret.

494. Haec autem praestari a Christo non poterant, quin actiones ejus fuerint meritoriae. Meritum autem est *nexus operationis liberae ad retributionem. Retributionis* nomine venit tum poena, tum praemium, tum merces; operis enim liberi connexio esse potest apud alium vel ad poenam, vel ad praemium, vel ad mercedem. *Nexus* liberae operationis ad retributionem exsurgere potest vel ex decentia, vel ex pacto vel ex manifesto impleti operis jure apud retributorem, ita ut si retributio non daretur, laederetur jus aut justitia in observatione juris posita. Si nexus ex decentia tantum oriatur, cum haec desumatur potius ex liberalitate retributoris quam ex vi operis, meritum inde proveniens dicitur *de congruo;* quod si oriatur vel ex pacto, vel ex vi liberi operis positi, vel ex justitia, tunc meritum dicitur *de condigno*, ac proprie meritum vocatur.

495. Rursum meritum aut naturale est, aut supernaturale. Illud habetur, cum opus naturae viribus positum est; istud autem, cum auxilii supernaturalis viribus liberum est patratum, multo vero magis si ab ipso auxilii supernaturalis auctore prodierit.

496. Exinde inferimus Christi actiones ad salutem nostram positas vere fuisse meritorias de condigno, cum nullae ex recensitis conditionibus defue-

rint, quae ad tale meritum requiruntur. Siquidem in operante fuit libertas, in opere fuit sanctitas, ac promissio in retribuente. De sanctitate nemo dubitat, de libertate suo loco diximus, de promissione patet ex Is. LIII. 10: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.* Ex quibus Isaiae verbis constat Christum passione sua non solum sibi, sed nobis etiam meruisse. Hinc a conc. tridentino Christus dicitur *nostrae justificationis causa meritoria.* [2]

497. Hic constitutis jam accedimus ad hanc Christi satisfactionem adversus socinianos vindicandam, praetermissis minus necessariis scholasticis quaestionibus circa ejusdem satisfactionis proprietates et conditiones, de quibus illi theologi subtiliter disputant.

PROPOSITIO.

Christus vere et proprie pro nobis divinae justitiae satisfecit.

498. Ad catholicam fidem haec propositio pertinet in omnibus fidei symbolis tradita, estque totius spei christianae fundamentum.

499. Ita porro ejus veritatem evincimus: Ille vere et proprie pro nobis satisfecisse dicendus est, qui 1°. semetipsum hostiam expiationis ut sacerdos immolavit; 2°. qui peccata nostra in se uti sponsor suscepit ac luit; 3°. qui nos sanguine suo redemit; 4°. qui denique nos uti mediator cum Deo reconciliavit eumque placavit. Atqui haec praestitit Christus. Ergo.

500. Quod Christus ut victimam piacularem se immolaverit, evincunt quae de ejus sacerdotio, ejusque in cruce sacrificio disseruimus.

501. Peccata vero nostra Christum uti sponsorem in se luenda suscepisse, ut secundo loco diximus, ex utriusque foederis simul collatis testimoniis aperte adstruitur. Etenim Isaias cap. LIII. Christum Messiam perhibet dolores ac peccata nostra portantem, ob haec vulneratum, attritum ac morti traditum, ut nos sani seu liberi ab iis efficeremur; Christus igitur non ob iniquitates aut peccata sua doloribus ac morti objectus est, cum ipse nulla habuerit, sed propter peccata nostra tot perpessus est, quae in se luenda suscepit. Talem esse praeclari hujus vaticinii sensum praeter orationis seriem et traditionalem judaeorum expositionem, declarat apostolus Petrus, qui loquens de Christo, sic prophetae sententiam exponit [1]: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus, cujus livore sanati estis.* Hoc ipsum confirmat Paulus, scribens [2]: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso;* et Gal. III. 13: *Christus,* inquit, *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus homo, qui pendet in ligno.* Porro non alio sensu Christus *peccatum* aut *maledictum* factus *pro nobis* dici potest, nisi quatenus suffectus est nobis,

[2]) Sess. VI. cap. 7.
[1]) I. Ep. II. 24.
[2]) II. Cor. V. 21.

quibus ob peccata ac legis transgressionem poenae ac maledictio debebantur, quas ipse in se luendas suscepit.

502. Christum praeterea suo nos sanguine redemisse, uti tertio loco constituimus, non minus aperte Scripturae testantur. Nam Apostolus scribit [3]: *Qui dedit semetipsum redemptionem* (graece *pretium redemptionis*) *pro omnibus;* et ad Tit. II. 14: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate,* ac luculentius adhuc Petrus id ipsum docet, scribens [4]: *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, Christi.* Unde sic ille vere nos redemisse a peccatis nostris dicendus est, qui semetipsum ac sanguinem suum in pretium dedit redemptionis, sicut aurum et argentum in pretium dantur rei temporalis ac venalis; atqui ex adductis testimoniis Christus se ac sanguinem suum dedit. Ergo.

503. Deum denique Christum uti mediatorem placasse, eumque nobis reconciliasse ex constitutis ac vindicatis sequitur. Ideo enim Deus iratus nobis erat poenasque a nobis exposcebat, quia peccatis eramus obstricti; cum igitur Christus ad haec expianda se ipsum victimam in sacrificium obtulerit, cumque ad ea luenda se in locum nostrum suffecerit, atque ea sanguine eluerit et plene sustulerit, placari Deus nobiscum debuit atque reconciliari. Hinc talem passionis Christi fructum ubique Scripturae commemorant. *Cum inimici essemus,* scribit Apostolus [5], *reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus;* et: *In ipso* (Christo), inquit [6], *complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt;* ut alia omittam.

504. Et haec quidem ex Scripturis; ad Patres vero quod attinet, in catholica eos fuisse de satisfactione sententia nec ipsi adversarii abnuunt. Sane quin singillatim illorum proferamus testimonia, satis id evincunt principia, quae Patres professi sunt. Statuunt enim illi 1°. nullam creatam rem parem ac idoneam ad satisfaciendum Deo fuisse pro originali caeterisque peccatis, ideoque non alium, quam qui Deus esset, intervenire debuisse; 2°. Christum Jesum mediatorem nostrum non solum plene sed cumulate Patri satisfecisse pro omnibus delictis, ac proinde non modo infinitam, sed quodammodo infinita uberiorem fuisse meritorum Christi amplitudinem; 3°. infinitam ejusmodi meritorum Christi aestimationem ex eo provenisse, quod operationes ejus propriae essent personae Verbi incarnati; 4°. secundam potius decuisse SS. Trinitatis personam carnem assumere, *ut ille nos redimeret, qui creavit,* ut loquitur s. Ambrosius. [7] Concludunt 5°. non minorem ad hominem redimendum potentiam requiri quam ad creandum, infinitam scilicet. Singulorum testimonia, quae huc referuntur, collegit solerter Petavius. [8]

505. Id ipsum demum adstruimus saltem indirecte ex absurdis, quae

[3]) I. Tim. II. 6.
[4]) I. Ep. I. 18.
[5]) Rom. V. 10.
[6]) Coloss. I. 19.
[7]) ***De fide,*** lib. III. cap. 2. n. 8.
[8]) Lib. XII. cap. 9.

in hypothesi sociniana sequerentur. Nam si Christus ad suam tantum doctrinam confirmandam, exemplumque praebendum mortuus esset, 1°. non magis quoad rei substantiam profuisset quam martyres, qui mortem obierunt ad doctrinam divinitus datam confirmandam, et ad constantiae exemplum exhibendum; 2°. non magis Christi morti, quam ejus miraculis, resurrectioni aut ascensioni redemptio tribui posset; 3°. adeoque nos scriptores sacros decepisse, dum redemptionem nostram seu expiationem peccatorum poenarumque peccata consequentium constanter Christi morti tribuunt, ut reipsa contendunt rationalistae, qui pro impietate sua docent scriptores sacros vim expiatoriam praedicasse mortis Christi, ut sic magistri sui honori consulerent, ac supplicii infamiam ab eo removerent, quasi Isaias idipsum longe antea non praenunciaverit. Quae quidem absurda sunt adeo, ut nonnisi a perditis hominibus admitti possint.

506. Cum igitur ex Scripturis ac traditione universa Christus quatuor illa praestiterit, quae ad veri nominis satisfactionem requiruntur ac sufficiunt, cumque ejusmodi satisfactio rejici nequeat, quin tota labefactetur Incarnationis oeconomia, doctrinaque christiana universa; merito concludimus illam vere et proprie Christum Deo exhibuisse, prout ostendendum assumpsimus.

DIFFICULTATES.

507. I. Obj. 1. Colligi nequit Christum vere et proprie Deo pro nobis satisfecisse, ex eo quod legatur eum portasse peccata nostra; id enim improprie dicitur, ut constat ex Exod. XXXIV. 7; Num. XIV. 18. ubi legitur Deum portasse peccata populi israelitici, nempe patienter cum eo agendo, aut ei condonando, prout declarat Matthaeus, cap. VIII. 16 et 17. qui cum retulisset sanationes a Christo factas, subdit id factum esse, *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit*, non eas suscipiendo, sed alios sanando, cujus rei typus fuit hircus emissarius, qui dicebatur portare peccata populi. 2. Neque id melius conficitur ex eo quod Christus dicatur nos redemisse; nam passim in Scripturis *redemptio* improprie sumitur, hoc vero sensu Christi redemptionem intelligendam esse, suadent tum redemptiones typicae a captivitate aegyptiaca et babylonica, quae jamdiu praecesserant; tum ratio, qua diabolo venditi sumus, nempe gratis; gratis igitur redimendi eramus, cum venditio ac redemptio relativae sint. Alioquin pretium persolutum esset diabolo, qui, Apostolo teste [9], homines captivos detinebat, quo nihil absurdius. 3. Nec juvat particula *pro*, qua interdum utuntur Scriptores sacri loquentes de Christi redemptione, nec enim ea substitutionem importat sed meram utilitatem; fideles jubentur, animam suam *pro* fratribus ponere [10]; Apostolus profitetur se adimplere quae desunt passionum Christi *pro* ecclesia [11]; nec alia vis est graecae particulae *ὑπέρ*, latine *pro*. 4. Prout nec juvat quod

[9]) II. Tim. II. 26.
[10]) I. Joann. III. 16.
[11]) Coloss. I. 24.

dicatur Christum nos Deo reconciliasse, siquidem, scribit idem Apostolus [12]: *Posuit in nobis verbum reconciliationis;* per satisfactionem? Absit, sed per praeconium. Ergo.

508. Resp. Ad 1. *D.* Si catholici id colligerent ex sola vi verbi *portandi, C.* si ex contextu et omnibus adjunctis, *N.* Jam vero catholici veram significationem hujus vocis colligunt ex modo, quo dicitur de Christo; nam Scripturae eo sensu referunt Christum tulisse seu peccata nostra portasse, ut propterea fuerit *vulneratus et attritus,* quae profecto de Deo non dicuntur. Nec obstat quod ex Matthaeo de hirco emissario dicitur; Matthaeus enim vaticinium Isaiae ideo ad Christum sanantem infirmitates applicavit, eo quod Christus peccata, quae infirmitatum nostrarum causa sunt, ut exponit s. Joann. Chrysostomus, in se luenda susceperit, adeoque hac ratione tulit etiam poenas nostras seu peccatis debitas. Petrus vero in allegato loco Isaiae vaticinium de Christo portante super lignum peccata nostra interpretatur. Hircus vero emissarius dicebatur portare peccata populi symbolice, utpote typum referens Christi ea vere portantis; adeoque improprie id dicebatur de figura; proprie vero dicitur de figurato.

509. Ad 2. *D.* Ac proinde de sensu proprio vel improprio vocis *redemptionis* ex substrata materia dijudicandum est, *C.* ex materiali vocis sono, *N.* Cum porro in redemptione Christi omnia concurrant, quae ad veram redemptionem constituendam requiruntur, merito in sensu rigoroso eam intelligimus. Etenim ad proprie dictam redemptionem opus est captivo et captivum detinente; item redemptione et redemptionis pretio; jam vero revelatio docet universum genus humanum captivum fuisse aeternisque poenis addictum; homines autem captivos detinebant Deus tamquam supremus judex, et diabolus tamquam Dei minister et apparitor; peccata tamquam laquei, et infernus tamquam carcer; redemptor autem exstitit Christus; redemptionis denique pretium fuit sanguis ejusdem, ut testatur Petrus. [13] Quae omnia cum nullo modo reperiantur in redemptionibus typicis, quae objiciuntur, exinde patet disparitas. Idem dic de ratione qua venditi sumus, nam etsi nos possimus gratis excidere, et in potestatem diaboli nos tradere, in potestate tamen nostra non est nos liberare, ut patet exemplo ejus qui in puteum incidit, qui per se non potest exinde emergere. Pretium autem redemptionis illi solvitur, qui jure suo captivum detinet, non autem illi qui jure alieno, cujusmodi est diabolus, qui non est, ut vidimus, nisi supremi judicis, Dei scilicet, minister et apparitor, seu carceris custos.

510. Ad 3. *D.* Particula *ὑπὲρ* seu *pro* non semper importat substitutionem, *C.* in casu nostro, *N.* Fatentibus adversariis, haec particula tum utilitatem tum substitutionem importat, dispiciendum igitur est ex subjecta materia et ex adjunctis, quando vim habeat substitutionem significandi. Jam vero in re, de qua agimus, necessario substitutionem significat, siquidem Christus ita dicitur mortuus pro nobis, ut se ipsum tradiderit in pretium redem-

[12]) II. Cor. V. 19.

[13]) I. Ep. I. 19.

ptionis; nos haud redemisse auro et argento, sed pretioso sanguine suo; oblatus sit ut victima propitiationis, quae omnia veram substitutionem postulant. Quod confirmatur ex vi graecae vocis *ἀντίλυτρον*, quae vicariam substitutionem in vendendo exprimit, et qua usus est Paulus [14], loquens de redemptione Christi. Quare vel ipsi rationalistae fatentur hanc mentem Scriptoribus sacris fuisse, ut Christi mortem *expiatoriam* per substitutionem efferrent. Ex his patet nihil habere cum eo, de quo agimus, commune exempla ab adversariis congesta, ut inferant voci *ὑπὲρ* inesse vim exprimendi utilitatem, cum in illis non concurrant, quae reperimus in Christi morte.

511. Ad 4. *D.* Si catholici inniterentur soli *reconciliationis* voci, *C.* si caeteris quae ejus vim determinent, *N.* Porro dum catholici per veram satisfactionem a Christo exhibitam inferunt eum nos Deo reconciliasse, innituntur in eo quod dicatur Christus pro nobis redemptionis pretium solvisse, scilicet sanguinem suum Deum placasse, sustulisse in se peccata nostra, delevisse quod adversus nos erat chirographum decreti illudque Cruci affixisse. Adeoque Christus reconciliavit nos Deo ut causa meritoria, per veram satisfactionem; apostoli vero ut causa ministerialis per Verbi praedicationem, et mysteriorum Dei seu sacramentorum administrationem, adeoque improprie nos Deo reconciliarunt.

512. II. Obj. Satisfactio vera repugnat ex parte Dei, ex parte Christi, et ex parte hominis. Ac primo ex parte Dei. Nam 1. Deus gratis in Scripturis exhibetur condonans peccata, uti Matth. XVIII. 27; Rom. III. 24, et alibi. Atqui gratuita condonatio et vera satisfactio ad invicem pugnant, cum illa ex misericordia, haec ex justitia proveniat. 2. Perinde autem est, sive satisfactio exigatur a debitore, homine, sive a sponsore, Christo; nam debitum semper et exigitur et solvitur, adeoque non condonatur. 3. Eo vel magis quod Christum nobis dederit Pater sive creditor. Nam ubi creditor dat debitori unde solvat, remissionem potius dare censetur quam exigere satisfactionem. 4. Nec dici potest aut Deum noluisse gratis condonare peccata, aut non potuisse; primum enim opponitur divinae misericordiae, alterum divinae omnipotentiae. Ergo.

513. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Exhibetur Deus gratis dimittens peccata respectu hominis, *C.* respectu Christi, qui ea in se uti sponsor luenda suscepit, *N.* Duo haec luculenter conjunxit Apostolus, dum scripsit [15]: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius: ad ostensionem justitiae suae.* Gratuita igitur est condonatio, mediante redemptione et sanguine Christi. Secum autem pugnant gratuita condonatio et vera satisfactio in una eademque persona; ast vero in casu nostro alia est persona, quae satisfacit, nempe Christus, alia cui condonantur gratis peccata, nempe homo.

514. Ad 2. *D.* In debito reali, *C.* in debito personali, *N.* In debito

[14]) I. Tim. II. 6.

[15]) Rom. III. 24.

enim personali potest persona laesa quamcumque ab alio quam a laedente respuere satisfactionem. Porro cum nos debito solvendo impares omnino essemus, divinae bonitati in acceptis referendum est, quod ejusmodi debitum in Christum sponsorem transtulerit, ac vi ipsius meritorum nos a solutione liberaverit, gratuito nobis condonando debita, quibus eramus personaliter obstricti. Aliter res se habet in delicto reali, quod perinde solvi potest sive a debitore sive a sponsore.

515. Ad 3. *D.* Creditor ubi dat debitori unde solvat remissionem, dare censetur respectu debitoris, *C.* respectu ejus qui solvit ac satisfacit, *N.* Ut patet ex dictis de debito personali.

516. Ad 4. *N.* Placuit enim Deo non sola misericordia uti sed etiam justitia. Potuisset absolute gratis omnia omnino peccata condonare, potuisset exigere satisfactionem ab ipso laedente. Conjunxit misericordiam et justitiam: misericordiam quoad nos, justitiam quoad Christum, ut sic duo haec divina attributa in opere redemptionis maxime elucerent.

517. I. Inst. Repugnat satisfactio ex parte Christi, 1. quia injustum est innocentem plectere pro reo: 2. quia recta ratio vetat quominus reo in poena ferenda substituatur innocens, quod non solum humanae leges prohibent, verum etiam divinae: Deus enim statuit [16]: *Non occidentur patres pro filiis, aut filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur;* immo et sibi hanc eamdem legem Deus indixit per Ezech. XVIII. 20: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur ... Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum;* praesertim cum nemo vitae suae dominus sit, et juxta justitiae leges poena peccatum sequatur ut umbra corpus. 3. Praeterea Christus sibi ipsi satisfecisset, quo nihil absurdius fingi posset: nam esset simul iratus nobis et propitius, iratus ob peccata, propitius exhibendo satisfactionem. Plus deberemus Filio, qui dedit satisfactionem, quam Patri, qui eam expetiit. 4. Christus igitur eum tantum in finem mortuus est, quem declarat Apostolus Petrus, scribens [17]: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus,* non autem loco aut vice nostri. Ergo.

518. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Qui non sit sponsor, *C.* qui hanc sponsionem in se ultro ac libere susceperit, *N.*

519. Ad 2. *D.* Per se, ac nulla interveniente legitima causa ac potestate, *C.* intervenientibus libera electione, legitima potestate, bonis ingentibus, ac damni lati cum foenore reparatione, *N.* Casus, de quo agimus, unicus est ac singularis et cui nullus comparari potest ex iis, qui sunt objectum sive divinarum sive humanarum legum. Etenim 1°. Christus libere se in mortem vicariam pro nobis obtulit, *oblatus* enim *est quia ipse voluit.* 2°. Legitima potestate id fecit, tum ex parte Patris, qui ejusmodi subrogationem non solum probavit, sed eam contulit, juxta illud Apostoli [18]: *Pro*

[16]) Deut. XXIV. 16.
[17]) I. Ep. II. 21.
[18]) Rom. VIII. 32.

nobis omnibus tradidit illum; tum ex parte sua cum esset vitae suae dominus ut ipse declarat, dicens [19]: *Potestatem habeo ponendi eam* (animam scilicet seu vitam meam). 3°. Innumera exinde bona consecuta sunt, siquidem ut dicitur Hebr. X. 14: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* 4°. Damni per mortem perpessi Christus cum foenore reparationem accepit per resurrectionem a mortuis, ac nominis sui gloriam et exaltationem, ut legitur, Philipp. II. 9. Caeterum Deus Deut. XXIV. de politica loquitur justitia; Ezech. autem XVIII. de poenis aut praemiis rependendis in altera vita, quae profecto personalia sunt.

520. Ad 3. *D.* Sibi ipsi Christus satisfecisset uti Deo in assumpta natura, *C.* in eadem natura divina, *N.* Christus igitur in ea natura satisfactionem exhibuit, per quam obedivit, passus est ac meruit, haec autem est natura humana. Exhibuit autem sibi ut uni de Trinitate personae, quae laesa fuit, et haec ipsa persona in assumpta natura Trinitati satisfactionem praebuit, in quo nihil est quod repugnat. Sic intelligitur quomodo simul potuerit esse et iratus et propitius, scilicet sub diverso respectu. Nec sequitur nos magis Filio quam Patri obstrictos esse; siquidem tota Trinitas aeque convenit ad Incarnationem Filii Dei, ut hic perficeret opus redemptionis. Filius uti est persona Verbi, in se nihil pertulit, prout caeterae personae nihil pertulerunt, remanet itaque humanitas subsistens in Verbo, cui peculiariter obstricti sumus, quae tot amore nostri in se sustinuit; et quamvis haec humanitas, ut praefati sumus, copiosam compensationem habuerit tum in ipsa unione hypostatica, ad quam in hunc finem, ut praeberet opus satisfactionis, evecta est, tum in excitatione ac nominis celebratione, haec tamen nos a grati animi obligatione non liberant erga illam, quae in bonum nostrum satisfactionem praebuit.

521. Ad 4. *D.* Si Petrus finem adaequatum mortis Christi declarasset, *C.* si inadaequatum tantum ac partialem, *N.* Multiplex finis fuit mortis Christi; primarius, ut pro nobis satisfaceret, ut alibi idem Apostolus exponit, nempe in eadem Epist. I. 18. et caeteri sacri scriptores cum eo; secundarius, ut nobis exemplo esset, quem hic Petrus ad scopum suum tantum commemorat, primarium supponendo.

522. II. Inst. Saltem satisfactio repugnat ex parte hominum; nam 1. Christus tot mortes perpeti debuisset quot homines sunt; et praeterea non solum poenis temporalibus sed etiam aeternis debuisset subjici, cum utrisque essent poenis homines addicti. 2. Homines liberi omnino essent ab omni satisfactione praestanda, quod catholici tamen inficiantur. 3. Liberi pariter essent ab omnibus hujus vitae aerumnis, atque a morte ipsa. 4. Omnes denique salvi fierent, quod nemo tamen admittit. Ergo.

523. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si una Christi mors aequivalens non esset morti tum temporali tum aeternae peccatis nostris debitae, *C.* si spectata dignitate infinita divinae personae, non solum illi aequivalens fuit,

[19]) Joann. X. 18.

sed longe eam superavit, *N.* Cum enim pretium a Christo pro nobis oblatum infiniti fuerit valoris, hoc ipso debitum omne, quo erga divinam justitiam tenebatur universum genus humanum, sive temporale sive aeternum extinctum prorsus est, quin alio opus fuerit. Et hoc est quod saepe adeo inculcat Apostolus, dum scribit Christum semel oblatum esse ad multorum exhaurienda peccata; una oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos, pro omnibus mortuum esse, atque id genus plurima.

524. Ad 2. *D.* Quae in solutione debiti seu pretii consistat, *C.* quae consistat in applicatione meritorum Christi, *N.* Satisfactio ab ejusdem applicatione secerni debet; illam praeter Christum nemo alius praestitit aut praestare potuit, haec a singulis fieri debet, quia Christus non salvavit genus humanum nisi per remedium generale, quod deinceps sibi quisque in particulari applicare debet, ut illud nobis prosit. Quamvis proinde plenissima fuerit satisfactio Christi, nisi eam nobis per bonum gratiarum usum, per sacramenta, per observationem mandatorum divinorum, seu per bona opera applicemus, numquam in gratiam offensi Dei redire poterimus. Has conditiones apposuit Christus ipse sponsor noster. Hae autem sunt, quae improprie satisfactio vocantur.

525. Ad 3. *D.* In altera vita, *C.* in vita praesenti, *N.* Nam Christus quamdiu in hac vita sumus, noluit nos ab aerumnis liberos esse, tum ut daretur fidei locus, tum ejus imitationi, ac meritis comparandis. In altera ab illis penitus liberi erimus.

526. Ad 4. *D.* Qui conditiones commemoratas servaverint, *C.* qui eas neglexerint, *N.* *Si compatimur et conglorificabimur,* ait Apostolus; nec enim Christus salvos fecit homines in actu secundo, uti scholae loquuntur, sed in actu primo, quatenus possumus, si volumus, divina gratia opitulante, salvari.

527. III. Inst. Saltem inutilis est satisfactio, si 1. Deus non est iratus hominibus propter peccata; si 2. Deus non indigebat placatione, neque exigere ex justitia debebat personalem poenam ab homine adeoque neque a Christo; si 3. Christus non vicaria substitutione pro nobis mortuus est nec nos sanguine suo redemit, sed solum ut patefaceret, quid Deus exigere potuisset ab homine si placari voluisset, et iratus esset, ut inde homo cognosceret magnitudinem divinae offensae, et salutarem peccati horrorem conciperet. Atqui res ita se habet, siquidem quamvis Deo utpote *sancto* displiceant peccata, uti Deus tamen homines etiam diligit peccatores, nec ipsis irascitur, nec proinde ex justitia satisfactionem exigere potuit, neque Christus hoc sensu vere eam praestitit, aut nos vere redemit. Ergo.

528. *Neg. min.* Equidem fatendum est, quod si Hermesii, quem hic refellimus, admitteretur theoria de Christi satisfactione, haec penitus labefactaretur, causa victa daretur socinianis, et Christi redemptio magna evaderet comica repraesentatio. Ad quid enim Christus mortuus esset, nisi ut ostenderet in hac hypothesi, quid Deus posset exigere ab homine peccatore, si iratus placari voluisset, quum tamen nihil horum in veritate fuerit? Nam nec Deus irasci potest, nec homini peccatori esse infensus, nec proinde ex

justitia ullam exigere satisfactionem. Quae tamen omnia abhorrent a catholica doctrina.

529. Ad 1. itaque *nego* Deum iratum non esse hominibus propter peccata. Ecquid aliud clamant sacrae litterae Veteris ac Novi Testamenti in singulis fere paginis nisi Dei iram et odium in peccatores? Sane Sapient. XIV. 9. dicitur: *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus;* Psalm. V. 7: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem;* Prov. I. 20: *Abominabile Domino cor pravum;* ab Apostolo Rom. I. 30. peccatores *Deo odibiles* dicuntur, qui ibid. c. II. 5. subdit: *Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei... iis qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.* Et haec speciminis gratia. Videat igitur Hermesius, num Deus peccatori non irascatur. Quod si Deus nihil odit quae fecit, intelligi id debet de bono naturae, non autem de qualitate peccatoris, alioquin Deus uti creaturas vel ipsos daemones amat, quos tamen aeternum punit.

530. Ad 2. *D.* Deus non indiget placatione nec ex justitia exigere debet personalem poenam ab homine, quatenus aut absolute posset peccata ac poenas eis debitas dimittere, aut homines absque venia punire, *C.* si velit justitiam cum misericordia temperare, *N.* Hoc patet ex iis, quae paulo ante socinianis haec ipsa objicientibus respondimus. At Deus neutrum voluit, id est, aut omnino gratis dimittere aut omnem negare remissionem, sed justitiam ac misericordiam temperavit miro prorsus modo per Christi satisfactionem, ut sic utraque divina proprietas eluceret. Hinc ecclesia in officio de pretiosissimo Sanguine sic Deum orat: *Deus, qui pretioso Filii tui Sanguine placari voluisti;* et in alia oratione: *Deus, qui culpa offenderis et poenitentia placaris.*

531. Ad 3. *Neg.* Ut rursum patet ex iis, quae diximus adversus socinianos negantes vicariam ejusmodi Christi mortem ac substitutionem. Mirum est vel ipsos rationalistas admittere apostolos seu Scriptores sacros mortem Christi uti propitiatoriam ac vicariam pro nobis docuisse, et Hermesium eo progressum esse ut id inficiaretur, cum tamen clamet Apostolus [20]: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hoc vere est causam catholicam prodere. Adeo res aleae plena est a communi doctrina discedere ad vana systemata consectanda.

Et de magno pietatis mysterio adversus judaeos, haereticos, incredulos, ac rationalistas hactenus.

[20]) I. Tim. II. 6.

TRACTATUS

DE CULTU SANCTORUM.

PROOEMIUM.

1. Quandoquidem ad perspicuam de Sanctorum cultu tractationem valde conferat germana cultus ejusque specierum notio, ad ambiguitatem omnem amovendam, qua teguntur illius impugnatores, ab ea auspicabimur; deinde vero ad cultum ipsum Sanctorum proprium adstruendum progrediemur, ad invocationem, reliquiarum imaginumque venerationem denique vindicandam. In totidem propterea capita tractationem hanc distribuimus.

CAPUT I.

DE VARIA CULTUS ACCEPTIONE AC DIVISIONE.

2. Generico *cultus* nomine honor ille significatur, qui Deo aut creaturis Dei intuitu ac respectu tribuitur. Variis porro vocabulis honor iste designari consuevit, *adorationis*, *respectus*, *venerationis*, *reverentiae*, *servitutis*, quae vim suam sive diversam significationem mutuantur ab objecto quod colitur seu honoratur; etsi interdum promiscue usurpentur.

3. Etenim cum honor ex s. Thoma [1], sit *signum et testimonium quoddam illius excellentiae, quae est in honorato*, pro excellentiae diversitate diversus exsurgit honor aut cultus, qui alicui impenditur. Deo itaque utpote supremo rerum omnium conditori, atque in infinitum creaturas excedenti, cultus supremus, absolutus ac proprie dictus defertur; creaturis vero nonnisi

[1]) I. 2. qu. 2. art. 2.

propter Deum, seu in ordine ad Deum, relativus idcirco atque improprie dictus honor tribuitur, et quatenus de divinis bonis participant.

4. Duplex idcirco distinguitur cultus, *latriae* atque *duliae*. Utriusque vocis vis est, ut significet *servitutem;* sed cum adhibetur respectu Dei, exprimit servitutem ex parte colentium; cum usurpatur respectu creaturarum, afficit servitutem, quae creaturis ipsis inest. Rursum cultus *duliae* aliquem gradum admittit, adeoque cum prae creaturis reliquis b. Virgo excellat, hinc cultus, qui ei impenditur, nomen obtinet *hyperduliae.*

5. Ratione habita rei, quae colitur, hic ipse *duliae* cultus spectari potest uti absolutus ac uti relativus tantum. Absolutus est, si sistat in Sanctis ipsis, qui licet participatam, excellentiam tamen reipsa habent, ob quam coluntur. Si vero in ipsa re non sistat, utpote nulla excellentia ex sese praedita, cujusmodi sunt reliquiae ac imagines, cultus hic totus relativus est; honor enim his tributus transit ad objectum cujus sunt, et ad prototypum quod referunt.

6. Bifariam rursum cultus generatim dividitur, scilicet in *interiorem* et in *exteriorem*, prout vel solo animo, vel corporis praeterea significatione praebetur. Interior sensus complectitur existimationis, admirationis, grati animi et obsequii, quibus erga alium ferimur; exterior vero signa exhibet interiorum animi nostri sensuum seu interioris cultus nostri.

7. Ex his signis alia communia sunt Creatori et creaturis, e. gr. prostrationes, poplitis submissiones, inclinationes, preces etc.; alia Deo soli reservata sunt, nec alii deferri possunt, uti sacrificia, vota, jurejuranda, templorum inauguratio, aliaque hujusmodi.

8. Multiplex cultus notio ac species, quam exhibuimus, in ipsa rei natura fundatur, cujus specimen suppeditat vel ipsa civilis seu politica societas. In ea enim honoramus regem seu principem, nec non proceres et aulicos; sed diversa plane ratione. Principi tribuimus supremum honorem et quidem propter se, qui *latriae civilis* dici posset; aulicis et optimatibus honorem inferioris ordinis respectu principis, cui inserviunt aut cum quo conjuncti sunt, exhibemus, quem *duliam civilem* recte nuncupaveris. Sic prosternimur, caput inclinamus, etc. coram rege et coram proceribus, quin tamen eumdem honorem deferamus tum regi tum optimatibus. Et en quomodo valor signorum exteriorum pendeat ab intentione ea deferentium. Quod si haec probantur in statu politico, quomodo reprobari poterunt in cultu religioso?

9. Ex perspicuis his principiis naturae ipsi insitis colligimus I. uni eidemque vocabulo diversam inesse posse significationem; sane adorationis vox et actus in Scripturis adhibetur tum ad cultum designandum Deo exhibitum, tum ad honorem delatum creaturis; Abraham siquidem *adoravit populum terrae* [2]; Jacob septies *adoravit* Esau fratrem suum [3]; David *in-*

[2]) Gen. XXIII. 7.

[3]) Ibid. XXXIII. 3.

clinans se pronus in terram, adoravit Saul [4]: sic Nathan *adoravit Salomonem pronus in terram.* [5] Nec tamen putandum est latriae cultum sanctissimos hos viros creaturis tribuisse. Ergo neque ex identitate vocis aut actus inferri potest identitas cultus, sed ex notione voci subjecta et ex intentione agentis, cultus diversitas repeti debet.

10. Colligimus II. pro diversa vocis notione eam aut admitti aut repudiari posse, prout substrata materia poscit. Cum proinde ethnici *adorationis* voce uterentur ad cultum uni Deo debitum significandum, ideo Patres hanc vocem repudiarunt, cum applicaretur honori angelis aut Sanctis deferendo, aliisque vocabulis doctrinae catholicae sensum exprimebant circa cultum, qui angelis aut Sanctis deferebatur.

11. Colligimus III. rite sapienterque ad omnem aequivocationem tollendam, quae adorationi subesse poterat, a recentioribus invectam esse distinctionem vocum *latriae* ac *duliae* ad designandum cultum Deo aut creaturis deferendum. Jamdiu a s. Augustino horum vocabulorum usum adscitum esse invenimus; scribit enim [6]: *Non eo modo, quo jubemur per caritatem servire invicem, quod est δουλευειν, sed eo modo quo tantum Deo servitur, quod est graece λατρευειν.* Haec eadem repetit *Contr. Faustum*, lib. XX. c. XLV. et alibi passim. Hinc protestans Gerhardus Vossius: *Eos*, inquit [7], *qui distinctionem hanc* (inter latriam ac duliam) *probant, minime improbamus, partim quia vitanda est viro prudenti omnis logomachia, partim quia nec inutile videtur, si cultibus toto genere differentibus, qualis est Dei et creaturae, ad homonymiam vitandam diversa imponantur nomina, partim quia neque ab ea abhorruit Augustinus.* Eadem ferme habet Leibnitzius. [8]

12. Haec si probe teneantur, facile erit, quae a protestantibus objici solent adversus Sanctorum cultum, disjicere ac repellere idololatriae crimen, quod ecclesiae diabolares scriptores affingunt.

CAPUT II.

DE RELIGIOSI SANCTORUM CULTUS HONESTATE ET UTILITATE.

13. Si dicteriis, calumniisque aurem praebeamus, quas cum Vigilantio ac manichaeis protestantes et increduli omnes adversus Sanctorum cultum congerunt, vix de eo actum non esset. Ast illae jamdiu a Hieronymo et Augustino, ac deinceps a doctoribus catholicis disjectae ac protritae sunt, ita ut nobis non aliud onus incumbat in defensione causae catholicae quam in unum colligere, quae sparsim ab illis scripta sunt. Controversiae cardo non versatur circa *modum* quo cultus hic exhiberi potest Sanctis, sed circa *rem ipsam*, utrum nempe Sancti honorari debeant ob amicitiam, qua cum Deo fruuntur, et ob excellentiam, quam in ipsis deprehendimus ob virtutes

[4]) I. Reg. XXIV. 9.
[5]) III. Reg. I. 23.
[6]) *De Trin.* lib. I. cap. 6.
[7]) *Append. ad disput.* I. *de Incarnat.*
[8]) *System. theologic.* pag. 188. ed. 1. parisiensis.

omnigenas, quas dum in vivis agerent, sibi comparaverunt. Protestantes negant, atque ut superstitiosum traducunt quemcumque cultum et honorem ipsis exhibitum, catholici vero honestum ac pium utilemque ejusmodi cultum profitentur.

PROPOSITIO.

Pius et ab omni idololatriae labe immunis est religiosus Sanctorum cultus.

14. Cultus ille omni vacat idololatriae labe, immo pius censendus est, quem Scriptura commendat, quem pia antiquitas frequentavit, quem denique ipsa rei natura exigit, probatque ipsa adversariorum agendi ratio. Rem porro ita se habere sic ostendimus.

15. Scripturae angelorum et piorum virorum cultum commendant, primo cum exhibent patriarchas angelos adorantes, seu honore sacro prosequentes, quod saepe faciunt: etenim Abraham [1], ut tres angelos vidit, pronus eos adoravit in terram; idem praestitit Loth. [2] Caeteris vero omissis Josue, cum audivisset virum coram se stantem evaginato gladio principem esse exercitus Domini, *cecidit pronus in terram et adorans ait* etc., ut legitur Jos. V. 15. Honorem porro seu cultum a patriarchis exhibitum angelis *religiosum* esse in ordine ad Deum, non autem mere *civilem*, exinde patet quod optime novissent patriarchae illos minime civiliter conversari, sed Dei nuncios esse, atque cum Deo amicitia conjungi. Idem dicendum de adoratione quam Eliseo tribuit mulier Sunamitis, postquam propheta filium ejus a mortuis excitavit [3], nec enim simplicem hominem, sed qualitatem *viri sancti* ac thaumaturgi in Eliseo mulier venerata est.

16. Tantum vero abest, ut Scriptura hos religionis actus sive angelis sive viris sanctis exhibitos aliquando improbaverit, ut potius commendet suadeatque. Sane Deus sic alloquitur populum suum [4]: *Ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te . . . observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes . . . et est nomen meum in illo.* Sic etiam angelus, qui Josue apparuit, non solum honorem sibi tributum non respuit, sed praeterea Josue praecepit [5]: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est.* Eadem insuper Scriptura Deum contumeliae servis suis illatae vindicem exhibet. Ad Eliae siquidem nutum ignis e coelo descendit ad binos quinquagenarios principes, quos impius rex ad eum miserat, absumendos, secus ac evenerit tertio quinquagenario, qui timens Deum *curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum*, ut legitur IV. Reg. I. 15. Sic ibid. II. 23 seqq. pueri Bethel Eliseum irridentes ab ursis lacerati sunt. Aut igitur dicendum honorem et cultum angelis ac viris sanctis tributum immunem prorsus ab omni idololatriae macula esse, immo pium ac Deo, cujus intuitu defertur, gratum, aut idololatriae accusandos esse tot patriarchas ac

[1]) Gen. XVIII. 2.
[2]) Ibid. XIX. 1.
[3]) IV. Reg. IV. 37.
[4]) Exod. XXIII. 20.
[5]) Loc. cit.

viros pios, qui angelos et sanctos venerati sunt: Deumque et verbis ac prodigiis idololatricum cultum cohonestasse, quod postremum impium ac blasphemum foret asserere.

17. Ab ipsis autem rei christianae primordiis Sanctorum cultum viguisse facta publica ac ineluctabilia documenta testantur. Ac 1°. talis est festorum institutio ac celebratio in Sanctorum honorem: in *Const. apostolicis*, lib. VIII. cap. 33. dies recensentur, quibus *feriandum erat famulis*, praescribitur autem: *In diebus vacant apostolorum... in die Stephani protomartyris ferientur, atque in diebus caeterorum sanctorum martyrum, qui Christum vitae suae anteposuerunt.* Ecclesia item smyrnensis, apud Eusebium [6], in Epistola ad ecclesias Ponti hujus consuetudinis agendi dies festos in martyrum honorem meminit, scribens: *Quo etiam loco nobis convenientibus concedat Deus natalem ejus* (Polycarpi) *martyrii diem cum hilaritate et gaudio celebrare:* ejusdem festi mentio occurrit in actis s. Pionii apud Ruinartium. 2°. Recepti praeterea in ecclesia universa hujus Sanctorum cultus primis saeculis indubium praebent documentum sacrificia, quae in martyrum solemniis in ipsorum honorem Deo offerebantur: Tertullianus: *Oblationes*, inquit [7], *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus:* ac s. Cyprianus scribit [8]: *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* 3°. Ejusdem cultus *martyria, confessiones* etiam nuncupatae, monumenta suppeditant certissima, quae erigebantur ad martyrum memoriam celebrandam, et ad quae fideles orandi gratia accedebant; horum meminit Cajus presbyter romanus saec. III. apud Eusebium. [9] Documenta demum 4°. hujus cultus eaque publica praebent invocatio Sanctorum, eorumdemque reliquiarum veneratio, de quibus paulo post agemus. Nequeunt igitur protestantes haeretici Sanctorum cultum superstitiosum atque idololatricum traducere, quin ejusmodi superstitionis ac idololatriae ream primitivam ecclesiam, quam tamen virginem vocare consueverunt, efficiant. Ex his insuper novimus eos ludere, dum se primitivae ecclesiae fidem sectari profitentur.

18. Cultum denique Sanctorum, quem propugnamus, ipsam rei naturam exposcere agendique rationem ipsorum protestantium ex eo constat, quod homines, qui bene de civili republica aut de re litteraria meruerunt, honorare civili cultu consueverint, orationes in ipsorum laudem quotannis recitent, sepulcra condecorent, simulacra ipsis erigant, cineres non sine ingenti pompa transferant, aliaque id genus praestent ad testificandam illorum excellentiam; cur igitur christianarum virtutum in illis excellentiam religionis causa non honorabimus? Rursum vel ipsi protestantes honore prosequuntur regni proceres, aulicos, eosque omnes qui apud regem aliqua dignitate ejusque amicitia fruuntur; quidni igitur eadem ratione non se gerunt cum Sanctis in coelesti aula regnantibus, quique Dei amicitia et aspectu digni sunt?

[6]) Lib. IV. cap. 15.
[7]) *De corona*, cap. 3.
[8]) Ep. XXXIV.
[9]) Lib. II. cap. 15.

Quin princeps laedatur honore, qui ejus intuitu aulae proceribus exhibetur, eum gratum habet, immo laesus censeretur in ministris suis, si his debitum negaretur obsequium; quare igitur censendum est Deum offendi, si Sanctos honore debito propter ipsum prosequamur? Cultum igitur, qui angelis et Sanctis praebetur, tum sacra Scriptura commendat, tum pia antiquitas frequentavit, tum ipsa rei natura et agendi ratio adversariorum exposcit, prout demum non pauci protestantes agnoverunt, inter quos eminet Leibnitzius, qui in suo *Systemate theologico* praecipua argumenta complexus est, quibus pius et honestus Sanctorum cultus adstruitur.

DIFFICULTATES.

19. I. Obj. 1. Sanctorum cultus adversatur primo Decalogi praecepto, Deut. VI. 13, confirmato a Christo, Matth. IV. 10: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* 2. His porro verbis omnem cultum creaturis adimi ac Deo soli reservari declarat Apostolus, dicens [10]: *Soli Deo honor et gloria;* 3. Sane protestatur Deus, nolle se gloriam suam alteri communicare illis verbis [11]: *Gloriam meam alteri non dabo.* 4. Hinc quemcumque cultum angelis tribui posse inficiatur Apostolus, dum scribit [12]: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quae non vidit ambulans.* 5. Quod facto ipso ostendit angelus, qui Joanni apparuit, quem volens Apostolus adorare, oblatum sibi honorem recusavit dicens [13]: *Vide ne feceris, conservus tuus sum. . . Deum adora.* Quod et praestitit Petrus respectu Centurionis, qui eum adorare voluit. [14] Ergo.

20. Resp. Ad 1. *Neg.* In utroque enim objecto loco sermo est de supremo latriae cultu, quem nemo dubitat soli Deo esse impendendum, et quidem ad deorum falsorum exclusionem. Etenim in adducto Deut. loco immediate adjicitur: *Et per nomen illius jurabis;* jusjurandum siquidem soli Deo reservatur, cum signum sit supremi cultus; et Deut. V. 7. ubi idem traditur praeceptum, dicitur: *Non habebis deos alienos coram me.* Jam vero cultus, qui Sanctis decernitur, est alterius omnino ordinis, nec eis tribuitur nisi improprie dictus in ordine ad Deum, ac ejus intuitu, uti exposuimus. Nihil igitur commune habet Decalogi praeceptum cum honore quem Sanctis impendimus. Apposite Catechismus romanus [15]: *Quis adeo demens est,* inquit, *qui edicente rege, ne se pro rege quisquam gerat, aut regio cultu atque honore affici patiatur, continuo putet, nolle regem suis ut magistratibus honor deferatur?*

21. Ad 2. *D.* Adimit Apostolus creaturis cultum supremum soli Deo debitum, *C.* honorem omnem quo dignae creaturae sunt, *N.* Alioquin Rom. XII. 10. minime scripsisset: *Honore invicem praevenientes;* ac I. Tim. V. 17: *Presbyteri duplici honore digni sunt.* Sane vidimus patriarchas aliosque viros

[10]) I. Timoth. II. 17.
[11]) Is. XLII. 8.
[12]) Coloss. II. 18.
[13]) Apoc. XIX. 10.
[14]) Act. X. 25 et 26.
[15]) Part. III. cap. 2. n. 8.

se coram angelis, regibus ac viris sanctis prostravisse, quin umquam hac de re in reprehensionem incurrerint ullam.

22. Ad 3. *D.* Alteri, nempe *sculptilibus,* ut ibidem dicitur, *C.* indiscriminatim, *subd.* gloriam, quae solius Dei propria sit, *C.* quae creaturas deceat, juxta dicta, *N.*

23. Ad 4. *D.* Negat Apostolus posse angelis cultum tribui superstitiosum, *Tr.* cultum rite intellectum, *N.* Variae sunt hujus paulini textus interpretum expositiones, cum alii de superstitioso bonorum ac malorum angelorum cultu illum intelligant; alii de mediatione angelorum, Christo excluso, ad sensum platonicorum accipiunt, innixi verbis immediate sequentibus: *Et non tenens caput;* alii de legalibus observantiis sub obtentu, quod lex mosaica angelorum ministerio data fuerit, et favere videtur contextus: *Nemo vos judicet in cibo aut in potu* etc.; alii de pharisaicis exquisitis exercitationibus, ut recentiores biblici protestantes, inter quos Rosenmüller, eum interpretantur. Quaecumque ex his expositionibus admittatur, nulla est quae adversetur cultui angelorum, quem propugnamus.

24. Ad 5. *D.* Rejecerunt angelus ac Petrus humilis obsequii signum quod eis impendebatur, *C.* adorationem proprie dictam, *N.* Alioquin Joannes, tum loc. cit. tum ibid. XXII. 9. reum se idololatriae constituisset. Hinc merito Grotius ad hunc loc. scribit: *Non dicit* Angelus *προσκύνησιν* (*adorationem*) *soli Deo licite exhiberi; repugnat enim tota vetus historia... sed benigne agit, ut si quis collega collegae dicat: serva hunc honorem regi.* Idem dici debet de Petro respectu Cornelii, ipsum admonens Deo omnium bonorum auctori, gratiam quam acceperat, referri debere.

25. II. Obj. 1. Laodicena synodus, can. XXXV. districte prohibet *christianos, relicta Dei ecclesia, abire et angelos nominare, vel congregationes facere; si quis ergo inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare; anathema sit.* 2. Eumdem cultum damnant Origenes [16], et Theodoretus. [17] Nec ab his Patres reliqui dissentiunt; dum 3. monent *diligi* et *honorari* Sanctos, non autem *coli,* ut patet ex *Epist.* ecclesiae smyrnensis, ex Hieronymo [18], et Augustino [19]; dum 4. profitentur a se Sanctos *non coli propter religionem,* sed tantum *amari et honorari propter imitationem,* uti rursum Augustinus [20]; dum 5. docent sic honorari Sanctos, uti viventes probitate spectatos amamus, uti Augustinus [21], et Cyrillus alexandrinus [22]; dum 6. protestantur se nullum Sanctis cultum deferre, qui in iis sistat, sed in iis Deum tantum honorare, ut Theodoretus. [23] 7. Sane ignota antiquis fuit distinctio recens a scholasticis invecta inter cultum *latriae* ac *duliae,* ut se ab idololatriae labe purgarent. Ergo.

[16]) *Contra Celsum,* lib. V. n. 8 et alibi.
[17]) *Comment. in Ep. ad Coloss.*
[18]) *Ep.* CIX. n. 1; et *Cont. Vigilantium,* n. 5.
[19]) *Serm.* CCLXXIII, et in lib. *De vera relig.* cap. 55.
[20]) Loc. cit.
[21]) *Contr. Faustum,* lib. XX. cap. 21.
[22]) *Cont. Julianum,* lib. VI.
[23]) *Serm.* VIII. *de curandis Graecor. affectionibus.*

26. Resp. Ad 1. *D.* Laodicena synodus in objecto canone damnat cultum superstitiosum, *C.* legitimum, *N.* Sane id liquet ex ipsis canonis verbis, quibus perstringuntur illi, *qui, ecclesia relicta, congregationes* seu conventicula faciebant, ac *idololatriae vacabant;* nec non ex cultu martyrum, quem synodus probat, can. LI. his verbis: *Quod non oportet in quadragesima martyrum natales peragere, sed sanctorum martyrum facere commemorationes in sabbatis et dominicis;* ac demum ex historia; ex Theodoreto enim novimus [24], illic viguisse *dicentes universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri; et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Superstitiosus igitur cultus est quem prohibet laodicena synodus.

27. Ad 2. *N.* Origenes enim adversus Celsum rejicit cultum, qui angelis tamquam diis deferretur, uti Celsus objiciebat; *qui,* ut ipse loquitur, *Deo debetur cultus.* Quare Keilius, in *Opusc. academicis* utpote bonus protestans, Origenem inter adstipulatores cultus angelorum recenset, cum eum ubique adstruxerit legitime intellectum. Theodoretus vero, ut patet ex adductis ejus verbis, superstitiosum angelorum cultum rejicit, quasi per ipsos tantum obsequia nostra ac preces pervenire ad Deum possent.

28. Ad 3. *D.* Dicunt Patres non *coli* Sanctos in sensu, quo hanc vocem ethnici usurpabant, *C.* in sensu catholico, *N.* Nondum enim *technologia* constituta, ut honorem, quem tribuebant Sanctis, secernerent ab eo, quem ethnici diis suis deferebant, dicebant se Sanctos non *colere,* intellige *cultu supremo,* sed *diligere, honorare, caritate et dilectione* cum iis conjungi. Festa enim, quae celebrabant in honorem martyrum, monumentorum erectio, invocatio, aliaque ejusmodi aperte ipsorum mentem patefaciunt.

29. Ad 4. *D. Ut imitari non pigeat quod celebrare delectat,* uti idem loquitur s. Augustinus, *C.* ad cultus cujusvis exclusionem, *N.* Ut patet ex ipsa voce *celebrare,* et ex *solemnitatibus* martyrum, quarum idem s. Doctor meminit. Patres toti in eo erant, ut fideles ad imitationem Sanctorum, quos venerabantur, excitarent, uti et nos facimus.

30. Ad 5. *D.* Sed mortuos *tanto devotius quanto securius post certamina superata, C.* ad exclusionem cultus ipsis debiti, *N.* Certe eodem cultus genere tam Sanctos mortuos quam viventes prosequimur, licet diverso ritu et apparatu, cum viventium conditio hunc apparatum non ferat, et quia plerumque incerta est vera sanctitas et in eadem perseverantia, ut saepe admonet Augustinus.

31. Ad 6. *D.* Profitentur se Deum in Sanctis colere uti bonorum omnium auctorem, *C.* se Sanctos non colere cultu eis debito, *N.* Nos quoque Deum, qui *mirabilis est in Sanctis suis,* colere intendimus, dum veneramur Sanctos; cum tamen ipsi vera excellentia fulgeant ob cooperationem gratiae Dei, ideo hujus excellentiae intuitu illos honore debito non defraudamus, quos Deus tot muneribus cumulavit.

32. Ad 7. *D.* Ignota veteribus fuit distinctio quoad voces, *Tr.* quoad

[24]) *Comment. in Ep. ad Coloss.* II. 18.

rem illis significatam, *N.* Etenim praeterquam quod s. Augustinus illam distinctionem iisdem verbis expressit, certum est ex una parte Patres fuisse sanctos veneratos, ut omnia recensita documenta luculenter ostendunt; ex altera pariter certum est Patres supremo cultu Sanctos minime prosecutos esse; ut haec igitur componamus, inferre necesse est duplicem eos cultus speciem agnovisse, etsi non eisdem ac nos vocibus uterentur ad utrumque cultum distinguendum. Hoc aperte insinuat Origenes, qui loc. cit. Celso objicienti christianis angelorum cultum, respondet posse quidem angelos coli, *repurgatis*, ut ipse ait, *cum significatione illius vocis colere, tum ejus qui colit, officiis.*

CAPUT III.

DE SANCTORUM INVOCATIONE.

33. Invocationem Sanctorum per se ad salutem necessariam non esse, catholici omnes fatentur. Tota igitur controversia, quae inter nos et protestantes viget, est, utrum *licita* atque *utilis* sit ejusmodi invocatio, prout eam declaravit Tridentinum adversus haereticos, qui eam uti inanem, superstitiosam, Deo et Christo injuriosam, immo et idololatricam rejiciunt. Contra hos igitur sit

PROPOSITIO I.

Licita ac utilis est Sanctorum invocatio, prout primo sacrae litterae evincunt.

34. Ad fidem catholicam enunciata veritas spectat, quam synodus tridentina, Sess. XXV. his verbis declarat, quibus episcopis praecipit, ut fideles doceant: *Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.* Ex his habemus 1°. bonam licitamque esse Sanctorum invocationem; 2°. opem ac beneficia non a Sanctis, sed a Deo ad eorum intercessionem expectanda esse; 3°. orationes Sanctorum inniti meritis Christi, qui solus Redemptor ac Salvator noster est, adeoque solus proprie dictus *mediator* natura et officio; Sanctos vero nonnisi improprie dictos ac secundarios mediatores esse, innixosque Christi meritis nobis comparare atque obtinere aliquid a Deo posse; 4°. Sanctorum invocationem ad instar cujusdam adminiculi esse ad id, quod a Deo per Christi merita efflagitamus, facilius impetrandum.

35. Quo sensu licitam ac utilem esse Sanctorum invocationem primo ex sacris litteris sic evincimus: ex Scriptura discimus licitam ac utilem esse invocationem viventium; ergo inferimus, licita ac utilis est Sanctorum invocatio cum Christo regnantium. Antecedens ultro admittunt protestantes; siquidem saepe Apostolus se commendat orationibus fidelium, e. gr. Rom. XV. 30. ubi scribit: *Obsecro, fratres... ut adjuvetis me orationibus vestris*

pro me ad Deum; eadem inculcat, Ephes. VI. 18; ac I. Thess. V. 28. et alibi passim. Consequentia vero patet; nulla enim ratio assignari potest, quare licitum ac utile sit invocare viventes, superstitiosum vero, injuriosum Deo et Christo, immo idololatricum invocare Sanctos cum Deo et Christo regnantes. Hoc argumentum hactenus insolubile fuit protestantibus; numquam enim se ab eo expedire potuerunt.

36. Alterum argumentum pro hac invocatione non minus firmum suppeditat Scriptura in intercessione Sanctorum. Etenim passim Scriptura nobis exhibet angelos et Sanctos pro viventibus intercedentes apud Deum, beneficia poscentes ac obtinentes; sic Zachar. I. 12. angelus Deum pro judaeis deprecatur: *Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* Obtinuisse vero angelum quod efflagitabat, patet ex verbis insequentibus: *Et respondit Dominus angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria... Propterea haec dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiis; domus mea aedificabitur in ea.* Idem legimus Dan. X. Nec solum angelos sed et Sanctos vita functos intercedere pro viventibus exhibet auctor II. Machab. XV. 12 seqq., qui Oniam et Jeremiam refert curasse judaeorum res, eos adjuvisse, datoque Judae aureo gladio a Jeremia, certiorem fecisse de victoria; utrumque praeterea pro judaeorum populo orasse scribit, ac Jeremiam idcirco ab Onia *fratrum amatorem* apellatum esse. Exitus autem ostendit *fide dignum somnium*, ut ibidem legitur. Sic etiam Petrus in N. T. non obscure pollicetur in Ep. II. c. I. 15. se intercessurum post obitum pro fidelibus dicens: *Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Joannes autem, Apoc. V. 8. vidit viginti quatuor seniores, *qui procidebant coram Agno, habentes singuli... phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum:* quae de Sanctorum intercessione esse intelligenda tum res ipsa, tum interpretes communi consensione declarant. Jam vero intercessio ex parte Sanctorum et invocatio ex parte viventium relativae sunt; nec intelligitur quomodo illi intercedere possint, isti vero nequeant se illorum intercessioni commendare.

DIFFICULTATES.

37. I. Obj. 1. Ex Apostolo [1]: *Unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus;* ergo e mediatorum censu Sancti omnes excluduntur. 2. Ille solus invocari potest, in quem creditur, juxta illud [2]: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Hic autem solus est Deus ac Christus. 3. Rursum legitur [3]: *Confitemini Domino et invocate nomen ejus,* nempe ille solus invocari debet, cujus confitemur omnipotentiam ac bonitatem; nemo autem Sanctorum his praeditus est. Ergo.

38. Resp. Ad 1. *D.* Unus mediator est primarius, scilicet natura et

[1]) I. Tim. II. 5.
[2]) Rom. X. 14.
[3]) I. Paral. XVI. 8; Psalm. CIV.

officio, *C.* secundarius et intercessionis, *N.* Alioquin excluderentur ab intercessione et mediatione secundaria etiam viventes, ad quorum tamen preces confugit Apostolus.

39. Ad 2. *D.* Invocatione, quae fidei professionem includat in supremum Creatorem et Dominum, *C.* invocatione, quae in mera intercessione consistat, *N.* Duplex enim distinguitur invocationis genus, alterum apud eum qui auctor bonorum est, quo sensu solus Deus invocari potest; alterum quo interponimus alicujus intercessionem ad facilius obtinendum, quod a bonorum largitore efflagitamus, quo sensu Sancti invocari possunt ut intercessores apud Deum. Sic aliter poscimus quidpiam a rege, aliter ab aulico, cujus apud regem officium interponimus; prout optime declarat s. Thomas [4], ac protestantes ipsi quotidie facere consueverunt.

40. Ad 3. Eadem esto responsio; eadem siquidem ratio valet.

41. II. Obj. Scripturae jugiter nos docent fiduciam omnem in Deo ejusque Christo collocandam, ad Deum confugiendum in necessitatibus nostris; sane 1. Christus sic nos, Matth. VI. 9. jubet orare: *Pater noster* etc., ac Joann. XVI. 23. ita apostolos alloquitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, et alibi saepe. Adeoque Paulus: *Adeamus,* inquit [5], *cum fiducia ad thronum gratiae ut misericordiam consequamur.* 2. Nec obstat invocatio viventium, nam ipsi possunt cognoscere preces ac necessitates nostras, quod nequeunt Sancti vita functi. 3. Hinc nullum in sacris litteris exemplum occurrit, multo vero minus exstat mandatum aliquod de invocatione Sanctorum; 4. quin potius Jerem. XVII. 5: *Maledictus* dicitur *homo, qui confidit in homine.* Ergo.

42. Resp. *D. A.* Scripturae nos docent omnem fiduciam in Deo collocare ut omnium bonorum fonte ac largitore, *C.* ad exclusionem intercessionis Sanctorum, quos Deus ipse honorare intendit, *N.* Nemo umquam dubitavit Deum esse, in quo confidere et a quo bona omnia expectare debemus; pater enim est nostrum omnium amantissimus. Illud ipsum quod per Sanctorum intercessionem poscimus, a Deo poscimus per Christi merita, uti ecclesia constanter consuevit orare ac nos orarè docet; proinde nostra fiducia, quam in Deo habemus, non minuitur cum recurrimus ad Sanctos, ut nos adjuvent orationibus suis, prout non minuitur cum recurrimus ad viventium orationes ac preces, sed timemus de nobis, eo quod saepe indignos nos reddamus beneficiorum Dei. Eo vel magis quod non pauca in Scripturis exempla occurrunt de beneficiis a Deo ad intercessionem Sanctorum concessis; e. gr. nonnisi ad preces Jobi placari voluit Deus amicis ejus [6]; ad preces Abrahae domui Abimelech valetudinem restituit [7]; ad preces Moysis victoriam Israelitis super Amalec concessit. [8] Si Deo sic placet honorare amicos suos, patet firmari

[4]) II. 2. qu. LXXXIII. art. 4.
[5]) Hebr. IV. 16.
[6]) Job. ult. 7 seqq.
[7]) Genes. XX. 17.
[8]) Exod. XVII. 10 seqq.

potius fiduciam nostram in Deo, dum opem etiam Sanctorum apud eum imploramus.

43. Ad 1. prob. *D.* Ita ut quilibet possit immediate ad Deum confugere, *C.* ita ut non possit mediate etiam per Sanctos aliquid a Deo poscere, *N.* Haec proinde aliaque ejusmodi, quae ex Bibliis heterodoxi congerere solent, quaestionem quam versamus minime attingunt. Nam quaestio in eo sita est, utrum possint fideles ad facilius aliquid a Deo impetrandum opem etiam intercessorum adhibere, an vero hoc illicitum sit. Porro nihil ejusmodi occurrit in adductis textibus; alioquin illicita foret invocatio viventium, quam tamen adversarii uti licitam probant. Oratio autem dominica, uti animadverterat jamdiu Bellarminus, docet quidem nos *quid* petere debeamus, minime vero *quem* orare tantum possimus. Sane apostoli apud Lucam, XI. 1. dixerunt Christo: *Doce nos orare.*

44. Ad 2. *D.* Non possunt Sancti vita functi aut angeli necessitates nostras cognoscere ex se, *Tr.* in Deo aut manifestante Deo, *N.* Scimus enim ex Christo, Luc. XV. gaudere angelos super peccatore poenitentiam agente; ac rursum novimus ex Tob. XII. 12; et Apoc. VIII. 3. eosdem viventium preces et cordis vota Deo offerre, quod certe efficere non possent, nisi ea cognoscerent.

45. Ad 3. *D.* Nullum in Scripturis existit mandatum de invocatione Sanctorum eo quod agatur de re libera, *C.* nullum existit exemplum, *N.* Uti patet ex probationibus.

46. Ad 4. *D.* *Maledictus* dicitur *homo, qui confidit in homine et a Domino recedit cor ejus, C.* ut majori cum fiducia Deum adeat, ut in casu nostro, *N.* Arguit propheta Hebraeos qui, Deo relicto, spem suam in auxilio Aegyptiorum collocaverant.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ex traditione et ecclesiae praxi evincitur.

47. Ne videamur ex recentioribus saeculis ecclesiae praxim ac traditionem circa angelorum Sanctorumque invocationem ostendere, missa facimus, quae ex oecumenicis conciliis constantinopolitano III. nicaenoque II. argumenta promere possemus, nec non quae suppeditant Sacramentaria leonianum ac gelasianum, Missalia gothicum et francium quoad saecula V. et VI. ut ad prisca aurea illa ecclesiae saecula assurgamus, quae non ita pridem se adeo magni facere profitebantur, seu potius fingebant protestantes.

48. Nobis igitur primus sese offert ex saec. III. Origenes, qui de angelis disserens et animabus cum Deo regnantibus scribit [1]: *Adjuvant eos, qui summum Deum colere volunt, illum eis conciliant, suas illorum precibus adjungunt preces, simul cum eis postulant.* Similia habet in lib. *De oratione,* n. 15. Demum his verbis suum angelum invocat [2]: *Veni, angele, suscipe*

[1]) *Cont. Celsum,* lib. VIII. n. 84. [2]) *Hom.* I. *in Ezech.* n. 7.

sermone conversum ab errore pristino. Qui locus adeo torsit Keilii ingenium, ut cum Dallaeo ad rhetoricam apostrophen confugerit, ut ejus vim extenuaret. Sed non minus aperte eodem saeculo s. Cyprianus catholicam doctrinam adstruit, scribens [3]: *Memores nostri invicem simus... Utrobique pro nobis semper oremus... et si quis istinc nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio;* quorum sensum verborum perperam Fellus editor oxoniensis pervertere adnisus est, praesertim cum s. Martyr, in lib. *De habitu virginum* doctrinam suam et ipse in praxim deduxerit, martyres virgines invocando; sic enim concludit librum suum: *Tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.*

49. His adjungimus ex IV. saec. Eusebium, qui loquens de Sanctorum sepulcris, haec habet [4]: *Nam eorum sepulcra celebrare, et preces ibi votaque nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus; idque a nobis merito fieri statuimus.* Alludit porro his postremis verbis ad receptam ubique in ecclesia et quavis aetate doctrinam et praxim de intercessione et invocatione Sanctorum. Sane in vetustissimis s. Ignatii M. Actis legitur, quod ipse nuper martyrio functus apparuerit per quietem *super orans nobis.* In Actis pariter martyrum Scillitanorum, qui ann. 200. passi sunt, legitur: *Consummati sunt Christi martyres mense Julio, die septimo decimo, et intercedunt pro nobis ad Dominum J. C.* Eadem occurrunt in Actis s. Maximi, s. Theodoti, nec non in gestis s. Potamienae apud Eusebium. [5] Gregorio autem nazianzeno teste [6], s. Justina virgo, quae passa est saec. III. ut se a Cypriani adhuc pagani magicis artibus liberaret: *Virginem Mariam supplex obsecravit, ut periclitanti virgini suppetias ferret.* Patet igitur II, III et IV. saeculo jamdiu in ecclesia catholica de intercessione et invocatione Sanctorum doctrinam obtinuisse.

50. Nec aliud testantur antiquissimae liturgiae, quae quamvis saec. IV. scriptis consignatae fuerint, exhibent tamen traditionem saeculorum anteactorum. Inter has eminet, quae a s. Jacobo nuncupatur; jam vero in ea legitur: *Praecipue vero sanctae et gloriosae semper Virginis beatae genitricis Dei memoriam agimus. Memento illius, Domine Deus, et per ejus orationes puras et sanctas parce et miserere nobis.* Eadem invocatio invenitur in liturgiis reliquis tum orientalibus tum occidentalibus.

51. S. vero Cyrillus hierosolymit. *Catechesi Mystagogica,* V. sic liturgiam explanat, §. 12: *Postea recordamur eorum, qui obdormierunt, sanctorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat.*

52. Cum vero documenta haec publica sint, spectantia ad saec. IV. aut ad initium saec. V. patet quaenam tunc temporis ecclesiae fuerit praxis universalis. Exinde porro exsurgit ineluctabile praescriptionis argumentum.

[3]) *Ep.* LVII. *ad Cornelium.*
[4]) *De praeparat. evangelica,* l. XIII. c. 2.
[5]) Lib. VI. cap. 5.
[6]) *Orat.* XVIII. n. 19.

Fieri enim omnino non potest, ut ecclesiae omnes, longe inter se dissitae in ejusmodi innovationem, adeo in hypothesi adversariorum perniciosam ac idololatricam conspiraverint, nemine reclamante; fatendum igitur est ecclesias saeculi IV. doctrinam et praxim de invocatione Sanctorum jure veluti haereditario accepisse ab ecclesiis saec. III. et ita porro, donec perveniamus ad aetatem apostolicam, a qua suam coepit originem ecclesia; eo vel magis, quod aperta documenta ejusdem suppetant saec. II. et III. Hinc adversarii ipsi debuerunt manus victas dare, dum eo adducti sunt, ut scriberent superstitionem hanc jamdiu *primis* inolevisse *saeculis,* uti Magdeburgenses Centuriatores et Wegscheider; alii autem cordatiores protestantes ut Leibnitzius, Starckius, Planck, Brown, Augusti, etc. pro ecclesia catholica hac in parte suffragium tulerint.

53. Huic demum doctrinae suffragatur vel ipsa ratio et analogia ex iis ducta, quae apud nos geruntur. Nemo sanus laesae majestatis reum traduceret illum, qui mediationem et officium alicujus aulici penes regem efflagitaret ad aliquid ab eo facilius impetrandum. Quomodo igitur reus erit laesae majestatis divinae aestimandus, qui intercessorem apud Deum quaerit? Immo hac ratione *Sanctorum communio* servatur inter eos, qui in terris adhuc militant, et eos, qui jam in coelo triumphant; quae quidem apud protestantes inveniri nequit.

DIFFICULTATES.

54. I. Obj. 1. Patres qui a catholicis pro Sanctorum invocatione afferuntur, si unum vel alterum excipias, spectant ad IV vel V. saeculum, cum jam omnes superstitio illa pervaserit. 2. Patres praeterea illos erroribus obnoxios fuisse constat. 3. Ignatius, in *Ep. ad Philad.* cap. 4; Clemens alex., *Stromat.* lib. VII. cap. 7; Irenaeus, *Cont. haeres.* lib. II. cap. 32. uni Deo invocationem vindicant. 4. Quin etiam Origenes, *Cont. Celsum,* lib. VIII. n. 26; Tertullianus, *Apologet.* cap. 30. et Athanasius, *Cont. Arian.* alios quoslibet ab ea excludunt. 5. Quamvis enim Sancti pro nobis intercedant, invocari tamen a nobis nequeunt, cum invocatio ad supremum illud cultus latreutici genus pertineat, quod soli Deo debetur. 6. Sancti demum vita functi, ut dicitur Ecclesiast. IX. 5. *nihil noverunt amplius,* aut etiam ut legitur apud Is. LXIII. 16: *Abraham nescivit nos et Israel ignoravit nos.* Ergo.

55. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut exhibeant invocationem Sanctorum jamdiu in ecclesia universim receptam, *C.* uti recens inductam, *N.* Patres enim sive III. sive IV. saeculi praxim de Sanctorum invocatione exhibent jamdiu ante se ubique ac publice in ecclesia receptam; documenta praeterea indubia spectantia ad secundum et tertium saeculum eamdem mirifice confirmant, adeoque res extra omnem dubitationis aleam constituta est. Quod vero Patres IV et V. saeculi, nempe florentissimae ecclesiae aetatis, tenerentur ad unum omnes abjecta ac idololatrica superstitione, assertio est haereticorum digna, qui potius quam se deceptos fateantur, ecclesiam universam accusant erroris.

56. Ad 2. *D.* Patres obnoxii erroribus fuerunt uti privati doctores ac seorsum singuli, *C.* prout testes publicae ecclesiae doctrinae sunt simulque spectati, *N.* Eo vel magis quod pro se suffragium ecclesiae tulerint; denegare autem auctoritatem patribus omnibus uti testibus de re, quae illorum aetate obtinebat, perinde est ac omnem historicam certitudinem rejicere.

57. Ad 3. *D.* In subjecta materia, de qua disserebant, *C.* ad exclusionem invocationis Sanctorum, *N.* Praetermisso siquidem Ignatio, cujus locus objectus a Molinaeo spurius est, scilicet: *Virgines, solum Christum in orationibus ante oculos habete,* Clemens Alex. in VII. *Stromatum* libro gentiles arguit, quod deos suos invocarent; et Irenaeus confutat valentinianos, qui aeonas suos una cum falsis angelis invocabant, dabantque operam incantationibus.

58. Ad 4. *D.* Alios quoslibet excludunt ab illa invocatione quae fiat supremo bonorum omnium fonti ac largitori, *C.* quae fiat ad modum intercessionis apud Deum, *N.* Etenim Origenes loc. cit. excludit ab invocatione *daemones,* quos invocandos contendebat Celsus. Tertullianus excludit gentilium deos, quos negat a christianis invocari posse pro salute imperatorum. Athanasius arguit arianos quod sibi minime constantes, dum Christum negarent Deum esse, Deum tamen appellabant, eumque veluti creatura alia qualibet praestantiorem adorandum censebant.

59. Ad 5. *Neg.* Fieri non potest, ut aliquis pro nobis intercedere possit, nos vero nequeamus ejus patrocinium invocare; hoc enim absonum esset. Quod si invocatio, eo sensu quo illam adstruimus, pertineret ad supremum cultus latriae genus, talis pariter esset censenda invocatio viventium, quod nemo dicet.

60. Ad 6. *D.* Sancti vita functi *nihil noverunt amplius* virtute propria, *Tr.* vel *C.* Deo ipsis manifestante, ut superius ostendimus, *N.* Verba Ecclesiastae si in contextu inspiciantur, hunc sensum referunt, mortuos non posse in melius mutari. Isaias autem, Clerico interprete, significat *Deum multo potiore jure patrem Hebraeorum dici quam Abrahamum aut Jacobum.* Caeterum cum non desinant protestantes objicere ignorantiam rerum nostrarum praesertim vero precum ex parte Sanctorum, juverit eos refellere ex Grotio ipso, qui in *Consultat. Cassandri,* diversis perpensis modis seu rationibus a Patribus ac theologis in medium allatis, ad explicandam Sanctorum notitiam, concludit: *Itaque iniquc faciunt protestantes, qui idololatriae damnant eos, qui multorum veterum sententiam secuti, putant nostrarum necessitatum et precum notitiam aliquam ad martyres pervenire.* Huic consentiunt Leibnitzius in *Syst. theolog.* pag. 194, ac Thomas Brown, apud Esslinger.

61. II. Obj. 1. Sanctorum invocatio inutilis est ex parte Dei, qui paterno prae Sanctis omnibus nos amore prosequitur, satisque per se prospicit neccssitatibus nostris; 2. saltem ejusmodi invocatione, diffidentiae praebemus indicium. 3. Est praeterea superstitiosa ex parte nostra, cum saepius contingat nos opem implorare aut eorum, qui numquam fortasse exstiterunt, aut eorum quorum dubia saltem sanctitas est. 4. Ethnicam insuper super-

stitionem sapit Sanctos singulos pro singulis morbis aut beneficiis rogare. 5. Quod magis patet ex ratione, qua catholici consueverunt b. Virginem invocare, quasi ipsa sit gratiarum arbitra, e. gr. *Mala nostra pelle; Jesum nobis post hoc exilium ostende,* dum vocant eam *spem nostram* etc., quae nonnisi Deo competere possunt. 6. Sancti demum nihil nobis impetrare queunt, cum uberem ipsi meritorum suorum mercedem acceperint, nec aliud quidpiam valeant mereri. Ergo.

62. Resp. Ad 1. *D.* Deus nos prae Sanctis omnibus diligit, prospicitque per se necessitatibus nostris, si nos minime indignos amoris sui redderemus, ac nollet sanctos praeterea honorare, *C.* secus, *N.* Ante omnia animadvertimus hoc argumento etiam excludi invocationem viventium; deinde Deum hac ratione velle amicos suos honorare, dum ad illorum intercessionem nobis dona sua concedit; denique reponimus saepe nostris actionibus pravis indignos nos reddi beneficiorum suorum, quae proinde Deus interdum ob allatum motivum nonnisi ad preces Sanctorum nobis largiri vult, uti exempla adducta ex Scripturis ostendunt.

63. Ad 2. *D.* Respectu nostri, *C.* respectu Dei, quem bene novimus prae omnibus nos diligere, *N.* Responsio patet ex modo dictis.

64. Ad 3. *D.* Quod tamen dubium afficit solum applicationem et praxim disciplinarem, *C.* cultum ipsum, sive invocationem in se spectatam, *N.* Plures sancti sunt, de quorum existentia aut sanctitate ne protestantes quidem dubitant; si igitur aliud non obstet, poterunt istos invocare.

65. Ad 4. *D.* Si in sensu exclusivo catholici singulos Sanctos ad beneficia singula impetranda invocarent, *Tr.* si id praestent tantum pro gratiarum quae gratis datae vocantur divisione, quas Deus dividit prout vult, *N.* Jam vero talis est ratio, ob quam interdum pro peculiari beneficio catholici ad hunc potius quam ad alium Sanctum recurrunt, quae in Scripturis fundata est. Caeterum neque in sensu exclusivo id faciunt; et hoc praeterea afficit praxim, non invocationem ipsam, de qua nos agimus.

66. Ad 5. *Neg.* Objectae autem formulae intelligi semper debent ad sensum catholicae ecclesiae, quod nempe sive b. Virgo sive Sancti reliqui *mediante ipsorum intercessione* hoc vel illud praestent, Deum suppliciter deprecando faciunt, prout vel ipse Leibnitzius exponit, nec alio sensu intelligi a catholicis possunt, quibus persuasum est ex fide *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum,* seu a Deo concedi. Quo sensu etiam b. Virgo *spes nostra* dicitur, aliisve ejusmodi titulis donatur.

67. Ad 6. *D.* Si Sancti inniterentur meritis actualibus et propriis, *C.* si meritis Christi et meritis praecedentibus, *N.* Vera ratio, qua dicimus Sanctos aliquid nobis impetrare precibus suis posse, est amicitia qua actu fruuntur cum Deo et ex Christi meritis. Quo fit, ut solum *de congruo* non autem *de condigno,* seu merito presse sumpto, nobis a Deo beneficia obtineant.

CAPUT IV.

DE RELIQUIARUM CULTU.

68. Cultus nomine hic significamus illud obsequium, quod ex pio venerationis sensu exhibemus exuviis, cineribus, ossibus Sanctorum, aut etiam iis, quae ad Sanctos quoquomodo spectarunt, quaeque idonea sunt ad illorum memoriam excitandam: quo fit ut cultus iste totus sit relativus. Germanum ecclesiae catholicae sensum circa ejusmodi venerationem exposuit concilium tridentinum, Sess. XXV. his verbis: *Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse* (episcopi doceant), *per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur; ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa sanctorum memorias frustra frequentari omnino damnandos esse* (mandat sancta synodus), *prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat ecclesia.* Quam doctrinam vindicandam assumimus.

PROPOSITIO.

Sanctorum reliquiae et monumenta utiliter ac pie a fidelibus honorantur.

69. Ad fidem propositionem hanc spectare constat ex recitatis Tridentini verbis. Hujus porro honoris ac venerationis vestigia haud pauca in Scripturis suppetunt. Etenim praeter ea, quae in V. T. occurrunt, Exod. XIII. 19; collat. Eccles. XLIX. 16; IV. Reg. XIII. 21; collat. Eccles. XLVIII. 14; IV. item Reg. XXIII. 17, 18; in N. T. Matth. IX. historia legitur mulieris haemorrhoissae sanatae ex contactu fimbriae vestimenti Christi; Act. V. 15. infirmi in plateas ejiciebantur, *ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quempiam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis,* et ibid. XIX. [redacted] legitur quod *super languidos deferrentur a corpore ejus* (Pauli) *sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.*

70. Ab ipsis proinde ecclesiae primordiis, tribus nempe prioribus saeculis, receptam ubique ejusmodi venerationem certissima documenta testantur, quae ne confusionem pariant, in quasdam classes distribuimus.

71. Prima igitur conficitur ex sollicitudine fidelium in Sanctorum reliquiis colligendis; cujus rei testis est Epistola ecclesiae smyrnensis, in qua solliciti exhibentur christiani in colligendis s. Polycarpi reliquiis, *ut communicarent sancto cadaveri,* ad eas scilicet venerandas. Id ipsum testantur acta s. Ignatii M., cujus reliquias ingenti cura christiani sibi compararunt uti *thesaurum inaestimabilem ecclesiae relictum.* Testes praeterea christianorum cultus hac in parte sunt vel ipsi acerrimi religionis hostes, qui in cit. Epist.

ecclesiae smyrnensis fassi sunt vereri se, ne christiani, relicto Christo, Polycarpum adorare inciperent; omni idcirco qua poterant ratione martyrum corpora, ne a christianis colerentur, ethnici gladiatorum corporibus commiscebant; in amphitheatris feris, in aquis piscibus, ut vorarentur, exponebant; aut saltem igne illa cremabant, cineres dispergentes, uti ex martyrum actis constat.

72. Altera classis coalescit ex monumentis erectis super Sanctorum reliquiis, quaeque *confessiones, martyria, memoriae* vocabantur; item altaria, quae offerendo sacrificio inserviebant in cubiculis. Illustre jam a II et III. saeculo, Eusebio teste [1], erat *trophaeum* seu sepulcrum ss. apostolorum Petri et Pauli. Sic ossa s. Polycarpi, uti legitur in cit. Epist. ecclesiae smyrnensis, *gemmis pretiosissimis cariora et quovis auro pretiosiora sepulta sunt ubi decebat.* Quo in loco, convenientibus christianis, ejus martyrii diem celebrabant.

73. Tertia classis exsurgit ex primorum christianorum et ecclesiae universae studio ac sollicitudine in secernendis sanctorum martyrum exuviis a reliquorum fidelium ossibus. Solebant quippe illis signa adjungere aut palmae, aut ampullae sanguine martyris plenae, monogrammatis, aliorumque ejusmodi, de quibus ex professo agunt archaeologi sacri Bosius, Arringhius, Boldettus aliique passim.

74. Quarta demum classis constat ex obsequiis, quibus Sanctorum reliquias prisci fideles prosequebantur. Talia erant sacrificia, quae Deo in martyrum honorem super ipsorum tumulis in cryptis ac coemeteriis offerebant; cujus consuetudinis mentio fit in Actis s. Stephani papae, et *Constitutionibus apostolicis*, lib. VI. cap. 30; item osculum, quod sive eorum reliquiis sive catenis imprimi consueverat, quod quidem illa aetate, fatente Beausobrio, nisi ratio haberetur intentionis ejus qui illud figebat, signum erat supremi cultus, nempe latriae. Ex his igitur aliisque non paucis, quae afferri facile possent, luculenter patet ab aetate ipsa apostolica longe lateque in universa ecclesia reliquiarum venerationem receptam et frequentatam esse. Ex quo pronum est inferre aut Christi ecclesiam a suis primordiis idololatricam et superstitiosam fuisse, aut piam sanctamque esse sacrarum reliquiarum venerationem, quam ex apostolica traditione jugiter ecclesia professa est.

75. Verum enim vero rei ipsius natura communisque agendi ratio nos in ejusmodi venerationem inducit, siquidem cum aliquem summa in aestimatione habemus, eo animo sumus comparati, ut in pretio habeamus etiam quae ad illum, cum in vivis ageret, spectabant. Hac de causa vel ipsi protestantes magna sedulitate in Germania asservant atramentarium, quod Lutherus in diabolum injecit, ac suppellectilia, quibus olim haeresiarcha ille apostata usus est: porro iidem ipsi sunt, qui idololatriae catholicos insimulant, eo quod isti Sanctorum exuvias in honore ac veneratione teneant. Tanta est humanae mentis incohaerentia!

[1]) Lib. III. cap. 25.

DIFFICULTATES.

76. I. Obj. 1. Deus Moysis corpus abscondit, ne ab Hebraeis coleretur; quo declaravit nullum Sanctorum cineribus cultum esse tribuendum; 2. prout reipsa numquam Hebraei alicujus reliquias coluerunt. Sane vel ipsam sepulcrorum erectionem prophetis sanctis exprobrat Christus pharisaeis, dicens [2]: *Vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta justorum.* Ergo.

77. Resp. Ad 1. *D.* Abscondit Deus corpus Moysis, ne coleretur cultu superstitioso, *Tr.* ad excludendam reliquiarum venerationem, *N.* Incertum porro est, qua proprie de causa seu in quem finem Deus occultum voluerit Hebraeis sepulcrum Moysis, cum nuspiam id nobis patefecerit. Quod si liberaliter velimus cum adversariis agere, corpus illud, quod vel ipse Deus tantopere honorare voluit, dum illud per angelos sepelivit, ideo occultavit Hebraeis, ne ipsi adeo in idololatriam propensi superstitioso cultu illud prosequerentur, prout reipsa fecerunt respectu aenei serpentis in deserto erecti, quem destruxit Ezechias.

78. Ad 2. *D.* Hebraei numquam sancti alicujus reliquias coluerunt eo ritu exteriori, qui apud nos obtinet, *C.* venerationis sensum quo ipsas prosequebantur, cum opus esset, non patefecerunt, *N.* Ob recensitas causas Hebraei peculiarem cultum reliquiis Sanctorum exhibere non potuerunt; ast eos affectos erga illas venerationis sensu fuisse, in dubium revocari nequit, cum Deus ipse significaverit quo in honore illae habendae essent, uti cum IV. Reg. XIII. 31. ad contactum ossium Elisei mortuum excitavit, de quo proinde Ecclesiastici XLVIII. 14. legitur: *Mortuum prophetavit corpus ejus.* Hinc Josias cum caeterorum cineres dispergeret, venerationis gratia erga virum sanctum, qui prophetaverat eversionem altaris Bethel, ejus cineribus pepercit dicens, ibid. XXIII. 18: *Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus.*

79. Ad 3. *D.* Exprobrat Christus pharisaeis hypocrisin perversamque eorum agendi rationem, *C.* sepulcrorum erectionem in se spectatam, *N.* Ut liquet ex iis, quae immediate adjecit: *Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum... et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Apposite Chrysostomus sic verba Christi exponit: *Non quia aedificant, nec quia patres suos accusant, vae illis dixit; sed quia ita facientes et ita docentes, patres suos condemnare audebant, cum ipsi pejora committerent.*

80. II. Obj. 1. Alte siluerunt de reliquiarum cultu trium priorum saeculorum Patres, quamvis dimicassent adversus gnosticos martyriorum refragatores. 2. Nec nisi serius martyrum corpora sub altaribus aut in thecis collocata sunt, aut in publica supplicatione gestata, quandoquidem prius terrae mandabantur. 3. Clemens alex. in *Protreptico adv. gentes;* Tertullianus, lib. *De idololatr.* cap. XXVIII; Minutius Felix in *Octavio,* aliique

[2]) Matth. XXIII. 39.

passim, exprobrabant ethnicis templorum altariumque super mortuorum sepulcris consecrationem, ac religionem mortuorum. Ex ethnicis igitur superstitiosus iste cultus ad ecclesiam pervenit.

81. Resp. Ad 1. *D.* Supplentibus Patrum silentium factis ineluctabilibus, *C.* secus, *N.* Quae porro facta testatissima adduximus, rem conficiunt. Quod si Patres illi sive haereticis futuram resurrectionem negantibus, sive martyriorum refragatoribus non opposuerunt reliquiarum cultum, ita se gesserunt, eo quod et hunc haeretici illi rejicerent.

82. Ad 2. *D.* Eodem vigente dogmate, diversi diversis temporibus ritus in cultu adhibendo obtinuerunt, *C.* quasi idem dogma non viguisset, *N.* Vigentibus persecutionibus fieri non poterat, ut iidem solemnes ritus in colendis Sanctorum reliquiis usurparentur, qui cessantibus persecutionibus adsciti sunt. Quod tamen in potestate fidelium erat ad patefaciendam suam erga reliquias venerationem, omissum non fuit, ut patet ex allatis probationibus. Reddita porro ecclesiae pace, sub Patrum ipsorum oculis, qui ad tertium saeculum spectabant, majori solemnitate cultus iste explicari coepit ubique.

83. Ad 3. *D.* Patres ethnicis exprobrarunt mortuorum religionem, templorum altariumque super eorumdem sepulcris consecrationem ratione adnexae superstitionis, *C.* per se, *N.* Inseparabilis siquidem erat ab ethnicorum principiis mortuorum religio, templorum ac altarium consecratio; putabant enim defunctorum animas oberrare circa sepulcra, et Augustino teste [3], *aut daemones sive genios ac deos esse,* adeoque templa et aras exstruebant dicabantque mortuis, veluti numinibus. Haec porro nihil commune habent cum catholicorum sensu in reliquiarum veneratione.

84. Quod si deinceps catholici nonnullos materiales ritus adsciverunt in reliquiarum cultu, qui communes ethnicis fuere, cum diversum tamen principium, diversus finis in utrorumque cultu sit, nulla est ratio quamobrem hi ritus purificati ab ethnicorum sordibus ea de causa damnari debeant, prout crimini ecclesiae non vertitur, quod purificatis ethnicorum delubris, ea converterit in templa veri Dei. Adeoque invicta manet Hieronymi ad eamdem Fausti ac Vigilantii expostulationem responsio [4]: *Quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est, hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est.*

85. III. Obj. 1. Superstitiosum est cineres mortuorum colere, in quibus nulla est excellentia. 2. Innumerae prope reliquiae suppositititae sunt. 3. Abusus haud pauci in earum cultum irrepserunt. Ergo.

86. Resp. Ad 1. *D.* Eam Sanctorum cineres excellentiam non habent, ob quam coli possint cultu *absoluto, C.* ob quam colantur cultu *relativo, N.* Etenim Sanctorum corpora fuerunt aliquando viva Christi membra ac templa Spiritus Sancti, quorum animae nunc aeterna cum Deo felicitate fruuntur,

[3]) *De civit. Dei,* lib. IX. cap. 2.

[4]) Lib. I. *Cont. Vigil.* n. 8.

excitanda olim et ipsa et glorificanda. Deus praeterea non semel per haec corpora illustria miracula ad honorem ipsis conciliandum operari dignatus est. Quamvis idcirco nullam in se excellentiam hi cineres aut ossa haec prae se ferant, ob quam cultu absoluto coli debeant, possunt tamen ob recensita motiva coli veneratione relativa.

87. Ad 2. *D.* Plures reliquiae dubiae aut suppositititiae sunt, *Tr.* omnes, *N.* Cum vero cultus, quem Sanctorum reliquiis adstruimus, totus relativus sit, nihil exinde detrimenti provenit, si aliquando eas dubias aut suppositititias esse contingat; uti fatetur ipse Leibnitzius. [5] Caeterum reliquiae suppositititiae tot non sunt, quot adversarii depraedicant; concilium vero tridentinum, Sess. XXV. decrevit non esse *novas reliquias recipiendas, nisi recognoscente et approbante episcopo*, eisque sub cautionibus, quas sapienter praescribit. Fieri autem nequit ut fraudes omnes praecaveantur.

88. Ad 3. *D.* Abusus irrepsere ex parte privatorum, *C.* ex parte ecclesiae, *N.* In his quaestionibus permisceri nequit dogma cum privatorum praxi; illud sanctum ac immutabile est, in istam obrepere abusus vel ecclesia invita possunt. Satis est ut illos damnet ecclesia, et quoad ejus fieri potest de medio tollantur, prout nullo non tempore eos averruncare ecclesia sategit.

CAPUT V.

DE SACRARUM IMAGINUM USU AC VENERATIONE.

89. Imagines Christi Deiparae Virginis aliorumque Sanctorum ex praescripto concilii tridentini Sess. XXV. in templis praesertim habendae ac retinendae sunt, eisque debitus honor ac veneratio impertienda: *Non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur.* Ex imaginum adversariis, alii earum et usum et cultum rejiciunt, adeoque eas destruunt, *iconoclastae* propterea nuncupati; alii usum retinent etiam ad templorum ornatum et ad historiam, ast venerationem omnem abjiciunt, *iconomachi* idcirco vocati, tales vero plerique sunt hodierni protestantes. Usum proinde et cultum sacrarum imaginum vindicare aggredimur adversus utriusque generis hostes; quod quidem prius ex Scripturis, deinde vero ex traditione conficimus.

[5]) *System. theologic.* pag. 198.

PROPOSITIO I.

Sacrarum imaginum usum ac venerationem licitam ac piam esse sacrae litterae ostendunt.

90. Vix de usu quaestio esse potest, cum in Scripturis non modo eum probatum, sed ex Dei ipsius mandato in V. T. praescriptum videamus. Nam Exod. XXV. 18, 19. Deus Moysem jussit duos Cherubim exstruere in utroque arcae latere collocandos, dicens: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies; ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero.* Num. pariter XXI. 8. Dominus Moysi imperavit, ut faceret serpentem aeneum, poneretque *eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet.* Jam vero aeneum serpentem typum ac imaginem fuisse Christi in crucem elevandi declaravit Christus ipse his verbis [1]: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Quod si licitus ac pius usus fuit typi ac imaginis Christi ante ejus adventum, cur illicitus ac impius usus imaginis Christi passi erit existimandus?

91. Ast non solum imaginum usum, verum etiam earumdem venerationem licitam ac piam esse sacrae litterae ostendunt. Nemo ignorat arcam in V. T. symbolum fuisse praesentiae Dei. Porro Hebraeos arcam veneratos esse constat ex Jos. VII. 5. ubi de Josue legitur: *Scidit vestimenta sua et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel.* Id ipsum constat ex Psalm. XCVIII. 5. in quo dicitur: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Scabelli* autem *pedum Domini* nomine arcam designari patet ex I. Paral. XXVIII. 2. ubi David de se ipso dicebat: *Cogitavi, ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri.* Cum propterea arcam Domini adoraverint, cumque ex adductis Psalm. XCIII. verbis ea adoranda fuerit, aut licitam piamque imaginum venerationem fateamur necesse est, aut superstitionis ac idololatriae reos in cultu arcae Josue ac senes Israel accusemus, immo et Dei mandatum in Psalm. cit. expressum pro objecto superstitionem et idololatriam habuisse dicamus. Quod postremum blasphemum cum sit, nonnisi impie iconomachi protestantes superstitionis atque idololatriae ream incusant catholicam ecclesiam ob impensam imaginibus venerationem.

DIFFICULTATES.

92. Obj. 1. Deus tum usum tum cultum imaginum prohibuit illis verbis [2]: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem... Non adorabis ea, neque coles.* 2. Hoc sensu haec primi decalogi verba esse intelligenda, testes sunt vetus synagoga doctoresque legis, qui non modo nullam umquam imaginum venerationem admiserunt, sed nec earum usum passi sunt. 3. Nec

[1]) Joann. III. 14.

[2]) Exod. XX. 4 seqq.

aliter mandatum hoc veteres ecclesiae patres Clemens alex. [3], Tertullianus [4], Justinus [5], Origenes [6], interpretati sunt. 4. Eo vel magis quod imaginibus christianorum illa omnia apprime aptari possint, quae veteres prophetae de idolis gentium scribebant, quod eadem materia ac vascula immunda constarent; quod insensibilia ac irrationabilia essent; quod denique super illis mures, hirundines, araneae nidificarent ac jocarentur. Ergo.

93. Resp. I. Generatim has difficultates aeque premere iconomachos protestantes ac iconomachos vetustiores. Quin proinde sibi adversentur, nequeunt eas in catholicos intorquere, ut solent.

94. Resp. II. Ad 1. *D.* Prohibuit Deus omnem similitudinem et sculptile falsorum deorum, vel rerum earum quae uti dii haberi possent, *C.* omnem similitudinem ac effigiem absolute, *N.* Nam 1°. id ostendit contextus: *Ego sum Dominus Deus tuus. . . Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, neque eorum quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles;* quibus Aegyptiorum ac Zabienorum praesertim idololatriam proscribit, qui ea objecta ut deos habebant, colebantque illorum simulacra cultu absoluto. 2°. Id praeterea ostendit mandatum hoc de Dei unitate ad exclusionem deorum gentium, eorumque simulacrorum, alioquin undecim decalogi praecepta essent. 3°. Id denique ostendit factum ipsum de arca ejusque veneratione ex Dei ipsius jussu, nec non de Cherubim ac serpente aeneo ex Dei praecepto constitutis.

95. Ad 2. *D.* Testes sunt vetus synagoga legisque doctores post captivitatem babylonicam ad severiorem legis custodiam, *C.* ante captivitatem, *N.* Ut enim legitur III. Reg. cap. VI et VII. Salomon in templo a se aedificato Cherubim exstruxit, boves ac leones, palmas aliaque ejusmodi ornamenta, Deo ipso probante. Quod si de veneratione sermo sit, satis est recolere quae scripsimus circa agendi rationem Josue, seniorum Israel, et David cum universo populo quoad arcam foederis. Quod si seniores Hebraei *ad legis sepimentum*, uti rabbini loquuntur, rigidiore ratione sese gesserunt quoad imagines, id non tam ex vi legis, quam ex firmiore legis observatione factum est, ut populus ab omni labendi in idololatriam, ut antea dictum est, periculo amoveretur.

96. Ad 3. *D.* In ordine ad ethnicorum idola deorumque simulacra, *C.* absolute, ad catholicorum mentem, *N.* Cum enim agerent allegati Patres adversus idololatriam, hoc ipso patet eos non perstrinxisse nisi idola gentium, falsorumque deorum simulacra. Quod si Tertullianus et Clemens alex. alicubi visi sunt asserere Deum primo decalogi praecepto omnem imaginum usum interdixisse, alibi contrarium statuunt, fatenturque intelligi id debere

[3]) *Strom.* I. 5.
[4]) *De spectac.* cap. 13. et lib. *De idolol.* cap. 3.
[5]) *Dialog. cum Tryphone.*
[6]) *Cont. Celsum,* lib. IV.

de ea similitudine, quae pro Deo coleretur, aut etiam id asserunt de similitudine seu imagine, quae Deum ipsum referret, uti censet Nat. Alexander.

97. Ad 4. *D.* Aptari possunt, sed diversa ratione, *C.* eadem ratione, *N.* Cum enim gentes simulacra seu idola ut deos haberent, aut saltem illis divinam inesse virtutem existimarent, merito prophetae, ac post eos ecclesiae Patres, qui hic recensentur, exprobrabant ipsorum idolis; cum vero catholici imagines et simulacra non colant nisi cultu relativo, nullamque in ipsis virtutem agnoscant, ideo nonnisi stulte illa objicerentur sacris imaginibus; alioquin exprobrari haec ipsa possent et arcae, Cherubim etc., cum et super his potuerint et aves nidificare, jocari mures et suas araneae telas conficere.

PROPOSITIO II.

Usus et veneratio sacrarum imaginum ex traditione evincitur.

98. Usum sacrarum imaginum tribus prioribus ecclesiae saeculis obtinuisse nunc res testatissima est, ut constat I. ex priscorum fidelium consuetudine exprimendi religionis mysteria imaginum ope. Nam annulorum referentium imaginem piscis vel columbae, quibus christiani utebantur, meminit Clemens alexandrinus. [1] Plura ejusmodi monumenta exhibent Arringhius [2], ac Bonarrotius. [3]

99. II. Haec eadem symbola in lapidibus, lucernis, gemmis, picturis ac sarcophagis, saepissime occurrunt, in quibus praecipua Veteris ac Novi Testamenti facta referuntur. Symbola praeterea Christi ejusque imago in monte consistentis, virgam aut crucem gestantis, aut sub figura boni pastoris pascentis aut succollantis ovem, passim in coemeteriis conspiciuntur; quae quidem monumenta magno numero collegerunt archaeologi sacri. Satis hic sit verba afferre, quibus Tertullianus antiquum imaginum usum confirmat [4]: *Procedant*, sic montanista interpellat catholicos, *ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius;* et iterum [5]: *Si forte,* inquit, *patrocinabitur pastor quem in calice depingis.*

100. Nec solum usum sed et venerationem sacrarum imaginum priscis illis saeculis viguisse ex certis documentis pariter constat. Ethnici enim passim christianos incusabant, quod cruces adorarent. Sane Caecilius ethnicus apud Minucium Felicem, in *Octavio,* de christianis ait: *Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum caeremonias fabulantur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant, quod merentur;* et iterum: *Ecce vobis minae, supplicia, tormenta, etiam non adorandae sed subeundae cruces.* Sic etiam Julianus apostata apprime versatus in christianorum ritibus apud Cyrillum, lib. VI. contra eumdem, christianos alloquitur: *Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte*

[1]) *Paedagog.* lib. III. cap. 9.
[2]) *Romae subterr.* lib. III.
[3]) *De vitreis fragmentis.*
[4]) *De pudicitia,* cap. 7.
[5]) Ibib. cap. 10.

formatis, et postibus aedium insculpitis. Eamdem accusationem Celsus apud Origenem, lib. II. n. 47. christianis infert. Argumento igitur evidentissimo est antiquos christianos crucem veneratos esse, quod cum in ethnicorum notitiam pervenisset, autumarunt fideles cruces uti deos habuisse.

101. Nec solum cruces, verum etiam alias imagines coluisse christianos veteres, atque in cubiculis ac coemeteriis posuisse venerationis causa certissime constat. In coemeterio enim Praetextati vetus adhuc cubiculum visitur, ubi mysteria celebrantur, depictum et in cujus fornice imago eminet Salvatoris, quae pariter occurrit in coemeteriis Calixti, s. Agnetis, Priscillae, sanctorumque Petri et Marcellini in via lavicana, quas profert Boldetti. [6] Id ipsum evincunt vitra, in quibus jam a saec. III. exhibetur Virgo cum puero Jesu *nimbis* seu aureolis et coronis redimita, uti symbola venerationis, quam christiani erga b. Virginem profitebantur.

102. Hoc ipsum rei ipsius ostendit natura; fieri enim nequit ut non veneremur imagines eorum, quos cultu prosequimur; relativa siquidem haec sunt, ut patet ex iis, quae in civili seu politica societate peragere solemus. Consueverunt scilicet homines amorem vel odium in aliquem patefacere pro diversa ratione, qua ejus imagines aut simulacra prosequuntur. Interdum enim ob meritum litterarium, bellicum aut civile, quo aliqui excelluerunt, illorum memoriae perennandae gratia statuae eriguntur, ac imagines, quae summo in pretio habentur, publice conspiciuntur. Contra vero si odium in se concitarunt, eorum solent imagines deleri ac dejici simulacra, prout nos ipsi conspeximus. Nec alia nos gerimus ratione erga illos, qui virtutibus christianis exemplo caeteris fuerunt; cum prototypa veneramur, imagines eorum veneremur necesse est. Ex earum conspectu ad illorum virtutes ac gesta aemulanda provocamur piique in nobis excitantur sensus, prout e contra evenire solet ad turpium imaginum praesentiam. Sic enim animo comparati sumus.

103. Ad praecavendas difficultates animadvertendum est 1°. imagines ad religionis essentiam non pertinere, adeoque illarum usum admittere aut non admittere rem disciplinae esse, quae ecclesiae moderationi ac prudentiae subest. Hinc prout locorum, temporum ac personarum adjuncta exposcunt, potest ecclesia imagines vel adsciscere vel ablegare, ut interdum reipsa factum est. Animadvertendum 2°. est quoad venerationem earumdem in ecclesiae potestate esse externas significationes moderari, prout melius expedire judicaverit.

DIFFICULTATES.

104. I. Obj. 1. Cum veteres Patres ethnicis exprobrarent simulacrorum cultum, hoc ipso ostenderunt christianos haec minime coluisse. 2. Adde ethnicos crimini vertisse christianis, quod *nulla haberent nota simulacra,* ut legitur apud Minucium Felicem in *Octavio;* 3. quod quidem apologetae fassi

[6]) Op. cit. lib. I. cap. 4.

sunt; 4. profitentes praeterea se neque crucem, neque aliud quodvis simulacrum colere; 5. adeoque in veterum ecclesiarum instrumentis, et sacrae suppellectilis recensionibus, quae quatuor prioribus saeculis factae sunt, nullae prorsus imagines occurrunt. Ergo.

105. Resp. Ad 1. *D.* Ostenderunt christianos simulacra non coluisse eo cultu supremo et absoluto, quo ethnici colebant simulacra sua, *C.* nullo modo coluisse, *N.* Christiani cum imagines venerarentur in ordine ad prototypa seu cultu relativo, nullus illarum cultus videri poterat, siquidem conferebatur cum cultu illo supremo, quo simulacra sua ethnici prosequebantur. Insuper nonnisi parce et absque ullo exteriori apparatu hanc significabant venerationem, ratione habita temporum caeterorumque adjunctorum. Adeoque jure poterant veteres Patres ethnicis exprobrare simulacrorum cultum, quin inde argumenti intorsionem vererentur; praesertim cum prisca illa aetate imagines potius quam simulacra haberent christiani.

106. Ad 2. *D.* Christiani non habebant *nota* simulacra, *C.* nulla prorsus habebant, *N.* Etenim cum in cryptis, in coemeteriis, in aediculis christiani imagines suas haberent, cavebant summopere, ne in ethnicorum illae notitiam venirent. Caecilius propterea quaerit ab Octavio, cur ipsi *occultare et abscondere quidquid illuc colunt, magnopere nituntur; cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?*

107. Ad 3. *D.* Apologetae non inficiati sunt se imagines seu simulacra non habere, prout non inficiabantur se non habere templa et altaria, *C.* secus, *N.* Nam et hoc pariter objiciebant gentiles christianis, uti Caecilius inter caeteros, qui sic loquitur in *Octavio: Cur nullas aras habent? templa nulla? nulla nota simulacra?* Nec tamen apologetae horum quidpiam inficiabantur, cum nihilominus certissimum sit primos fideles et sacras aedes et altaria habuisse; ratio porro est, quia ad mentem ethnicorum respondebant, nec res christianas illis prodere volebant. Eadem sese ratione gesserunt quoad imagines, quas certum quoque est ex allatis documentis apud christianos in ipsis locis sacris exstitisse.

108. Ad 4. *D.* Profitentes se crucem aut aliud quidvis non colere ad ethnicorum mentem, *C.* absolute, *N.* Ut enim ex contextu liquet, apologetae professi sunt se crucem aut simulacra uti deos haud colere: siquidem ita Octavius Caecilio respondet: *Cruces nec colimus nec optamus. Vos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis;* id quod Tertullianus respondet, irridens ethnicos, quod rudem palum sub Palladis Atticae aut Farreae Cereris nomine adorarent, dicens [7]: *Nos si forte, integrum et totum Deum colimus;* quasi diceret: Si crucem, ut vos asseritis, velut deam coleremus, quod falsum est, non palum rudem, qui pars crucis sit, sed integram crucem, atque adeo integrum Deum adoraremus.

109. Ad 5. *D.* In illis peculiaribus ecclesiis, in quibus recensiones

[7]) *Apologet.* cap. 16.

suppellectilium factae sunt. *Tr.* in caeteris. *N.* Fieri enim potuit, ut peculiari ex causa imagines in illis non haberentur. Contra facta positiva, quae attulimus, nullam vim habent recensiones negativae. Ut plurimum insuper Christi et sanctorum imagines in parietibus depictae erant, ut patet ex coemeteriis romanis.

110. II. Obj. 1. Patres gnosticos et carpocratianos accusarunt, quod imagines venerarentur, inter quos s. Irenaeus [8]. s. Epiphanius [9]. s. Augustinus. [10] Quapropter 2. conc. illiberitanum can. XXXVI. ita constituit: *Placet picturas in ecclesiis esse non debere, ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.* 3. S. Epiphanius in anablatensi ecclesia scidit *velum pendens e foribus ecclesiae, et habens imaginem quasi Christi vel Sancti cujusdam... contra auctoritatem Scripturarum*, ut ipsemet refert in *Epist. ad Joannem episc. hierosolym.* 4. S. vero Gregorius M licet in Epistolis ad Serenum datis eum reprehenderit, quod imagines fregerit, laudavit tamen ejus zelum, *ne quid manufactum adorari possit.* Ergo.

111. Resp. Ad 1. *D.* Patres haereticos illos accusarunt quod superstitiose imagines venerarentur, *C.* ob venerationem per se, *N.* Etenim s. Epiphanius refert gnosticos et carpocratianos imagines sacrificiis coluisse [11], quod idololatricum est: cum imaginibus praeterea Christi et apostolorum imagines Homeri, Pythagorae, caeterorumque profanorum conjunxisse, simulque adorasse. Num ita catholici sese umquam gesserunt?

112. Ad 2. *D.* Quoad imagines quae Deum referrent, *Tr.* quoad imagines sanctorum, *subd.* ita poscentibus illius temporis adjunctis, *Tr.* quoad imagines in se, *N.* Itaque animadverto 1°. incertum penes eruditos esse, quanam proprie de re agatur in objecto canone: plerique illum exponunt de imaginibus Dei, quae certo haberi non possunt, idque colligunt ex motivo adducto a Patribus: *Ne quod colitur* etc.: 2°. quod si sermo sit de imaginibus Sanctorum, invictum exinde haberi documentum de Sanctorum cultu, ut patet ex adductis verbis, secus ac protestantes contendant: 3°. verisimile est canonem hunc oeconomiae cujusdam gratia constitutum esse, vigente adhuc persecutione; 4°. impetere ipsum imaginum usum, quem protestantes admittunt.

113. Ad 3. *D.* Ut rudi prospiceret Anablatensium indoli, *Tr.* quasi imaginum usum Scripturis contrarium abjiceret, *N.* Etenim ignorare non poterat s. Epiphanius imaginum usum in ecclesiis Ponti, Cappadociae, Antiochiae et Constantinopolis viguisse, uti testantur Gregorius nyssenus, Basilius et Chrysostomus, cum quibus ipse in communione erat. Dici propterea debet aut in Cypro eumdem usum nondum obtinuisse aetate s. Epiphanii, aut peculiaria adjuncta facti illius, nobis ignota, s. Epiphanium ad velum illud scindendum permovisse.

114. Ad 4. *D. Ne quid manufactum adorari possit* cultu superstitioso, *C.*

[8]) Lib. I. cap. 25. n. 6.
[9]) *Haeres.* 27.
[10]) *De haeres.* cap. 7.
[11]) *Haeres.* cit. n. 6.

cultu relativo ad mentem catholicae ecclesiae, *N.* Mens pontificis innotescit ex ejus *Epistola ad Secundinum,* ubi scribit: *Et nos quidem, non quasi ante divinitatem, ante illam* (Christi imaginem) *prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur.*

115. III. Obj. 1. Synodo nicaenae II. decernenti imaginum cultum refragati sunt auctor *Librorum Carolinorum,* conventus parisiensis ac synodus francofordiensis ex universo ferme Occidente collecta. 2. Idque merito: catholici enim imagines adorantes prosternunt se coram ligno, lapide ac tela. 3. Nec aliter sese gesserunt ethnici, qui et ipsi nonnisi cultu relativo imagines ac simulacra veneratione prosequebantur, quod tum ex eorumdem testimoniis patefit apud s. Augustinum in Ps. CXVIII. tum ex facto ipso. Cum enim multiplicarent idola, non ideo deos multiplicari arbitrabantur, nec adeo stolidi erant, ut lignum et lapides esse deos existimarent; neque idcirco idololatriae ac superstitionis ex parte ss. Patrum effugerunt accusationem. 4. Ejusdem proinde criminis rei censendi catholici sunt, qui etsi imagines ac simulacra minime ut deos habeant, agnoscunt tamen quamdam in imaginibus excellentiam, quo fit, ut unam prae alia colant, longas ad eas peregrinationes suscipiant, miracula fingant, aliaque ejusmodi praestent, quae abjectam redolent superstitionem. Ergo.

116. Resp. Ad 1. *D.* Decreto nicaeno illi refragati sunt errore facti decepti, *C.* debitum cultum imaginibus denegantes, *N.* Auctor *Librorum Carolinorum* ac utraque allegata synodus duplici errore facti decepti sunt, ac 1°. in eo quod falso putaverint nicaenam synodum particularem fuisse, neque a rom. pontifice Hadriano probatam; 2°. in eo quod perperam autumarint eamdem synodum decrevisse eam adorationem tribuendam imaginibus esse, *quae sit secundum latriam,* quaeque ss. Trinitati defertur, uti barbara versio illius concilii prae se ferebat. Utroque errore deposito, Galli et Germani nicaenam fidem amplexi sunt. Ad auctorem *Librorum Carolinorum* et conventum parisiensem speciatim quod attinet, nonnulli censent eos iconomachorum errore quoquomodo adspersos; alii vero ab ejusmodi imputatione illos purgare satagunt.

117. Ad 2. *D.* Quatenus tela, lapis ac lignum imagines referunt prototypi, *C.* in se spectatis, *N.* Alioquin incusandi pariter essent Josue ac seniores Israel, qui coram arca prostraverunt se; cum adversarii gestiunt ad conspectum effigiei matris vel sponsae suae, gestirent coram tela; cum Antiocheni ac Thessalonicenses statuas dejecerunt Theodosii imperatoris, non nisi lapides dejecissent.

118. Ad 3. *D.* Nonnulli, quique nec idololatria immunes erant, *C.* ethnici generatim seu multitudo, *N.* Hoc non fuit nisi paucorum effugium, dum a christianis premerentur. Illorum praeterea idololatria erat polytheismi fructus; nec poterant non esse vana idola falsorum deorum simulacra. Caeterum tum ex Scriptura, tum ex auctoribus ecclesiasticis et profanis, in *Tract. de Deo* invicte ostendimus, ethnicos passim utroque crimine poly-

theismi ac idololatriae presse sumptae se commaculasse. Adversus facta conjecturae omnes evanescunt. Animadvertenda praeterea hic est pessima adversariorum agendi ratio, qui ut catholicos reos idololatriae traducant, contendunt eos cultu absoluto imagines colere; ut vero ab hoc crimine liberent ethnicos, toti in eo sunt, ut evincant eos non coluisse idola nisi cultu plane relativo. Praeclare sane!

119. Ad 4. *Neg.* Quod si catholici interdum unam prae alia imagine venerantur, ob extrinsecas et accidentales causas id factitant, non ob intrinsecam, quam in illis agnoscant, excellentiam. Tales porro sunt aut prodigia, quae per eas Deus interdum patrare dignatus est, aut peculiaris affectus, quo quis ad alicujus conspectum se permoveri experitur aliaeque ejusmodi.

120. Eaedem causae originem praebuerunt longinquis peregrinationibus ad invisenda sanctuaria, ut vocant, quae a remotissimis temporibus coeperunt. Eas frequentarunt viri sanctitate praestantes tum ad recolenda augusta religionis nostrae monumenta, tum ad laboriosam poenitentiam peragendam, a qua certe abhorrent protestantes, ne injuria Christum afficiant.

121. Usus tegendi velo sacras tabulas Deum ipsum auctorem habet, qui Exod. XL. 3. Moysen jussit demittere velum ante arcam. Hinc etiam Salomon, ut legitur II. Paral. III. 14. velo obtexit altare aureum, quod erexerat. Antiquae ecclesiae partem interiorem velis et tentoriis separatam habebant a parte exteriore; velis tegebantur martyrum sepulcra. Ad haec si attendisset synodus pistoriensis, venerandae antiquitatis aemulatrix dicta a suis, usum profecto tegendi velo imagines sacras minime carpsisset.

122. Miracula non fingunt catholici, sed facta publice patrata referunt, quae tota interdum spectante civitate contigerunt, quorumque a legitima auctoritate instructi juridici exstant processus. Si nonnulla identidem suppositia sunt, non ideo vera sunt abjicienda.

123. Dices: Saltem nefas est Dei aut ss. Trinitatis imagines pingere atque in templis collocare, ne errori causa praebeatur.

124. Resp. *D.* Pingi nequeunt Deus aut ss. Trinitas prout in se est, seu in natura sua, *C.* sub forma symbolica qua Deus, seu peculiaris persona ss. Trinitatis apparuit, *N.* De prima ratione nullum esse dubium potest: de altera nihil vetat quominus Deus aut aliqua ex Trinitate persona in imagine repraesentetur, prout in Vetere aut Novo Testamento se conspiciendam exhibuit. In antiquis proinde musivis operibus, ac in aediculis christianorum in coemeteriis constitutis passim ejusmodi imagines offenduntur. S. Paulinus nolanus [12] inter caeteras imagines, quibus basilica s. Felicis ornata erat, imaginem describit ss. Trinitatis. Ad avertendum erroris periculum perlevis instructio satis est; jure idcirco Alexander VIII. hanc propositionem quae est num. 25. proscripsit: *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est in templo collocare;* ac Pius VI. alteram eidem affinem synodi pistoriensis pariter proscripsit.

[12]) *Epist.* XXXII. *ad Sever.*

CAPUT VI.

DE CRUCE.

125. Ideo de cruce apposite agitur (quamvis aut uti reliquia spectari possit, si de ipsa vivifica sermo sit, cui Christus fuit affixus, aut uti imago, si de aliis disseratur) quod proprios adversarios nacta sit, qui stauromachi nuncupantur. Crux igitur, ut innuimus, aut ipsa dominica est, aut ejus imago, aut denique in signo transeunte consistens. De cruce sub triplici hoc respectu insequentem statuimus propositionem.

PROPOSITIO.

Omni superstitione vacat tum cultus, quem catholici Cruci dominicae ejusque imagini deferunt, tum usus Crucis signi, quod passim ab ipsis usurpatur.

126. Ad fidem thesim hanc pertinere evincunt paulo ante de reliquiis ac de imaginibus Tridentini decreta, nec non damnatio stauromachorum, Claudii videlicet taurinensis, Petri bruisiensis, Wicleffi, aliorumque obscuri nominis haereticorum, quorum sordes verrere non dubitarunt Lutherus, Calvinus eorumque sectatores apud Gretzerum, in op. *De Cruce.*

127. Atque ut a prima propositionis parte exordiamur, ejus veritas ex universi christiani orbis conspiratione elucessit in adoranda dominica cruce ab Helena reperta ac effossa; cujus rei luculentissimi testes sunt Patres coaevi. S. enim Ambrosius, in *Orat. de obitu Theodosii*, fidem pietatemque sapientis Helenae commendat, *quae crucem in capite regum locavit, ut crux Christi in regibus adoretur;* eadem habent S. Cyrillus hierosolymitanus [1], s. Joann. Chrysostomus, in libro *Quod Christus sit Deus,* s. Paulinus nolanus [2], Theodoretus [3]; adeo ut vere scripserit Rusticus Diaconus: *Clavos, quibus confixus est* Christus, *et lignum venerabilis crucis omnis per totum mundum ecclesia absque ulla contradictione adorat.* [4]

128. Nec mirum videri debet cultum ejusmodi vivificae ac salutari cruci impensum fuisse, cum constet vel a primis saeculis in summo honore ipsius crucis effigiem habitam esse, ut patet ex allatis documentis, quibus vidimus ethnicos christianis exprobrasse cujusvis indiscriminatim crucis adorationem; quae calumnia profecto intentata fidelibus non fuisset, nisi certas eos cruces venerari vidissent.

129. Nec defuit Deus miraculis in hoc cultu cohonestando, inter quae celebris est visio quam refert Eusebius in *Vita Constantini* [5], ab hoc imperatore habita *de Crucis trophaeo* cum inscriptione: *Hoc vince*: nec non crucis apparitiones in judaeorum vestibus, cum ipsi, hortante Juliano apostata,

[1]) *Catech.* X. n. 19.
[2]) *Epist.* XXXI. *ad Sulpic. Sever.*
[3]) *Hist. eccles.* lib. I. cap. 18.
[4]) Biblioth. PP. De la Bigne, col. 1154.
[5]) Lib. I. cap. 28.

templum hierosolymitanum instaurare aggressi sunt, testibus Socrate, Sozomeno, Theodoreto ac Ruffino, de hoc agentibus argumento.

130. Sed ut aliquid jam adjiciamus de eo, quod Tertullianus vocat *signaculum frontium*, illius usum antiquissimum in ecclesia esse nec ipsi protestantes inficiari ausi sunt, qui tamen contendunt ut nudam caeremoniam signum hoc usurpatum esse ad fidei professionem. Ast frustra; idem enim Tertullianus finem exhibet multiplicem istius usus, scribens [6]: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Hoc insuper signo fugari solitos daemones, Epiphanius, uterque Gregorius, Athanasius, Jo. Chrysostomus, Cassianus, Prudentius aliique passim testantur, adjicientes per salutare hoc signum patrata miracula, maleficas incantationes dissipatas, morbosque fuisse depulsos. Quam virtutem vel ipsi aquae, hoc signo consecratae, tribuunt.

131. His constitutis, inquiri solet quodnam cultus genus tribui debeat dominicae Cruci. Nec enim defuerunt theologi scholastici, quos inter eminet Aquinas, qui veram crucem ejusque effigiem latriae cultu adorandam esse affirmarent; ast Bellarminus scribit [7], hunc loquendi modum catholicorum aures offendere, liberiusque blasphemandi haereticis ansam praebere; adeoque constituit neque veram Christi crucem neque ejus imaginem per se latriae cultu adorari posse. Nequit enim creaturae, multo vero minus rationis experti, cujusmodi crux est, cultus latriae supremus impendi. Hanc sententiam Actis conc. nicaeni II. innixam plerique jam theologi sectantur. Quod si honor imaginis transit in exemplar, idem non debet impendi honor imagini ac ipsi prototypo, prout aliud exhibetur obsequium regi, aliud ejus imagini. Nec obest ecclesiam canere: *O crux ave, spes unica... O crux adoranda;* siquidem aut per crucem Christus significatur, aut innuitur nos expectare fructum crucis, nempe aeternam salutem per merita Christi cruci affixi.

DIFFICULTATES.

132. Obj. 1. Crux dolorem ac ignominiam Christo attulit, coli igitur nequit. 2. Si cruci cultus esset impendendus ob corporis Christi contactum, Jordanis igitur aquae, asello cui Christus insedit, Judae labiis etc., cultus esset pariter deferendus. 3. Quod si agatur de crucis imagine, multo ea minus coli debet; alioquin praesepia, columnae, spinae, flagella omnia colenda essent. 4. Absonum demum est characteribus ac signis divinam tribuere virtutem, ut catholici solent, qui vim fugandi daemones, morbosque dispellendi crucis signo tribuunt. Ergo.

133. Ad 1. *D. Cons.* Si ratio haberetur ignominiae aut doloris, quem crux Domino attulit, *C.* si illius tantum gloriae, quae ex dolore et igno-

[6]) Lib. *De corona milit.* cap. 5.

[7]) *De imag.* lib. I. cap. 20 seqq.

minia Christo parta est, et emolumentorum, quae nobis provenerunt, *N.* Hoc autem intendunt catholici in crucis cultu.

134. Ad 2. *D.* Si ob solum contactum materialem cultus hic impenderetur, *C.* si praeterea, immo potissimum ob moralem respectum, *N.* Christo porro crux instrumentum fuit, quo salutis nostrae hostes vicit, *palam triumphans eos in semetipso*, ut loquitur Apostolus [8], et in quo affixum ac deletum est *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* Atque ex his patet disparitas in allatis exemplis, praesertim quae moralem prae se ferunt indecentiam ut manus percutientis Christum, labia Judae, aliaque hujusmodi.

135. Ad 3. *D.* Si praesepia, columna, etc. pingerentur vel sculperentur ad Christi Domini mysteria nativitatis, e. gr. aut passionis referenda, *C.* secus, *N.* Porro cruces in hunc finem, ad referendam scilicet veram Christi crucem institutae sunt, non item vero praesepia, columnae, flagella, etc. Adeoque nulla inter crucis imaginem et haec objecta paritas intercedit.

136. Ad 4. *D.* Absonum esset divinam virtutem signis et characteribus tribuere, praescindendo a virtute Christi, *C.* huic innixi, *N.* Jam vero nemo umquam catholicorum signis per se sumptis talen virtutem tribuit, sed quatenus referunt Christi passionem, tacitaque saltem ejusdem Christi invocatio in illorum usu supponitur.

Et haec hactenus.

[8]) Coloss. II. 14.

TRACTATUS

DE GRATIA.

PROOEMIUM.

1. Fructus dominicae incarnationis ac redemptionis est gratia, qua Deo reconciliamur, ac divinae naturae consortes efficimur et haeredes vitae aeternae. Cum de coelesti hoc munere hic agere debeamus, in tres partes tractationem hanc distribuimus: in quarum prima de gratia actuali, in secunda de gratia sanctificante seu de justificatione, in postrema de merito, quod eam consequitur, sermo erit.

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI.

2. Universa de gratia doctrina arctissimo nexu conjungitur cum doctrina de primaeva hominis paradisiaci conditione ejusque lapsu, ab eaque dependet. Ut igitur sub una veluti synoptica tabula doctrinam haereticorum, et doctrinam catholicam de gratia praebeamus, juverit eas a suo fonte repetere, ut inde etiam pateat unitas tractationis nostrae.

3. Contrarias plane semitas, qui per defectum, aut per excessum circa gratiam peccarunt, haeretici iniverunt pro diversis placitis, quibus circa primorum parentum statum ac lapsum adhaeserunt.

4. Etenim per defectum a veritate desciverunt 1°. pelagiani, qui neque primorum progenitorum elevationem ad ordinem supernaturalem per justitiae originalis collationem admiserunt, nec proinde primigeniam labem, qua

infecta ac debilitata evaserit humana natura. Ex quo principio intulerunt hominem viribus arbitrii sui ita sibi sufficere, ut absque ullo gratiae subsidio omnimodam perfectionem immo et *imperturbabilitatem* assequi possit. 2°. Sociniani ac rationalistae, qui cum pelagianis plane circa utrumque articulum conveniunt, autumantes praeterea hominem paradisiacum non fuisse nisi typum idealis perfectionis ad quem Adae posteri provocantur, cui alter typus longe perfectior additus est in Christo Jesu, quem homines perfectibilitatis dote praediti in se referre, immo et superare queunt. 3°. Semipelagiani, ita nuncupati a partitis cum pelagianis erroribus, qui permiscentes in primo parente donum integritatis cum dono elevationis, quamvis originalis noxae propagationem admiserint, nimis viribus arbitrii tribuerunt. Initium siquidem salutis atque perseverantiam ad gratiae exclusionem ab hominis arbitrio repetierunt; sicque tum gratiae necessitati tum ejusdem gratuitati detrahebant.

5. Per excessum autem a vero abluserunt novatores saec. XVI. qui cum constituerint protoparentum integritatem ac statum supernaturalem, partem essentialem esse humanae naturae, intulerunt 1°. per originale peccatum ita foedatam esse in essentiali sua parte naturam humanam, ut nihil sani et integri in ea permanserit; 2°. adeoque extinctum in ea esse liberum arbitrium ac rationis lumen, ita ut ad nullos actus, ne dicam pios, sed neque naturalis ordinis, homo idoneus fuerit effectus; 3°. opera omnia sine gratia elicita totidem vitia ac peccata esse; 4°. hominem denique sive ad bonum gratia, sive ad malum concupiscentia cogi, passivumque se quoad utrumque habere. Bajus et ex ipso Jansenius et Quesnellus novatorum systema adoptarunt, dum originalem justitiam debitam homini innocenti, ejusque partem saltem integralem constituere docuerunt. Ex identitate porro principii pronum ipsis fuit inferre easdem consecutiones circa liberi arbitrii amissionem, pravitatem operum naturalium in infidelibus et peccatoribus, gratiae et concupiscentiae vim, aliaque ejusmodi corollaria.

6. Contra vero ecclesia catholica docet 1°. justitiam originalem donum fuisse superadditum homini innocenti planeque gratuitum et accidentale; 2°. proinde per lapsum destitutum hominem esse originali justitia cum donis adnexis; 3°. adeoque in ordine ad statum supernaturalem et gratiam sanctificantem mortuum esse; secundum animam autem et corpus in deterius mutatum in ordine ad integritatem. 4°. Quae cum homini obvenerint ob amissionem doni superadditi, fit eum ex ecclesiae doctrina in talem incidisse statum, in quo, dempta culpa, fuisset a Deo conditus, si ipse noluisset ad statum supernaturalem illum elevare caeterisque donis cumulare; imbecillitati nempe illi obnoxium esse, quam per se postulat humanae naturae conditio; 5°. sine gratiae propterea auxilio nihil vel optare, velle aut efficere hominem lapsum posse in ordine ad statum supernaturalem; 6°. hanc gratiam prorsus gratuitam esse, ex mera scilicet Dei largitate propter Christi merita homini tribui; 7°. huic gratiae posse hominem libere cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, aut etiam dissentire si velit; 8°. posse insuper vi liberi arbitrii quamvis attenuati bonum aliquod morale velle hominem

lapsum ac efficere, neque idcirco opera omnia sine gratia peracta totidem peccata esse; 9°. opus tamen gratia medicinali esse cum de arduis praeceptis agitur, aut cum quis gravibus urgetur tentationibus, sive ad illa adimplenda, sive ad has superandas, prout aliquo subsidio indiguisset homo in statu purae naturae ad illa praestanda; 10°. hanc porro gratiam, urgente praecepto, nemini deesse praesertim vero fideli justificato, cum Christus illam morte sua omnibus promeruerit.

7. Ex duplici hoc conspectu tum errorum, in quos haeretici prolapsi sunt, tum veritatum catholicarum, quas tenet ecclesia, nec non ex respectiva origine, nexu ac dependentia cum doctrina conditionis primi parentis, sponte eruitur munus, quod nobis in hac prima tractationis parte incumbit. Agendum scilicet nobis est de gratiae necessitate, de ejusdem, ut vocant, gratuitate, natura ac distributione. In totidem idcirco capita partem hanc tractatus dispertiemur, praemissa, ut par est, actualis gratiae multiplici acceptione ac divisione.

CAPUT I.

PRAELIMINARE.

DE GRATIAE ACTUALIS NOTIONE AC DIVISIONE.

8. Gratiae nomine generatim quodvis munus significatur sive internum sive externum, quod Deus pro liberalitate sua homini confert; adeoque creatio, conservatio, multo vero magis lex, doctrina, exempla aliaque ejusmodi, nec non dona *gratis data* nuncupata, uti potestas miracula ac vaticinia edendi, etc. gratia lato sensu vocantur.

9. Pressius vero sumpta gratuitum illud internum auxilium significat gratia, quod Deus per Christi merita homini lapso largitur, tum ut ejus prospiciat infirmitati ad bona praestanda ac mala declinanda, tum ut eum erigat ad statum supernaturalem, idoneumque efficiat ad actus supernaturales eliciendos, quibus justificationem possit adipisci, adepta vero in ea perseverare, donec vitam assequatur aeternam.

10. Ex qua gratiae notione patet hic agi non modo de dono gratuito interno naturae superaddito, cujus causa *efficiens* Deus sit, *meritoria* Christus, *finalis* vita aeterna; sed de illo praeterea dono agi, cujus duplex sit effectus, tum scilicet subveniendi naturae infirmitati per peccatum contractae, tum hominem lapsum ad pristinum statum supernaturalem restituendi unde exciderat, adeoque idoneus fiat ad actus supernaturales eliciendos, qui impetratorii quidem sint justificationis, non autem ejusdem meritorii, prout sunt post justificationem, aut vitae aeternae.

Gratia quatenus inservit infirmitati reparandae dicitur *medicinalis*, quatenus vero statui supernaturali recuperando usui est *elevationis* nuncupatur. Fieri enim potest, ut gratia ad solum robur addendum conferatur, ut infidelibus negativis, quorum opera moraliter bona et honesta tantum permanent, licet elicita gratiae auxilio; fieri item potest, ut detur gratia ad ponenda

opera supernaturalia, quin vires augeantur, cum agitur de re facili, levique superanda tentatione.

Exinde profluit illa penes theologos recepta distinctio inter *substantiam* operis et ejusdem *supernaturalitatem;* ad primam sufficit gratia supernaturalis *entitativa* vulgo dicta, ad alteram requiritur praeterea *objectum formale* sive *motivum.* Si duo haec concurrant ad aliquam eliciendam actionem, illa proprie dicta gratia exsurgit, quae talis sit tum ratione *sui*, tum ratione *modi;* gratia ratione sui seu quoad substantiam afficit potissime voluntatem; ea quae ratione *modi* supernaturalis dicitur, praecipue afficit intellectum.

11. Presso proinde sensu gratia actualis post notiones, quas exhibuimus, definiri potest: *Donum Dei internum ac supernaturale creaturae rationali per Christi merita concessum ad actus salutares eliciendos aut etiam meritorios vitae aeternae.*

12. Gratia sic expressa multifariam dividitur, ac primo in *praevenientem* sive *excitantem*, quae interdum etiam *operans* dicitur, et in *cooperantem* sive *concomitantem.* Juxta veteres, Augustinum praesertim, gratia *praeveniens* ea dicebatur, quae *meritum* omne *praeveniret;* juxta recentiores vero *gratiae praevenientis* nomine motus illi indeliberati significantur, qui ad bonum alliciunt, atque a Deo in nobis excitantur sine nobis, quatenus a nostra non pendent voluntate. Quae duplex acceptio prae oculis habenda est tum ad veterum intelligentiam, tum ad aequivocationes detegendas. Gratia *cooperans* est concursus supernaturalis ad illud opus, ad quod per gratiam praevenientem excitamur. Gratia praeveniens afficit immediate intellectum, mediate autem voluntatem, gratia vero cooperans immediate afficit voluntatem. Utrique gratiae simul sumptae illa convenit definitio, quam Augustinus, lib. IV. *ad Bonifac.;* seu *Cont. duas Epist. Pelagian.* cap. 5. n. 11. exhibet, quod nempe gratia sit *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus;* seu, ut scribit in lib. I. *De grat. Christi,* cap. 12. ea est, quae *datur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; non solum ut diligenda credamus, verum ut credita diligamus.*

13. Dividitur secundo gratia in *sufficientem* et *efficacem;* sufficiens ea dicitur, quae caret effectu; efficax, quae effectum obtinet, ad quem datur. Unde repeti debeat assensus vel dissensus voluntatis, suo loco dicemus.

14. Gratia sufficiens iterum distinguitur in *proxime* et *remote* sufficientem. Proxime sufficiens vocatur, quae vires necessarias immediate praebet ad operandum; remote vero, quae mediante oratione illas suppeditat.

15. Hae praecipuae sunt gratiae actualis divisiones, nam quod attinet ad gratiam habitualem seu sanctificantem, qua quis justus constituitur, de ea in altera tractatus parte dicturi sumus.

CAPUT II.

DE GRATIAE NECESSITATE.

16. Pelagiani ac sociniani, ut vidimus, omnimodam gratiae necessitatem impugnant; semipelagiani vero quoad fidei initium ac perseverantiam. Novatores contra saec. XVI. quibus jansenistae adstipulantur, ultro ejusdem urgent gratiae necessitatem, dum sine illa nullum opus moraliter bonum patrari posse ab homine autumant, multo vero minus sine fide, aut sine justificatione seu gratia sanctificante. Quatuor hos errores quatuor articulis aggredimur.

ARTICULUS I.

DE ERRORIBUS PELAGIANORUM CIRCA GRATIAE NECESSITATEM.

17. Juxta pelagianum systema homo nunc nascitur non aliter ac exposceret naturalis ejus conditio, in qua ab initio a Deo conditus est, scilicet absque ulla ad statum supernaturalem elevatione, nec subsidii alicujus indigentia sive ad superandam concupiscentiam, sive ad dispellendam ignorantiam, bonumque quodlibet praestandum, cum sibi ipsi homo sufficiat. Quod si Deus concedit seu superaddit aliquot praesidia tum interna tum externa, ea ad reddendum quidem faciliorem hominis laborem conferunt; ast absolute necessaria non sunt.

18. Quamvis hoc systemate gratiae necessitas omnino everteretur, Pelagius tamen errorem suum minime aperte professus est, sed ut catholicis illuderet 1°. gratiam fassus est, sed gratiae nomine dona naturalia Creatoris significabat; 2°. donis Creatoris deinde sub gratiae nomine legem ac revelationem adjecit; 3°. exempla Christi peccatorumque remissionem; 4°. juxta nonnullos aliquam praeterea admisit interiorem illustrationem, qua indirecte saltem hominis voluntas ad facilius operandum excitaretur juxta illa s. August. verba, quibus cum retulisset Pelagii dictum [1]: *Ut, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam;* subdit: *Tolle facilius, et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus.* Ulterius neque Pelagius, neque Coelestius, neque Julianus, progressi sunt, qui numquam absolutam gratiae necessitatem, quae immediate ageret in voluntatem eamque adjuvaret ad eliciendos actus supernaturales, et vires ei adderet tum quoad eorum substantiam tum quoad modum, seu gratiam inspirationis admiserunt. Gratiam insuper praevenientem, quae scilicet meritum nostrum praeveniret, numquam pariter pelagiani fassi sunt.

19. Ex his colligimus 1°. controversiam inter s. Augustinum et pelagianos agitatam in postrema periodo fuisse de gratiae necessitate, quae immediate afficeret voluntatem eam praeveniendo et adjuvando, non autem, ut contendit Jansenius [2], de gratia quae necessitatem inferret voluntati. Colli-

[1]) *De Grat. Christi,* cap. 29.

[2]) *De haeres. Pelag.* cap. 11.

gimus 2°. hanc gratiae necessitatem, quatenus complectitur et praevenientem et cooperantem, ad actus singulos salutares absolutam esse juxta doctrinam catholicam, quam s. Augustinus propugnavit adversus Pelagium ejusque discipulos. Ad utramque veritatem ita ex ordine vindicandam accedimus.

PROPOSITIO I.

Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis.

20. De fide propositio est his canonibus a concilio tridentino, Sess. VI. definita; scilicet can. II: *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter, possit; anathema sit.* Et can. III: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet...; anathema sit.* Hanc eamdem catholicam fidem jamdiu adstruxerant concilia in causa Pelagii celebrata, inter quae eminet diospolitanum ann. 415. in quo septimus Pelagii articulus proscriptus est: *Gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse vel in lege ac doctrina.* Caeteris porro omissis, concilium arausicanum II. ann. 519. hunc canonem, qui VII. est, constituit: *Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... haeretico fallitur spiritu.*

21. Doctrinam porro hanc Scripturis inniti facile ostenditur: etenim ex Scriptura sine gratia nec cogitare, nec velle, nec operari quidpiam possumus, quo ad salutem perveniamus; ergo ad omnes prorsus actus salutares juxta Scripturam gratia necessaria est. Sane de cogitatione haec scribit Apostolus [1]: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est;* de voluntate sic pergit Apostolus disserere [2]: *Deus est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate;* demum universim pronunciat [3]: *Ipsius* (Dei) *sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quibus verbis nos in ordine ad aeternam salutem comparati sumus rebus, quae ex nihilo educuntur, ut sint, subsistant et agant. Quae quidem cum iis cohaerent Christi verbis, quae Joann. VI. 44. leguntur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* et ibid. XV. 4, 5: *Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.*

[1]) II. Cor. III. 5.
[2]) Philipp. II. 13.
[3]) Ephes. II. 10.

Quae postrema Christi verba expendens Augustinus: *Sive parum*, inquit [4], *sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.*

22. Quoad sensum ecclesiae traditionalem hujus theseos testes locupletissimi sunt vel ipsi pelagiani, qui ut ecclesiae damnationem effugerent, formulis specie tenus catholicis novae doctrinae pessimum virus tegere debuerunt, prout ipsi contigit Pelagio in synodo palaestinensi. Testes praeterea sunt Patres omnes et concilia, quae vix agnitos exhorruerunt uti turpissimam haeresim novos pelagianorum articulos.

23. Demum vel ipsa ratione theologica evertitur pelagianum systema; cum enim hoc profluat ex principio de primorum parentum conditione naturali ad exclusionem elevationis humanae naturae ad statum supernaturalem, ac proinde ejusdem amissionis per Adae peccatum, illo everso, prout praestitum a nobis est in *Tract. de Deo creatore*, part. III. systema de nulla gratiae necessitate corruat necesse est.

DIFFICULTATES.

24. I. Obj. Inter opera salutaria primum locum obtinent actus fidei, spei, caritatis, conversionis aliique ejusmodi; atqui hi liberae subduntur hominis voluntati; nam 1. credere vel non credere in hominis potestate est: cum enim objectum cognoscitur a Deo revelatum, ac motiva perspecta habentur credibilitatis, nihil vetat quominus homo illi possit assentiri si velit, aut illud respuere; idem dic de spe, quae concipitur ex Dei promissis ac possibilitate assecutionis ejus, quod promittitur; idem de caritate, ratione habita summae Dei amabilitatis; sic potest viribus propriis homo resipiscere et ad Deum converti. 2. Quae quidem omnia Scripturae ipsae docent: *Praedicate,* inquit Christus, *Evangelium omni creaturae... qui crediderit, salvus erit,* quin aliquid adjecerit de peculiari gratiae subsidio ad id necessario; sic etiam passim hortatur Scriptura indiscriminatim homines ad spem, ad caritatem, ad conversionem, ad eleemosynam tribuendam et ad alia ejusmodi peragenda, nulla gratiae mentione facta. Frustra porro haec a nobis exigerentur, nisi in nostra potestate essent. 3. Hinc Apostolus [5]: *Velle,* scribit, *adjacet mihi.* 4. Sane quorsum Deus libero hominem instruxisset arbitrio, si impar esset ad eos actus eliciendos, qui hominem ad finem perducerent, ad quem conditus est, ita ut toties gratia indigeret, quoties actus salutares elicere vellet? Ergo.

25. Resp. *Dist. min.* In ordine naturali, *Tr.* in ordine supernaturali de quo disserimus, *N.* Duo in actibus recensitis distingui debent, *substantia* et *modus.* Si de operis substantia sermo sit eaque facili, nihil impedit quominus homo propriis viribus, uti paulo post expendemus, ejusmodi actus possit elicere; ast si de modo agatur, certum est nullum vel tenuem actum salutarem seu supernaturalem ab homine viribus propriis elici posse. Nam hoc ipso quod de actu supernaturali agitur, qui supra naturam est eamque

[4]) *Tract.* LXXXI. *in Joann.* n. 3. [5]) Rom. VII. 18.

excedit, elici unice hic potest gratiae praevenientis et operantis subsidio. Atque exinde fit, ut quoties concilia disserunt de actibus fidei, spei etc., toties addant gratiam ad illos ponendos requiri, ut eliciantur *sicut oportet ad salutem* etc.

26. Ad 2. *D.* Scripturae non semper *expresse* ad fidem, spem etc. gratiam requirunt, aut ejus mentionem injiciunt, *C.* non eam supponunt, *N.* Cum enim generatim Scripturae a Dei peculiari dono et auxilio repetant cogitationes salutares, volitiones, fidem etc., necessario supponunt hoc Dei auxilium, ubi videntur ab hominis voluntate requirere assensum ad fidem, nec non conversionem, et caetera ejusmodi; quae eatenus dici possunt in nostra potestate, quatenus Dei gratia hominibus praesto est, a quibus ea exiguntur.

27. Ad 3. *D.* *Velle adjacet mihi* in ordine ad luctam cum concupiscentia, *C.* in ordine ad actus salutares, *N.* In objecto porro textu de ea pugna loquitur Apostolus, quae in homine invenitur inter carnem et spiritum, quae sibi invicem naturaliter adversantur.

28. Ad 4. Resp. Ut gratiae praevenienti assentiatur, cooperetur operanti, et sic disponatur homo ad justificationem per actus salutares ad quos excitatur, et cum justificationem fuerit adeptus actus praeterea meritorios eliciat vitae aeternae. Necesse enim est, ut actus isti liberi sint: nisi porro libera voluntate homo praeditus esset, nullo modo posset illos elicere, et nullo modo mereri. Sicque apprime duo haec inter se componuntur, libera scilicet voluntas ac necessitas gratiae ad omnes et singulos actus salutares et meritorios eliciendos.

29. II. Obj. 1. Nuspiam Scriptura operationes gratiae *immediatas* et *supernaturales* commemorat, multo vero minus earumdem necessitatem. 2. Hae siquidem studium virtutis impedirent foverentque stupidum mysticismum, Deumque, negative saltem, auctorem peccati inducerent. 3. Scriptores sacri a naturali hominum voluntate bonas omnes actiones repetunt. 4. Dicendum propterea ab humana industria pendere evolutionem principiorum moralium, quae Deus humanae veluti menti insculpsit, atque conservat ac excitat etiam per studium religionis christianae rite intellectae. 5. Omnis proinde de gratia doctrina revocari potest ad doctrinam de providentia singulari, qua Deus cuncta ad hominis perfectionem provehendam disponit. Ergo.

30. Resp. Ad 1. *N.* Nam vel ipsis rationalistis fatentibus, Scripturae saltem N. T. docent homines permoveri 1°. ad religionis christianae cognitionem, et ad eam profitendam; 2°. ad animi mutationem evangelii praeceptis convenientem; 3°. ad perseverantiam in fide evangelio praestanda atque in virtute perficienda conspicuam; ad singulas demum virtutes ac motus pios, dotes etiam singulares quasdam cum Baptismo interdum conjunctas, vel eum praecedentes. Idque Deo et Jesu Christo, et Spiritu S. in animos effecta salutaria immittentibus. Cum haec praedicentur in Scripturis, nihil interest, si in illis non inveniantur voces de *immediatis* et *supernaturalibus* orationibus; nec enim de vocibus quaestio est, sed de re.

31. Ad 2. *N.* Immo vero mirifice ejusmodi operationes studium virtutis promovent, cum exinde discant homines christiani se a Deo ad illud excitari ac permoveri gratia sua ab eaque adjuvari ad virtutem perficiendam, superandasque difficultates. Stupidus mysticismus non est timendus nisi apud pietistas protestantes, qui vim gratiae tribuunt cogendi humanas voluntates juxta placita suorum priorum emendatorum, qui docuerunt auferri per gratiam libertatem, ac veluti truncos ac lapides ab ea homines permoveri, immo cogi. Ex eodem principio descendit quod adjicitur de Deo, saltem negative auctore peccati, quatenus in istorum systemate Deus gratiam non confert nisi solis electis, reliquos vero impellit ad peccatum. Praeclara protestantismi doctrina!

32. Ad 3. *Neg.* Ut constat ex rationalistarum ipsorum confessione, quam adduximus in resp. ad 1. et ex allatis probationibus.

33. Ad 4. *D.* Ab humana industria, seu ab humana voluntate gratia praeventa et adjuta, *C.* a sola humana industria, *N.* Nam *nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Humana industria non versatur nisi circa ea, quae naturalis ordinis sunt et quidem intra quosdam limites.

34. Ad 5. *D.* Si verae essent praemissae, ex quibus ejusmodi conclusio deducitur, *C.* si falsae sint, uti ostendimus, *N.* Certe ejusmodi conclusio digna rationalistarum est, qui fidem omnem abjecerunt una cum revelatione supernaturali, quique in religione christiana non agnoscunt nisi humanae mentis excultae opus, ulterioris etiam perfectionis capax.

PROPOSITIO II.

Necessaria praeterea est Dei gratia homini lapso tum ad plures veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas.

35. Ad fidem catholicam spectat enunciata propositio, quam s. Augustinus adversus pelagianos propugnavit. Sibi enim soli sufficere pelagiani hominem docuerunt, utpote qui per originalem lapsum minime laesus fuerit. Contra vero catholici, qui cum Tridentino profitentur protoparentum culpa integritatem naturae una cum justitia originali amissam, *totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse*, tenent medicinali Christi gratia opus esse, ut sanetur natura circa ignorantiam ex parte intellectus, circa pronitatem in malum ex parte voluntatis, et circa concupiscentiam ex parte conjunctionis animae cum corpore.

36. Utque omnis removeatur aequivocatio, animadvertimus 1°. hic agi de sola operis moralis *substantia*, non autem de *modo*, seu de opere *supernaturali* ac *salutari*. Animadvertimus 2°. agi de veritatibus naturalibus, quae attingunt moralem vivendi rationem; animadvertimus 3°. impotentiam,

de qua est sermo, non esse *physicam*, sed *moralem*, quae nempe difficultatem tantum significet tum absolute tum relative, adeoque plures paucioresve gradus admittat, spectatis temporis, loci, individuique adjunctis.

37. Quibus ita compositis, sic primam partem evincimus, quae ignorationem plurium veritatum naturalis ordinis attingit. Laborare homines morali impotentia plures veritates cognoscendi, quae tamen scitu necessariae sunt, ostendit experientia omnium saeculorum. De infidelibus, revelatione destitutis, nihil attinet dicere post ea, quae disseruimus in *Tract. de vera Religione* ad revelationis divinae necessitatem ostendendam. Quod vero spectat ad fideles, exinde liquet, quod innumeri pene semper inveniantur, qui aut pro mentis angustia, aut officiorum quibus distinentur multitudine, aut applicationis difficultate eorumdem officiorum ad praxin, aliisque ejusmodi non paucis, saepe debeant illud Apostoli ingeminare: *Quid eligam ignoro*, nisi divinae gratiae lumine illustrentur.

38. Opus praeterea gratiae subsidio esse homini lapso ad omnia Dei mandata servanda duo evincunt, difficultas scilicet quae haud paucis inest praeceptis divinis, ac insita homini imbecillitas. Sane injuriarum condonatio, inimici dilectio, continentia et his similia humanae infirmitati adeo difficilia sunt, ut sine gratiae ope nonnisi aegre servari possint. Hinc illud Apostoli [1]: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

39. Quod si huic difficultati accedant graves tentationes, quibus saepe nimis homo propulsatur, multo magis gratiae sanantis necessitas patet. Ex illis enim aliae intrinsecae sunt, quae ex cupiditatibus oriuntur, aliae extrinsecae ex daemonis aggressionibus, mundi illecebris ac blandimentis progenitae. Quare Apostolus de se ex persona hominis sub lege constituti scribebat [2]: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis;* cumque v. 34. exclamasset: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* subdit: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

40. Gratia igitur sola Salvatoris nostri ea est, quae mederi possit ignorantiae nostrae, vires addere ad legem adimplendam, et ad graves tentationes superandas.

DIFFICULTATES.

41. I. Obj. 1. Humana mens dummodo rite fuerit exculta, sibi sufficit ad omnes ordinis sui veritates cognoscendas. 2. Nec enim inferioris conditionis homines sunt censendi quam animantia bruta, quae a Deo iis omnibus instructa sunt, quibus finem suum assequi valeant. 3. Satis proinde erit, si evolvi possit, mediante institutione et experientia, ut ulteriorem perfectionem jugiter attingat. Ergo.

42. Resp. Ad 1. *D.* Physice et absolute, *C.* moraliter, *N.* Porro de hac morali impotentia nos loquimur; fatemur enim physice hominem lapsum

[1]) Rom. VII. 18. [2]) Loc. cit. v. 23.

illis pollere praesidiis, quibus absolute queat difficultates omnes superare, alioquin impune laberetur. Ast fieri moraliter nequit ob allatas rationes, ut homo eas omnes vincat, uti quotidiana experientia edocemur. Nec enim disserimus de homine in abstracto, sed in concreto.

43. Ad 2. *Nego paritatem.* Bruta siquidem animantia instinctu necessario aguntur, homines vero utpote libertate praediti ratione sibi concessa abuti possunt, ac reipsa saepe abutuntur. Cum vero prava voluntas haud parum influat in rationem, exinde fit, ut homo deterioris conditionis evadat, nisi ei gratia subsidio sit.

44. Ad 3. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Tum solers institutio, tum experientia adminicula sunt, quibus humana mens proficere possit: habita nihilominus ratione infirmitatis homini insitae post originalem lapsum, certum est, eum sine praesenti gratiae adjutorio haud posse illam omnimodam ac jugem perfectionem, quam adversarii fingunt, adipisci.

45. II. Obj. Testis Scriptura est pluribus in locis, posse hominem viribus propriis legem universam implere. Etenim 1. Deut. XXX. 11. Moyses ait: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum;* et Ecclesiast. XV. 16. dicitur: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* 2. Apostolus universim pronunciat [3]: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt. Si naturaliter,* ergo viribus naturae lex naturalis servari potest. 3. Hinc de se adhuc sub lege constituto idem Apostolus testatur [4]: *Secundum justitiam, quae in lege est, conversatus sine querela.* 4. Adeoque s. Jo. Chrysostomus scribit [5]: *Admiratione dignos esse* gentiles, *quod nec lege ipsis opus fuerit, et tamen omnino, quae legis erant, praestiterint.* 5. Cui consonans s. Hilarius affirmat [6]: *Eos in viventium libro esse, qui antea sine ulla Christi cognitione pie in lege versati omnia praescripta legis impleverint, de quibus secundum legem Apostolus Paulus ita docuit* (*Rom.* X.): *Quia qui fecerit ea, vivet in illis.* 6. Sane ideo *naturalis* lex vocatur, quod intra naturae limites contineatur; 7. cavendum demum est, ne nimium facultatem humanam deprimendo excusentur, qui propria vitiositate ducti legem violant ac peccant. Ergo.

46. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Una cum Dei auxilio, *C.* ad hujus exclusionem, *N.* Quamvis, ubi de legis observatione agitur, nulla gratiae expressa mentio occurrat, ea semper subintelligitur; quod patet ex eodem Moyse, qui ante objecta verba, ibid. v. 6. jam dixerat: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua.* Quo pariter spectant illae frequentes David caeterorumque prophetarum preces, quibus a Deo poscunt, ut sibi aut populo cor docile tribuat ad legis mandata custodienda.

47. Ad 2. *D. Naturaliter*, id est, ipsa natura duce, gentes ea, quae judaei praestabant docente lege scripta, servabant, *C.* solis naturae viribus, *N.*

[3]) Rom. II. 14.
[4]) Philipp. III. 6.
[5]) *Hom.* V. *in Epist. ad Rom.* n. 5.
[6]) In Ps. LXVIII. n. 24.

Scopus Apostoli in objecto loco est ostendere gentes a lege non esse feriatas, cum eam gererent veluti insculptam in cordibus suis, quamvis legem scriptam non acceperint uti judaei. Ast nuspiam docet Apostolus sive judaeos sive gentiles solis naturae viribus legem servasse.

48. Ad 3. *D.* Secundum justitiam legalem, seu coram hominibus, *C.* quoad legem moralem coram Deo, *N.* Hoc enim non ferebat ejus scopus, et in Ep. ad Titum, III. 3 seqq. contrarium scribit.

49. Ad 4. *D.* Ad mentem Apostoli expositam in resp. ad 2, *C.* in sensu adversariorum seu ad exclusionem gratiae, *N.* Docet enim s. Joannes Chrysostomus, *Hom.* XIII. *in eamdem ad Rom.* epistolam, legem sine gratia non sufficere ad salutem, nec sine speciali Dei auxilio spem salutis ac tentationum victoriam haberi posse.

50. Ad 5. *D.* Gratia adjuti, *C.* sine gratia medicinali Salvatoris, *N.* Nec enim dicit Hilarius eos, de quibus loquitur, omnia perfecisse, quae legis sunt, sine gratia.

51. Ad 6. *D.* Quia intra naturae ordinem continetur, *C.* quia potest tota sine gratia adimpleri, *subd.* physice, *C.* moraliter, *N.*

52. Ad 7. Resp. Hunc timorem vanum esse, quia juxta catholicam doctrinam, quoties grave ac difficile urget praeceptum, toties Deus gratia sua praesto est. Nemo quippe nisi volens peccat; adeoque nulla remanet excusatio.

53. III. Obj. 1. Graviores tentationes censentur mortis timor atque concupiscentia; jam vero mortem solis naturae viribus innumeri prope superarunt, quod patet ex Romanorum exemplo, qui amore patriae eam sustinuerunt, atque ex tot haereticis et schismaticis, qui mortem obierunt potius quam errores suos ejurarunt, quibus profecto gratia opitulata non est; 2. quod vero attinet ad concupiscentiam, Genes. IV. 7. dicitur: *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius;* ergo solius arbitrii est eam vincere eique dominari. Ergo.

54. Resp. Ad 1. *D. min.* Per vehementiorem cupiditatem, *C.* per motivum moraliter honestum, *subd.* accedente gratia, *C.* sine ipsa, *N.* Experientia utique edocemur interdum homines sive vehementissima cupiditate, sive animi ferocia, aliisve de causis mortem contempsisse: quo referuntur allata Romanorum, schismaticorum, haereticorumve exempla. Ast haec nec virtus nec fortitudo est. Si qui vero virtutis amore, e. gr. amore patriae aut veritatis mortem obierunt, non sine gratiae auxilio eos ita se gessisse censendum est, ut docet s. Augustinus [7], qui hoc gratiae donum proprium esse affirmat *exhaeredatorum,* eo quod illis concedatur, non ut ad regnum coelorum promoveantur, quod solum *filiorum* et *haeredum est;* sed ut mitius propter alia peccata puniantur.

55. Ad 2. *D.* Physice, *C.* moraliter, *subd.* Deo adjuvante, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus, *C.* sine ejus auxilio, *N.* In priori sensu verba Geneseos accipi debent.

[7]) Lib. *De patientia,* cap. 18.

ARTICULUS II.

DE ERRORIBUS SEMIPELAGIANORUM CIRCA EAMDEM GRATIAE NECESSITATEM.

56. Semipelagiani, a partitis cum pelagianis erroribus nuncupati, inficiati sunt necessitatem gratiae, quae dicitur *inspirationis* seu voluntatis tum ad initium fidei, tum ad perseverantiam in fide. Dixi *necessitatem gratiae inspirationis* seu *voluntatis*, quia necessitatem gratiae *illustrationis* seu intellectus ultro cum pelagianis admittebant; dixi pariter *ad initium fidei*, siquidem eamdem gratiae necessitatem ad *fidem formalem* etiam agnoverunt, uti ostendit cl. Tricassinus in op. *De indifferenti lapsi hominis arbitrio.*

57. Haec non solum fatetur Jansenius, sed ulterius progressus autumavit semipelagianos praeterea admisisse necessitatem gratiae inspirationis etiam ad initium fidei et ad singulos actus salutares, ut deinde inferret, totam quaestionem inter s. Augustinum ac semipelagianos agitatam, pro objecto tantum habuisse vim et efficaciam gratiae, quatenus semipelagiani voluerint integram sub gratia permanere voluntatis libertatem, qua eidem posset voluntas resistere vel obtemperare, secus ac contenderit Augustinus. Quare haec ejusdem Jansenii propositio, quae est n. 4: *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare,* ab Innocentio X. ut *falsa et haeretica* damnata est; *falsa* quoad partem historicam; *haeretica* quoad partem theoreticam. Mirum proinde est non defuisse ex catholicis neotericos quosdam, qui nulla ratione habita censurae pontificis, cum Jansenio docuerint semipelagianos reipsa gratiae necessitatem admisisse tum ad initium fidei, tum ad singulos actus salutares, ita ut in eo tantum erraverint, quod gratiam, ut ipsi vocant, *versatilem* propugnaverint. Hoc vere est catholicam veritatem prodere ob domesticas concertationes. Ut catholicam igitur veritatem tueamur, sit

PROPOSITIO.

Sine Sancti Spiritus illustratione, inspiratione et adjutorio non potest homo habere salutare initium fidei, et in fide perseverantiam usque in finem, secus ac semipelagiani contenderint.

58. De fide est haec propositio, ut constat ex Tridentino, Sess. VI. can. III: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere... posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Tridentino praeiverat synodus arausicana II. cap. 5: *Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum... non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti... sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur;* et cap. 7: *Si quis per naturae vigorem... evangelicae praedicationi consentire*

posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... haeretico fallitur spiritu. Ex illis porro verbis hujus capituli, *per naturae vigorem*, liquet causam erroris, in quem semipelagiani lapsi sunt, ex eo repeti, quod donum integritatis naturae nostrae in Adam superadditum, confuderint cum ejusdem elevatione, hinc nimis naturae tribuerint.

59. Cum duas partes habeat propositio, sic ejus veritatem ostendimus quoad primam partem theoreticam: ex Scripturis non soli praedicationi aut illustrationi sed interiori Spiritus Sancti operationi illustranti atque inspiranti tribui debet fides ejusque initium, ac in eadem fide perseverantia, si docent, neminem nisi trahente Patre ad Christum pervenire posse, fidem Dei donum esse, quod nonnisi ex misericordia et gratia conceditur, ut nemo gloriari possit; rem porro ita se habere vulgatissima Scripturarum eloquia testantur; nam Christus [1]: *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* et Apostolus de se scribit [2]: *Misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis;* rursus: *Vobis*, inquit [3], *donatum est, pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini;* et iterum [4]: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* In I. proinde Cor. IV. 7. interrogat: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quo praecipue testimonio*, scribit s. Augustinus [5], *etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis.* Demum facto id ipsum constat, siquidem de Lydia purpuraria legitur [6]: *Dominus aperuit cor* ejus *intendere his, quae dicebantur a Paulo;* et generatim dicitur [7]: *Crediderunt, quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.*

60. Quibus Patres edocti eamdem veritatem tradiderunt: nam s. Cyprianus ex latinis in lib. *Testim. ad Quirinum* [8]: *In nullo*, inquit, *gloriandum, quando nostrum nihil sit;* et s. Ambrosius [9]: *Non in potestate nostra est cor nostrum et nostrae cogitationes.* Ex graecis s. Gregorius nazianzenus [10]: *Qui dedit*, ait, *quod primum est, dabit et quod secundum est*, plenam scilicet et integram fidem; et haec speciminis gratia. Nec alius umquam fuit ecclesiae sensus, quae consuevit orare pro conversione infidelium, et perseverantia fidelium; porro ut scribit s. Augustinus [11]: *Oratio clarissima est gratiae testificatio.*

61. Demum id ipsum adstruitur ex consectariis gratiae eversivis, quae ex semipelagianorum hypothesi sequerentur, 1°. gratiam non amplius gratuitam esse; 2°. homines primas sibi partes in negotio salutis posse vindi-

[1]) Joann. VI. 14.
[2]) I. Cor. VII. 26.
[3]) Philipp. I. 29.
[4]) Eph. II. 8.
[5]) ***De praedest. Sanct.*** cap. 3. n. 7.
[6]) Act. XVI. 14.
[7]) Act. XIII. 48.
[8]) Lib. III. cap. 4.
[9]) ***De fuga saeculi,*** cap. 1. n. 1.
[10]) ***Orat.*** XXIV. ***in Pentec.*** n. 11.
[11]) ***Epist.*** CLXXVII. n. 4.

care; 3°. posse hominem viribus naturae actum supernaturalem elicere, quae omnia absona prorsus sunt.

62. Quoad partem vero historicam, qua adversus Jansenium statuimus, semipelagianos gratiae necessitatem denegasse ad initium fidei et in fide perseverantiam, ea abunde liquet ex innumeris prope s. Augustini caeterorumque antiquorum testimoniis; nos brevitatis gratia unum aut alterum proferimus. S. Augustinus, sine ambage de semipelagianis scribit [12]: *Initium fidei et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putant;* et cum fassus esset [13], se olim in semipelagianorum errore versatum, dum putaret fidem donum Dei non esse, sed in nobis, ex nobis, adjicit: *Neque enim fidem putabam Dei gratia praeveniri.* Quapropter concilium arausicanum, cap. 5. semipelagianos haeretico spiritu falli affirmat, non quod gratiam indifferentem vellent, sed *quod initium fidei non per gratiam, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis inesse dicerent.* Semipelagianorum itaque haeresis in eo sita erat, quod praevenientem gratiam ad initium fidei et piarum cogitationum requiri negarent.

DIFFICULTATES.

63. I. Obj. Scriptura primas salutis partes adeoque fidei initium humanae adscribit voluntati. Etenim, Prov. XVI. 1. dicitur: *Hominis est praeparare animam, et Domini gubernare linguam;* Zachar. I. 3: *Convertimini ad me, ait Dominus, et convertar ad vos.* Hinc Christus, Matth. XXV. 15. distributa refert talenta *unicuique secundum propriam virtutem;* ac Luc. XI. 9: *Petite,* ait Christus, *et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis;* demum Matth. X. 11. sic instruit apostolos: *In quamcumque civitatem intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete.* Ergo.

64. Resp. *N. A.* Ad prob. *D.* Divina gratia praeventi et adjuti homines animam praeparant, convertuntur etc., *C.* ad hujus exclusionem, *N.* Haec enim aliaque ejusmodi Scripturarum effata exigi debent ad generaliora principia, quibus praeparationes, dispositiones, conversiones Deo tribuuntur. Nam ex Scripturis Deus est, qui operatur in nobis velle, non possumus aliquid boni salutaris cogitare a nobis quasi ex nobis; cum vero cogitatione ac voluntate nihil anterius in homine fingi possit, patet objecta loca de cooperatione nostra intelligi debere. Hinc optime concilium trid. sic ea exponit [14]: *Cum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus: Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, Dei nos gratia praeveniri confitemur.*

65. Quo generali principio constituto, semipelagianorum difficultates facile disjiciuntur. *Virtus* enim, de qua Matth. XXV. vel de gratiis gratis datis intelligi potest, vel de virtute gratia comparata juxta illud, Ephes.

[12]) *De dono persever.* n. 42.
[13]) *De praedest. Sanct.* n. 7.
[14]) Sess. VI. cap. 5.

IV. 7: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

66. Sic etiam petimus et oramus, sed Spiritu Sancto adjuti, dicente Apostolo [15]: *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

67. Cum vero Matth. VII. Christus apostolos docuit apud *dignos* manere, qui Dei munere tales sunt, designantur.

68. II. Obj. Non desunt in Scripturis exempla illorum, qui bonis operibus fidei gratiam promeruisse perhibentur. Sic 1. Zachaeus, bonus latro, centurio, Cornelius desiderio, oratione, eleemosynis viam sibi ad fidem praepararunt. Idem dic de altero centurione, cujus meminit Matthaeus, VIII. 10. de quo Christus: *Non inveni,* inquit, *tantam fidem in Israel*, qua de re insuper miratus est; nulla autem fuisset admirationis ratio, si ex gratia fides illa fuisset. 2. Aliud praeterea exemplum suppetit III. Reg. VIII. 17. in David, qui voluit domum Deo aedificare, Deus porro ejus bonam commendavit voluntatem, nec tamen probavit dicens: *Veruntamen tu non aedificabis mihi domum.* Non autem impedivisset, si ipse ejusmodi bonae voluntatis fuisset auctor. Ergo.

69. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Ope gratiae, *C.* sine illa, *N.* Nam, ut loquitur conc. arausicanum, cap. 25: *Manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum accipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae gratiae largitate donata.* Centurionis fides, quam admiratus est Christus, ex gratiae cooperatione dubio procul est repetenda.

70. Ad 2. *Neg. min.* Siquidem potuit Deus bonam voluntatem illam David inspirare, quin tamen voluerit ejus executionem, prout se gessit cum Abraham circa Isaac sacrificium.

71. III. Obj. Patres graeci ac latini pene omnes ante s. Augustinum eamdem quam postea semipelagiani doctrinam professi sunt, ut constat de Herma [16], de s. Justino [17], de Clemente alex. [18], qui censet veteres philosophos a philosophia justificatos fuisse. Id ipsum constat de s. Ambrosio [19], de Optato [20], de s. Hieronymo. [21] Vere igitur scribere potuit s. Prosper ad s. Augustinum, quod semipelagiani *obstinationem suam defendunt, et ea quae de epistola apostoli Pauli, Romanis scribentis, ad manifestationem divinae gratiae praevenientis electorum merita proferuntur, a nullo umquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.* Ergo.

72. Resp. *N. A.* Nam Hermas numquam asseruit bonam dispositionem illorum, quibus Deus tribuit poenitentiam, a sola natura esse.

[15]) Rom. VIII. 26.
[16]) *Pastor.* lib. III. *Simil.* VII. n. 6.
[17]) *Apolog.* I. n. 46.
[18]) *Strom.* lib. I. n. 20.
[19]) *Apolog.* II. *David,* cap. 9. n. 47.
[20]) *Hist. Donatist.* lib. II.
[21]) *Dial. contr. Pelag.* lib. III. n. 1.

73. S. Justinus solum contendit novam non esse religionem christianam, ut ethnici objiciebant, cum quotquot recta ratione usi sunt, participaverint de ipso Verbo, adeoque nomen *christiani* improprie sumit.

74. Clemens alex. significat veterem philosophiam praeambulum quodammodo sanctioris religionis fuisse, quatenus negative disposuit homines ad christianam amplectendam religionem, agrestes eorum mores emolliendo.

75. S. Ambrosius, seu potius incertus auctor allegatae Apologiae, dum docet ecclesiam promeruisse Christum, nonnisi improprie loquitur, ut patet ex substrata materia, nec sine gratiae subsidio; scribit enim [22]: *Obliviscitur per gratiam quod hauserat per naturam.*

76. S. Optatus extra praesentem causam profertur; ejus enim scopus unice fuit comprobare omnimodam perfectionem, quam sibi perperam tribuebant donatistae, propriam esse solius Christi. Cum igitur affirmat christiani hominis esse velle et currere, Dei autem perficere, non excludit gratiae praevenientis auxilium.

77. S. Hieronymus asseruit quidem liberum arbitrium, sed praeventum et adjutum divina gratia in facilioribus, ut deinceps per orationem uberiorem gratiam ad difficiliora persequenda impetremus. Ejus enim principium generale est: omnia bona nostra Deo esse adscribenda, etenim scribit [23]: *Ipsumque quod nostrum est, sine Dei misericordia nostrum non est.*

78. Dum igitur semipelagiani vetustate freti autumabant pugnare, decepti sunt nonnullis liberioribus formis, quibus interdum usi Patres sunt, nondum technologia constituta, cum nemo catholicum hoc dogma impugnaverit. Recte propterea s. Augustinus propositam sibi a s. Prospero semipelagianorum expostulationem diluit his verbis [24]: *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* Reipsa objecti Patres cum universa ecclesia orabant pro infidelium conversione, quo patefaciebant tum fidem tum fidei initium donum Dei.

79. Inst. Saltem negari nequit s. Joannem Chrysostomum labe semipelagiana fuisse adspersum, quod non soli haeretici, verum etiam nonnulli catholici fatentur. Nam ipse inter caetera scribit de Abraham [25]: *Nisi primus et ipse quod suum erat, fecisset, non tanta a Domino obtinuisset..... Vidistis quomodo ab initio, quae a se ipso erant, attulerit, et propterea divina quotidie ubertim susceperit? ... Cum viderit* Deus *sanam mentem nostram, et nos conari et eniti ad virtutis certamina, statim nutu et subsidio suo nos adjuvat.* Deinde [26]: *Nostrum quidem est*, inquit, *praeeligere et velle, Dei autem est perficere... Quando nos elegerimus, tum multum nobis affert auxilium.* Ergo.

80. Resp. N. A. Nam non sine ingenti s. Doctoris injuria semipela-

[22]) Loc. cit. n. 46.
[23]) *Ep.* CXXX. *ad Demetriadem.*
[24]) *De praedest. Sanct.* cap. 14. n. 27.
[25]) *Hom.* XLII. *in Genes.* n. 1.
[26]) *Homil* XII. *in Epist. ad Hebr.* n. 3.

gianismus ei adscribitur. Ipse siquidem aperte pluribus in locis agnovit primas salutis partes Dei gratiae esse tribuendas; en ejus verba [27]: *Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis, habes: non hoc vel illud, sed omnia quae habes; non enim haec tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit.* Eadem scribit, *Hom.* IV. *in cap.* 2. *Epist. ad Ephes.* et alibi saepe, cujus testimonia profert Isaacus Habert episc. vabrensis in op. *Theologiae graecorum Patrum vindicatae circa universam materiam gratiae,* lib. I. cap. 2 seqq. Objecta proinde loca intelligi debent de gratia plena et perfecta, non inchoata ac rudi, uti loquitur Petavius, quae *prima* nominatur, cujus plerumque veteres mentionem non habent. Non enim primum voluntatis motum et rationis in gratia numerant, veluti pia desideria, quibus ad pleniorem quaerendam fidem ac Dei notitiam et amorem excitamur.

81. IV. Obj. 1. Quamvis per peccatum originale inclinatum ac debilitatum liberum fuerit arbitrium, non est tamen extinctum, poterit igitur saltem sanitatem optare, velle, medicum efflagitare. 2. Medici proinde quidem est sanare, ast aegri est velle sanari. 3. Certe Scriptura Deum exhibet aliquid prius a nobis exigentem quod in nostra sit potestate, ut sua conferat: *Si credideris, salvus eris.* 4. Si enim ex eo quod petimus, recte infertur illud non esse in nostra potestate, pariter inferri debet ex incitamentis et adhortationibus, quibus ad petendum provocamur, ad volendum, ad nos convertendos in nostra potestate esse velle, petere, conversionemque nostram inchoare, alioquin supervacanea forent. 5. In hypothesi catholica nequeunt plura absurda vitari, quod nempe fides ejusque initium donum Dei sit, nec tamen omnibus concedatur, cum Deus velit omnes homines salvos fieri; quod inexcusabiles non sint, qui in infidelitate permanent; quod denique Deus censeri non debeat personarum acceptor, dum aliis tribuit quod aliis denegat. Ergo.

82. Resp. Ad 1. *Neg. cons.* Liberum enim arbitrium quamvis integrum nequit super ordinem naturae efferri, cujusmodi sunt actus supernaturales, multo igitur minus poterit debilitatum et inclinatum. Valet propterea libera voluntas ad assentiendum Dei gratiae praevenienti, non autem ad praeveniendam gratiam.

83. Ad 2. *D.* In infirmitate naturali, *Tr.* vel *C.* spirituali, *N.* ut patet ex dictis in resp. ad 1. Accedit quod gratiae munus sit hominem se aegrotum cognoscere et sentire, adeoque sanitatem velle et optare, ac medicum quaerere a quo sanetur.

84. Ad 3. *D.* Scriptura Deum exhibet aliquid a nobis exigentem, quos prius ipse gratia sua praevenit, *C.* ad hujus exclusionem, *N.* Primus appulsus semper ex Deo est; cum proinde aliquid a nobis exigit, hoc non est nisi cooperatio ad interiorem ejus primam praedispositionem. Hinc illud *si credideris* perinde valet atque si obtemperaveris iis, quae tibi indidi, fidei

[27]) *Hom.* XII. *in I. Ep. ad Corinth.* n. 1 et 2.

primordiis, plenamque assecutus fidem fueris, eaque praestiteris quae fides postulat, salvus eris.

85. Ad 4. *Nego paritatem.* Incitamenta enim et exhortationes ad petendum, volendum, etc. supponunt interiorem gratiam praevenientem, cum ex Scriptura nos nec velle nec optare, nec orare possimus sine gratiae auxilio. Hinc primae gratiae prorsus gratuitae sunt, insequentes pendent, a cooperatione, oratione, fidelitate scilicet, quo nos exhibemus erga gratias acceptas. Quod neque inficiabantur ipsi semipelagiani, dum exhortationes supervacaneas non censebant post fidem adeptam, etiamsi gratiae necessitatem admitterent ad proficiendum.

86. Ad 5. *Nego* objecta absurda promanare ex catholica doctrina. Nam non sequitur *primum,* cum Deus hoc ipso quod velit sincera voluntate omnes salvos fieri, omnibus, ut postea ostendemus, gratiam confert, cui si velint homines cooperari, ulteriora auxilia percipient, donec perveniant ad salutem.

87. Non sequitur *secundum;* semel ac enim constitutum est, Deum nemini gratias suas denegare, hoc ipso patet semper ex hominum culpa provenire quod fidem non habeant; de infidelibus *positivis,* quibus revelatio innotuit et ipsi eam respuerunt, nullum dubium subesse potest; quoad infideles *negativos,* ipsi in culpa sunt, quatenus primis gratiis obstiterunt, quibus si obtemperassent, ulteriores reciperent, ut suo loco enucleatius exponemus.

88. Non sequitur *tertium,* quia acceptio personarum supponit jus in eo, qui negligitur, dum fit donorum distributio, aut saltem supponit respectum personalem in distribuente; neutrum porro accidit in casu nostro, cum nihil Deus cuipiam debeat, nec quispiam ex se habeat aliquid, cujus intuitu Deus gratiam ei largiatur. Adde Deum omnibus suo modo gratiam conferre, homini proinde adscribi debet, si ulteriores non recipiat.

89. V. Obj. adversus alteram partem. 1. Semipelagiani eam gratiam in homine lapso admiserunt, quam admittebant in homine integro; jam vero in homine integro agnoverunt gratiam interiorem ad initium fidei, et ad perseverandum. 2. Teste s. Prospero [28] semipelagiani admiserunt gratuitam vocationem ad fidem. 3. Idem ibidem affirmat, Massilienses *gratiam Dei, quam comitem, non praeviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea, secundum suam phantasiam, non negant esse praeventas.* 4. Sane s. Augustinus, qui fatetur se ante episcopatum semipelagianorum erroribus adhaesisse, passim docet in libris ante eumdem episcopatum conscriptis, ad initium fidei interiorem gratiam esse necessariam ut in lib. LXXXIII *Quaestionum,* qu. 68: *De quantitate animae,* cap. 28. et alibi. 5. Hinc videmus Faustum regiensem semipelagianum, teste Gennadio [29], admisisse et ipsum gratiae interioris necessitatem ad initium fidei, eamdem necessitatem fassi sunt idem Gennadius, Vitalis carthagin., qui omnes fuerunt semipelagiani. 6. Ergo illorum error unice consistebat in eo, quod gratiam indifferentem seu versatilem admiserint, adeoque accusabant Augustinum,

[28]) *Epist. ad Augustinum.* [29]) *Catalog. viror. illustr.*

quod per gratiam a se propugnatam ineluctabilis necessitas induceretur. Ergo.

90. Resp. Ad 1. *D.* Admittebant in homine integro gratiam interiorem illustrationis seu intellectus, *Tr.* inspirationis seu voluntatis, *N.* Adeoque et hanc tribuebant homini lapso etiam ad initium fidei, quamvis nec necessariam, nec sine praeviis meritis.

91. Ad 2. *D.* Gratuitam admiserunt vocationem externam, quae in Evangelii praedicatione consistit, *C.* internam quae in gratiae collatione sita sit in sensu exposito, *N.*

92. Ad 3. *D.* Testatur s. Prosper Massilienses seu semipelagianos non negasse voluntates esse praeventas *secundum suam phantasiam*, seu respectu meritorum quae numquam futura erant, *C.* in sensu catholico, *N.* Alioquin non docuissent gratiam tantum *comitem*, non autem *praeviam* meritorum, seu concomitantem non praevenientem.

93. Ad 4. *D.* Quatenus s. Augustinus neque constanter neque in omnibus semipelagianorum placita secutus est etiam ante episcopatum suum, *C.* quatenus nuspiam in suis illis operibus errorem etiam hunc non docuerit, *N.* Hoc enim posterius constat ex testimonio ejusdem s. Doctoris paulo ante allegato, cum fassus est se convictum ex illo Pauli ad Corinth. *Quid habes* etc., *fidem esse donum Dei.*

94. Ad 5. *D.* Allegati auctores admiserunt necessitatem gratiae exterioris, aut solius illustrationis, *Tr.* gratiae interioris et inspirationis, *N.* Ut constat ex s. Prospero, et ex s. Augustino, qui affirmant non aliam illos gratiam admisisse, quam quae est *in lege et in doctrina.* Gennadius porro a semipelagianorum postea erroribus se recepit.

95. Ad 6. *Neg.* Numquam enim ipsi disputarunt de gratia sufficienti aut efficaci, sed de gratia in genere cujus necessitatem impugnabant, ne si necessaria diceretur, libertati detraheretur. Sane s. Augustinus, refellens pelagianos, quorum errorem sub hoc respectu adoptaverant semipelagiani, scribebat: *In omnibus misericordia ejus praevenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est.*

ARTICULUS III.

DE ERRORIBUS NOVATORUM SAEC. XVI. ET JANSENISTARUM CIRCA GRATIAE NECESSITATEM.

96. Novatores saec. XVI. contrarias omnino a pelagianis semipelagianisque semitas iniverunt. Juxta illos enim ita per primigenium peccatum peremptum est liberum arbitrium, ut non inserviat nisi ad peccandum, ad quod a dominante concupiscentia necessario impellitur, ex quo inferunt omnia prorsus infidelium immo et peccatorum opera totidem esse peccata, eaque gravia. Janseniani illorum vestigiis insistentes eosdem errores docuerunt.

[30]) *De spiritu et litt.* cap. 34.

97. Catholica doctrina est, per peccatum originale non prorsus deletam in homine esse naturalem *imaginem* Dei, sed detritam; non extinctum arbitrium, sed attenuatum, adeoque 1°. posse hominem lapsum sine gratia aliquas ordinis naturalis cognoscere veritates, et opera faciliora exsequi, nec non leves superare tentationes, nec proinde omnia infidelium opera totidem esse peccata; 2°. ante fidei formalis collationem tribui a Deo gratias necessarias, quibus possit homo lapsus difficiliora moralis ordinis opera efficere, gravesque superare tentationes; 3°. fidem sine caritate posse subsistere, atque idcirco non omnia peccatorum opera peccata esse, immo per ea se ad justificationem recuperandam peccatores posse disponere; 4°. opera infidelium ante fidem seu vocationem ad fidem esse quidem ordinis naturalis seu moralis, licet non sine gratiae medicinalis subsidio patrata, non autem peccata; prout 5°. multo minus peccatis sunt accensenda fidelium peccatorum opera, licet non sint meritoria aeternae vitae. Hanc porro doctrinam insequentibus propositionibus adstruimus.

PROPOSITIO I.

Potest homo lapsus sine speciali gratiae auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum facilioria ejusdem ordinis naturalis opera perficere, tum leves superare tentationes.

98. Ad doctrinam catholicam propositionem hanc spectare constat ex damnata propos. XXVII. Baji: *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet;* quo etiam referuntur propositiones XXXVIII, XXXIX, XL, etc. Quesnelli a Clemente XI. proscriptae, in quibus idem error diversis verbis exprimitur. Valet igitur hominis lapsi arbitrium sine gratia ad aliquod opus moraliter honestum peragendum; opus autem moraliter honestum illud dicitur, quod tale est ex *officio* et *fine* saltem *proximo*.

99. Ac I. quidem, posse hominem lapsum per se ipsum aliquas veritates ordinis naturalis cognoscere, docet Auctor lib. *Sapientiae*, cap. XV. 5. illis verbis: *A magnitudine enim speciei et creaturae poterit Creator horum videri;* et Apostolus [1]: *Invisibilia ipsius* (Dei), scribit, *a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Et haec quidem de cognitione Dei per creaturas; de lege autem haec rursum scribit Apostolus [2]: *Ejusmodi legem* (scriptam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Hinc s. Augustinus: *Manu,* inquit [3], *Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri. Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est.*

100. II. Posse item hominem lapsum perficere opera faciliora propriis viribus, declarat idem Apostolus, qui l. c. arguit philosophos, quod cum

[1]) Rom. I. 20.
[2]) Ibid. II. 14.
[3]) *Enarr. in Ps.* LVII. n. 1.

Deum naturaliter cognovissent, *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt;* quibus verbis, ut annotat Estius, docet illos potuisse sine gratia Deum glorificare, seu aliquali et imperfecta dilectione prosequi, cum haec glorificatio ordinem non haberet ad beatitudinem supernaturalem, nec ad vitam aeternam, utpote ex sola naturae consideratione exhibenda. Rursum disserens Apostolus de lege naturae insculpta in cordibus nostris ait: *Gentes, quae legem* (mosaicam) *non habent... naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* Quamvis autem *vox naturaliter*, quatenus ad universam legem extenditur, non excludat gratiam, tamen ubi non agitur de difficilioribus praeceptis, nihil vetat quominus de naturae viribus intelligatur; multo vero magis in adversariorum hypothesi, qui constituunt gentes ante fidem nullam gratiam habuisse. Quapropter s. Augustinus, explanans haec Apostoli verba, scribit [4]: *Scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit.*

101. III. Demum posse hominem lapsum leves etiam per se tentationes superare, ut corollarium ex dictis colligitur; nam si potest homo lapsus propriis viribus aliquas naturalis ordinis veritates cognoscere, si potest eadem ratione faciliora opera peragere moraliter honesta, cur non poterit et leves superare tentationes, quae illis adversantur? Hinc a summis pontificibus censura notatae sunt propp. XXIX et XXXI Baji: *Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum, viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiae conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.*

102. Cum vero errores, quos impugnamus, falso innitantur fundamento de essentiali naturae per peccatum immutatione, quatenus amissa est originalis justitia adeoque et integritas, quae ad essentialem hominis spectabat constitutionem, patet quod, hoc sublato fundamento, errores illi evanescant necesse sit. Non omnino deletam Dei in homine lapso imaginem ex Augustino didicimus; eidem nunc libet adjicere auctoritatem s. Thomae, qui haec in rem nostram habet [5]: *Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur, potest quidem etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere... non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae.*

[4]) ***De spirit. et litt.*** cap. 28. n. 48. [5]) I. 2. qu. 109. art. 1.

DIFFICULTATES.

103. I. Obj. 1. Scripturae, Patres et concilia adversus pelagianos ac semipelagianos commemorata opera bona omnia divinae gratiae tribuunt. 2. Sane opus moraliter honestum, teste Paulo, per legem fieri nequit [6]: *Lex enim*, ut ipse loquitur, *iram operatur*, et ibid. v. 20. *lex subintravit, ut abundaret delictum*, ergo per gratiam unice fieri potest. 3. Hinc s. Augustinus: *Agnoscamus*, inquit [7], *gratiam, quae facit prodesse doctrinam, quae gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam;* et alibi passim idem inculcat, alioquin frustra disputasset adversus pelagianos, cum haec fuerit thesis ejus. 4. Concilium proinde arausicanum, cap. 20: *Multa*, ait, *Deus facit in homine bona, quae non facit homo; nulla vero facit homo bona, quae non Deus praestat, ut faciat homo;* et cap. 22: *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hoc eremo; ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* Ergo.

104. Resp. Ad 1. *D.* Bona nostra supernaturalia gratiae tribuunt, *C.* naturalia, *subd.* ardua ac difficilia aut gravi urgente tentatione, *C.* omnia prorsus, *N.* Sic innumeris prope ejusmodi testimoniis, quae colligi solent, responsio patet.

105. Ad 2. *Neg.* Ad prob. vero, *D. Lex iram operatur*, aut *subintravit lex ut abundaret delictum* per accidens et ex causis extrinsecis, *C.* per se, *N.* Sensus enim Apostoli in objectis locis est legem a Deo datam esse ad coercendum delictum, sed exinde homines occasionem nactos esse gravius delinquendi, legem sive ex infirmitate sive ex malitia transgrediendo, idque sive cum gratia, sive sine illa, vimque nostram non ex lege sed ex gratia provenire.

106. Ad 3. *D.* In ordine ad legem universam, *C.* in ordine ad leviora ac faciliora, *N.* Thesis s. Augustini in hoc erat, neminem posse ex propriis viribus universam legem implere, gravesque omnes vincere tentationes, ut pelagiani contendebant, alioquin evacuata foret crux Christi, ut ipse loquitur, cum homo non amplius indigeret gratia medicinali, qua infirma natura sanaretur.

107. Ad 4. *D.* In ordine supernaturali, *C.* in ordine moralis honestatis quoad ea quae faciliora sunt, *N.* Illud enim solum exigebat concilii scopus, qui fuit semipelagianorum errores proscribere, qui primas sibi in negotio salutis arrogabant.

108. II. Obj. 1. Adeo homo lapsus sine gratia infirmus est, ut nulli possit tentationi resistere, nullumque vitare peccatum nisi per aliud peccatum. 2. Sane homo sine gratia non agit nisi timore poenae, non ex amore justitiae; ex cupiditate, non ex caritate; qui porro sic agit, peccat ex doctrina

[6]) Rom. IV. 15.

[7]) *Ep.* CCXVII. *ad Vitalem*, c. 4. n. 12.

s. Augustini, qui ita scribit [8]: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas;* qui praeterea 3. nullam aliam in homine bonam voluntatem agnoscit praeter caritatem: *Quasi vero,* inquit [9], *aliud sit bona voluntas quam caritas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo et a Patre datam, ut filii ejus essemus.* Ergo.

109. Resp. Ad 1. *D.* Si gravis sit tentatio, vehemensque concupiscentia, *C.* si levior ac remissior, *N.* Sic etiam: vitare nequit homo lapsus peccatum nisi per aliud peccatum, *D.* Identidem, *Tr.* vel *C.* semper, *N.* Alioquin non attenuatum sed plane extinctum liberum esset arbitrium; non detrita, sed omnino deleta esset in homine Dei imago, secus ac doceat Augustinus, si nec levi tentationi homo propriis viribus obsistere posset. Absurdum autem est, non posse vitari peccatum nisi per aliud peccatum; praesertim cum saepe ad declinandum peccatum positivo actu opus non sit.

110. Ad 2. *Neg.* Cum saepe ex naturali boni honestique amore se homo determinet ad agendum, e. gr. ad honorandos parentes, ad tribuendam eleemosynam ex naturali commiseratione, ad nudum operiendum, aliaque ejusmodi sexcenta patranda, in quibus nec timor nec cupiditas influunt.

111. Ad Augustini autem auctoritatem, *D.* Ubi non regnat caritas habitualis, ibi regnat cupiditas, quae tamen non semper influat in actus singulos, *C.* quae jugiter in singulos influat actus, *N.* Saepe enim non agit homo ex carnali cupiditate, quamvis gratia habituali non sit instructus; immo contraria assertio in Bajo et Quesnello proscripta est.

112. Ad 3. *D.* Praeter caritatem, sive naturalem ac improprie dictam, sive theologicam et presse sumptam, *C.* praeter caritatem theologicam tantum, *N.* Nam s. Augustinus duplicem agnovit admisitque caritatem, *divinam* et *humanam*, theologicam scilicet ac naturalem; posteriorem vero hanc aliquando licitam, aliquando vero illicitam declarat. In objecto porro textu bonam voluntatem vocat caritatem nempe theologicam et stricte sumptam, ut ejus ferebat scopus adversus pelagianos, neque alteram excludit.

113. III. Obj. 1. Atqui s. Augustinus omnem creaturae amorem, nisi Dei amori subordinatus fuerit, vitiosum declarat. 2. Jam vero cum omnes hominum actiones vel ex amore Dei prodeant, vel ex amore mundi, sequitur omnes actiones quae sine amore Dei, adeoque sine gratia eliciuntur, malas esse ac vitiosas. 3. Docet praeterea idem s. Doctor sine gratia veram homini lapso necessitatem esse peccandi. *Multum erras*, scribit adversus Julianum [10], *qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est;* et alibi saepe. 4. Docet, nullam sine gratia esse in homine lapso libertatem ad bonum, scribens [11]: *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia per J. C. D. N.* 5. Docet adversus

[8]) *Enchirid.* cap. 117.
[9]) *De grat. Christi,* cap. 11.
[10]) *Op. imperf.* lib. I. cap. 15.
[11]) Lib. I. *Ad Bonifac.* cap. 3.

Julianum nullum opus bonum sterile esse, sed quodlibet promereri vitam aeternam, adeoque sine gratia fieri non posse. Ergo.

114. Resp. Ad 1. *D.* Nisi subordinetur Dei amori naturali vel supernaturali, *C.* soli supernaturali, *N.* Si enim actio bona sit ex officio et fine proximo, hoc ipso amori saltem naturali Dei subordinatur.

115. Ad 2. *D.* Si ex amore inordinato mundi seu creaturae actus eliciuntur, *C.* si ex amore ordinato et honesto, *N.* Nam solus amor inordinatus mundi seu creaturae vitiosus est, de quo loquitur s. Augustinus, uti cum aliquis in creatura constituit ultimum finem suum, creaturam praeferendo Creatori.

116. Ad 3. *D.* Necessitatem vagam et moralem respectu totius legis, *C.* physicam respectu cujuslibet praecepti, *N.* Talem esse mentem s. Augustini constat ex controversia cum pelagianis, qui cum docerent hominem infirmum non esse ob originale peccatum, inferebant eum posse propriis viribus universam legem adimplere, omniaque collective peccata vitare.

117. Ad 4. *D.* Docet sine gratia nullam in homine lapso esse libertatem ad bonum supernaturale, *C.* ad bonum naturale, *subd.* arduum ac difficile, *C.* facile, *N.* Responsio patet ex dictis.

118. Ad 5. *D.* In hypothesi Juliani pelagiani qui nullum inter ordinem naturalem ac supernaturalem agnoscebat discrimen, *C.* absolute, *N.* Adeoque hic argumentabatur s. Doctor ad hominem, cum absurdum et contradictorium sit non admittere elevationem ad ordinem supernaturalem, et contendere opus naturaliter honestum sterile esse quoad vitam aeternam.

119. IV. Obj. Inter opera moraliter honesta praecipuum locum obtineret Dei amor; jam vero nullus Dei amor absque gratia juxta Scripturam et doctores haberi potest. Nam 1. Scriptura nonnisi amorem supernaturalem agnoscit quem s. Joannes *ex Deo* esse affirmat [12], et Paulus [13] de caritate dicit eam *diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, et eam recenset inter fructus Spiritus. [14] 2. S. Augustinus naturalem Dei amorem prorsus excludit illis verbis [15]: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus;* et conc. arausicanum, cap. 25. statuit: *Prorsus donum Dei est diligere Deum.* 3. Si enim ejusmodi amor naturalis daretur, reperiri etiam posset in infideli et peccatore, quod repugnat, Dei enim amici essent. 4. Hinc vel ipse Bellarminus nullum agnoscit sine gratia amorem Dei sive perfectum, sive imperfectum. Ergo.

120. Resp. *Neg. min.* Ad 1. prob. *D.* In allatis textibus, *C.* in aliis, *N.* Vidimus siquidem Apostolum ad Rom. I. ejusmodi amorem naturalem supponere in illis *qui, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

121. Ad 2. *D.* Ad diligendum Deum amore supernaturali, *C.* amore naturali, *subd.* perfecto ac super omnia, *C.* imperfecto et inchoato, *N.* Eadem

[12]) I. Ep. cap. IV. 7.
[13]) Rom. V. 5.
[14]) Gal. V. 22.
[15]) *Ep.* CXVII. *ad Vital.* cap. 4. n. 10.

ratione intelligi debet concilium arausicanum, quod unice loquitur de amore Dei salutari adversus semipelagianos.

122. Ad 3. *Nego sequelam*, tum quia nemo amicus Dei constitui potest nisi per amorem supernaturalem, tum quia illi amici Dei essent respectu operis, quod Deo non displicet, non ratione sui.

123. Ad 4. *D.* Qui tamen nonnisi verbis a caeteris dissentiat, *C.* reipsa, *N.* Etenim Bellarminus naturalem in hominibus ad Deum diligendum propensionem admittit, nec non opera naturaliter bona agnoscit, et faciliora praecepta observandi potestatem; quod ad rem nostram satis est. Caeterum uti animadvertit Suarez, omnia ejus argumenta non afficiunt nisi amorem supernaturalem.

124. V. Obj. 1. Omnis tentationum victoria a Scriptura, Patribus et conciliis gratiae adscribitur. 2. Christus nos docet petere a Deo: *Et ne nos inducas in tentationem*, nullo inter gravem aut levem discrimine facto. 3. Alioquin nobis illarum victoria adscribi posset, quod admitti nequit. Ergo.

125. Resp. Ad 1. *D.* Victoria salutaris, *C.* naturalis, *subd.* si gravior sit, *C.* si levior, *N.* Ut patet ex dictis.

126. Ad 2. *D.* Ad habendam victoriam salutarem, *C.* sterilem in ordine ad vitam aeternam in levioribus, *N.*

127. Ad 3. *Neg.* Siquidem omne bonum nostrum semper ex Deo est sive ut auctore naturae, sive ut auctore gratiae.

PROPOSITIO II.

Potest vir infidelis aliqua opera moraliter bona efficere, adeoque non omnia infidelium opera vitia sunt aut peccata.

128. Spectat haec propositio pariter ad doctrinam catholicam, ut patet ex contradictoria propositione XXV. Baji proscripta: *Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia.*

129. Hic porro agitur 1°. de operibus, quae ante fidei gratiam infideles patrare possunt sive cum sive sine gratiae auxilio, quaeque intra fines moralis honestatis continentur, cum ante fidem nullum opus supernaturale fieri possit, adeoque sine ulla relatione ad vitam aeternam. 2°. Agitur de peccato ac vitio presse sumpto ad mentem adversariorum, juxta quos nulla infidelium actio culpa vacat, ob quam ipsi non mereantur aeternum puniri.

130. Inhumanam porro ejusmodi doctrinam Scriptura, Patres, ipsaque ratio evertunt. Etenim Scriptura saepius ethnicorum opera non commendat modo, verum et digna exhibet, quae praemio donentur, et ad imitanda proponantur. Obstetrices Aegyptiae, quae *timuerunt Deum* salvantes infantulos Hebraeorum, non solum laudantur, sed ut legitur Exod. I. 22: *Benefecit Deus obstetricibus, et quia timuerunt Deum, aedificavit eis domos.* Ita Ezech. XXIX. 20. Deus de Nabuchodonosor ob expugnationem Tyri: *Dedi ei*, inquit, *terram Aegypti, pro eo quod laboraverit mihi.* Denique Daniel eidem regi eleemosynas consulit dicens, cap. IV. 24: *Peccata tua ele-*

emosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, et lib. I. Mach. c. VIII. virtutes celebrantur Romanorum; aut igitur fatendum est ab infidelibus opera moraliter honesta fieri posse, aut dicendum Scripturam peccata ac vitia commendasse, ad ea adhortatam esse, praemioque digna exhibuisse, quod absonum est existimare.

131. Eamdem lutheranam ac jansenianam doctrinam evertunt Patres, dum et infidelium opera laudant et praemiis temporalibus a Deo propterea donari affirmant. S. Hieronymus: *Ex eo,* inquit [1], *quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio praeteriri.* S. Augustinus, duplicem distinguens caritatem divinam et humanam, licitam et illicitam, sic plebem sibi commissam adhortatur [2]: *Liceat vobis humana caritate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros. Omnia ista nomina necessitudinis habent vinculum et gluten quoddam caritatis. Sed videtis, illam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, judaeorum et haereticorum.* Censuit igitur Augustinus, infideles posse licitam habere caritatem. In op. autem *De civit. Dei* docet [3], Deum Romanis terrenam excellentissimi imperii gloriam tribuisse, *ut redderetur merces,* ait, *bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur,* quas deinceps virtutes singillatim recenset. Hinc s. Thomas, quaerens [4]: *Utrum omnis actio infidelis sit peccatum?* resp.: *Manifestum est, quod infideles... opera bona, ad quae sufficit donum naturae, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent.*

132. Hoc ipsum denique paradoxum sana ratio evertit. Etenim si infideles in omni opere suo peccarent, e. gr. in obsequio erga parentes, in stipe pauperibus elargienda, in homine a morte eripiendo, in subveniendo proximo, aliisque ejusmodi, satius esset eos dehortari ab his operibus, ne se novo polluerent peccato. Quod quam absurdum sit societatique perniciosum, nemo est qui non videat. Deinde quid vetat, quominus homo recta utens ratione actionem ex se bonam eliciat et ex fine proximo bono, e. gr. tribuat eleemosynam ad alienam sublevandam inopiam? Porro finis, qui proxime bonus est, pondere, ut ita dicam, suo fertur in finem bonum ultimum, seu in Deum uti auctorem omnis moralis honestatis, eumque virtualiter saltem includit. Quod optime expressit s. Thomas, dum scribit [5]: *Ratio naturalis vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum; et quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, etiamsi actu non ordinetur, ideo in infidelibus, quorum actus per rationis vim diriguntur, possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes a perfecta caritate.* Sicque etiam eversum est praecipuum adversariorum fundamentum, quo ex defectu finis autumant infidelium opera totidem esse peccata.

[1]) Lib. IX. *in Ezech.*
[2]) *Serm.* CCCXLIX. *de temp.* c. 1 et 2.
[3]) Lib. V. cap. 15.
[4]) II. 2. qu. 10. art. 4.
[5]) *Sent.* II. dist. XLI. qu. 2. art. 2.

DIFFICULTATES.

133. I. Obj. Nullo modo infidelis opus moraliter bonum efficere potest juxta Scripturam; nam 1. Apostolus: *Quod non est ex fide,* inquit [6], *peccatum est;* et [7]: *Sine fide impossibile est placere Deo.* 2. Proinde docet idem Apostolus [8], quod *coinquinatis et infidelibus nihil est mundum; sed inquinatae sunt eorum mens et conscientia.* 3. Eidem consentit Joannes; de mundo seu de infidelibus per oppositionem ad fideles scribens [9]: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitae.* 4. Immo vero et Christus ipse non aliud docuit, dicens [10]: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ex his igitur aliisque ejusmodi pene innumeris patet absque fide in Christum nihil esse quod malum, pollutum, inquinatumque non sit, sive ob principium, ex quo opus profluit, sive ob finem, in quem tendit.

134. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D. Quod non est ex fide,* id est, juxta practicum conscientiae dictamen, *peccatum est, C.* ex fide theologica, *N.* Loquitur enim hic Apostolus de ciborum delectu. Hunc sensum Patres omnes ante Augustinum, pluresque post ipsum, immo et ipsum conc. oecumenic. lateran. IV. c. 41. verbis Apost. tribuerunt. Sic etiam: *Sine fide impossibile est placere Deo, D.* in ordine ad salutem, *C.* ad moralem honestatem, *subd.* ratione operantis, *C.* ratione operis, *N.*

135. Ad 2. *D.* Infideli, seu judaizanti nullus cibus mundus est ob erroneam, qua laborat, conscientiam; *C.* infideli proprie dicto nulla actio munda est et honesta, *N.*

136. Ad 3. *D.* Omne quod est in mundo, seu mundi amatoribus ac operantibus juxta prava mundi dictamina, *C.* non operantibus juxta illa, ut saepe fit, *N.*

137. Ad 4. *D.* Si operetur juxta perversam intentionem significatam per *oculum nequam, C.* si juxta eam non operetur, *N.*

138. II. Obj. Thesis Augustini adversus Julianum est, nulla infidelium opera bona esse. Nam 1. docet nullum opus vere bonum esse, nisi tale sit ratione *officii* et ratione *finis.* 2. Sine fide officia quidem posse interdum bona esse, numquam vero finem, quia *quod non est ex fide, peccatum est;* et *sine fide impossibile est placere Deo.* 3. Nullum opus ex omni parte bonum *sterile* censeri posse in ordine ad vitam aeternam, quo evertit Juliani distinctionem inter opus sterile et meritorium. 4. Urget Julianum ex eo capite, quod si infideles possent vel unum actum ex omni parte bonum, ex objecto et ex fine, elicere, Christus gratis mortuus esset. 5. Concludit infideles ob opera bona ratione officii, sed mala ratione finis, quem bonum habere infideles nequeunt, fore *mitius* puniendos, *gravius* vero si tum ob

[6]) Rom. XIV. 23.
[7]) Hebr. XI. 6.
[8]) Tit. I. 15.
[9]) I. Ep. II. 16.
[10]) Matth. VI. 23.

objectum tum ob finem mala essent; sic enim loquitur [11]: *Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.* Ex hac porro distinctione inter *officium* et *finem,* conciliantur quae sibi contraria in s. Doctore occurrere videntur, cum scilicet commendat virtutes sive Romanorum, sive philosophorum, quae bona dicit ratione *officii,* mala vero ratione *finis* seu operantis. Hanc esse s. Augustini germanam doctrinam declarat s. Prosper, qui ex ejus mente in lib. *Sententiarum* s. Augustini, n. 106. ita scribit: *Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono; ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Et alibi saepe. Ergo vel abjicienda Augustini doctrina, vel fatendum est nullum opus moraliter honestum ac bonum in infidelibus esse posse.

139. Resp. *N. A.* Vera Augustini mens melius cognosci non potest, quam ex erroribus, quos s. Doctor impugnabat. Julianus utpote pelagianus neque primi hominis elevationem, neque ejusdem lapsum admittebat; contendebat propterea Adae posteros non modo universam legem propriis viribus observare posse, verum etiam opera naturaliter honesta meritoria esse aeternae vitae; opera vero ex se bona esse, finem autem sive bonum sive pravum extrinsecus operibus accedere, nec ulla ratione influere in eorum honestatem aut pravitatem. Quod si opera efficiant ex fine obtinendi vitam aeternam, esse *meritoria;* si vero ob finem temporalem, esse *steriliter* bona. Ut igitur Augustinus hisce erroribus sese opponeret, constituit per primi parentis lapsum amissam esse justitiam originalem cum donis adnexis, necessitatem gratiae medicinalis et elevationis exinde fluere tum ad opera difficiliora ordinis naturalis peragenda, tum ad quaevis opera supernaturalia ac meritoria; finem in opera intrinsecus influere, ita ut intrinsece bona aut mala evadant etiam ex fine; nulla opera dari steriliter bona ad mentem Juliani; ethnicos denique ut plurimum ex pravo fine peccare in operibus suis. Haec theoria catholica est, quam s. Augustinus adversus Julianum adstruxit. His positis sic ad singulas probationes accedimus.

140. Ad 1. *D.* Id sensu exposito, quatenus finis intrinsecus afficit opus, sive proximus sive remotus finis sit, *C.* remotus, *subd.* nisi virtualiter saltem includatur, *C.* secus, *N.* Vidimus enim opus bonum ex officio et ex fine proximo in Deum tamquam omnis honestatis auctorem virtualiter tendere.

141. Ad 2. *D.* In infidelibus, quoad finem ultimum ac supernaturalem, *C.* quoad finem proximum, *N.* Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad vitam aeternam.

142. Ad 3. *D.* In hypothesi Juliani, *C.* absolute, *N.* Juliani systema modo exposuimus, ex quo certe inferebat Augustinus, vanam esse distinctionem, quam ille induxerat inter opus sterile et meritorium. Caeterum s. Doctorem ejusmodi distinctionem in sensu catholico admisisse, luculenter patet tum ex ejus testimoniis paulo ante recitatis, tum ex iis quae scribit

[11]) Lib. IV. *Contra Julian.* cap. 3.

in lib. *De spiritu et litt.* [12]: *Nam et ipsi,* inquit, *homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit; sed pietas, quae in aliam vitam transfert beatam et aeternam, legem habet immaculatam, convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur,* etc.

143. Ad 4. *D.* Nempe supernaturale ac meritorium, *C.* naturaliter honestum, *subd.* arduum ac difficile, *C.* facile et ex fine proximo bonum, *N.* Responsio constat ex paulo ante expositis.

144. Ad 5. *D.* Ut plurimum, *C.* semper, *N.* Siquidem s. Augustinus ex principio, quod finis intrinsecus influat in opera, inferebat vix aliqua opera esse infidelium, quae essent omni ex parte bona, quia ut plurimum vitiabantur ex fine, ob quem bona etiam opera ex officio infideles patrabant; nam vel ex inani gloria, vel ex avaritia aliave cupiditate movebantur ad ea ponenda. Adeoque vel erant opera vitiata in ordine ad vitam aeternam, improprieque dicta peccata, vel peccata proprie dicta ex perversitate finis ob intentionem operantis. Caeterum s. Doctorem haud absolute contendisse totidem peccata esse infidelium opera, aperte constat ex superius allatis, atque ex eo quod adstruat, haud posse opera ardua etiam in ordine morali ab homine lapso patrari, absque divinae gratiae medicinalis munere, Deum illa rata habere, quatenus praemiis temporalibus ea remuneratur; absurdum porro est asserere, Deum gratia sua adjuvare hominem ad peccatum patrandum, ac peccata praemiis afficere, et probare. Sicque responsio patet ad commentitiam compositionem a jansenianis excogitatam circa effata ejusdem Sancti contradictoria. Nec alio sensu intelligenda sunt, quae ex s. Prospero objiciuntur, qui ad mentem s. Doctoris locutus est.

145. Inst. Atqui infidelium opera totidem vera peccata sunt ob violatum mandatum de referendis actibus omnibus in Deum. Nam 1. mandatum naturale est illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* quod exponens Apostolus, praecipit [13]: *Omnia in gloriam Dei facite. . . . . Omnia in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.* 2. Jam vero infideles sive expresse sive interpretative omnia opera sua in obsequium falsorum deorum patrabant. 3. Sane infideles illa mala arbor sunt, quae, ex Christo, *non potest bonos fructus facere;* 4. quorum opera a Deo esse non possunt, alioquin non inutilia, sed bona prorsus essent. Ergo.

146. Resp. *Dist. min. subsumptam.* Si mandatum de referendis actibus omnibus in Deum non adimpleretur per opus bonum ex officio et fine proximo, *Tr.* vel *C.* si hac ratione adimpleri possit, *N.* Nam tunc ejusmodi opera, ut exposuimus post s. Thomam, natura sua in Deum tamquam auctorem omnis moralis honestatis referuntur; necesse quippe non est ut actiones singulae actu et explicite in Deum dirigantur, sed satis est ut virtualiter et implicite dirigantur in Deum ut auctorem naturae.

147. Ad 1. prob. *D.* Mandatum naturale est, quod adimpleri potest tum positive tum negative, *Tr.* solum positive, *N.* Etenim dubium inprimis

[12]) Cap. 28. n. 48. [13]) I. Cor. X. 31; et Coloss. III. 17.

est, utrum textus, qui allati sunt, respiciant non solum fideles, verum etiam infideles; secundo dubium est, utrum positivum praeceptum contineant de referendis singulis actionibus in Deum, an vero solum negativum, quatenus debeat actio poni, quae suapte natura saltem referibilis in Deum non sit tamquam auctorem naturae; tertio dubium denique est, utrum contineant verum praeceptum an consilium tantum. Nam interpretes ipsi catholici diversas ejusmodi expositiones verborum Apostoli nobis exhibent. Quidquid porro de istis sit expositionibus, nihil obstat, etiamsi ea intelligamus de praecepto positivo, quominus dicamus illud adimpleri ab infidelibus posse per opera moraliter honesta ratione officii et finis proximi, uti toties dictum est.

148. Ad 2. *Neg.* Saepe enim actus eliciuntur ex motu, ut ita loquar, spontaneo naturae, qui et ex se boni sunt et tendunt in finem proxime bonum, ut honorare parentes, operire nudum, succurrere aliorum indigentiae, aliaque id genus plurima patrare, quin cogitatio subeat sive idolorum sive falsorum deorum. Alioquin omnes ac singuli actus nostri supernaturales essent, aut etiam meritorii, si justi simus, quod tamen nemo dicet.

149. Ad 3. *D.* Cum operantur ex principio infidelitatis, et ex aliquo perverso fine, *C.* secus, *N.*

150. Ad 4. *D.* Infidelium opera nequeunt ex Deo esse ut auctore supernaturali, *C.* ut auctore naturae, *N.* Ut patet ex dictis.

PROPOSITIO III.

Potest homo actuali gratia adjutus, ante obtentam justificationem, actus bonos ac supernaturales elicere, adeoque non omnia peccatorum opera totidem sunt peccata.

151. Haec propositio de fide est; impetit autem praeter wicleffitas et hussitas, quorum articuli 16 et 17. a constantiensi concilio proscripti sunt, lutheranos et calvinianos, adversus quorum doctrinam hic can. VII. sess. VI. a conc. tridentino editus est: *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.* Quorum errorem renovavit Bajus, prop. XXXV: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, quae a pontificibus Pio V. Gregorio XIII. et Urbano VIII. proscripta est. Eam iterum damnavit Clemens XI. in *Const. Unigenitus* in prop. XLV. Quesnelli: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat;* et prop. LIX: *Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium;* ac demum a Pio VI. in *Const. Auctorem fidei: Doctrina synodi* (pistoriensis) *de duplici amore dominantis cupiditatis et caritatis dominantis, enuncians hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes*

suas actiones inficere et corrumpere: quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur: aut opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata: quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati, declaratur *falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Bajo damnatum art.* 40. (prop. XXXIII.). Articulus porro 40. Baji, cujus hic meminit Pius VI. est: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

152. Doctrina novatorum et jansenistarum identica est, diversum tamen est principium, ex quo profluit. Juxta systema novatorum ideo in omnibus actibus suis homo non justificatus peccat, quia hi actus tamquam ex principio intrinseco prodeunt nempe ex peccato originali, quod se manifestat in omnibus humanis operibus; juxta systema jansenistarum ideo semper peccat homo ante justificationem, quia ejus actus ex dominante jugiter cupiditate tamquam ex principio extrinseco dimanant.

153. Jam vero horribilem ejusmodi doctrinam eliminat Scriptura, quae tum dictis tum factis constanter supponit peccatores opera bona immo et salutaria ante conversionem elicere posse, ad illa praeterea patranda passim hortatur peccatores, eosque cum praestiterint, commendat. Sane Ezech. XVIII. 30: *Ait Dominus Deus: Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Luc. XVIII. 13. publicanus exhibetur, qui *percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* De Cornelio centurione Act. X. 1 seqq. legitur: *Vir erat ... religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.* Porro in adversariorum hypothesi Deus ad peccata adhortatus fuisset; publicanus vero et Cornelius novis se peccatis inquinassent, ast contra Deus utrumque justificavit. Praeterea ex conc. arausicano II. ut vidimus, constat nec pii latronis, nec Cornelii centurionis, nec Zachaei conversionem sine divinae gratiae dono accidisse; censuit igitur actus illorum, quibus conversi sunt, bonos ac salutares fuisse, nec sine fide elicitos, nec proinde totidem peccata fuisse, quibus provocaverint iram Dei, ut adversarii autumant.

154. Supervacaneum post haec arbitramur thesim nostram s. Augustini auctoritate confirmare, qui totus in eo est, ut peccatores ad conversionem, poenitentiam, pia opera adhortetur, prout constat ex iis, quae paulo post afferemus, cum sermo erit de gratiae distributione; quae profecto consistere nequeunt cum adversariorum doctrina. Cujus quidem doctrinae absurditas vel ex eo colligitur, quod omnis per eam via praecluderetur ad conversionem, et ad dispositionem justificationi praerequisitam; tum etiam ex falsitate principiorum, quibus illa innititur, aut scilicet peccata actualia non esse nisi totidem unius originalis noxae manifestationes, uti contendunt novatores, aut peccatores semper agere ex dominante cupiditate, uti volunt jansenistae, tum

denique etiam ex demonstratis; nam si neque infidelium opera totidem peccata sunt, multo minus talia erunt opera fidelium.

DIFFICULTATES.

155. Obj. Deus in Scripturis protestatur se abominari indiscriminatim tamquam mala omnia peccatorum opera. Nam 1. Prov. XV. 8. dicitur: *Victimae impiorum abominabiles Domino;* et Is. I. 13: *Incensum abominatio est mihi... calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea;* 2. ex Matth. VII. 18: *Non potest arbor mala bonos fructus facere;* 3. et *Deus,* ut legitur Joann. IX. 31. *peccatores non audit.* 4. Sane peccator semper agit ex cupiditate, adeoque semper peccat, siquidem ex Apostolo, I. Timoth. VI. 10: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ille enim agit ex cupiditate, qui non agit ex caritate: porro peccator non agit ex caritate, ergo agit ex cupiditate. 5. Quare s. Augustinus: *Ubi,* inquit [1], *non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur.* Ergo.

156. Resp. *N. Ant.* Ad 1. prob. *D.* Victimas impiorum et incensum abominatur Dominus, si ex perverso fine perversaque offerantur voluntate, *C.* si rite ad Deum honorandum ac placandum, *N.* Peccatores autem, de quibus in objectis locis agitur, sacrificiis et incenso putabant sibi immunitatem ad indulgendum cupiditatibus et sceleribus comparare.

157. Ad 2. *D.* Quamdiu homo, ut arbor mala, seu ex mala voluntate agit, *C.* secus, *N.* Arbor enim bona vel mala est bona vel prava voluntas; jam vero peccator non semper agit ex mala voluntate.

158. Ad 3. *D.* Ad alios seducendos per miracula, *C.* ad resipiscendum, *N.* Ut patet ex orationis serie.

159. Ad 4. *Neg.* Licet enim nullum detur medium inter cupiditatem et caritatem habitualem, seu inter statum justitiae et statum peccati, tamen inter cupiditatem et caritatem actualem datur caritas improprie dicta, seu bona voluntas, qua fit ut homo peccator bonum interdum, immo passim operetur. Cupiditas vero, de qua loquitur Apostolus, est avaritia, quae saepe hominem in plura flagitia impellit.

160. Ad 5. *D.* Ubi non est dilectio, nempe bona voluntas aut pia affectio, *C.* ubi non est dilectio seu caritas theologica, *N.* Late enim s. Doctor passim vocem dilectionis usurpat, sive cum de fide informi docet, eam non esse sine aliqua dilectione, sive cum scribit [2]: *Quod quidem liberum arbitrium sine suo fructu admoneretur, nisi prius reciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quaereret, unde quod jubebatur, impleret.*

[1]) *De gratia Christi,* cap. 26.

[2]) *De grat. et lib. arbitr.* cap. 18. n. 37.

ARTICULUS IV.

DE ERRORIBUS CIRCA GRATIAE NECESSITATEM POST ACCEPTAM JUSTIFICATIONEM.

161. Pelagiani, qui vires liberi arbitrii juxta proprium systema nimis extollebant, multo magis post adeptam justificationem vim eidem tribuebant sectandi justitiam usque ad plenam adipiscendam perfectionem, immo et ad *apathiam* seu *imperturbabilitatem* assequendam. Ut autem catholicis illuderet Pelagius, tria solebat in homine distinguere, *possibilitatem*, *voluntatem* et *actionem*, primam a gratia repetebat, nempe creationis, alias vero nostrarum partium esse affirmabat. En verba, quibus s. Augustinus exponit Pelagii doctrinam [1]: *Possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus; voluntatem, qua vult esse justus; actionem, qua justus est; harum trium* primum, *id est, possibilitatem, datam confitetur a Creatore naturae, nec esse a nobis protestatur ...;* duo vero reliqua, *id est, voluntatem et actionem nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut nonnisi a nobis esse contendat.*

162. Semipelagiani ut initium fidei et salutis sic et perseverantiam hominis viribus tribuebant.

163. Rationalistae protestantes ita desciverunt a patrum suorum institutis, ut ex homine esse affirment perfectibilitatem, adeo ut possit non solum ideale perfectionis attingere quod in homine paradisiasco propositum est, sed ipsum typum realem qui Christo exhibitus est aemulari ac vincere. Siquidem *emendatores sacrorum*, ut vocant, Lutherus et Calvinus docuere, justum semper in omnibus actibus peccare, etsi ipsi non imputentur ad poenam haec peccata ob imputationem justitiae Christi.

164. Catholica doctrina est, ne justos quidem sine speciali privilegio posse omnia venialia peccata vitare toto vitae tempore; perseverantiam praeterea Dei munus esse. Quas veritates ut adstruamus sit

PROPOSITIO I.

Non potest homo justificatus in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio.

165. De fide haec propositio est definita a Tridentino, Sess. VI. can. XXIII: *Si quis hominem semel justificatum dixerit ... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de b. Virgine tenet ecclesia; anathema sit.*

166. Agitur porro 1°. de venialibus *omnibus* etiam indeliberatis; 2°. de *tota vita*, non autem de breviori aut longiori tempore, quamvis theologi passim doceant non posse justum ad longum tempus venialia omnia declinare; 3°. agitur de justo adjuto auxiliis ordinariis citra tamen speciale privilegium,

[1]) *De grat. Christi*, cap. 3. n. 4.

quod soli b. Virgini ex doctrina ecclesiae certo novimus concessum; 4°. de impotentia morali, non vero de physica, quaeque complectatur venialium *collectionem*, non autem singulatim sumpta; 5°. ideo vero speciale requiritur privilegium ad collectionem venialium superandam, quia opus est reparatione integritatis naturae, quae auxiliis ordinariis juvatur quidem, at non tollitur omnino illa infirmitas, quae ex doni integritatis amissione inducta est.

167. Ita vero expositam propositionem ex sacris litteris primo adstruimus: De justo, Prov. XXIV. 16. dicitur: *Septies enim cadet justus;* Eccl. VII. 21: *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet.* Apertius adhuc veritas haec in N. T. praedicatur; nam Jac. III. 2. dicitur: *In multis offendimus omnes;* et I. Joann. I. 8: *Si diximus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Quapropter Christus indiscriminatim omnes sic orare jubet: *Dimitte nobis debita nostra.* Justi igitur, quamvis ordinariis auxiliis adjuti, saepe et ipsi labuntur.

168. Nec aliud docuere Patres, ex quibus inter graecos unum laudamus Gregorium nazianzenum, qui: *Quandoquidem*, scribit [1], *eum vitae statum, qui omni prorsus peccato vacet, supra humanae naturae modum Deus constituit.* Inter latinos adducimus s. Hieronymum, qui sic urgebat Pelagium [2]: *Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est, nos subjacere peccato, non naturae et conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate et commotione voluntatis humanae, quae per momenta variatur; quia Deus solus est immutabilis.* De Augustino nil attinet dicere, qui ex professo hanc veritatem adstruxit.

169. Quamobrem superbam pelagianorum doctrinam vix e tenebris erumpentem ecclesia damnavit. Concilium carthag. ann. 418. hunc canonem edidit: *Item placuit, quod ait s. Joannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est; quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit. Sequitur enim Apostolus, et adjungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, et humilitas in nobis non est; sed cum ait: Nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est, satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.* Deinde can. VII et VIII. declarat verba orationis dominicae: *Dimitte nobis*, etc. etiam ad justos pertinere, nec solum *humiliter* sed *veraciter.*

[1]) *Orat.* IV. *in Julian.*

[2]) *Dial.* II. *cont. Pelag.* n. 30.

170. Angelicus Doctor hanc rationem theologicam affert [3]: *Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest* (et ex hoc rationem peccati habent ac voluntarii) *non autem omnes, quia, dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam quia ratio non potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos.*

DIFFICULTATES.

171. I. Obj. 1. Christus ad omnimodam nos perfectionem provocat, dicens [4]: *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* 2. Hinc I. Joann. V. 18. dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat*, et Ps. CXVIII. 2: *Beati immaculati in via;* tales porro non sunt, qui venialibus se noxis commaculant. 3. Luc. I. 6. de Zacharia et Elisabeth legitur, quod essent *incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* 4. Ecclesia de s. Joanne Baptista olim canebat, ideo ipsum desertum petiisse, *ne levi saltem maculare vitam crimine posset.* 5. Quare vel ipse Augustinus: *Si a me*, inquit [5], *quaeratur, utrum homo sine peccato esse possit in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium.* Ergo.

172. Resp. Ad 1. *D.* Prout patitur humana fragilitas, *C.* absolute, *N.* Substrata praeterea materia coarctat verba Christi ad Dei imitationem in condonandis injuriis, ac in prosequendis inimicis beneficentia.

173. Ad 2. *D.* Quamdiu justus agit ex principio nativitatis divinae, sive ex caritate, *C.* si agat ex cupiditate, *N.* Quod vero dicitur in Ps. CXVIII. intelligi debet non secus ac alii ejusmodi textus, de immunitate a gravi culpa, non autem de absoluta sanctitate et justitia, quae omni vel levi macula careat, juxta illud: *Ille maximis, qui urgetur minimis.*

174. Ad 3. *D.* Coram hominibus, *C.* coram Deo, *subd.* ita ut nullo umquam levi defectu se inquinaverint, *N.* alio sensu, *C.*

175. Ad 4. *D.* Quin tamen ecclesia id illum obtinuisse affirmet, *C.* obtinuisse, *subd.* ex speciali privilegio, *Tr.* sine illo, *N.*

176. Ad 5. *D.* Fatetur Augustinus id physice fieri posse et absolute, *C.* moraliter et in praxi, *N.* Alioquin ipse destruxisset, quod adversus pelagianos adstruxerat in lib. *De dono perseverant.* cap. 2. n. 4. errores illorum describens: *Tria sunt,* inquit, *ut scitis, quae maxime adversus eos catholica defendit ecclesia; quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari... alterum est, in quantacumque justitia sine quibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere; tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis.* Nec toties inculcasset idem s. Doctor, si excipias Christum Dominum ejusque sanctissimam Matrem, neminem prorsus exstitisse qui omni prorsus peccato immunis fuerit.

[3]) I. 2. qu. 109. art. 8.
[4]) Matth. V. 48.
[5]) *De peccat. meritis et remiss.* lib. II. cap. 6.

177. II. Obj. 1. Justus potest ad breve tempus omnia venialia vitare; poterit igitur semper, tum ob habitus inde acquisitos, majoremque facilitatem, tum ob ulterioris uberiorisque gratiae subsidium. 2. Profecto si potest singula distributive vitare, quare omnia non poterit collective? 3. Alioquin jam necessario peccaret; nec ei propterea possent talia imputari peccata. 4. Non posset propositum justus concipere omnia peccata vitandi, nec Deum pro tali voluntate orare, multo vero minus votum ea vitandi emittere, quae tamen absurda sunt, sanctorumque praxi contraria, immo et ecclesiae ipsius, quae Deum orare consuevit, *ut in nullum declinemus peccatum, et ut ab omni peccato nos liberet.* Ergo.

178. Resp. Ad 1. *Neg. cons.* Optime jam solverat s. Hieronymus hanc ipsam difficultatem, scribens [6]: *Nec, quia ad breve tempus possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, dormire. Numquid in perpetuum?* Nec obest facilitas habitus; hoc enim supponit de una tantum agi specie peccati, nec hominem fatiscere ex longo habitu. Nec pariter obest ulterior uberiorque gratia, siquidem et haec difficultas supponit jugiter hominem fidelem se praebere gratiis omnibus anterioribus, quod tamen saepe non contingit.

179. Ad 2. *D.* Si eadem ratio vigeret pro distributione ac pro collectione, *C.* si diversa omnino vigeat, ut patet ex dictis, *N.*

180. Ad 3. *D.* Si haec necessitas esset physica afficeretque peccata singula, *C.* si moralis sit nec afficiat nisi collectionem, *N.*

181. Ad 4. *D.* Effective efficax, *C.* efficax affective, *N.* Commendatione ejusmodi propositum semper dignum est, immo et votum, quia valde prodest, sin minus ad omnia, saltem ad plura vitanda peccata; eo vel magis quod ejusmodi sive propositum sive votum habeat pro objecto venialia deliberata, quae utique divinae gratiae subsidio etiam ad longum tempus vitari possunt. Hac ratione se plures gesserunt sancti. Nec alio sensu orat ecclesia, quae vehementer quidem optat, ut nullo nos peccato etiam levi coinquinemur, quamvis sciat nos ad longum tempus sine illis consistere haud posse. Hinc ejus oratio quotidiana est.

PROPOSITIO II.

Non potest homo justificatus sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare.

182. Et haec propositio de fide est sancita a Tridentino, Sess. VI. can. XXII: *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.*

183. Praenotandum hic vero est I. perseverantiae nomen usurpari tum proprie tum improprie. Proprie sumitur cum significatur jugis in bono

[6]) Lib. III. *Cont. Pelag.* n. 12.

permanentia usque in finem vitae; improprie cum denotatur brevior aut diuturnior in eodem consistentia.

184. II. Bifariam perseverantia proprie dicta, de qua hic agitur, spectari solet, prout scilicet vel activa, vel passiva est. *Activa* consistit in jugi cooperatione gratiae actuali; *passiva* in conjunctione activae ejusmodi cooperationis cum exitu ex hac vita.

185. III. Controversia, quae olim inter catholicos ac semipelagianos agitata est, non versabatur circa perseverantiam passivam seu finalem; nam hanc Dei munus esse ultro semipelagiani profitebantur; sed erat circa perseverantiam activam. Cum enim ex illorum systemate initium fidei ac salutis ex viribus arbitrii gratiam praevenientibus repeteretur, ita etiam perfectio et consummatio ab eisdem viribus petebatur. Per illud ipsum siquidem aliquid absolvitur, unde coepit.

186. IV. *Magnum illud perseverantiae donum*, ut loquitur Tridentinum, duo complectitur, gratiam scilicet *interiorem* et *exteriorem*. Gratia interior est gratia actualis illustrationis et inspirationis, qua homo excitatur et resipiscit, si in peccato fuerit, aut in accepta justitia persistit usque ad mortem; exterior ea est, per quam Deus ita electis prospicit, ut tentationes peccandi amoveat, pericula abigat, donec, omnibus superatis, justus ex hac vita decedat.

187. Hac ratione exposita propositione, sic ejus veritatem, duce s. Augustino [1] ostendimus: Philipp. I. 29. dicitur: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini;* super quae verba s. Augustinus observat: *Horum unum pertinet ad initium, alterum ad finem; utrumque tamen donum Dei est.* Rursum ibid. v. 6. legitur: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu;* ac I. Petr. I. 5: *Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem.*

188. Eamdem veritatem ostendit s. Doctor ex universa oratione dominica, praecipue vero ex illis verbis: *Et ne nos inferas in tentationem; sed libera nos a malo. Sancti, quid aliud,* inquit, *quam ut in sanctitate perseverent, precantur?* Nec non ex orationibus publicis evincit ecclesiae, *quae orat,* ait ipse, *ut credentes perseverent. Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.*

189. Hinc conc. arausicanum II. can. X. haec adstruit: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare;* ac s. Coelestinus papa definit [2]: *Neminem, etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit.* Ex quibus discimus praeter justitiam inhaerentem ad perseverandum opus esse *speciali Dei auxilio*, ut loquitur Tridentinum, seu actuali gratia.

[1]) *De dono persev.* a cap. 2 ad 7. [2]) *Epist. ad Galliar. Episc.* cap. 6.

DIFFICULTATES.

190. Obj. 1. Nisi perseverantia in hominis potestate esset, frustra ipse adniteretur in bono perseverare. 2. Quid si Deus eam non largiretur? Inutilis foret sollicitudo omnis. 3. Inutilis praeterea foret quaevis adhortatio aut correptio; 4. eo magis quod eam justus promereri nequeat. 5. Quapropter cum justus ad vitam aeternam jus habeat, jus pariter ad perseverantiam habeat necesse est. 6. Docet praeterea Apostolus [3], multo magis Christum nobis profuisse, quam nocuerit Adam; porro Adam, Augustino teste, habuit in sua potestate *posse perseverare* absque ullo speciali subsidio. 7. Consistere demum nequit doctrina de gratuita perseverantia cum spe christiana; profluunt ex ea consectaria omnia, quibus urgetur praedestinatio absoluta, quae fatalismum inducit; merito proinde eam adrumetini monachi respuerunt. Ergo.

191. Resp. Ad 1. *D.* Nisi omnibus gratia necessaria ad perseverandum conferretur, *C.* si detur omnibus, praesertim justis, *N.* Dari porro omnibus praesertim vero justis gratiam ad perseverandum necessariam, paulo post ostendemus. Ut igitur justus de facto perseveret, satis est fidelis ad eamdem gratiam cooperatio.

192. Ad 2. *D.* Si sermo sit de perseverantia passiva, *C.* si de activa, *N.* Illa autem pendet a fideli cooperatione perseverantiae activae; si haec desit, illius amissio culpae hominis adscribi debet.

193. Ad 3. *D.* Nisi gratia ad perseverandum active omnibus praesto esset, *C.* si praesto sit, *N.* Cum enim hominis sit gratiae resistere aut obtemperare, ac efficere ne *in vacuum gratiam Dei recipiat*, ut loquitur Apostolus [4], jure merito adhortationes et correptiones fiunt ad stimulos addendos.

194. Ad 4. *D.* Ita tamen, ut perseverantiae donum *suppliciter emereri possit,* ut docet s. Augustinus [5], *C.* nullo modo, *N.* Fidelis cooperatio anterioribus gratiis, ac jugis oratio perseverantiam certissime obtinent, quod satis est.

195. Ad 5. *D.* Jus habet in praesenti, *C.* in futurum, *N.* Nam *qui perseveraverit usque in finem*, ait Christus [6], *salvus erit;* ast ad gratias actuales, quibus perseveratur, jus nullum est.

196. Ad 6. *D.* In ordine ad uberiores gratias, *C.* aliter, *N.* Adae enim ex doctrina s. Augustini datum tantummodo fuit *posse perseverare,* nobis vero ex Christi meritis datur praeterea *ipsum perseverare:* illi collata est gratia tantum illustrationis, utpote dono integritatis praedito, nobis praeterea confertur gratia inspirationis, qua infirma voluntas roboretur.

197. Ad 7. *Nego sequelas* has omnes. Cum enim ex dictis perseverantia activa, de qua agitur, in nullo differat a gratia actuali, patet, illam

[3]) Rom. V.
[4]) II. Cor. VI. 1.
[5]) Op. cit. cap. 6. n. 10.
[6]) Matth. X. 22.

neque spei christianae adversari, neque aliquid doctrinam catholicam commune habere sive cum praedestinatione absoluta, sive cum fatalismo; praesertim cum Deus nemini gratiam deneget, nec deserat, nisi deseratur, ut pie semper justeque vivatur, ut post s. Augustinum loquitur tridentina synodus, Sess. VI. cap. 2.

CAPUT III.

DE GRATUITATE GRATIAE.

198. Tum pelagiani tum semipelagiani huic gratuitati, ut vocant, divinae gratiae adversati sunt, ast diverso gradu, diversaque ratione. Etenim pelagiani, evolventes systema suum de naturali hominis paradisiaci conditione, deduxerunt posse hominem propriis viribus sibi merita comparare ad gratiam illustrationis assequendam, quam unice admittebant ad facilius operandum. Haec merita vere et proprie, seu ut vocant, *de condigno* constituebant in ordine ad gratiam. Julianus vero Augustini argumentis pressus a rigido pelagianismo aliquantisper deflectere visus est, dum affirmavit Deum expectare tantum conatus nostros, voluntatem nostram, desiderium salutis caeterorumque operum ad gratiam impertiendam.

199. Postremum hunc Juliani errorem parce quidem detortum semipelagiani adoptarunt; nam 1°. fatebantur, merita quae fidem et gratiam praeveniunt non esse *de condigno* sed solum *de congruo*; 2°. gratiam non modo *ad facilius*, sed absolute necessariam ad bonum opus praestandum post acceptam fidem admittebant; 3°. neque semper opus esse docebant, ut merita gratiam praevenirent, verum dicebant Deum illis permoveri, cum adessent, ad gratiam conferendam; ita tamen ut Deus interdum etiam sine ullis meritis gratiam fidei ac salutis tribueret, prout contigit Matthaeo ac Paulo.

200. Ex his tam pelagiani quam semipelagiani inferebant nullam dari gratuitam praedestinationem ad gratiam et gloriam, quae scilicet ex solo Dei beneplacito penderet, contendebantque Deum ex meritis naturalibus sive existentibus sive praevisis aliquos praedestinare; adeoque hominem propria industria ac labore se a *massa perditionis* discernere. Utrosque acriter confutavit s. Augustinus, propugnans juxta ecclesiae catholicae mentem, praedestinationem ad gratiam prorsus gratuitam esse, quae nullis praecedentibus meritis a Deo fiat. Quod si interdum etiam disserit s. Doctor de praedestinatione ad gloriam, ideo est, quia praedestinationem adaequate considerabat, uti suo loco ostendimus.

PROPOSITIO.

Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sivé de condigno sive de congruo.

201. Haec propositio ad fidem spectat, ut constat ex synodo diospolitana, quae cap. 7. adegit Pelagium ad confitendum: *Gratiam Dei... non dari secundum merita nostra;* nec non ex synodo arausicana II. cap. 6. his

verbis doctrinam catholicam definiente: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, petentibus, quaerentibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus* etc., *et aut humilitati aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium... resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti?* et: *Gratia Dei sum id, quod sum;* et cap. 18: *Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.*

202. Dum excludimus meritum quodcumque operum *naturalis ordinis*, haud inficiamur meritum de congruo, id est, operibus *ordinis supernaturalis*, sive haec eliciantur a justis sive a peccatoribus ad gratiam conversionis obtinendam, aut ad ulteriorem gratiam assequendam. Confundi praeterea nequit meritum positivum, cum remotione obstaculorum ad gratiam habendam, de quo paulo post dicetur.

203. Jam vero gratuitam prorsus esse Dei gratiam et misericordiam sacrae litterae constanter inculcant. Sane I. Joann. IV. 19. legitur: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Et Paulus fidenter interrogat [1]: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Aperte immo Deus apud Isaiam juxta eumdem Apostolum ait [2]: *Inventus sum a non quaerentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Hinc rursus Apostolus: *Quis,* inquit [3], *te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Rom. porro cap. IX. 16. concludit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Siquidem gratuita ad gratiam vocatio argumentum est totius partis dogmaticae hujus epistolae.

204. Hanc veritatem edocta ecclesia adversus gratiae hostes eam perpetuo asseruit, et pelagianos in pluribus conciliis per id temporis celebratis damnavit, prout semipelagianorum seu Massiliensium pariter prava dogmata proscripsit, ut liquet ex recitatis capitulis. Partes autem ecclesiae catholicae agens Augustinus, sic detractores gratiae perstringebat [4]: *Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non praecesserunt. Illi ergo gloria, qui nos liberat;* et iterum [5]: *Si propterea gratia est,* inquit, *quia gratis est, nihil tuum praecessit, ut acciperes.* Ex professo autem eamdem doctrinam tuetur in duobus libris *De praedest. Sanctorum,* et *De dono perseverantiae.* Heterodoxa demum adversariorum doctrina evidenter colligitur ex eo, quod ipsam gratiae destruat notionem. Si enim ex praecedentibus meritis ea daretur, jam erit merces ac retributio, non autem gratia, ut argumentatur Apostolus. [6] Accedit, quod principium meriti, cujusmodi est gratia, non cadat sub meritum; repugnat insuper opera naturalis ordinis posse mereri id, quod supra eumdem ordinem naturalem est, cujusmodi est

[1]) Rom. XI. 35.
[2]) Ibid. X. 20.
[3]) I. Cor. IV. 7.
[4]) *Enarr.* II. in *Ps.* XXVI. n. 6.
[5]) Ibid. in *Ps.* LXX. n. 1.
[6]) Rom. cap. IV.

gratia, quae est ordinis supernaturalis. Deus non amplius liber esset donorum suorum distributor. Quaquaversus igitur pelagianorum ac semipelagianorum systema spectetur, patet ipsum non minus Scripturae, ecclesiae doctrinae ac Patrum, verum etiam ipsi gratiae naturae repugnare.

DIFFICULTATES.

205. I. Obj. 1. Nisi Deus in gratiae distributione rationem praecedentium meritorum haberet, non ageret ad sapientiae normam, et arbitraria illa prorsus esset. 2. Falsum praeterea est gratiae ideam destrui, si ejus fiat ex praecedentibus dispositionibus largitio; nam hae penderent ex dono gratuito creationis. 3. Sane non amittitur ratio gratiae, si ea detur praecedentibus meritis justi vel peccatoris, dicente Augustino [7]: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est fidei meritum.* Cur vero? quia fides gratuita praecessit. 4. Nec obest, quod dicitur de principio meriti, quod cadere non potest sub meritum; nam fieri potest, ut Deus saltem ex boni usus praevisione ipsius gratiae eam dare decernat uti praemium ejusmodi meriti praevisi. Ergo.

206. Resp. Ad 1. *Neg.* Tum quia nulla praecedentia merita, nulla praevia positiva dispositio supponi potest, ubi non sunt nisi opera naturalis ordinis; tum quia quamvis nos lateant consilia Dei, dici nequit Deum distribuere dona sua sine sapientia et sine consilio, etsi ea non tribuat praecedentibus meritis, quae nulla esse possunt.

207. Ad 2. *D.* Si creatio seu natura meritum fundare posset supernaturalis ordinis, *C.* si nequeat, *N.* Porro ordo naturae et gratiae, naturalis ac supernaturalis, prorsus distincti ab invicem sunt, ita ut nulla inter utrumque intercedat proportio. Ordo creationis relationem dicit ad opera naturae, quae non elevant hominem praeter illius exigentiam sive in hac sive in altera vita. Ordo gratiae relationem dicit ad hominis elevationem in utraque pariter vita. Alioquin si ordo naturae efficere posset, quod praestat ordo supernaturalis, inutilis plane hic foret, adeoque et electio, et vocatio, et ipsa elevatio, prout reipsa pelagiani autumabant.

208. Ad 3. *Nego paritatem.* Fides enim, etsi gratuita sit, tamen ordinis supernaturalis est, ac idcirco gratiae, quae exinde saltem de congruo obtineri possunt, originem habent a dono gratuito ejusdemque ordinis sunt, secus ac eveniat in creatione.

209. Ad 4. *D.* Absolute et in alio rerum ordine, *C.* in praesenti de quo disserimus, *N.* Contrarium enim constat ex divina revelatione, ex qua solum quid Deus velit aut nolit cognoscere possumus. Porro Apostolus scribit, Deum nos elegisse, *ut essemus sancti et immaculati,* non autem quia tales nos futuros praevidit.

210. II. Obj. 1. In hac hypothesi perinde homini esset, sive virtutem sectari sive vitiorum coeno volutari, haud exiguo virtutis moralis detrimento,

[7]) Ep. CXCIV. n. 9.

cum tamen experientia constet, longe magis a fide aversos esse pessimos homines, quam virtutis sectatores. 2. In eadem conditione versarentur sive qui ex ignorantia et infirmitate, sive qui ex destinata malitia delinquunt, cum nihilominus de se profiteatur Apostolus, quod *ideo misericordiam fuerit consecutus, quia ignorans fecerit in incredulitate.* 3. Sane s. Thomas docet [8], nutritum in sylvis si omnia legis naturalis praecepta servet, minime relictum iri, sed a Deo vel per evangelicum praeconem, vel per angelum etiam vocatum iri. 4. Exinde receptum in scholis per tria continentia saecula celebre axioma: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* 5. Quod quidem effatum de faciente quod in se est ex viribus naturae esse intelligendum, tum ex formula ipsa sive antithesi qua enunciatur, tum ex veterum fere omnium interpretatione liquet, quibus haud pauci adstipulantur, qui Dei providentiam adversus incredulos detractores vindicant. Ergo.

211. Resp. Ad 1. *D.* Ratione *meriti*, *C.* ratione *demeriti*, *N.* Scilicet nec bene nec male operantes meritum nullum praetendere ad gratiam possunt, ut patet ex dictis. Attamen qui prave operantur, positivum ulterius demeritum habent, ponuntque majus obstaculum ad Dei gratiam recipiendam, quam qui morigeram vitam agunt. Quamvis proinde Deus absolute utrisque gratiam suam denegare possit aut conferre, prout de facto etiam pessimis confert eosque immutat; ex consueto tamen ejus providentiae ordine illis eam elargiri solet, qui minora obstacula opponunt, et exinde redditur ratio quare impii magis a fide prae caeteris aversi sint.

212. Ad 2. *Nego*, juxta modo dicta quoad minora impedimenta, quae ponit, qui ex infirmitate et ignorantia peccat, prae illo qui ex destinata malitia legem violat. Hoc sensu negativo exponenda sunt Apostoli objecta verba.

213. Ad 3. *D.* Ex gratuita Dei bonitate, *C.* quasi meritum aliquod ad gratiam sibi comparaverit, *N.* Numquam hoc docuit s. Thomas: sed spectata Dei bonitate, jure censuit angelicus Doctor hunc numquam derelictum iri, quia nisi obstacula objiciantur, ex se Deus ac sponte fertur ad hominibus subveniendum, quos condidit ut salvos faceret.

214. Ad 4. *D.* Quatenus, spectata Dei bonitate, ipsi non denegatur gratia, *C.* ex aliquo merito sibi comparato cujus intuitu gratia conferatur, *N.* Aliud enim est Deum ei, qui facit quod in se est, non denegare gratiam quando et quomodo ei placuerit, aliud vero gratiam conferre intuitu alicujus meriti quod in eo reperiat. Prius ex dictis verissimum est, posterius vero est falsum ac prae se fert sensum semipelagianum. Jam vero hoc effatum in priori sensu in scholis adscitum est, qui nulla ratione semipelagianis favet cum sit negativus. Deus proinde posset ei etiam qui facit omne quod in se est, sive ex viribus naturae, sive ex viribus gratiae medicinalis, quae per Christum confertur, id fiat, gratiam denegare, quin ullum jus violet. Quod si conferat, ex sola sua bonitate ita se gerit.

[8]) *Quaest.* XIV. *de Veritate,* art. 11. ad 1.

215. Ad 5. *Neg. conseq.* Quamvis enim, ut certum videtur, veteres plerique scholastici praedictum axioma de faciente quod in se est ex viribus naturae acceperint, non inde sequitur eos adstipulatos semipelagianismo fuisse, uti perperam eos calumniati sunt protestantes, janseniani, nonnullique incauti theologi. Nam ipsi non alio sensu docuere, Deum ita se gerenti non denegaturum gratiam, quam quo exposuimus, nempe citra ullum meritum sive de condigno sive de congruo, sed solum quatenus si agens *removet prohibens,* seu nullum posuit obstaculum divinae bonitati, quae sua sponte gratiam suam tribuit. Recte porro veteres hoc effatum de viribus naturae intellexisse exinde liquet, quod ante vocationem ad fidem nulla gratia supernaturalis ordinis stricte sumpta supponi possit. Non desunt, qui contendant a vetustioribus praesertim scholasticis ejusmodi effatum usurpatum esse de gratia actuali, seu *gratuita* in ordine ad gratiam habitualem seu *gratum facientem.* Verum hoc sensu perperam nobis illud objicitur.

CAPUT IV.

DE NATURA AC DIVISIONE GRATIAE ACTUALIS IN ORDINE AD LIBERI ARBITRII COOPERATIONEM.

216. Arduam aggredimur controversiam, quae haereticos a catholicis dividit, nec non scholas catholicas ab invicem. Agitur siquidem de infallibili gratiae effectu ac de libero voluntatis humanae actu sub eadem gratia. Haeretici quin nodum hunc evolvant simulque duo illa inter se componant, illum potius disrumpunt. De fide tamen est et gratiae infallibilem effectum, et liberum eidem assensum simul consistere.

217. Antequam vero novatorum errores, et scholarum placita ad illa concilianda exponamus, juverit animadvertere 1°. praesentem controversiam de gratia actuali praeveniente agitari; 2°. gratiam hanc spectari posse aut in genere aut in specie, nempe vel in se ac natura sua vel in suis effectibus. Prout in genere spectatur gratia praeveniens, complectitur illustrationem intellectus, inspirationem voluntatis, et robur quod eidem voluntati communicat, ita ut omnis ejusmodi gratia *illuminet, moveat* et *auxilietur,* adeoque sub hoc respectu homo passivus est.

218. Gratia, quae tales producit effectus natura sua, praescindendo a futuro hominis consensu, efficax dicitur *ab intrinseco efficacia virtutis* ad discrimen illius, quae secum adnexum habet consensum, et efficax dicitur *efficacia connexionis.* Simpliciter etiam sive absolute vocatur *efficax,* ut distinguatur ab ea gratia, quae ejusmodi consensum non assequitur, et vulgo *sufficiens* nuncupatur: exinde illa oritur celeberrima distinctio gratiae *efficacis* et *gratiae sufficientis.*

219. Nemo, si pelagianos ac socinianos cum rationalistis excipias, umquam negavit gratiae efficaciam connexionis, cujus indicia sunt bona ac supernaturalia opera. Ast quaestio non minima viget in determinanda connexione hac et unde sit repetenda.

220. Lutherani et calvinistae ex necessitate eam repetunt, quam infert gratia, cui voluntas nequit refragari.

221. Janseniani eam derivant ex coelesti delectatione relative necessario victrice delectationis terrenae seu concupiscentiae.

222. Thomistae eam constituunt in praedeterminatione physica ad actum salutarem.

223. Augustinianenses in praesenti lapsi hominis statu eamdem agnoscunt in delectatione coelesti, quae gradibus superior sit opposita effreni concupiscentia.

224. Hi porro omnes efficaciam gratiae repetunt ex ipsa ejusdem natura ac essentia, quae secum includit actum ad quem movet, adeoque contendunt eam esse *efficacem a se ab intrinseco*, quo etiam nomine eam designant. Differunt autem novatores ac jansenistae a recensitis scholis catholicis, quod illi velint gratiae necessitatem inferre; quod scholae catholicae omnes prorsus negant.

225. Congruistae contendunt nullam essentialem ac intrinsecam gratiae cum actu seu effectu connexionem intercedere: ut vero explicent infallibilem gratiae efficacis effectum cum libero hominis consensu, recurrunt ad divinam praescientiam, qua Deus certo novit cuinam gratiae sit libere consensurus ille, quem Deus convertere decrevit, sicque infallibilem ejus gratia obtinet effectum, illaesa manente libertate.

226. Quod vero spectat ad gratiam *sufficientem*, quam nonnulli etiam *inefficacem* vocant respectu consensus, quem non obtinet, lutherani, calviniani ac janseniani nullam ejusmodi gratiam admittunt; etsi ad fucum faciendum janseniani eam, quam vocant gratiam *parvam*, id est *insufficientem*, interdum commemorent. Catholici contra uno consensu eam dari profitentur, at disceptant inter se unde illius inefficacia petenda sit.

227. Thomistae et augustinianenses censent eam specie differre a gratia efficaci, eo quod destituta cum sit praedeterminatione physica, confert solum *posse* seu *possibilitatem*, non item vero *agere* sive *actionem*.

228. Congruistae eamdem quoad essentiam gratiam sufficientem et efficacem esse adstruunt, negationem vero actus seu consensus a solo repetunt liberi arbitrii defectu.

229. Ex his patet nostri muneris esse prius doctrinam catholicam tueri adversus novatores et jansenistas: deinde tentamina scholarum exponere ad conciliandum infallibilem gratiae efficacis effectum cum libera hominis voluntate: demum gratiae sufficientis existentiam adversus illius impugnatores vindicare. Quae totidem articulis praestabimus.

ARTICULUS I.

DE GRATIA EFFICACI.

230. Ideo novatores gratiam a se efficacem ac voluntatem necessario permoventem excogitarunt, quia in eorum systemate homo per culpam primi-

geniam omnem amisit libertatem. Ad instar igitur lapidis, trunci aut machinae effectus, debet homo ad agendum necessitate permoveri. uti naves aut currus nunc temporis aëre evaporato, tum ad malum per concupiscentiam. tum ad bonum per gratiam. Janseniani eamdem doctrinam ex eodem principio deduxerunt, licet diversa ratione eam evolvant. Hominem enim lapsum ipsi comparant trutinae, qui necessario aut a delectatione coelesti. nempe a gratia, aut a terrena delectatione, videlicet concupiscentia relative gradibus victrice impellitur aut ad bonum aut ad malum. Adversus utrorumque systema has statuimus propositiones:

PROPOSITIO I.

Gratiae efficacia nullam infert homini necessitatem, seu homo liber est in actibus salutaribus.

231. De fide propositio haec est a Tridentino. Sess. VI. can. IV. sancita: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet; neque posse dissentire. si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.*

232. Hanc veritatem luculentissime sacrae litterae exhibent. quoties docent humanam voluntatem a gratia praeventam et excitatam libere se ipsam movere, flectere ac determinare; sic Zach. I. 3. dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* et Ps. CXVIII. 112: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas;* demum Apostolus ita Timotheum hortatur [1]: *Exercere teipsum ad pietatem.*

233. Rursum ubi docent hominem operari et agere sub gratia, uti Philipp. II. 12: *Cum timore et tremore salutem vestram operamini;* ac I. Cor. III. 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Dei enim sumus adjutores* (graece *συνεργοὶ* seu *cooperatores*). Profitetur porro Apostolus de se ipso [2]: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

234. Ubi demum sic docet hominem agere et operari, ut possit nec agere neque operari, ut Ecclesiast. XXXI. 10: *Qui potuit transgredi et non est transgressus; facere mala et non fecit;* ac I. Cor. VII. 37: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc quidem judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.*

235. Universam porro antiquitatem in hac institutam esse doctrina aperte fatetur vel ipse Calvinus, qui scribit [3]: *Voluntatem movet* gratia. *non qualiter multis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit*

[1]) I. Tim. IV. 7.
[2]) Ibid. XV. 10.
[3]) *Instit.* lib. II. cap. 3. §. 10.

electionis motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo. Tantum vero abest Augustinum Calvini placito suffragari, quod ipse jactat, ut visus sit integro libro *De gratia et libero arbitrio* s. Doctor illud refellere sibi proposuisse. Sic enim cap. 1. scopum suum in hoc libro exarando exponit: *Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium: hinc aliquid scribere..... compellente mutua caritate, curavi.*

236. Absurda, quae ex novatorum hypothesi dimanant, ejusdem falsitatem evincunt. Illa enim semel constituta, sequeretur nervos omnes praecidi pietatis ac bonorum operum, viamque latissimam aperiri cuivis flagitio; siquidem possent omnes ignavi ac flagitiosi praetexere se destitutos gratia, qua unice possent se in virtutibus exercere, aut a vitiis se praeripere. Accedit falsum esse principium, ex quo suum systema novatores adstruunt, nempe periisse ob originalem noxam liberum arbitrium, ut suo loco ostendimus.

DIFFICULTATES.

237. I. Obj. 1. Omnem activitatem Scripturae homini sub gratia denegant; nam Ezech. XXXVI. 26. dicit Deus: *Auferam a vobis cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum... et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis;* et Joann. VI. 44: *Nemo potest venire ad me,* inquit Christus, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* et v. 45: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me;* Apostolus denique: *Deus est,* inquit [4], *qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Ergo.

238. Resp. *N. Ant.* Ad probb. autem adductas resp. primo generatim, *D.* Et haec aliaque ejusmodi testimonia infallibilem adstruunt gratiae efficaciam, *C.* necessitatem quae ab eadem inferatur, *N.* Illud prius nos docuit revelatio, modum vero quo gratia infallibilem effectum sortiatur, nobis penitus occultavit. Difficile prorsus imperviumque nobis semper exstitit problema de conciliatione infallibilis istius effectus cum plena hominis libertate, prout jamdiu aetate sua exposuit s. Augustinus illis verbis [5]: *Ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Huic solvendo scholarum systemata invecta sunt, quae paulo post expendemus. Interim utrumque tenendum est.

239. Ad 1. itaque prob. *D.* Ezechielis verba vim gratiae significant ad peccatorum corda flectenda, *C.* vim quae necessitatem inferat, *N.* Promittit scilicet Deus populo suo spiritum novum, quo efficiat ut in praeceptis suis ambularet, uti dicitur in loco parallelo XI. 19. Neque urgenda metaphora est *cordis lapidei et cordis carnei,* cum in hoc ratio habenda sit troporum

[4]) Philipp. II. 13.

[5]) *De gratia Christi,* cap. 47.

usus, et indolis hebraicae linguae, prout vel ipse animadvertit Rosenmüller in hunc locum.

240. Ad 2. *D.* Trahit Pater ad Filium modo liberae naturae consentaneo, *C.* necessitatem inferendo, *N.* Hinc Augustinus ad haec verba scribit [6]: *Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo.* Sic etiam: Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad Christum libere gratiae cooperando, *C.* necessitate ductus, *N.*

241. Ad 3. *D.* Deus operatur velle excitando et adjuvando ut libere velimus, *C.* volitionem ipsam producendo, *N.* *Non enim,* rursum scribit Augustinus [7], *quia dixit* (Apostolus)*: Deus est enim qui operatur in nobis velle et operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, superius non dixisset: Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini.*

242. Inst. Peccatores in Scripturis passim *mortui* et *sepulti* dicuntur. Ergo.

243. Resp. *D. A.* In ordine ad vitam quae per gratiam sanctificantem habetur, *C.* in ordine ad naturalem voluntatis energiam, *N.* Alioquin nullae fierent adhortationes ad resipiscendum, mediante gratia actuali.

244. II. Obj. S. Augustinus ineluctabilem gratiae vim adversus pelagianos ac semipelagianos tuetur. Nam 1. in lib. *De grat. Christi,* cap. 14. scribit: *Deus* (per gratiam) *ita docet, ut, quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* 2. Et in lib. *De corrept. et grat.* cap. 13. n. 18: *Subventum est,* inquit, *infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur;* 3. et iterum ibid. cap. 14. n. 45: *Non est,* inquit, *dubitandum, voluntati Dei... humanas voluntates non posse resistere.* 4. Cujus quidem rei rationem reddidit, dicens: *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Ergo.

245. Resp. *Neg. Ant.* Si enim s. Doctor hoc sibi praestitisset in suis disputationibus cum pelagianis et semipelagianis, uti adversarii autumant, numquam confugisset, prout constanter fecit, ad omnipotentiam Dei ejusque praescientiam, ut libertatem simul ac infallibilem gratiae effectum conciliaret. Sic enim scribit [8]: *Quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra illi misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur;* et paulo post: *Nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Quae quidem repetit s. Doctor in postremo operum suorum, in opere scilicet imperfecto *Contra Julianum,* scribens [9]: *Absit ut impediatur ab homine omnipotentis et cuncta praescientis intentio.* Sane tolli per gratiam liberum voluntatis arbitrium non solum numquam docuit Augu-

[6]) *Tract.* XXVI. *in Joann.* n. 3. seqq.
[7]) *De grat. et lib. arbitr.* cap. 9.
[8]) Lib. I. *ad Simplicianum,* qu. 11. n. 13.
[9]) Lib. I. cap. 39.

stinus, sed velut exitialem errorem semper exhorruit: *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam?* scribit [10]: *Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus.* His praemissis:

246. Ad 1. *D. Deus ita docet ut homo videat*, etc. libere, *C.* necessario, *N.*

247. Ad 2. *D. Ageretur*, nempe *corroboraretur* infirmitas voluntatis humanae adversus concupiscentiam ac vitae hujus calamitates, *C.* ageretur ad *indeclinabiliter* ac *insuperabiliter* operandum, *N.* Haec verba non ad actionem Dei, sed ad voluntatem humanam referuntur, quae invincibilis ac insuperabilis efficitur corroborata a gratia, ut patet ex contextu; subdit siquidem s. Augustinus seipsum explicans: *Et ideo quamvis infirma* voluntas, *non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.*

248. Ad 3. *D.* Nulla humana voluntas *voluntati Dei resistere potest, C. gratiae, N.* Quae duo inter se misceri non debent; cum enim Deus efficaciter vult, scit illam gratiam aptare, cui homo certo simul et libere consentiat.

249. Ad 4. *D.* Per congruentem vocationem, *C.* necessitatem inferendo, *N.*

PROPOSITIO II.

Gratia efficax non consistit in delectatione coelesti indeliberata, superiore, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrici, voluntatem necessario ad assentiendum impellente.

250. De fide propositio est; contradictoria enim doctrina uti *haeretica* proscripta est in quinque Jansenii propositionibus, quas paulo post afferemus, a rom. pontificibus; et conc. tridentinum, can. IV. sess. VI. superius recitato, anathema illi dicit, qui asseruerit, liberum arbitrium a Deo motum et excitatum *non posse dissentire si velit, mereque passive se habere.*

251. Jansenius systema suum adstruit tum lib. VIII. *De gratia Salvatoris*, cap. 3. quod inscripsit: *Adjutorium Christi determinat ac praedeterminat etiam physice voluntatem ut velit, et ardentius velit, et ex quo capite istud accidat.* Accidere istud porro affirmat ex delectatione, *quae facit, ut necesse sit animum istud sequi, et secundum istud operari quod amplius delectaverit.*

252. Efficaciam vero gratiae ex ejusmodi delectatione ad mentem Jansenii minime esse repetendam evincimus I. ex eo quod juxta demonstrata in praecedenti propositione, gratia liberum minime perimat arbitrium; nam libertas arbitrii non in sola immunitate consistit a coactione; sed etiam in immunitate a quacumque antecedenti necessitate, seu in indifferentia ad oppositа aut diversa consistit, ut suo loco ostendimus et patet ex nota haereticali, qua inusta fuit propos. III. Jansenii: *Ad merendum vel demerendum*, etc. Ergo a delectatione coelesti physice praedeterminante necessario relative victrici repeti gratiae efficacia nullatenus potest.

[10]) *De spiritu et litt.* cap. 30.

253. Evincimus II. ex eo quod efficacia haec in eo principio constitui non possit quod est falsum, haereticum, pugnansque cum reliqua ejusdem auctoris doctrina.

254. Porro I. falsum est delectationem unicum medium esse, quo homo, saltem proxime, e vitiorum coeno eripitur, aut a malo removetur, prout assumit Jansenius. Etenim sacrae litterae hunc ipsum effectum tribuunt timori; Ecclesiast. I. 27. dicitur: *Timor Domini expellit peccatum;* et Christus ait [1]: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Plura media, quibus per gratiam ad sanctitatem trahimur, praeclare post Augustinum recenset s. Prosper, scribens [2]: *Trahit timor; principium enim sapientiae timor Domini. Trahit laetitia; quoniam laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi. Trahit desiderium; quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes; quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua!* Hanc vero doctrinam s. Prosperum ex b. Augustino hausisse ex eo patet, quod s. Doctor profiteatur [3], se non semper operatum pro majore qua afficiebatur delectatione, scribens: *Non faciebam quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat.* Ex quo intelligimus falsum esse Jansenii principium, nos unice necessario agi ab alterutra delectatione antecedenti ac relative victrici.

255. Sed II. haereticum illius praeterea principium est, siquidem ex eo necessario ac evidenter profluunt haereticae consecutiones, quae in eodem concluduntur.

256. 1°. *Aliqua praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Cum enim delectatio coelestis minor est in homine justo, necessario vincitur a majori delectatione terrena, ac necessario impellitur ad peccatum.

257. 2°. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.* Nam si coelestis delectatio superior sit, homo ea necessario agitur, nec proinde eidem resistit; si inferior sit, cum in eum tantum finem detur in janseniano systemate, ut indeliberatos motus excitet, et hos delectatio coelestis necessario producit, hinc neque huic parvae gratiae umquam resistitur.

258. 3°. *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Nam meretur homo etiam in his, quae necessario agit.

259. 4°. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare;* quae quidem corollarium est praecedentis propositionis.

260. 5°. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino homi-*

[1]) Matth. X. 28.
[2]) *Cont. collator.* cap. 7.
[3]) *Confess.* lib. VIII. n. 10.

nibus mortuum esse, aut sanguinem suum fudisse. Siquidem pro iis solis mortuus est Christus, quibus victrices gratias obtinuit, qui certe omnes non sunt in jansenismo systemate. Hae porro propositiones omnes, quae ex Jansenii principio dimanant, uti *haereticae* proscriptae sunt.

261. Pugnat denique III. principium istud cum doctrina, quam Jansenius alibi profitetur: gratiae enim istae relative victrices efficaces tantum ab extrinseco essent: non darentur nisi explorato per scientiam mediam gradu oppositae concupiscentiae: protoparentes numquam peccare potuissent. Quae tamen adversantur, iis, quae Jansenius docet, insectaturque vehementer in molinistis. Ergo.

DIFFICULTATES.

262. Obj. 1. Axioma Augustini est in *Comment. in Ep. ad Galat.* n. 49: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* 2. De indeliberata autem et antecedente delectatione celebre hoc effatum s. Doctorem intellexisse, ipsemet declarat, cum scribit [4]: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quid bonum sit, novimus, atque delectamur ardentius.* 3. Idque ipsum patefacit in gratiae quam praebet definitione, dum eam passim vocat *inspirationem dilectionis, amoris, caritatis* etc., aut etiam *victricem delectationem.* [5] 4. Quid vero aliud ipsa *delectationis* vox denotat, nisi amorem indeliberatum et antecedentem? 5. Sane amor deliberatus fructus est praeviae delectationis. 6. Demum ipsemet sic mentem suam aperte declarat, dicens [6]: *Per fidem confugunt ad misericordiam Dei, ut det, quod jubet, atque inspirata gratiae suavitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod praecipit, quam delectat quod impedit.* 7. Concludamus proinde necesse est systema de delectatione superiori victrici systema Augustini esse, quod ubique insinuat ac docet. Ergo.

263. Resp. Ad 1. *D.* Quod amplius nos delectat delectatione deliberata et consequenti, *C.* indeliberata et antecedenti, secundum id operemur necesse est, *N.* Duplicem distinguit s. Doctor delectationem *objectivam* et *subjectivam*: objectiva, quae inhaeret objecto, antecedens est indeliberata, necessaria, eamque tribuit gratiae et concupiscentiae, quatenus ex se vim habent ad nos alliciendos, quin subsint imperio voluntatis nostrae quae passiva est. Subjectiva ea est quae pendet a consideratione motivorum, quibus nos determinamus ad alterutri consentiendum, estque deliberata, consequens ac libera, seu subest electioni nostrae. Cum proinde agitur de gratia objective spectata, ei adscribit s. Augustinus vim illam nos indeliberate et antecedenter alliciendi ac trahendi, idem dic de concupiscentia: cum vero agitur de electione et operatione, hanc adscribit delectationi subjectivae ortae

[4] Lib. II. *De peccat. merit. et remiss.* cap. 18.

[5] Lib. IV. *ad Bonifac.* cap. 5. n. 11: *De peccatorib. merit.* lib. II. cap. 19. n. 32. 33.

[6] *De spirit. et litt.* cap. 29. n. 51.

ex motivorum consideratione, qua fit ut nos determinemus ad id, quod eligimus ac magis diligimus, quae proinde delectatio consequens ac libera est. In objecto porro effato, quo tantopere adversarii abutuntur, agit s. Augustinus de operatione, adeoque de delectatione deliberata et consequente, ut patet etiam ex integro contextu, qui ita se habet: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est: ut verbi gratia, occurrit forma foeminae, et movet ad delectationem fornicationis* (en delectationem objectivam); *sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis per gratiam quae est in fide Christi* (en delectationem subjectivam), *secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur.*

264. Ad 2. *N.* Ad prob. *D.* Loquitur s. Doctor in objecto loco de delectatione subjectiva et consequenti comparate ad delectationem objectivam et antecedentem, *C.* loquitur de sola delectatione antecedenti, *N.* Responsio patet ex dictis, et ex ipso textu.

265. Ad 3, 4, 5 et 6. *D.* Agens de delectatione objectiva in ordine ad subjectivam, *C.* de sola objectiva, *N.* Uti constat ex exposita mente s. Augustini.

266. Ad 7. *D.* Systema de duplici delectatione relative necessario victrici, systema est Augustini *iprensis, C. hipponensis, N.* Nam verus Augustinus ab ejusmodi systemate, ut vidimus, quo tolleretur libertas, constanter abhorruit.

ARTICULUS II.

THEOLOGORUM SYSTEMATA CIRCA GRATIAE EFFICACIAM.

267. Theologi catholici omnes liberum sub gratia permanere arbitrium pro certo assumentes, adnituntur libertatem cum infallibili gratiae efficacia conciliare. Tria praecipua systemata recensentur: systema thomistarum, systema augustinianensium ac systema congruistarum. Uniuscujusque fundamenta una cum propriis, quibus urgentur, difficultatibus exponemus, ut libere quisque in re nondum ab ecclesia definita possit, quod magis sibi arriserit, amplecti.

§. 1.

SYSTEMA THOMISTARUM.

268. Censent thomistae gratiae efficaciam repetendam esse a physica praedeterminatione, seu ab intrinseca vi essentiali gratiae, quae conferat ipsum voluntatis actum, efficiatque ipsum voluntatis flexum, ita ut fieri nequeat, praesente gratia efficaci, quin ponatur actus, quem dat efficitque gratia ipsa. Quod si quis objiciat hac ratione perimi libertatem, ipsi occurrunt distinctione *sensus compositi* et *sensus divisi,* dicentes fieri utique non posse, ut in sensu composito gratiae non ponatur actus, ad quem gratia praedeterminat, prout repugnat non sedere qui actu sedet; minime vero in sensu diviso et absolute, nam qui actu sedet potuit non sedere.

269. Scripturis deinde, Patribus, ac ratione connituntur thomistae hoc suum systema evincere. Scripturae enim, ajunt, mire gratiae efficaciam ac

intrinsecam vim extollunt, ut Ezech. XXXVI: *Dabo vobis cor carneum* etc.; Prov. XXI. 1: *Cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud;* Philipp. II: *Deus est, qui operatur in nobis et velle* etc. Ex Patribus s. Augustinus totus est in magnificanda voluntatis et omnipotentiae Dei vi ad flectendas humanas voluntates, uti superius vidimus. S. vero Thomas expresse scribit [1]: *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem, angelus et homo per modum suadentis.* Demum ecclesia ipsa hanc suam persuasionem de intrinseca virtute gratiae exprimit in orat. secreta Dom. IV. post Pentecosten, dum Deum rogat, *ut nostras ad se rebelles compellat voluntates.* His adjiciunt rationes philosophicas petitas ex necessitate causae primae applicantis potentiam ad actum, ut hic elici possit; ex dominio supremo Creatoris in creaturas suas; exinde, dum Deus extollitur, hominis fovetur humilitas, cum nihil ipsi supersit in quo glorietur juxta illud Apostoli: *Quid habes quod non accepisti?* Siquidem in hoc systemate et bona voluntas, et potentia, et actus, et consensus et operatio soli Deo in acceptis referenda sunt.

270. Adversae tamen partis theologi insurgunt adversus ejusmodi systema, quo non solum non attingitur scopus conciliationis optatae inter libertatem et gratiam, sed potius difficultas augetur. Siquidem nimis accedit systema istud novatorum placitis, quibus humana penitus perimitur libertas, ac jansenistae eo se contegunt. Sane, inquiunt, qui fieri potest, ut sarta tectaque sub fatali ejusmodi physica praedeterminatione servetur libertas, cum repugnet non poni actum sub illa, quae actum ipsum producit? Vanum porro est effugium *de sensu composito et sensu diviso;* nam ambagibus omnibus remotis, nihil aliud eo significatur, quam hominem liberum esse absente gratia, minime vero ea praesente, cum tamen concilium tridentinum doceat [2], hominem posse gratiam respuere: *Quippe qui,* sunt verba concilii, *illam et abjicere potest.*

271. Perperam vero thomistae Scripturas ac Patres in subsidium advocant. Etenim Scripturae et Patres unice infallibilem gratiae efficaciam adstruunt, quin eam a praedeterminatione physica adsciscant. Immo potius iis omnibus in locis eam eliminant, in quibus peccatores arguunt, quod Dei gratiae restiterint, se convertere noluerint, quae innumera prorsus sunt. S. Augustinus vero eamdem infallibilitatem constanter arcessit ex Dei omnipotentia atque praescientia. S. Thomas non solum nullum systema hac in re excogitavit, sed ea constituit principia, quibus thomistarum placita evertuntur, siquidem haec scribit angelicus Doctor [3]: *Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret;* modum autem exponens, quo Deus cum causis liberis concurrit, haec habet [4]: *In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur.* Quod et argumentis etiam extrinsecis confirmant, cum

[1]) Part. I. qu. 112. art. 2.
[2]) Sess. VI. cap. 5.
[3]) Part. II. dist. 28. qu. 1. art. 1.
[4]) Ibid. dist. 25. qu. 1. art. 1. ad 3.

nemo ex antiquioribus s. Thomae interpretibus, usque ad Bannezium praedeterminationis physicae repertorem, hoc systema invexerit. Dum vero ecclesia postulat, ut Deus *nostras ad se rebelles compellat voluntates*, nil aliud petit, quam ut Deus ita vocet, quomodo scit nobis congruere, ut vocantem non respuamus, ut loquitur Augustinus. Alioquin nimis probaretur, si presse acciperentur illa verba, ut patet ex abusu, quem calviniani et jansenistae illorum fecerunt.

272. Quod demum spectat ad rationes philosophicas, non minus facile ab illis se expediunt adversae partis theologi; nam ad antiquatam jamdiu philosophiam rejiciunt, quod dicitur de necessitate applicationis potentiae ad actum, ut hic elici possit. Quod vero adjicitur de Dei dominio in creaturas, de humilitate quam fovet istiusmodi systema, reponunt nimis probare; nam multo melius haec elucent in systemate Calvini ac Jansenii, in quo vel ipsum eliminatur libertatis indifferentiae vocabulum, ac Deus est, qui totum operatur. Animadvertunt denique, nos non minus sollicitos esse debere de Dei dominio, quam de libertate sub gratia salvanda, cum praesertim falsa humilitas ea censenda sit quae in veritate non fundatur; Apostoli autem effatum in quovis systemate catholico verificatur, cum primas semper Dei gratia sibi vindicet, et sine qua nullum vel minimum salutare opus elici potest.

273. Post haec urgent absurdum, quod juxta ipsos exsurgeret in thomistico systemate de gratia sufficienti, quae *non sufficit;* siquidem ad nihil valet illud *posse,* quod in ejusmodi doctrina tribueret gratia sufficiens, quae, cum adnexam non habeat physicam praedeterminationem, numquam in actum erumpere potest, immo repugnat posse in actum exire.

§. 2.

SYSTEMA AUGUSTINIANENSIUM.

274. Augustinianenses gratiae efficaciam arcessunt a systemate duplicis delectationis relative per gradus victricis, ita ut si alterutra praevaleat, habeatur assensus aut dissensus. In eo vero se a jansenianis distinguunt, quod isti velint effectum necessarium, augustiniani vero ab hoc abhorreant errore. Ipsi praeterea differunt a thomistis quoad statum naturae innocentis et integrae, quod velint pro illo statu delectationem coelestem seu gratiam nonnisi moraliter in humanam voluntatem egisse; conveniunt autem cum thomistis pro status praesentis conditione, seu naturae lapsae, quoad necessitatem physicae praedeterminationis. Quo fit, ut conveniant cum congruistis pro statu naturae innocentis, ab iis vero dissentiant pro statu naturae corruptae. Hinc causam suam propugnant argumentis utriusque scholae thomisticae ac molinianae respective ad alterutrum statum, ac proinde vicissim ab utraque schola impugnantur. Gratia sufficiens in istorum hypothesi ea est, quae physicam non prae se fert praedeterminationem, quaeque remissior est. Cum porro augustinianenses pugnent argumentis, quae tum thomistae

tum congruistae respective, ut diximus, urgent, pro diverso hominis integri aut lapsi statu, ideo ab illis afferendis hic supersedemus.

§. 3.

SYSTEMA CONGRUISTARUM.

275. Congruistae, qui quoad substantiam cum molinistis conveniunt, nullam admittunt physicam praedeterminationem, nec proinde gratiam *a se efficacem*, aut ullum entitatis discrimen inter gratiam efficacem et sufficientem. Quaevis enim gratia in horum sententia veram et expeditam ad agendum potestatem praebet; si ei homo consentiat et obtemperet, gratia fit efficax; si eidem reluctetur eamque respuat, remanet sufficiens.

276. Quamvis autem, quoad essentiam altera ab altera gratia in horum doctrina haud discriminetur, admittunt tamen aliam alia vividiorem et validiorem efficacia virtutis, quo fit, ut cum Deus aliquem absolute convertere vult, illi eam gratiam conferat, cui praevidet infallibiliter assensurum. Exinde autem ajunt apprime infallibilem gratiae effectum cum libera voluntate conciliari.

277. His constitutis, Scripturarum auctoritates ac Patrum congerunt, ad ejus veritatem evincendam. Ex Scripturis quidem illa afferunt loca, in quibus illae liberam hominis cooperationem gratiae praedicant ac supponunt, e. gr.: *Mundemus nos*, ut scribit Apostolus [1], *ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei;* aut ut legitur Is. XLV. 22; Jer. XXXV. 15; Zach. I. 3: *Convertimini ad me, dicit Dominus*, aliaque ejusmodi; nec non illa omnia, in quibus inefficacia divinae gratiae non ex hujus defectu, sed ex sola hominum malitia repetitur, uti cum Deus Is. V. 4: *Quid est*, inquit, *quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Et Matth. XXII. 37: *Quoties*, ait Christus, *volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?*

278. Quod vero spectat ad Patres et doctores, urgent in primis auctoritatem s. Augustini, qui non modo omnem praedeterminationem physicam repulit, sed, ut vidimus, gratiae efficaciam unice et constanter omnipotentiae Dei tribuit cum praescientia conjunctae, ex quo frequens adeo ejus loquendi ratio provenit *de vocatione congrua*. Sane ex solo voluntatis defectu aut consensu repetit eadem gratia alium conversum, alium vero non, scribens [2]: *Noluit Esau et non cucurrit: sed et si voluisset, et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret;* et lib. *De dono persev.* cap. 14. n. 34. de Tyriis et Sidoniis, qui *credidissent*, scribit, *si qualia viderunt isti* (judaei) *signa vidissent*. S. Augustino adjiciunt s. Thomam, in cujus operibus nuspiam vox *praedeterminationis* occurrit, et part. III. qu. 69. art. 8. ad 2. ex sola hominum cooperatione fieri docet, ut eadem gratia praeventi alii magis alii

[1]) II. Cor. VII. 1.

[2]) Lib. I. *ad Simplic.* qu. 2. n. 10.

minus proficiant, dicens: *Quia etiamsi aequalem gratiam* (duo) *percipiant, non aequaliter ea utuntur; sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest;* quod alibi etiam passim inculcat.

279. Duplicem deinde calumniam sibi impactam praesertim a jansenianis hi theologi a se repellunt, tum quod gratia foret *versatilis,* tum quod vix damnata a rom. pontificibus non fuerit in congreg. *De auxiliis* haec sententia. Nam primam repellunt tum ex eo quod, licet gratia, quae ab ipsis adstruitur, eadem ratione *doni* sit cum gratia sufficienti, non sit tamen eadem ratione *beneficii,* cum detur ut praevisa efficax; tum ex eo, quod si versatilis vocanda esset gratia, cui homo posset resistere vel obtemperare, versatilis dici deberet gratia qualis a conc. tridentino adstructa est his verbis: *Quippe qui* (homo) *illam et abjicere potest;* versatilis item gratia cui restiterunt judaei, quos objurgat s. Stephanus in *Actis apostolicis.* Alteram vero calumniam propulsant verbis decreti Innocentii X. dati 23. Apr. 1654. *quibus declarat ac decernit, praedictis assertis actis* (Congr. De auxiliis) *tam pro sententia FF. ordinis s. Dominici, quam Ludovici Molinae aliorumque Soc. Jesu religiosorum et autographo sive exemplari praedictae assertae constitutionis Pauli V. nullam omnino fidem adhibendam.*

280. Et haec quidem pro se congruistae. Caeterum plura adversus eam sententiam objiciunt adversae partis theologi, ac illud praecipue, quod in tali hypothesi vere *versatilis* gratia dici deberet; quod nulla foret gratia cui homo absolute resistere non posset, adeoque nulla cujus plane infallibilis esset effectus; quod componi nequeat cum Scripturarum et Patrum dictis circa miram gratiae vim et efficaciam; quod eadem oriantur incommoda in hac sententia, quae Congruistae urgent adversus contrariam doctrinam, quia si gratia, quae confertur illi, quem Deus absolute convertere vult, major sit ratione beneficii altera minus vivida, nulla esset causa, quare objurgari posset qui non convertitur.

281. Ex his deprehendimus nullum systema esse, quod suis difficultatibus non careat, quodque latus suum, ut ita loquar, infirmum non habeat. Satius proinde erit profiteri catholicum dogma de gratiae efficacia ac hominis libertate, in caeteris unamquamque scholam dimittere, ut sectetur quod ei magis arriserit placitum, neque nos invicem proscindere ob quaestiones domesticas, quas ecclesia dirimere noluit. Ad hoc quippe satagere debemus, ut jungamus vires adversus catholicae veritatis hostes, idque haud exiguo caritatis ac temporis emolumento.

ARTICULUS III.

DE GRATIA SUFFICIENTI.

282. Gratia *mere* et *vere* sufficiens ex unanimi catholicorum sententia ea est, quae vires praebet plenas ac perfecte completas ad bene operandum relative ad praesentes hominis circumstantias. Dividitur in *proxime* et *remote* sufficientem. Proxime sufficiens ea dicitur, quae praedictas vires immediate

suppeditat; remote sufficiens ea, quae nonnisi mediante oratione, eleemosyna, etc. eas confert. Sic enim loquitur tridentinum, s. Augustini verba usurpans [1]: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis.* Mere autem sufficiens dicitur quatenus ex hominis malitia finem, ad quem datur, non sortitur. Jam monuimus novatores saec. XVI. nullam ejusmodi gratiam agnoscere, quae careat effectu; jansenistas vero nonnisi nomine tenus eam admittere, dum gratiam *parvam* commendant, quae *absolute* quidem juxta ipsos sufficiens est, minime vero *relative* ad praesentes subjecti circumstantias. Gratia proinde sufficiens non est in istorum ore nisi velum ad se tegendum. Ad hoc porro velum eis detrahendum sit

PROPOSITIO.

Datur in praesenti statu gratia mere et vere sufficiens, quae homini completam et relative ad praesentes ejus circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quae inutilis redditur ex humanae voluntatis resistentia.

283. De fide haec propositio est, ut constat ex duabus propositionibus contradictoriis Jansenii ut *haereticis* damnatis, quarum prima est: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Gratia vero, qua Dei praecepta justis possibilia fiunt, nec tamen observantur, est gratia sufficiens; altera propositio ita se habet: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.* De fide igitur est dari in praesenti statu gratiam, cui resistitur; haec autem est gratia vere et mere sufficiens.

284. Cum vero dicimus gratiam sufficientem in *praesenti statu,* scilicet naturae lapsae, dari juxta praesentes subjecti circumstantias, complectimur tum proxime tum remote sufficientem.

285. Veritatem autem propositionis nostrae illa omnia sacra eloquia evincunt, in quibus Deus objurgat peccatores, quod voluntati ac sollicitudini seu gratiae suae restiterint, quae innumera pene sunt. Sic Is. V. Deus loquitur: *Judicate inter me et vineam meam: Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quia expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Christus his verbis Jerusalem increpat [2]: *Jerusalem, Jerusalem... Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* Stephanus demum sic alloquitur judaeos [3]: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis,* ut alia plura omittam.

286. S. Augustinus, loquens de infidelibus evangelio credere detrectantibus scribit [4]: *Experturi* (sunt) *in suppliciis potestatem ejus cujus in donis misericordiam contempserunt.* In libro vero I. *ad Simplic.* qu. 2. n. 13.

[1]) Sess. VI. cap. 11.
[2]) Matth. XXIII. 37.
[3]) Act. VII. 51.
[4]) *De spiritu et litt.* cap. 32. n. 58.

expresse negat omnem gratiam efficacem esse dicens: *Sed, si vocatio ista est effectrix bonae voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit: Multi vocati, pauci electi?* Et alibi passim idipsum constanter docet.

287. Quapropter tridentina synodus [5]: *Nemo*, inquit, *temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti* debet: *Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet,* etc. Ex concilio igitur justi omnes gratias relative necessarias habent ad mandata divina servanda; sed plures justi ea non servant et a justitia excidunt, ergo non sunt efficaces gratiae omnes, quas Deus largitur. Id ipsum constat ex propositionibus Quesnelli, quas damnarunt rom. pontifices, scilicet IX: *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri numquam possumus, et cum qua numquam illum abnegamus;* prop. X: *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei quam nihil impedire potest, aut retardare;* aliisque similibus.

288. Luculentissime demum haec veritas constat ex ratione theologica; Deus enim, ut suo loco ostendimus, etiam supposito originali peccato, vult omnes homines salvos fieri, et Christus pro omnibus mortuus est ad gratias saluti necessarias comparandas; plures nihilominus peccant ac pereunt; ergo non omnes gratiae efficaces sunt, sed plures mere tantum ac vere sufficientes.

DIFFICULTATES.

289. I. Obj. 1. Nuspiam Scripturae memorant gratias sufficientes. 2. Eas insuper excludunt, dum gratiam omnem suum effectum sortiri tradunt, ut Is. LV. 11. ubi Deus ait: *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum; sed faciet quaecumque volui;* et Ps. CXIII. 3: *Deus noster in coelo omnia, quaecumque voluit, fecit;* Rom. vero IX. 19. interrogat Apostolus: *Voluntati ejus quis resistit?* 3. Sane Joann. VI. 45: *Omnis,* inquit Christus, *qui audivit a Patre meo et didicit, venit ad me.* Quae verba expendens Augustinus: *Quid est,* inquit [6], *omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me, nisi: nullus est qui audiat a Patre et discat, et non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit; profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam si audivisset et didicisset, veniret.* Ergo nulla datur gratia nisi efficax.

290. Resp. Ad 1. *D.* Quoad nomen, *C.* quoad rem, *N.* Nam neque memorant gratiam *efficacem.*

291. Ad 2. *Neg.* Objecta porro Scripturarum loca agunt de voluntate et omnipotentia Dei, quibus profecto, cum Deus aliquid absolute vult, nemo resistere potest; non autem de gratia, quae potest esse aut efficax aut sufficiens. Cum igitur Deus quempiam absolute convertere vult, eas tribuit gratias, quibus praevidet eum certe consensurum, seu, ut verbis utar Augustini, eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Ut adversarii evincerent gratias omnes esse efficaces, ostendere deberent, Deum

[5]) Sess. VI. cap. 11.

[6]) *De praedest. Sanct.* cap. 8. n. 13.

semper aliquid absolute velle, quod profecto numquam ostendent, obluctantibus divinis eloquiis, in quibus Deus de hominibus saepe conqueritur, quod ejus obsequi noluerint voluntati. Ad adductos igitur textus, *D.* Verbum Dei faciet, quaecumque Deus vult, aut Dei voluntati nemo resistit etc., cum Deus quidpiam vult *absolute*, *C.* si non vult absolute, *N.*

292. Ad 3. *D.* Omnis venit, qui audivit et didicit, seu assensum praebuit, *C.* qui audivit quidem sed non didicit, seu assensum recusavit, *N.* Plures enim audiunt et non discunt, non ex defectu docentis, sed ex defectu discentium, *qui nolunt intelligere ut bene agant*, uti dicitur Ps. XXXV. 4. Hinc Theophylactus illud *didicit* exponit, *credidit;* s. autem Augustinus, loc. cit. loquitur de gratia efficaci reduplicative sumpta, quatenus omnis, qui assentitur, venit. *Negamus* proinde *consequentiam.* Nam si verae ac internae vocationi nemo resisteret, non dixisset Deus, Prov. I. 24: *Vocavi et renuistis,* ac Is. LXV. 12: *Pro eo quod vocavi et non respondistis; locutus sum et non audistis... et quae nolui elegistis.*

293. Inst. 1. S. Augustinus de gratia efficaci exponit[7], quod Christus, Joann. VI. ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater... traxerit eum.* Ergo sine gratia efficaci nemo habet veram potentiam veniendi ad Christum. 2. Qui propterea: *Si Deus,* inquit[8], *miseretur, etiam volumus.* 3. Miseretur autem Deus tribuendo gratiam, qua quis salvetur; porro, ut idem loquitur[9]: *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium.* Ergo.

294. Resp. Ad 1. *D.* Quatenus nemo potest efficaciter venire, nisi efficaciter trahatur, *C.* quatenus nemo absolute venire possit, nisi qui tantum efficaciter trahatur, *N.* Nec alius est sensus s. Augustini.

295. Ad 2. *D.* Si Deus ita misereatur, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, *C.* secus, *N.*

296. Ad 3. *D.* Volenti salvum facere, voluntate absoluta, nullum hominum resistit arbitrium, *C.* voluntate conditionata, *N.* De hac voluntate conditionata ex parte hominum ita scribit s. Doctor[10]: *A quo interitu, hoc est, a poenis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi non sint inimici, et non obsistant misericordiae Creatoris sui.*

297. II. Obj. 1. S. Augustinus, in lib. *De corrept. et grat.* exponit discrimen, quod intercedit inter gratiam status naturae innocentis, et gratiam status naturae lapsae, quod in statu naturae innocentis talis esset cui homo resistere *posset,* in statu naturae lapsae talis sit cui homo resistere *nequeat.* 2. Hinc celebre illud duplex distinguit adjutorium proprium utriusque status, adjutorium scilicet *sine quo* aliquid non fit, et adjutorium *quo* aliquid fit. Primum quod tribuit *posse* proprium esse affirmat naturae innocentis, alterum quod dat *agere* proprium esse docet naturae lapsae seu infirmae, concludens, cap. 12: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut cum divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur.* 3. Nullam porro dari ex

[7]) *Tract.* XXVI. in Joann. n. 2.
[8]) *Ad Simplic.* lib. I. qu. 2. n. 12.
[9]) *De corrept. et grat.* cap. 14. n. 43.
[10]) *De catechiz. rudibus,* cap. 26. n. 52.

mente s. Augustini in praesenti statu gratiam mere sufficientem, patet ex iis quae ibid. scribit, cap. 11: *Si hoc adjutorium* (sine quo) *vel angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset... non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est.* Ergo in praesenti tempore poena originalis est, quod homines tali adjutorio, seu gratia sufficienti careant.

298. Resp. Ad 1. *Neg.* Sed disparitatem inter gratiam utriusque status in eo positam docet s. Augustinus, quod in statu naturae innocentis, adeoque integrae et sanae, opus fuerit ad bene agendum salutariter et ad perseverandum sola gratia illustrationis, qua reipsa primus homo instructus est; in statu vero naturae lapsae, adeoque sauciatae et infirmae, dirisque tentationibus internis ac externis obnoxiae, opus sit praeterea gratia inspirationis, et hanc nobis promeruit Christus. Itaque gratia illustrationis afficiebat tantummodo, saltem immediate, intellectum, quia voluntas sana ac robusta poterat bonum gratia cognitum velle et operari; gratia inspirationis afficit immediate voluntatem et sanat infirmitatem per peccatum contractam, adeoque etiam *medicinalis* dicitur: hac porro gratia voluntas roborata fortis efficitur ad bene operandum, superatis difficultatibus omnibus.

299. Ad 2. *D.* Ita ut per *adjutorium sine quo* significet s. Doctor gratiam illustrationis, et per *adjutorium quo* gratiam inspirationis seu voluntatis, quae praedestinatis tribuat ipsam perseverantiam finalem activam et passivam, *C.* gratiam sufficientem et efficacem ad mentem adversariorum exclusive ad alterutrum statum, *N.* Hoc aperte colligitur ex theoria universa s. Augustini in suis disputationibus adversus pelagianos ac semipelagianos, quin aliam celebris hujus distinctionis adjutorium explicationem quaeramus. Exinde patet, quomodo subventum fuerit infirmitati voluntatis humanae, quatenus scilicet infirma humana voluntas gratia roborata et adjuta, si nolit, a nulla difficultate vinci possit.

300. Ad 3. *Neg.* Subdit enim s. Augustinus immediate post objecta verba: *Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Supponit proinde etiam in praesenti statu gratiam illam, quae dat posse, quamvis effectum non obtineat, seu dari gratiam sufficientem. Utrum vero aliquibus tantum an omnibus gratia haec a Deo conferatur, paulo post excutiemus.

301. III. Obj. Gratia sufficiens inutilis prorsus est, homini perniciosa, Deoque indigna. 1. Inutilis, cum ad operandum non inserviat, ideo enim sufficiens dicitur quod careat effectu. 2. Est perniciosa, cum non inserviat nisi ad peccandum; nam sine illa, deficiente libertate, homo in peccatis suis sine culpa esset, per hanc gratiam jam culpabiliter peccat. Quapropter, ut scribit Gerberonius: *Si diabolus posset gratiam dare, non aliam daret quam sufficientem, quia favet ejus intentioni homines damnandi. Unde appellari potest gratia damnationis.* 3. Nisi talis gratia haec esset, posset peti a Deo, quod tamen nemo dicet. 4. Sane quorsum Deus eam daret, cum jam prae-

viderit eam nonnisi in perniciem esse cessuram? Indigna proinde Deo est. Ergo.

302. Resp. *D. A.* In sensu janseniano intellecta, *C.* in sensu catholico, *N.*

303. Ad 1. prob. *D.* Si non inserviret aliquo suo intrinseco defectu, *C.* si ex sola hominis malitia, *N.* Dicitur porro sufficiens ad discrimen efficacis, quia culpa respuentis non producit effectum ad quem ordinata est, et ad quem datur. Omnis quippe gratia ordinatur ad effectum producendum, nec ullum intercedit inter gratiam sufficientem et efficacem intrinsecum aut essentiale discrimen. Si proinde ea instructus homo operetur, fit efficax, si ei resistat nec obsequatur, sufficiens permanet. Totum igitur discrimen extrinsecum est unice pendens a libertatis abusu.

304. Ad 2. *D. Fit* perniciosa, *C. est* perniciosa, *N.* Fit enim perniciosa, ut diximus, quatenus homo, cui confertur, ei resistit; ast in se ac prout a Deo tribuitur, optima ac utilis est, prout omnia Dei dona sunt. Falsum praeterea est eam inservire ad peccandum, quasi gratia Dei opus esset ad peccatum, quod stultum est et absurdum dictu. Nam homo, sui compos, semper libertate, saltem physica, pollet, quae sufficit ad peccatum. Si qua necessitas quandoque est, quae non excusat a peccato, non nisi vaga ac moralis est. Exinde patet, quid sentiendum sit de blasphema Gerberonii janseniani propositione; quemadmodum et de propositione Synnichii ab Alexandro VIII. confixa: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti libera nos, Domine.* Istae enim difficultates omnes oriuntur ex praeconcepta gratiae sufficientis notione, quam sibi janseniani effinxerunt; hac sublata, evanescunt ac totidem blasphemiae evadunt.

305. Ad 3. *D.* Posset peti a Deo prout gratia est, *C.* prout reduplicative et ab extrinseco sufficiens dicitur, *N.* Esset enim petere a Deo resistentiam gratiae.

306. Ad 4. *D.* Si Deus eam praeberet ea intentione ut non produceret effectum, *C.* si solum praevideat ejus abusum, *N.* Alioquin Deus esset culpandus, quoties hominibus dona sua confert, et quibus praevidet homines abusuros, adeoque dum tribuit divitias, valetudinem, pulchritudinem aliaque ejusmodi, immo et libertatem ipsam, quod nemo nisi insanus dicet. Ex his colligitur, quaestionem, de qua agimus, resolvi in generalem de mali permissione, de qua suo loco egimus.

CAPUT V.

DE GRATIAE DISTRIBUTIONE.

307. Quae de gratiae distributione hic disceptantur, arctissimum habent nexum cum iis, quae in *Tract. de Deo* egimus circa voluntatem Dei salvandi omnes homines ac de Christi morte pro omnibus. Cum igitur ostenderimus, Deum reipsa velle omnes homines salvos fieri, et Christum pro omnibus

passum ac mortuum esse, pronum est inferre omnibus pariter hominibus gratias necessarias ad salutem obtinendam a Deo conferri; alioquin nec vera nec sincera dicenda esset voluntas Dei, et proinde etiam sterilis saltem quoad plerosque Christi mors. Novatores ac jansenistae, qui tum illam Dei voluntatem, tum Christi mortem pro omnibus oblatam denegant, inficiantur omnibus gratias a Deo tribui, quibus possent homines salvi fieri. Idque inficiantur non modo de peccatoribus et infidelibus, verum etiam de justis ipsis, quod quidem haereticum est, ut videbimus. Nonnulli theologi catholici nimis accedunt ad istorum placita, dum contendunt saltem peccatoribus obduratis et excaecatis, quos vocant, multo vero magis infidelibus nullam prorsus gratiam a Deo concedi. Ut igitur ordine progrediamur, prius auspicabimur ab eo quod de fide est respectu justorum; deinde accedemus ad peccatores sive communes, sive obduratos; demum ad infideles praesertim negativos, quibus omnibus Deum gratias suas elargiri ostendemus. His aliqua adjiciemus de infantibus decedentibus ex hac vita sine Baptismo. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Justis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia praecepta.

308. De fide propositio est adversus Jansenium cujus propositio I. *Aliqua praecepta*, etc. damnata est ut *haeretica*. Diximus autem, *datur gratia vere ac relative sufficiens*, tum ut pateat, hic et in insequentibus propositionibus non agi de *gratia efficaci*, quam nemo catholicorum docet omnibus tribui; tum ut praecaveremus effugium jansenianum de *gratia parva;* tum denique ut insinuaremus non agi de mera gratiae *oblatione*, sed de vera *collatione*, secus ac nonnulli ad fucum faciendum loquuntur.

309. Jam vero catholicam hanc veritatem sacrae litterae luculenter tradunt; nam Apostolus de justis scribit [1]: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Quae falsa essent, si urgente praecepto justis gratia deesset. Christus ait [2]: *Jugum meum suave est, et onus meum leve;* quibus consonant, quae scripsit s. Joannes [3]: *Mandata ejus gravia non sunt.* Porro ex Jansenio, deficiente gratia Dei, mandata non solum suavia aut levia non essent, sed plane impossibilia; contradicit igitur ejus doctrina doctrinae Scripturarum.

310. Contradicit praeterea doctrinae Augustini, qui scribit [4]: *Deus..., cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur.* Et

[1]) I. Cor. X. 13.
[2]) Matth. XI. 30.
[3]) I. Ep. V. 3.
[4]) Lib. I. *De nat. et grat.* cap. 26.

alibi fidenter sciscitatur [5]: *Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Immo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat... Dominus curam habet tui: securus esto... Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse.* Et haec ex innumeris prope quae ex s. Doctore afferri possent.

311. Hanc ipsam doctrinam sancivit conc. arausicanum II. cap. 25: *Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Si juxta catholicam fidem baptizati omnes possunt Dei mandata servare, quanto magis justi! ast servare non possunt sine gratia; dicendum igitur est justis omnibus eam a Deo tribui. Demum hanc ipsam veritatem definivit synodus tridentina [6]: *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Mirum est quam se torserit Jansenius ad se ab hoc anathemate subtrahendum, sed frustra, adeoque ejus propositionem jure merito Innocentius X. ut *haereticam* declaravit atque damnavit.

DIFFICULTATES.

312. I. Obj. S. Petrus justus erat; ei tamen gratia defuit ad confitendum Christum, ut Patres docent: nam s. Hilarius affirmat [7], ipsum *non potuisse vitare culpam;* s. Jo. Chrysostomus scribit [8]: *Negatio Petri non tam erat socordiae et negligentiae, quam ex eo quod Deus eum deseruerat;* sed prae caeteris s. Augustinus, qui: *Quid est homo,* inquit [9], *sine gratia Dei nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum?* Quod et alibi repetit. Ergo.

313. Resp. *D. A.* Et Petrus ex justis erat nimium in se confidentibus ac de se praesumentibus, *C.* ex justis humilibus, volentibus et conantibus, ut supponitur in propositione Jansenii, *N.* Nam s. Petrus nimis in se confidebat, quamvis a Christo admonitus de proxima tentatione, uti ex Evangelio constat, nec Patres abnuunt, qui nobis objiciuntur. Siquidem s. Augustinus scribit [10]: *Quis enim dubitaverit, quod Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset?* Qui et sic Christum Petrum alloquentem inducit [11]: *Quid tantum praesumis? Quid de te sentis? Quid esse te credis? Audi quid sis: Amen, amen dico tibi,* etc. Petrus igitur ex Augustino derelictus fuit ob mentis suae tumorem: nec ita derelictus, ut gratia orationis fuerit destitutus. Locus vero, qui opponitur, apocryphus est. S. Hilarius loquitur, ut patet ex contextu, de potentia, ut vocant, consequenti, quod nempe irritam non potuerit reddere Christi praevisionem et praedictionem. S. Joann. Chryso-

[5]) *Enarr. in Ps.* XXXIX. n. 27.
[6]) Sess. VI. can. XVIII.
[7]) *In Matth.* cap. XXXII. n. 2.
[8]) *Hom.* XXXI. *in Epist. ad Hebr.* n. 3.
[9]) *Serm.* CXXIV. *de temp.* n. 1.
[10]) *De unit. eccles.* cap. 9.
[11]) *Tract.* XXVI. *in Joann.* n. 1.

stomus ideo Petrum a Deo derelictum dicit, *quia elato erat animo,* ac de se praesumpserat.

314. II. Obj. 1. S. Augustinus scribit [12]: *Fideles orantes dicunt: Et ne nos inferas in tentationem... si adest possibilitas, ad quid orant?* Nec juvat reponere, ipsis praesto esse auxilium per orationem; nam tunc causa pateret quare alii perseverent, aliis non perseverantibus; 2. atqui s. Doctor hanc causam ignoravit, nam in lib. *De spir. et litt.* cap. 34: *Si,* inquit, *ad illam profunditatem quisquam me coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita: duo solum occurrunt interim, quae respondere mihi placeat: O altitudo... et: Numquid iniquitas apud Deum?* 3. Dum profitetur vel justos ipsos interdum gratia orationis destitui, ita scribens [13]: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida et pene nulla, immo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quaerere et pulsare ille concedit, qui ut haec faciamus, jubet?* Ergo.

315. Resp. Ad 1. *D.* Possibilitas per naturam in sensu Pelagii, *C.* per gratiam, *N.* Objicienti enim Pelagio: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri,* respondet: *Ideo jubet* Deus *aliqua, quae non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Pro certo igitur habet s. Pater nemini, praecipue vero justis, umquam deesse orationis gratiam.

316. Ad 2. *D.* Ignoravit s. Doctor causam, ob quam alteri detur gratia praevisa efficax, quaecumque demum sit, alteri vero non item, *C.* ob quam alteri absolute detur, alteri non detur, *N.* De hoc enim numquam dubitavit s. Augustinus, qui ubique pro certo assumit, gratiam sive proxime sive remote sufficientem nemini deesse; et totam causam quare alii perseverent, alii autem non, unice adscribit negligentiae, socordiae, superbiae eorum qui delinquunt; unde illud: *Deserunt, deseruntur.*

317. Ad 3. *D.* Nempe effectu orationis, *C.* potentia orationis destitui, *N.* Siquidem in objecto loco agit s. Augustinus de oratione actuali, *quam,* ut ipse loquitur, *aliquando ita negligimus, ut vel tepide, vel frigide, vel nullatenus oremus, et de eo non doleamus.* Quod enim attinet ad potentiam seu facultatem orandi, urgente praesertim praecepto, eam propugnat adversus Pelagium, ut vidimus. Hinc ejus effatum, in lib. *De perfect. justitiae,* cap. 105. de anima, quae gravia seu difficilia experitur mandata Dei: *Oret,* inquit, *gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

318. III. Obj. 1. Si justis omnibus gratia sufficiens daretur, omnes perseverare possent; atqui s. Augustinus contrarium docet; in lib. enim *De dono perseverant.* cap. 22. prolatam a monachis adrumetinis sententiam: *Si qui obeditis, si praedestinati estis rejiciendi, subtrahentur vires ut obedire cessetis,* uti veram agnoscit, ac solum duriorem loquendi modum corrigit, scribens: *Non dicatur: Si qui obeditis, et praedestinati estis rejiciendi; sed: Si qui obediunt, et caetera per verbi personam tertiam dicantur, non per secundam.*

[12]) *De nat. et grat.* cap. 53. n. 62.

[13]) Lib. I. *ad Simpl.* qu. 2. n. 2.

2. Sane s. Doctor expresse affirmat, justos volentes et conantes interdum juxta praesentes quas habent vires, non posse praecepta servare. *Qui ergo,* inquit [14], *vult facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit et robustam.* 3. Deus gratiam nemini debet; nil mirum igitur, si eam justis denegare possit.

319. Resp. *Neg. min.* Immo s. Augustinus sententiam illam adrumetinorum *abominabilem* edicit; quod porro abominabile est, probari non potuit neque in secunda neque in tertia persona prolatum. Sic eam proinde emendavit: *Quid sententiae deperit, si dicatur: Si qui autem obediunt, et in regnum ejus et gloriam praedestinati non sunt, temporales sunt; nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt:* In qua emendatione, ut patet, omisit penitus verba illa: *subtrahentur vires*, ita ut sensus evadat: Si qui obediunt, nec praedestinati sunt, propria culpa non perseverabunt. Hunc vero sensum aperte tradit s. Prosper, in *resp. ad* XII. *objectionem* Gallorum dicens: *Vires itaque obedientiae non ideo cuique subtraxit* Deus, *quia eum non praedestinavit; sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse praevidit.*

320. Ad 2. *D.* Ex defectu gratiae proxime sufficientis, *Tr.* vel *C.* gratiae saltem remote sufficientis, *N.* Qua ratione caetera ejusmodi testimonia intelligi debent.

321. Ad 3. *D.* Deus nemini debet ex justitia gratiam suam, *C.* ex fidelitate in promissis servandis, et in hypothesi quod velit omnes homines salvos fieri, prout reipsa vult, *N.*

PROPOSITIO II.

Deus omnibus fidelibus peccatoribus, etiam obduratis et obcaecatis, gratias sufficientes tribuit, quibus possint tum ulteriora peccata praecavere, tum a patratis resipiscere.

322. Prior propositionis pars spectat ad doctrinam catholicam assertam in conc. arausicano II. cap. 25. superius recitato; altera vero pars *certa* est et communis inter theologos. Diximus autem Deum gratias tribuere sufficientes, *quibus possint ulteriora peccata praecavere;* ac sub hoc respectu intelligi ita debet propositio, ut toties gratia adsit, quoties urget aliquod praeceptum implendum. Diximus praeterea quibus *possint a patratis resipiscere;* sub hoc autem respectu non ita presse intelligenda propositio est, quod Deus per momenta singula gratias conferat, sed pro loco, tempore, caeterisque adjunctis ac urgente praesertim conversionis necessitate, ut in articulo mortis. Ut vero determinemus, quinam veniant sub nomine peccatorum *obduratorum et obcaecatorum,* praestat eos designare verbis, quibus s. Bernardus cor durum describit, dicens [1]: *Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec*

[14]) *De grat. et lib. arbitr.* cap. 17.

[1]) Lib. I. *De consider.* cap. 2. n. 3.

pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur; ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens.

323. Quibus praemissis sic in genere de peccatoribus ex Scripturis thesim evincimus: Ezech. XXXIII. 11. dicitur: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur... et vivat.* Et Christus omnes prorsus ad se invitat dicens [2]: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos;* ast quomodo possunt impii a viis suis se convertere ad Deum, quomodo venire possunt ad Christum sine gratia? Haec igitur omnibus praesto est, ut haec efficere possint.

324. Quod vero ad obduratos speciatim attinet, eos numquam penitus a Dei gratia deseri Scriptura luculentissime ac saepius testatur; nam obdurati et obcaecati erant judaei, quos Stephanus alloquebatur [3], attamen eos objurgat quod Spiritui Sancto, seu Dei gratiae resisterent, dicens: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui S. resistitis;* et Apostolus ad ejusmodi peccatores scribit [4]: *An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? An ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei.* Supervacaneae autem prorsus essent ejusmodi objurgationes, si ipsis gratiae denegarentur, quibus resipiscere possent. Auctor libri Sapientiae, cap. XI. 20. de Chananaeis scelestissimis et obduratis hominibus ita scribit: *Si inimicos servorum tuorum et debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quae possent mutari a malitia sua, cum quanta diligentia judicasti filios tuos?* Demum Petrus affirmat [5], quod Deus *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Nemo igitur excluditur a beneficio misericordiae divinae, adeoque neque obdurati excluduntur.

325. Nec aliud umquam praedicarunt ecclesiae Patres. S. Leo M. de gratia ad praecepta servanda necessaria generatim pronunciat [6]: *Juste enim nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio;* et s. Prosper, s. Augustini discipulus, in *Resp. ad* XV. *obj. Vincentian.: Nemini,* inquit, *Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

326. Sed praestat ipsum audire Augustinum, qui explanans verba Apostoli: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum,* haec habet [7]: *Ea est caecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est..... Penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa caecitate?* Nemo igitur ex s. Doctore, quamdiu in hac vita degit, in summam caecitatem incurrit, seu a gratia penitus dese-

[2]) Matth. XI. 28.
[3]) Act. VII. 51 seqq.
[4]) Rom. II. 4.
[5]) II. Ep. III. 9.
[6]) *Serm.* LXVII. cap. 6.
[7]) *Enarr. in Ps.* VI. n. 8.

ritur; quod et inculcat in *Tract.* XXII. *in Joann.* n. 12. dicens: *Venit Salvator ad mundum; quare Salvator dictus est mundi? nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis.* Sed praecipue mens s. Doctoris elucet, ubi Deum exhibet *avarum* non quidem gratiae suae, sed animarum nostrarum: pluribus enim ejus aliis textibus omissis [8]: *Parum est,* inquit, *Domino meo, avarus est, sed avaritia Dei salus nostra est. Avarus est, nummos suos quaerit* (bona opera nostra), *imaginem suam colligit* (animas nostras). *Dares, inquit, pecuniam nummulariis, et ego veniens cum usuris exigerem;* et iterum [9]: *Consolatur te non avarus frater tuus* (Christus)... *Dixi eum non avarum, et forte invenio avarum. Avarus est; sed nos vult acquirere. Pro nobis tantum pretium dedit seipsum. Nihil ad hoc pretium addi potest.* Demum scribit [10]: *Avarus est Deus salutis nostrae.* Porro quaenam ejusmodi avaritia esset, quae tot animabus gratias suas subtraheret, ne possent salvari?

327. Hinc praeter conc. arausicanum, cujus verba dedimus, conc. valentinum III. can. II. declarat: *Malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt;* et conc. lateran. IV. cap. *Firmiter* sine exceptione affirmat: *Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram poenitentiam semper potest reparari.* Quod pariter adstruit Tridentinum, docens [11]: *Qui accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, per poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint.* Generales vero hae propositiones falsae essent, si aliqui forent peccatores, qui omni penitus gratia destituerentur.

328. Sane ut suo loco ostendimus, Deus etiam supposito originali peccato sincere vult omnes homines salvos fieri, et ex eadem voluntate Christus pro omnibus mortuus est; jam vero quaenam haec esset sincera voluntas, si aliqui peccatores omni destituerentur gratia necessaria ad salutem? Deinde omnes, nemine prorsus excepto, tenentur, praesertim in articulo mortis ad eliciendum actum spei christianae, et ad conversionem et quidem sub gravi praecepto; porro impossibilis est ejusmodi actus sine gratia. Demum ecclesia sollicitam semper se ostendit in gravi mortis periculo, ne aliquis pereat; nulla in mortis articulo est reservatio peccatorum, cur vero? Nisi quia pro certo habet, Deum nemini quamdiu vivit prorsus suam gratiam denegare, aut quempiam deserere? Merito igitur concludit angelicus Doctor [12]: *Dicere quod aliquod peccatum est in hac vita, de quo quis poenitere non possit, erroneum est; primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad poenitendum.*

[8]) *Serm.* CXXV. n. 8.
[9]) *Serm.* CCCLIX. n. 2.
[10]) *Enarr. in Ps.* XCIX. n. 10.
[11]) Sess. VI. cap. 14.
[12]) Part. III. qu. 86. art. 1.

DIFFICULTATES.

329. I. Obj. 1. Deus exhibetur in Scripturis indurans cor et excaecans; jam vero Deus nec indurat neque excaecat impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, ut loquitur Augustinus. 2. Totalem autem ejusmodi excaecationem aliquando esse colligitur ex Joann. XII. 39. qui de judaeis scribit: *Propterea non poterant credere, quia Isaias dixit: Excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum.* Ecclesiastae proinde VII. 14. dicitur: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere: quem ille despexerit.* 3. Quare Isaiae V. Deus de populo suo sub vineae figura, v. 5 et 6. sic loquitur: *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriem ejus, et erit in conculcationem: et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur, et ascendent vepres et spinae: et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Quae de spirituali derelictione exposuerunt s. Hieronymus, s. Cyrillus alex. et s. Thomas in hunc. loc. 4. Quod et factis confirmant Scripturae, siquidem II. Machab. IX. 13. de Antiocho dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ergo.

330. Resp. Ad 1. *D.* Deus negative excaecat et indurat per uberiorum gratiarum subtractionem, seu caecitate et induratione imperfecta, *C.* per subtractionem omnimodam et absolutam, seu caecitate et induratione perfecta, *N.* Ut patet ex recitatis Augustini verbis, juxta quae Deus neminem penitus deserit, alioquin non amplius *viatores* essent ad terminum, sed essent prorsus extra Deum, quod solum damnatorum est.

331. Ad 2. *Neg.* Ad 1. prob. autem, *D.* Non poterant judaei credere impossibilitate consequenti et voluntaria, *C.* antecedenti necessaria, *N.* Apposite s. Augustinus [13]: *Non poterant,* inquit, *credere quia hoc Isaias propheta praedixit: hoc autem propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit; quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per prophetam praenunciavit.*

332. Ad 2. prob. *D.* Despectione perfecta et absoluta, eademque despectione manente, *C.* imperfecta, *subd.* difficilius prae caeteris corrigi potest, *C.* nullo modo, *N.* Nempe eodem sensu loquitur hic Ecclesiastes, ac superius I. 15. jam dixerat: *Perversi difficile corriguntur.*

333. Ad 3. prob. *D.* Et Isaias ibi loquitur de punitione temporali judaicae reipublicae, *C.* de spirituali derelictione, *N.* Praedicitur enim Judae vastatio et futura captivitas. Quod si Patres mystico etiam sensu verba Isaiae intellexerunt, exponi debent de imperfecta derelictione; loquuntur enim de gratia efficaci conversionis, aut de gratia proxime sufficienti, quam omnibus non semper dari fatemur, non autem de gratia orationis, qua caeteras obtinere valeant peccatores.

[13]) *Tract.* XIII. *in Joann.* n. 6.

334. Ad 4. *D.* Quatenus non debita ratione orabat, *C.* secus, *N.* Sollicitus enim tantum erat Antiochus de recuperanda corporis valetudine, non autem de salute animae.

335. II. Obj. S. Augustinus pro certo habet non omnibus gratiam a Deo conferri, 1. enim in *Ep.* CCXVII. *ad Vitalem*, cap. 5. scribit: *Scimus, gratiam non omnibus hominibus dari. Scimus eis, quibus datur, misericordia gratuita dari. Scimus eis, quibus non datur, justo Dei judicio non dari.* 2. Loqui autem s. Doctorem de gratia sufficienti patet ex ejus libro, *De corrept. et grat.* ubi agens de gratia Adamo collata, quae erat sufficiens, ait [14]: *Nunc quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est*, originalis scilicet aut actualis, cohaerenter ad illud quod 3. scribit, in lib. *De perf. justitia*, c. VI. 15: *Peccatum est, cum vel non est caritas, quae esse debet, vel minor est quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia, si potest, praesens voluntas hoc facit, si autem non potest, praeterita voluntas hoc fecit.* Ergo.

336. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* In sensu semipelagianorum, quos illic s. Augustinus impugnat, *C.* in sensu catholicorum, *subd.* non omnibus semper dari gratias efficaces aut proxime sufficientes, *C.* gratias saltem remote sufficientes, *N.* Semipelagiani enim contendebant semper conatibus naturalibus gratiam conferri, sive pro meritis.

337. Ad 2. *D.* Quibus tale deest gratiae proxime sufficientis auxilium, *C.* remote sufficientis, *N.* Poena vero illius gratiae subtractio esse potest tum originalis peccati tum actualis in infidelibus; in renatis vero, quibus per Baptisma quidquid peccati ac damnationis erat juxta Tridentinum ablatum est, non potest esse nisi poena peccati actualis.

338. Ad 3. *D.* Peccatum est, cum non est caritas, aut minor est, etc. ac dominante actuali consequenti cupiditate, seu voluntaria, *C.* quae oratione saltem vinci nequeat, et caritas major haberi, *N.*

339. III. Obj. Saltem obduratis peccatoribus nullam gratiam concedi saepe Augustinus inculcat; nam: *Caecitas cordis*, inquit [15], *quam solum removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur; et causa peccati, cum mali aliquid caeci cordis errore committitur.* 2. Et *Expos. in Ps.* CXLVI: *Ecce* Deus *deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* 3. Demum, lib. *De nat. et grat.* c. 22: *Nec cogitat praevaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis; qua desertus, utique fit caecus; et plus necesse est offendat, et cadendo vexetur; vexatusque non surgat.* 4. Nihil etiam frequentius in Augustino illo effato quo utitur, in lib. *De perfect. justitia* [16]: *Desertum omni lumine veritatis velle non posse.* Ergo.

340. Resp. Ad 1. *D.* Si loqueretur absolute, *C.* si hypothetice, *N.*

[14]) Cap. 11. n. 30.
[15]) Lib. V. *Contr. Julian.* cap. 3. n. 8.
[16]) Cap. 19. n. 42.

Scopus s. Doctoris disputantis adversus Julianum in objecto loco est, gratiae necessitatem adstruere; ut hoc porro obtineat, patefacit quid esset de homine non illustrato Dei gratia et adjuto, non autem quod reipsa aliquis inveniatur tali caecitate perculsus. Exinde mala fides patet adversariorum, qui talia obtrudunt.

341. Ad 2. *D.* Exponens effectus *indurationis,* si daretur, *C.* quae reipsa detur et quidem absolute, *N.* Subjicit enim ibidem s. Doctor: *Quis se ipsum liberabit, si ille deseruerit? Et quis liberat? Gratia Dei per J. C. D. N.* Commendans deinde gratiae effectus etiam erga durissimos peccatores subdit, quod *etsi congelaverint et ut crystallum facti fuerint, non erunt duri misericordiae Dei; emittet verbum suum et liquefaciet ea.* Tantum abest, ut s. Augustinus senserit deseri peccatores a Deo!

342. Ad 3. *D.* Qui superbia tumens gratiam respuit, seu ei resistit, *C.* qui eidem obsequitur, *N.* Nam ibidem s. Pater subdit: *Deserti luce justitiae et per hoc contenebrati, quid pariant aliud, quam haec omnia, quae commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant: Surge qui dormis,* etc.

343. Ad 4. *D.* Qui reipsa seu de facto desertus est, *C.* de facto datur ex Augustino sic plene desertus, *N.* Eadem enim semper recurrit responsio, quia eadem semper in adversariis recurrit fallacia, ut quod dixit s. Augustinus hypothetice, ipsi assumant veluti dictum absolute.

344. IV. Obj. 1. Si obduratis gratia adhuc praeberetur, jam non differrent a peccatoribus communibus. 2. Non esset determinatus peccatorum numerus remittendorum, secus ac dicatur Amos. I. 3 seqq.: *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum;* aut ut dicitur Prov. cap. I. 26: *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* 3. Sane haud pauci repentina morte abripiuntur, aut subitam amentiam post peccatum incurrunt. 4. Nimia haec liberalitas officit moralitati, ut vocant, timor enim per eam abjicitur. Ergo.

345. Resp. Ad 1. *Neg.* Nam reliqui uberiores et frequentiores gratias accipiunt.

346. Ad 2. *D.* Determinatus est numerus peccatorum in praescientia Dei, *C.* in ordine ad gratias erogandas, dum adhuc vivunt, quibus converti possint, *N.* Deus uti induratorum, ita et peccatorum communium praenovit numerum culparum dimittendarum usque ad vitae terminum; ast non est determinatus numerus, ultra quem Deus decreverit nullam amplius gratiam concedere, qua converti possint. Objectus Amos locus de poenis temporalibus est, nec proinde huc trahi potest. Idem dic de textu Proverbiorum, uti ex serie orationis patet.

347. Ad 3. *D.* Qui tamen usque ad hunc terminum gratias sunt consecuti, *C.* secus, *N.* Justo Dei judicio puniuntur ob tot gratiarum abusum; ipsi etiam peccatores communes interdum eadem ratione plectuntur.

348. Ad 4. *D.* Si desperatio meliores effectus produceret, *C.* si longe deteriores, *N.* Cavendum a duobus extremis est praesumptionis ac despera-

tionis. Ad deterrendos peccatores, quamdiu bene valent, ingerenda ipsis est cogitatio de imperviis judiciis Dei, de periculo evidenti cui se insane committunt, de incerta futurorum sorte, aliisque ejusmodi, ne praesumant. Sed cum ad extrema perventum est, ad vitae exitum jucunditas spei christianae ipsis eripienda non est. Qui enim semel animum suum imbuerit, nullam superesse spem, fit omnium hominum deterrimus, ac vix a damnato differt. Ecquis porro crudelem adeo doctrinam tradat innixus sententiae privatae, quae theoretice falsa est, Scripturae et Patribus contraria, contraria ipsius etiam ecclesiae praxi, luctuosis praesertim his temporibus, quibus religio tot impetitur incredulorum ac rationalistarum calumniis? Hoc mihi videtur intolerabile.

PROPOSITIO III.

Infidelibus omnibus, etiam negativis, datur pro loco ac tempore gratia sufficiens ad salutem.

349. Propositio *certa* est, ac jansenistas potissime impetit, quorum contradictoriae propositiones proscriptae sunt, nempe ab Alexandro VIII. haec quae n. 4. est: *Pagani, judaei, haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti;* et a Clemente XI. hae Quesnelli propositiones pariter damnatae sunt in *Const. dogmatica Unigenitus*, XXVI: *Nullae dantur gratiae nisi per fidem;* XXVII: *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum;* XXIX: *Extra ecclesiam nulla conceditur gratia.*

350. Infideles *negativi* illi dicuntur, qui nullam umquam habuerunt de fide notitiam; *positivi*, qui ei aut obstiterunt aut eam respuerunt. De infidelibus positivis vix quaestio moveri potest: nam hoc ipso quod notitiam fidei habuerint, eique restiterint aut ab ea recesserint, dubitari nequit eos gratias sufficientes habuisse ad credendum ac perseverandum. Itaque de negativis infidelibus praecipue quaestio instituitur.

351. Ad majorem dicendorum perspicuitatem juverit praemittere, quod, dum de collatione gratiae sive proximè sive remote sufficientis infidelibus negativis agimus, nos loquimur de gratia medicinali, quae per Christum datur, quaeque supernaturalis quidem quoad substantiam est, non autem ratione *modi*, cum non elevet infidelium opera ad ordinem supernaturalem; prima enim gratia tum ratione *sui*, tum ratione *modi*, seu simpliciter supernaturalis, est vocatio ad fidem, seu fidei notitia una cum interiori illustratione et inspiratione. Cum igitur infideles negativi eam nondum habuerint, fit ut gratiae, quae ipsis conceduntur ex Christi meritis, medicinales tantum sint, ordinatae ad sanandam nativam infirmitatem, ad vires suppeditandas, quae necessariae sunt ad servandam legem naturalem. Per hanc observationem legis naturalis ipsi negative se disponunt ad ulteriores gratias accipiendas, quatenus removent obstaculum, seu non ponunt impedimentum Dei gratiis ulterioribus, praesertim vocationi ad fidem, quam Deus aut per homines

a se missos, aut per angelum, aut per interiorem illustrationem, aut alia quavis ratione sibi nota, tribuit.

352. Sic sensu propositionis explanato, ejus veritatem adstruimus primo ex sacris litteris. Apostolus, I. Timoth. II. 1 seqq. vult fieri orationes *pro omnibus hominibus*, quia, ut addit, *hoc bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus Deus, et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quod si Deus infideles vult salvos fieri, si Christus dedit seipsum pro illis redemptionem, procul dubio gratias ad hanc salutem sibi comparandam largitur, nec enim sterilis ejusmodi in Deo voluntas est. Huc etiam spectant, quae de Verbo, Joann. I. dicuntur: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quae verba expendens s. Ambrosius, scribit [1]: *Mysticus sol ille justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat.* Eidem consonat s. Augustinus, dicens in ea verba [2]: *Et non est qui se abscondat a calore ejus: cum autem Verbum etiam caro factum est et habitavit in nobis... non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor.* Antiquus demum auctor librorum *De vocatione gentium* inter caetera scribit [3]: *Elaboratum est, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura, quoniam sive occulte sive manifeste, ipse est (ut Apostolus ait) Salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

353. Et haec quidem ex Scriptura, et Patribus latinis; de Patribus enim graecis nec adversarii ipsi diffitentur, eos in hac fuisse sententia. His coronidis gratia adjicimus, quae in rem nostram habet angelicus Doctor, qui scribit [4]: *Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis, taliter* (in sylvis) *nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.*

DIFFICULTATES.

354. I. Obj. 1. *Deus,* inquit Apostolus [5], *in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* 2. Qui deinde declarat quaenam fuerit illarum conditio, scribens [6]: *Eratis illo in tempore sine Christo... promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* 3. Cumque Paulus et

[1]) *In Psalm.* CXVIII. *Serm.* 8. n. 57.
[2]) *Enarr. in Ps.* XVIII. n. 7.
[3]) Lib. II. cap. 31.
[4]) *Quaest.* XIV. *de Verit.* art. 11. ad 1.
[5]) Act. XIV. 15.
[6]) Ephes. II. 12.

Barnabas vellent Evangelium annunciare Asianis, *vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia.* [7] Ergo.

355. Resp. Ad 1. *D.* Quatenus gentibus immediate gratiam fidei non tribuit, uti tribuerat judaeis, *C.* omnem gratiam, qua ad fidem ac salutem pervenire potuissent, denegando, *N.* Nam, ut ibidem dicit Apostolus, Deus non sine testimonio reliquit semetipsum, adeoque nisi illi obstitissent, potuissent ad eum pervenire.

356. Ad 2. *D.* Comparate ad judaeos, *C.* absolute, *N.* prout postulat contextus, dum dicit gentiles alienatos fuisse a conversatione Israel, et hospites testamentorum.

357. Ad 3. *D.* Nempe ad tempus dilata est, *C.* negata omnino, *N.*

358. II. Obj. 1. Fides ex Tridentino, Sess. VI. c. 8. *est initium et radix omnis justificationis,* adeoque est prima gratia. 2. Quare s. Augustinus sciscitatur [8]: *Quam gratiam primo accepimus? Fidem*, respondet. Ergo.

359. Resp. Ad 1. *D.* Est prima gratia proxime disponens ad justificationem, *C.* est prima gratia absolute, *N.* Plures enim aliae praecedunt ante fidem theologicam formalem, quae infidelibus tribuuntur ex ejusdem concilii doctrina.

360. Ad 2. eadem esto distinctio; disserit enim sanctus Doctor de operibus salutaribus, ad quae requiritur gratia supernaturalis et proprie dicta.

361. III. Obj. Ex adversariorum doctrina sequeretur 1. opera naturaliter honesta homines disponere ad fidem; 2. vocationem ad fidem non amplius esse gratuitam sed dari juxta merita naturalia; 3. gratiam esse omnibus communem; 4. qui totidem errores pelagianorum sunt, ac semipelagianorum, quibus convellendis allaboravit s. Augustinus, qui expresse pronunciat de gratia [9]: *Scimus non omnibus dari.* Unde s. Prosper sic provocat semipelagianos [10]:

> . . . Dic, unde probes quod gratia Christi
> Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur,
> Praetereat, cui non regnum vitamque beatam
> Impertire velit?

5. Et s. Thomas [11]: *Si* (gratia), scribit, *omnibus datur, non videtur aliud esse quam aliquod naturale donum; nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire nisi in aliquo naturali.* Ergo.

362. Resp. Ad 1. *D.* Homines disponere ad fidem *negative* juxta dicta per remotionem obstaculi, *C.* positive, *N.* Quod si sermo sit de iis, qui in Deum creatorem et remuneratorem credunt, dici potest eos non omni penitus fide supernaturali destitui, quamvis imperfecta et inchoata, cujusmodi fuit in Cornelio, de quo s. Augustinus scribit [12]: *Non sine aliqua fide donabat et*

[7]) Act. XVI. 6.
[8]) *Tract.* III. *in Joann.* n. 8.
[9]) *Ep.* CCXXVII. *ad Vital.* n. 16.
[10]) *Carm. de Ingratis,* cap. 11. v. 273.
[11]) Quaest. 24. *de Verit.* art. 15.
[12]) *De praedest. sanct.* cap. 7.

orabat. Nam ut idem Sanctus adnotat [13]: *Fiunt inchoationes quaedam conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur aeternam.* Quanam autem ratione ejusmodi conceptiones fiant, exponit ibidem dicens: *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.*

363. Ad 2. *D.* In sensu exposito, *C.* alia ratione, *N.*

364. Ad 3. *D.* Qualem adstruimus, *C.* supernaturalem, seu proprie dictam tum ratione sui, tum ratione modi seu finis, scilicet fidei, *N. Non enim omnium est fides,* scribit Apostolus. [14]

365. Ad 4. *N.* Utrorumque siquidem error versabatur circa gratuitatem gratiae, quam, ut vidimus, autumabant dari naturalibus hominum meritis; ab hoc porro errore longe abest catholica doctrina, juxta quam Deus ex sola sua misericordia eam largitur, nec ulla merita ante fidem dantur. Dum vero sive s. Augustinus sive s. Prosper negant gratiam omnibus dari, loquuntur de gratia immediata fidei actualis et perfectae, refellentes semipelagianos, qui eam saltem concedi nostris conatibus ac desideriis naturalibus contendebant; ut patet ex eodem s. Prospero, qui sic eorumdem errorem declarat [15]:

> Nullum autem ex cunctis exsortem muneris hujus
> Judicio genitum esse Dei; sed quemque mereri
> Libertate sua, ut capiat promissa vocantis
> Quae sunt aversis indebita, debita rectis.

366. Ad 5. *D.* Agens de gratia sanctificante in praesenti statu, *C.* de gratia actuali in sensu exposito, *N.* Nam de hac ita scribit [16]: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire... Sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant.*

367. IV. Obj. 1. Si gratiae sufficientes infidelibus darentur, possent ipsi totam legem naturalem servare, adeoque Deum diligere super omnia, ac justificari et salvari sine fide. 2. Nulla in iis daretur ignorantia fidei invincibilis, quae tamen propositio in Bajo damnata est; siquidem esset voluntaria in causa illorum ignorantia. 3. Debuisset dari gratia fidei Tyriis et Sidoniis. 4. Demum gratia concessa infidelibus, foret ipsis noxia; imputarentur enim ad culpam legis transgressiones, quae sine illa, utpote necessariae, in hypothesi catholicorum non imputarentur.

368. Resp. Ad 1. *Nego sequelam.* Ejusmodi enim legis observatio ac Dei dilectio ordinis naturalis tantum esset, sine fide autem supernaturali nullus aditus patet ad salutem.

369. Ad 2. *Neg.* Duo porro requiruntur ut aliquid voluntarium in causa dici debeat, 1°. ut effectus ex ea necessario profluat; 2°. ut saltem in con-

[13]) Lib. I. *ad Simplicium,* qu. 2. n. 2.
[14]) II. Thess. III. 2.
[15]) *Carm.* cit. cap. 1. v. 30.
[16]) Lib. III. *Cont. gent.* cap. 159.

fuso, ut aiunt, idem effectus secuturus praevideatur. Ambo porro desunt in infidelibus, quibus nulla subest fidei notitia.

370. Ad 3. *D.* Si pro meritis naturalibus gratia daretur, aut ex praeviso fidei consensu, *C.* secus, *N.*

371. Ad 4. *Nego* ex dictis. Falsum enim est noxias ejusmodi gratias fore infidelibus, cum ipsi ex propria culpa eisdem obsisterent; deinde quia etiamsi nullam gratiam obtinerent ad legem adimplendam naturalem, illius transgressiones imputarentur ad culpam, cum necessitas, quae exinde oriretur, esset moralis, non physica, quae sola excusat.

PROPOSITIO IV.

Deus, quantum ex se est, media sufficientia etiam infantibus decedentibus ex hac vita sine Baptismate praeparavit, quibus ad salutem pervenire possent.

372. Duplici ex causa fieri potest ut infantes sine Baptismo moriantur, aut physica aut morali; prior provenit ex naturae cursu, posterior ex parentum voluntate. Si ex parentum oscitantia aut malitia sacro latice infantes minime tingantur, jam patet hunc defectum in Deum haud refundi posse; si ex naturae autem cursu id accidat, neque hoc ex Deo repeti potest, si in hunc finem illum naturae cursum Deus non ordinaverit, ut infantes Baptismo, adeoque salutis via destituantur.

373. Jam vero quominus hoc de Deo sentiamus, duo maxime obstant, tum sincera ejus voluntas salvandi omnes homines, tum Christi mortis oblatio etiam pro his infantibus, teste Apostolo, qui ex Christi morte pro omnibus colligit omnes in Adam mortuos esse, scribens [1]: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus;* adeoque et pro infantibus sanguinis sui pretium dedit Christus, ac proinde media salutis ipsis applicanda comparavit.

DIFFICULTATES.

374. Obj. 1. Augustino teste [2] solo *Deo nolente* ejusmodi parvulis non confertur Baptisma; 2. ad inscrutabilia Dei judicia confugit s. Doctor, lib. cit., ut rationem reddat, cur ex duobus infantibus alter baptizetur, alter vero non. 3. Sane ex Dei voluntate hic naturae ordo constitutus est, atque ex praevisione impedimenti inde orituri, ne infantes ad Baptismum pervenire queant. Jam vero, *insanum omnino et contra rationem est,* ut arguebat s. Prosper [3], *dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri.* 4. Demum provisoris est, malum impendens ab eo avertere, cui providet. Ergo.

375. Resp. Ad 1. *D. Deo nolente, negative* seu *permissive, C. positive, N.* Siquidem ex sola Dei permissione fit, ut ejusmodi parvuli ad

[1]) II. Cor. V. 14 et 15.
[2]) *De dono persev.* c. 12. et *Epist.* CXCIV.
[3]) *Resp. ad* 6. *object. Vincentian.*

Baptismum pervenire non possint, cum ipse non teneatur constitutum naturae ordinem in illorum gratiam intervertere. Nec alius est sensus s. Augustini, qui adversus Julianum propugnat Christi mortem pro omnibus etiam infantibus.

376. Ad 2. *D. Comparative, C. absolute, N.* Etenim s. Augustinus, quaerens [4]: *Cur providentia Dei non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, et nonnullis consulit filiis impiorum*, exclamat cum Apostolo: *O altitudo!* Quia reipsa ex solis inscrutabilibus Dei judiciis fit, ut ex duobus parvulis in iisdem rerum adjunctis constitutis, alteri administrari lavacrum possit, alteri vero non item.

377. Ad 3. *D.* Quin in ea constituenda Deus ut finem intenderit Baptismi impedimentum, *C.* secus, *N.* Deus enim, nostra cogitandi ratione, seu logice, prius hunc naturae ordinem constituit, deinde ordinem gratiae quae illi supervenit, adeoque illius vicibus iste subjicitur; si proinde naturalis ordo, quem, ut diximus, Deus intervertere non tenetur, efficiat ut parvulus prius moriatur, quam tingi possit, praeter Dei intentionem id contingit. S. Prosper non loquitur de duplicis ordinis collisione, de qua nos disserimus, sed de duplici Dei voluntate, quarum altera cum altera conflictetur.

378. Ad 4. *D.* Provisoris particularis, *C.* generalis seu universalis, *N.* Siquidem *provisor universalis,* uti sanctus Thomas observat [5], *permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius.*

PARS SECUNDA.

DE GRATIA SANCTIFICANTE.

CAPUT I.

PRAENOTIONES.

379. Quandoquidem a gratiae sanctificantis germana definitione pendet nexus totius catholicae doctrinae, cui e diametro adversatur invectum a novatoribus saec. XVI. de justificatione systema, ab illa exordimur. Ex communi porro theologorum sententia gratia sanctificans, quae et *habitualis* nuncupatur, sic definiri solet: *Est supernaturale Dei donum permanenter inhaerens animae, quo homo immediate et formaliter sanctus efficitur, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitae aeternae, ejusdemque haeres.*

380. Haec porro definitio veritates omnes catholicas, quae huc referuntur complectitur, ac 1°. gratiam hanc animae nostrae inhaerentem esse; 2°. afferentem justitiam ac sanctitatem formalem; 3°. inseparabilem esse a justificatione; 4°. eam item donum Dei esse, ad quod homo se quidem disponere

[4]) Ep. CXCIV. n. 32.

[5]) Part. I. quaest. 22. art. 2. ad 2.

per gratias actuales potest, numquam vero illud proprie mereri, cum gratis a Deo communicetur; 5°. non ita gratiam sanctificantem inhaerere homini justo, ut amitti ea nequeat amplius; 6°. numquam hominem certum esse de fide, se eam possidere; multo vero minus credere divina fide debere, se ea instructum esse; 7°. per justificationem peccatum prorsus depelli ab anima justi, nec amplius ei nocere concupiscentiam, quae ei relinquitur ad agonem et ad meritorum segetem sibi comparandam, si rite eidem resistat; 8°. haec merita fructum esse gratiae sanctificantis, quae per opera meritoria etiam augetur; ac si in ea quis usque ad finem perseveret, haeres fit aeternae vitae, cujus gloria pro ratione meritorum major aut minor erit. Quae quidem totidem dogmata a Tridentino sancita de fide sunt, uti ex afferendis illius canonibus constabit.

381. Catholicae huic doctrinae adversatur novatorum saec. XVI. systema, qui assumentes justitiam originalem humanae naturae *essentialem* fuisse, ex illius amissione intulerunt: 1°. Hominem per originariam noxam *essentialiter* ac *substantialiter* fuisse corruptum, adeoque originale peccatum uti *qualitatem positivam*, et *substantiam* quamdam eidem necessario ac inseparabiliter inhaerere; 2°. per originalem lapsum intelligentiam ac voluntatem, etiam prout facultates naturales sunt, omnem activitatem suam amisisse, nec inservire nisi ad peccandum; 3°. peccata actualia non esse nisi totidem peccati originalis manifestationes, nec proinde posse hominem ad justificationem se disponere, quae parit sanctificationem; 4°. justificationem a sola fide formaliter produci absque ulla ex parte hominis cooperatione; 5°. hanc justificationem adeoque et sanctitatem totam externam esse, quae in sola non imputatione peccatorum consistit; 6°. sanctitatem ac justitiam non esse propriam hominis justificati, sed esse ipsam formalem Christi sanctitatem et justitiam, per fidem apprehensam.

382. Praeter hos errores ac enumeratas catholicas veritates plura sunt, quae libere in scholis agitantur. Disputant enim inter se catholici theologi: 1°. Utrum gratia sanctificans qualitas quaedam physica vel moralis sit, creata vel increata, immo ipsa Spiritus Sancti persona haberi debeat, quae substantialiter animae justi communicetur, eamque vivificet, prout placuit Magistro sententiarum, Petavio ac Thomassino. 2°. Utrum gratia per modum habitus inhaereat animae justi, an potius sit ipsa gratia actualis, quae jugiter influat in animam justi eamque fecundam efficiat, prout juxta Morinum tenuerunt Patres ac doctores reliqui usque ad saec. XII. quo doctrina de habituum infusione primum obtinere coepit. 3°. Utrum gratia sanctificans a virtute caritatis realiter necne distinguatur. 4°. Utrum una cum virtutibus theologicis et gratia sanctificante habitus infundantur virtutem moralium, qui facilius reddant illarum exercitium; sententiam affirmantem *tamquam probabiliorem* adoptavit conc. viennense, uti habetur in *Clementina de Summa Trin.* 5°. Utrum dispositiones, quae in adultis praerequiruntur ad justificationem, veram *meriti* saltem *de congruo* rationem habeant necne. 6°. Utrum ad actum salutarem *constituendum* et eliciendum praeter gratiam sanctifi-

cantem etiam in facilioribus opus sit gratia actuali, ut supernaturalis haberi debeat.

383. His porro aliisque controversiis, quae dogma non attingunt, praetermissis, nos accedimus ad veritates catholicas adstruendas ac vindicandas; ac primum de justificatione, quae controversiae caput est, agere constituimus.

CAPUT II.

DE JUSTIFICATIONE IMPII.

384. Tria sunt, quae de justificatione disceptari solent, de ejus nempe natura, de dispositionibus, quae eam praecedere debent, ac de ejusdem proprietatibus. Distinctis articulis de singulis ex ordine disseremus.

ARTICULUS I.

DE JUSTIFICATIONIS NATURA.

385. Quadrifariam in Scripturis vox *justificationis* accipitur, 1°. pro *lege*, ut Ps. CXVIII: *Justificationes tuas custodiam;* 2°. pro *acquisitione justitiae*, ut I. Cor. VI. 11: *Haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis;* 3°. pro *incremento justitiae* juxta illud, Apoc. XXII. 11: *Qui justus est, justificetur adhuc;* 4°. denum pro *declaratione externa justitiae* modo forensi, quo scilicet judex a crimine immunem quempiam pronunciat, juxta illud, Prov. XVII. 15: *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.*

386. Jam vero protestantes, Luthero et Calvino ducibus, in postrema significatione adhiberi in Scripturis hanc vocem autumant, cum de peccatoris justificatione agitur. Quo fit, ut juxta ipsorum systema, nec peccata vere remittantur, sed solum tegantur ob extrinsecam justitiae Dei aut Christi imputationem, adeoque inficiantur aliquam in nobis fieri justificationis ope interiorem renovationem, qua homo intrinsece ac formaliter ex peccatore justus fiat.

387. Contra autem ex catholicorum doctrina, tradita a conc. tridentino, Sess. VI. cap. 4. justificatione significatur *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Quapropter ex doctrina catholica justificatio consistit in interiori animae renovatione per inhaerentem ipsi gratiam ob Christi merita. Quod magis elucescit ex iis, quae ibidem cap. 7. subdit Tridentinum, naturam justificationis enucleatius exponens: *Unica formalis causa*, inquit, *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus... Id in hac impii justificatione fit, dum ejusdem* (Christi) *sanctissimae passionis merito per Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhaeret; unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum,*

haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, qui inseritur, fidem, spem et caritatem.

388. Dum his verbis concilium veram justificationis notionem ac naturam exhibet, fundamentale excludit novatorum principium de extrinseca solum peccatorum non imputatione, ita ut justitia seu causa formalis justificationis pariter tota extrinseca sit. Ut igitur catholicam doctrinam vindicemus, insequentes statuimus propositiones.

PROPOSITIO I.

In justificatione impii peccata vere remittuntur ac prorsus delentur.

389. De fide propositio est haec, a Tridentino sancita [1]: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.* Quamvis Tridentinum ad mentem novatorum non loquatur nisi de solo originali peccato, cum eadem ratio vigeat pro peccatis actualibus, ideo ad omnia prorsus extenditur concilii definitio.

390. Vere porro peccata remitti seu auferri, deleri, ablui tum quoad reatum culpae, tum quoad reatum poenae praesertim aeternae, in impii justificatione sacrae litterae adeo aperte docent, ut aptiora vocabula ad id significandum inveniri nequeant. Etenim de Christo dicitur [2]: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi;* Act. III. 19: *Convertimini*, inquit Petrus, *ut deleantur peccata vestra;* II. Reg. XII. 14: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Sic Is. XLIV. 22: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua;* Ps. L: *Lavabis me et super nivem dealbabor... Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innōva in visceribus meis;* et Apostolus [3]: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Demum caeteris omissis nihil luculentius afferi potest verbis ejusdem Apostoli [4], ubi scribit Christum passum esse ut *sanctificaret, mundaret, et exhiberet ipsi sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*

391. Patres toti in eo sunt, ut efferant virtutem meritorum Christi in auferendis delendisque peccatis. Ex graecis s. Jo. Chrysostomus proprium sacerdotum novae legis esse affirmat [5], *animae sordes non purgatas probare, sed purgare prorsus;* et ex latinis s. Augustinus haec habet [6]: *Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere.*

392. Sane nisi peccata in justificatione penitus delerentur ac auferrentur, falsa esset idea biblica, qua peccatores justificati exhibentur uti translati

[1]) Sess. V. can. V.
[2]) Joann. I. 29.
[3]) I. Cor. VI. 11.
[4]) Eph. V. 26.
[5]) *De sacerd.* lib. III. n. 15.
[6]) *Ad Bonifac.* lib. I. cap. 13.

de morte ad vitam, ut I. Joann. III. 14; aut excitati cum Christo, ut Rom. VI. 1.

393. Quod demum agnoverunt protestantes ipsi, qui adnisi sunt magistrorum suorum emollire sententias, quasi nempe, secus ac ipsorum verba postulent, nihil aliud significare voluerint, cum dixerunt peccata non tolli per justificationem, quam peccata remanere *materialiter*, non autem *formaliter* quoad utrumque culpae ac poenae reatum.

DIFFICULTATES.

394. I. Obj. 1. Peccata in justificatione non vere remitti, sed tantum tegi ac non imputari declarat Psalmista, XXXI. 1. dicens: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata;* quae verba Apostolus adducit ac ita explanat [7], ut pateat perinde esse iniquitates remitti, ac tegi seu non imputari. 2. Insuper qua ratione id fiat, exponit, scribens [8]: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* 3. Reipsa: *Jam non ego,* inquit [9], *operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Peccatum igitur adhuc perseverat in justo et operatur.

395. Resp. Ad 1. *N.* Sic enim objecta Psalmi verba enarrat s. Augustinus [10]: *Cooperta sunt peccata, abolita sunt, tecta sunt... Non sic intelligatis, quod dixit: cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant.* Hanc explanationem ipse contextus exigit, immo et ipsa rei natura, cum peccata tecta dicantur coram Deo; nam *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Neque in alium finem Apostolus, Rom. IV. adducit objecta verba, nisi ut evincat gratuitam prorsus esse justificationem, prout exponit vel ipse Rosenmüller in scholiis ad hunc locum.

396. Ad 2. *N.* Hic enim germanus est sensus objecti loci ex II. Cor. juxta s. Jo. Chrysostomum, caeterosque Patres graecos et latinos, syrumque interpretem: Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi, gratis remittens et condonans delicta ipsorum per Christi merita, seu intuitu ejus passionis.

397. Ad 3. *D.* Id est, concupiscentia, quae improprie ab Apostolo *peccatum* vocatur, *C.* peccatum formale ac proprie dictum, *N.* Alioquin non adjecisset, cap. VIII: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

398. II. Obj. 1. Justificationis vocem accipi in sacris litteris in sensu forensi de *justo pronunciando,* non autem *efficiendo,* patet ex Rom. VIII. 33. ubi legitur: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet?* 2. Nec alia uspiam hujus vocis significatio occurrit apud profanos scriptores. 3. Sacrae litterae praeterea passim omnia commemorant, quae ad justificationem in sensu forensi referuntur, *judicium, judices, tribunal, accusatum, accusatorem, testes, acta, processus, sententiam.* 4. Hinc Apostolus scribit [11]: *Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum*

[7]) Rom. IV. 7.
[8]) II. Cor. V. 19.
[9]) Rom. VII. 17.
[10]) *Enarr.* II. in *Ps.* XXXI. n. 9.
[11]) Rom. V. 13.

autem non imputabatur. 5. Quo demum generales illae sententiae spectant, in quibus pronunciatur, nullum hominem *justificari* apud Deum, omnesque indiscriminatim petere semper debere remissionem suorum peccatorum; quae falsa essent in systemate catholico, juxta quod peccata prorsus delentur. Ergo.

399. Resp. Ad 1. *D.* Interdum *C.* semper ac praesertim in materia de qua agimus, *N.* Ut patet ex adductis probationibus. Apostolus vero loc. cit. tum de interiori peccatorum abolitione loquitur, tum de exteriori declaratione.

400. Ad 2. *D.* Quia scriptores profani omni prorsus destituti erant sensu theologico hujus vocis, *C.* secus, *N.* Ipsi adhibebant vocem justificationis juxta unicum sensum, cui assueti erant; absurdum porro est exinde concludere, nullum alium sensum a Scriptura subjici eidem verbo.

401. Ad 3. *D.* Ut symbolice per ejusmodi formas significarent quod interius longe sublimiori ratione Deus operatur, *C.* ut innuant forensem justificationem intercedere in remissione peccatorum, *N.* Ad hunc sensum excludendum sacrae litterae addunt, Deum peccata *delere, abluere, tollere, auferre,* quod in declaratione forensi certe non fit.

402. Ad 4. *D.* Peccatum non imputabatur ad legis scriptae normam, definitis seu statutis poenis, *C.* non imputabatur omnino, *N.* Contrarium evincunt tot poenae, quas Deus sumpsit ante legem mosaicam de scelestis hominibus.

403. Ad 5. *D.* Ex propria justitia, *C.* ex Dei miseratione et gratia, *N.* Quod si etiam justi jugiter veniam admissorum erratorum petere a Deo debent, non ideo id praestari ab ipsis debet, quasi verae remissae non essent eorum noxae, sed quia tum novis semper aut plerumque naevis se commaculant, tum quia omnimoda certitudine scire nequeunt, utrum reipsa veniam ac remissionem anteactorum peccatorum obtinuerint. Adeoque apprime omnia componuntur in doctrina catholica, quae in Scripturis habentur.

PROPOSITIO II.

Impii formaliter non justificantur vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione; sed justificantur per gratiam et caritatem, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur atque illis inhaeret; neque gratia, qua justificamur, est tantum favor Dei.

404. Quoad omnes suas partes propositio de fide est, a concilio tridentino his canonibus definita, Sess. VI. can. X: *Si quis dixerit, homines per eam ipsam* (justitiam Christi) *formaliter justos esse; anathema sit.* Can. XI: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.*

405. Jam vero catholicam hanc doctrinam Scripturarum ac Patrum

auctoritate niti, ex apertissimis testimoniis, quae rem conficiunt, abunde liquet. Etenim ut a Scripturis initium ducamus, Apostolus: *Caritas Dei,* scribit [1], *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,* et v. 17. prosequitur loquens de justis: *Abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Et clarius adhuc idem Apostolus, rationem exponens justificationis [2]: *Salvos,* inquit, *nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae.* Non igitur aut in sola externa imputatione justitiae Christi, aut in sola peccatorum remissione justificatio consistit ex Scriptura, sed in regeneratione ac interna renovatione, quae fiat per effusionem Spiritus Sancti, seu caritatis in nobis, quaeque jugiter in cordibus nostris permaneat juxta illud Christi [3]: *Ad eum* (justum) *veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

406. Nec aliter Patres docuerunt, ex quibus s. Augustinus visus est novatorum errores in antecessum refellere; siquidem agens de fide, per quam justificationem adipiscimur: *Sicut autem,* inquit [4], *ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus; utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.* Eadem repetit ibid. cap. 32. et alibi saepe, adeo ut Calvinus professus sit se ab Augustino discedere, quia *gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitae novitatem per Spiritum regeneramur*, quasi nempe aliter docuerit s. Augustinus ab eo quod docuere Scripturae ac universa ecclesia.

407. Angelicus Doctor, rationem theologicam hujus doctrinae suppeditat [5], dum animadvertit concipi non posse remissionem peccati, quin concipiatur gratiae infusio, per quam homo interius renovetur, ut ex objecto odii objectum fiat amoris et dilectionis. Exinde concludit, justificationem quemdam motum ac transitum esse de statu in statum, et his verbis, quomodo id fiat, exponit [6]: *Justificatio impii non est successiva, sed ordine naturae unum eorum est prius altero; et inter ea naturali ordine primum est gratiae infusio, secundum motus liberi arbitrii in Deum, tertium est motus liberi arbitrii in peccatum, quartum vero est remissio culpae.*

408. Ex hactenus vindicatis via patet ad elucidandam domesticam controversiam, utrum gratia inhaerens, qua formaliter justificamur, *habitualis* an vero *actualis* censenda sit. Siquidem ex adductis tum Scripturarum tum Patrum documentis vix dubitari posse videtur, eam habitualem esse ac inhaerentem animae ad modum qualitatis, ut aiunt, qua haec justa et sancta constituatur. Nec obstant quae profert Morinus [7] de Patribus, quorum nemo

[1]) Rom. V. 5.
[2]) Tit. III. 5.
[3]) Joann. XIV. 23.
[4]) *De spir. et litt.* cap. 9.
[5]) I. II. qu. 113. art. 2.
[6]) Ibid. art. 8.
[7]) *De Poenitentia,* lib. VIII. cap. 2 et seqq.

aut de habitibus ac habituum infusione, aut de gratia *sanctificante ac habituali* mentionem injecerit; nec enim de nomine quaestio est aut de ideis peripateticis, sed de re; porro innumeros pene Patres adducit Petavius [8], ex quibus luculentissime constat, eos gratiam, qua justi ornati sunt, veluti permanentem exhibuisse, immo nec a voce *qualitatis* abhorruisse, cum de hac gratia loquerentur. Certe cum infantes baptizantur, gratia ditantur, qua cari Deo efficiuntur; dici autem nequit, infantes gratia instrui actuali in ordine ad operationem; habitualis igitur ea sit necesse est. Demum doctrina, quam attulimus concilii viennensis, de ecclesiae sensu hac in parte nos minime dubitare sinit. Itaque sin minus haeretica, ut placuit Suarezio, saltem temeraria nobis videtur contraria sententia.

DIFFICULTATES.

409. I. Obj. 1. Nos justos effici justitia Christi docet Apostolus, scribens [9]: *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu: quae ex Deo est justitia in fide;* et de Christo scribit [10]: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* 2. Se vero loqui de extrinseca justitia Christi nobis imputata, declarat antithesi illa, quam de Christo instituit, dicens [11]: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Jam vero Christus factus non est peccatum nisi extrinsece; ergo nonnisi extrinsece nos efficimur justitia Dei in Christo.

410. Resp. Ad 1. *N.* Ad primum autem textum Apostoli, *D. Non habens meam justitiam,* legalem scilicet ac propriis meritis partam, independenter a meritis Christi, *C.* justitiam inhaerentem per Christi merita ejusque gratiam, *N.* ut postulat orationis series; opponit enim Apostolus justitiam legalem justitiae, quam per fidem in Christum ob ejus merita consequimur.

411. Ad alterum vero textum, *D.* Christus factus est nobis justitia *meritorie, C. formaliter, N.* Siquidem hic Apostolus, ut alibi saepe, effectum pro causa posuit. Diversas porro causas justificationis juverit ad dictorum intelligentiam verbis Tridentini exponere [12]: *Hujus sanctificationis causae sunt: finalis quidem, gloria Dei et Christi, et vita aeterna; efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae; meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus D. N. J. C. qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Patri satisfecit; instrumentalis item, sacramentum baptismi. . . Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit.*

412. Ad 2. *D.* Deus Christum improprie peccatum fecit, seu hostiam

[8]) *De Trinit.* lib. VIII. cap. 4 et seqq.
[9]) Philipp. III. 9.
[10]) I. Cor. I. 30.
[11]) II. Cor. V. 21.
[12]) Sess. VI. cap. 7.

pro peccato, *C.* vere et proprie, *N.* Hoc enim absurdum est: quod si Christus vere factus est hostia pro peccato, jam concidit adversariorum argumentum. In eo vero antithesis ab Apostolo instituitur, ut ad eum modum, quo peccata nostra causa fuere meritoria mortis Christi, sic meritoria causa justificationis nostrae fuerunt Christi cruciatus.

413. II. Obj. 1. In Scripturis passim dicitur justos nos *reputari*, *constitui* ac *denominari*, non igitur vere *effici*. 2. Sane scribit Apostolus [13]: *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam;* 3. et iterum [14]: *Per unius obeditionem*, inquit, *justi constituentur multi.* 4. Quod confirmat apostolus Jacobus, qui allegatis verbis *Geneseos: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, subdidit [15]: *Et amicus Dei appellatus est.* Ergo extrinseca imputatione ac denominatione justi efficimur, non autem intrinseca inhaerente justitia; prout 5. ex illis omnibus locis constat quibus monemur, justitiam seu gratiam *induere*, ut Ephes. IV. 24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis;* et Rom. XIII. 14: *Induimini Dominum N. J. C.;* demum caeteris omissis, Gal. III. 27: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quod porro induitur, extrinsecum est. Ergo.

414. Resp. Ad 1. *D.* Dicitur in Scripturis justos *reputari* etc., quia tales reipsa efficiuntur per inhaerentem justitiam, *C.* sine rei veritate ac per solam extrinsecam imputationem, *N.*

415. Ad 2. *D.* *Fides* reputatur ad justitiam, *C.* justitia Christi, *N.* Fidem nempe Deus gratuito acceptat, ac reputat tamquam actualem dispositionem nostram ad justitiam conferendam intuitu meritorum Christi, non autem nobis imputat ipsam justitiam Christi formalem, ut justi reputemur.

416. Ad 3. *D.* Per unius obeditionem justi constituentur multi *meritorie, C. formaliter, N.*

417. Ad 4. *D.* Abraham amicus Dei appellatus est, quia talis reipsa fuit, *C.* sola extrinseca denominatione, *N.* Judith enim, c. VIII. 22. dicitur: *Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.*

418. Ad 5. *D. min.* Quod induitur *materialiter*, extrinsecum est, *C. spiritualiter, N.* Eadem quippe ratione monemur novum induere hominem, quo provocamur ad *deponendum* seu exuendum *veterem*, ad interiores scilicet eluendas peccati sordes, pravasque consuetudines abjiciendas. Ideo vero *indumenti* similitudine utitur Apostolus post David, Ps. CXXXI. 9., ut innuat, juxta animadversionem s. Augustini [16], justitiam nostram non ex nobis esse, sed ex Dei dono: *Justitia sit*, scribit, *sed ex gratia sit: a Deo tibi sit, non tua sit. Sacerdotes tui*, inquit, *induantur justitiam: vestis accipitur, non cum capillis nascitur, pecora de suo vestiuntur.*

419. III. Obj. Saltem in sola peccatorum remissione justificationem

[13]) Rom. IV. 5.
[14]) Ibid. V. 19.
[15]) Jac. II. 23.
[16]) *Serm.* CLXIX. *de verb. Apost.* c. 9.

consistere aperte 1. docet Apostolus, scribens de Christo [17]: *Qui traditus est propter delicta nostra,* seu ad solam peccatorum remissionem obtinendam; nec aliud docetur ab eodem Apostolo [18], dum scribit Deum reconciliasse mundum sibi per remissionem delictorum; aut cum judaeos alloquens dixit [19]: *Per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur.* Hinc Luc. XVIII. Christus exhibet publicanum justificatum prae pharisaeo per remissionem, quam exposcebat et obtinuit, peccatorum suorum. 2. Accedit quod doctrina de justitia inhaerente sit injuriosa Christo, ac superbiam fovens. Ergo.

420. Resp. Ad 1. *D.* Mediante gratia sanctificante, *C.* hac exclusa, *N.* Remissio peccatorum, non quidem extrinseca et forensis, qualem adversarii confingunt, sed interna et plena per culpae abolitionem, est fructus sive effectus gratiae quam Deus infundit. Quod ex allatis probationibus constat, et ex verbis Apostoli, quibus modum exponit, quo Deus peccata remittit, dicens [20]: *Et vos cum mortui essetis in delictis, convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta. Vivificando* igitur Deus donat seu remittit delicta. Seriem porro actuum, qui in impii justificatione locum habent, saepe omittit Scriptura, ut sistat in ultimo effectu seu in peccatorum remissione. Novatorum deceptio provenit ex ordine, quem concipiunt in justificatione, ita ut prius sit remissio peccatorum, quam deinde subsequatur sanctificatio ac justificatio, dum juxta doctrinam catholicam e converso prius sanctificatio et justificatio, postea vero peccatorum remissio ordine et natura concipi debeant.

421. Ad 2. *Neg.* Immo longe magis meritorum Christi vis ac efficacia elucent in doctrina catholica, juxta quam Christus vere *dissolvit opera diaboli, purgationem peccatorum faciens, delensque quod adversus nos erat chirographum decreti, sanctos ac immaculatos* nos efficiens, quam in objecto protestantium systemate. Nam juxta hoc Christus nos reliquisset in sordibus, quas meritis suis tantum tegeret ne appareant, et puniantur. Quam indigna haec Deo sunt! Quomodo vero per catholicam doctrinam fovetur superbia, dum quidquid habemus, Deo in acceptis referre debeamus? Sed protestantes magistri ac doctores humilitatis esse nequeunt, cum eam ignorent.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM.

422. Cum novatores praemiserint, hominem per originariam labem omnem amisisse activitatem, intulerunt nullas praerequiri in peccatore dispositiones ad justificationem assequendam: contra vero catholici ex adverso principio, quod liberum arbitrium per peccatum minime fuerit extinctum, inferunt peccatorem divina gratia actuali praeventum disponere se debere ad justificationem assequendam. Insuper juxta novatores fides sola ea est, quae

[17]) Rom. IV. 25.
[18]) II. Cor. V. 19.
[19]) Act. apost. XIII. 38.
[20]) Coloss. II. 13.

formaliter hominem justificat, cum per eam apprehendat merita seu justitiam Christi; ast juxta catholicos praeter fidem aliae dispositiones praerequiruntur, spes scilicet, contritio, poenitentia, etc. Fides demum, quae ex novatorum systemate justificat, non est nisi *fiducia* illa, qua quis pro certo habet sibi imputari justitiam Christi, dimitti peccatorum poenam, ac se in Christo uti innocentem ac sanctum spectari a Deo, quamvis intus culpae omnes perseverent ac vivant; in doctrina vero catholica, fides quae est initium, fundamentum ac radix omnis justificationis, in firmo assensu consistit, qui praebetur omnibus veritatibus a Deo revelatis. En verba, quibus Tridentinum, Sess. VI. c. 6. doctrinam catholicam exponit: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium, per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnem justitiae fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem.* Et ibid. c. 7: *Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum.*

423. Ut igitur tres antitheses, quae in doctrina catholica tribus novatorum recensitis erroribus opponuntur, adstruamus, insequentes statuimus propositiones.

PROPOSITIO I.

In adultis ad justificationem consequendam aliquae praeter fidem dispositiones praerequiruntur, seu sola fides non justificat.

424. De fide est propositio his verbis a Tridentino sancita [1]: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari, atque disponi; anathema sit.* Ex Tridentino igitur ad justificationem 1°. dispositiones praerequiruntur; 2°. hae dispositiones ad solam fidem non coarctantur.

425. Hae porro dispositiones non habent rationem meriti proprie dicti, cum gratia sanctificans a Deo gratis intuitu meritorum Christi tribuatur, sed requiruntur tantum ad tollendum impedimentum seu obstaculum ad illius collationem, tamquam *conditio sine qua non;* vel ad summum, si placet, rationem habent meriti *de congruo* et *impetratorii.* Insuper dispositiones, quae praeter fidem ad justificationem necessariae censentur, sunt timor, spes,

[1]) Sess. VI. can. IX.

caritas, saltem inchoata poenitentia, propositumque servandi in posterum divina mandata, uti loc. cit. exponit Tridentinum.

426. Prior autem propositionis pars sic facile ex Scripturis evincitur: Ipsae ad justificationem in adultis constanter conversionem ac poenitentiam exigunt; aliquae igitur dispositiones ad illam praerequiruntur. Zachar. cap. I. 3: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos.* Christus vero, Luc. XIII. 3: *Nisi*, inquit, *poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Compunctis proinde judaeis dixit Petrus [2]: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Adeo haec aperta sunt, ut eludi nulla ratione valeant.

427. Nil mirum si post haec Patres unanimes in hac doctrina inveniamus. Satis hic sit vulgatum sancti Augustini effatum adducere [3]: *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te... fecit nescientem, justificat volentem.* Quibus verbis etiam significat s. Doctor, peccatorem, qui voluntarie a Deo recessit, debere per voluntariam conversionem ad Deum accedere, ut cum eo reconcilietur.

428. Posterior propositionis pars, in qua asseritur solam fidem non justificare, iisdem argumentis adstruitur. Nam sacrae litterae aperte testantur, praeter fidem bona opera requiri ad justificationem. Jacobus enim in epistola sua, c. II. 24: *Ex operibus,* inquit, *justificatur homo, et non ex fide tantum;* cujus rei rationem reddens adjicit, v. 26: *Fides sine operibus mortua est.* Neque a Jacobo dissentit Paulus, qui scribit [4]: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Exponit porro idem Apostolus cujusmodi sit fides, quae justificat dicens [5]: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur.* Ergo non sola fides ex Apostolo, quae sterilis sit, ea est, qua justificatur homo, sed una cum operibus, quae eam comitantur, immo ex ea producuntur.

429. Ecclesiae Patres nihil magis inculcant quam bonorum operum necessitatem una cum fide, ut quis Deo placeat. S. Joann. Chrysostomus inter caetera ait [6]: *Nisi vitam fide nostra dignam ducamus, extremas dabimus poenas.* S. Augustinus integrum librum scripsit *De fide et operibus* ad refellendos novatorum praedecessores haereticos, qui eodem errore detinebantur; et *Serm.* XVI. *de verb. Apost.* c. 6: *A fide,* inquit, *incipit homo; sed et daemones credunt et contremiscunt... Adde ergo fidei spem... ipsique spei adde caritatem;* ac *Serm.* XXVII. c. 1: *Domus Dei,* scribit, *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

430. Demum ratio theologica catholicae veritati suffragatur: etenim nequit novatorum admitti systema, nisi gratis assumas 1°. fidem *fiduciam*

[2]) Act. II. 38.
[3]) *Serm.* XV. *de verb. Apost.* cap. 11. n. 13.
[4]) Rom. II. 13.
[5]) Gal. V. 6.
[6]) *Hom.* LXIV. *in Matth.*

tantum esse. 2°. Fidem rursum solitariam permanere, non autem foecundam virtutum caeterarum parentem esse, praesertim vero caritatis, quae ex ea profluit. 3°. Ante justificationem hominem ad instar trunci passive ita sub concupiscentiae dominatu se habere, ut nihil omnino ad operandum valeat; quae tamen falsa sunt omnia immo et absurda. Accedit 4°. quod adversariorum systema virtuti exitiale sit, cum omnes ejusdem nervos praecidat, hominique ad vitia omnia laxet habenas.

DIFFICULTATES.

431. I. Obj. Scriptura soli fidei constanter justificationem tribuit; Rom. enim III. 28. scribit Apostolus: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis;* et ibid. cap. IV. 2: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum;* et v. 5: *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam secundum propositum gratiae Dei;* et cap. V. 1: *Justificati ergo ex fide.* Huic doctrinae insistens idem Apostolus, repetit [7]: *Gratia estis salvati per fidem.* Adeo ut vere hanc thesim dixeris apostoli Pauli. Ergo.

432. Resp. *D. A.* Fidei vivae, quaeque per caritatem operatur, justificationem tribuit Scriptura, *C.* fidei mortuae ac sine operibus, *N.* aut etiam: Scriptura fidei soli tribuit justificationem ad eorum exclusionem operum, quae fidem seu vocationem ad finem praecedunt, *C.* quae fidem sequuntur et in ea funduntur, immo ex ea oriuntur, *N.* Scopus Apostoli est excludere merita, quae ex operibus naturaliter honestis sibi tribuebant ethnici, aut quae ex operibus legis sine gratia et fide in Christum sibi adscribebant judaei, adeoque alii supra alios se efferebant, et illis operibus a se aut in judaismo, aut in ethnicismo patratis causam assignabant propriae vocationis ad fidem. Ad utrorumque compescendum tumorem Apostolus declarat gratis omnes fuisse vocatos, cum nulla opera ante fidem facta eam promereri potuerint, utpote nullius valoris coram Deo qui gratis eos vocavit et justificavit per solam fidem gratuito eis concessam. Porro opera, quae fidem sequuntur et ex ea dimanant, numquam Apostolum exclusisse a justificatione, testes sunt omnes ejusdem epistolae, quibus fideles ad omnimodam sanctitatem informat.

433. II. Obj. Solius fidei Scriptura meminit, quoties de justificatione agitur, e. gr. Matth. IX. 22: *Fides tua te salvam fecit;* Luc. VIII. 50: *Crede tantum, et salva erit;* Joann. I. 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus;* et ibid. III. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Hinc Philippus eunucho Baptismum poscenti respondit [8]: *Si credis ex toto corde, licet.* Ergo.

434. *D. A.* Quatenus caeteras dispositiones supponit, *C.* ad illarum exclusionem, *N.* Cum plures causae ad eumdem effectum producendum concurrunt, potest compendii causa modo uni modo alteri effectus adscribi. Hac

[7]) Ephes. II. 8.

[8]) Act. VIII. 37.

autem ratione se gerunt scriptores sacri, qui justificationem interdum fidei tribuunt, ut patet ex objectis testimoniis, interdum vero spei, ut Rom. VIII. 24: *Spe salvi facti sumus;* interdum caritati, ut Luc. VII. 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* interdum timori, ut Ecclesiast. I. 27: *Timor Domini expellit peccatum;* interdum eleemosynae, ut Tob. XII. 9: *Eleemosyna a morte liberat*, et ita porro, quin caeterae dispositiones excludantur. Ideo autem frequentior fidei mentio fit, quia fides caeterarum omnium origo et fundamentum est, immo radix quae in reliquas jugiter influit.

435. Inst. Atqui Scripturae fidem exhibent uti causam adaequatam justificationis ad caeterarum exclusionem. Nam 1. Apostolus scribit [9]: *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti; justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem;* non igitur ex fide in opera. 2. Quo sensu Habacuc II. 4. dicitur: *Justus ex fide vivit*, ergo fides vitam, quam inchoavit, continuat. 3. Sane Abraham jam provectus erat in sanctitate, cum de eo dictum est [10]: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* 4. Opera vero, quae fidei superveniunt, a justificatione exclusisse Apostolum patet ex iis, quae scripsit [11]: *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* 5. Si fidei praeterea caeterisque virtutibus veluti dispositionibus tribuenda justificatio esset, illis adscribi ea posset; attamen conc. arausicanum, cap. 4. definivit: *Ut a peccato purgemur*, *Deus voluntatem nostram non expectat.* 6. Reipsa plures quotidie sine ulla voluntatis cooperatione justificantur, uti amentes, aut qui lethali morbo correpti rationis usu destituti sunt, quibus sacramenta administrantur. Ergo.

436. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Justitia Dei revelatur ex fide inchoata et imperfecta in fidem perfectam, et caritate informatam, *C.* in fidem sine caritate ac bonis operibus, *N.* Hoc numquam docuit Apostolus.

437. Ad 2. *D.* Justus vivit ex fide viva, quae per caritatem operatur, *C.* ex fide mortua, *N.* Quod enim mortuum est, nequit alteri vitam communicare; porro fides sine operibus mortua est, ut docet Jacobus apostolus.

438. Ad 3. *D.* Adeoque novum ejus justificatio incrementum accepit, quia ex fide in fidem progressus est, *C.* secus, *N.* Cum enim fides per opera justificet, ideo per eadem bona opera justificationem auget magis semper ac perficit. Eodem testimonio proinde usus est Jacobus apostolus, ut evinceret fidem sine operibus non justificare.

439. Ad 4. *D.* Exclusit Apostolus a justificatione opera sine fide patrata, *C.* opera quae peperit fides, *N.* Placuit itaque Abraham Deo primum ob fidem, magis deinceps ac magis placuit per opera fidei intexta.

440. Ad 5. *D.* Conc. arausicanum definivit, Deum non expectare voluntatem nostram, ut a peccatis purgemur in sensu semipelagianorum, *C.* ad excludendam rationem dispositionis seu conditionis, quam Deus exigit ad nos

[9]) Rom. I. 16.
[10]) Genes. XV. 6.
[11]) Rom. IV. 2.

justificandos, *N.* Error semipelagianorum, ut suo loco vidimus, in eo erat, quod vellent merita nostra praevenire Dei gratiam.

441. Ad 6. *D.* Infantes, aut qui infantibus aequiparantur, uti perpetuo amentes, *C.* reliqui, *subd.* justificantur vi praecedentis dispositionis, quae virtualiter perseveret, *C.* sine illa, *N.* Illa semper supponitur in iis, qui lethali morbo correpti sacramentis muniuntur.

442. III. Obj. Patres conspirant omnes in justificatione uni fidei tribuenda. S. Hilarius: *Fides*, inquit [12], *sola justificat;* Ambrosiaster scribit [13]: *Sola fide justificati sunt dono Dei;* s. Jo. Chrysostomus: *Fidelem*, ait [14], *sine operibus possum ostendere et vixisse, et in regnum coelorum ivisse... latro tantum credidit, et vitam habuit;* s. Augustinus: *Quantaelibet,* inquit [15], *fuisse virtutis antiquos praedices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris;* s. Leo [16]: *Fides vera justificans impios et creans justos.* Demum s. Bernardus, affirmat [17], ideo Christum tantum dixisse: *Qui non crediderit, condemnabitur,* ut innueret, *solam interdum fidem sufficere ad salutem.* Ergo.

443. Resp. *D. A.* Prout fidem contradistinguebant ab operibus legis, aut naturaliter honestis, *C.* prout ex vi fidei eliciuntur, *N.* Hac ratione tum s. Hilarius, tum Ambrosiaster, dixerunt solam fidem justificare. Objecta s. Jo. Chrysostomi homilia spuria est, nec objectis verbis significatur, nisi interdum opera externa non requiri ad justificationem, ut patet ex latronis exemplo, qui non solum credidit, sed speravit insuper ac dilexit.

444. S. Augustinus adstruit adversus pelagianos, non fuisse veteres justificatos solis legis operibus, sed fide in Christum venturum, uti et nos justificamur per fidem in Christum passum.

445. S. Leo loquitur de fide catholica per oppositionem ad commenta haereticorum, quae non salvant, sed damnant.

446. S. Bernardus unice intendit significare, quandoque actualem Baptismi susceptionem non requiri ad salutem. Caeterum ipse docet [18]: *Nec fides sine operibus, nec opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem.*

PROPOSITIO II.

Fides, quae ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia, quae Deus revelavit.

447. De fide propositio est ex definitione Tridentini, Sess. VI. can. XII: *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.*

[12]) *In Matth.* cap. IX. n. 6.
[13]) *Epist. ad Rom.* cap. III.
[14]) *Hom. de fide*, n. 1.
[15]) Lib. I. *Cont. duas Epist. Pelagian.* cap. 21. n. 39.
[16]) *Ep.* CXXIV. cap. 4.
[17]) *Tract. ad Hugon. de s. Victore, de Baptismo*, cap. 2.
[18]) *Serm.* XXIV. *in Cant.*

448. Cujusmodi porro sit fiducia, quam unice necessariam protestantes depraedicabant ad justificationem, patet ex toto illorum systemate. Triplex enim ab illis fides distinguitur; *historica* scilicet, quae pro objecto habet veritates omnes divinitus revelatas; *miraculorum*, seu potestas miraculorum edendorum; *promissionum*, qua quis credit promissionibus divinis de remissione peccatorum ob Christi merita; haec autem postrema sola est, quae justificat, dum quispiam sibi in particulari credit remitti, seu potius remissa esse peccata per Christum.

449. Fiducia, ut firmior sit, concipitur ab ipsis uti *objectiva*, quia si *subjectiva* esset et intrinseca, debilis ac imperfecta foret: extrinseca proinde semper manet, quamvis a subjecto recipiatur, quod explicat Calvinus exemplo *ollae fictilis, quae in se recondit thesaurum;* nulla siquidem intercedit intrinseca necessitudo inter vas fictile ac vile, et thesaurum pretiosum. Ex quo discrimen apparet, quod interponitur inter fiduciam protestantium et fiduciam seu spem, quam etiam ad justificationem necessariam tenent catholici.

450. Jam vero Scripturis divinis inniti catholicam enunciatam veritatem ita ostendimus: obvia sunt divinorum eloquiorum oracula, quibus fides ad justificationem necessaria exhibetur in assensu veritatibus a Deo revelatis; Marci cap. ult. 15. ait Christus: *Praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit... salvus erit;* Joann. XX. 31: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus;* Rom. X. 9: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris;* Act. VIII. 37. Philippus nil aliud ab eunucho, ut baptizaretur, exegit, quam fidem in Christum, dicens: *Si credis ex toto corde, licet;* respondit porro eunuchus: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Quidnam vero in his aliisque textibus de haereticorum fiducia?

451. Praxis, quae ab aetate apostolica in universa obtinuit ecclesia, nil aliud suadet. Siquidem ad tingendos catechumenos non exigebatur nisi professio fidei praecipuorum articulorum, qui in symbolo continentur.

452. Post haec supervacaneum est Patres singillatim appellare ad eamdem veritatem adstruendam, quorum unanimis consensus est, necessariam ad justificationem esse fidem dogmaticam, seu historicam, ut eam vocant adversarii. Horum testimonia per saecula digesta profert Bellarminus. [1] Huic principio innixi declararunt haereticis nullam patere viam ad salutem, eo quod non acquiescerent fidei ab ecclesia traditae. De haereticorum fiducia nullum penes ipsos vestigium occurrit. Omnes illam fidei notionem tenuerunt, quam praebet Apostolus [2]: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, seu persuasio et convictio intellectus eorum quae non apparent.

453. Ratio ipsa novatorum commentum excludit; fides enim seu fiducia

[1]) *De justific.* lib. I. cap. 9. [2]) Hebr. XI. 1.

de dimissis sibi peccatis ipsam justificationem necessario supponit ac subsequitur, eam igitur non efficit. Praeterea in hac hypothesi inutilis foret oratio, qua petitur dimissio peccatorum, cum quisque fide tenere debeat jam sibi illa fuisse dimissa. Demum qui fieri potest, ut ante justificationem quispiam credat sibi dimissa peccata esse, si ante illam ex protestantium systemate nulla homo libertate fruitur?

DIFFICULTATES.

454. Obj. Christus ad remissionem peccatorum nonnisi fidem postulat; Matth. IX. 2: *Videns fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;* et ibid. v. 22. ad haemorrhoissam: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Hinc Marc. XI. 24. eamdem fiduciam inculcat discipulis suis dicens: *Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis;* igitur et remissionem peccatorum; Paulus vero, Act. XIII. 38: *Notum sit vobis,* dicebat judaeis, *viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ... in hoc omnis, qui credit, justificatur;* et in epist. ad Ephes. III. 22. de Christo scribit: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus.* His consonat fidei definitio ab eodem Apostolo exhibita, Hebr. XI. 1: *Fides est sperandarum substantia* (graece ὑπόστασις, *expectatio*) *rerum;* fides igitur non est nisi expectatio promissionum Dei seu remissionis peccatorum. Sane cum aliquid nobis promissum aut oblatum est, sufficit acceptatio ad illud obtinendum; porro justificatio nobis a Christo promissa et oblata est. Ergo.

455. Resp. *D. A.* Christus ad remissionem peccatorum fiduciam postulat, quae profluat ex firmo assensu iis omnibus, quae Deus revelavit, *C.* fiduciam de dimissis sibi peccatis ad mentem protestantium, *N.* Quod patet ex scopo, quem Christus habuit divinam suam comprobandi missionem. Ad hunc finem sua ordinabat miracula, ut crederetur Filius Dei, adeoque ab iis omnibus, qui suam efflagitabant opem, fidem immo et fiduciam in se exigebat, ut beneficia sive temporalia, sive spiritualia consequerentur. Hoc luculenter vel ex iis ipsis, quae nobis objiciuntur testimoniis, palam fit. Sane utrumque beneficiorum ordinem spectabant, quae Christus dixit paralytico; sanitatem corporalem, quae dixit haemorrhoissae, aut leproso, Luc. XVII; Marc. vero XI. Christus vim et efficaciam orationis commendat, quae fiduciam supponit in eum, a quo aliquid petitur. Apostolus, Act. XIII. remissionem annunciat peccatorum obtinendam ex fide in Christum, ejusque doctrinam. Ephesiis inculcat spem ac fiduciam, quam in Christo reponere debebant. Ideo vero Hebr. XI. fides dicitur: *Sperandarum substantia rerum,* quia spei fides fundamentum est; res porro sperandae, de quibus hic loquitur Apostolus, sunt aeterna retributio et ea quae illam comitantur, ut patet ex contextu, addit siquidem: *Argumentum non apparentium.* Dogmaticam autem esse hanc fidem, ex universa orationis serie patet; sequitur enim: *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei ... Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* hinc patriarcharum ac

justorum fidem commendat, qua firmo assensu Dei crediderunt omnipotentiae, fidelitati, veracitati. Nuspiam vero vel mentio injicitur fiduciae de dimissis sibi peccatis per apprehensam justitiam. Nondum enim in scenam prodierunt hujus fiduciae architecti Lutherus et Calvinus.

456. In eo quod subditur de acceptatione promissi vel oblati verissimum est, si promissio et oblatio sint absolutae, non item vero si conditionatae, ut in casu nostro; ut enim legitur Deut. IV. 29: *Invenies eum, si tamen toto corde quaesieris;* et Act. II. 38: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum,* et alibi passim. Ast novatoribus conditiones istae non arridٍent, ideo falsa fiducia decipiunt animas suas.

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

457. Tria corollaria, veluti totidem justificationis proprietates, eruerunt novatores ex fundamentali principio de fide extrinsece ac instrumentaliter justificante; ac 1°. justificationem certam esse certitudine fidei, ita ut unusquisque fide teneat, se Deo carum et acceptum esse per justitiam imputativam Christi vel Dei; 2°. justificationem hanc aequalem in omnibus esse, eo ipso quod justitia Christi aut Dei sit: 3°. inamissibilem justificationem esse, nisi fides amittatur juxta lutheranos, aut absolute juxta calvinistas.

458. Ad tam perniciosas et commentitias justificationis proprietates convellendas, has opponimus propositiones.

PROPOSITIO I.

Nemo, sine speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione; nec fide proinde tenetur credere se esse justificatum.

459. Duas complectitur partes enunciata propositio, quarum prior *certa* est, et adstruitur adversus Ambrosium Catharinum autumantem posse quempiam fide *divina* certum esse de propria justificatione, quamvis ea non conferat justificationem, in quo differt a protestantibus; posterior dogmatica est, atque statuitur adversus protestantes.

460. Certam diximus priorem partem, quia praeter communem theologorum doctrinam, quae Catharini sententiae adversatur, aperte traditur a conc. tridentino his verbis [1]: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* De fide porro esse alteram propositionis partem, constat ex canon. Tridentini,

[1]) Sess. VI. cap. 9.

nempe 13: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit;* et 14: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum; et hac sola fide absolutionem ac justificationem perfici; anathema sit.*

461. Quamvis porro excludatur certitudo fidei, non adimitur tamen certitudo *moralis* aut verius *conjecturalis,* quam justus habere potest de statu gratiae, ex qua oritur conscientiae pax atque tranquillitas, qua passim justi fruuntur.

462. Cum vero altera propositionis pars a veritate prioris veluti a suo fundamento pendeat, utriusque veritatem simul hoc argumento complectimur: Nemo tenetur fide divina credere se justificatum esse, si nemo divina fide sine speciali revelatione certus esse potest, se esse justificatum. Atqui.

463. Etenim aperte Scripturae ejusmodi certitudini refragantur; Eccles. IX. 1. legitur: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Prov. XX. 9: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Quapropter Apostolus de se scribebat [2]: *Nil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.*

464. Tantum vero abest, ut Patres hanc sibi certitudinem tribuerint, ut, nemine excepto, magnum semper hac in parte timorem patefecerint; satis hic sit s. Augustini auctoritatem urgere, qui verba Ps. XLI. enarrans: *Ad me ipsum anima mea turbata est,* scribit: *Novi, quia justitia Dei mei manet, utrum mea maneat, nescio.* Et in lib. *De perf. justit.* c. 15. n. 33: *Quantalibet,* inquit, *justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum.* Hac doctrina enutriti sancti omnes timuerunt usque ad extremum vitae spiritum.

465. Ratio ipsa catholicae veritati suffragatur: Ut enim quispiam certo, immo de fide justificatum se esse teneat, debet certus esse, se prae se tulisse dispositiones ad justificationem necessarias. Ecquis porro, salva speciali revelatione, hoc novisse poterit? Sane non aliunde perniciosum hoc protestantium systema ortum est, quam ex eo, quod omnes rejecerint ad justificationem dispositiones. Nec tamen adhuc certitudinem illam, quam praedicant, ipsi habere possunt, cum numquam ipsis constet, utrum habuerint necne fidem suam instrumentalem ad arripienda merita seu justitiam Christi. Requirunt praeterea opera bona, ut indicium adeptae justificationis; dum ex altera parte docent peccata ipsa turpissima nec fidei nec justificationi obesse. Quam pulchre omnia sibi cohaerent in protestantium doctrina!

[2]) I. Cor. IV. 4.

DIFFICULTATES.

466. I. Obj. 1. Textus Ecclesiastae sic ad verbum reddi debet: *Et amorem et odium non sciens homo, omnia ante eos;* non igitur evincit quod catholici contendunt; 2. eo vel magis quod sermo ibidem sit de iis, quae in praesenti vita contingunt, cum immediate adjiciatur: *Eo quod universa aeque eveniunt justo et impio.* 3. Contra vero principii loco assumit Apostolus omnimodam certitudinem de propria justificatione, scribens [3]: *Certus sum, quia neque mors, neque vita... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in C. J. D. N.* 4. Cujus rei rationem tradit ibid. v. 16. dicens: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei;* porro Spiritus Sancti testimonium infallibile est. 5. Hinc sic fideles provocabat [4]: *Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis.* 6. Ac iterum: *Accepimus,* inquit [5], *Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis*; et alia ejusmodi apud eumdem occurrunt, quae hanc certitudinem supponunt. 7. Neque aliter loquitur Joannes, Ep. I. cap. V. 13. ubi haec habet: *Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei,* ideoque eadem ratione certi sumus Christum in nobis esse; ac nos fidem habere in Christum, prosequitur proinde, v. 19: *Scimus quoniam ex Deo sumus;* et cap. III. 14: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres;* et Apoc. II. 17: *Vincenti dabo manna absconditum... quod nemo scit, nisi qui accipit.* Ergo.

467. Resp. Ad 1. *D.* Ita ut sensus idem sit, *C.* diversus, *N.* Hoc unum intercedit inter utramque versionem discrimen, quod hieronymiana elegantius eumdem sensum exhibeat.

468. Ad 2. *N.* Alioquin non dixisset Ecclesiastes: *Omnia ante eos,* seu *omnia in futurum servantur incerta;* significat autem, ex iis, quae in praesenti vita justis et impiis, bonis ac malis contingunt, haud posse cognosci utrum Deo accepti homines sint an non, cum prospera et adversa aeque utrisque eveniant.

469. Ad 3. *N.* Ad prob. *D.* Divina caritate et ope fretus *confido* nihil me separaturum a Deo, *C.* certus sum ex accepta justificatione, *N.* Hic posterior sensus omnino adversatur menti Apostoli, qui caritate fervens post tot gratiae beneficia, quae a Deo fuerat consecutus, erumpit in allegata verba; ad eum modum quo Psalmista de se testatur: *Ego dixi in abundantia mea: Non movebor in aeternum.* (Ps. XXXIX. 7.)

470. Ad 4. *D. min.* Testimonium Spiritus S. est infallibile in se, *C.* respectu nostri, *N.* Suspicio enim semper suboriri potest, ne a spiritu malo transfigurante se in angelum lucis decipiamur, ut non semel contigit.

[3]) Rom. VIII. 38.
[4]) II. Cor. XIII. 5.
[5]) I. Cor. II. 12.

471. Ad 5. *D.* Ita ut ejusmodi probatio ac tentatio pro objecto habeat fidem miraculorum operatricem, et quidem respectu totius fidelium coetus, *C.* fidem theologicam de adepta justificatione, respectu uniuscujusque individui, *N.* Scopus Pauli hic est ostendere, se verum esse apostolum Christi ex virtute miraculorum, quam ejus ministerio Deus illis communicaverat, uti etiam exponit s. Jo. Chrysostomus.

472. Ad 6. *D.* Ut sciamus beneficia, quae per Christi mysteria collata sunt humano generi ac toti ecclesiae, *C.* individuis seorsum sumptis per fidem illam, quam commenti sunt adversarii, *N.* Haec enim aliaque ejusmodi coetum universum afficiunt, absque ullo ad individua seorsum sumpta respectu, ad commendationem divinorum beneficiorum.

473. Ad 7. *D.* Qui veram fidem habet, habet vitam etiam aeternam inchoatam et in spe, *C.* absolute, *N.* Perfici autem haec debet, donec obtineatur in re. Quid autem hoc commune habet cum adversariorum fide? Quae adjiciuntur, attingunt coetum ipsum, uti paulo ante animadvertimus. In Apocalysi sermo est de interiore quadam animi suavitate, quam Deus identidem sanctis communicat, quae tamen numquam omnimodam praebet certitudinem.

474. II. Obj. 1. Utriusque ecclesiae Patres passim certitudinem de adepta justificatione praedicant, ob quam fideles hortantur ad gratias Deo agendas. 2. S. Augustinus inter caeteros docet nos non dicere [6]: *Dimitte nobis peccata nostra, quae remissa credimus in baptismo, nisi de ipsa fide dubitemus.* 3. Sane nisi ita esset, in perpetua fluctuatione animi versaremur et anxietate, cum tamen dicat Apostolus [7]: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Ergo.

475. Resp. Ad 1. *D.* Docent Patres nos habere posse certitudinem conjecturalem, aut etiam *moralem* ortam ex bonae conscientiae testimonio, *C.* omnimodam ac de fide, *N.* Nuspiam enim hoc Patres docuere, sed ad fidelium tranquillitatem et ad anxietatem tollendam jure docebant, prout et ecclesia docet, satis esse pace illa frui, quae oritur ex recte factis; juxta illud I. Joann. III. 21: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

476. Ad 2. *D.* Suppositis praesumptisque necessariis dispositionibus ad rite suscipiendum baptismum, *C.* alio sensu, *N.* Alloquitur enim s. Doctor neophytos, quos ipse informaverat ad baptismum; ex praesumptione proinde, ut aiunt, quod necessarias ad illum dispositiones attulerint, objecta protulit verba.

477. Ad 3. *Neg.* Nam inter certitudinem fidei, nimiamque animi anxietatem est via media, securitas scilicet illa ac tranquillitas quam parit bona conscientia. Quaevis alia securitas illusio aut praesumptio est. Magis confert ad animi pacem doctrina catholica, quam stulta haereticorum sententia. Juxta lutheranos enim, cum fides ab ipsis excogitata imminui ac amitti possit,

[6]) *Tract. in Ps.* LXXXVIII. et alibi. [7]) Rom. V. 1.

numquam certus quispiam esse potest de sua justificatione; cum vero juxta calvinistas eadem propria tantum electorum sit, nemo scire potest se electum esse, adeoque nec se esse justificatum.

PROPOSITIO II.

Accepta justitia conservatur et augetur per bona opera coram Deo; non est proinde in omnibus aequalis.

478. De fide est a Tridentino, Sess. VI., sancita canone XXIV: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam; anathema sit.*

479. Doctrina novatorum de aequali justificatione in omnibus profluit ex principio de externa Christi justitiae imputatione, ac de sola fide justificante absque ulla praevia dispositione. Cum vero bona opera sint fructus ac indicia adeptae justificationis, nihil ea conferunt ad salutem, prout nihil nocent peccata, quae propter fidem ad poenam non imputantur.

480. Jam vero sacrae litterae 1°. exhibent nobis justos proficientes in sanctitate. Siquidem Prov. IV. 18. legitur: *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem;* et Apostolus scribit [1]: *Deus augebit incrementa frugum justitiae vestrae:* Apoc. demum XXII. 11: *Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus sanctificetur adhuc.* Augeri igitur magis ac magis potest justorum sanctitas, ac perfici semel adepta justificatio. 2°. Exhibent caritatem, quae vel cum justitia identificatur, vel ab ea saltem inseparabilis est, plures posse gradus admittere; sic Joann. XXI. 15. Petrum Christus interrogat: *Diligis me plus his?* et ibid. XV. 13: *Majorem caritatem,* inquit Christus, *nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* ac I. Joann. IV. 18: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* 3°. Docent propterea diversitatem praemiorum pro diversa meritorum ratione rependendam in aeterna retributione fore, ut suo loco ostendimus.

481. De Patrum hoc in articulo doctrina nullum dubium esse potest. Satis hic sit s. Augustini verba recitare ex *Tract.* VI. *in Joann.* n. 8. ubi: *Ipsi sancti,* inquit, *in ecclesia ... sunt alii aliis sanctiores, alii aliis meliores.*

482. Rationem porro theologicam hanc reddit hujus veritatis s. Thomas, scribens [2]: *Prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio ecclesiae consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum.*

483. Cum vero commentum hoc protestantium non sit nisi corollarium de justitia exterius imputata, quam superius refellimus, ideo a difficultatibus afferendis hic supersedemus, quas jam dissolvimus.

[1]) II. Cor. IX. 10.

[2]) I. 2. qu. 112. art. 4.

PROPOSITIO III.

Justificatio est amissibilis, et amittitur per subsequens peccatum lethale.

484. Et haec propositio de fide est, sic enim in cit. Sess. conc. tridentinum, can. XXIII., eam definivit: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum... anathema sit.*

485. Ferit hic canon calvinianos docentes, fidem adeoque et justificationem, quae ab ea gignitur, inamissibilem esse; ac eum qui proinde semel justificatus est, amplius peccare non posse, aut ad poenam, si quae patrentur peccata, non imputari. Hoc privilegio in istorum hypothesi soli electi fruuntur, quum reprobi nec fidem nec justificationem umquam adipiscantur.

486. Impium autem et absurdum hoc paradoxum sacrae litterae evertunt, dum 1°. admonent justos, ne a justitia excidant; 2°. declarant reum illico eum constitui, qui se peccato polluit; 3°. plures sive reprobos sive electos exhibent in gravissima facinora dilapsos, ac Dei inimicos constitutos.

487. Primum patet ex Christi verbis [1]: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,* alloquitur porro discipulos suos electos; item ex verbis Apostoli [2]: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; tum [3]: *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time;* et alibi passim.

488. Alterum evincunt, quae Ezech. XXXIII. 12. leguntur: *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit;..... Etiamsi dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua, fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.*

489. Tertium denique constat ex angelis malis, et ex Adam, Saule, Davide, Salomone, Petro aliisque magno numero, qui justi prius erant, graviterque peccarunt, et ex his alii culpas eluerunt, alii vero in peccato mortui sunt.

490. Ex Patribus unum laudamus Augustinum [4], qui totus in eo est, ut evincat hominem, *si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, esse corripiendum, quia acceptam gratiam suo in malum libero amisit arbitrio.* Cyprianus vero, Ambrosius, Pacianus caeterique omnes, qui adversus montanistas aut novatianos facultatem a Christo ecclesiae traditam, de quisbusvis remittendis utut gravibus peccatis post Baptismum patratis, propugnarunt, eamdem profecto doctrinam supponunt.

491. Absurda immo et impia corollaria, quae ex novatorum doctrina profluunt, Grotius, protestans et ipse, in *Discussione Apologiae Riveti,* his verbis patefacit: *Christiani pectoris est horrescere ea dogmata, quae pietati*

[1]) Matth. XXVI. 41.
[2]) I. Cor. X. 12.
[3]) Rom. XI. 20.
[4]) *De corrept. et gratia,* cap. 6 et seqq.

nocent, quale illud est a nonnullis defensum: Pecca fortiter, sed crede fortius; et nihil nocebunt tibi centum homicidia, et mille stupra. Hic sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quempiam debere justitiam Christi sibi imputari. Attamen hi sordidi haeretici se reformatores ecclesiae jactarunt.

DIFFICULTATES.

492. I. Obj. Scripturae caritatem, adeoque et fidem, sine qua caritas dari nequit, inextinguibilem ac insuperabilem exhibent; nam Cant. cap. VIII. 7. dicitur: *Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem;* et Christus [5]: *Qui biberit,* inquit, *ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed... fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* et Apostolus [6]: *Certus sum, quia neque mors, neque vita ... poterit nos separare a caritate Dei.* Ergo.

493. Resp. *D. A.* In se, *C.* in nobis, *subd.* nisi velimus, C. secus, *N.* Caritas utique in se neque extingui, neque superari potest, prout etiam quamdiu illa in nobis est, mirabiles illos effectus producit, qui de ea praedicantur. At nos possumus illam admittere, ab eaque excidere; alioquin non diceretur, Apoc. II. 4: *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris;* et Gal. V. 4: *A gratia excidistis.*

494. II. Obj. Saltem electi a caritate excidere non possunt, 1. dicente Apostolo [7]: *Quos justificavit, hos et glorificavit.* 2. Hinc I. Joann. III. 9. legitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare potest, quia ex Deo natus est;* et iterum ibid. cap. V. 18: *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* 3. Contra vero de reprobis scribit ibidem Apostolus, cap. II. 19: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Adeoque reprobi, qui peccant, numquam fuere justificati. Ergo.

495. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Glorificavit in hac vita donis, quibus illos ditavit, *C.* in altera vita, *subd.* praevisa illorum perseverantia finali, *C.* vi solius justificationis in sensu novatorum, *N.* Prior expositio Patrum graecorum est, ac favet graecus textus: *gloriosos effecit*, seu ut vertit s. Ambrosius, *magnificavit;* posterior est s. Augustini caeterorumque Patrum latinorum, qui eum secuti sunt; in hac porro expositione ideo justificati glorificantur, quia eorum praevisa a Deo est in gratia perseverantia usque in finem, cum tamen potuerint non perseverare, ut patet ex iis omnibus, qui licet justificati exciderunt.

496. Ad 2. *D.* Qui natus est ex Deo, non peccat, quamdiu semen ac generatio Dei in eo manet, seu in sensu, ut vocant, reduplicativo, *C.* si generationem illam justus per peccatum abjiciat, seu in sensu absoluto, *N.*

[5]) Joann. IV. 13.
[6]) Rom. VIII. 38.
[7]) Rom. VIII. 30.

Siquidem vel ipse Joannes, ibid. cap. III. 7. scripsit: *Filioli, nemo vos seducat;* et: *Haec scribo vobis ut non peccetis.* Hinc s. Augustinus de justo scribit [8]: *In quantum in ipso* (Christo) *manet, in tantum non peccat.*

497. Ad 3. *D. Non erat ex nobis* secundum aeternam praedestinationem, *C.* secundum temporalem sanctificationem, *N.* Ita s. Augustinus his verbis [9]: *Quid est, quaeso, non erant ex nobis? Nonne utrique a Deo vocati fuerant et vocantem secuti, utrique ex impiis justificati, et per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed si hoc audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset et dicere: vera sunt haec, secundum haec omnia ex nobis erant; verumtamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis.*

498. III. Obj. 1. S. Gregorius M. de reprobis scribit [10], quod *ante oculos Dei numquam veram sanctitatem habuerunt;* 2. contra vero s. Leo M. ita Petrum, qui erat electus, alloquitur [11]: *Vidit in te Dominus non fidem victam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam.* Eadem scripsit s. Bernardus. [12] Quod 3. ratio suadet, quia alioquin electi, si a caritate exciderent, essent objectum odii simul et amoris, quod implicat. Ergo.

499. Resp. Ad 1. *D.* Falsi justi, de quibus hic loquitur s. Gregorius, *C.* reprobi, *N.* Subdit enim: *Saepe namque homo multis occulte peccatis involvitur, et in una aliqua virtute magnus videtur.* De reprobis nec verbum hic habet s. pontifex.

500. Ad 2. *D.* Significans Petrum directe neque contra fidem, neque contra caritatem peccasse, *C.* indirecte ex timore hominum non peccasse contra has virtutas, *N.* Laudat enim ibid. s. Leo *lacrymas, quae ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.* Eodem sensu exponi debent, quae ex Bernardo, seu potius ex auctore *Tractatus de amore Dei* objiciuntur. Spurius enim hic tractatus est.

501. Ad 3. *D.* Essent electi, qui a justitia exciderunt, objectum dilectionis et odii sub diverso respectu, *C.* sub eodem respectu, *N.* Prout enim actu peccatores sunt, sunt objectum odii juxta illud Sapient. XIV. 9: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus;* prout autem electi sunt, a Deo diliguntur in ordine ad collationem gratiae, qua a peccatis recipiscant, et in statu gratiae usque ad finem perseverent.

[8]) *Tract.* IV. *in Epist.* I. *Joann.* n. 8.
[9]) *De dono persev.* cap. 9. n. 21.
[10]) *Moral.* lib. XXXIV. cap. 15.
[11]) *Serm.* IX. *de Passione.*
[12]) *De amore Dei,* lib. II. cap. 6.

PARS TERTIA.

DE MERITO.

502. Meriti ratio in operibus ex gratia et in gratia patratis consistit, quibus justus *fructificat Deo*, ut loquitur Apostolus, et jus acquirit ad gratiae sanctificantis et gloriae, cujus in se pignus certissimum habet, augmentum.

503. Haeretici saec. XVI. nullum ejusmodi meritum in justo agnoscunt, immo horrent ad meriti nomen, utpote jactantiae ac superbiae non ferendae. Idque colligunt ex praejacto systemate de gratia seu justitia Christi extrinsecus imputata, ac de originali noxa cum suis actibus jugiter in justificato perseverante. Hoc enim fit, ut inutile evadat meritum quodcumque, quod esset Christo injuriosum; bona opera vel nulla sint prorsus, quia inquinata concupiscentia, quae illa inficit, vel indicia tantummodo sint adeptae per fidem justificationis: homo semper peccet, nec divina mandata adimplere possit, quorum tamen transgressiones justo non imputantur ob fidem qua apprehendit merita Christi. Hac ratione viam novatores invenerunt humilitatis, cujusvis innoxii inquinamenti, eximiaeque sanctitatis, ac securitatis omnimodae adipiscendi vitam aeternam. Pretiosum certe inventum ethnicis incompertum ac islamitis.

504. Vindicias catholicae acturi doctrinae, praemittemus meriti notiones; ejusdem deinceps meriti existentiam tuebimur; ea demum expendemus, quae meriti objectum constituunt.

CAPUT I.

PRAENOTIONES.

DOCTRINA ECCLESIAE CATHOLICAE ET THEOLOGORUM OPINIONES CIRCA MERITUM.

505. Melius catholicam de merito doctrinam exponere non possumus quam iis verbis, quibus usum est Tridentinum, quae ita se habent [1]: *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita aeterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus ac meritis fideliter reddenda... Cum enim ille ipse Christus Jesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, et divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint,*

[1]) Sess. VI. cap. 16.

consequendam vere promeruisse censeantur... Ita neque propria nostra justitia tamquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quae enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem justificamur illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam, qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede carituram; et Apostolus testetur, id, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis; absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita quae sunt ipsius dona. Hanc deinceps doctrinam sanxit can. XXVI et XXXII. quos inferius describemus.

506. Ex qua doctrina colligimus 1°. justos vere mereri augmentum gratiae sanctificantis, vitam aeternam et augmentum gloriae. 2°. Hanc merendi virtutem inniti gratuitae Dei misericordiae ac promissioni, et Christi meritis, a quibus justorum opera totam vim suam hauriunt. 3°. Denique merita nostra esse dona Dei, qui gratia sua actuali et sanctificante nos ditat, atque ut loquitur s. Augustinus [2]: *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua.* Ex his autem liquet, utrum doctrina catholica christianam humilitatem commendet, nec ne, uti protestantes calumniantur.

507. Et haec quidem totidem fidei dogmata sunt. His catholici theologi majoris declarationis gratia adjiciunt: meritum distingui in illud, quod vocant *de condigno* seu presse sumptum; et in illud, quod *de congruo* appellant seu late ac improprie dictum. Siquidem prius oritur ex justitia, posterius ex decentia, ut in *Tract. de Incarnat.* exposuimus, cum ageremus de Christi merito.

508. Distinctio haec fundatur in illis Augustini verbis, quae loc. cit. habet: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetret. Neque enim nullum est meritum fidei.* Porro haud censuisse s. Doctorem hoc meritum esse proprie dictum, constat ex iis quae ibidem subdit: *Nulla ne sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt. Sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* Est igitur meritum improprie dictum, seu de congruo, ante justificationem, ac meritum proprie dictum post justificationem: quod conceptis verbis docuit s. Thomas. [3]

509. Haec nunc apud omnes rata sunt; attamen fidem non attingunt, cum nulla edita de illis ab ecclesia definitio fuerit, et scholae in diversas abierint sententias, uti ostendit Bellarminus. Post damnationem prop. XIV. Baji: *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem quam justo Dei judicio mereantur accipere,* certum evasit justos ex Dei liberalitate supra condignum remunerari.

[2]) *Epist.* CXCIV. cap. 5. n. 19.

[3]) I. 2. qu. 114. art. 3.

510. Sic etiam de fide non est, justos per singula opera bona augmentum gratiae aut gloriae mereri, cum non desint qui censeant, *bonum opus non esse meritorium vitae aeternae, nisi ex caritate procedat*, ut Bellarminus loquitur et sentit. [4] Secus alii contendunt, ut Vasquez. [5]

511. De fide denique non est, justum posse pro alio quidpiam mereri sive de condigno sive de congruo; aut sibi etiam perseverantiam, aut resipiscentiam post lapsum; sententia tamen afirmans, justum saltem de congruo sibi et aliis aliquid mereri posse, communis est.

CAPUT II.

DE EXISTENTIA MERITI.

512. Protestantes ad unum omnes, ut vidimus, ex praejactis a se circa justitiam imputativam principiis, colligunt, nullum meritum sub quovis respectu admitti posse. Catholici e converso ex principio de justitia inhaerente statuunt, verum justos meritum posse sibi comparare. Cum his sit

PROPOSITIO:

Justi per bona opera ex gratia facta vere merentur gloriam aeternam ejusque augmentum.

513. De fide est propositio ex Tridentino, Sess. cit. can. XXVI: *Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerunt facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit;* et can. XXXII: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et J. C. meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit.*

514. Luculenter porro assertam catholicam doctrinam Scripturae adstruunt, dum vitam aeternam *coronam* vocant *justitiae, bravium, mercedem.* Sane Apostolus de se scribit [1]: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Et: *Nescitis*, inquit [2], *quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis;* et iterum [3]: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* demum cap. XV. ostensurus diversam fore retributionem pro meritorum diversitate, scribit v. 41: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate; sic*

[4]) *De Justific.* lib. V. cap. 15.
[5]) *In s. Thom.* I. 2. disp. 217. cap. 2 seqq.
[1]) II. Tim. IV. 7.
[2]) I. Cor. IX. 24.
[3]) Ibid. cap. III. 8.

et resurrectio mortuorum. Merces autem, corona ac bravium relationem ad meritum dicunt.

515. De Patribus nulla quaestio esse potest; dogma enim catholicum constanter inculcant. S. Irenaeus: *Pretiosam,* inquit [4], *arbitremur coronam, videlicet quae per agonem nobis acquiritur.* Tertullianus scribit [5]: *Ordo non aliud, quam meritorum dispositor. Merita autem quum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, ut possit esse meritorum.* Reliquis vero omissis, s. Augustinus, Ep. CXCIV. cit. verba protulit, quae paulo ante descripsimus; in lib. autem I. *De morib. eccles.*, cap. 25. n. 55. haec habet, quae universum haereticorum systema evertunt: *Vita aeterna est totum praemium, cujus promissione gaudemus. Nec praemium potest praecedere merita, priusque homini dari, quam dignus est. Quid enim hoc est injustius, et quid justius Deo? Non ergo debemus poscere praemium, antequam mereamur accipere.* Demum conc. arausicanum II. cap. 18. decrevit: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.*

516. Cujus quidem doctrinae ratio in promptu est. Omnium consensu, debebit olim judicium a Deo de hominibus institui; porro judicium supponit discussionem meritorum in ordine ad retributionem; ut enim loquitur Augustinus [6]: *Non quia nullum est meritum vel bonum piorum, vel malum impiorum: alioquin quomodo judicabit Deus mundum?* Scribit tamen Apostolus [7]: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ergo.

DIFFICULTATES.

517. I. Obj. 1. Vita aeterna ex Scripturis est *haereditas;* haereditas autem filiis ex solo filiationis jure debetur, seu adoptionis. 2. Est praeterea *misericordia* juxta illud, Ps. CI. 4: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* 3. Est *gratia*, dicente Apostolo [8]: *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita aeterna,* quamvis antithesis videretur exposcere, ut diceretur: *Stipendia bonorum operum vita aeterna.* Gratis igitur omnino confertur. 4. Praesertim cum Christus quodvis meritum deneget operibus nostris dicens [9]: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* 5. Immo non solum inutilia sunt opera nostra, sed et immunda, ex Is. LXIV. 6: *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae;* ergo non praemium, sed indignationem potius opera nostra merentur.

518. Resp. Ad 1. *Dist. maj.* Etiam, *C.* solum, *N.* Siquidem vita aeterna vocatur praeterea *corona et merces*, ut vidimus, utroque proinde titulo tribuitur, haereditatis et mercedis, qui posterior titulus in priore fun-

[4]) *Contr. haeres.* lib. IV. cap. 37. n. 7.
[5]) *De resurr. carnis,* cap. 48.
[6]) *Ep.* CCXIV. *ad Valentin.* n. 4.
[7]) II. Cor. V. 10.
[8]) Rom. VI. 23.
[9]) Luc. XVII. 10.

datur. Sic etiam, *D. min.* Haereditas debetur filiis naturalibus, *Tr.* vel *C.* adoptivis, *subd.* si absolute adoptati fuerint in ordine ad haereditatem, *C.* si conditionate, *N.* Conditionata vero est adoptio nostra, in ordine ad haereditatem, dicente Apostolo: *Si compatimur, ut et conglorificemur.* Soli infantes jure haereditario vitam aeternam adipiscuntur.

519. Ad 2. *D.* Est corona misericordiae simul et justitiae, *C.* solius misericordiae, *N.* Ut constat ex dictis.

520. Ad 3. *D.* Quatenus omne meritum nostrum a Dei gratia incipit et in ea fundatur, *C.* ad exclusionem nostrae cooperationis, *N.* Ita Augustinus [10], qui animadvertit potuisse Apostolum recte dicere *stipendium justitiae vita aeterna*, prout reipsa aequivalenter dicit [11]: *Reddet* Deus *unicuique secundum opera ejus; iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam.*

521. Ad 4. *D.* Ad excludendam jactantiam, *C.* ad excludendum bonorum operum meritum, *N.* Alioquin non dixisset idem Christus [12]: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam;* neque Apostolus scripsisset de justo [13]: *Erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino.*

522. Ad 5. *N.* Loquitur autem Propheta in objecto loco de peccatis ac de fictitiis judaeorum justitiis; subdit enim immediate: *Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos.* De bonis autem justorum operibus jam dixerat: *Occurristi laetanti et facienti justitiam.*

523. II. Obj. 1. Christus nobis meruit vitam aeternam, ergo merita nostra inutilia sunt et Christo injuriosa, perinde ac si illa non sufficerent. 2. Aut saltem dici deberet, gloriam dividi inter Christum et homines, si meritis nostris opus esset ad vitam aeternam comparandam. Ergo.

524. Resp. Ad 1. *D.* Christus meruit nobis vitam aeternam mediate, *C.* immediate, *N.* Scilicet eatenus Servator noster promeruit nobis vitam aeternam, quatenus gratias obtinuit, quibus cooperantes applicaremus nobis merita sua, et hac ratione merentes assequeremur vitam aeternam. Nec enim ita vitam nobis aeternam meruit, ut nos desides immo iniqua gerentes eam obtineremus. Absit. Exinde patet neque inutilia, neque Christo injuriosa merita nostra esse, quae ab eo habent ut talia sint. Cumulatissime itaque Christus pro nobis satisfecit et meruit; sufficientissima praeterea in se sunt merita ejus, ast ut nobis prosint, necesse est, ut ea nobis per bona opera applicemus.

525. Ad 2. *N.* Siquidem sine meritis Christi nulla prorsus essent merita nostra. Nisi vitis influat in palmitem, hic nullum fructum affert.

526. III. Obj. 1. Patres passim docent vitam aeternam gratis nobis a Deo donari, ut s. Basilius; nulla item esse merita nostra, ut Hilarius et

[10]) *De gratia et libero arbitr.* cap. 8 et 9.

[11]) Rom. II. 6.

[12]) Matth. XXV. 23.

[13]) II. Tim. II. 21.

Augustinus aliique apud Bellarminum. [14] Sane 2. ad meritum proportio exigitur inter opus et mercedem; nulla autem inter justorum opera ad vitam aeternam intercedit proportio, dicente Apostolo [15]: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* 3. Nemo potest Deum super omnia ac perfecte diligere. Ergo nemo mereri potest.

527. Resp. Ad 1. *Neg.* Ideo enim Patres interdum gratis vitam nobis aeternam donari docent, quod nullis nostris praecedentibus meritis Deus gratiam contulit, qua illam assequeremur; dixerunt pariter nulla esse merita nostra in se spectata, aut merita naturalia.

528. Ad 2. *Dist. min.* Nulla est proportio durationis et aequalitatis rei ad rem, qualem exposcit justitia commutativa, *C.* dignitatis et meriti, supposita promissione, qualem exigit justitia distributiva, *N.* Quare optime s. Augustinus: *Illo ergo modo,* inquit [16], *possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti; et hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti.*

529. Ad 3. *N.* Tria enim illa per Dei gratiam praestare possumus, quae ad accuratam praecepti divinae dilectionis observationem requiruntur, 1°. ut Deum omnibus praeferamus; 2°. ut nihil nisi in ordine ad Deum diligamus; 3°. ut ad majorem jugiter in Dei amore perfectionem eluctemur.

CAPUT III.

DE CONDITIONIBUS AD MERITUM REQUISITIS.

530. Ut novatores vias omnes merito praecluderent, illas ad meritum constituendum conditiones requirunt, quibus nuspiam reperiri possit. Etenim statuunt 1°. opus sic esse debere numeris omnibus absolutum, ut purum sit a quovis imperfectionis naevo; 2°. ut nullo titulo debitum sit; 3°. ut nostrum sit ac nulla gratia partum; 4°. ut proportionem aequalitatis habeat cum mercede. Contra vero catholici, supposita inter meritum *de condigno ac de congruo* distinctione, alias respective conditiones merito assignant, sive ex parte operantis, sive ex parte operis, sive ex parte retribuentis, quarum aliquae ratae sunt apud omnes, aliae vero in controversiam veniunt.

531. Ad meritum itaque de condigno ex parte *operantis* duas conditiones uti essentiales requirunt, 1°. ut sit viator; 2°. ut sit in statu gratiae.

532. De priore conditione constat ex Christi verbis [1]: *Venit nox, quando nemo potest operari;* et ex Apostolo, scribente [2]: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* De posteriore autem item constat ex Christo dicente [3]: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis;* nec non ex Apostolo, scribente [4]: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut*

[14]) Loc. cit. cap. 5.
[15]) Rom. VIII. 18.
[16]) *Serm.* XVI. *de verbis Apost.* cap. 2. n. 2.

[1]) Joann. IX. 4.
[2]) Gal. VI. 10.
[3]) Joann. XV. 4.
[4]) I. Cor. XIII. 3.

ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Exinde a s. Pio V. et Gregorio XIII. confixae sunt insequentes Baji propositiones, XII: *Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium;* XIII: *Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi;* XVII: *Sentire cum Pelagio qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.*

533. Ex parte *operis* ad verum meritum tria exigunt, 1°. ut sit liberum a necessitate; 2°. ut sit bonum et honestum; 3°. ut sit supernaturale tum ratione entitatis, tum ratione finis. Necessitas primae conditionis est de fide; contradictoria enim doctrina uti *haeretica* damnata est in propos. Jansenii: *Ad merendum vel demerendum* etc., ut in *Tract. de Deo Creatore* ostendimus. Ad alteram conditionem quod attinet, res per se patet, cum nonnisi bonum omni ex parte et honestum Deo placere possit gratumque esse. Tertia conditio ex iis eruitur, quae adversus pelagianos disceptantes ostendimus, opus supernaturale constitui tum ex parte principii, gratiae actualis videlicet, tum ex parte finis seu motivi tendendi in Deum uti auctorem supernaturalis ordinis, ut sic aequalitas exsurgat proportionis cum gloria.

534. Haec certa penes omnes sunt, ast nonnulli, ut innuimus, et inter hos s. Thomas [5], requirunt praeterea, ut opus bonum eliciatur ex imperio caritatis juxta illud Jac. I. 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Alii tamen refragantur.

535. Ex parte Dei retribuentis requiritur demum promissio, prout ex sacris litteris patet, in quibus aeterna vita generico *promissionis* nomine passim designatur; sic Hebr. VI. 12. ait Apostolus: *Fide et patientia haereditabunt promissiones;* et iterum cap. X. 36: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Hoc ipsum declaravit Tridentinum, Sess. VI. cap. 16; poscitque ipsa mercedis natura, quae non redditur nisi ex pacto.

536. Ad meritum de congruo fallibili recensitae conditiones requiruntur, si excipias statum gratiae, et promissionem ex parte Dei, quod sua natura non est nisi *impetratorium*, uti observat Vasquez. [6]

CAPUT IV.

DE OBJECTO MERITI.

537. Duo cadunt sub meritum, gratia et gloria. De gloria jam ostendimus, hominem justum eam de condigno mereri posse perinde ac ejus augmentum.

[5]) I. 2. qu. 114. art. 4.

[6]) In part. III. qu. 114. art. 1. dub. 4.

538. Quod spectat ad gratiam, certum est 1°. primam gratiam actualem nullo modo sub meritum cadere, utpote prorsus gratuitam; 2°. gratiam sanctificantem pariter non cadere sub meritum de condigno, dicente Apostolo [1]; *Justificati gratis per gratiam ipsius;* declaravitque Tridentinum, Sess. cit. cap. 8; insuper 3°. hominem justum posse mereri de condigno gratiae sanctificantis augmentum juxta definitionem Tridentini, ibid. can. XXXII. Quod si justus potest augmentum gratiae sanctificantis mereri, acquirit hoc ipso per justificationem jus ad gratias actuales, quae necessariae sunt ad opera bona perficienda, ex quibus illud augmentum pendet; 4°. posse hominem peccatorem promereri de congruo infallibili, ob divinam promissionem, primam gratiam sanctificantem per contritionem caritate perfectam, tamquam ultimam dispositionem ad illam infallibiliter consequendam, juxta tritum illud Augustini effatum: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetret, neque enim nullum est meritum fidei.*

539. Disceptatur porro inter theologos: 1°. Utrum justus possit sibi veniam mereri post culpam; 2°. utrum sibi praeterea possit mereri perseverantiam finalem; 3°. utrum demum possit justus alteri mereri primam gratiam.

540. Non posse autem de condigno justum aliquid ex recensitis promereri, apud omnes exploratum est. Communior tamen sententia est, cui adhaeret Bellarminus [2], posse justum de congruo fallibili, ex defectu promissionis, sibi promereri reparationem post culpam; posse item justum perseverantiam de congruo fallibili mereri juxta illud Augustini effatum [3]: *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest.* Quod demum spectat ad merendam alteri primam gratiam, nemo est qui dubitet, a solo Christo Salvatore nostro id de condigno praestari posse. Communis tamen sententia est, posse justum de congruo fallibili mereri, seu potius impetrare alterius conversionem, prout s. Stephanus impetravit Paulo, s. Monica Augustino, aliique non pauci. Hortabatur proinde s. Jacobus, in Epist. sua cap. V. 16. fideles: *Orate pro invicem ut salvemini.*

541. Et haec de gratia tum actuali tum sanctificante, nec non de merito, quod ex illis profluit; quam gratiam Deus nobis jugiter tribuat, ut ad eum pervenire possimus meritis Salvatoris nostri Christi Jesu.

[1]) Rom. III. 24.
[2]) *De justific.* lib. V. cap. 21. n. 3.
[3]) *De dono persev.* cap. 5. n. 10.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

PROOEMIUM.

1. *Sacramenti* vox apud latinos, *μυστηρίου* seu *mysterii* apud graecos, generatim usurpatur ad rem arcanam seu latentem significandam. In usu vero ecclesiastico adhibetur ad ritus sacros et symbolicos significandos. Illi porro ritus sensibiles, seu signa externa, juxta doctrinam catholicam spectantur uti vehicula seu instrumenta, quibus Deus, ut nostrae imbecillitati consuleret, gratiam sanctificantem communicat. Definitur autem a Catechismo romano Sacramentum [1]: *Res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet.* Quibus verbis tum natura sacramenti exprimitur, quod debeat esse signum externum; tum auctor, qui est Deus seu Jesus Christus; tum efficacia, significandae scilicet et conferendae gratiae. Quo fit, ut brevius Sacramentum dicatur: *Signum practicum gratiae.*

2. Novatoribus, qui dispescunt gratiam sanctificantem a justificatione consistente in sola externa non imputatione peccatorum ob fidem, qua Christi merita apprehendunt, sacramenta non sunt nisi signa vacua. Nam juxta Lutherum sunt *signa* sive *sigilla* divinarum promissionum ad excitandam fidem; juxta Zwinglium sunt *signa divinae gratiae*, quae ecclesiam certiorem faciunt de suscipientium fide; juxta Calvinum sunt signa vel pignora, quae electum certiorem faciunt de adepta fide divinisque promissis. Anabaptistis sacramenta sunt *signa allegorica* spiritualis vitae; arminianis, socinianis,

[1]) Part. II. cap. 1. n. 9.

mennonitis nudi ritus exteriores sunt, quibus christiani ab infidelibus secernuntur; quackeris *actus spirituales et interni effectus coelestis luminis;* schwedenborgianis *symbola* sunt, quibus Deus et homo invicem conjunguntur; rationalistis denique ritus sunt longe praestantiores ritibus paganorum significatione tum symbolica tum morali.

3. Ex quibus patet novatores omnes abludere in notione Sacramenti a doctrina catholica in eo, quod detrahant eidem vim conferendae gratiae, sectasque recentiores a primaevo protestantismo ortas, illius magis ac magis evolvisse principium, donec nullam amplius in sacramentis cum gratia aut fide etiam necessitudinem agnoscant. Quemadmodum vero sectae omnes haereticae sacramenti notioni detrahunt, sic imminuunt sacramentorum numerum, tolluntque efficacitatem, plus minusve errant circa eorumdem ministrum solemnemque administrationem.

4. Ut igitur veritatem catholicam adstruamus, in quatuor capita tractationem hanc distribuimus, in quibus singillatim de sacramentorum numero, efficacia, ministro deque ritibus, qui in solemni ipsorum administratione usurpantur, disseremus, adjectis nonnullis scholiis ad ea uberius declaranda, quae in controversiam veniunt in catholicis scholis.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NUMERO.

5. Pronum erat novatoribus, ex semel constituta de externa forensi justificatione doctrina, imminuere sacramentorum numerum. Ab initio ancipites in eo figendo haeserunt; demum in binario constiterunt. Recentiores magis principio protestantismi cohaerentes sustulerunt omnia, ac ad meros ritus redegerunt.

6. Catholici e converso, avitae doctrinae insistentes, septem a Christo Servatore nostro sacramenta instituta docent, quae gratiam aut primum conferant aut augeant. Pulchre s. Thomas observat [1], quamdam intercedere analogiam inter naturalem vitam ac supernaturalem; homo quippe nascitur, roboratur, alitur; quod si in morbum incidat, medicina reparatur, deletisque morbi reliquiis, ad pristinam incolumitatem restituitur, propagatur, ac in societate sub legitimis degit magistratibus; haec ipsa in vita supernaturali sacramenta efficiunt, nec umquam ab adepta hac vita hominem deserunt, eumque jugiter comitantur donec ad mundum superiorem ac invisibilem, ad quem ordinatus est, evehant transmittantque.

Septenarium hunc sacramentorum numerum adstruendum jam aggredimur adversus novatores omnes.

[1]) Part. II. qu. 65. art. 1.

PROPOSITIO.

Sacramenta novae legis a D. N. J. C. instituta nec plura sunt nec pauciora quam septem, Baptismus videlicet etc.

7. De fide propositio est, hoc can. I. sess. VII. definita a Tridentino: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a J. C. D. N. instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum; anathema sit.* Duo ex hoc canone definita sunt, septenarius videlicet sacramentorum numerus, divinaque eorumdem institutio, quaeque proinde a nobis sunt evincenda.

8. Quae veritatem divinamque institutionem uniuscujusque Sacramenti singillatim ostendunt, cum de singulis erit sermo, afferemus. Hic ea tantum urgemus, quae septenarium numerum propius attingunt.

9. Haec autem desumuntur ex universae ecclesiae consensu, immo e consensu coetuum christianorum, qui a remotissimis temporibus ab ecclesia romana sive catholica divisi sunt, eamdemque hac in parte cum ea fidem profitentur. Sane vetustissima latinorum Sacramentalia apud Martenium, *De antiquis eccles. ritibus;* graecorum Euchologia apud Allatium, *De perpet. occid. et orient. eccles. consensione,* et in *Graecia orthodoxa;* Armenorum apud Serpos, in *Compendio historico spectante ad relig. Armen.;* aliarumque orientalium ecclesiarum apud Assemanum, in *Biblioth. orientali,* constanter septem signa recensentur ad gratiam conferendam divinitus instituta, quamvis ejusmodi ecclesiae a pluribus saeculis ab ecclesia romana separatae fuerint. Porro admirabilis hujus consensionis seu hujus universalis constantisque consensus nulla alia causa assignari potest, praeter apostolicam eorumdem sacramentorum originem, seu doctrinam ab apostolis traditam de septem sacramentis a Christo institutis, juxta tritum illud Tertulliani effatum [2]: *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

10. Nec minus efficax argumentum suppeditant hujus veritatis Patres tum graeci tum latini, qui, oblata occasione, modo unum modo alterum sacramentum commemorant. De Baptismo et Eucharistia res notissima est passim Patres disserere; quod ultro dant protestantes. De Confirmatione veluti de sacramento a Baptismo distincto expresse agunt Tertullianus, Cornelius Papa, Cyprianus, quorum testimonia suo loco proferemus. De Poenitentia iterum disserunt Tertullianus, Origenes, deinceps vero quotquot impugnarunt montanistas et novatianos. De sacramento Ordinis Joannes Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, Optatus, Augustinus tractant ex professo, si excipias Chrysostomum, adversus donatistas et Aërium. Extremae Unctionis meminit Origenes, Victor antiochenus, Chrysostomus, Innocentius I, aliique

[2]) *De praescript.* cap. 28.

passim de eo disseruerunt. De Matrimonio demum, tamquam de re sacra et sacramento, loquuntur Ignatius M., Tertullianus, Justinus, Athenagoras insequentesque scriptores, quorum omnium, uti praefati sumus, testimonia singillatim proferemus, cum unumquodque sacramentum in specie vindicaverimus.

11. His adjiciendum argumentum ex praescriptione: Ecclesia enim ab immemorabili in sua possessione fuit, ita ut nulla epocha assignari possit, qua aliquod sacramentum primo administrari coeperit, Patres vero et monumenta omnia antiquitatis tamquam de re cognita et in usu posita loquantur.

12. Cum proinde universa antiquitas, ecclesiae omnes, immo et omnes antiquae sectae in his septem sacramentis unanimi consensu convenerint, concludamus oportet, septem nec plura nec pauciora fuisse sacramenta instituta.

13. Dum vero dicimus a Christo instituta haec sacramenta, significamus id immediate eum praestitisse; siquidem de solo extremae Unctionis sacramento posset esse dubitandi ratio quoad mediatam institutionem; jam vero Tridentinum adstruit [3], illud a Christo institutum esse, atque a b. Jacobo apostolo promulgatum.

DIFFICULTATES.

14. I. Obj. 1. Praeterquam quod nuspiam in Scripturis aut Patribus septenarius sacramentorum numerus adstruitur, 2. Patres illum aperte excludunt, cum nonnisi duo vel tria commemorent; sic s. Justinus solius meminit Baptismi et Eucharistiae [4]; ita pariter se gessit s. Cyrillus hierosolym. in suis catachesibus mystagogicis, immo et s. Ambrosius in sex quos de sacramentis libris exaravit, ac his verbis concludit [5]: *Ergo accepisti de sacramentis, plenissime cognovisti omnia;* tria pariter recenset s. Gregorius M. apud Gratianum in cap. *Multi saecularium, Baptismum, Chrisma et Eucharistiam;* s. Augustinus autem reserans doctrinam arcani [6]: *Quid*, inquit, *occultum est et non publicum in ecclesia? Sacramentum Baptismi, sacramentum Eucharistiae;* quod et alibi repetit. 3. Quod si interdum videtur s. Doctor plura commemorare, sacramenti vocem in latiore usurpat significatione, ut patet ex lib. *De peccat. meritis*, cap. 26. ubi nonnullos ritus erga catechumenos adhibitos *sacramenta* vocat. 4. Exinde Patres verba Joann. XIX. 34: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua*, communi consensu de duobus sacramentis a Christo institutis Baptismo et Eucharistia exposuerunt. 5. Septem igitur sacramenta a catholicis excogitata non sunt nisi septem capita bestiae, cui insidet mulier fornicaria, uti exponit angelus in Apocalypsi XVII. 7 seqq. Ergo.

15. Resp. Ad 1. *D.* Nuspiam in Scripturis aut Patribus notis arithmeticis *septem* sacramenta esse dicuntur, prout nec *duo* aut *tria* asseruntur, *C.*

[3]) Sess. XIV. can. 1.
[4]) *Apolog.* L. §§. 65 et 66.
[5]) Lib. VI. cap. 2. n. 5.
[6]) *Enarr. in Ps.* CIII. n. 44.

non traditur in Scripturis aut Patribus unumquodque ex septem sacramentis, *N.* Nec enim agitur de verbis, sed de re; porro ecclesia ex institutione Christi, juxta Scripturarum sensum traditionalem, septem semper agnovit et administravit sacramenta.

16. Ad 2. *N.* Aliud enim est Patres duo vel tria commemorare sacramenta, quia aut ipsorum scopus aut rerum adjuncta ita ferebant; aliud vero caetera excludere, quod numquam fecerunt.

17. Hinc s. Justinus ideo duorum tantum sacramentorum meminit in Apologia sua, quia ad haec recensenda et exponenda ethnicorum calumniae eum impulerunt.

18. S. Cyrillus et s. Ambrosius sibi proposuerunt instructionem catechumenorum, adeoque eos docebant illa tria sacramenta, quae mox erant susceperi. Sane s. Ambrosius non solum administrabat sacramentum Poenitentiae, sed plenam clavium potestatem vindicavit adversus novatianos.

19. Verba, quae ex Gratiano objiciuntur, spuria sunt, et perperam Gregorio M. tributa. S. Gregorius in suo *Sacramentario* non agit nisi de liturgia, attamen in eo exponit ritum administrandi Oleum infirmorum; adeoque jam ex eo quatuor habemus sacramenta.

20. S. Augustinus in objecta *Enarrat.* cum disseruit de Baptismo et Eucharistia, subdit: *Et de caeteris sanctis sacramentis;* ergo alia praeter duo illa, quae in exemplum adduxit, sacramenta proprie dicta agnovit.

21. Ad 3. *D.* Interdum s. Doctor vocem sacramenti in latiore usurpat significatione, *C.* ubi agit de sacramentis, quae admittit ecclesia catholica, *N.* Etenim lib. II. *Contra epist. Parmeniani,* cap. 13. n. 78. confert sacramentum Ordinis cum sacramento Baptismi, dicens: *Quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur;* confert eadem ratione Chrisma cum Baptismo, in lib. II. *Contra litter. Petiliani,* cap. 104; in lib. I. *De adulterinis conjugiis*, cap. 38. confert cum Baptismo *reconciliationem* seu sacramentum Poenitentiae; in lib. V. *De Baptismo*, cap. 20. inter sacramenta, quae valide a malis ministris administrantur, recenset *Olei benedictionem,* seu extremam unctionem; in lib. denique *De bono conjugali*, cap. 29. Matrimonium expresse vocat *sacramentum.* En igitur septem sacramenta in propria significatione a s. Doctore recensita.

22. Ad 4. *D.* Quia haec sunt sacramenta duo praecipua, quae per aquam et sanguinem adumbrata sunt, *C.* in sensu exclusivo, *N.* Interdum vero docent omnia sacramenta a latere Christi fluxisse, ut s. Ambrosius aliique passim.

23. Ad 5. *Nego* ejusmodi sequelam, juxta quam duo sacramenta ab adversariis ipsis admissa, inter bestiae capita recenserentur. Adeo haeretici excaecantur, dum catholicam impugnant doctrinam.

24. II. Obj. 1. Graeci atque orientales a latinis, qui saec. XII. expeditiones in terram sanctam susceperant, doctrinam de sacramentis mutuati sunt. 2. Non ita tamen ut omnia sacramenta adoptaverint, cum constet graecos, armenos, aethiopes et abyssinos accusatos tum a missionariis, ut

vocant, tum a variis scriptoribus, Thoma a Jesu et Guidone Carmelitis, Jobo Ludolpho, Veyssierio Lacrozio, quod non omnia admiserint sacramenta. 3. Nec mirum, siquidem aetate illa, qua latini ad asiaticas oras apulerunt, nondum firmiter constitutus erat septenarius sacramentorum numerus; Magister Sententiarum, Hugo a s. Victore, s. Bonaventura, autumarunt sacramenta Confirmationis et extremae Unctionis ab apostolis fuisse instituta; aut etiam a conc. meldensi, saec. IX; uti de Confirmatione affirmat Alex. Alensis; Jacobus vero de Vitriaco, Durandus aliique Matrimonium e sacramentorum albo expunxerunt. 4. Jure proinde meritoque Cyrillus Lucaris, patriarcha constantinopolitanus, in fidei professione, art. 15. testatur: *Graecorum perpetuam et constantem esse doctrinam, duo tantum sacramenta, Baptismum et Eucharistiam, a supremo legislatore Christo sancita.* Ergo.

25. Resp. Ad 1. *N.* Tum quia ex antiquioribus saec. XII. documentis constat sive apud graecos sive apud orientales septem sacramenta obtinuisse, et fuisse administrata; tum quia si qua umquam aetas fuit, in qua simultates viguerunt graecos inter et latinos, ac proinde minus dispositi graeci ac orientales fuerint ad adoptandos latinorum ritus, illa extitit, cum latini expeditiones in Asiam susceperunt. Absurda igitur est adversariorum hypothesis ac falsa.

26. Ad 2. *D.* Accusati sunt populi illi aut a deceptis aut a deceptoribus, *C.* jure, *N.* Missionarii enim decepti sunt in hac criminatione ab incertis rumoribus et a diversitate rituum, alii autem ut Ludolphus et Lacrozius haeretici decipere voluerunt, adeoque ab Allatio et Renaudotio graviter vapulant.

27. Ad 3. *N.* Magister Sententiarum cum aliis solum censuerunt, non omnia immediate fuisse a Christo instituta sacramenta, sed nonnulla instituta mediate seu per apostolos. Peculiaris autem fuit Alex. Alensis opinio de Confirmatione instituta a conc. meldensi, in quo graviter ille hallucinatus est. Caeterum omnes conveniebant in admittendo sacramentorum numero septenario. Neque ab eo recesserunt Jacobus a Vitriaco et Durandus, qui Matrimonium institutum dixerunt in remedium concupiscentiae; immo Durandus postea emollivit sententiam suam, ut suo loco ostendemus.

28. Ad 4. *D.* Illa scripsit Cyrillus Lucaris mentiendo, utpote auro hollandico corruptus, *C.* vere, *N.* Ob haereticam illam fidei professionem, ex nomine ecclesiae graecae editam, Cyrillus in synodo hierosolym. anno 1672. celebrata, his verbis damnatus est: *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex apostolica traditione praxique perpetua, septem ecclesiae sacramenta, Baptismum videlicet* etc., *sed mentienti duo tantum a Christo in Evangelio fuisse tradita, Baptismum scilicet et Eucharistiam.)* Huic synodo praeiverat Jeremias, patriarcha constantinopolitanus. Fraude detecta, protestantes erubuerunt.

29. III. Obj. Si Patribus et scholasticis auscultandum esset, plura quam septem sacramenta deberent admitti: 1. alii enim, ut graeci, passim monasticam professionem precesque pro defunctis ut sacramenta habent; alii,

uti Tertullianus et Hieronymus, illis accensent virginitatem et martyrium; alii aquam lustralem etc., uti Hugo Victorinus. 2. Pedum lotionem tamquam sacramentum commendant ss. Ambrosius et Bernardus, cum ei non desit divina institutio et gratiae promissio ex Joann. XIII. 8. dicente Christo ad Petrum: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* 3. Tria praeterea distinguuntur Baptismata *fluminis, flaminis et sanguinis;* septem Ordines veluti totidem sacramenta. Ergo.

30. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Analogice, *C.* vera et propria sacramenta, *N.* Scilicet ratione habita operis praestantiae ac operantis dispositionis, docuerunt, quae recensita sunt vim habere producendi illos effectus, quos suapte natura producunt sacramenta Baptismatis et Poenitentiae, ex quadam analogia. Quamvis Hugo Victorinus aquam lustralem, cereos, etc. vocaverit *sacramenta*, in sensu *sacramentalium* usurpasse eam vocem ipsemet declarat, quatenus per ea *devotio exercetur.*

31. Ad 2. *D.* Significatione, *C.* efficacia, *N.* Ideo vocarunt objecti Patres sacramentum lotionem pedum, quia significat venialium peccatorum remissionem. Fatente enim s. Ambrosio, ejusmodi lotio in ecclesia romana non obtinebat. S. Bernardus vero in hoc ipso sermone, in quo confert ablutionem pedum cum Eucharistia et Poenitentia, longe illi ac istis diversam tribuit efficaciam. In nonnullis ecclesiis ante Baptismum fieri consueverat ejusmodi lotio; numquam proinde uti sacramentum admissa fuit. Verba objecta ex Joanne comminationem continent adversus Petri inobedientiam.

32. Ad 3. *D.* Ita tamen ut Baptismata flaminis et sanguinis analogice sic vocentur, *C.* vere et propie, *N.* Quoad septem ordines, qui a nonnullis uti totidem sacramenta habentur, spectantur uti *partes totius potentialitatis,* ut loquitur s. Thomas [7], non autem veluti totidem sacramenta distincta.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM NOVAE LEGIS EFFICACIA SEU EFFECTIBUS.

33. Gratia sanctificans et character duo illi effectus sunt, qui in sacramentis novae legis reperiuntur. Prior omnibus communis est, posterior proprius est trium tantum, Baptismi scilicet, Confirmationis et Ordinis. Rursum gratia sanctificans *primo confertur* per Baptismum ac Poenitentiam peccatorum remissione; in reliquis vero tantum *augetur.* Quo fit, ut duo illa sacramenta nuncupata fuerint *mortuorum*, caetera autem *vivorum*, cum in illis *prima gratia,* in istis *secunda gratia* communicetur. Ad exprimendum peculiarem effectum, ad quem unumquodque sacramentum ordinatum est, obtinuit mos, ut *gratiae sacramentalis* nomine designetur.

34. *Character* definiri solet: *Signum quoddam spirituale et indelebile in anima impressum.* Qui eo insigniti sunt, deputantur ad recipienda vel tradenda aliis ea, quae pertinent ad cultum Dei, ut loquitur s. Thomas. [1]

[7]) ***Suppl.*** qu. 37. art. 1. ad 2. [1]) Part. III. qu. 63. art. 3.

35. Utrumque effectum novatores sacramentis denegant. Ipsi enim, ut vidimus, soli fidei gratiae conferendae vim tribuunt: sacramentorum porro officium est hanc excitare fidem. Quo fit, ut 1°. nullum discrimen agnoscant intrinsecum inter veteris et novae legis sacramenta; 2°. ut verba, quibus conficiuntur sacramenta, concionatoria esse contendant; 3°. veluti barbaram tum vocem tum doctrinam Tridentini rejiciunt de gratia *ex opere operato*; 4°. irrident uti magicam incantationem characterem, quem sacramenta imprimunt.

36. Contra vero catholici docent 1°. sacramenta gratiam conferre, quam significant, vi sua, seu vi ipsis a Deo indita, nempe *ex opere operato* non ponentibus obicem ac rite dispositis, si de adultis sermo sit; 2°. adeoque intrinsece differre sacramenta novae ac veteris legis; 3°. verba, quibus ea conficiuntur, consecratoria esse; 4°. tria demum enumerata sacramenta characterem imprimere.

37. Cum ex vindicata intrinseca sacramentorum efficacia caeterae fluant, idcirco eam propugnabimus, ut exinde veluti corollaria reliqua doctrinae catholicae capita deducamus. Illi deinceps adjungimus quae spectant ad vindicias characteris. Sit igitur

PROPOSITIO I.

Sacramenta novae legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

38. De fide propositio est quoad omnes suas partes, ut constat ex his canonibus concilii tridentini, Sess. VII. nempe can. V: *Si quis dixerit, haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.* Can. VI: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Can. VII: *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; anathema sit.* Can. VIII: *Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.*

39. Jam vero sacramenta gratiam, quam significant, continere, eamque conferre virtute sibi insita, seu ex opere operato, Scripturae, Patres, constansque ecclesiae sensus traditionalis luculentissime docent.

40. Etenim Christus, de Baptismo loquens, ait [2]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Paulus

[2]) Joann. III. 5.

item de ecclesia scribit [3]: *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*; et iterum [4]: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Quibus cohaerent quae Petrus ad compunctos judaeos dixit [5]: *Baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum;* et Ananias ad Saulum [6]: *Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua.* Si igitur propria Baptismi virtus est, ut *mundet*, ut *regeneret, renovet, peccata remittat et abluat*, profecto non ad excitandam solam fidem institutus est, sed ad virtutem propriam exerendam. Quod porro de Baptismo dictum est, ob paritatem materiae de sacramentis reliquis affirmari debet, praesertim cum eadem ratione iisdem effectus tribuantur, uti e. gr. Act. VIII. 17 et 18. legitur de Confirmatione *per manuum impositionem dari Spiritum Sanctum*, et Joann. VI. 55. per Eucharistiam dari *vitam aeternam.*

41. Nec aliter Patres de sacramentorum vi locuti sunt; sic s. Basilius affirmat [7], *Baptismate renovari animam;* s. Gregorius naz. vocat Baptismum *expiationem peccatorum, remissionem delictorum, renovationis ac regenerationis causam* [8], instituitque comparationem inter foetus efformationem in utero matris ac regenerationem, quae fit per Baptismum in aqua. Et haec quidem graeci; latini non minus energice sacramentorum virtutem exposuere; etenim Tertullianus [9]: *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur;* caeteris vero omissis, s. Augustinus sciscitatur [10]: *Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat?* Quare Calvinus non dubitat affirmare catholicos a Patribus fuisse deceptos, *quum non animadverterent has et similes dicendi figuras hyperbolicas esse, et ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt.* [11] Tale est infelicis haeretici effugium!

42. Quod vero spectat ad constantem ecclesiae catholicae sensum circa hunc articulum, non solum liquet ipse ex professione symboli nicaeni: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum;* verum etiam ex praxi baptizandi, immo et confirmandi, et communicandi infantes, etiamsi in his per sacramenta fides excitari nequeat, et tamen semper mundati ab originali noxa, et sanctificati crediti sunt. Hujus argumenti talis vis est, ut se ab illo novatores numquam extricare valuerint.

43. Jam vero si sacramenta novae legis ex insita ipsis vi efficiunt gratiam, quam significant, pronum est inferre adversus protestantes: 1°. Ergo sacramenta novae legis intrinsece et quoad efficaciam differunt a sacramentis veteris legis, non autem ob solam extrinsecam diversitatem rituum, uti conc. tridentinum sanxit, can. II: *Si quis dixerit, ea ipsa novae legis sacramenta*

[3]) Epist. ad Ephes. V. 26.
[4]) Tit. III. 5.
[5]) Act. II. 28.
[6]) Ibid. XXII. 16.
[7]) *Hom.* XIII. n. 5.
[8]) *Orat. in Christi Baptismum.*
[9]) Lib. *De resurrect. carnis*, cap. 8.
[10]) *Tract.* LXXX. *in Joann.* n. 3.
[11]) *Instit.* lib. V. cap. 14. §. 16.

a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus; anathema sit. 2°. Ergo verba, quibus sacramenta conficiuntur, consecratoria sunt, et non concionatoria. 3°. Ergo non omnia novae legis sacramenta sunt inter se paria, aut ad salutem superflua, prout iterum sancivit Tridentinum, can. III: *Si quis dixerit haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.* Et can. IV: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.* Cum vero haec omnia totidem veluti corollaria sint, quae ex principio a nobis refutato profluunt, ideo his peculiariter refellendis minime insistimus; siquidem illo fundamento sublato, haec concidant necesse est.

DIFFICULTATES.

44. I. Obj. Scripturae non Baptismo aut alii cuilibet sacramento virtutem justificandi tribuunt, sed soli fidei; etenim 1. Petrus ait [12]: *Nihil* Deus *discrevit inter nos et illos* (gentiles), *fide purificans corda eorum;* et in Epist. I. cap. III. 21: *Salvos,* inquit, *facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.* Jacobus pariter, in Epist. sua, cap. I. 18. scribit: *Genuit nos verbo veritatis.* Idem inculcat Paulus, dum universim pronunciat [13]: *Justus ex fide vivit;* et in Epist. ad Rom. VIII. 10. salutem et justitiam verbo fidei adscribit, seu *verbo vitae,* ut loquitur in Epist. ad Ephes. cap. V, nempe *verbo doctrinae,* ut exponit Hieronymus. 2. Sane vel ipsi catholici docent, Deum esse auctorem gratiae; et effectus sacramentorum a suscipientium dispositionibus pendere. Ergo.

45. Resp. *D. A.* Scripturae fidei tamquam dispositioni necessariae justificationem tribuunt, *C.* tamquam causae formali, *N. Fides* enim, ut loquitur Tridentinum [14], *est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire.*

46. Ad 1. *D.* In sensu exposito, *C.* secus, *N.* Certe nisi praecessisset fidei praedicatio, uti necessaria conditio, neque fidei assensus, neque Baptismus aut sacramenta reliqua locum habuissent. Hac de causa apostoli fidei, uti primae radici, causam tribuunt justificationis deinde adeptae per Baptismum et caetera subsidia.

47. Ad 2. *D.* Docent catholici Deum esse auctorem immo et causam efficientem gratiae, qui eam tamen communicet per sacramenta, tamquam per causas instrumentales, *C.* ad horum exclusionem, *N.*

48. Ad 3. *D.* Docent praeterea effectus sacramentorum a suspicientium pendere dispositionibus, tamquam conditionibus necessariis, ut illa exerant

[12]) Act. XV.
[13]) Hebr. X. 38.
[14]) Sess. VI. can. VIII.

vim sibi insitam, *C.* quasi hae tribuant vim sacramentis, *N.* Exemplum sit in igne, qui, ut comburat, idoneam exigit materiam, quin tamen haec vim urendi igni tribuat.

49. I. Inst. S. Augustinus, enarrans verba Christi, Joann. XV. 3: *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis,* sic allata Scripturarum testimonia exponit, ut totam justificandi vim soli fidei, quae per sacramenta excitatur, tribuat. 1. Scribit enim [15]: *Quare non ait: Mundi estis propter Baptismum, quo loti estis; sed ait: Propter verbum, quod locutus sum vobis; nisi quia et in aqua verbum mundat?* 2. *Unde tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Virtus igitur sacramentorum ex s. Augustino a sola fide justificante repeti debet; ac verba sacramentalia concionatoria sunt, non consecratoria.

50. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Quatenus Baptismus praeexigit ab adulto eum suspiciente fidem in evangelicam praedicationem, *C.* quatenus ita dispositum Baptismus uti causa instrumentalis formaliter non justificet, sed sola fides, seu mediante fide in sensu adversariorum, *N.* Totus enim hic s. Doctor est, ut fidei necessitatem in accedentibus ad Baptismum commendet.

51. Ad 2. *D.* Quia ad justificationem ac salutem non sufficit materialis Baptismi susceptio sine fide, *C.* quia forma Baptismi concionatoria est, *N.* Hoc est absurdum, ut patet ex infantibus, qui concionis incapaces sunt ac fidei actualis, attamen justificantur. Exinde corruunt quae ab adversariis deducuntur circa mentem Augustini.

52. II. Inst. Atqui s. Augustinus 1. *De Trinit.* lib. XV. cap. 26. n. 46. negat datum ab apostolis esse Spiritum Sanctum, licet sacramenta administraverint; 2. docet infantes credere fide ecclesiae, lib. VI. *Contra Julian.* 3. Hinc Apostolus, I. Cor. X. 1 seqq. loquens de Hebraeis, quibus non profuit spiritalis esca ob ipsorum delicta, pares nobiscum facit in participatione sacramentorum, quatenus nec nobis ob delicta prosunt: *Patres nostri*, scribit, *eamdem* (nobiscum) *escam spiritalem manducaverunt;* paria igitur praedicat utriusque foederis sacramenta. 4. Hoc ipsum conceptis verbis docuit Augustinus. [16] 5. Id ipsum senserunt caeteri Patres, qui sacramenta vocant *signa, sigilla, symbola, pignora*, adeptae scilicet per fidem gratiae. Ergo.

53. Resp. Ad 1. *D.* Virtute propria, eo modo quo eum dant Pater et Filius, *C.* uti causa ministerialis, *N.*

54. Ad 2. *D.* Ut baptizentur, *C.* ut ea fide justificentur sine Baptismo, *N.* Infantibus enim ex eodem sancto Doctore [17]: *Credere est baptizari, non credere autem est non baptizari.*

55. Ad 3. *D.* Argumentum instituendo a minori ad majus, *C.* argumento a simili, *N.* Vis argumenti ab Apostolo instituti haec est: si illi

[15]) *Tract.* LXXX. *in Joann.* n. 3.
[16]) *Tract.* I. *in Joann.*
[17]) *De peccat. merit.* lib. I. cap. 27. n. 40.

qui male *signis et figuris* usi sunt, perierunt, multo magis peribuunt qui *re et figurato* abutuntur. Subdit enim ibid. Apostolus: *Omnia in figuris contingebant illis.* Eamdem igitur escam spiritalem manducaverunt inter se, non nobiscum.

56. Ad 4. *D.* Quoad significationem, *C.* quoad rem significatam, *N. Enarr.* proinde *in Psalm.* LXXIII. n. 2. scribit Augustinus: *Sacramenta novi Testamenti dant salutem, sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.*

57. Ad 5. *D.* Vocarunt Patres sacramenta *signa,* practica, *C.* speculativa, *N.* Sic etiam appellarunt *sigilla, pignora,* etc. gratiae adeptae per sacramenta, *C.* per fidem, *N.*

58. III. Inst. 1. Saltem formula *ex opere operato* barbara est; 2. ac pium motum seu dispositionem a suscipiente sacramenta excludit. Ergo.

59. Resp. Ad 1. *D.* Apta tamen ad haereticorum effugium praecludendum, *C.* in se, *Tr.* Parum refert utrum clavis aurea sit vel ferrea, dummodo ad aperiendum idonea sit. Aptissima porro est ea formula ad haereticorum errores profligandos, quamvis minus latine expressa.

60. Ad 2. *N.* Haec enim est structa in ecclesiam calumnia, quam amovent vel ipsi prudentiores protestantes Fabricius, Grotius, Leibnitzius, aliique. Sic inter caeteros scribit Leibnitzius in *Systemate theologico: Interim, ut gratia sacramentis suscipiatur, animam suscipientis bene constitutam esse necesse est, ne obex ponatur; et ita aliquod opus operantis* (hoc est, status suscipientis) *est requisitum operis operati.*

PROPOSITIO II.

In tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur character in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt.

61. Et haec propositio de fide est ex can. IX. concilii tridentini: *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

62. Quamvis doctrina haec in Scripturis satis aperte tradatur, firmitatem tamen suam ex constanti traditione et ecclesiae sensu praecipue obtinet.

63. Sane Apostolus, II. Cor. I. 22: *Qui unxit nos Deus,* inquit, *qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;* et clarius juxta graecum textum: *Unxit nos, qui et obsignans nos dedit pignus,* etc. In Epist. vero ad Ephes. I. 13. scribit: *In quo* (verbo veritatis) *et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto;* et ibid. IV. 30. eos hortatur ne velint *contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo,* inquit, *signati estis in diem redemptionis.* Cum vero distinguat Apostolus *unctionem* ab *obsignatione,* non obscure Baptismi et Confirmationis *sigillum* seu *characterem* denotat.

64. Quapropter Patres allegata verba constanter de sigillo sive charactere,

qui per ea sacramenta imprimitur, intellexere. Alii enim docent per Baptismum imprimi *sigillum sanctum, indelebile,* ut Chrysostomus [1], Cyrillus hierosolymitanus [2], Basilius [3], Epiphanius [4], Gregorius nazianz. [5] et Gregorius nyss. [6] Ejus porro obsignationis exempla petunt vel a nota, qua Hebraeorum domus in Aegypto insignitae sunt; vel a circumcisione, qua Haebraei a reliquis populis discriminabantur; vel denique a militari tessera. Alii vocant *signaculum spiritale,* ut s. Ambrosius. [7] Alii conceptis verbis *characteris* nomen usurpant ut s. Augustinus, qui inter caetera scribit [8]: *Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur; character est Regis mei; non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem.*

65. Atque exinde factum est, ut tria haec sacramenta in ecclesia numquam reiterarentur, quamvis ab haereticis et schismaticis collata, aut a peccatoribus indigne suscepta.

DIFFICULTATES.

66. I. Obj. 1. Scripturae in allegatis textibus de interiori tantum Spiritus Sancti gratia loquuntur. 2. Patres doctrinam de charactere ad mentem catholicorum penitus ignorarunt. Augustinus autem nomine *characteris*, ut patet ex ejus *Serm. ad plebem ecclesiae caesariensis*, n. 2. designat *signaculum visibile,* seu ipsam Baptismi administrationem; quod clarius patet ex iis, quae ibid. habet: *Si Donatus*, ait ipse, *quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, characterem desertoris infigeret. Ego quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem.* Jam vero character, qui exterminari et aboleri potest, non est nisi exterior et visibilis. 3. Ex scholasticis alii prorsus de charactere siluerunt, ut Magister Sententiarum; alii eum *ens rationis* nuncuparunt, ut Durandus; alii ex sola ecclesiae auctoritate eum se admittere professi sunt, ut Scotus et Cajetanus, qui addit eam de charactere doctrinam non valde antiquam esse. 4. Innocentius III. revera primus ejusdem auctor fuit. 5. Proinde plures Patres tridentini voluerunt articulum de charactere *probabiliter* tantum adstrui, nec, nisi agente Seripando, de fide declaratus est. Ergo.

67. Resp. Ad 1. *D.* Etiam, *Tr.* ad exclusionem characteris, adhibita Patrum expositione, *N.* Siquidem Patres omnes, qui characterem adstruxerunt, illis testimoniis biblicis innituntur.

68. Ad 2. *N.* Ut constat ex adductis probationibus. Sive Augustinum sive Patres reliquos characteris nomine *signaculum visibile* aut *fidei professionem* minime significasse, patet tum ex eo quod antithesim instituerint inter circumcisionem et Baptismi characterem, quod illa in corpore, hic vero

[1]) *Hom.* III. *in Ep. ad Ephes.* n. 2.
[2]) *Catech.* III. n. 3.
[3]) *Hom.* III. *in s. Baptism.*
[4]) *Haeres.* V. n. 6.
[5]) *Orat.* XL. n. 4.
[6]) *Orat. de Poenitent.*
[7]) *De Spirit. S.* lib. I. cap. 6. n. 78.
[8]) *Tract.* VI. *in Joann.* n. 16.

in anima imprimatur; tum etiam ex eo quod expresse signaculum vocent *spiritale* et *invisibile.*

69. Dum igitur s. Augustinus in objecto sermone ipsum Baptismum, seu etiam invocationem ss. Trinitatis, characterem vocat, ideo est, quia sumit causam pro effectu; alioquin cum invocatio transiens sit, amittaturque interdum fides, nullus subsisteret character; at vero ex s. Doctore character numquam deletur sive in apostatis sive in haereticis; praemiserat enim ibidem: *In errante et deserente milite crimen est desertoris; character autem non est desertoris, sed imperatoris.*

70. Quum vero se *delere, abolere,* etc. characterem affirmat, figurate loquitur ad significandum nullum fore Baptismum in nomine Donati collatum, adeoque et characterem, qui una cum gratia nonnisi Deo tribui potest.

71. Ad 3. Resp. Petrum Lombardum seu Magistrum Sententiarum, part. IV. dist. 8. jam implicite doctrinam de charactere tradidisse, dum scripsit tria illa sacramenta *quadam consecratione* dari; deinde vero, ibid. dist. 23. expresse nominare *characterem spiritualem ordinis.*

72. Durandus vero, supposita characteris existentia, in ejus inquirit essentiam, et autumat eum nihil prae se ferre reale, sed unice rationis relationem.

73. Eadem ratione se gessit Scotus, dum censuit characterem in quadam reali relatione consistere extrinseca animae superveniente veluti sacramenti effectu. Dum vero profitetur se characterem admittere ob ecclesiae auctoritatem, loquitur de ecclesia ut fidei regula proxima, quae in revelatione divina fundatur.

74. Cajetanus errore facti deceptus est, dum putavit rebaptizantium ortam controversiam ex eo fuisse, quod nondum constituta fuerit de charactere doctrina. In hoc vero hallucinatus est, cum quaestio fuerit de *valore* Baptismi ab haereticis aut peccatoribus collati. Semel enim rite administratum inamissibilem esse vel ipsi adversarii ultro fatebantur, ac propterea a *rebaptizantium* nomine abhorrebant.

75. Ad 4. *D.* Juxta Chemnitium sive per crassam ignorationem antiquitatis, sive per insignem malitiam, *C.* juxta rei veritatem, *N.* Siquidem integros pene tractatus ante Innocentium III. de charactere scripserant Petrus pictaviensis, Gratianus, aliique.

76. Ad 5. *D.* Id est, *nonnulli* in congregationibus praeparatoriis, nec re satis discussa, *C.* plures et in ipso concilio, *N.* Hic mos discutiendi articulos antequam definirentur in omnibus conciliis superioribus viguit, ac in ipso concilio hierosolymitano.

77. II. Obj. 1. Si quaeritur a scholasticis, cur tria illa sacramenta iterari non possint, respondent, quia imprimunt characterem; si quaeratur cur imprimant characterem, respondent, quia iterari non possunt, quae mera est circulatio. 2. Ideo juxta alios character his sacramentis imprimitur, quia quadam *consecratione* dantur, ast per omnia sacramenta nos Deo mancipamur et consecramur. 3. Intelligi demum nequit quomodo *signum* illudque *spiri-*

tuale et *invisibile* in anima item spirituali et invisibili imprimi possit. Ergo.

78. Resp. Ad 1. *D.* Si neutrum ex revelatione constaret, *C.* si de utroque constet, *N.* Cum proinde divinitus revelatum sit illa sacramenta iterari non posse, atque imprimere characterem indelebilem, perinde est sive probare effectum per causam, sive causam per effectum.

79. Ad 2. *D.* Consecramur Deo etiam per alia sacramenta, at diversa ratione ab ea, qua fiat in tribus his sacramentis, *C.* eadem ratione, *N.* Nam per Baptismum in perpetuum Christi familiae, per Confirmationem ejus militiae, per Ordinem ejus ministerio addicimur. Per haec insuper sacramenta potestatem acquirimus aliquid recipiendi vel tradendi aliis, quod pertinet ad divinum cultum, secus ac in caeteris fiat sacramentis.

80. Ad 3. *D.* Prout ab adversariis character confingitur, *C.* prout in se est, *N.* Porro juxta s. Thomam, *character habet rationem signi per comparationem ad sacramentum sensibile, a quo imprimitur; sed secundum se habet rationem principii.* Nonnulli scholastici censuerunt eum non habere nisi *rationem relationis.* Concipi etiam potest per modum permanentis cujusdam in anima modificationis, aut etiam permanentis qualitatis, ut vel ipse Leibnitzius in *System. theologico* exponit, cujus exempla suppetunt etiam in jure civili.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

81. Novatores saec. XVI. ex principio, quod sacramenta ad solam fidem excitandam instituta fuerint, duo corollaria deduxerunt: 1°. a quocumque, atque a diabolo ipso juxta Lutherum sacramenta valide administrari; 2°. valida pariter esse, licet sine intentione, immo mimice et irrisorie administrentur.

82. Donatistae, quibuscum postea, nempe saec. XII. waldenses et albigenses, saec. XIV. wicleffitae et hussitae convenerunt, ex contrario principio intulerunt nulla ac irrita esse sacramenta a publicis peccatoribus, ac in genere ab improbis ministris collata, multo vero magis ab haereticis. Donatistis quoad Baptismum haereticorum, quamvis ex diverso principio, praeiverant non pauci africani et asiatici episcopi, saec. ecclesiae III. Hi omnes, qui baptizatos sive ab haereticis sive ab improbis ministris iterum tingebant, communi *rebaptizantium* nomine donati sunt, licet, ut diximus, ipsi ab hac appellatione ut injuriosa abhorrerent.

83. De priori protestantium errore agemus, cum de sacramentis singillatim sermo erit; posteriorem una cum errore africanorum, donatistarum, caeterorumque, qui eos secuti sunt, hic adorimur. Tribus propositionibus rem totam complectimur. In prima valorem sacramentorum vindicamus, praecipue vero Baptismi ab haereticis administrati; in altera eorumdem valorem, quae collata fuerint a ministris improbis; in tertia demum necessitatem intentionis ad validam sacramentorum administrationem propugnamus.

PROPOSITIO I.

In sacramentorum ministro ad valide conferenda sacramenta non est necessaria fides, adeoque validus est Baptismus ab haereticis rite collatus.

84. De fide quoad Baptismum propositio est ex can. IV. *De Bapt.* conc. tridentini ita se habente: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.* Ob paritatem rationis quod hic dicitur de Baptismo, de sacramentis reliquis intelligi debet (si poenitentiam excipias ex defectu jurisdictionis, qua carent haeretici); ex defectu tamen expressae definitionis doctrina, quae caetera afficit sacramenta, fidei tantum proxima est, ac unanimi, a pluribus saltem saeculis, consensione admissa. Quae proinde de valore Baptismi statuimus, dicta de caeteris intelligi debent ob analogiam; ideo vero de valore Baptismi ab haereticis collati peculiariter agimus, quia acrior de ipso viguit contentio, nec revocatus in quaestionem fuit valor caeterorum sacramentorum, quae fuerint ab haereticis administrata, nisi uti corollarium quod ex priori illa controversia deducebatur.

85. Occasio agitatae tanta vehementia controversiae, de valore Baptismi haereticorum, extitit Agrippinus carthaginiensis saec. fere III. episcopus, qui omnium primus tinctos ab haereticis iterum baptizavit. Hanc consuetudinem s. Cyprianus Agrippini successor retinuit, et coacto Carthagine concilio eamdem praxim decreto sancivit. Hujus synodi acta s. Stephanus rom. pontifex improbavit, rescribens: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus imponatur ad poenitentiam.* Cyprianus Stephani decreto non acquievit, immo numerosiore accito concilio ex Africa pene universa, sententiam suam confirmavit. Defervescentibus demum studiis, praevaluit Stephani decretum in Oriente non minus quam in Africa, donec omnis contentio sublata est.

86. Verbo autem Dei tradito, constantique ecclesiae praxi, inniti assertam propositionem facile evincimus. Siquidem hujus traditionis ac praxis testis imprimis est s. Stephanus in suo Decreto, ex quo constat haereticos non iterato Baptismo, sed sola manuum impositione in ecclesiam fuisse cooptatos; testis praeterea est antiquissimus anonymus scriptor saec. III. in lib. *De rebaptismate* ad calcem opp. s. Cypriani; testis est s. Augustinus, qui avitam consuetudinem recipiendi haereticos sola manuum impositione testatur ex *Apostolorum traditione* derivatam esse; idque confirmat in lib. II. *De Baptismo,* cap. 7. n. 12. ex confessione ipsiusmet Cypriani asserentis: *Hanc saluberrimam consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum quasi coepisse corrigi, sed verius corrumpi;* testis est Vincentius lirinensis, qui in *Commonitorio,* cap. 6. scribere non dubitavit: *Agrippinus carthaginiensis episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis ecclesiae regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat.* Eadem testantur

ss. Hieronymus, Syricius ac Innocentius, nec non concilium plenarium cujus meminit s. Augustinus, *De Baptismo*, lib. I. cap. 7. n. 9. seu nicaenum I. ut plerique censent, quod can. VIII. constituit novatianos a schismate revertentes sola manuum impositione esse recipiendos.

87. Verum, quod praecipuum est, ejusdem traditionis ac praxis se testes exhibuerunt vel ipsi rebaptizantes, qui consuetudinem a Stephano assertam admittebant, eamque solis ratiociniis cavillationibusque evertere satagebant.

DIFFICULTATES.

88. I. Obj. Scripturae valori Baptismatis haereticorum adversantur; etenim 1. Apostolus scribit [1]: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma;* haeretici igitur, qui fide carent et Baptismo. 2. Ecclesia reipsa dicitur *hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium* [2]; ergo haeretici extra ecclesiam constituti nec in hortum illum ingredi ut fructus inde colligant, nec fontem aut puteum illum, unde aquas hauriant, accedere valent. 3. Ex Apostolo item, Christum induunt [3], qui in Christo baptizantur; Christum porro induere nequeunt, qui in haeresi tinguntur. 4. Filii praeterea Dei nonnisi a vera Christi ecclesia ejus sponsa gigni possunt. 5. Hinc ecclesia arcae comparatur [4], *in qua pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma.* Ergo extra hanc arcam baptizati diluvio peribunt.

89. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Unum Baptisma a Christo institutum sive intra sive extra ecclesiam collatum, *C.* in sola collatum ecclesia, *N.* Sic etiam: una est fides objectiva seu a Deo revelata, *C.* subjectiva, *N.* Significat igitur objectis verbis Apostolus, nonnisi unum fuisse a Christo institutum Baptisma a quocumque demum conferatur, nonnisi unam fidem esse quae a Deo objective revelata sit, quamque omnes profiteri tenentur; prout unus est omnium Dominus.

90. Ad 2. *D.* Ecclesia est hortus conclusus, etc. quoad effectum seu regenerationis gratiam respectu adultorum, *C.* quoad sacramenta in se spectata seu prout Christi sunt, *N.* Qui sciens et volens ab haereticis Baptismum petit et accipit, effectum seu gratiam sacramenti non consequitur, etsi sacramentum recipiat. Duo haec confundebant veteres rebaptizantes, atque ex horum confusione omnes eorum oriebantur difficultates.

91. Ad 3. *D.* Quantum ad perceptionem sacramenti, ut loquitur Augustinus [5], *C.* quantum ad vitae sanctificationem, *N.* Eadem enim recurrit observatio nuper facta, inter sacramentum ejusque effectum.

92. Ad 4. *D.* Si ecclesia gignere filios non posset nisi utero suo, *C.* si etiam id possit utero ancillarum, *N.*

93. Ad 5. *D.* Ecclesia arcae comparatur ratione Baptismi rite suscepti

[1]) Ephes. IV. 5.
[2]) Cant. IV. 12.
[3]) Galat. III. 27.
[4]) II. Petr. III. 20.
[5]) Lib. ***De unico Baptism.*** cap. 8.

respectu infantium et adultorum, qui in bona fide versantur, *C.* respectu effectus ejusdem Baptismi si animo non rite comparato suscipiatur, ut dictum est, *N.*

94. II. Obj. Perperam catholici ad traditionem confugiunt. Etenim ab haereticis tinctos iterum baptizare jubent 1. canones apostolici XLVI et XLVII. nec non Constitutiones apostolicae, lib. VI. cap. 15. 2. Anabaptismus jam aetate Tertulliani vigebat, ac s. Dionysius alex. apud Euseb. testatur [6]: *Superiorum episcoporum temporibus in ecclesiis populosissimis et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem* (baptizandi institutum) *sancitum fuisse.* Dionysio assentitur Firmilianus Cappadociae episcopus in *Epist. ad Cyprianum.* 3. Optatus milevitanus, Athanasius, Basilius, Gregorius nazianzenus ac Cyrillus hierosolymitanus, non obstante decreto Stephani, et conciliorum arelatensis et nicaeni primi, uno animo tenuerunt rebaptizandos tinctos ab haereticis. 4. Idque in ordine ad bonosiacos, quamvis recte de Trinitate sentirent ex declaratione conc. arelatensis, can. XVII. constituit ipse Gregorius M. Ergo.

95. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Qui tamen canones et constitutiones, utpote a rebaptizantibus auctoribus exaratae, nullius momenti sunt, *C.* alicujus hac in parte sunt auctoritatis, *N.* Non desunt tamen, qui censeant in illis agi de Baptismo non rite ab haereticis collato.

96. Ad 2. *D.* In particularibus nonnullis ecclesiis, *C.* in ecclesia universali, *N.* Quod non diffitentur sive Firmilianus, sive Cyprianus, sive concilium ipsum carthaginiense, a quibus edictum est non *consuetudinem sed veritatem* esse consectandam. Quamvis autem Dionysius alex. a s. Hieronymo rebaptizantibus accensitus sit, contrarium tamen constat ex s. Basilio, immo et ex ipso Dionysio, qui de se testatur se ad exemplum Heraclae praedecessoris sui haereticos sine novo Baptismate in ecclesiam recepisse.

97. Ad 3. *Trans.* Variae autem ab eruditis causae assignantur illius agendi rationis, quam post edita decreta objecti Patres tenuerunt; scilicet aut quod canones illos ignoraverint, alioquin sibi saltem objecissent; aut quia canones, praesertim nicaeni VIII et XVII, rem generatim non definierunt, sed solum recipiendos catharos seu novatianos esse, qui habebantur solum uti schismatici, sine novo Baptismo, ac rebaptizandos paulinianistas ob vitiatam Baptismi formam; aut quia Patres illi, una cum Cypriano et Firmiliano, controversiam hanc uti mere disciplinarem spectarunt, in qua unusquisque propriae ecclesiae ritum sequebatur, non autem uti dogmaticam, pedetentim deinceps ubique mos iste cessavit.

98. Ad 4. *D.* Aut errore facti deceptus, aut quod bonosiaci post arelatense concilium Baptismi formam vitiaverint, *C.* quasi censuerit rebaptizandos rite tinctos haereticos, *N.* Certum enim est haereticos illos interdum in nomine ss. Trinitatis baptizasse, interdum vero non item.

[6]) *Hist. Eccles.* lib. VII. cap. 7.

PROPOSITIO II.

Minister in peccato mortali existens, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, vere conficit aut confert sacramentum.

99. De fide propositio est ex can. XII. sess. VII. concilii tridentini: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum; anathema sit.*

100. Impetit propositio, ut innuimus, donatistas, qui diro schismate saec. IV. ecclesiam dilaceraverunt, nec non waldenses, albigenses, wicleffitas et hussitas damnatos in concilio constantiensi, in quo articulus IV. Wicleffii proscriptus est: *Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat;* ac denique in anabaptistis iterum a Tridentino per adductum canonem proscriptus est idem error.

101. Cum agatur de errore jamdiu ab Augustino in donatistis profligato, ejusdem s. Doctoris argumentis ad eumdem refellendum adstruendamque enunciatam veritatem utemur. Porro s. antistes, in medium adducto Jo. Baptistae de Jesu testimonio, Joann. I. 35: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto,* quamvis Christus non per se, sed per discipulos baptizaret, ut legitur Joann. IV. 2. sic scribit [1]: *Petrus baptizet, hic est, qui baptizat; Paulus baptizet, hic est, qui baptizat; Judas baptizet, hic est, qui baptizat... Illud quod datum est, unum est; non impar propter impares ministros; sed par et aequale, propter: hic est qui baptizat.* His suffragantur quae scribit Apostolus [2]: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Tota enim in sacramento potestas ac virtus Christi est, sacerdotis autem seu ministri tantum administratio, qui nequit Dei virtuti officere.

102. Hoc praeterea argumento eamdem veritatem adstruit Augustinus [3]: *Dedit Judas Baptisma nec baptizatum est post Judam: dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem,* Act. XIX. 5; quia, qui datus est a Juda, Baptismus Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. Debuissent autem iterum tingi a Juda baptizati, si sacramentorum valor a meritis ministri penderet, nec illius Baptisma Baptismati Joannis praeferendum fuisset.

103. Illustrat denique s. Doctor hoc ipsum argumentum, lib. III. *Contra Cresconium*, cap. 8. et alibi hac aliisque similitudinibus: semina sive puris sive impuris agricolarum manibus terrae mandentur aeque fructuosa sunt, ita et sacramenta sive a justis sive a peccatoribus administrentur. Alioquin si efficacia sacramentorum a ministri probitate aut improbitate penderet, nostra quodammodo salus ab illius dependeret arbitrio.

[1]) *Tract.* VI. *in Joann.* n. 7 et 8.
[2]) I. Cor. III. 7.
[3]) *De unit. Eccles.* cap. 21.

104. Constantem ecclesiae circa veritatem hanc traditionalem sensum patefacit ejus agendi ratio; siquidem numquam dubium movit circa valorem sacramentorum, quae a pravis ministris fuerint administrata, cumque donatistae a malis ministris collata sacramenta nullius effutierint valoris, illico ab ecclesia damnati sunt.

DIFFICULTATES.

105. I. Obj. 1. Munditiem ac sanctitatem in ministris suis Deus perpetuo inculcat, ut munere suo rite fungantur, uti Exod. XIX. 22; Levit. XXI. 17; immo Prov. XV. 8. legitur: *Victimae impiorum abominabiles Deo;* et Joann. IX. 31. dicitur: *Peccatores Deus non audit;* Christus vero non solum, Matth. VII. 18. generatim pronunciat: *Non potest arbor mala bonos fructus facere;* sed largiturus praeterea apostolis suis potestatem dimittendi peccata, eis tribuit Spiritum Sanctum, Joann. XX. 22. dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* cum igitur improbi Spiritum S. non habeant, nequeunt peccata remittere. 2. Qui contra Christum est, immo et *ex patre diabolo*, uti dicitur, Joann. VII. 4. nequit esse Christi minister; talis porro est in peccato mortali existens. 3. Nisi ita esset, par foret boni ac pravi ministri conditio. 4. Hinc ecclesia a sacramentis administrandis pravos arcet. Ergo.

106. Resp. ad 1. *D.* Deus inculcat in ministris suis munditiem et sanctitatem legalem, *C.* intrinsecam et formalem, *subd.* ut digne ac licite sancta tractent, *C.* ut valide, *N.* Atque exinde responsio patet ad allegatos textus ab Exodo et Levitico. Quod si in Proverbiis *abominabiles Deo* dicuntur *impiorum victimae,* ideo est, quia ex pravo affectu offerebantur, non autem ex parte rei oblatae. Verba caeci nati, Joann. IX. in ordine ad miracula dicta sunt, in confirmationem falsae doctrinae patranda. Arbor mala non potest facere fructus bonos, si ex virtute propria hos producat, ac prout mala est; pravi autem ministri neque propria virtute efficaciam tribuunt sacramentis, quae conficiunt, neque ut arbor mala administrant. Demum Spiritus Sanctus non inhabitat in pravis ministris ad eos sanctificandos, inhabitat vero tribuens virtutem sacramentis in ordine ad aliorum salutem.

107. Ad 2. *D.* Prout peccator est, *C.* prout operatur ex virtute Christi, seu ejus minister est, *N.*

108. Ad 3. *D.* Quoad facultatem sacramenta administrandi, *C.* quoad vitae meritum, *N.*

109. Ad 4. *D.* Ne indigne ac illicite sacra pertractent, *C.* quia invalide conficerent sacramenta atque conferrent, *N.*

110. II. Obj. Communis Patrum doctrina est, nullius esse valoris a pravis ministris confecta sacramenta. 1. S. Ambrosius [4]: *Non sanat,* inquit, *Baptisma perfidorum, non mundat, sed polluit;* et s. Hieronymus, in cap. 3. Sophoniae affirmat, falso putare malos sacerdotes *Eucharistiam imprecantis*

[4]) Lib. *De Mysteriis,* cap. 4.

facere verba, non vitam; et necessariam esse tantum solemnem orationem et non sacerdotum merita. Nec dissentit Augustinus, qui scribit [5]: *Quomodo ergo baptizabant, qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant... si sola illa columba* (Ecclesia) *simplex et casta et perfecta baptizat?* Et paulo post de avaris et raptoribus Cypriani coepiscopis subdit: *Peccatorum remissionem non dabant... Non enim raptoribus et foeneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illis.* 2. Viguit proinde universalis et constans in ecclesia praxis, Morino teste [6], ac Maldonato [7], iterandi sacramentum Confirmationis in consignatis sacro chrismate ab haereticis aut schismaticis; prout reipsa Bulgaros a photianis confirmatos Nicolaus I. iterum confirmari jussit. Innitebatur autem haec praxis huic principio, quod commune omnibus peccatoribus est, non posse haereticos dare Spiritum Sanctum, quo ipsi destituti sunt. Ergo.

111. Resp. Ad 1. *D.* Quoad sacramentorum fructum, quae adulti volentes scientesque ab impiis recipiebant, *C.* quoad sacramenta in se spectata, quae irrita essent ob impietatem ministri, *N.*

112. Itaque s. Ambrosius in objecto loco agit de baptismatibus, seu lustrationibus judaeorum et infidelium superstitiosis, non autem de christianorum Baptismate; prosequitur enim: *Judaeus urceos baptizat et lavat.*

113. S. Hieronymus illos improbat scelestos sacerdotes, qui putabant se licite Eucharistiam conficere posse ex eo solum, quod praediti dignitate essent sacerdotali. Errorem porro, qui ei imputatur, acriter confutat in *Dialogo adversus Luciferianos.*

114. S. Augustinus id unum contendit, non prodesse sacramenta, seu fructum non percipi sacramentorum ab iis, qui ea a ministris improbis et schismaticis scienter accepissent. Tria enim affirmat: 1°. ubique inveniri *sacramenti integritatem,* non autem peccatorum remissionem; 2°. non posse sanctorum orationibus juvari, qui pergunt impie vivere, non obstante etiam *pio columbae ministerio;* 3°. si convertantur, non *rebaptizatos* pertinere tamen incipere *ad columbam.*

115. Ad 2. *D.* Qui tamen auctores decepti sunt, *C.* jure merito ita senserunt, *N.* Ut enim ostendit Christianus Lupus in *Dissert. de octava synodo*, documenta, quae allegati auctores afferunt, ad sacramentum Poenitentiae spectant omnia, quod juxta diversos effectus, quos producit in illis, quibus confertur, interdum a veteribus dicebatur dari in aliis *in poenitentiam,* in aliis *in Spiritum Sanctum.* Caeterum Morinus in recognitione operis sui hanc suam opinionem retractavit.

116. Quod vero speciatim attinet ad factum Nicolai I. verisimilior illorum videtur responsio, qui censent ideo ab hoc sancto pontifice jussam esse iterari Confirmationem a graecis presbyteris administratam Bulgaris, quod Bulgaria spectaret ad patriarchatum occidentalem. Cum igitur perperam Pho-

[5]) Lib. III. *De Bapt.* cap. 17.
[6]) *De Poenitent.* lib. II. cap. 11. n. 7.
[7]) *De sacram. Confirm.* qu. 2.

tius delegationem tribuisset presbyteris, quibus tribui debuisset a rom. pontifice Occidentis patriarcha, idcirco nulla ac irrita erat illa Confirmatio, ac proinde jussu pontificis iterata.

PROPOSITIO III.

In ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi quod facit ecclesia.

117. Haec item propositio de fide est; definivit enim eam Tridentinum, Sess. VII. can. 11: *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia; anathema sit.* Id ipsum jam sanciverant Martinus V. in conc. constantiensi et Eugenius IV. in conc. florentino, seu in *Instruct. pro Armenis.* Lata autem est ea definitio adversus novatores, autumantes non aliam inesse sacramentis virtutem, quam excitandi fidem, quae proinde valent, quamvis mimice ac ludicre conferantur.

118. Intentio porro dicitur animi deliberatio, qua aliquis rem sacram facere intendit, quam Christus instituit, aut in ecclesia fieri consuevit. Si ejusmodi intentio pro objecto habeat tantum rem illam sacram materialem, ut ajunt, seu externam actionem, *externa* dicitur; si praeterea pro objecto habeat intimam rei sacrae naturam seu actionem, ita ut quis intendat efficere reipsa actionem sacramentalem, *interna intentio* vocatur. Controversia, quae nos inter ac protestantes agitatur, est de intentione externa; quod enim spectat ad domesticam concertationem, utrum praeterea necessaria interna intentio sit ad valide sacramenta conficienda, quid verisimilius censendum nobis videatur, in scholiis sub finem subjiciendis aperiemus. Intentio potest esse actualis, sive virtualis; prior optima est, sed non est necessaria; posterior sufficit, ac omnino requiritur a ministro ut valide sacramentum conferatur.

119. Intentionem itaque externam saltem ac virtualem in sacramento conficiendo et conferendo necessario requiri, illa omnia Scripturarum testimonia evincunt, in quibus sacramentorum administratores vel exhibentur, uti *ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, ut I. Cor. IV. 1; vel jubentur a Christo Eucharistiam conficere in sui ipsius *commemorationem*, ut Luc. XXII. 19; vel denique cum judiciaria potestate donantur, illis ejusdem Christi verbis, Joann. XX. 23: *Quorum remiseritis peccata*, etc. Quae profecto sine deliberata intentione peragi nequeunt.

120. Idque ex ecclesiae agendi ratione non minus luculenter adstruitur. Non aliam certe ob causam ordinatio Novatiani a s. Cornelio in *Epist. ad Fabium antiochen. adumbrata et inanis manuum impositio* dicta est, quam quia a tribus temulentis episcopis, seu sine rationis usu ac intentione proinde facta est. Sic Firmiliano teste in *Epist. ad Cyprian.* Baptismus a praestigiatrice muliere collatus irritus saec. II. illico ab omnibus eadem de causa judicatus est. Actus enim, quo administrantur sacramenta, debet esse

humanus; talis porro non est, qui sine deliberatione ac intentione ponitur, ideo siquidem hominibus commissa est eorum administratio. Alioquin psittacus sic edoctus, aquam infundens et verba proferens, vere baptizaret; quod nemo dicet. Attamen ejusmodi administratio ex sensu adversariorum idonea esset ad fidem excitandam.

121. Demum protestantium paradoxum ex everso eorumdem principio evertitur. Hoc enim, ut vidimus, non est nisi consectarium illius doctrinae, qua constituitur, sacramenta nonnisi ad excitandam fidem fuisse ordinata. Jam vero ex demonstratis doctrina haec est falsa. Igitur falsum pariter est, valere sacramenta quavis ratione administrata.

DIFFICULTATES.

122. Obj. 1. Legitur in Martyrologio Adonis viennensis, atque etiam in Martyrologio romano VIII. Kal. Sept. Genesium mimice in theatro baptizatum. 2. Referunt praeterea Rufinus, Socrates atque Sozomenus a puerulo Athanasio pueros ludicre baptizatos esse, atque Alexandrum episcopum, ad quem factum istud delatum est, rata ejusmodi Baptismata habuisse. 3. Idem sensit Augustinus de Baptismo a Nicephoro archiatro *nugaciter* suscepto, qui, abjecta nugacitate, renovatus non est, ut legitur in ejus *Epist.* CCXXVII. *ad Alypium.* 4. Hinc *Tract.* V. *in Joann.* n. 14: *Non timeo*, inquit, agendo de ministro Baptismi, *adulterum*, *non timeo ebrium ... quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizat;* 5. et lib. VI. *De Baptismo,* cum proposuerit sibi quaestionem, utrum valeat Baptismus *in mimo cum fide, si quis inter agendum repentina pietate mutetur;* tum utrum illud valeat, *quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat;* profitetur se imparem ejusmodi quaestionibus solvendis, expectandumque *divinum oraculum* pronunciat; mirum proinde videri debet, ecclesiam post XII saecula illas solvere potuisse. 6. Chrysostomus autem et Isidorus Pelusiota sacramentorum ministros comparant *asinae Balaami.* Ergo.

123. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut in neutro Martyrologio validum dicatur ejusmodi Baptisma, *C.* secus, *Tr.* Nec enim desunt, qui in dubium revocent hanc Genesii historiam, aut saltem Baptismi collationem in scena, de qua nemo ante Adonem, saec. IX. scriptorem, mentionem injecit. Quidquid vero sit, Genesius proprio sanguine baptizatus est.

124. Ad 2. *D.* Hoc referunt adducti historici ex incerta fama, cui chronologia adversatur, *C.* solido fundamento innixi, *N.* Non solum Tillemontius, sed vel ipse Basnagius, in *Annalib. politico-ecclesiasticis,* hac de causa ejusmodi factum rejecit. Quod si, ut alii contendunt, verum habeatur, Alexander uti rata non admisit ejusmodi Baptismata, nisi postquam cognovit Athanasium intendisse imitari quod in ecclesia fieri compertum habebat, adeoque intentionem habuisse faciendi quod facit ecclesia.

125. Ad 3. *D.* Id est, deposita animi levitate et inconstantia, quam hactenus Nicephorus ostenderat, ob Dei punitionem, *C.* mimica Baptismi susceptione, *N.* uti patet ex eadem s. Augustini epistola.

126. Ad 4. *D.* Nempe *ebriosum*, ut emendatiores habent lectiones, *C.* vere ebrium, *N.*

127. Ad 5. *D.* Haesit s. Augustinus, cum quis in actione ipsa *repentina pietate mutatur*, vel *subito fideliter commotus* Baptisma suscipit. *C.* circa Baptismata in se spectata. *N.* In priori tantum casu haesit s. Doctor, ut ejus verba declarant, expectandumque divinum oraculum censuit. Hoc porro oraculum ex definitione ecclesiae habemus divina fretae assistentia. Mirum potius est, protestantes post XII saecula potuisse valida pronunciare ejusmodi Baptismata, de quorum valore haesit Augustinus.

128. Ad 6. *D.* Similitudine inadaequata utentes, *C.* adaequata, *N.* Scopus ipsorum est evincere, sacerdotum improbitatem haud officere sacramentorum valori, ut ipsimet Sancti exponunt.

129. Inst. 1. Innocentius IV. in III. *Decretal.* aperte declarat, valere Baptismum etiam ab eo collatum, qui non solum non intendit facere quod facit ecclesia, verum etiam si *contrarium gereret in mente sua.* 2. Sane minister non est nisi instrumentum; in instrumento autem nulla requiritur intentio; 3. eadem ratione, qua in concionatoribus aut oratoribus regiis, nihil officit contraria illorum intentio, dum aut concionantur, aut litteras mandantis ostendunt. 4. Accedit, quod in catholicorum doctrina necessario anxietas animi oriri debeat, num quis fuerit rite baptizatus, caeteraque sacramenta sibi rite fuerint collata. Ergo.

130. Resp. Ad 1. *D. Dummodo* tamen minister *baptizare intendat*, ut ibid. subdit Innocentius, *C.* secus, *N.* Vult enim pontifex significare validum esse Baptisma collatum a Saraceno, quamvis hic ignoret, quid sit ecclesia.

131. Ad 2. *D.* Vivum tamen ac liberum, *C.* inanimatum, *N.*

132. Ad 3. *Nego* paritates, quia illae sunt de re speculativa, in casu autem nostro de re practica agitur.

133. Ad 4. *D.* Quae oriri pariter posset ex defectu idoneae materiae vel formae, *C.* ex solius intentionis defectu, *N.* In his enim sufficere debet moralis certitudo, quae haberi potest, quoties ritus universus serio peragitur.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTORUM RITIBUS SEU CAEREMONIIS.

134. Quaecumque demum sit *caeremoniae* vocis etymologia, de qua philologi inquirunt, nos ea significamus *ritum externum ac religiosum, institutum ut majori pompa atque splendore peragantur sacra;* nam *mentes fidelium*, ut inquit Tridentinum, Sess. XXII. can. V. *per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitantur.*

135. Variae caeremoniarum species distinguuntur; aliae in verbis consistunt, ut exorcismi; aliae in actionibus, ut crucis signa, genuum flexus; aliae in externarum rerum usu, ut aqua lustralis, lumina, vestes. Quaedam Christum auctorem habent, quaedam apostolos, quaedam ecclesiam. Rursum: ex his

aliae in ecclesia universa usurpantur, aliae in particularibus ecclesiis tantum; nos de prioribus agimus. Hunc caeremoniarum apparatum in solemni sacramentorum administratione protestantium plerique, calviniani praesertim, rident, aspernanturque. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Recepti et approbati ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari possunt.

136. Totidem verbis hanc propositionem definivit Tridentinum, Sess. VI. can. XIII. adeoque de fide est, cum directe afficiat potestatem ecclesiae a Christo concessam, ut idem concilium declaravit, Sess. XXI. can. II.

137. Hac vero potestate instructam a Christo ecclesiam esse, constat 1°. ex Apostolo, qui I. Cor. XI. cum plura de Eucharistiae sacramento scripsisset, concludit: *Caetera, cum venero, disponam.* Quae verba cum attulisset s. Augustinus in *Epist.* LIV. *ad Januarium,* quae tota de his ritibus est, scribit: *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat ecclesia), hoc ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.* Constat 2°. ex eorumdem rituum antiquitate et universalitate, cum coeperint ab ipso rei christianae exordio, ut patet ex Tertulliano, Justino aliisque II et III. saeculi scriptoribus, qui tanquam de re universim ac ab immemorabili recepta de iis loquuntur. Horum documenta proferunt rerum liturgicarum scriptores, inter quos eminet eruditissimus Robertus Sala in adnotationibus et illustrationibus *Rerum liturgicarum* card. Bona. Ejusmodi porro antiquitas et universalitas produnt communem originem, ex apostolica scilicet institutione. Constat denique 3°. ex antiquissimis *Constitutionibus,* quae *apostolicae* nuncupatae sunt, ac s. Clementis romani; nec non ex omnibus antiquis orientalibus et occidentalibus liturgiis, quae, uti ostendit Le Brun, quoad rei substantiam, omnes conveniunt.

138. Hoc demum agnoverunt vel ipsi pseudoreformati: in *Confessione* enim *helvetica* fatentur *semper in ritibus et caeremoniis Christi ecclesias usas esse libertate;* idque ex historia innotescere. Certe Gulielmus III. Borussiae rex, hac usus est libertate in sua *Agenda,* quam ad usum ecclesiae androgynae, lutherano-calvinistae, *evangelicae* nuncupatae, confecit. Nunc vero agitur de illa iterum reformanda ad usum fortasse ecclesiae lutherano-calvinisto-anglicanae, de qua agitur instituenda (ann. 1844.).

139. Cum vero ritus isti sint adeo cum doctrinis dogmaticis et moralibus arcte conjuncti, ut earum veluti expressio sint, exinde patet a nullo privato pastore propria auctoritate absque peccato immutari eos posse et in novos converti. Quodque mirum videri potest, vel ipsi protestantes id confessi sunt; siquidem in *Confessione augustana et saxonica* aperte affirmant:

Peccare illos, qui caeremonias cum scandalo violant, atque superbe contemnunt, quippe ordinem disciplinae ac regiminis intervertentes, et turbantes tranquillitatem. His assentiuntur Melanchthon, Oecolampadius, Hoffmeisterus, Grotius, aliique.

DIFFICULTATES.

140. Obj. 1. Ecclesia ritus suos ab Hebraeis ac ethnicis adscivit, ut fuse ostendit Spencerus, in op. *De legibus Hebraeorum ritualibus.* 2. Ex his alii ridiculi sunt, alii vero inutiles, cum nihil conferant ad fructum sacramentorum, qui juxta catholicos ex opere operato producitur. 3. Caeremoniae improbatae ab Apostolo sunt [1], dum docet fideles haud ambulare debere *secundum traditionem hominum.* 4. Idem docuit Augustinus [2], Apostoli monito obtemperans. 5. Sane primitiva ecclesia cultu admodum simplici mysteria celebrabat. 6. Ex caeremoniarum apparatu fit, ut fidelium mens pene obruatur, et quae caeremonialia sunt, essentialibus permisceant. Ergo.

141. Resp. Ad 1. *D.* Nonnullos ritus ecclesia ex Hebraeis, aut etiam ethnicis adscivit, mutato fine et objecto, *Tr.* omnes ac sine tali mutatione, *N.* Etiamsi daretur, quod tamen aliqui eruditi viri, praesertim vero Lazzeri in peculiari hoc de argumento dissertatione, negant ecclesiam ritum aliquem ab ethnicis mutuatam esse, nihil tamen exinde sequeretur. Ritus enim materiales per se indifferentes sunt, adeoque totam bonitatem aut malitiam ab objecto et fine, quo adhibentur, habent. Cum igitur ecclesia hos ritus adsciverit ad Deum colendum, nihil amplius est in illis reprehendendum. Alioquin templa ipsa ac altaria forent abroganda.

142. Ad 2. *D.* In sententia adversariorum, *C.* in se, *N.* Prout adversarii affecti sunt, judicant de ritibus, quos ecclesia usurpat in sacramentorum administratione, eosque irrident. At si spectetur finis, quem in iis usurpandis sibi proponit ecclesia, venerabiles sunt. *Actus enim sunt externi religionis,* ut loquitur card. Bona [3], *quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio.* Licet vero sacramenta fructum afferant ex opere operato, non excludunt tamen dispositiones ex opere operantis, ut uberiori cum fructu suscipiantur.

143. Ad 3. *Neg.* Loquitur enim Apostolus in objecto textu, uti nunc exegetae protestantes fatentur, de pharisaeismo ac de hebraizantibus, non autem de ritibus.

144. Ad 4. *D.* Agens de caeremoniis a privatis hominibus inductis, *C.* de caeremoniis ab universa ecclesia receptis, de quibus nos disserimus, *N.* Id enim patefacit universae epistolae argumentum.

145. Ad 5. *D.* Vigentibus persecutionibus, *C.* pace ecclesiae data, *N.* Cum gladius persecutorum cervicibus fidelium instaret, certe non poterat

[1]) Coloss. II. 8.
[2]) *Ep.* LV. *ad Januar.* cap. 19.
[3]) *De divin. psalmod.* cap. 19.

ecclesia exteriorem illum apparatum adsciscere; at vix libera effecta est, pompam cultus sui illico explicavit.

146. Ad 6. *N.* Quin enim fidelium mens caeremoniis obruatur, aedificatur potius ac in Deum elevatur. Ne vero essentialia cum adscititiis confundant fideles, satis est opportuna instructio. Sane nemo est, qui nesciat, valere Baptismum si in necessitatis casu administretur absque illo caeremoniarum apparatu.

CAPUT V.

IN SUPERIUS DISPUTATA SCHOLIA.

147. Scholasticas potissimum quaestiones haec scholia attingunt, quas, ne filum disputationis adversus haereticos susceptae abrumpere cogeremur, omisimus. Sunt autem:

SCHOLION I.

148. Circa sacramenta, quae primitus obtinuerunt: utrum nempe instituta aliqua fuerint sacramenta in statu naturae innocentis, aut saltem instituenda forent, si diutius status ille viguisset? S. Thomas negative respondet [1], utpote inutilia. Suarez tamen aliique respondent affirmative. Res incerta est, et conjecturis potius quam documentis utraque sententia innititur.

149. Praeterea inquiri solet, num aliqua instituta fuerint sacramenta in lege naturae pro infantibus, ut deleretur in eis originalis noxa, et pro adultis ad remissionem praeterea peccatorum actualium. De infantibus res prorsus incerta est, silentibus Scripturis, et Patribus in diversas abeuntibus sententias. Tertullianus enim [2], s. Gregorius M. [3] et s. Bernardus [4] censent, *sola parentum fide* sine exteriori ejusdem per aliquod signum applicatione salvari infantes potuisse. S. Augustinus tum adultis tum infantibus opus fuisse aliqua applicatione existimavit. S. Thomas priorem sententiam sequitur. [5]

150. In statu legis scriptae, ad quam refertur circumcisio, quamvis Abrahae jam data, nullum dubium quod plura sacramenta fuerint instituta, agnus paschalis, sacrificia, etc. Conciliorum florentini ac tridentini doctrina est, plurimum veteris legis sacramenta a sacramentis novae legis differre. Omnes fatentur hoc discrimen peti tum a diversitate rituum, tum a facilitate ac numero, tum a duratione; cum illa utpote typica fuerint temporalia, haec perpetua.

151. Ast disceptant theologi quoad efficaciam et valorem; plerique contendunt antiqua a novis sacramentis in eo discriminari, quod illa *ex opere operantis*, haec *ex opere operato* gratiam conferant. Alii autem nec pauci

[1]) Part. III. qu. 51. art. 2.
[2]) Lib. *De Bapt.* cap. 13.
[3]) *Moral.* lib. IV. cap. 3.
[4]) *De Baptismo*, cap. 1. n. 4.
[5]) *Sent.* IV. dist. 1. qu. 2. art. 6.

nec ignobiles theologi censent, etiam sacramenta veteris legis gratiam produxisse *ex opere operato* utpote *fidei protestativa*, docent proinde sacramenta novae legis gratiam ex opere operato producere *primario* ac *per se*, veteris autem legis *secundario* ac *per accidens:* ita Hugo a s. Victore, s. Bonaventura, Estius aliique. Bellarminus porro observat, errorem haereticorum confixum a Tridentino non in eo esse quod extulerint sacramenta veteris legis, sed in eo quod detraxerint sacramentis novae legis, ut paria quoad valorem facerent, secus ac se gerant scholastici, de quibus agimus. In istorum sententia facilius componi videntur Scripturarum ac Patrum eloquia circa vim, quam tribuunt veteris legis sacramentis, praecipue vero circumcisioni; aut circa ea, quae ipsis videntur detrahere.

152. Disceptant praeterea theologi circa modum, quo sacramenta legis novae gratiam producunt; thomistae enim eam *physice* produci, alii autem censent solum *moraliter*, quatenus Christus se obstrinxit ad gratiam sacramentalem dandam, quoties rite sacramentum administratur. Facilioris intelligentiae haec posterior sententia est.

SCHOLION II.

153. Sacramenta duabus partibus constituuntur, *materia*, quam jam vocant, et *forma;* sive ut veteres loquebantur, *re* sive elemento et *verbis*, juxta tritum illud Augustini: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Jam vero per *materiam* res illa significatur, quae existere praeconcipitur verbis a ministro prolatis: per *formam* significantur verba ipsa, quae a ministro proferuntur in collatione sacramenti. Necesse autem non est, ut materia sacramentorum semper sit aliquid materiale, seu elementum.

154. Formae conditionatae, uti ostendit Benedictus XIV. [6] expressa mentio non occurrit ante saec. VIII. In usu tamen eam fuisse ante id temporis in ecclesia, colligitur ex casibus dubii Baptismi; cum enim dubitaretur, utrum Baptismus alicui fuerit administratus nec ne, Patres, immo rom. pontifices conferendum illum esse judicarunt, quin tamen voluerint se periculo exponere iterandi hoc sacramentum; adeoque sub conditione illud administrabant, saltem mente retenta. Quod vero prius sola mente concipiebatur, saec. VIII. coepit verbis exprimi: Alexander III. et Joannes XIII. ut ritus iste servaretur, edixerunt. Merito proinde a Pio VI. in *Constit. Auctorem fidei: Deliberatio synodi* (pistoriensis), *qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat, de omittenda formae conditionalis mentione,* proscribitur et declaratur *temeraria, praxi, legi, auctoritati ecclesiae contraria.* [7]

155. Quandonam vero sive in sacramentis characterem imprimentibus, sive in aliis adhibenda formula conditionata sit, docent theologiae moralis tractatores.

[6]) *De Synodo,* lib. VII. cap. 6. [7]) Prop. XXVIII.

SCHOLION III.

156. Circa *intentionem*, qua sacramenta administranda sunt, disputant theologi, num sufficiat *externa* et *objectiva*, an vero praeterea requiratur *interna* et *subjectiva*. Externa ea dicitur intentio, qua quis intendit exterius ponere quidquid ad actionem materialem sacramenti requiritur, materiam, formam, ritum exteriorem, serio cum apparatu debito, prout in ecclesia fieri consuevit, attamen intra se constituit non facere sacramentum. Interna autem illa appellatur, cum quis insuper intendit sacramentum reipsa conficere. Ambrosius Catharinus, cui plerique galli theologi assentiuntur, affirmat ad valorem sacramenti intentionem externam sufficere; Bellarminus, cum quo plerique itali theologi conveniunt, propugnat necessitatem intentionis internae.

157. Plura hinc inde afferuntur argumenta, quae non vacat diutius expendere, cum ad praxim haec disceptatio nihil conferat. Exploratum enim est, quod cum agitur de sacramentis, tutior pars sit semper consectanda. Tutior autem est sententia de necessitate internae intentionis. Huic etiam magis favet auctoritas; quamvis enim adversae partis theologi ad suum sensum trahere satagant verba Eugenii IV. in decreto pro Armenis: *Omnia sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi id quod facit ecclesia,* satis tamen aperta sunt pro vera intentione faciendi sacramentum, ut intendit ecclesia. Multo vero magis id patet ex propositione XXXVIII. ab Alexandro VIII. confixa: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere, quod facit ecclesia.* Etenim, ut observat Benedictus XIV. [8], quamvis sententia Catharini longe distet ab errore Lutheri, negari tamen non potest *grave vulnus* opinioni ejus fuisse inflictum ab Alexandro VIII. Hinc sapienter edixit: *Si constet quempiam, aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum, ex iis quae iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit ecclesia; urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum. Si tamen res moram patiatur, Sedis apostolicae oraculum erit exquirendum.* Sane intentionem internam influere in valorem sacramenti, praxis VII priorum saeculorum dandi Baptismum in dubio de ejus collatione sub tacita conditione, luculenter ostendit.

[8]) *De Synodo,* lib. VIII. cap. 4.

TRACTATUS

DE BAPTISMO.

1. Omnium sacramentorum novae legis primum Baptismus est, per quem aditus in ecclesiam patet. Variis nominibus in Scriptura et Patribus donatum Baptisma effertur; interdum enim *sacramentum aquae, vitae novae, fidei, illuminationis*, interdum *nativitatis secundae; lavacrum regenerationis ac renovationis* nuncupatur. A Catechismo rom. definitur [1]: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Vox *sacramentum* exprimit genus, *visibile* scilicet *signum* invisibilis gratiae; *regenerationis* vocabulum spiritualem denotat nativitatem, quam per ipsum consequimur; *per aquam in verbo* materiam et formam significant.

2. Veterum haereticorum, nempe archonticorum, marcosianorum, valentinianorum et quintilianorum doctrina, qua rejiciebatur Baptisma tamquam a malo principio invectum, jamdiu obsolevit. Haeretici recentiores, lutherani et calvinistae cum sectis, quae ex illis prodierunt, veritatem hujus sacramenti ultro admittunt. Si qui autem sunt, qui illud rejiciunt, increduli potius quam haeretici sunt, contra quos frustra ex Scripturis et traditione pugnares. Hac igitur dimissa thesi, quam uti admissam assumimus, ad ulteriora progredimur.

3. Quemadmodum novatores saec. XVI. paria fecerunt utriusque legis sacramenta, ita etiam par fecerunt Baptisma Joannis et Baptisma Christi ex eodem principio de sola fide justificante, ad quam excitandam sacramenta instituta sunt. Hunc errorem anathemate confixit tridentina synodus, Sess. VII. can. I: *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum*

[1]) Part. II. cap. 2. §. 5.

Baptismo Christi; anathema sit. Cum vero errorem hunc in Tract. superiore jamdiu praeoccupaverimus, ideo ab eo iterum refellendo supersedemus.

4. Acturi igitur sumus in praesenti Tractatu de hujus sacramenti natura, de materia scilicet et forma, deque ipsius ministro, subjecto, necessitate et effectibus. Siquidem haec sunt, quae in controversiam veniunt. His de more nonnulla adjiciemus scholia ad dictorum uberiorem illustrationem.

CAPUT I.

DE MATERIA BAPTISMI.

5. Duplex a theologis Baptismi distinguitur materia, *remota* et *proxima.* Remota est aqua, proxima ablutio. Circa materiam remotam praeter antiquiores haereticos, qui eam aut penitus rejecerunt uti seleuciani, herminiani, manichaei ac pauliciani; aut Baptismo aquae Baptismum sanguinis suffecerunt, uti de flagellantibus dicitur; errarunt recentiores, qui Luthero magistro, in *Symposiacis,* c. 17. autumarunt aptam Baptismi materiam esse *quidquid balnei loco esse potest.* Sociniani ad Baptismum non requirunt nisi aquam metaphoricam.

6. Circa materiam proximam Graeci litem intentarunt adversus ecclesiam romanam, eo quod Baptismum administrare consueverit per infusionem, omissa immersione, ac etiam ex eo quod valere doceat idem sacramentum etiam per aspersionem collatum. Eo progressi sunt, ut nullitatis incusaverint Baptisma ecclesiae romanae.

7. Doctrinam idcirco ac praxim romanae ecclesiae tum adversus protestantes quoad materiam remotam, tum adversus graecos schismaticos quoad materiam proximam vindicandam suscipimus.

PROPOSITIO I.

Aqua vera et naturalis est de necessitate Baptismi.

8. De fide propositio est, ex Tridentino, Sess. VII. can. II: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C.: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

9. Hujus propositionis veritas Scripturarum dictis et factis luculentissime constat; Christus enim ad Nicodemum ait [1]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis tum externam corporis per aquam ablutionem, tum internam per Spiritum S. nativitatem Christus expressit. Hoc autem sensu discipulos Christi verba intellexisse exhibent Acta apostolica, c. VIII. 36 et seqq. Cum enim Philippus eunuchum reginae Candacis edocuisset, *venerunt ad quamdam aquam, et ait eunuchus: Ecce aqua; quid prohibet me baptizari?... Et descenderunt*

[1]) Joann. III. 5.

uterque in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum; et iterum, ibid. X. 47. cum descendisset Spiritus S. in eos, quos Petrus edocebat, *respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi?*

10. Nec aliter Christi verba intellexit ac in praxim deduxit ecclesia, ut documenta omnia fidem faciunt, ac baptisteria ubique erecta. Interrogat proinde s. Augustinus [2]: *Quid est Baptismus Christi? Lavacrum in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus; tolle verbum, non est Baptismus.* Plura adjicere, esset tempus inutiliter terere.

DIFFICULTATES.

11. I. Obj. 1. Passim in Scripturis *aquae* vox metaphorice sumitur, ut Joann. IV. 13; VII. 37 et alibi. 2. Sane Baptisma Christi in aqua non esse conferendum declarat Joann. Baptista suum opponens Baptismum Baptismo Christi, dum dixit [3]: *Ego quidem baptizo in aqua. . . Ipse baptizabit in Spiritu S. et igni,* et hoc probavit Christus. [4] Spiritualis igitur et metaphoricus sive internus est Christi Baptismus, ut 3. insinuat Apostolus, scribens [5]: *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus;* haec autem mors et resurrectio non sunt nisi mysticae, ita et mysticus est Christi Baptismus, prout sanctus Augustinus animadvertit [6], monens, illa Christi verba, Joann. III: *Nisi quis renatus* etc., non esse carnaliter, sed spiritualiter intelligenda. 4. Sane Christus, ibid. arguens Nicodemum, quod non intelligeret se loqui de Baptismo symbolico, patefacit se non disserere de materiali Baptismo penes judaeos, immo et penes ethnicos usitatissimo. 5. Idcirco enim aquam cum Spiritu S. conjunxit; porro nos haud baptizamur in Spiritu S. nisi metaphorice. Ergo.

12. Resp. Ad 1. *D.* Aquae vox, immo et Baptismi interdum metaphorice sumitur in Scripturis, *C.* in subjecta materia, *N.* Praxis apostolorum in conferendo Baptismate in aqua juxta institutionem Christi, de vero vocis illius sensu omne amovet dubium.

13. Ad 2. *D.* Opponens Baptisma suum Baptismati Christi quoad virtutem et efficaciam, *C.* quoad materiam utriusque Baptismatis, *N.* Sic enim universa antiquitas verba Jo. Baptistae intellexit.

14. Ad 3. *N.* Sed alludit Apostolus ad ritum conferendi Baptisma per immersionem, quo ritu significari affirmat spiritualem mortem et resurrectionem a peccatis per Baptismum Christi efficiendas. S. Augustinus carnalem Nicodemi interpretationem excludit.

15. Ad 4. *D.* Arguit Christus Nicodemum, quod non intelligeret se loqui de regeneratione spirituali per Baptismum obtinenda, *C.* quod non intelligeret se non loqui nisi de Baptismo metaphorico, *N.* Nam hoc ipso quod plures

[2]) *Tract.* XV. *in Joann.* n. 4.
[3]) Matth. III. 11.
[4]) Act. I. 5.
[5]) Rom. VI. 4.
[6]) *Tract.* XI. *in Joann.*

figurae in V. T. praecesserint renovationis spiritualis obtinendae per Messiam, ac Baptismus ipse penes judaeos receptus symbolum esset interioris munditiae, jure merito arguitur Nicodemus, quod verba Christi acceperit de nova generatione seu nativitate carnali.

16. Ad 5. *Neg.* Sed ideo Christus cum aqua conjunxit Spiritum Sanctum, ut intelligeret Nicodemus effectum interioris nativitatis non ex sola aqua provenire, sed ex virtute Spiritus Sancti, qui interius cor mundat, dum aqua foris abluit corpus.

17. II. Obj. Plura exempla ex historia ecclesiastica suppetunt Baptismi aliter quam per aquam collati. Etenim 1. Jo. Moschus [7], ac Nicephorus [8], referunt judaeum morti proximum, aquae defectu, arena superinfusa baptizatum esse ac subito convaluisse. 2. Stephanus II. ratum habuit Baptisma in vino collatum infanti periclitanti, prout jamdiu validum ejusmodi Baptismum declaraverat Syricius. 3. Idque jure, cum interior animi ablutio quovis liquoris lavacro significari possit. Ergo.

18. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Quod tamen Baptisma invalidum a Dionysio antistite declaratum est et renovatum, *C.* secus, *N.* Merito fidei judaeus sanitatem est adeptus.

19. Ad 2. *D.* Quod tamen responsum uti suppositititium, aut saltem mendosum a criticis habetur, *C.* sincerum, *subd.* excusando baptizantis ignorantiam, *C.* probando Baptisma, *N.* Sic etiam uti suppositititium rejicitur decretum Syricii, quod omnium primus post plura saecula protulit Theodorus cantuariensis in suo *Poenitentiali.*

20. Ad 3. *D.* Accedente voluntate Christi, *C.* secus, *Tr.*

PROPOSITIO II.

Vera est de Baptismi sacramento doctrina vigens in ecclesia romana, quae tenet illum aeque valere, sive per immersionem sive per infusionem aut aspersionem conferatur.

21. De fide est propositio ex parte juris, certa ex parte facti. Concilium enim tridentinum, Sess. cit. hunc can. qui 3. est de Baptismo, edidit: *Si quis dixerit in ecclesia romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam; anathema sit.* Notorium autem est a pluribus saeculis ecclesiam romanam consuevisse conferre Baptisma per infusionem.

22. Jam vero aeque valere Baptismum sive immersione, sive infusione aut aspersione administretur, facile evincitur, si ostendatur ex sensu ac praxi totius antiquitatis immersionem haud esse essentialem huic sacramento; atqui id constat.

23. I. Ex Baptismate clinicorum, eorum scilicet, qui in lecto gravi morbo decumbentes tincti sunt, qui certe non fuerunt in aquam immersi,

[7]) *Prat. spiritual.* cap. 160.

[8]) *Hist.* lib. III. cap. 37.

sed sola infusione lustrati sunt. Atqui ex universa historia ecclesiastica, ac Patrum testimoniis, ejusmodi Baptismata primis saeculis frequentissima fuisse constat, quin umquam de eorum valore dubium fuerit excitatum.

24. II. Constat ex documentis illis, quae perhibent quovis tempore collatum Baptismum sola infusione, nullo reclamante; talia sunt acta martyrii s. Lucilli apud Surium; s. Bacchi apud Combefisium, s. Gratiliani, nec non s. Lindgeri, qui exhortabatur mulieres ut infantulos morituros baptizarent *intinctos aqua vel superinfusos* apud Martenium [1], ut alia omittam.

25. III. Constat ex veteribus picturis et sarcophagis, in quibus Baptismus per infusionem administratus visitur, ut referunt Martenius, loc. cit. et Ciampinius, in *Veteribus Monumentis.* [2]

26. IV. Constat ex confessione et agendi ratione ipsorummet Graecorum; omissis enim canonistis Ecbanassal Echmini, et Gregorio Abulfaragio, qui fatentur valere Baptismum per infusionem datum, Goarius testis oculatus, in suo *Euchologio* refert Graecos passim recens natos infantulos *superinfusione baptizare.*

27. Numquam igitur ut essentialis Baptismo immersio habita est. Plures vero eaeque gravissimae causae induxerunt ritum conferendi Baptisma aut sola infusione aut aspersione jam a saec. VI. ut ostendit Mabillonius in *Musaeo italico:* scilicet major facilitas, infantium conditio, pudicitia mulierum, frigoris rigor in septentrionalibus plagis.

DIFFICULTATES.

28. Obj. 1. Trina immersio mysticam habet significationem ex Apostolo [3], mortis ac sepulturae Christi, quae evanescit per infusionem aut aspersionem. 2. Hunc praeterea immersionis ritum repetunt Patres ex traditione apostolica et praecepto Christi. 3. Poenae idcirco constitutae erant in illius transgressores. 4. Sane concilium constantinopolitanum I. eunomianos vel unica immersione vel infusione tingentes irriti Baptismi damnavit; prout eadem de causa Gregorius M. irritum declaravit Baptisma apud bonosiacos. 5. Cornelius de Baptismo Novatiani per infusionem collato dubitavit, uti dubitavit etiam Magnus africanus antistes. Ergo.

29. Resp. Ad 1. *D.* Mystica illa significatio non ita expressa habetur in Baptismo, per aspersionem aut infusionem dato, uti per immersionem, *C.* evanescit prorsus, *N.* Addo significationem essentialem esse ablutionem, alteram vero non esse nisi accidentalem.

30. Ad 2. *D.* Ex traditione apostolica, sed disciplinari, *C.* dogmatica, *N.* Alioquin numquam praetermissa fuisset. Quod adjicitur de praecepto Christi, lato sensu accipi debet, proveniente ex ejus exemplo, non autem presse sumpto.

31. Ad 3. *D.* Adversus privatos statutae, quibus citra necessitatis

[1]) *De antiquis eccl. ritib.* lib. I. cap. 1. art. 25.

[2]) Part. II. tab. 4 et 5.

[3]) Rom. VI. 4.

casum a recepta communi disciplina recedere non licet, *C.* ob nullitatem Baptismi, *N.* Hoc esset ostendendum.

32. Ad 4. *D.* Ob vitiatam formam ac haereticum principium, quo tum eunomiani tum bonosiaci Baptismum administrabant, *C.* praecise ob unicam immersionem aut infusionem, *N.* Cum enim peccarent circa doctrinam Trinitatis haeretici illi formam vitiaverant, adeoque irritum declaratum est illorum Baptisma.

33. Ad 5. *D.* Dubitavit Cornelius de effectu Baptismi ob pravam Novatiani dispositionem, *C.* de ejus valore in se, *N.* Clinicorum dispositio suspecta ut plurimum fuit, adeoque uti irregulares habebantur. Magni porro dubium excussit s. Cyprianus [4], immo sustulit ecclesia universa ea praxi, quam adoptavit.

CAPUT II.

DE BAPTISMI FORMA.

34. Breviter ab hac quaestione nos expediemus, cum veteres haereses gnosticorum, valentinianorum caeterorumque ejusmodi, quae Baptismi formam vitiaverant, penitus obsoleverint; hodierni vero haeretici, qui adhuc Baptisma retinent, formam ecclesiae romanae retinuerint. Licet vero zwingliani, calvinistae ac sociniani veram Baptismi formam servent, contendunt tamen eam minime necessariam esse, adeoque pro ejus necessitate pugnare debemus. Quod vero attinet ad quaestionem *facti,* utrum apostoli ex peculiari dispensatione aliquando Baptisma in nomine tantum Jesu Christi contulerint, uti non pauci catholici theologi contendunt, eam ad scholia subjicienda remittimus.

PROPOSITIO.

Vera est de sacramento Baptismi doctrina in ecclesia romana, quae tenet baptizandum esse sub distincta invocatione trium divinarum personarum.

35. De fide propositio est vi canonis tertii concilii tridentini supra allegati collatique cum can. IV. in quo idem concilium decernit verum esse Baptisma ab haereticis datum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Forma igitur ab ecclesia romana praescripta et servata est: *Ego te baptizo in nomine Patris* etc., a qua non differt quoad substantiam quae adhibetur in ecclesia graeca: *Baptizatur, βαπτίζεται, servus Dei in nomine,* etc.

36. Veram porro esse ecclesiae romanae, seu potius universalis, doctrinam circa Baptismi formam, ex Christi verbis patet, Matth. cap. ult.: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Quibus Patres innixi uno ore docent nullum esse Baptisma sine trium divinarum personarum distincta invocatione. Tertullianus [1]: *Lex,* inquit, *tingendi imposita est et forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes tingentes*

[4]) *Epist.* LXXVI.

[1]) Lib. *De Bapt.* cap. 13.

eas in nomen Patris etc.; s. Cyprianus [2]: *Quando Christus*, scribit, *baptizare jubeat in plena et adunata Trinitate.* Sic Patres reliqui.

37. Perpetua denique constansque utriusque ecclesiae doctrina colligitur non solum ex earum praxi, de qua testantur synodi, arelatensis I. et nicaena I. sed praeterea ex argumentis, quae Patres ex eadem praxi eruebant ad confundendos sabellianos, arianos, macedonianos, eunomianos aliosque Trinitatis hostes; ac demum conficitur ex omnibus ecclesiae orientalis Euchologiis et ecclesiae occidentalis ritualibus libris collectis a Martenio et Renaudotio.

DIFFICULTATES.

38. Obj. Si Christi verba inducerent necessitatem hujus formae, numquam ea omissa esset; atqui ea prorsus omittitur in collatione Baptismi, quae a s. Ambrosio, seu ab Auctore libror. *De sacramentis,* lib. II. cap. 7. exhibetur, ubi ritus baptizandi describitur; prout pariter fit in *Libro Gelasiano,* ex codicibus Thomasii et Colbertino. 2. Nec mirum: alioquin, cum Christus dixerit: *Euntes docete,* colligi posset necessitas proferendi verba: *Ego te doceo,* quod nemo dicet. Ergo.

39. Resp. Ad 1. *Neg. min.* Nec enim s. Ambrosius seu Auctor librorum *De sacramentis* in objecto loco sibi proposuit ritum tingendi describere, sed enumerandi interrogationes mersionesque juxta finem, qui in illis praestitutus erat. Sane hic idem Auctor jam praemiserat [3]: *Coelestia verba, quae Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Haec eadem repetit, cap. 7. n. 22. Neque aliter exponi debet, quod ex *Libro Gelasiano* objicitur; siquidem in eodem libro, prout eum referunt codices Regius et Noviomensis, haec formula legitur pro Baptismo infirmorum: *Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut habeas vitam aeternam.* Ejusmodi porro additiones, quae in nonnullis formulis reperiuntur, non officiunt substantiae.

40. Ad 2. *N.* Tum quia actio docendi per se innotescit quin exprimatur, actio vero sacramentalis Baptismi per formam determinari debet, lotio enim materialis ad plures fines adhiberi potest; tum quia de voluntate Christi ex modo, quo ab ecclesia in praxim deducta est, satis constat.

CAPUT III.

DE MINISTRO BAPTISMI.

41. Triplex distinguitur Baptismi administratio, *solemnis, publica et privata.* Solemnis ea dicitur, quae fieri consuevit in solemnitatibus Paschatis et Pentecostes; publica, quae passim fit suis ritibus ac caeremoniis; privata, quae in necessitatis casu. Jam vero solemnis Baptismatis minister *ordinarius* est episcopus; publici est sacerdos, *extraordinarius* est diaconus. Si quis alius haec Baptismata conferat, *valide* quidem, sed *illicite* administrat.

[2]) *Ep.* LXXIII. *ad Jubajan.* cap. 4. [3]) Ibid. lib. II. cap. 5. n. 14.

Privati autem Baptismi minister in necessitatis casu quilibet esse potest sive clericus sive laicus, sive mas sive femina. Circa ministrum ordinarium et extraordinarium solemnis ac publici Baptismi nulla controversia viget cum protestantibus, adeoque breviter nos ab hoc doctrinae capite expediemus: at circa ministrum privati Baptismi nobis litem intentant calviniani, quorum non pauci censent Baptismum etiam in necessitatis casu a laico, praesertim vero a muliere administratum, nullum ac irritum esse.

PROPOSITIO I.

Sacramenti Baptismatis ministri ordinarii sunt episcopi et presbyteri, extraordinarii vero et ex delegatione, diaconi.

42. Propositio est *certa* quoad omnes suas partes. De episcopis nemo est, qui dubium moveat: quoad presbyteros eos esse ministros ordinarios, licet *subordinatos*, declarat Eugenius IV. qui in suo Decreto pro Armenis haec habet: *Minister hujus sacramenti Baptismi est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Hoc enim sensu quoad Baptismi collationem semper intellexit ecclesia verba Christi: *Euntes docete, baptizantes.* Hinc *Constitutiones apostolicae* permittunt *solos episcopos ac presbyteros ministrantibus diaconis* baptizare [1]: ut alia pene innumera documenta praetermittam.

43. Quoad disciplinam tamen receptum antiquitus est, ut soli episcopi fere baptizarent, aut certe nemo sine episcopi permissione, ut debita subordinatio hierarchica servaretur.

44. Diaconos autem ministros Baptismi extraordinarios esse liquet ex Act. c. VIII. 38. ubi Philippus eunucho contulisse Baptismum perhibetur, et v. 12. baptizasse dicitur viros ac mulieres. Ex delegatione autem hoc sacramentum eum administrasse uti ministrum extraordinarium habemus ex sensu antiquitatis. *Diaconis enim*, ut scribit s. Epiphanius [2], *nullam in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur, sed hoc dumtaxat, ut eorum, quae perficiuntur, ministri sint;* et lib. VIII. *Constit. apostolic.* c. 28. expresse dicitur: *Illos non baptizare.* Romae tamen receptum erat, ut diaconi in pervigilio Paschatis baptizarent, ob ingentem accedentium ad Baptisma multitudinem, ut patet ex *Epist.* X. s. Syricii *ad Episc. Galliae*, cap. 4. n. 10. Baptizabant praeterea in diaconiis, in quibus ipsi plebem regebant, uti habetur ex conc. illiberitano, can. LXX. Exinde ratio patet eorum, quae in diaconorum ordinatione dicuntur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare*, intelligenda esse de officio quod ipsis competit, accedente delegatione. Etenim, uti observat s. Thomas [3] diaconi proprie instituti sunt, *ut ministerium adhibeant aliis majoribus* (ordinibus) *in sacramentorum exhibitione.* Cum non repugnent protestantes, ideo ab afferendis

[1]) Lib. III. cap. 12.
[2]) *Haeres.* LXXII. n. 4.
[3]) Part. III. qu. 67. art. 1.

difficultatibus, quae solum oriri possent ex conciliatione ad speciem sibi adversantium documentorum, supersedemus.

PROPOSITIO II.

Necessitate cogente a quocumque, sive masculo sive femina, immo et ab haeretico et infideli, Baptismus valide ac licite administrari potest.

45. Ad fidem spectat propositio; in concilio enim lateranensi IV. cap. *Firmiter*, haec sancita sunt: *Sacramentum Baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis... consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma ecclesiae a quocumque rite collatum, proficit ad salutem;* et Eugenius IV. in cit. *Instruct.* disertius adhuc: *In casu necessitatis,* inquit, *non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest.*

46. Ac primo laicos, urgente necessitate, licite conferre posse Baptismum ex sensu ecclesiae docet Tertullianus, qui scribit [1]: *Alioquin et laicis jus est;* ac s. Hieronymus pro certo hoc sumens ait [2]: *Baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis.* Eadem habent s. Augustinus [3], et conc. illiberitanum, can. XXXVII. nec diffitetur vel ipse Calvinus. [4]

47. De haereticis, quod licite, instante mortis periculo, ab iis peti possit Baptisma, ad consulendum propriae saluti aeternae jam nemo ambigit, neque protestantes inficiantur.

48. De infidelibus dubitatum ab Augustino est, utrum valide, ac proinde urgente necessitate, licite possit ab illis conferri Baptisma ac peti; ea tamen s. Doctor jecit principia, ex quibus patet, eum inclinari in partem affirmantem. Principium siquidem ejus fuit: *Baptismus a quocumque ministretur, semper est Christi* [5]; huic innixus defendit validum esse Baptismum collatum ab haereticis. Atqui hoc ipsum principium aeque valet pro Baptismo administrato ab infidelibus. Omne demum dubium sublatum ab ecclesia est; jam enim saec. IX. Nicolaus I. in *Responsione ad consultum Bulgaror.* constituit valere Baptismum ab homine judaeo vel pagano collatum; idemque, ut vidimus, declararunt conc. lateranense IV. et Eugenius IV. Idque jure merito, cum ejusmodi doctrina ex valore Baptismi haereticorum, veluti ex germine suo efflorescat.

DIFFICULTATES.

49. I. Obj. 1. Jus baptizandi ex Matth. XXVIII. sequitur jus docendi, quo profecto carent laici. 2. Nuspiam proinde in Scripturis legimus laicos baptizasse. 3. Adeoque s. Gregorius nazianzenus et s. Satyrus neque in imminenti naufragii periculo passi sunt a laicis tingi. 4. Sane eadem est ratio Poenitentiae post lapsum ac Baptismi: nemo porro dicet eam, necessitate

[1]) Lib. *De Baptismo,* cap. 7.
[2]) *Dial. contra Lucifer.* n. 9.
[3]) *Contr. epist. Parmeniani,* l. II. c. 13.
[4]) *Institut.* lib. IV. cap. 15. §. 20.
[5]) Apud Gratian. in *Decr.* p. 3. *de Consecrat.* dist. 4.

cogente, posse a laico administrari. 5. Cyprianus, Firmilianus, Basilius, spectabant Baptismum ab haereticis datum, uti *Baptismum administratum a laicis*, id est, nullum ex eorum sententia. 6. Concilium illiberitanum concedit quidem laico, urgente necessitate, facultatem baptizandi, adjecta ea tamen conditione: *Dummodo lavacrum suum integrum habeat, nec sit bigamus.* Ergo.

50. Resp. Ad 1. *D.* Ex officio, *C.* ex dispensatione ac privatim, *N.* Jam vero laicis permissum est privatim docere, adeoque et baptizare in casu nostro.

51. Ad 2. *Tr.* Ex silentio Scripturarum id unum colligi potest, quod ad traditionem, ut in pluribus aliis, recurrendum sit. Non desunt, qui contendant Ananiam, a quo Paulus, et fratres, a quibus jussu Petri Cornelius cum domo sua tincti sunt, fuisse laicos.

52. Ad 3. *D.* Quia putabant se in tali periculo non versari, in quo possent a laicis licite baptizari, *Tr.* vel *C.* quasi censuerint invalidum esse lavacrum a laicis administratum, *N.*

53. Ad 4. *Nego* paritatem, cum hoc pendeat a voluntate Christi. Accedit quod infantibus nulla alia ratione subveniri possit quam per Baptismum.

54. Ad 5. *D.* Administratum a laicis infidelibus, *C.* fidelibus, *N.* Rebaptizantes uti haereticorum, ita, immo multo magis infidelium Baptismum irritum habebant.

55. Ad 6. *D.* Ut *liceat*, dignioribus praesentibus, *C. valeat, N.* Caeterum nondum convenit inter eruditos, quid sibi voluerint Patres illiberitani per illam singularem conditionem, quam adjecerunt.

56. II. Obj. Saltem a feminis nullo in casu valide aut licite Baptisma conferri potest; Tertullianus enim scribit [6]: *Non permittetur mulieri in ecclesiis loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre.* S. Epiphanius hac de causa reprehendit marcionitas ac pepuzianos. [7] Concilium carthag. IV. can. C. statuit: *Mulier baptizare non praesumat;* quod si huic canoni Gratianus ac Magister sententiarum adjiciunt: *Nisi necessitate cogente,* haec clausula concilii non est. Ergo.

57. Resp. *Neg. Ant.* Quae vero documenta allata sunt, unice afficiunt Baptisma publicum ac solemne, quale reipsa feminis haeretici pepuziani, marcionitae et collyridiani per summum nefas demandabant perinde ac caetera sacerdotalia munia, uti testatur Tertullianus. [8] Concilium autem carthaginiense vetat quominus mulieres in *coetu virorum* audeant docere ac baptizare, uti colligitur ex can. immediate praecedente; adeoque Gratianus et Petrus Lombardus per adductam clausulam verum referunt concilii sensum.

58. III. Obj. Si insistamus doctrinae Patrum, irritum habebimus Baptisma ab infidelibus collatum. Etenim ipsi rebaptizantes refellebant ex eo principio, quod alteri quis dare possit, quod accepit, nec propter haeresim

[6]) ***De virginibus velandis***, cap. 9.
[7]) ***Haeres.*** 42.
[8]) ***De Bapt.*** cap. 41.

amisit; sic Tertullianus, qui ideo censuit laicos necessitate cogente tingere posse, quia *quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potest* [9]; ac s. Hieronymus [10]: *Ut enim,* inquiebat, *accepit quis, et dare potest;* hinc ita luciferianum perstringebat: *Novam rem asseris, ut christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit christianus.* Quapropter in *Capitularibus* ab Angeliso et Benedicto levita collectis, lib. VIII. praecipitur, *ut qui a paganis baptizati sunt, denuo a sacerdotibus in nomine ss. Trinitatis baptizentur;* ac lib. VI: *Si quis presbyter ordinatus deprehenderet se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum, ac omnes quos baptizaverit.* Ergo.

59. Resp. *Trans.* vel *Neg. Ant.* Nondum enim eliquata controversia de Baptismo haereticorum, nil mirum si Patres arbitrarentur nullum esse Baptisma administratum ab infidelibus. Eo vel magis quod haec quaestio nondum illa aetate agitari coeperit. Constituta porro ac in lumine suo posita doctrina catholica de valore Baptismi ab haereticis collati, cum idem principium, quod Baptismus Christi sit, a quocumque conferatur, veluti conclusio in illo principio contenta evoluta est de valore Baptismi dati ab infidelibus. Sicque exponuntur quae a Patribus objecta sunt.

60. Capitularia vero, de quibus agitur juxta Natalem Alexandrum, intelligi debent de Baptismo non rite administrato, sive defectu materiae, sive defectu formae aut intentionis. Haec unica ratio suppetit ad componenda, quae in iisdem, lib. V. cap. 6. leguntur: *Si quis baptizatus est a presbytero non baptizato; et sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuit, baptizatus est.*

CAPUT IV.

DE BAPTISMI SUBJECTO.

61. Proles naturalis doctrinae luthero-calvinisticae de sola fide justificante prodiit anabaptismus. Storchius enim anabaptistarum parens ex illo principio deduxit: ergo invalide infantes, utpote fidei incapaces, tinguntur. Hanc ipsam doctrinam amplexi deinceps sunt sociniani et arminiani.

62. Lutherus ab Erasmo edoctus constituit interrogandos esse pueros cum ad discretionis aetatem pervenerint, *ratum ne haberent quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in Baptismo: Si respondeant se ratum habere, tunc publice renovetur ea professio;* quod si negent, mediis omnibus frustra adhibitis, *expediet illos non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscant, nec ad aliam interim vocari poenam, nisi ut ab Eucharistia sumenda reliquisque sacramentis arceantur.* Hunc ritum adhuc lutherani ac reliqui protestantes frequentant, ludicramque hanc caeremoniam *Confirmationem* vocant. Nonnulli autumarunt permittendum saltem pueris ejusmodi esse examen fidei, ne ex *enthusiasmo*, ut aiunt, seu *fanatismo* credere videantur. Adversus quos errores sit

[9]) *De Bapt.* cap. 17.

[10]) *Dial. adv. Luciferian.* n. 9.

PROPOSITIO I.

Praestat parvulos baptizare, licet actum credendi non habeant.

63. De fide propositio est: Tridentinum enim, Sess. VII. can. XII. *de Bapt.* emisit: *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit;* et can. XIII: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habeant, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiae; anathema sit.*

64. Veritas haec, quae in Scripturis vix insinuatur, plene comprobatur ex traditione. Dixi vix in Scripturis veritatem hanc *insinuari*, quia expresse de parvulorum lavacro nihil legitur: insinuatur tamen, cum enim Christi verba, Joann. III. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, generalia sint, etiam infantes complectuntur, cum et ipsi mortui per Adae peccatum renasci in Christo debeant, ut introire possint in regnum Dei, alioquin dimidia saltem pars generis humani quae praemori solet antequam usum rationis attingat, ab aeterna salute ac redemptionis fructu excluderetur. Insinuatur praeterea iis omnibus in locis, in quibus integrae domus baptizatae perhibentur, cujusmodi fuerunt Lydiae purpurariae, Stephanae, ac satellitis carcerem Pauli custodientis, in quibus infantes fuisse jure praesumitur.

65. Plane vero in traditione eamdem veritatem reperiri efficitur ex perpetua constantique ecclesiae praxi in infantibus tingendis. Hujus praxeos testis est s. Augustinus, qui scribit [1]: *Hoc ecclesia semper habuit, semper tenuit; hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit.* Sane Origenes ait [2]: *Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare.* Irenaeus pariter Polycarpi discipulus [3]: *Christus*, inquit, *omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et juvenes, et seniores.* Nihil attinet de Cypriano dicere, qui, coacta synodo, Fidi sententiam repulit autumantis infantes nonnisi octavo a nativitate die baptizari debere. Hoc demum adeo exploratum erat, ut pelagiani non diffiterentur, atque exinde Patres adstruerent in omnes originalis noxae propagationem.

DIFFICULTATES.

66. I. Obj. 1. Scriptura infantes a Baptismo excludit: siquidem Christus Matth. ult. instructionem cum Baptismo conjunxit, dicens: *Docete . . . baptizantes;* et Marc. ult. conjunxit fidem: *Qui crediderit et baptizatus fuerit;* Petrus conjunxit poenitentiam, Act. II. 38: *Poenitentiam agite et baptizetur*

[1]) *Serm.* CLXXVI. *de verbis Apost.* n. 2.

[2]) Lib. II. *in Epist. ad Rom.* cap. 6.

[3]) *Contr. haeres.* lib. II. cap. 48. n. 4.

unusquisque vestrum. Jam vero infantes nec instructionis, nec fidei, nec poenitentiae capaces sunt. 2. Nec officit illud: *Nisi quis* etc., prout non officit illud, Joann. VI: *Nisi manducaveritis* etc., quia infantes incapaces mandati sunt, ergo quemadmodum non erat necessaria porrectio Eucharistiae infantibus, sic necessaria non est eis susceptio Baptismi. 3. Quare Christus exemplo suo nobis praeivit, dum nonnisi aetatis suae anno trigesimo baptizari voluit. 4. Injustum denique est jugum Christi infantibus nescientibus imponere. Ergo.

67. Resp. Ad 1. *N.* Ad tres autem probationes petitas ex conjunctione instructionis, fidei ac poenitentiae, *D.* Et haec afficiunt adultos, *C.* infantes, *N.* Id enim liquet ex subjecta materia.

68. Ad 2. *Nego* paritatem; verba enim quae leguntur, Joann. III. generalia sunt, nec mandatum solum continent, sed *medium* ad ingressum regni coelorum, contra vero quae habentur, Joann. VI. vere mandatum continent, atque idcirco in persona secunda enunciata sunt: *Nisi manducaveritis.* Priora item verba patefaciunt necessitatem Baptismi ad novam vitam inchoandam; posteriora ad vitae jam acceptae conservationem, augmentum ac reparationem, qua nonnisi adulti indigent. Atque haec praecipua ratio est quare intermissa fuerit porrectio Eucharistiae infantibus non autem Baptismi administratio.

69. Ad 3. *D.* Si Christo fuisset necessarius Baptismus uti infantibus ex Adam progenitis, scilicet in peccato, *C.* si libere atque humilitatis gratia sit ab eo susceptus, *N.* Ita jam huic difficultati responderat s. Greg. nazianzenus. [4]

70. Ad 4. *D.* Si de eo ageretur, quod jure naturae liberum est, *C.* si de eo, quod jure naturae omnibus est necessarium, cujusmodi est Dei jussis obtemperare, *N.* Omnes enim tenentur Christi jugum subire, si salvi esse velint. Crudele proinde esset tam ingenti beneficio, cujusmodi est regeneratio, infantes privare sub obtentu, quod illis inscientibus jugum Christi imponeretur.

71. II. Obj. 1. Viguit consuetudo IV. et V. saeculo, ut nonnisi adulti baptizarentur. 2. Quod confirmat concilium neocaesariense, juxta quod baptizari illi debent, qui *proprium institutum ac propositum in confessione ostendunt.* 3. Adstipulatur eidem Tertullianus, qui scribit [5]: *Ait quidem Dominus, nolite illos prohibere ad me venire.. Veniant ergo cum adolescunt... fiant christiani, quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* Id ipsum habet s. Greg. nazianzenus. [6] Immo s. Hieronymus, in cap. ult. s. Matthaei scribit, fieri non posse, *ut corpus Baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei receperit veritatem.* 4. Nec sufficit illos credere fide ecclesiae, vel spondere per fidejussores; quidnam enim fides illa sit adhuc ignoratur, fidejussores vero, uti obser-

[4]) *Orat.* XL. *in sanctum Baptisma*, n. 28.
[5]) *De Bapt.* cap. 18.
[6]) *Orat.* XL. n. 27.

vaverat Bonifacius episcopus apud Augustinum [7], nonnisi temere spondere possunt de eo, quod utrum futurum sit, ignorant. Ergo.

72. Resp. Ad 1. *D.* Per quemdam abusum, qui saeculis illis inoleverat, improbatum ab ecclesia, et in quem Patres perpetuo insurrexerunt, *C.* per legitimum usum ad exclusionem Baptismi, qui conferebatur infantibus, *N.* Plures utique tunc temporis seu ut liberius viverent, seu quacumque alia de causa usque ad seram aetatem, quandoque vero etiam usque ad mortis periculum susceptionem Baptismi differebant. Hanc porro agendi rationem semper ecclesia improbavit, ac Patres acriter in eam insurrexere.

73. Ad 2. *N.* Nam concilium istud nihil aliud sibi proposuit quam declarare non inservire foetui latenti in utero matris lavacrum a matre susceptum.

74. Ad 3. *D.* Ex singulari istorum Patrum sententia, ac citra mortis periculum, *C.* absolute. *N.* Jam vero unius alteriusve peculiare placitum, quod ecclesiae decreto ac praxi adversetur, monente ipso Gerardo Vossio, detrahere nequit veritati. Caeterum Tertullianus [8], et Gregorius naz. in objecta ipsa *Oratione*, profitentur in necessitatis casu non solum posse, sed debere infantes baptizari. Quo solo evertitur anabaptistarum systema.

75. Ab his duobus sejungi debet s. Hieronymus, qui in adductis verbis unice loquitur de adultis, uti series orationis evincit. In *Dialogo* praeterea *adversus Pelagianos*, n. 17 seqq. docet *infantes in remissionem peccatorum baptizandos.*

76. Ad 4. *D.* Si *fidei ecclesiae* nomine actualis ac vicaria fides intelligatur, *C.* si ipsa Baptismi collatio, *N.* Fides ecclesiae efficit ut infans baptizetur. Sponsio fidejussorum aut parentum subrogata est sponsioni illi quam adulti per se faciebant; cum vero hic apparatus caeremonialis sit, nihil influit ad Baptismi essentiam ac valorem. Nihil igitur refert quod sponsores ignorent quid infantes, cum adoleverint, facturi sint. Fides habitualis infunditur per Baptismum animae infantium, qua fit, ut ipsi formaliter, ut aiunt, seu habitualiter fideles efficiantur.

PROPOSITIO II.

Parvuli baptizati cum adoleverint interrogandi non sunt, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, non sunt suo arbitrio relinquendi.

77. De fide propositio est, sancita a Tridentino, can. XIV: *Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos*, etc.

78. Duo complectitur propositio, *fidem* et *mores*, duo enim haec pollicentur sponsores ex nomine infantium, atque haec sunt quae, cum adoleverint, infantes praestare tenentur.

79. Ut apprime quaestionis status innotescat, praemittimus I. illam exortam esse ex protestantismi essentia, quae in libertate examinis tota con-

[7]) *Ep.* XCVIII. n. 7.

[8]) Lib. *De anima*, cap. 38 ac 39.

sistit, ad discrimen catholicismi, qui natura sua poscit auctoritatem ecclesiae ut regulam fidei proximam. Exinde illa calumnia profluxit protestantium adversus catholicos, quamque vividius deinceps J. J. Rousseau ac Fréret instaurarunt, quod caeca ac temeraria sit rudiorum catholicorum fides.

80. Quod inconveniens ut eliminetur, contenderunt, pueris catholicis, cum ad annos discretionis pervenerint, permittendum esse examen dubitativum, ut prudentem, omnibus perpensis, actum fidei elicere possint. Cumque D. De Pompignan, ut Rousseau ac Fréret disjiceret difficultates, respondisset catholicos quidem fateri se haud comprehendere *quid* mysteriorum credendorum, non tamen ignorare *quare* sit credendum per examen motivorum credibilitatis; cum, inquam, haec respondisset Pompignan, insurrexit Anonymus sub ementito philosophi genovensis nomine, ac datis ad eum litteris adnisus est ostendere, in catholica ecclesia non solum nullum ejusmodi examen permitti, sed penitus interdici, ut patet ex Tridentino canone.

81. Praemittimus II. duplex distingui fidei examen, quorum alterum *dubitativum*, *confirmativum* alterum nuncupatur. Dubitativum illud est, quo mens, incerta et anceps de veritate alicujus articuli, rationum momenta expendit quibus permoveatur; confirmativum vero illud dicitur, quo mens certo tenet quod credit, cum vero ignoret peculiaria fundamenta, quibus innititur, in ea inquirit ad ignorantiam depellendam. Prius examen nequit cum fide consistere; bene vero posterius.

82. Praemittimus III. per Baptismum infundi in infantes fidei habitum, seu dispositionem illam, qua adjuti actualis gratiae auxiliis facile erumpant in fidei actum, cum illis ab ecclesia proponuntur objecta credenda cum suo motivo formali, nempe auctoritate Dei revelantis.

83. Quibus praemissis, sic jam accedimus ad primam propositionis partem evincendam. Examen dubitativum permitti nequit hujusmodi parvulis, si 1°. destruit dispositionem quam illi in Baptismo consecuti sunt; si 2°. fidei sit eversivum; si 3°. non sit illorum aetati accommodatum; si denique 4°. eidem suppletur per ecclesiae auctoritatem. Atqui res ita se habet.

84. Etenim 1°. destrui per examen dubitativum fidei habitum exinde liquet, quod iste inclinet ad assentiendum firmiter veritatibus fidei, illud vero ex dubio procreetur, atque dubium et haesitationem supponat. 2°. Fidei esse eversivum ex eo patet, quod fides ac dubium sibi invicem adversentur, ac se invicem excludant. 3°. Nec minus clare constat ejusmodi examen haud esse aetati puerorum accommodatum. Ad hoc enim instituendum non modo acre requiritur judicium, sed innumerae pene exiguntur cognitiones biblicae, criticae, historicae, philosophicae etc., quibus vix instructi esse possunt viri in studiis enutriti. Aut igitur numquam pervenient ad actum fidei eliciendum, aut fatendum illis supplere, quod quarto loco constituimus, ecclesiae auctoritatem, quae, utpote regula fidei proxima, sola potest defectui motivorum quae intrinseca sunt prospicere. Quaevis alia via aut absurda est, aut ad indifferentismum, aut ad incredulitatem perducit.

85. Altera vero propositionis pars, quae mores afficit, sic osten-

ditur. Non debent nec possunt interrogari pueri baptizati, an ratas habere velint sponsiones ex eorum nomine factas a susceptoribus, si ejusmodi interrogatio adversetur obligationi qua illi obstringuntur utroque jure divino ac naturali. Jam vero rem ita se habere facile ostenditur. Interrogatio, an quis velit aliquid praestare, supponit libertatem, sive immunitatem a quovis obligationis vinculo. Porro hac immunitate haud fruuntur pueri tincti Baptismate; siquidem ad efficiendum quod sponsores polliciti sunt, tenentur pueri isti primo lege divina. Peremptoria sunt Christi verba Matth. ult.: *Baptizantes eos... docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Sed tenentur praeterea lege naturali, tum quia lex naturae clamat, ut qui a maximo liberatur malo, cujusmodi est exitium sempiternum, maximoque donatur bono, cujusmodi est aeterna salus, illam debeat adimplere conditionem sub qua utrumque collatum est; tum quia per Baptismum infantes cooptantur in ecclesiam; ast quicumque membrum fit aut nascitur alicujus societatis, naturali jure obstringitur ad leges servandas ejusdem societatis. Sane non alia ratione se gerit politica societas respectu eorum, qui in ea nascuntur; hinc neque synagoga umquam circumcisos octavo a nativitate die, aut ecclesia recens baptizatos interrogavit, utrum voluerint leges respective proprias servare nec ne, sed indiscriminatim omnes adacti sunt ad servanda propria uniuscujusque religionis instituta. Hinc jure merito Tridentinum hos edidit canones contra novatores, can. VII: *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae; anathema sit.* Et can. VIII: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.*

DIFFICULTATES.

86. I. Obj. 1. Nemo prudenter credit, quin prius motiva expenderit quibus cognoscat esse credendum. 2. Ecclesiae auctoritas supplere nequit defectui ejusmodi examinis motivorum, alioquin pueri graecorum rite in schismate instituerentur; aliunde vero ut crederent pueri ob infallibilem auctoritatem ecclesiae, deberet ipsis certo constare ecclesiam in qua nati sunt, solam veram ecclesiam esse, quod sine examine scire nequeunt. 3. Haec proinde agendi ratio viam aperit ad universalem tolerantismum, cum quilibet veram illam doctrinam teneat in qua a parentibus seu institutoribus instructus est. Ergo.

87. Resp. Ad 1. *D.* Si adultus ac nondum baptizatus sit, *Tr.* vel *C.* si parvulus baptizatus, ac vix rationis usum assecutus, *N.* Nec enim ejusmodi parvuli, ut vidimus, huic examini idonei sunt; sola proinde ecclesiae auctoritas ipsis accommodata est, cui ut credant proponenti fidei veritates, vi gratiae in Baptismo acceptae ac fidei habitualis, inclinantur.

88. Ad 2. Vel *N.* vel *D.* Nisi a fidei habitu et gratiae actualis auxiliis inclinarentur ad ei assentiendum, *C.* secus, *N.* Cum enim hi pueri praeju-

diciis vacui sint, ac ignorent utrum aliae communiones sibi ecclesiae nomen vindicantes existant, sine ullo examine gratia adjuti eliciunt actum fidei in ecclesiam, a qua deinceps reliquos fidei articulos addiscunt. Nec refert eos institui in falsa secta, nam quamdiu in bona, ut ajunt, fide versantur, catholici sunt; ecclesia catholica ea est quae, uti eos peperit per ancillarum uterum, sic per ancillarum sinum eos alit ac nutrit. Habitus porro fidei per Baptismum acceptus, uti animadvertit s. Thomas [1]: *In duobus nos adjuvat; scilicet ut credamus ea, quae credenda sunt, et ut eis, quae non sunt credenda, nullo modo assentiamur.* Dum igitur adolescunt pueri baptizati ac instruuntur, si filii sunt catholicorum, magis ac magis confirmantur in propria fide; si filii sunt sectariorum, dubitare incipiunt de iis peculiaribus erroribus, quos edocti sunt, ac si gratiae obsecundent, resipiscunt et ad ecclesiam catholicam redeunt. Praesertim cum tot evidentes characteres de veritate ecclesiae catholicae, ac de falsitate propriae sectae ipsorum oculis perpetuo obversentur.

89. Ad 3. *N.* Tolerantismus enim religiosus, de quo est sermo, tenet aeque veras esse religiones omnes; at, ut patet ex processu quem delineavimus, numquam parvuli in absurdam ejusmodi consecutionem devenient.

90. II. Obj. 1. Infantes neque per se, neque per sponsores, quos non delegarunt, pollicitationibus illorum nomine emissis se obstrinxerunt; ergo nisi eas ratas habeant, cum adoleverint, eas servare minime tenentur. 2. Protestantes filiis suis legendas Scripturas praebent, ut in illis videant fundamenta propriae fidei, Scripturarum autem lectionem illis ecclesia vetat, ergo praxis protestantium longe praeferenda est praxi ecclesiae catholicae.

91. Resp. Ad 1. *D.* Expresse, *C.* tacite, *N.* Ut enim diximus, cum agitur de gravi impendente malo arcendo ac de summo bono obtinendo praesumi consensus debet ad eam ponendam conditionem necessario requisitam. Eo vel magis si haec promissio utroque jure divino ac naturali debita sit.

92. Ad 2. *D.* Qui dum ita se gerunt stulte agunt, *C.* rite, *N.* Nam 1°. supponunt infantes, dum adolescunt, idoneos esse ad suam fidem sibi cudendam ex Scripturarum lectione, cui impares sunt vel docti ipsi; 2°. supponunt errores suos in sacris litteris contineri; 3°. supponunt authenticas ac divinas esse Scripturas, quas pueris tradunt, quod nonnisi ex ecclesiae auctoritate sciri potest, ut suo loco ostendimus; 4. supponunt fidem ex lectione esse, cum tamen juxta Apostolum sit *ex auditu;* 5°. supponunt omnes litteras callere, quod tamen vel apud ipsos falsum est. Cum igitur, ut alia silentio praetereamus, nonnisi stulte haec supponantur, apparet quam stulta, immo et absurda sit protestantium praxis atque ad fallendum composita.

[1]) Lib. III. *Sent.* dist. 23. qu. 1. art. 3. ad 2.

CAPUT V.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

93. Potest aliquid necessarium esse aut necessitate *medii*, aut necessitate *praecepti*. Necessitas medii ea dicitur, si finis sine illo obtineri nullatenus possit: necessitas vero praecepti ea censetur, si medio inculpabiliter deficiente, finis tamen obtineri possit, cum proveniat ex praecepto positivo. Sub utroque respectu necessarium ad salutem tenet ecclesia Baptismum: necessitate medii quoad infantes, nisi illius vices suppleat martyrium: necessitate praeterea praecepti quoad adultos, ad quos sufficiens evangelii notitia pervenerit, aut in re aut in voto. Huic doctrinae refragati sunt pelagiani, waldenses, calviniani ac sociniani. Calviniani saltem quoad filios fidelium: sociniani quoad eos qui christianam doctrinam profitentur. Hic error protestantibus passim ac rationalistis communis effectus est, contra quos sit

PROPOSITIO.

Baptismus liber non est, sed est necessarius ad salutem.

94. De fide propositio est, ex can. V. Tridentini, Sess. VII: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.*

95. Praemittimus porro ad quaestionis illustrationem 1°. non statim obligasse Baptismi legem, sed solum post sufficientem evangelii promulgationem: 2°. theologos ancipites esse in hac sufficienti promulgatione definienda, etsi communiter censeant quoad Palaestinam intra decem annorum fluxum, et quadraginta quoad imperium romanum illam factam esse: 3°. hanc promulgationem *relativam* esse; siquidem quoad Americanos saec. XV. nondum ea habebatur; et quoad incolas Oceaniae initio saec. XIX; immo relativam ejusmodi promulgationem esse etiam respectu individuorum, quae si evangelium invincibiliter ignorent, nequeunt tali obligatione seu necessitate obstringi: 4°. gentes, apud quas evangelium non penetravit, in eodem statu et conditione versari, in qua versabantur gentes ante Christi adventum; 5°. Baptismi institutionem relate ad infantes rationem medii habere, qui proinde si tincti fuerint, iis omnibus bonis fruuntur, quae ex lavacro proveniunt, sin vero quacumque de causa eo destituti moriantur, privari tantum beneficio gratuito humanae naturae indebito, quae privatio nunc *damnationis* rationem habet respectu elevationis deperditae ob Adae peccatum, quod ipsi contraxerunt, non autem quod pejoris effecti fuerint conditionis, ac si natura humana elevata non fuisset.

96. Ut jam iter nostrum insistamus, sic veritatem enunciatam ostendimus: Christus Matth. ult. praecipit apostolis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc.; et Marc. XVI. 25: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus*

erit. Ejusdem igitur necessitatis est Baptisma ad salutem ac fides; sed fides, adversariis fatentibus, necessaria est omnibus, ergo et Baptisma.

97. Peremptoria deinde sunt Christi verba, Joann. III. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Iis igitur omnibus necessaria est regeneratio in aqua et Spiritu Sancto, qui carnaliter geniti sunt. Hi vero omnes et singuli sunt, nemine excepto. Exinde praeter catholicos, sectae omnes collegerunt absolutam Baptismi necessitatem, adeo ut in hoc articulo Socinus nec fautores suos omnes sibi consentientes habuerit.

98. Post haec supervacaneum foret Patrum testimonia singillatim congerere, cum eos omnes sibi adversantes ultro calviniani ac sociniani fateantur. Juverit itaque potius ad cognoscendam traditionem constantem circa hunc articulum urgere sollicitudinem utriusque ecclesiae orientalis ac occidentalis, ne infantes sine Baptismo ex hac vita decederent. Receptum enim ubique semper fuit, ut periclitantes a quocumque tingerentur sive masculo sive femina, immo sive haeretico sive infideli. Haec necessitas adeo explorata erat, ut indidem argumenta Patres promerent ad perstringendos pelagianos, ut faterentur propagationem in omnes originalis peccati. Nec umquam potuerunt hi novatores se ab ejusmodi argumenti pondere aliter subducere, quam inanibus cavillationibus, dum factum admitterent.

99. S. Thomas ratione theologica id ipsum evincit[1], ex eo quod nemo possit salutem consequi, qui non fuerit membrum Christi; nemo autem fit membrum Christi nisi per Baptismum vel in re vel saltem in voto susceptum.

DIFFICULTATES.

100. I. Obj. 1. Christus post allegata verba ex Marci XVI. adjecit: *Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo* etc., jam vero haec signa ecclesiam nascentem tantum respiciunt, ergo et Baptisma. 2. Nec melius res conficitur ex Joann. III: *Nisi quis* etc., quae verba de aqua materiali intelligi non debent, sed de gratia quae per Spiritum S. obtinetur, prout indicant, quae sequuntur: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* 3. Reipsa eodem modo, Joann. VI. Christus loquens de Eucharistia dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* quae tamen ex Tridentino, sess. XXI. absolutam necessitatem non important. Ergo.

101. Resp. Ad 1. *Dist. min.* Signa fidei, *Tr.* Baptismi, *N.* Nec enim dixit Christus: *Signa eos qui baptizati fuerint,* sed *eos qui crediderint.* Haec autem signa necessaria utique non fuerunt nisi pro ecclesia nascente, ast Baptismus quovis tempore necessarius est, uti reipsa ecclesia constanter tenuit.

102. Ad 2. *N.* Ut patet ex iis, quae antea diximus, cum ageremus de materia. Ad insequentia verba: *Quod natum est* etc., *D. Ex Spiritu* tamquam

[1]) Part. III. qu. 68. art. 1.

causa principali ac efficiente, *et aqua* tamquam causa instrumentali, *C.* ad hujus exclusionem, *N.* Nam Christus hic loquitur de effectu regenerationis.

103. Ad 3. *N.* Jam enim animadvertimus diversam plane esse rationem locutionis Christi, Joann. III et Joann. VI. tum in se, tum in suis adjunctis spectatae. Recte autem concilium tridentinum tenuisse non esse Eucharistiam absolutae necessitatis, suo loco ostendemus.

104. II. Obj. 1. Masculis Hebraeorum usque ad diem octavam, feminis omnibus antequam pertingerent ad annum discretionis sola fide parentum prospiciebatur, prout prospicitur adhuc filiis infidelium, qui negativi dicuntur. Quidni idem dicamus de ortis ex christianis parentibus? Alioquin pejor foret istorum prae illis conditio, et Christus adventu suo coarctasset salutis viam. 2. Saltem sufficere dicendum erit parentum fidem quoad infantes, qui in utero matrum delitescunt, nec alia ratione eorum saluti prospici potest; cum censeri nequeat Christus sapientissimus legislator voluisse et hos comprehendere generali lege illa, quae ipsis applicari nullo modo potest. 3. Id sane insinuare visus est Christus illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit,* nam qui nondum *natus est, renasci* nequit. 4. Quae doctrina, licet in Tridentino ex Cajetano proposita fuerit discutienda, damnata non est, eamque non ignobiles theologi tuentur, Ignatius Ludovicus Bianchi, Eusebius Amort, aliique sive antiquiores sive recentiores apud Trombellium.[2] Ergo.

105. Ad 1. *D.* Per fidem parentum aliquo externo signo illis applicatam, juxta verisimiliorem sententiam, *C.* sine hac applicatione, *Tr.* et negamus paritatem. Qua praecise ratione illis provisum fuerit, res est admodum incerta ex documentorum defectu ac varia Patrum sententia, adeoque ex ignoratione nostra nihil confici potest. Negavimus paritatem, quia cum nunc Christi, a quo res haec pendet, voluntas patefacta sit, non est quod amplius ambigamus de remedii necessitate. In eisdem versamur tenebris, quod spectat ad filios negativorum infidelium, qui profecto reperiuntur in eodem statu et conditione, in qua homines erant in statu ac lege naturae. Nec tamen exinde inferri potest, Christum quoad filios fidelium viam coarctasse salutis, cum ante Christi adventum penes paucissimos vera fides conservata fuerit, adeoque nonnisi paucissimis subveniri poterat, ast post Christi adventum ex diffusione christianae religionis innumeris subvenitur, qui alioquin periissent.

106. Ad 2. *N.* Ad prob. autem dicimus adversarios laborare falsa hypothesi, quod nempe Christus per modum legis statuerit necessitatem Baptismi quoad infantes, cum tamen ipse statuerit ad modum necessariae *conditionis* ac *medii* ad obtinendum beneficium indebitum.

107. Ad 3. *Neg.* Nam qui concepti sunt ac anima vivificati, nati censentur, etiam ex loquendi usu Scripturarum, ut patet ex Matth. I. 20; cum vero haec non sit nisi nativitas imperfecta et inchoata, fit, ut cum in lucem

[2]) ***De Sacramentis,*** tom. III. diss. 7. ***de Baptismo,*** qu. 2. cap. 1 et seqq.

eduntur, simpliciter nasci dicantur, ac proinde in quacumque hypothesi *renati* cum sacro lavacro tinguntur.

108. Ad 4. *D.* Damnata expresse non est uti formaliter haeretica, *C.* non fuit improbata, *N.* Noluit concilium novam hanc discussionem suscipere; attamen in congregationibus praeviis improbata est, et a Dom. Soto ut haeretica rejecta; Pius vero V. in nova operum Cajetani editione et hanc sententiam expunxit. Ex his patet quid sentiendum sit de placito illorum theologorum, qui illi adstipulari visi sunt. Ecclesia numquam parentes adhortata est, ut saluti consulerent ejusmodi infantium sive fide, sive orationibus; quod non omisisset facere, si vel tenuem probabilitatem doctrina illa haberet.

109. III. Obj. 1. Rebaptizantes, inter quos Cyprianus in *Epist. ad Jubajanum,* censuerunt anabaptismum rem liberam esse atque ad disciplinam spectantem, credebatur igitur aetate illa Baptismum non esse de absoluta necessitate ad salutem; 2. sane s. Cyprianus in allegata Epistola censuit bene sperandum de iis, qui ab haereticis tincti in ecclesiam admissi sunt sine novo Baptismate, et in ecclesiae unitate defuncti sunt; 3. incertum praeterea est utrum b. Virgo, et Apostoli ipsi fuerint baptizati. Ergo.

110. Resp. Ad 1. *D.* Parum sibi cohaerentes, *C.* secus, *N.* Cum aliqui in via erroris inveniuntur, cum nequeant difficultates, in quas se conjiciunt, dissolvere, secum ipsis pugnant. Sic contigit rebaptizantibus, qui modo pro anabaptismo decertabant tamquam si fidei articulum adstruerent, modo uti rem liberam ac disciplinarem spectabant, ne cogerentur tot ecclesias, praesertim vero romanam, erroris arguere, catholica vero ecclesia hunc articulum uti dogmaticum semper habuit, atque absolutam Baptismi necessitatem propugnavit.

111. Ad 2. Eadem esto responsio; siquidem ex eodem fonte haec sentiendi ratio promanabat.

112. Ad 3. *D.* Id est, non legitur apostolos fuisse baptizatos, *C.* expiati reipsa non sunt, *N.* De hoc dubitari juxta s. Augustinum [3], sine erroris culpa non potest. Sane qui ex Christi jussione alios tingebant, quomodo putandi sunt Baptismum neglexisse quoad seipsos? De b. Virgine nonnulli dubitarunt utrum reipsa Baptisma susceperit, quo non indigebat ad quamvis culpam sive originalem sive actualem eluendam; alii vero longe probabilius affirmant, quum praeter peccatorum remissionem, ad alios effectus producendos sacramentum hoc fuerit institutum, qui cum sanctitate b. Virginis consistere possunt.

CAPUT VI.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

113. De Baptismi effectibus diversae haereticorum sectae antiquiores ac recentiores contraria omnino senserunt. Manichaei, Augustino teste [1],

[3]) *Ep.* CCLXV. *ad Seleucianum,* n. 4. [1]) Lib. *De haeresibus, Haer.* XLVI.

ita Baptismum extenuarunt, ut dicerent ipsum *nihil cuiquam salutis afferre.* Neque ab hac doctrina abludunt haud pauci protestantes recentiores, quibus Baptismus non est nisi ritus cooptationis in coetum fidelium. Alii vero protestantes docuere per Baptismum non tolli peccatum originale, quod in baptizatis subsistere pergit cum suis manifestationibus, seu cum peccatis actualibus, quae ex illo proveniunt, sed solum tegi, radi, aut non imputari. Hi tamen ipsi, dum nisi sunt vim Baptismi extenuare, extollunt ita, ut per adeptam justificationem, vi fidei quae per Baptismum excitatur, autument non solum non imputari peccatum originale cum peccatis praeteritis, sed neque futura, immo impeccabilitatem tribuere; aut saltem si peccata exitialia sint, fieri per Baptismum venialia. Haec omnia errorum monstra proscripsit Tridentinum, Sess. V. can. V: *Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.* Ac Sess. VII. can. VI. *de Bapt.: Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.* Can. X: *Si quis dixerit, peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi vel dimitti vel venialia fieri; anathema sit.* Et can. XI: *Si quis dixerit, verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit.*

114. Quibus quatuor praecipui novatorum errores circa Baptismi effectus proscripti sunt, 1°. per Baptismum nullam gratiam conferri; 2°. non penitus tolli peccatum originale una cum actualibus, si quae sint; 3°. inamissibilem esse obtentam per Baptismum justificationem, aut peccata mortalia venialia fieri; 4°. amissibilem Baptismum esse.

115. His igitur commentitiis effectibus dimissis, veri effectus Baptismi quatuor praecipui sunt ex doctrina catholica, 1°. gratia justificationis et sanctitatis, qua peccata omnia sive originalia sive actualia dimittuntur; 2°. remissio poenae peccatis debitae tum aeternae tum temporalis; 3°. cooptatio in ecclesiae membra, per quam jus acquiritur ad aliorum sacramentorum participationem; 4°. characteris impressio.

116. Cum de aditu ad ecclesiam res per se pateat, nec ulla moveatur quaestio; de duobus aliis vero in aliis tractatibus egerimus; superest ut hic disseramus de gratia, qua deletur reatus originalis peccati, ac tollitur totum id, quod veram ac propriam peccati rationem habet.

PROPOSITIO.

Per D. N. J. C. gratiam, quae in Baptismo confertur, reatus originalis peccati remittitur, ac tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.

117. Propositio de fide est sancita in adducto can. V. sess. V. conc. tridentini. Quod vero ibi dicitur de reatu peccati originalis, ex paritate rationis intelligi debet etiam de reatu sive culpae sive poenae alterius cujuscumque peccati, eo ipso quod Baptisma passim in sacris litteris sacramentum *regenerationis* ac *renovationis* nuncupetur. Probationes praeterea, quae hic adducuntur, cujusvis peccati reatum complectuntur.

118. Tum ex sacris litteris tum ex constanti ac publico ecclesiae sensu veritas propositionis adstruitur. Ex sacris litteris quidem nota sunt verba Petri [1]: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum;* tum Ananiae ad Saulum [2]: *Baptizare et ablue peccata tua;* item quae scribit Apostolus [3]: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus... ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in C. J. D. N.;* qui proinde concludit [4]: *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* In eisdem praeterea passim legitur, nos per Baptismum *ablui*, *mundari*, *renasci*, *sanctificari*, *Christum induere* etc., quibus profecto nihil luculentius afferri potest ad commendandum Baptismatis gratiae effectum quoad cujusvis reatus peccatorum remissionem.

119. Sed non minus luculenter eadem veritas ex constanti ac publico ecclesiae sensu adstruitur. Etenim praeter formulam symboli nicaeni: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*, id constat vel ex ipsis christianae religionis hostium imputationibus, quod christiani scelestos quosque, mulierculasque criminibus oneratas una aquae ablutione puros se reddere ac efficere profiterentur, inter quos eminet Celsus apud Origenem [5], tum etiam ex eo quod ecclesia numquam consueverit baptizatis poenitentias seu satisfactiones injungere; exinde inolevit abusus illorum qui Baptismi susceptionem ad seram usque aetatem protrahebant, immo ad mortis articulum. Post haec inutile est Patrum singillatim testimonia congerere ad rem ipsam evincendam.

DIFFICULTATES.

120. Obj. 1. Sententia de infusione gratiae habitualis in infantes qui tinguntur, solum ut probabilior admissa est a conc. viennensi, adeoque ante

[1]) Act. XXII. 38.
[2]) Ibid. v. 16.
[3]) Rom. VI. 3.
[4]) Rom. VIII. 1.
[5]) Lib. III. n. 51.

conc. florentinum et tridentinum res nondum explorata erat. 2. Deinde per Baptismum peccatum originale unice deleri ex eo patet, quod sacramentum *regenerationis* vocetur, quatenus, ut Patres loquuntur, per ipsum deletur, quod carnali est generatione contractum. 3. Nec obest conferri illud in *remissionem peccatorum*, ejusmodi enim remissio poenitentiae accepta referenda est, quae Baptismo praemittebatur juxta illud [6]: *Poenitentiam agite*, etc. 4. Nec tamen omnem per Baptismum remitti peccati reatum aperte constat ex poenalitatibus, quas vocant, remanentibus post susceptum Baptisma, alioquin intelligi non posset, quomodo sublata causa non tollantur effectus; hinc eadem post Baptismum ad malum proclivitas, eadem ad bonum difficultas permanet ac ante illius susceptionem vigeret. Ergo.

121. Resp. Ad 1. *D.* Opinio de infusione gratiae ad modum habitus ex sensu philosophiae peripateticae, *C.* de infusione gratiae simpliciter, *N.* Nec enim opinio haec erat, sed fidei veritas, de qua numquam inter scholasticos dubitatum est. Igitur quaestio in hoc unice versabatur utrum infunderetur per modum habitus et qualitatis. Hoc porro numquam definitum est.

122. Ad 2. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Baptismus sacramentum *regenerationis* nuncupatur, quatenus qui antea per carnalem generationem nati eramus, illius vi renascimur in Spiritu, quaecumque demum peccata praecesserint juxta illud Apostoli [7]: *Non sicut delictum, ita et donum... nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

123. Ad 3. *D.* Poenitentiae accepta referenda est remissio peccatorum *dispositive*, seu velut conditioni necessariae in adultis, *C.* efficienter seu formaliter, *N.*

124. Ad 4. *N.* Poenalitates vero nobis relictae sunt ad agonem, et ad conformitatem cum Christo patiente in praesenti hac vita. Ratio autem ob quam, sublata causa, scilicet peccato originali, remaneant poenalitates quae effectus sunt peccati, est, quia sanata quidem est persona, non autem revocata ad pristinam integritatem sauciata natura. Ex hac porro illa oritur ad malum proclivitas ac difficultas ad bonum prosequendum, quam experimur, ad eum modum quo infans, qui in lutum cecidit, a mater abstergitur a contractis maculis, at minime levatur a dolore quem infans ex casu patitur.

CAPUT VII.

IN DOCTRINAM HACTENUS VINDICATAM SCHOLIA.

125. Circa formam et subjectum nonnulla addenda sunt. Quaestio enim duplex agitatur circa formam, altera speculativa, altera historica. Ac primo nonnulli scholastici quos recenset Dom. Soto [1], inter quos eminent Cajetanus

[6]) Act. II. 38.
[7]) Rom. V. 15.

[1]) *Sent.* IV. dist. 5. quaest. unic. art. 6.

et Hadrianus VI. in suis *Commentariis*, ante pontificatum editis, censuerunt validum esse Baptismum vel sub generica Trinitatis invocatione collatum, vel sub invocatione unius tantum personae, vel in nomine solius Jesu Christi. Hanc sententiam amplexus est Jo. Gerardus Vossius.[2] Jam vero etsi daretur sententiam hanc aliqua probabilitate minime destitutam esse in praxi nihil inservit ob contrariam doctorum opinionem: quandoquidem in administratione sacramentorum non licet sequi probabilissimam licet opinionem, relicta tutiore. Immo Alexander VIII. hanc proscripsit propositionem, quae est, n. 27: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, praetermissis illis: Ego te baptizo.*

126. Quoad quaestionem historicam, ut jam innuimus, non defuerunt qui contenderint apostolos ex quadam dispensatione, ut vult s. Thomas adstipulatus huic sententiae, Baptismum administrasse sub unius Jesu Christi nominis invocatione: *Ut nomen Christi*, ut ipse loquitur[3], *quod erat odiosum judaeis et gentilibus, honorabile redderetur.* Card. Ursius, in *Dissert. de Baptismo in nomine J. C. collato*, ac in alio opusculo, cui titulum fecit: *Vindiciae dissertationis de Baptismo in nomine J. C.* pluribus hanc sententiam confirmare adnisus est. Ast eidem refragati sunt Drouvenius, card. Gotti, Billuart aliique non pauci, qui exponunt s. Thomam ita ut *hypothetice* potius quam *absolute* locutus fuerit. Opinio, quae tenet apostolos reipsa sub invocatione distincta trium personarum divinarum Baptismum contulisse, communior ac vera videtur. Quod in Actis apostolicis dicitur de baptizatis *in nomine Jesu Christi*, exponitur de Christi Baptismate ad distinctionem Baptismi Joannis.

127. Sed ut jam aliquid attingamus de Baptismi subjecto, haud exigua controversia exarsit inter thomistas et scotistas, utrum liceat, invitis parentibus, infidelium infantes baptizare. Sententiam affirmantem scotistae, negantem thomistae sectati sunt. Thomistarum doctrinae procul dubio ecclesiae praxis favet quae, uti observat s. Thomas[4], licet habuerit imperatores potentissimos in sinu suo, numquam tamen infidelium filios invitis parentibus tingere consuevit. Ratio vero hujus praxis desumitur a s. Thoma tum ex fidei periculo, tum ex laesione justitiae naturalis; quas deinde fuse s. Doctor evolvit. Scotistarum partibus adhaesit Estius, qui illorum argumenta exponit et confirmare satagit.[5]

128. Illicitum pariter atque a christiana pietate alienum esse adultos invitos ad Baptismum cogere, nemo inficiatur. Si quis tamen non omnino reluctans atque ex timore impendentis sibi gravis damni Baptismum susceperit, ex communi sententia valide censetur baptizatus, non autem si sola externa vi tinctus fuerit.

[2]) Lib. II. ***De Baptismo,*** thes. 6.
[3]) Part. III. qu. 66. art. 3. ad 1.
[4]) II. 2. qu. 10. art. 12.
[5]) ***Sent.*** IV. dist. 5. §. 2.

129. Circa ritus animadvertere juverit non eosdem semper adhibitos fuisse in administratione hujus sacramenti. Nonnulli in desuetudinem abierunt, alii constanter viguere. Jure porro crimini vertitur protestantibus quod usum exorcismorum repudiaverint, qui a primis ecclesiae saeculis viguit, et ex quo Patres, Augustinus praecipue, arma promebant ad refellendos pelagianos. In reprehensionem pariter incurrit synodus pistoriensis, quae sub obtentu obsecundandi spiritui ecclesiae a conc. tridentino repraesentatae, nonnisi unum susceptorem seu patrinum, marem pro maribus, feminam pro feminis assumi decrevit, cum reipsa tridentini Patres duos assumendi, prout mos ubique fere obtinet, facultatem concesserint.

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE.

PROOEMIUM.

1. Cum a veteribus Confirmatio spectata fuerit veluti quaedam Baptismi consummatio ac perfectio, ideo ea tum adultis tum infantibus statim post sanctum lavacrum conferri consueverat, ac secundum inter sacramenta locum ex ordine tenet.

2. Eadem ab effectibus modo vocata a veteribus est *perfectio* et *consummatio*, modo *sacramentum plenitudinis gratiae*. A materia interdum *impositio manuum*, aut *sacramentum chrismatis*, *oleum sanctificatum*, aut etiam absolute *chrisma*, et cum addito, *chrisma sanctum*, *unguentum perenne supercoeleste*, *chrisma salutis* dicta est: a signo denique crucis, quod supra frontem teritur, vel characteris in anima impressi nuncupata est *sigillum*, *signaculum spiritale dominicum*. A Graecis passim ac orientalibus μύρον vocatur. Definiri autem solet: *Sacramentum novae legis, quo baptizatis gratia sanctificans augetur, et additur robur Spiritus Sancti tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam.*

3. Catholicam hujus sacramenti doctrinam sancivit Tridentinum, Sess. VII. tribus his canonibus, can. I: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram ecclesia exponebant; anathema sit.* Can. II: *Si quis dixerit injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.* Can. III: *Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit.*

4. Tria igitur sunt dogmata a nobis vindicanda; sacramenti veritas, materia ac minister. Quod totidem capitibus efficiemus, quibus quartum adjiciemus ad magis illustranda quae ad hoc sacramentum spectant.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

5. Protestantes omnium primi veritatem hujus sacramenti adorti sunt; veteres enim haeretici potius neglexerunt aut temerarunt, quam rejecerunt. Lutherus, in lib. *De captiv. babylonica,* cap. *De Confirm.* inter ecclesiasticas caeremonias Confirmationem rejicit; conviciis ac blasphemiis haeretici reliqui eum secuti sacramentum istud prosecuti sunt. Inter hujus sacramenti impugnatores eminent Dallaeus atque Samuel Basnagius. Non pauci tamen ex recentioribus protestantibus, contentione deposita, summis laudibus sacramentum hoc extollunt.

PROPOSITIO.

Confirmatio baptizatorum non est otiosa caeremonia sed verum et proprium sacramentum.

6. De fide hanc esse propositionem constat ex allegato can. I. concilii tridentini. Ejus veritatem ex Scripturis sensu traditionali expositis atque ex constanti totius ecclesiae praxi evincimus.

7. In Actis apostolicis, c. VIII. 14 seqq. legitur: *Cum audissent apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Rursum ibid. XIX. 5: *His auditis, baptizati sunt* (Ephesii) *in nomine Domini Jesu, et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Unde sic: Tria ex adversariis ipsis requiruntur ac sufficiunt ad verum sacramentum constituendum, signum sensibile, institutio Christi, et gratiae collatio. Atqui tria haec ex allatis testimoniis in Confirmatione habentur, signum quidem sensibile in manuum impositione, gratiae collatio in Spiritu Sancto, quem conferebant apostoli, Christi autem institutio ex hac ipsa gratiae collatione per signum sensibile necessario sequitur.

8. Scripturarum sensus traditionalis ex quinque priorum saeculorum Patribus evidenter adstruitur: Etenim ex saec. II. labente s. Irenaeus scribit [1]: *Quibuscumque enim imponebant apostoli manus, accipiebant Spiritum Sanctum, qui est esca vitae,* seu gratia sanctificans. Item Tertullianus [2]:

[1]) Lib. IV. *Cont. haeres.* cap. 38. n. 2. [2]) Lib. *De Bapt.* cap. 8.

Dehinc, inquit, *manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum.* Eadem eodem saec. habet Theophilus antiochenus.[3]

9. Ex saec. III. nobis sese offerunt Cyprianus ac Firmilianus; Cyprianus iterum tingendos ab haereticis baptizatos contendit, cum ad ecclesiam redeunt, quia *tunc demum,* inquit[4], *plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur;* et de baptizatis a Philippo scribit[5]: *Quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur; ut, qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo dominico consummentur.* Eadem habent Firmilianus[6], et vetus Auctor *De rebaptismate,* et s. Cornelius Papa, qui de Novatiano scribit[7]: *Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum Sanctum potuit accipere?*

10. Ex IV. et V. saec. de hoc sacramento pertractant synodus illiberitana, can. XXXVII, Innocentius I.[8], s. Hieronymus[9], s. Augustinus[10], Cyrillus hierosolymitanus[11], qui copiose adeo, quae ad hoc sacramentum spectant, et clare exponit, ut Chemnitius non dubitaverit vocare Confirmationem *sacramentum cyrillianum.* Nos hic solius Augustini verba describemus, qui loc. cit. ait: *Quem morem* (apostolorum imponendi manus, et orandi ut veniat Spiritus S.) *in suis praepositis etiam nunc servat ecclesia.*

11. De ecclesiae porro constanti ac universali praxi in administrando hoc sacramento praeter conciliorum, pontificum, et Patrum documenta, testes sunt rituales libri et sacramentaria quoad ecclesiam occidentalem, et euchologia quoad ecclesiam orientalem, in quibus ritus, ordo, materia, minister hujus sacramenti indicantur ex apostolica traditione. Hos autem libros atque haec euchologia collegerunt Martenius et Renaudotius, qui praeterea ineluctabilibus monumentis ostendit hac in parte consensionem ecclesiarum orientalium cum ecclesia latina.

DIFFICULTATES.

12. I. Obj. Quae ex Scripturis proferuntur, non ostendunt sacramenti veritatem. Etenim 1. in illis agitur de collatione gratiae gratis datae, non autem gratiae sanctificantis; quotquot enim illam impositionem manuum accipiebant, *loquebantur linguis et prophetabant,* ut legitur Act. XIX. 6, quam proinde potestatem dandi Spiritum Sanctum, oblata pecunia, Simon magus emere voluit. 2. Hinc licet Ananias non fuerit episcopus, Saulo tamen, ut legitur Act. IX. 17. manus imposuit, ut visum reciperet, *et impleretur Spiritu Sancto.* 3. Cernens propterea Petrus, ibid. c. X. 44. quod *cecidit Spi-*

[3]) Lib. I. ***Ad Autolycum.***
[4]) ***Epist.*** CXXII.
[5]) Ibid. LXXIII.
[6]) ***Epist. ad S. Cyprianum.***
[7]) ***Epist. ad Fabium.***
[8]) ***Epist. ad Decentium.***
[9]) ***Dial. adversus Luciferian.*** n. 9.
[10]) ***De Trinit.*** lib. XV. cap. 25. n. 46.
[11]) ***Catech.*** XXXI.

ritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum, licet nondum baptizatos, ab imponendis super eos manibus post Baptismum, abstinuit. 4. Idcirco apposite Augustinus interrogat [12]: *Quid est aliud manus impositio, nisi oratio super hominem?* Et Gratianus negat [13], manuum impositionem esse sacramentum. 5. Alioquin injuria irrogaretur Baptismo, quasi per ipsum gratia conferretur dimidiata. 6. Nec deest panis eucharisticus, qui cor hominis confirmat; refert proinde s. Cyprianus [14], Christi athletas ad martyrium subeundum se Eucharistiae clypeo communivisse. Ergo.

13. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Agitur de collatione gratiae gratis datae, praeter collationem gratiae sanctificantis, *Tr.* vel *C.* ad hujus exclusionem, *N.* Collatio donorum, quae comitabatur manuum impositionem in illis ecclesiae primordiis, accidentalis erat ad fidei commendationem, ac proinde non omnes eadem dona consequebantur, ut declarat Apostolus, scribens [15]: *Divisiones gratiarum sunt,* ac fuse prosequitur. Contra vero gratia sanctificans erat effectus principalis, ut declaravit Christus [16], dum promisit gratiam confirmatricem roboris ac fortitudinis ad strenuam fidei testificationem, dicens: *Donec induamini virtute ex alto.* Ad hunc finem manuum impositio omnibus conferebatur ex Apostolo, qui hanc manuum impositionem recenset inter fundamenta religionis christianae, scribens [17]: *Non rursum jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum Baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum.* Sicque responsio patet ad objecta loca.

14. Ad 2. *D.* Ananias manus imposuit Saulo ut *visum reciperet, C. ut impleretur Spiritu Sancto, subd.* mediante Baptismo, *C.* per se, *N.* Necdum enim erat Saulus baptizatus.

15. Ad 3. *D.* Non legitur Petrum super Cornelium, ejusque familiares post collatum Baptismum manus imposuisse, *C.* non imposuit, vel *N.* vel *Tr.* Fieri enim potuit, ut, postquam Petrus vidit Spiritum S. extraordinaria ratione super illos illapsum sicut super apostolos in coenaculo, illam manuum impositionem praetermiserit. Caeterum illud non est nisi argumentum negativum.

16. Ad 4. *D.* Loquens de impositione manuum *reconciliatoria,* qua recipiebantur haeretici in ecclesiam, *C.* de sacramentali, *N.* In allegatis enim verbis s. Augustinus rationem reddit quare manus imponantur super haereticis, cum redeunt in ecclesiae sinum, non autem iteretur Baptismus; scribit enim ibidem: *Manus autem impositio, non sicut Baptismus, repeti potest.* De hac ipsa manuum impositione loquitur Gratianus.

17. Ad 5. *D.* Si idem esset utriusque sacramenti effectus, *C.* si plane diversus, *N.* Per Baptismum enim renascimur ac renovamur, et ingredimur in ecclesiam, per Confirmationem autem robur accipimus ad fidem strenue

[12]) ***De Bapt.*** lib. III. cap. 16. n. 31.
[13]) ***Causa*** I. c. ***Arianos,*** quaest. 1. n. 73.
[14]) ***Epist.*** LIV.
[15]) I. Cor. XII. 47 seqq.
[16]) Luc. XXXIV. 49.
[17]) Hebr. VI. 1 et 3.

profitendam, et adscribimur Christi militiae. Eadem est in utroque sacramento gratia sanctificans, sed datur ad diversos effectus.

18. Ad 6. *D.* Per modum nutritionis, *C.* per modum roboris juxta dicta, *N.* Athletae porro illi, de quibus scribit s. Cyprianus, ideo solo se muniebant eucharistico cibo, quia jamdiu fuerant chrismate delibuti statim post Baptismum, prout ferebat illius aetatis disciplina.

19. II. Obj. 1. Patres antiquissimi prorsus silent de hoc Confirmationis sacramento, inter quos s. Justinus, quamvis professus fuerit se in sua Apologia omnia Caesaribus exponere, *ne*, ut ipse ait, n. 61. *maligne quidquam et dissimulanter agere videretur.* 2. Insequentes Patres de Confirmatione disserunt tamquam de parte integrali Baptismi ac caeremoniali. Sic Tertullianus dicit [18], unctionem illam profluxisse de *pristina disciplina*, veteris scilicet Testamenti, eamque Baptismo adjungit; suum librum propterea, quem *De Baptismo* inscribit, his verbis absolvit: *Diximus quantum mediocritati nostrae licuit, de universis quae Baptismi religionem struunt.* 3. Nec aliter s. Cornelius Papa de Confirmatione sensit, quam dari scribit ab episcopo *juxta ecclesiasticam regulam.* 4. Patres proinde Confirmationem passim vocant *Baptismi perfectionem,* ut conc. illiberitanum, can. XXXVIII; aut *supplementum,* ut Cyprianus, *Ep.* LXXIII. qui et in *Epist.* LXXII, scribit: *Tunc demum* homines *plene sanctificari, et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur.* 5. Immo s. Irenaeus haereticis valentinianis usum opobalsami adscribit ad suos neophytos inungendos. [19] Quem ritum, ut conjicit Basnagius, in *Annalibus politico-ecclesiast.* ad ann. 37. n. 3. ecclesia adoptavit, ut valentinianos facilius ad se alliceret. Ergo.

20. Resp. Ad 1. *D.* Id est, deficientibus documentis, non constat Patres apostolicos de Confirmatione disseruisse, *C.* non agnoverunt hoc sacramentum, *N.* Cum enim Patres, qui suppares illis fuerunt, tam aperte de Confirmatione loquantur uti de re in usu quotidiano ubique recepta, mirum est urgeri posse paucorum silentium. Ideo vero Justinus impositionem manuum praetermittit, quia haec ad scopum suum non spectabat et quia habebatur velut appendix Baptismi. Scopus s. Martyris erat dissolvere calumnias, quas adversus Baptismum et Eucharistiam ethnici struebant.

21. Ad 2. *Neg.* Sed utrumque consueverunt Patres conjungere, quia simul ambo administrabantur. Quod si Tertullianus dicit unctionem *de pristina disciplina* venisse, alludit ad figuras quae in veteri Testamento de hac unctione praecesserant, non autem quasi identica esset quoad vim et efficaciam. Nec refert eum aut librum suum inscripsisse *De Baptismo,* aut utrumque sacramentum conjunxisse; ut enim animadvertimus, ideo conjunxit, quia simul conferebantur. Alterum porro sacramentum ab altero apprime Tertullianum distinxisse, exinde patet, quod diversam materiam, ministrum et effectum unicuique tribuat, prout pariter efficit circa Eucharistiam; en

[18]) Lib. *De Bapt.* cap. 7. [19]) Lib. I. *Contra haeres.*

ejus verba [20]: *Caro abluitur, ut anima emaculetur* (en effectus Baptismi); *caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur* (en effectus Confirmationis); *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur* (en effectus Eucharistiae).

22. Ad 3. *Neg.* Nec enim verba illa, *juxta ecclesiasticam regulam* ad Confirmationem referuntur, sed ad caeremonias, quae ex *ecclesiastica regula* servabantur in solemni Baptismi administratione, quas Novatianus suppleri neglexit cum ex infirmitate convaluit.

23. Ad 4. *D.* Patres passim vocant Confirmationem *perfectionem* Baptismi ratione effectus, *C.* ratione sacramenti, *N.* Quo sensu s. Cyprianus scripsit christianum post receptionem utriusque sacramenti plene sanctificatum esse, quatenus gratiam roboris et fortitudinis per Confirmationem adeptus est, adeoque commemorat *utrumque sacramentum.*

24. Ad 5. *D.* Una cum superstitiosis vocibus et ritibus, quibus valentiniani utebantur ad suos inungendos, *C.* usum opobalsami per se, vel *N.* vel *subd.* aliter ac ferret ecclesiae usus, *Tr.* secus, *N.* Totam illorum haereticorum actionem reprehendit Irenaeus. Quod autem ecclesia adsciverit a valentinianis opobalsami usum, conjectura est quae falsitatis arguitur ex facto; ecclesia enim, ut suo loco dicemus, longe verisimilius non adoptavit opobalsamum ad effectus hujus sacramenti luculentius significandos nisi saec. VI. scilicet quando haeretici illi plane evanuerant.

25. III. Obj. Omnia arguunt ecclesiasticam institutionem Confirmationis. Ac 1. materia, quae valde abhorret a simplicitate, qua Christus usus est quoad caeterorum sacramentorum materiam, aqua scilicet pro Baptismo, pane et vino pro Eucharistia; dum in Confirmatione praeter manuum impositionem, oleum requiritur ac opobalsamum. 2. Minister, qui solus episcopus est, quo fit ut ingens multitudo adeo salutari sacramento ex sensu catholicorum, toto vitae tempore destitui debeat. 3. Forma, quae pariter abludit ab evangelica indole, illis verbis concepta: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis.* 4. Effectus, qui esset roboris ac fortitudinis, qui tamen ab Apostolo tribuitur ipsi Baptismo scribens [21]: *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri.* 5. Confirmatio igitur non est nisi ecclesiastica caeremonia saec. ecclesiae III. suffecta manuum impositioni curatoriae, quae cum apostolis cessavit, in cujus loco olei unctio adhiberi coepit, cujus nulla mentio occurrit in Actis apostolicis. 6. Hinc tot disputationes inter catholicos de ejusdem institutione, materia, aliisque ejusmodi. 7. Neque exploratum est orientales ecclesias hoc sacramentum habere, prout non pauci missionarii inficiantur. Ergo.

26. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si opobalsamum esset materia essentialis, *Tr.* si accessoria, ut videbimus, *N.*

27. Ad 2. *D.* Si ageretur de sacramento ad salutem necessario, *Tr.*

[20]) ***De resurrect. carnis,*** cap. 8. [21]) II. Tim. I. 7.

secus, *N.* Accedit quod saltem delegatione romani pontificis presbyter possit esse extraordinarius hujus sacramenti minister.

28. Ad 3. *D.* Ita tamen ut forma haec verbis ipsis apostolicis sit concinnata, *C.* secus, *Tr.* Desumpta porro est forma Confirmationis ex Apostolo, scribente [22]: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus qui et signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Adde, quod nondum exploratum sit, verba singula esse essentialia.

29. Ad 4. *N.* In allegato enim testimonio loquitur Paulus de sacramento Ordinis, de quo postea.

30. Ad 5. *N.* Cum enim haec illatio ex falsis praemissis deducatur, nec nisi conjecturis et argumentis innitatur negativis, nullius momenti est. His autem opponitur, ut vidimus, sensus traditionalis totius ecclesiae.

31. Ad 6. *D.* Salva tamen sacramenti veritate, *C.* ad ejus exclusionem, *N.* Ejusmodi disceptationes communes sunt sacramentis reliquis, ac veritate sacramenti constituta, libere agitantur.

32. Ad 7. *N.* Etenim non ex paucorum missionariorum relatione, qui decipi potuerunt ex diversitate rituum, sed ex documentis et praxi de orientalium ecclesiarum fide judicium ferre debemus. Cum vero constet ex eorum Euchologiis, et ex praxi quotidiana, ecclesias illas admittere et administrare hoc sacramentum, nonnisi absurde id in dubium revocatur.

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO.

33. Ministrum ordinarium Confirmationis solum episcopum esse nemo catholicorum dissentit, praesertim post editam a conc. tridentino definitionem, quam apposita propositione mox adstruemus.

34. Presbyterum autem extraordinarium, seu ex delegatione saltem rom. pontificis, esse posse ejusdem sacramenti ministrum, si paucos excipias, quorum sententia temeritate non vacat, nemo pariter catholicus inficias ibit; cum constet saepe rom. pontifices delegationem hanc contulisse presbyteris in Palaestina atque in India degentibus.

35. Verum utrum possit presbyter ab episcopo delegari, quaestio haud parum implicita est. Haec porro ut rite solvatur, dispesci primum debet usus, qui obtinet in ecclesia graeca caeterisque orientalibus, ab usu qui viget in ecclesiis occidentalibus. Exploratum enim est ex certissimis documentis, quae proferunt Morinus, Lupus, Holstenius, Goarius ac Renaudotius, ab immemorabili consuevisse episcopos graecos et orientales demandare presbyteris munus administrandi hoc sacramentum, qui mos apud ipsos adhuc perseverat, ex tacita saltem conniventia rom. pontificum, ut loquitur Benedictus XIV. [1] Quod vero spectat ad ecclesias occidentales distinguendum est jus antiquum a jure novo, quod a pluribus saeculis obtinet. Juxta anti-

[22]) II. Cor. I. 12.

[1]) *De Synodo,* lib. VII.

quum jus constat ex documentis a Morino prolatis [2], atque a reliquis laudatis auctoribus, potuisse episcopos etiam in occidentali ecclesia presbyteros ad consignandum delegare. Nunc vero haec delegatio soli rom. pontifici reservata est pro occidentalibus ecclesiis, ita ut irritum sit, si illa non interveniente presbyter consignaret. Numquam vero factum est, secus ac contenderint Morinus, Holstenius ac Sirmondus, ut haec facultas delegaretur diaconis. Verba enim Innocentii I. in *Epist. ad Decentium*, quibus isti innituntur pro hac assertione, de sola manuum impositione super energumenos intelligi debent.

36. Verum jus, quod solis competit episcopis consignandi, estne divinum an ecclesiasticum? Concilium tridentinum hoc non definivit. Trombellius pluribus argumentis adnisus est ostendere [3], non esse nisi ecclesiasticum. Quod igitur de fide definivit Tridentinum circa ministrum Confirmationis, hic propugnandum assumimus.

PROPOSITIO.

Episcopi habent potestatem confirmandi, quae non est illis cum presbyteris communis; sanctae enim Confirmationis ordinarius minister est solus episcopus, non autem quivis alius sacerdos.

37. De fide hanc esse propositionem constat tum ex can. III. sess. VII. conc. tridentini superius recitato, tum ex can. VII. sess. XXIII: *Si quis dixerit episcopos . . . non habere potestatem confirmandi . . . et eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem . . . anathema sit.* Adstruitur autem adversus photianos, waldenses, wicleffitas atque hussitas, docentes ministrum ordinarium Confirmationis etiam simplicem esse sacerdotem.

38. Haec autem veritas ex Scripturis evincitur sensu traditionali expositis. Act. enim cap. 8. legimus apostolos Petrum ac Joannem missos esse Samariam, ut manus imponerent super tinctos a Philippo. Hanc porro manuum impositionem hos apostolos praestitisse, prout erant episcopi, ex universa discimus ecclesiastica antiquitate. Nam solos episcopos deprehendimus manus imposuisse ad conferendum Spiritum Sanctum, si casus singulares excipias, in quibus ipsi presbyteros delegarunt juxta dicta. Hinc s. Cyprianus, ut vidimus, scribebat ad Firmilianum, *eos, qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae offerri, ut per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum Sanctum consequantur.* Quo pariter referuntur caetera, quae allegata sunt documenta, ex quibus constat, in utraque ecclesia orientali ac occidentali solum episcopum spectatum fuisse uti ordinarium Confirmationis ministrum, cui scilicet ex officio ac proprio jure competeret sacramentum hoc administrare.

[2]) *Exercitat. de sacr. Confirmat.*

[3]) *Dissert.* X. *de ministro Confirm.* qu. 2. §. 6 et seqq.

DIFFICULTATES.

39. Obj. Ex universa potius antiquitate constat jus confirmandi presbyteris competere. Etenim, caeteris omissis, 1. s. Hieronymus, in *Dial. cont. Lucifer.* affirmat *ad honorem potius sacerdotii quam ad legem necessitatis* factum esse, ut soli episcopi consignarent, et in *Epist. ad Evangelum* scriscitatur: *Quid facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* 2. *Sola quippe ordinatione,* subdit s. Jo. Chrysostomus,[1] *superiores* episcopi *sunt, et hinc tantum videntur presbyteris praestare.* 3. Beda docet unctionem, *quae fit per manuum impositionem ab episcopis... et vulgo Confirmatio dicitur, eamdem esse cum secunda* (quae fit in Baptismo); *propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut et alia multa.*[2] Sed ut altius assurgamus 4. *Constitutiones apostolicae,* lib. VIII. pro certo assumunt idem jus esse quoad Confirmationem episcopis et presbyteris; legitur enim in eis, cap. 22. *de Baptismo: Episcope, aut presbyter, jam quidem antea constituimus, et nunc vero dicimus... unges prius Oleo sancto; deinde baptizabis aqua; postremo signabis unguento.* 5. Idem habet conc. toletanum I. can. XX. dicens: *Statutum est diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente episcopo; praesente vero, si ab eo fuerit praeceptum.* Paria habent concilia arausicanum I. can. I; regiense, can. V; barcinonense, can. II; sed prae caeteris hispalense II. quod can. VII. aperte declarat plurima olim presbyteros communia cum episcopis habuisse, ut *Paracletum Spiritum dare, chrisma conficere, chrismate baptizatorum frontem signare, nunc vero novellis et ecclesiasticis regulis haec omnia illicita esse presbyteris,* etc. Ergo.

40. Resp. I. generatim, *D.* Et haec omnia ad summum evincerent ordinarium jus non competere solis episcopis ex jure divino presse sumpto, sed solum, uti scholae loquuntur, *reductive, C.* ipsis non competere jure saltem ecclesiastico, *N.* Jam enim animadvertimus quaestionem hanc dogma non attingere.

41. Resp. II. Ad 1. *D.* s. Hieronymus in primo textu asserit *ad honorem potius sacerdotii,* etc. spectata divina Christi dispositione, *Tr.* spectata dispositione ecclesiae, *N.* Ad alterum vero textum: *Quid facit* etc., *D.* Jure ordinario aut extraordinario, *C.* ordinario, *N.*

42. Ad 2. Eadem esto distinctio; siquidem s. Jo. Chrysostomus id unum significat, posse ab episcopo delegari presbytero facultatem extraordinariam munia obeundi quae propria sunt episcopi, excepta ordinatione.

43. Ad 3. *D.* Adempta est presbyteris facultas prius ipsis concessa confirmandi, *Tr.* vel *C.* quae ipsis competeret jure ordinario, *N.* Haec nobis facilior videtur expositio istius obscurissimi textus Bedae, quin recurrere opus sit ad ejus corruptionem cum abb. Sancyrano nuncupato, quae nullis idoneis documentis fulciri potest.

[1]) *Hom.* XI. *in Ep.* I. *ad Timoth.* n. 1. [2]) In Ps. XXVI.

44. Ad 4. *D.* Supponunt *Constitutiones apostolicae* inesse presbyteris facultatem consignandi illis ab episcopis delegatam, *C.* ordinariam, *N.*

45. Ad 5. *D.* Et ejusmodi concilia, praesertim hispalense, agnoscunt in presbyteris potestatem eisdem communicatam, prout ferebat jus antiquum, *C.* ordinariam et propriam, *N.* Alioquin non potuisset haec in illis coarctari, aut etiam ab eis tolli, prout factum patet ex adductis verbis ejusdem concilii hispalensis.

CAPUT III.

DE MATERIA, FORMA ET EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

46. Ut de singulis hic propositis seorsum disseramus, a materia incipimus.

47. Cum in administratione Confirmationis tum manuum, aut saltem manus impositio adhibeatur et chrismatis inunctio, controversia inter theologos viget, quaenam sit praecise materia essentialis et adaequata hujus sacramenti, num scilicet manuum impositio, quae praemittitur unctioni, an vero sola unctio; utrum aeque in alterutra; an denique in utriusque conjunctione. Si quidem quatuor hae sunt sententiae, in quas theologi divisi sunt, et unaquaeque uti suos patronos, ita sua fundamenta habet aut in Scriptura, aut in traditione, aut in utraque simul; communissima nunc jam est opinio, cui adstipulantur s. Thomas, Bellarminus, Maldonatus, aliique passim, qui contendunt materiam adaequatam Confirmationis consistere in chrismatis unctione una cum *manus* impositione, quae in ipsa actione chrismationis fit. Haec sententia eo firmior videtur, quod pro se habeat quidquid a patronis aliarum sententiarum adducitur sive pro sola manuum impositione, sive pro sola unctione, ex Scripturis, ex testimoniis Patrum, atque ex Euchologiis et ritualibus libris. Insuper perfecta in hac sententia apparet utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis consensio, cum in utraque et consignatio chrismatis vigeat et manuum impositio, quae illam comitatur. Demum facile, qui eam propugnant, se expediunt ab illis difficultatibus, quibus unaquaeque seorsum sumpta praedictarum sententiarum impetitur. Huic proinde et nos assentimur. Quod enim attinet ad illam manuum impositionem, quae praemittitur ab episcopo super omnes confirmandos, penitus omittitur a graecis et orientalibus, in ritualibus vero latinis, quos adducit Martenius, non est constans, sed in aliquibus praemittitur, in aliis postponitur, in aliis omittitur. Praeterea, uti observat Benedictus XIV. [1] mos pluribus in locis viget, ut si qui superveniant confirmandi, impositione illa absoluta, non reiteretur, quod certe non fieret, si essentialis illa existimaretur.

48. Constituta igitur veriore sententia de essentiali et adaequata Confirmationis materia in unctione, cum unctio haec fiat oleo opobalsamo permixto, a graecis vero oleo et chrismate seu unguento tribus aut quinque

[1]) Lib. XIII. *De Synodo,* cap. 19.

supra tringinta aromatibus confecto, quaeri solet utrum ejusmodi opobalsami aut unguenti permixtio censeri debeat essentialis necne. Communior sententia tenet solum oleum ex olivis expressum materiam constituere essentialem. Hanc sententiam amplexus est Bellarminus. Sane, ut nos paulo ante innuimus, nonnisi sexto saeculo ejusmodi permixtio induci coepit ad uberiorem significationem effectuum hujus sacramenti, ac anteriora saeculo illo documenta de solo oleo mentionem faciunt. Certum itaque videtur ejusmodi permixtionem ex sola ecclesiastica institutione repetendam esse, ac proinde haud esse essentialem, tametsi in praxi praetermitti nequeat.

49. Verum cum antiqua documenta constanter loquantur sive de oleo sive de chrismate *benedicto*, alia quaestio instituitur; num scilicet haec benedictio spectet nec ne ad essentiam seu sitne de praecepto divino? Plures affirmant, plerique vero probabilius negant, tum quia de hoc divino praecepto non constat, tum quia veteres eadem ratione loquuntur de aqua benedicta ad collationem Baptismi, deque hujus administratione per trinam immersionem, quin tamen inferri jure possit haec ad essentiam Baptismi spectare aut ex praecepto divino descendere. Exinde sequitur eam benedictionem non esse nisi de praecepto ecclesiastico.

50. De jure ordinario chrismatis benedictio solius episcopi est, ut omnes admittunt; ast controversia excitata est apud theologos utrum ad eam delegari presbyter possit. Equidem si de rom. pontifice sit sermo, vix in dubium revocari potest. Etenim si rom. pontifex delegat sacerdotem ad confirmandum, quomodo non poterit delegare ad chrisma benedicendum? Si vero de episcopis disseramus, quamvis juxta antiquum jus ipsi potuerint etiam hanc benedictionem demandare presbyteris, prout adhuc in ecclesiis orientalibus et graecis demandari solet, annuentibus aut saltem non reclamantibus rom. pontificibus, certum est juxta recens jus episcopos id non posse, cum uni summo pontifici id sit reservatum.

51. Ex his, quae diximus de materia, via nobis quodammodo strata est ad disserendum de forma Confirmationis; haec enim cum illa necessario connexa est. Porro cum statuerimus juxta communiorem sententiam, illam consistere in chrismatione, sequitur hanc in verbis esse statuendam, quae illam comitantur. Itaque in ecclesia graeca, ut in caeteris orientalibus ecclesiis haec una adhiberi consuevit: *Signaculum doni Spiritus Sancti;* in ecclesia vero occidentali haec usurpatur: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine* etc., quae quidem, uti testatur Martenius, quoad substantiam in omnibus *Ordinibus* Confirmationis reperitur, secus ac contingat circa aliam orationem, quae adhibetur cum episcopus manus protendit super confirmandos. Non alia proinde quaerenda est.

52. Ut aliquid jam adjiciamus de Confirmationis effectibus, duo hi recensentur; primus est Spiritus Sancti gratia ad robur ac fortitudinem in fide praesertim strenue profitenda; qui proinde per Baptismum veluti geniti infantes habentur, per sacramentum Confirmationis in viros perfectos evadunt. Qua de causa nuncupatum a veteribus est hoc sacramentum *appendix, com-*

plementum, *perfectio* aut *consummatio* Baptismi; ac propterea immediate post Baptismum administrari consueverat. Nemo porro est, qui ambigat ad hunc effectum consequendum necessario requiri statum gratiae. Alter effectus est impressio characteris, quo fit, ut Confirmatio reiterari nequeat. Cum autem de charactere satis disseruimus in *Tract. de sacram. in genere*, ideo non est cur de eo iterum agamus.

53. Coarctamus igitur nos ad refellendum novatorum errorem circa chrismatis unctionem.

PROPOSITIO.

Injurii non sunt Spiritui Sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt.

54. De fide propositio est totidem verbis a Tridentino definita, Sess. VII. can. II. superius recitato.

55. Ita vero novatores perstringimus: aut chrismatis unctio, uti fert communis sententia, ad essentiam sacramenti pertinet, aut veluti ritus spectatur ab ecclesia institutus ad significandum ejusdem sacramenti effectum. Si primum admittatur, jam liquet nullam injuriam Spiritui S. inferri chrismatis unctione; si alterum admittatur, nulla pariter injuria Spiritus S. afficitur eo ritu, qui ab ecclesia adscitus est ad illum effectum significandum, qui a sacramento producitur. Jam enim ostendimus suo loco, ecclesiam a Christo potestate instructam esse ea circa sacramentorum administrationem statuendi, quae ad fidelium utilitatem conferrent, prout accidit in casu, de quo agimus.

56. Cum protestantium difficultates usum chrismatis attingant, cujus nulla mentio in Scripturis occurrit, et illae jam praeoccupatae fuerint, ideo ab eis afferendis supersedemus.

CAPUT IV.

IN EA QUAE DISCEPTATA SUNT SCHOLIA COMPLECTENS.

57. Nonnulla subjicienda sunt circa hujus sacramenti institutionem, subjectum ac caeremonias.

SCHOLION I.

58. Confirmationis sacramentum institutum esse a Christo Domino, et quidem immediate, vix est qui ex catholicis nunc dubitet post definitionem a Tridentino editam, quod sacramenta omnia a Christo Domino fuerint instituta. Adeoque obsolevit nonnullorum veterum scholasticorum, praesertim vero Alexandri alensis, sententia de mediata hujus sacramenti institutione. Quando vero, quibusque in rerum adjunctis Christus id praestiterit, deficientibus Scripturarum ac traditionis documentis, definiri non potest. Satius propterea erit nostram fateri ignorantiam, quam vanis conjecturis indulgere.

SCHOLION II.

59. Subjectum Confirmationis, omnibus consentientibus, non potest esse nisi fidelis baptizatus, cum Baptismus omnium sacramentorum veluti janua sit. Verum si sermo sit de aetate ac tempore Confirmationis administrandae, nihil certi constitui potest. Quondam etiam in ecclesia latina solebat administrari immediate post Baptismum tam adultis quam infantibus, qui mos perseveravit ad saeculum fere XIII. Ex eo tempore coepit alterum ab altero sacramento in Occidente dispesci quoad administrationem. Penes graecos et orientales adhuc viget antiqua consuetudo consignandi infantes immediate post sanctum lavacrum. Ex quo vero in ecclesia latina vetus mos obsolevit, disciplina invaluit, ut consignarentur pueri cum ad annos discretionis pervenerint, uti traditur in *Catechismo romano.*[1] Non ita tamen firma haec est, ut, si rerum adjuncta aliter postulent, non consueverit etiam infantibus Confirmatio administrari, uti supponitur in Pontificali. Atque hinc est, quod Benedictus XIV. eos commendet episcopos[2], qui ad infantes periclitantes se conferunt ad hoc conferendum sacramentum: aut si tempore, quo proprias perlustrant dioeceses, cum praevideant nonnisi post longum tempus easdem invisere se iterum posse, consignent sacro chrismate infantes, qui eisdem offeruntur. Olim receptum erat, ut nonnisi jejunis conferretur Confirmatio, nunc vero hic usus in desuetudinem abiit.

SCHOLION III.

60. Circa ejusdem necessitatem, omnes pariter uno ore theologi fatentur, eam non esse absolutam seu medii; sic communior sententia est nec esse necessariam Confirmationem necessitate praecepti divini. Ast non ita se res habet circa necessitatem praecepti saltem ecclesiastici, adeo ut reus fiat violati praecepti, qui sciens volensque hujus sacramenti susceptionem negligeret; alii enim affirmant, alii vero negant. De hoc consuli possunt moralis theologiae institutores.

SCHOLION IV.

61. Ut aliquid jam de caeremoniis in Confirmationis administratione adhiberi solitis attingamus, diversae olim servabantur ab illis, quae nunc obtinent, uti ostendit Martenius; item diversus ritus adhibetur apud graecos et orientales ab eo qui servatur in ecclesia latina. Etenim 1°. graeci plerique ac orientales consueverunt ungere oculos, aures, os ac nares; immo olim liniebant praeterea pectus, manus, pedes etc.; uti ostendunt Arcudius, Goarius, Renaudotius, Toutteus; latini vero solam frontem chrismate linire solent, cujus ritus rationem affert *Catechismus romanus.*[3] Insuper 2°. alicubi frons sacro oleo illita, vitta linea ac probe munda cingi solet; quae quidem

[1]) Part. II. cap. 3. n. 17.
[2]) ***De Synodo,*** lib. VII. cap. 16. n. 8—9.
[3]) Loc. cit. n. 23.

olim septem dies deferebatur aut per triduum aut integram saltem diem, alicubi vero continuo abluitur et exsiccatur chrisma a sacerdotibus. Ritus, qui in unaquaque ecclesia obtinet, servari debet. 3°. *Patrini* praeterea *chrismandorum*, quasi vices parentum acturi, cum necessitas postulat, uti susceptores adhibentur. Horum munia exponit s. Carolus, in *Actis Conc. Provincialis quinti*, part. I. Declarat porro conc. tridentinum [4], non contrahi spiritualem cognationem nisi inter confirmatum et confirmantem illiusque patrem et matrem atque tenentem. Quorum proinde nomina ex plurimarum synodorum praescripto in distincto libro consignari debent.

62. Quod demum spectat ad alapam, quae leviter ab episcopo infligitur confirmato, conjicit Muratorius [5], ritum hunc repetendum esse ab usu, qui obtinebat medio aevo in institutione solemni equitum, quibus ad strenuam fortitudinem significandam ab imperatore aut rege solebat alapa infligi. Certe nemo ante Durandum Minatensem hujus ritus mentionem injicit, neque ejusdem vestigium occurrit in antiquis libris ritualibus et pontificalibus. S. Carolus ita praeclare mysticam ejus significationem exponit [6]: *Episcopus cum leviter in maxilla caedit, quem chrismate confirmat. Hunc ritum parochus ita docebit, ut sciat homo christianus, se jam militem esse, cujus pugna et victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis; deinde se in christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vitae jucunditates et commoda quaerat, sed incommoda potius atque adeo mala multa patienter ferat; ac propterea intelligat officii sui esse in acie stare, telaque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor opesque laedantur, anima tamen nullo pacto offendatur.*

[4]) Sess. XXIV. cap. 2. *de Reform.*
[5]) Diss. XXIII. *Antiq. italic. medii aevi.*
[6]) *Instruct. de sacram. Confirmat.*

TRACTATUS

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

PROOEMIUM.

1. Quo majore admirationis, amoris, grati animi sensu fideles erga nobilissimum sacramentum Eucharistiae feruntur, quod jure spectant veluti praecellentissimum divinae caritatis argumentum, Incarnationis extensionem, gratiarumque uberrimum fontem; eo deteriori impetu et astu in illud insurgunt increduli, biblici, rationalistae, sacramentarii. At numquam homines nobis eripient, quod Deus tanta contulit liberalitate. Interim istorum ictus retundere, omni qua possumus virtute, Dei ope confisi, adniti debemus.

2. Ut pia antiquitas altam hujus mysterii ideam ingereret, multis nobilissimisque nominibus Eucharistiae sacramentum exornavit, quae in unum collegit Theophilus Raynaudus. Praecipua vero haec sunt: 1°. A tempore nuncupatum fuit, *Coena;* 2°. ab eo quod continet, *Corpus*, *Caro*, *Sanguis Christi*, *Sancta*, *Sancta Sanctorum*, *Sanctum Domini;* 3°. a materia ex qua conficitur, *Panis*, *Panis coelestis*, *Panis angelorum;* 4°. a forma consecrationis, *Eulogia*, seu *Benedictio* et *Consecratio;* 5°. ab effectibus, *Vita*, *Communio*, *Consummatio*, *Viaticum;* 6°. a loco, in quo conficitur, vocari demum consuevit *Sacramentum Altaris*, *Synaxis*, et *Fractio panis* propter distributionem.

3. Definitur autem Eucharistia: *Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis ac vini ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum.* Quamvis vero duo elementa seu symbola sint, panis scilicet ac vinum, unum nihilominus constituunt sacramentum ob unitatem significationis, quae est animarum nostrarum alimonia. Ratio sacramenti in

speciebus panis ac vini consistit consecratione peracta. Differt porro a caeteris sacramentum: 1°. in eo quod caetera sint in actu transeunte, hoc vero in re permanente; 2°. in eo, quod in aliis eadem substantia materiae permaneat, in hoc autem mutetur; 3°. demum hoc sibi proprium vindicat Eucharistia, quod sit simul sacrificium et sacramentum: sacrificium in actione, qua conficitur et ad Deum directe refertur; sacramentum peracta consecratione ac directe ad hominum refertur sanctificationem.

4. Qua postrema de causa fit ut tractatum hunc in duas distinguamus partes, in quarum priore de Eucharistia agemus qua sacramentum, in altera de eadem qua sacrificium est.

PARS PRIOR.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

5. Ab eo statim auspicamur praecipuo doctrinae catholicae capite, quod de reali Christi praesentia est, ut deinceps gradum faciamus ad disserendum de modo, quo Christi corpus praesens fit in Eucharistia, per transsubstantiationem. Ex his vero vindicatis pronum nobis erit caetera colligere ad instar corollariorum, quae a novatoribus impugnantur, doctrinae capita, videlicet adorationem, communionem sub alterutra specie, etiam ex praesanctificatis, ejusdem necessitatem, ac dispositiones ad eam rite suscipiendam.

CAPUT I.

DE REALI CHRISTI PRAESENTIA IN EUCHARISTIA.

6. Omnium primus, qui directe impugnaverit veritatem realis Christi praesentiae in Eucharistia, ac proinde omnium *sacramentariorum* agmen ducit, communi consensu est Berengarius andegavensis ecclesiae archidiaconus saec. XI. A viris doctrina ac pietate insignibus refutatus est, et a pluribus per id temporis celebratis conciliis damnatus; post pluries recantatam palinodiam, pluresque relapsus, tandem in fidè et communione catholica defunctus est. Post aliquot saecula erroris sui sectatores Berengarius habuit Zwinglium et Calvinum, demum socinianos ac rationalistas.

7. Horum impietati opponimus canonem I. quem conc. tridentinum, sess. XIII. edidit his verbis: *Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Jesu Christi ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.* Evincitur autem haec catholica veritas tum ex Scriptura tum ex traditione.

PROPOSITIO I.

Christus, prout primo sacrae litterae docent, vere, realiter, et substantialiter in sanctissimo Eucharistiae sacramento continetur, et non in signo tantum, vel figura aut virtute.

8. Christus se daturum carnem suam ad manducandum sanguinemque suum ad bibendum pollicitus est, Joann. c. VI; promissionem implevit pridie mortis suae in hujus sacramenti institutione, quam praeter tres evangelistas reliquos Paulus, I. Cor. c. XI. testatur. Arctissima proinde intercedit inter promissionem et institutionem Eucharistiae connexio. Ex utraque tamen singillatim argumenta promimus ad efficiendum quod intendimus, majoris tantum perspicuitatis gratia.

§. 1.

EXPENDUNTUR VERBA, QUIBUS CHRISTUS PROMISIT SE DATURUM CARNEM SUAM AD MANDUCANDUM ET SANGUINEM SUUM AD BIBENDUM. JOANN. VI.

9. Integrum hoc caput, uti post s. Cyrillum alexandrinum nobilissimi interpretes card. Toletus et Cornelius a Lapide cum aliis exposuerunt, refertur ad Eucharistiam tamquam ad *objectum attributionis*, ut logici loquuntur. A vers. enim 1. usque ad 26. sacer evangelista refert miraculum multiplicationis panum uti figuram Eucharistiae; deinde v. 27. sermonem profert, quo Christus tum promittit cibum eucharisticum, tum conditionem ex parte judaeorum exigit ad cibum hunc suscipiendum, nempe fidem in se hunc cibum pollicentem; demum a v. 51. usque ad finem Christum in eodem sermone inducit aperientem naturam, proprietates, effectus, ac necessitatem cibi quem promittit.

10. Duo impugnant adversarii, ac I. Christum in hoc capite loqui de Eucharistia; II. loqui de orali carnis ac sanguinis sui manducatione ac potione; nam juxta ipsos 1°. non agit Christus nisi de fide; 2°. de sola ad summum disserit spirituali sumptione carnis suae per fidem.

11. Ut lux dicendis affulgeat, juverit verba praemittere ipsius Christi: *Operamini,* dixit judaeis, v. 27. *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis.* En, ut ita dicam, thesim totius sermonis: *opus* quod praestare debebant judaei, nempe fidem, et *cibum* quem promittit se daturum Christus. Pergit deinde Christus opus a judaeis praestandum declarare, donec redeat ad *cibum* cujus, ut diximus, exponit naturam, proprietates, effectus ac necessitatem, dicens, v. 52: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam... Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus,* etc.

12. Loqui itaque Christum de Eucharistia in adductis verbis, non autem de sola fide, patet 1°. ex comparatione quam instituit inter cibum quem promittit, ac manna quod manducaverunt judaeorum patres in deserto, dicens: *Non sicut manducaverunt patres vestri manna in deserto et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* idque juxta judaeorum traditionem. Patet 2°. ex phraseologia, quae non patitur sensum metaphoricum in substrata materia; siquidem phrasis *manducandi carnem alterius* constanter sumitur in malum sensum, *irrogandi* scilicet *alteri injuriam,* qua proinde Christus uti non potuit ad significandam fidem. Patet 3°. ex constanti, atque ut ita loquar, affectata antithesi sexies repetita inter *manducare* et *bibere, manducationem* et *potionem, cibum* et *potum,* quae nullum scopum haberet nisi difficultatem ingerendi. Patet 4°. ex verbo adhibito in futuro tempore *dabit, dabo;* nam fidem in Messiam ejusque passionem judaei jamdiu habebant, fidem vero in se Christus jamdiu praedicaverat, praesertim, cap. V. ejusdem Evangelii, de alio itaque cibo a se dando Christus hic loquitur. Patet 5°. ex plurium adversariorum confessione, qui apud Albertinum [1] nobis jam dant Christum hic loqui de Eucharistia, licet contendant eum loqui de Eucharistia spirituali modo sumenda, quod jam secundo evertendum assumpsimus.

13. Christum porro sermonem hic habere de eucharistico cibo orali seu reali manducatione sumendo ostendimus 1°. ex intelligentia judaeorum ac ratione quam tenuit Christus, cum perperam verba ejus intelligerentur. Certum enim est judaeos in litterali sensu accepisse verba Christi, neque adversarii diffitentur; jam vero Christus hoc in casu solebat corrigere pravam intelligentiam verborum suorum eaque explanare, etsi non ageretur de re tanti momenti, quod pluribus exemplis facile ostendi posset. Porro hic Christus insistit, confirmat, inculcat quod dixerat et quidem ad auditorum suorum mentem. 2°. Ex epithetis quibus doctrinam suam adstruit, non obstante judaeorum offensione; nihil enim faciens eorum murmur, insistit dicens: *Caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus;* et iterum: *Qui manducat me, vivet propter me.* Quod probe intelligentes discipuli dixerunt: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* 3°. Ex miraculo ad quod appellat, ut veritatem doctrinae suae confirmet, subdit siquidem: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Quasi diceret, juxta Kuinoel et Bloomfield: *Si ascendero in coelum, vos desinetis scandalizari;* provocat scilicet, ut consuevit, ad miraculum ascensionis suae ut credibilem faceret promissionem suam. 4°. Ex Christi charactere, indole, et adjunctis; Christus enim, qui tanta benignitate paverat turbas in deserto, scandalum ipsis deinde objecisset, quod una vocula potuisset tollere; quin vero id efficeret, passus potius est vel discipulos suos amittere, et quin emolliret, fecisset facultatem vel apostolis omnibus abeundi. Hoc certe admittere difficilius est quam ipsum Eucharistiae mysterium.

[1]) *De Eucharist.* lib. I. cap. 30.

5°. Ex agendi ratione quam evangelista Joannes constanter tenuit sensum exponendi verborum Christi, si quando vel ipse non adjecerit explicationem, vel rite ejus verba intellecta non fuerint, aut obscuritatem ingererent. Hic tamen ubi Christus in adversariorum hypothesi obscurissime locutus esset, ac deceptio facillima, immo perverse intellexissent judaei, nec verbum nec syllabam adjecit, ad veram Christi mentem explanandam. 6°. Denique ex unanimi Patrum sex priorum saeculorum intelligentia, immo et sensu totius ecclesiae, ut patet ex praxi inde derivata porrigendi Eucharistiam infantibus post Baptismum; cujus rei locupletissimos testes habemus s. Innocentium I. et s. Augustinum, qui objecerunt hanc praxim pelagianis, ut illis eriperent vanam distinctionem inter *regnum Dei et vitam aeternam* juxta istud Christi effatum: *Nisi manducaveritis* etc., seu ut illi legebant: *Nisi quis manducaverit carnem,* etc. Quam interpretationem confirmarunt tria oecumenica concilia, scilicet ephesinum, in *Epist. ad Nestor.*, nicaenum II. actione VI. ac tridentinum, Sess. XIII. cap. 2. et Sess. XXI. cap. 1.

14. Constat igitur utrumque quod ostendere proposuimus, Christum Joann. VI. tum de Eucharistia, tum de ejusdem orali manducatione locutum esse.

DIFFICULTATES.

15. I. Obj. 1. Christi locutio Joann. VI. tota figurata est, figura desumpta a materiali pane a se multiplicato. 2. Figurata proinde hac locutione sua Christus fidem commendat in mortem suam, prout ipsemet declarat, v. 52. dicens juxta graecum textum: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* 3. Ideo vero Christus litteralem verborum suorum intelligentiam in auditoribus suis non correxit, quia satis jam aperuerat mentem suam. 4. Immo confirmavit dicens se morte violenta sublatum iri per distinctionem carnis et sanguinis, atque hac ratione se fore cibum et potum. 5. Sane cum Christus haec diceret, nondum sacra coena instituta, sermo ejus non potuisset intelligi si de Eucharistia locutus esset, adeoque fuisset inutilis. Ergo.

16. Resp. Ad 1. *N.* vel *D.* Occasionem Christus sumpsit ex multiplicatione panis materialis disserendi de pane eucharistico, *C.* figurate locutus est, *N.* Nempe cum Christus dixerit miraculum ipsum ad significandum cibum eucharisticum, de quo disserere instituit, exinde nactus est occasionem ad carnales judaeorum animos evehendos ad longe pretiosiorem cibum quem ipsis promittit, uti adnotavimus, adeoque vocem *cibi,* v. 27. in litterali sensu usurpavit.

17. Ad 2. *N.* Sed allegatis verbis Christus inculcat identitatem carnis quam praebiturus erat ad manducandum cum illa quam immolaturus erat pro mundi vita, atque expresse affirmat panem, quem eis pollicebatur, hanc ipsam suam carnem esse.

18. Ad 3. *N.* Etenim si adeo clara erat figurata Christi locutio, uti adversarii autumant, qui fieri potuit, ut nonnisi post XVIII saecula eam soli biblici rationalistae demum assecuti fuerint, eaque latuerit Patres ac

interpretes omnes, immo ecclesiam universam? Clara itaque est sententia Christi in obvio ac naturali sensu intellecta, aenigmatica vero ac violenta, si figurate esset accipienda.

19. Ad 4. *N.* Siquidem de morte violenta nullum in adductis verbis reperitur vestigium: inauditum praeterea est mortem violentam designari per cibum et potum carnis et sanguinis.

20. Ad 5. *D.* Prout locutus jamdiu Christus erat, Joann. III. de necessitate Baptismi adhuc instituendi, *C.* jam instituti, *N.* Christus de duobus his praecipuis sacramentis ante illorum institutionem disserere voluit, ut ita animos praepararet. Si judaei modum, quo Christus ea quae promittebat, non assequebantur, poterant fidem saltem interim exercere, ac suo tempore, instituta Eucharistia, intelligere, quemadmodum illa intellexerunt apostoli fideles.

21. II. Obj. Saltem loquitur Christus de spirituali manducatione per fidem; nam 1. Christus manducantibus absolute vitam promittit, at non omnes qui accedunt ad oralem Eucharistiae perceptionem, eam consequuntur, bene vero qui credunt. 2. Id clarius patet ex eo quod Christus in tempore praesenti dixerit: *Qui manducat, qui bibit;* ergo hic et nunc potuissent judaei id facere, scilicet credendo, non autem oraliter manducando, cum nondum fuisset Eucharistia data. 3. Sane id ipsum Christus declaravit, v. 64. dicens: *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* 4. Hinc Petrus Christo dicenti: *Numquid et vos vultis abire?* respondit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* De sola igitur manducatione per fidem intellexit Christi verba.

22. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si legitime sumatur Eucharistia, *C.* quacumque ratione, *N.* Prout neque omnes, qui credunt, salvantur, sed qui prout oportet, credunt. Nam etiam *daemones credunt et contremiscunt.* Idque commune est omnibus promissionibus conditionatis, ut scilicet conditio, quaecumque demum sit, sive legis observatio, sive sacramentorum susceptio rite ponatur ad obtinendum quod promittitur.

23. Ad 2. *D.* Nempe indefinite exponens proprietates et effectus cibi sumendi, *C.* reipsa pro praesenti tempore, *N.* Hoc enim repugnat contextui, dixerat jam Christus: *Quem Filius hominis dabit vobis; quem ego dabo;* insuper: *Nisi manducaveritis, nisi biberitis;* prout de Baptismo dixerat, Joann. III: *Nisi quis renatus fuerit.*

24. Ad 3. *D.* Et haec protulit Christus ad excludendam materialem capharnaiticam intelligentiam, *C.* ad exclusionem veritatis carnis suae dandae, *N.* Optime ad haec verba s. Augustinus [2]: *O Domine,* inquit, *magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam, etc. Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt ... quomodo in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Alioquin si

[2]) *Tract.* XXVII. *in Joann.* n. 5.

voce *spiritus* significaretur sensus spiritualis, voce *carnis* significaretur sensus litteralis, quod est absurdum; quod non pauci demum ex ipsis protestantibus recentioribus confessi sunt.

25. Ad 4. *D.* Id est, Petrus per professionem divinitatis Christi, illam cum caeteris apostolis conditionem implevit quam Christus requisivit uti medium ad cibum obtinendum quem ab initio sermonis sui pollicitus erat, *C.* alio sensu, *N.* Memor scilicet Petrus Christi verborum, v. 27: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis;* et: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille;* hoc opus posuit ad obtinendum cibum; quod opus, sive fidem in Christi divinitatem cum non posuerint judaei ac discipuli increduli, ideo hoc cibo destituti sunt. Caeterum etiam Martha, Joann. XI. 27. exposcenti Christo, utrum crederet se posse mortuos ad vitam excitare, respondit eadem ratione: *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti.* Hoc enim dato caetera sequuntur.

26. III. Obj. Haud pauci catholici interpretes Christi verba, Joann. VI. 52 et seqq. de comestione per fidem exposuerunt. Ergo.

27. Resp. *D.* Pauci ac immerito, *C.* plures ac rite, *N.* Hi enim interpretes non plus sex aut septem sunt, ut faciliori ratione sese opponerent calixtinis abutentibus Christi sententia: *Nisi manducaveritis et biberitis.* Verum praeterquam quod hi auctores timuerunt ubi non erat timor, discesserunt ab unanimi sanctorum Patrum et conciliorum oecumenicorum ac proinde ecclesiae universae sensu. Quos proinde Maldonatus temeritatis arguit.

§. 2.

EXPENDUNTUR VERBA INSTITUTIONIS EUCHARISTIAE.

28. Promissis suis stetit Christus per eucharisticam institutionem, quam referunt Matthaeus, XXVI. 26; Marcus, XIV. 22; Lucas, XXII. 19, ac Paulus, I. Cor. XI. 23. iisdem pene verbis; Matthaeus itaque sic eam describit: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

29. Protestantes fere omnes recentiores cum rationalistis contendunt haec institutionis eucharisticae verba intelligenda esse in sensu figurato ac metaphorico, ecclesia catholica ea constanter intellexit in sensu obvio ac litterali.

30. Rite porro ecclesiam in sensu litterali ac obvio ea verba intellexisse praeter traditionem universam, de qua postea, suadet 1°. *hermeneutica,* cujus primaria regula haec est: verba semper in sensu litterali proprio intelligi debent, quoties nec obstat substrata materia, nec illum excludunt voces ipsae, nec denique aliter exposcit communis loquendi usus. Jam vero nihil horum in Christi verbis occurrit; siquidem non obstat litterali sensui sub-

strata materia: cum non agatur de re intrinsece repugnante, quamque Deus omnipotens praestare non possit. Non excludunt voces ipsae, quibus usus est Christus, quae potius litteralem sensum exigunt, nec ullam figuram insinuant. Non exposcit communis loquendi usus, cum nuspiam sit receptum per panem humanum corpus significari.

31. Suadet 2°. *philologia*, ea enim emphasi verba, quibus usus est Christus in calicis consecratione, juxta graecum textum praedita sunt, ut ad meram figuram aptari nequeant: sic quippe se habent: *Hic enim est sanguis ille meus, ille Novi Testamenti, ille qui pro multis in peccatorum remissionem effunditur:* quod vidit Horneus, qui in sua *Introductione ad studium criticum et expositionem S. Scripturae*, ea magnifice exornavit. Quorsum vero haec emphasis? Nempe si biblicis rationalistis auscultes, ad significandum vinum utpote rubri coloris esse figuram sanguinis, et panem figuram esse *cadaveris exsanguis*, ut scribit Wetstenius. Verum et hoc excluditur ex Christi verbis, prout referuntur a s. Luca: *Hoc poculum in sanguine meo quod pro vobis effunditur.* Porro non simplex vinum pro salute nostra effusum est. Id adeo torsit Bezam, ut ad difficultatem declinandam per summum nefas graecum textum corruperit.

32. Suadet 3°. *parallelismus*, qui intercedit inter verba, quae protulit Christus in consecratione calicis, et quae protulit Moyses, Exod. XXIV. 8. prout referuntur a Paulo, Hebr. IX. 20. Moyses enim sumpto victimarum sanguine aspergens librum ac populum dixit: *Ecce sanguis foederis, quod pepigit vobiscum Jehova:* illud porro adverbium demonstrativum *ecce* reddit Paulus per *hic: Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Tantumdem igitur valet *hic* ac *ecce;* sed *ecce* rem coram positam demonstrat, nempe sanguinem victimarum effusum, ergo *hic* in ore Christi rem pariter praesentem, seu sanguinem suum coram positum demonstrat: eo vel magis quod Christus eisdem verbis foederalibus Moysis usus sit, tantum adjiciens ad significandam suffectionem novi foederis foederi antiquo voculas *meus* et *novi*, dicens: *Hic est sanguis meus novi Testamenti.*

33. Suadent 4°. *adjuncta;* siquidem Christus in coena seu Eucharistiae institutione novum foedus feriit, testamentum fecit, ac sacramentum instituit; cum vero de his agitur, locutionibus claris et propriis opus est, omnisque figura ac metaphora est abigenda, ne deceptioni turpissimae locus detur.

34. Suadet 5°. difficultas extundendi sensum figuratum ac metaphoricum ex Christi verbis: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus.* Quod evincit ipsorum adversariorum agendi ratio, qui cum voluerint figuratum sensum reperire, jam ab ann. 1570. bis centum interpretationes diversas dederunt, quae deinceps evanuerunt; nec feliciores hodierni sacramentarii ac rationalistae in figuris inveniendis fuerunt, adeo ut ridiculos se praebuerint, dum *corpus paschatis* invexerunt, aut *cadaver siccum*, aliaque ejusmodi. Hinc ipse Paley in sua *Evidentia Christianismi*, part. II. c. 3. fassus est in explicatione protestantium talem reperiri *difficultatem, quae, ut minimum dicam, acrem investigationem et eruditionem requirit, quo amoveatur.*

35. Suadent denique 6°. *absurda,* quae in hypothesi adversariorum sequerentur; praecipue vero deceptio apostolorum ac proinde ecclesiae universae, quae, ut videbimus, in sensu litterali semper Christi verba intellexit; adeoque Christus in turpem idololatriam ecclesiam conjecisset. Stat igitur in sensu litterali ea esse accipienda.

DIFFICULTATES.

36. I. Obj. Christi verba: *Hoc est corpus meum, et hic est* etc., possunt in sensu figurato intelligi. Etenim 1. in sensu *significandi* seu *repraesentandi* passim in Scripturis verbum *esse* adhibetur, e. gr. Matth. XIII. 38: *Ager est mundus.* 2. Sed potissime id patet, Exod. XII. 11: *Est enim phase, id est, transitus Domini.* 3. Cum igitur his textibus paralleli sint textus, Matth. XXVI. 26. aliorumque evangelistarum, sequitur hunc illis subesse sensum: *Hoc significat corpus meum;* 4. praesertim cum receptum sit ex communi loquendi usu, ut subjectum denominetur a figura; hinc de imagine aut simulacro dicitur: *Hic est Caesar.* Ergo.

37. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *N.* Siquidem numquam sive in Scripturis sive in quibusvis auctoribus profanis, sive sacris, in nulla lingua antiqua aut moderna verbum substantivum *esse* adhibetur in sensu *significandi,* aut *repraesentandi,* sed constanter in sensu exprimendi substantiam, seu solam extremorum unionem, ac proinde *copula* propositionis a logicis vocatur. Quod si figurata sit locutio, numquam figura inhaeret verbo *est,* sed aut subjecto aut praedicato; uti cum de imagine referente Socratem dico: *Hic est Socrates;* figura est in nomine Socratis, quod cum verum ac vivum Socratem natura sua significet, hic pro Socratis figura positum sit. Hinc merito concludit Maldonatus, eos qui verbo substantivo figuram affingunt (affingunt autem sacramentarii omnes antiqui et recentiores), ad grammaticorum verbera mittendos esse.

38. Ad 2. *N.* Etenim praeter modo dicta, objecta verba sic se habent in hebraica veritate: *pascha* seu *phase hoc Domino.* Jam vero quoties ejusmodi constructio cum dativo in hebraica lingua occurrit, uti observat vel ipse Rosenmüller, toties aliquid *sacratum* vel *dedicatum Domino* significatur. Hinc verbum *est* in hoc textu strictissimam suam significationem affirmativam retinet, ita ut reddi debeat: *Hoc est festum paschatis sacrum Domino.* Exinde deprehendimus Spiritum, qui Zwinglio hunc textum suggessit ad negandam Christi realem praesentiam in Eucharistia, vere fuisse *atrum.*

39. Ad 3. *D.* Si parallelismus exsurgeret ex similitudine aut identitate *verbi, C.* si exsurgat ex similitudine *rei, N.* Porro Ernestus, cui caeteri biblici expositores protestantes assentiunt, adnotat parallelismum non ex similitudine aut etiam identitate vocis oriri, sed ex similitudine rei. Nulla autem intercedit similitudo inter loca omnia ab adversariis congesta et verba institutionis; siquidem, caeteris omissis, in illis agitur *de explicatione symboli,* in istis *de symboli institutione,* quod non ex rei natura, sed ex sola voluntate instituentis pendet.

40. Ad 4. *Nego* paritatem, cum enim *figuram* jam simulacrum prae se ferat, quaeretur solum *cujus* ea sit.

41. II. Obj. Debuerunt apostoli Christi verba intelligere in sensu figurato et improprio, 1. quia noverant in sensu litterali agi de re impossibili; 2. quia noverant vetitum a lege esse sanguinem bibere, multo vero magis sanguinem humanum; 3. quia cum Christus locutus syriace sit, nec ullum in ea lingua vocabulum reperiatur, quod vim habeat *significandi,* praeter verbum *esse*, Christo dicente: *Hoc est corpus meum;* rite debuerunt accipere verbum *est* perinde ac si dixisset *significat.* Ergo.

42. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* Nec enim apostoli erant aut protestantes, aut rationalistae, aut increduli, sed simplices ac rudes erant, qui non aliud impossibile esse censebant quam aliquid esse impossibile Deo; jam emiserant professionem fidei in Christi divinitatem cum ipse, Joann. VI. promittebat se eis daturum carnem suam ad manducandum et sanguinem suum ad bibendum; assueti erant ejus miraculis. Supponunt praeterea adversarii se aut demonstrasse, aut demonstrare posse impossibilem esse realem Christi praesentiam in Eucharistia, cum tamen id neque effecerint umquam neque efficere possint.

43. Ad 2. *D.* In propria specie, *C.* sub specie aliena, ut in casu nostro, *N.* Lex enim mosaica casum hunc continere non poterat, qui sine ingenti miraculo haberi nequit.

44. Ad 3. Resp. I. *Nego* suppositum, in linguis nempe semiticis, praesertim ubi occurrit pronomen demonstrativum *hoc,* adhiberi verbum *esse.* Resp. II. *Neg.* Docti enim philologi ostenderunt, exemplis in medium prolatis, quadraginta quinque ad minus in lingua syriaca verba reperiri in sensu *significandi* ac *repraesentandi,* adeo ut Horneus, qui hanc difficultatem promoverat, debuerit erubescere ac tacite saltem palinodiam canere, supprimendo in altera operis sui editione quae huc referebantur. Resp. III. Christum locutum esse in dialecto hierosolymitana, in qua verba *significandi* vim habentia plurima reperiuntur.

45. III. Obj. 1. Christus de eo, quod in manibus assumpsit, benedixit, fregit ac distribuit, dixit: *Hoc est corpus meum;* atqui illud erat panis, qui non potest esse Christi corpus nisi per figuram et repraesentationem. 2. Quod confirmatur ex eo quod si pronomen *hoc* referretur ad corpus Christi, ejus propositio foret tautologica, perinde ac si dixisset *corpus meum est corpus meum.* 3. Hac de causa Christus, Matth. XXVI. 29. etiam post consecrationem, quod erat in calice, vocavit *genimen vitis;* 4. prout Paulus, I. Cor. X. 16. alterum symbolum, peracta consecratione, dixit *panem.* 5. Concludendum itaque est Eucharistiam non esse nisi ritum *symbolico-mnemonico-practicum* passionis Christi. Ergo.

46. Resp. Ad 1. *D. De eo,* etc. convertendo per propositionem practicam et efficacem in corpus suum, *C.* non convertendo, *N.* Ad eum modum, quo, si quis alteri dono daret librum et diceret: *Hic liber est tuus*, sumeret

hic quidem librum suum in manibus, ac traderet, sed ipsa porrectione ac propositione practica efficeret alterius.

47. Ad 2. *Neg.* Propositio enim tunc solum tautologica est, cum non solum eadem res significatur, in subjecto et praedicato, sed cum praeterea identitas verborum tam in subjecto quam in praedicato usurpatur, uti si quis diceret: *Homo est homo*, minime vero esset tautologica illa propositio qua aliquis diceret: *Homo est animal rationale*, et e convèrso; quamvis reipsa idem quoad rem sit *homo* et *animal rationale*. Immo ex omnibus dialecticis hoc requiritur ut propositio sit vera; identitas scilicet rei in subjecto et praedicato. Multo minus tautologica dici potest propositio Christi, cum voce usus sit indeterminata *hoc*, quae determinatur et induit naturam praedicati, completa propositione.

48. Ad 3. *Neg.* De altero siquidem poculo locutus est Christus, dum dixit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, uti constat ex s. Luca, c. XXII. 18.

49. Ad 4. *D.* Emphatice tamen dicendo panem *hunc*, *C.* simpliciter vocat *panem*, *N.* Accedit, quod Scriptura consueverit rem jam immutatam vocare ex nomine quod ante mutationem obtinebat. Sic Joann. IX. 17: *Dicunt ergo caeco* (jam videnti); et Exod. VII. 12: *Devoravit virga Aaron* (jam serpens) *virgas* (jam versas) *eorum;* et alibi passim.

50. Ad 5. *Neg.* Nimis enim sero venerunt rationalistae ac sacramentarii, ut nobis obtruderent suum ritum *symbolico-mnemonico-practicum* ad unice recolendam Christi passionem. In hoc detrahunt apertis Christi verbis, et sensui totius antiquitatis, ut mox ostendemus, nec redolent nisi propriam incredulitatem.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ex constanti et universa ecclesiae traditione evincitur.

51. Sacramentarii ab initio fassi sunt sibi Patres adversari; deinde ex nonnullis eorum obscuris effatis, resumptis viribus, ausi sunt nobis Patres objicere, uti Mornaeus Du Plessis, Chamierius, Albertinus et Claudius, donec penitus contriti deseruerunt prudenter hoc patrocinium, ut unice se ad Scripturarum arcem reciperent; quo tamen exitu, vidimus.

52. Testes hujus universalis traditionis sunt Patres omnes, omnes antiquae liturgiae, immo vel sectae omnes antiquissimae, ac ethnici ipsi calumniis suis.

53. Ac I. Testes sunt Patres, ex quibus s. Ignatius, in *Epistola ad Smyrnens.* c. 7. sic de haereticis phantasiastis scribens: *Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse servatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit.* Item s. Justinus scribit [1], Eucharistiam a fidelibus sumi

[1]) *Apolog.* I. n. 66.

non ut communem panem neque ut communem potum, sed incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. S. Irenaeus veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia utitur tamquam medio ad veritatem demonstrandam corporis Christi in Incarnatione adversus gnosticos phantasiastas, scribens [2]: *Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui? et calicem sanguinis ejus?* Eadem ratione marcionitas perstringit Tertullianus [3], qui praeterea scribit [4]: *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Sic Origenes comparans Eucharistiam cum verbo Dei, subdit [5]: *Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum accipitis Corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur, reos enim vos creditis, si quid per negligentiam decidat.* S. Cyprianus ita scribit de indigne Eucharistiam sumentibus [6]: *Vis infertur corpori ejus et sanguini; et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.*

54. Et hos ex Patribus singillatim attulisse sufficiat, quoad reliquos insequentes, satis sit illorum doctrinam in summam colligere; haec autem est: 1°. excludendam esse ab hoc sacramento *figuram;* 2°. Christum in hoc sacramento non fide tantum; sed *reipsa* nobiscum conjungi; 3°. exinde ipsi commendant caritatem Christi, qui oves suas *proprio pascit cruore;* 4°. rationem reddunt quare Christus sub specie panis se nobis dare voluerit, tum nempe ne nimio terrore percelleremur, tum ut nostra exerceretur fides; 5°. docent in hoc mysterio divinae *omnipotentiae opus* intervenire; 6°. profitentur per veram *conversionem* panem mutari in *corpus,* et vinum in *sanguinem* Christi; idque illustrant exemplo creationis, et conversionis aquae in vinum in nuptiis Canae. 7°. Adnituntur hoc creditu difficile mysterium auctoritate et omnipotentia divina persuadere; 8°. tradunt in altari offerri ipsum corpus quod fuit in cruce mactatum, et sanguinem illum, qui pro nobis effusus est; 9°. conferunt Eucharistiam cum Incarnatione, eademque ratione de utriusque mysterii veritate disserunt; 10°. illis epithetis hoc sacramentum insigniunt, quae nonnisi in veritatem carnis Christi cadere possunt, dum vocant *terribile, horrendum, adorandum, panem vivum, incorruptibilem cibum,* etc. Singulorum autem Patrum testimonia, quae huc referuntur collecta invenies apud Bellarminum, Lib. II. *De Euchar.,* et in op. *De perpetuitate fidei.* Jam vero quomodo ejusmodi doctrina componi potest cum hypothesi sacramentariorum, quod Christus in Eucharistia non inveniatur nisi in signo tantum, figura et virtute? Nonnisi amens affirmare id poterit.

55. II. Testes ejusdem traditionis sunt liturgiae omnes, quae ante saec. XVI. in universa ecclesia publico cultui inservierunt. Tum orientalium

[2]) *Cont. haeres.* lib. IV. cap. 18. n. 4.
[3]) Lib. IV. *Cont. Marcionem,* cap. 11.
[4]) *De resurr. carnis,* cap. 8.
[5]) *Homil.* VIII. *in Exod.*
[6]) *De lapsis.*

ecclesiarum tum occidentalium liturgias collegerunt et vulgarunt eruditi viri Renaudotius, Martenius, Assemanus uterque Simon et Joseph, card. Bona ac Thomasius, Mabillonius, Muratorius, Le Brunius. Jam vero, uti omnes animadverterunt, cunctae liturgiae conveniunt in invocatione Spiritus Sancti, ut oblata dona, panem scilicet et vinum *convertat* omnipotenti virtute sua, *commutet*, *transmutet* in corpus natum ex Maria virgine, in sanguinem, qui effusus est pro redemptione nostra, immo *faciat*, *vel fiat corpus et sanguis* D. N. J. C., adeoque ecclesia omnis ab ortu ad occasum, a septentrione ad meridiem per sedecim continentia saecula unius labii circa hunc exstitit articulum fidei nostrae.

56. III. Testes sunt sectae antiquae omnes, gnostici, marcosiani, valentiniani, marcionitae; item ariani, nestoriani, eutychiani, armeni, syrijacobitae, graeci schismatici etc., qui circa hoc dogma convenere omnes, atque superstites conveniunt; argumento igitur est ineluctabili istorum consensus de fide, quae in ecclesia catholica obtinebat, quando ipsi ab illa divisi sunt.

57. IV. Testes sunt ethnici ipsis calumniis, quibus christianos impetebant, quod ipsi carne humana ac sanguine vescerentur in suis conventibus clancullariis, ut patet non solum ex *Apologia* I. Justini, sed et ex Actis martyrum lugdunensium in Epistola, ab Eusebio relata, ad ecclesias Asiae.

58. Huc demum accedit argumentum invictum praescriptionis, ita ut nulla ab adversariis hujus universalis doctrinae origo assignari possit praeter apostolicam.

59. Quae cum ita se habeant, jure merito concludimus, ita dogma de reali Christi praesentia a traditione firmari, ut concuti nullo modo possit.

DIFFICULTATES.

60. I. Obj. 1. Patres apostolici nihil de reali Christi praesentia scriptis suis ediderunt; 2. Patres vero, qui illos exceperunt, ea habent, quae illam excludant, ut Irenaeus, qui scribit [7]: *Carnem nostram ali corpore et sanguine Christi;* item Eucharistiam *duabus rebus consistere, terrena et coelesti,* scilicet pane et coelesti gratia. 3. Origenes vocat Christi corpus in Eucharistia *typicum* et *symbolicum* [8]; inficiatur Eucharistiam ex se sanctum efficere comedentem, nec utilem esse nisi pro suscipientis fide. 4. Item asserit oratione panem fieri *quoddam corpus sanctum.* [9] 5. *Homil.* vero XXXII. *in Joann.* affirmat *offulam*, quam Christus Judae porrexit, ejusdem generis esse ac eam, quam dedit apostolis dicens: *Accipite, comedite*, etc. Demum in *Comm. super Matth.* n. 85. negat *panem illum visibilem, quem tenebat in manibus et corpus suum dicebat Deus Verbum,* esse corpus Christi. 6. Quae cum ita sint, recte iconomachi in conc. constantinopolitano vocarunt Eucharistiam *imaginem vivifici corporis, quae pretiose et honorabiliter fit.* Ergo.

61. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem s. Ignatius M. pater apostolicus haud

[7]) Lib. IV. *Cont. haereses,* n. 18.
[8]) Tom. IV. *in Matth.* in cap. 16.
[9]) Lib. VIII. *Contra Celsum.*

poterat luculentius exhibere de reali Christi praesentia testimonium. Caeteris de eodem argumento scribendi non se obtulit occasio.

62. Ad 2. *N.* Dum vero Irenaeus scribit loc. cit. *carnem nostram ali corpore et sanguine Christi,* veritatem nostram mirifice confirmat; utitur enim Eucharistia uti medio ad evincendam adversus gnosticos futuram corporum nostrorum resurrectionem quam illi negabant, et rationem adducit, quia caro haec nostra in ordine ad resurrectionem alitur a vivifico corpore et sanguine Christi per Eucharistiae sumptionem. Huc pariter referuntur alia verba, quibus dicit Eucharistiam *dualbus rebus constare, terrena et coelesti*, nempe humana natura hypostatice cum Verbo conjuncta, quia si fuisset tantum humana, tantum abest, ut potuerit incorruptibilitatem nostris communicare corporibus, ut potius esset illa ipsa corruptibilis, et sic conficit adversus eosdem haereticos aliam praeterea veritatem ab eisdem negatam, verae nempe Incarnationis.

63. Ad 3. *D.* Vocat Origenes in primo textu corpus Christi in Eucharistia *typicum* et *symbolicum* ratione *sacramenti* seu specierum, *C.* ratione rei contentae, *N.*

64. Sic inficiatur Eucharistiam ex se sanctum efficere, *D.* Quatenus ad fructum ex ea capiendum non sufficit materialis susceptio sine dispositionibus praerequisitis, *C.* quatenus his accedentibus non habeat vim sanctificandi, *N.* Quid enim aliud et nos docemus?

65. Ad 4. *D.* Si hic loqueretur Origenes de Eucharistia, *C.* si de communi pane, qui ex christiano more benedicebatur ante sumptionem, *N.* Id patet tum ex orationis serie, tum ex confessione ipsiusmet Albertini.

66. Ad 5. *D.* Analogice, *C.* reipsa, *N.* Nempe Origenes hoc in loco id unice sibi vult, Christum offulae, quam Judae porrexit, quamdam vim communicasse, qua potuisset utilis esse Judae, si voluisset, quemadmodum utilis est, sed longe diversa ratione, Eucharistia rite eam suscipientibus.

67. Dum vero in objecto commentario negat Origenes panem *visibilem* esse corpus Verbi, loquitur de pane prout *visibilis* est, seu respectu *sacramenti* et *specierum;* deinde deflectit sermonem, ut solet, ad mysticam et allegoricam expositionem, sed supposita prius cognita rei veritate; scribit enim ibidem: *Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum... et potus, quem Verbum sanguinem suum fatetur, verbum est potans et inebrians.*

68. Ad 6. *D.* Dixerunt iconomachi Eucharistiam esse imaginem plenam adeoque cultu latriae adorandam, *C.* vacuam prout sunt reliquae imagines quarum cultum ipsi respuebant, *N.* Unicus hic sensus illorum haereticorum est, alioquin non ei decrevissent cultum latreuticum; attamen ob hanc etiam novitatem expressionis seu formulae graviter vapulant a Patribus nicaenis.

69. II. Obj. 1. Tertullianus ex latinis scribit Christum non reprobasse panem, quo ipsum corpus suum *repraesentat* [10]; quo vero sensu id efficiat,

[10]) Lib. I. *Contra Marcion.* cap. 14.

2. exponit Tertullianus [11], scribens Christum panem *corpus suum* appellasse, ut intelligeremus *corporis sui figuram pani dedisse;* et iterum [12]: *Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei.* 3. Sic etiam s. Hieronymus scribit [13], Christum *repraesentasse* corpus et sanguinem suum. Ergo.

70. Resp. Ad 1. *D.* Id est, *praesens efficit, C.* imaginem exhibet, *N* Talis est vis hujus verbi *repraesentandi* apud latinos, ac praesertim in stylo. Tertulliani, qui passim hoc sensu verbum hoc adhibet; satis nobis sit ex innumeris prope exemplis, quae collegit Pamelius in not. 112. ad lib. *De resurr. carnis*, unum afferre ex lib. IV. *Cont. Marcion.* cap. 22. ubi ait, quod Deus *repraesentans eum* (Christum in monte Thabor), *dixit: Hic est Filius meus.*

71. Ad 2. *D. Dedisse figuram reali corpori suo, C.* imaginem exhibuisse, *N.* Scopus Tertulliani est in objectis locis ex realitate corporis Christi in Eucharistia, quam admittebat Marcion, ostendere realitatem ejusdem corporis in Incarnatione quam ille rejiciebat; sic enim procedit argumentum Tertulliani: corpus phantasticum nequit recipere figuram; atqui Christi corpus in Eucharistia figuram recipit, nempe panis; ergo corpus Christi phantasticum non est. Exinde novum exsurgit pro veritate catholica ineluctabile argumentum.

72. Ad 3. Responsio patet ex dictis ad 1. eo vel magis quod s. Hieronymus velit ostendere figuris vet. Testamenti suffectam esse veritatem.

73. I. Inst. S. Augustinus realem Christi praesentiam in Eucharistia numquam agnovit. Etenim 1. passim Eucharistiam vocat *panem, figuram, signum* corporis Christi. 2. *Ep.* XCVIII. *ad Bonifac.* scribit: *Secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est.* 3. In *Serm. ad infantes*, explicans quid sit Eucharistia, ait: *Corpus ergo Christi, si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi et membra. Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa dominica positum est.* 4. Exinde celebris illa regula, quam tradit s. Doctor ad secernendum sensum litteralem a figurato. [14] *Si praeceptiva,* inquit, *locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis ... facinus vel flagitium videtur jubere: figura est ergo, praecipiens passioni dominicae communicandum.* 5. In *Tract.* XXV. *in Joann.* agens de corporis Christi manducatione dicebat: *Ut quid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti;* ut enim subdit *Tract.* XXVI: *Qui credit, manducat.* 6. Demum in lib. *Contra Adimantum,* cap. 12: *Non enim,* scribit, *Dominus dubitavit dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Ergo.

[11]) *Contra Marcion.* lib. III. cap. 19.
[12]) Ibid. lib. IV. cap. 40.
[13]) *Comment. in cap.* 26. *Matth.*
[14]) Lib. III. *De doctrina christ.* cap. 16.

74. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Vocat *panem* etc., ratione specierum, et quatenus est figura et signum plenum, *C.* ratione substantiae ac rei contentae, *N.* Omnes enim ejusmodi locutiones *typi, signi, figurae* etc., quibus tum s. Augustinus, tum alii Patres interdum utuntur, ad externas referuntur species, uti et nos vocamus *symbolum,* sed ratione *sacramenti,* seu *signi sensibilis* latentis Christi corporis.

75. Ad 2. *D.* Prout *sacramentum* est inadaequate sumptum pro signo sensibili, ut dictum est, *C.* prout sacramentum est adaequate sumptum cum re contenta, *N.* Id enim ferebat Augustini scopus, dum probare constituit Bonifacio Baptismum rite *sacramentum fidei,* immo et *fidem* vocari, cum *credere* in infantibus sit *baptizari.* Caeterum ut melius eluceat s. Augustini mens circa sacramentum Eucharistiae adaequate sumptum, praestat afferre, quae lib. IX. *Confess.* cap. 13. de s. Monica scribit: *Memoriam sui*, inquit, *ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei praetermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis.* Quaerimus porro ab adversariis utrum chirographum istud fuerit deletum a figura et imagine Christi corporis, an vero a corpore ipso pro nobis immolato?

76. Ad 3. *D.* Transitum faciens a rei veritate ad mysticam ejusdem significationem, *C.* ad exclusionem rei veritatis, *N.* Haec enim consueta fuit Augustino, perinde ac Origeni, agendi ratio, ut, supposita rei veritate, seu realitate Christi corporis in Eucharistia, utpote omnibus nota, transeant ad moralem aliquam seu mysticam significationem exponendam, hoc tamen interposito discrimine, quod Origenes eam trahat ad praedicationem verbi Dei, Augustinus vero ad commendandam caritatem; ac ita se gessit s. Augustinus in hoc *sermone ad infantes* seu *neophytos.*

77. Ad 4. *D.* Ad excludendum sensum capharnaiticum, *C.* sensum catholicum, *N.* Nam aperte s. Doctor mentem suam exposuit in verbis a nobis adductis ex *Tract.* XXVII. *in Joann.* n. 5.

78. Ad 5. *D.* Loquens de fide, *C.* de Eucharistia, *N.* Enarrat enim in objectis locis s. Augustinus Christi verba: *Hoc est opus ut credatis in eum quem misit ille*; nec non quae habentur v. 35: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam;* quae utique dicta sunt de fide in Christum pollicentem Eucharistiam.

79. Ad 6. *D.* Cum daret *signum* seu symbolum externum corporis sui in illo latentis, *C.* purum signum seu nudum symbolum, *N.* Intendit enim hic probare s. Doctor adversus Adimantum manichaeum vere potuisse in veteri Testamento vocari sanguinem animantium *animam*, quamvis reipsa non sit nisi ejusdem *signum.* Hoc porro declarat exemplo Eucharistiae cujus signum externum vocatur *corpus Christi.*

80. II. Inst. Facundus hermianensis, in op. *Pro defensione trium Capitulorum,* lib. IX. cap. 5. negat, quod *sacramentum corporis et sanguinis Christi, quod est in pane et poculo consecrato, sit proprie corpus ejus et sanguis,* quamvis ita vocentur. Ergo.

81. Resp. *D.* Prout *sacramentum* est inadaequate sumptum, *C.* prout sumitur adaequate, *N.* Ejus mens patet ex scopo quem sibi praefixit hic scriptor defendendi, seu trahendi in bonum sensum, quod scripserat Theodorus Mopsuestenus, nestorianae haereseos praeformator, in Capitulo a conc. V. damnato, quod scilicet recte scribere potuerit Christum adoptionem filii suscepisse et *cum circumcisus est, et cum baptizatus est,* quia *sacramentum adoptionis* suscepit, quod potest vocari *adoptio,* quemadmodum *sacramentum* Eucharistiae dicitur *corpus Christi,* etsi prout sacramentum est, proprie Christi corpus non sit, sed ejus externum tantum signum. Ex quo patet immo supponere Facundum vere Christi corpus et sanguinem latere in sacramento.

PROPOSITIO III.

Ostendi nequit dogma de reali Christi praesentia in Eucharistia rectae rationi adversari.

82. Duplici via posset enunciatae propositionis veritas ostendi, *directa* ac *indirecta.* Directa qua juxta diversa philosophorum placita evincitur, quomodo componi possit mysterii veritas cum eo, quod philosophia docet circa naturam corporum. Verum haec methodus longa est, nec omnibus satisfacit, eo quod tum systema peripateticum, tum cartesianum, boschovichianum seu punctorum simplicium, aliaque ejusmodi, quae adduci solent, aliis non probentur: ideo hac praetermissa, malumus via indirecta expeditiore rem conficere.

83. Eucharistia, perinde ac reliqua religionis nostrae mysteria, superat rationis nostrae captum; fieri igitur nequit ut demonstrari possit eam repugnare, ac rectae rationi opponi. Cum praeterea contradictio consistat in intrinseca notarum seu terminorum repugnantia, non potest haec adstrui nisi apprime uterque terminus cognoscatur, ut ex utriusque collatione et comparatione possit judicium institui, et affirmari sive convenientia eorum sive repugnantia; jam vero adversarii verisimilius neutrum terminum apprime callent, scilicet naturam corporum, et statum corporis gloriosi et sacramentalis, posteriorem vero hunc sine dubio ignorant. Nequeunt igitur judicare de repugnantia corporis Christi in Eucharistia, seu in statu corporis gloriosi et sacramentalis; prout non posset caecus natus, qui nullam coloris ideam habet, judicare et affirmare, quod repugnet circulus rubei coloris. Reipsa huc colliduntur omnia adversariorum argumenta, uti ex difficultatum solutione patebit.

DIFFICULTATES.

84. I. Obj. Dogma de reali praesentia repugnat in se. Nam 1. implicat integrum corpus humanum sub tenui hostiola ejusve fragmento contineri, quodcumque demum philosophicum admittatur systema. 2. Implicat praeterea, ut idem corpus uno eodemque tempore simul in pluribus locis realiter a se distinctis inveniatur; 3. esset enim unum et multiplex, esset divisum a se ipso, magnum et parvum, etc. Ergo.

85. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Existens in statu naturali, *C.* in statu sacramentali, *N.* Quomodo enim ostendent increduli et sacramentarii non posse humanum corpus gloriosum in statu sacramentali sub tenui hostiola aut ejus fragmento delitescere, si nesciunt in quo hic status consistat? Et sic nullo indigemus philosophico systemate ad hoc componendum.

86. Ad 2. *D.* Naturaliter, *Tr.* supernaturaliter ac per miraculum, *N.* Implicaret, si simul esset et non esset, minime vero ut idem sit hic et alibi, ut in casu nostro. Alii id exponunt per *multiplicationem*, quatenus, servata identitate physica, multiplicaretur solum individuatio, ut vocant, ac numerus; alii exponunt per *multilocationem*, quatenus in corpore concipitur non solum identitas physica, verum etiam identitas individuationis ac numeri, ita ut unum idemque corpus diversos ac multiplices sumat respectus ad corpora circumstantia pro multiplicitate panis ac vini consecrati per quae immediatam operationem exercet; hoc vero divina omnipotentia fieri potest. Exemplo illustratur corporis quod dat ostensionem sui in duobus, tribus, centum, mille speculis adstantibus.

87. Ad 3. *Nego* omnes ejusmodi sequelas. Siquidem solum sacramentum esset multiplex, solum item sacramentum divisum esset a se ipso, quatenus particulae, quae Romae consecratae asservantur, divisae sunt ab illis, quae servantur Lutetiae; solum sacramentum, seu signum exterius erit majus ac minus, et ita porro; Christi autem corpus semper idem ubique est in se ipso.

88. II. Obj. Admissa reali Christi praesentia in Eucharistia, actum est de certitudine physica; siquidem 1. sensus nostri, etiam peracta consecratione, nobis non renunciant nisi panem et vinum. 2. Adeoque de nulla re amplius certi esse possemus. 3. Eo vel magis quod Eucharistia eosdem in nobis effectus producat ac panis et vinum, cum nos nutriat atque inebriet, si in magna quantitate sumatur. 4. Quaeri praeterea posset quid sit quod tangimus, quod videmus, quod gustamus: aut enim corpus Christi est, et tunc Christi corpus esset album, rotundum, palpabile etc., immo corrumperetur; aut est aliquid ab eo diversum cui corpus Christi subest; et deberemus admittere accidentia absoluta peripateticorum, quae non minus a physica, quam a sana philosophia rejiciuntur. Ergo.

89. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Id est, figuram, sive speciem aut apparentiam panis et vini, *C.* naturam seu substantiam panis ac vini, *N.* Nam sensuum officium non versatur nisi circa objectorum apparentiam, non autem circa eorumdem naturam aut substantiam. Jam vero in Eucharistia sensus nobis reunciant apparentiam panis ac vini, quae reipsa habetur, adeoque rite funguntur officio suo, licet substantia non respondeat ejusmodi apparentiae.

90. Ad 3. *N.* Tum quia, ut vidimus, sensus nos reipsa non fallunt; tum quia necesse non est ut semper substantia respondeat apparentiae, ut patet in petrificatione, in qua licet nulla supersit ligni particula, referuntur tamen omnia ligni lineamenta et figura; tum quia denique divina auctoritas

commonefacit nos substantiam panis non respondere in casu hoc peculiari illius apparentiae. Exceptio autem firmat regulam in contrario.

91. Ad 3. *D.* Ita Deo efficiente ad exercendam fidem nostram, *C.* per se, *N.* Hoc ipso enim, quod Christi corpus in Eucharistia sit incorruptibile, nequit nos nutrire; neque nos nutrit aut inebriat substantia panis ac vini, quae in ea non sunt. Deus itaque extraordinaria ratione supplet, aut novae substantiae reproductione, ut aliquibus placet, aut alio modo sibi cognito. Deus enim ad exercitium fidei nostrae constituit, ut panis ac vinum consecratum easdem subeant vices, quas subirent, si consecrata non essent; proinde cum hostia, idem de vino dic, consecrata ad eum pervenerit statum in quo cessaret substantia meri panis, cessat esse corpus Christi praesens, et illi iidem in nobis producuntur effectus divina virtute, quos produceret panis, si consecratus non fuisset.

92. Ad 4. Resp. Esse illud ipsum quod erat in pane ac vino antequam consecrarentur, affectiones scilicet objectivas, quae antea producebantur a substantia panis et vini, postea producuntur sola Dei virtute. Hinc non indigemus accidentibus absolutis peripateticorum. Has porro affectiones producit Deus tum a parte rei, uti a parte rei producebantur a pane et vino non consecratis, tum in sensibus nostris veluti effectus, sicut eosdem effectus in nobis panis et vinum non consecrata producebant, sub quo respectu affectiones illae objectivae fiunt in nobis subjectivae, uti effectus a causa. Atque sic praevenimus difficultatem quam solent peripateticismi sectatores urgere, quod cum hostiae asservantur in tabernaculo, non retineant rationem sacramenti, eo quod nemo sit in quem illas affectiones producant; siquidem Deus generali lege constituit ut semper objective corpus Christi per hostias affectiones illas emittat, licet tunc defectu intuentium, tangentium ac degustantium, non fiant nobis subjectivae, eadem ratione ac panis in arca reconditus semper suas objectivas emittit affectiones, etsi nemo sit qui actu illum videat, aut degustet.

93. III. Obj. Ex ejusmodi dogmate plurima incommoda, immo et absurda dimanant: ac 1. Christi corpus profanationibus subjici; 2. panem converti in Deum; 3. falsum fore celebre axioma: *totum est majus sua parte;* nam Christi manus quae erat pars, tenuisset corpus quod esset totum; 4. rejectis quatuor testibus, nos uni debere testi fidere, scilicet auditui; 5. immo certitudini physicae praeferre certitudinem moralem, ex qua sola nobis constare potest realis Christi praesentia in Eucharistia. Ergo.

94. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Sacramentum, *C.* Christi corpus, *N.* Hoc enim, utpote gloriosum, non magis attingitur in profanationibus, quam ipsa divinitas. Homines proinde sacrilegi sibi nocent, non autem Christi corpori in se.

95. Ad 2. *N.* Nam hoc tantum docet fides catholica, quod panis convertatur in Christi corpus, cui per concomitantiam conjuncta divinitas est una cum anima.

96. Ad 3. *D.* Si Christus gessisset in manu corpus suum in statu

naturali existens, *C.* si non gessit nisi in statu sacramentali, *N.* En qua facilitate se expediant catholici a difficultate *insolubili* proposita a Rousseau tamquam *nova*, quamque XII ad minus ante saeculis sibi proposuerat ac solverat s. Augustinus. [1]

97. Ad 4. *D.* Si reipsa quatuor illi testes, nempe sensus, contrarii essent quinto testi seu sensui, *Tr.* vel *C.* si contrarii non sunt, *N.* Jam vero quatuor illi testes, nempe sensus, solam apparentiam, ut debent, renunciant, quae profecto adest panis et vini; quintus autem testis, scilicet auditus, certus fit de substantia seu natura corporis latentis, quae non est objectum illorum sensuum. Exinde intelligitur, quomodo Christo testanti quod porrigebat esse corpus suum apostoli fidere potuerint, seu credere, quidquid dicat Tilotzonus; nec enim apostoli erant protestantes aut increduli.

98. Ad 5. *N.* Ut patet ex dictis; certitudo enim physica non adversatur certitudini morali. Si quid efficeret ejusmodi argumentum neque apostoli potuissent, neque nos possemus credere Christi Incarnationi seu ejus divinae personae carnem indutae, cum sensus non perciperent nisi humanitatem solam. Tales sunt nugae protestantium et incredulorum, adeoque et rationalistarum.

CAPUT II.

DE MODO QUO CHRISTUS FIT PRAESENS IN EUCHARISTIA, SEU DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

99. Transsubstantiatio seu conversio totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi Domini est alterum doctrinae catholicae caput, quod impugnant lutherani confitentes realem Christi praesentiam, ut ei substituant vel *impanationem*, vel *companationem*, vel *consubstantiationem.* Contra quos haereticos Tridentinum, sess. XIII. hunc canonem, qui est II. emisit: *Si quis dixerit, in sacramento Eucharistiae remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. J. C., negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit.*

100. Ex hoc autem canone sequitur I. articulum de transsubstantiatione dogma esse distinctum a dogmate de reali Christi praesentia et cessatione omnis substantiae panis ac vini. Merito igitur Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei* propositionem 29. synodi pistoriensis, quae secus statuerat, proscripsit veluti *perniciosam expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, ac faventem haereticis.*

101. Sequitur II. in hoc dogmate inesse rationem, ut ait Bellarminus [1], existentiae Christi et cessationis panis et vini in Eucharistia, adeoque rursum

[1]) *Enarr.* I. *in Ps.* XXXIII. et alibi.

[1]) *De Euch.* lib. III. cap. 13. n. 1.

omissionem vocis *transsubstantiationis* synodi pistoriensis jure notatam a Pio VI. fuisse veluti eam, *qua notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses.*

102. Sequitur III. solam *transsubstantiationem* ad fidem spectare, non autem modos varios a theologis excogitatos ad eam exponendam, aut conditiones ad veram conversionem constituendam. Nobis prae caeteris arridet sententia Vasquez, qui censet [2], transsubstantiationem in suo conceptu formali consistere in relatione (extrinseca et solius rationis) ordinis inter substantiam quae desinit, et eam in quam desinere dicitur vi verborum Christi. Hinc *transsubstantiatio* nil aliud addit reali Christi praesentiae, nisi *cessationem panis in ordine ad realem Christi praesentiam, quo verba Christi sint vera.* Desinit autem substantia panis per destructionem. Ab hoc conceptu quoad rem non dissentit cardinalis Bellarminus. [3]

103. Sequitur IV. dogma *transsubstantiationis* esse veluti sequelam dogmatis de reali Christi praesentia; nec posse proinde adstrui nisi priori constituto. Hic proinde directe impetimus lutheranos admittentes realem Christi praesentiam, ac solum indirecte sacramentarios.

PROPOSITIO.

Tota substantia panis ac vini in Eucharistia per consecrationem convertitur in substantiam corporis et sanguinis Christi.

104. De fide propositio est ex allegato tridentino canone. Sic porro evincitur ejus veritas adversus lutheranos ex Scripturis: Haec verba Christi: *Hoc est corpus meum* vel intelligunt adversarii de pane in Christi corpus mutato, vel de pane non mutato: si de pane mutato ea intelligunt, jam nobiscum sentiunt; si vero de pane non mutato, jam falsa esset eorum significatio, nam panis non est corpus Christi.

105. Luculentissime praeterea eadem veritas patet ex universa traditione, ut fatetur vel ipse Leibnitzius in suo *Systemate theologico,* dum Patres docuerunt *panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem.* Sane Patres docent 1°. panem et vinum verbis Christi in corpus et sanguinem *converti,* ut Cyrillus alex. scribens in *Ep. ad Colosyrium: Convertens ea* (oblata) *in veritatem propriae carnis;* Eusebius emissenus id illustrans exemplo creationis, nec non s. Gregorius M. aliique apud Bellarminum. [1] Alii 2°. affirmant panem *mutari, transmutari, commutari,* ut s. Gregorius nyssenus, Jo. Chrysostomus, Jo. damascenus. [2] Alii 3°. tradunt panem *transire, transformari, fieri, transelementari* in Christi corpus, uti Augustinus, Remigius rhemensis, Jo. damascenus, Theophylactus. [3] Nobis satis hic sit afferre verba s. Cyrilli hiero-

[2]) In part. II. s. Thom. tom. III. disp. 181. cap. 2 et seqq.
[3]) Loc. cit. cap. 18.
[1]) Loc. cit. lib. III. cap. 20.
[2]) Ibid.
[3]) Ibid.

solymitani[4]: *Aquam olim in vinum, quod Sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit: et eum parum dignum existimabimus cui credamus, quum vinum in Sanguinem transmutavit?* Eadem habet s. Ambrosius.[5] Recolantur alia documenta superius allata, cum ageremus de reali Christi praesentia.

106. De eadem traditione constat ex liturgiis ecclesiarum omnium in universo mundo ab aetate apostolica usque ad nos. Vidimus enim ad unam omnes in eo convenire ut invocetur Spiritus Sanctus, ut omnipotenti virtute sua oblata dona *convertat, transmutet, faciat corpus et sanguinem* D. N. J. C. Ne quae attulimus iterum ingeramus, placet hic verba describere canonis aethiopici, quae ita se habent: *Transmuta hunc panem, ut fiat corpus tuum purum, et quod mixtum est in hoc calice, sanguis tuus pretiosus.* Fatente porro Ludolpho in suis lexicis, vox aethiopica significat veram mutationem de una in aliam rem. Consulatur Renaudotius.

DIFFICULTATES.

107. I. Obj. 1. Eadem ratione qua dixit Christus: *Hoc est corpus meum,* scripsit Joann. I. 14: *Verbum caro factum est,* quin tamen inferri possit Verbum conversum esse in carnem. 2. Immo eadem ratione de se Christus, Joann. VI. dixit: *Ego sum panis,* quin se mutaverit in panem. 3. De ferro proinde candente, ac de dolio vinum continente recte dicitur: *Hic est ignis... hoc est vinum,* etiamsi nulla intercesserit mutatio. 4. Quapropter Paulus scribit[6]: *Panis quem frangimus, nonne participatio* (gr. *communicatio*) *corporis Christi est?* Ergo et *panem* vocat Eucharistiam, et *communicationem* dicit corporis Christi, quod de ipso puro corpore Christi inepte diceretur. Ergo.

108. Resp. Ad 1. et 2. *Nego* paritatem. Illae enim sunt propositiones speculativae; haec autem, lutheranis fatentibus, propositio est practica, quae proinde falsa esset, non admissa conversione.

109. Ad 3. eadem esto responsio; accedit quod usus communis loquendi illum sensum postulet, ut continens pro contento significetur, secus ac contingat in casu nostro, cum nuspiam receptum sit, ut panis in se corpus humanum contineat.

110. Ad 4. *D.* Ratione specierum, *C.* naturae, *N.* Hinc sensus verborum Apostoli hic est: quod sub specie panis distribuimus, nonne communicatio Corporis Christi, seu Domini est? Sicque evanescit difficultas.

111. II. Obj. 1. S. Joann. Chrysostomus scribit[7]: *Panis, divina illum sanctificante gratia, mediante sacerdote liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit.* Sic etiam Theodoretus in *Dial.* II. *Inconfusus,* apollinaristae objicienti exemplum Eucharistiae, in qua panis conversus est in Christi corpus, ut evinceret humanitatem absorptam

[4]) *Catech. mystagogica* IV. n. 2.
[5]) *De mysteriis,* cap. 9. n. 50.
[6]) I. Cor. X. 16.
[7]) *Ep. ad Caesarium.*

a divinitate in Christo, respondet: *Retibus, quae ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent enim in priori substantia, et figura, et forma; et videri tangique possunt sicut prius;* et *Dial.* I: Deus in hoc sacramento *visibilia symbola,* inquit, *Corporis et Sanguinis appellatione honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturae gratiam adjiciens.* Demum Gelasius in lib. *De duabus naturis*: *Sacramenta,* scribit, *quae sumimus, Corporis et Sanguinis Christi divina res est... et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini.* Porro his clariora pro dogmate lutherano desiderari non possunt. 2. Patres, praesertim vero Justinus, consueverunt unionem panis et vini cum corpore et sanguine Domini comparare cum unione duarum naturarum in mysterio Incarnationis. 3. Dogma igitur non secus ac barbara vox *transsubstantiationis* nova sunt, inducta scilicet primum in concilio lateranensi IV. Ergo.

112. Resp. Ad 1. *D.* Et adducti auctores nomine *naturae ac substantiae* species sensibiles significant, *C.* naturam ac substantiam presse sumptam, *N.* Hoc patet 1°. ex eo quod ipsi constanter loquantur *de symbolis;* 2°. quod admittant his ipsis in locis *conversionem*, quam Theodoretus vocat *μεταβολὴν* panis ac vini; 3. quod non exegerint vocabula ad metaphysicas notiones, uti observat vel ipse Leibnitzius, in op. cit. Sane lutherani magdeburgenses sibi Theodoretum adversari fatentur [8], nec nisi periculose legi. *Epistola* autem *ad Caesarium,* perinde ac opus *De duabus naturis* criticorum judicio subdititia sunt.

113. Ad 2. *D.* Comparatione inadaequata, *C.* adaequata, *N.* Eo tendebat ejusmodi comparatio inter Eucharistiam et Incarnationem instituta, ut evinceretur adversus eutychianos synusiastas minime fuisse absorptam a divinitate humanitatem, ut haeretici illi autumabant, cum non obstante panis vinique in Eucharistia conversione in Christi corpus et sanguinem, species integrae in sua natura perseverarent. Nisi malueris cum aliis respondere Patrum scopum in illa urgenda similitudine non fuisse nisi ostendere adversus apollinaristas Christum post resurrectionem aut ascensionem species exteriores humanitatis minime deposuisse, ut illi fabulabantur.

114. Ad Justinum vero speciatim quod attinet, eo collineat ejus comparatio, ut ostendat eadem divini Verbi omnipotentia fieri ut panis in Christi carnem convertatur, ac ejusmodi caro efformata primum est in Virginis utero.

115. Ad 3. *D.* Nova est vox *transsubstantiationis,* quoad sonum, *Tr.* quoad rem voce significatam, *N.* Conc. lateranense tantum sancivit hanc formulam a scholasticis adoptatam adversus Berengarium, prout semper ab ecclesia factum est, ut novas adscisceret voces ad veterem doctrinam adstruendam contra novos haereticos. Caeterum animadvertente Leibnitzio, recte latini verterunt *transsubstantiationem,* quam veteres vocaverant *μεταστοιχείωσιν.* Viderint nunc lutherani, utrum ipsi eadem ratione cohonestare possint elegantem suam *impanationem et invinationem.*

[8]) *Centuria* VI. cap. 10.

116. III. Obj. Repugnat unam substantiam in alteram converti, cum essentiae sint immutabiles; 2. Corpus Christi corrodi a muribus, putrefieri, vermibus scatere. Ergo.

117. Resp. Ad 1. *D.* Per transitum de una in alteram, *C.* per cessationem unius in ordine ad positionem alterius, uti nos exposuimus formalem transsubstantiationis rationem, *N.* Monstra igitur sibi fingunt adversarii, quae insectentur.

118. Ad 2. *D.* In se, *C.* in exteriori specie, Deo sic disponente ad exercendam fidem nostram, *N.* Jamdiu reposuimus nihil horum cadere in Christi corpus gloriosum, existens praeterea in statu sacramentali, utpote cujusvis mutationis omnino incapax.

CAPUT III.

DE EO QUOD SUB QUALIBET SACRAMENTI SPECIE CONTINETUR DEQUE CATHOLICAE DOCTRINAE COROLLARIIS.

119. Fundamentalibus veritatibus de reali Christi in Eucharistia praesentia ac transsubstantiatione constitutis ac vindicatis, superest ut reliquas inde promanantes veritates attingamus.

120. Sacramentarii, qui nuda symbola in Eucharistia reliquerunt, nobis litem intentant, eo quod teneamus Christum integrum sub unaquaque specie adesse, adeoque vi verborum solum corpus praesens fieri ac per concomitantiam sanguinem una cum anima et divinitate, et ita quoad alteram speciem. Lutherani obscure et cunctanter de hoc articulo locuti sunt, ut viam sibi sternerent ad accusandam ecclesiam, quod sub unica specie hoc sacramentum fidelibus distribuat. Contendunt praeterea Christum non esse in Eucharistia nisi in usu seu in actu sumptionis, ut inferant Eucharistiam non esse adorandam. Adversus quos omnes errores sit

PROPOSITIO I.

In venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur.

121. Propositio de fide est, Sess. XIII. can. III. a Tridentino definita: *Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.*

122. Haec veritas corollarium est dogmatis vindicati de transsubstantiatione. Ex hoc enim panis convertitur in idem illud Christi corpus quod in coelis in statu glorioso est; atqui gloriosum Christi corpus est inseparabile a sanguine, anima ac divinitate; et idem de vino dicatur, quod convertitur in illum sanguinem, qui a corpore, anima ac divinitate inseparabilis est; ergo totus Christus continetur sub qualibet specie. Hinc Christus, Joann.

VI. 57. dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me; non manducatur* autem Christus, nisi sub unica specie panis.

123. His congruunt formulae, quibus Patres usi sunt, cum de hoc mysterio loquerentur: S. Ignatius, in *Epist. cit. ad Smyrnens.* c. 7. affirmat in Eucharistia contineri *carnem quam Pater suscitavit;* s. Ephrem Syrus, in *Serm. de iis qui Filii Dei naturam scrutantur,* testatur nos *Agnum integrum comedere;* s. Hieronymus, *Epist.* XLIII. *ad Pammach. nos comedere* seu *accipere Christum;* s. Cyrillus hieros. *Catech. mystagog.* IV. nos effici *Christiferos;* s. Augustinus, *Enarr. in Ps.* XXXI. Christum in Eucharistia *se ipsum propriis manibus gestasse,* et ita porro.

124. Diximus totum Christum sub singulis cujusque speciei partibus contineri, *separatione facta,* quia quamvis plures censeant Christum etiam ante separationem reperiri totum in qualibet specierum parte; alii tamen refragantur, neque concilium quidpiam de hoc definire voluit.

DIFFICULTATES.

125. Obj. 1. Christus sub panis symbolo dedit corpus suum, sanguinem sub symbolo vini, ergo non totum se dedit sub quolibet symbolo; 2. nisi dicere absurde velis corpus aut sanguinem Christum; alioquin 3. dixisset: *Hoc sum ego ipse.* Ergo.

126. Resp. Ad 1. *D.* Directe ac vi verborum, *C.* per concomitantiam, *N.* Alioquin cadaver exsangue dedisset: sane dedit corpus quod gerebat, hoc autem erat vivum. Idem dic de sanguine. Ideo vero sub distinctis symbolis corpus et sanguinem suum praebuit, quia voluit his cruentam etiam suam mortem significare, ac instituere sacrificium, ut suo loco ostendemus.

127. Ad 2. *D.* Adeoque catholici id non dicunt, *C.* dicunt, *N.* Responsio patet ex modo expositis.

128. Ad 3. *D.* Si praeterea noluisset Christus repraesentare mortem suam ac instituere sacrificium, *C.* secus, *N.*

PROPOSITIO II.

Peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae sacramento est Corpus et Sanguis D. N. J. C. et non tantum in usu, dum sumitur, sed ante et post, sic ut remaneat verum Corpus Domini in hostia seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt.

129. De fide haec propositio est ex can. IV. sess. XIII. Tridentini: *Si quis dixerit, peracta consecratione,* etc. Adstruitur autem adversus lutheranos contendentes Christum non esse in Eucharistia nisi tantum in usu, quamvis in hoc determinando mirifice inter se dissentiant. Exinde duo inferunt, ac 1°. adorandum Christum in Eucharistia non esse; 2°. eam non esse asservandam nec deferendam ad infirmos. Quem posteriorem errorem his verbis Tridentinum, can. VII. proscripsit: *Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus neces-*

sario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

130. Novum porro lutheranorum commentum verba ipsa eucharisticae institutionis evertunt. Cum enim Christus verba protulit: *Hoc est* etc., *Hic est* etc., utpote efficacia et practica, illico quod significant operata sunt; ergo jam erat Christi corpus, aut sanguis sub utroque symbolo antequam sumerentur; veraque erant, etiamsi apostoli sumere detrectassent quod eis porrigebatur.

131. Evertit praeterea universa antiquitas, ex qua novimus 1°. Eucharistiam delatam a diaconis fuisse ad absentes, testibus Justino [1], ac s. Irenaeo apud Eusebium [2]; et 2°. fuisse asservatam propter infirmos, ut liquet ex historia Serapionis ad quem graviter decumbentem delata est, prout refert Eusebius [3], insuper 3°. a laicis passim ad proprias aedes fuisse delatam, ut ea pro opportunitate uterentur, ut constat ex Eusebio [4], et ex s. Ambrosio in *Orat. funebr. s. Satyri;* 4°. asservatam fuisse in templis in pastophoriis, ciboriis, columbis, turriculis etc.; 5°. usum obtinuisse ab immemorabili in utraque ecclesia orientali et occidentali *Missae praesanctificatorum;* in orientali quidem tota Quadragesima, in occidentali in Parasceve, in qua Missa Eucharistia offertur ac sumitur diebus praecedentibus confecta. Calvinus admittit [5], sed pro ingenti qua praeditus erat humilitate, scribit: *Qui sic faciunt, habent veteris ecclesiae exemplum. Fateor; verum in re tanta, nihil tutius est, quam veritatem sequi,* quam scilicet demum Lutherus et cum eo ipse detexit. Videant protestantes, quibus se ducibus commiserint. Interim Leibnitzius in suo *Systemate theolog.* mirifice suos refellit lutheranos.

DIFFICULTATES.

132. Obj. 1. Christus jussit apostolos statim Eucharistiam sumere, ne quidpiam de ea remaneret. 2. Secutus in hoc ritum Agni paschalis, qui totus absumi debebat. 3. Exempla de servata Eucharistia non officiunt, cum non servaretur nisi ad usum juxta institutionem Christi. 4. Plura exempla praeterea suppetunt septem prioribus saeculis, quod statim absumeretur Eucharistia aut a jejunis clericis, aut ab infantibus, ut referunt praeter concilium masticonense II. ann. 586. celebratum, Gregorius turonensis *De Gloria martyr.* lib. I. cap. 10. Hesychius in *Lexico,* lib. II. cap. 8. aliique. Ergo.

133. Resp. Ad 1. *D.* Quin vetuerit Eucharistiam servari utilitatis aut necessitatis gratia, *C.* secus, *Tr.* Praeceptum enim positivum id unum indicat quod praestandum est ad praecepti normam, nec est universale ut praeceptum negativum. Illius proinde vis ex usu ac praxi dignosci debet, quae profecto nobis favet.

134. Ad 2. *D.* Sub aliquo respectu, *C.* sub omni respectu, *N.* Alioquin

[1]) *Apolog.* I. n. 67.
[2]) *Hist. Eccl.* lib. V. cap. 24.
[3]) Op. cit. lib. VI. cap. 44.
[4]) Loc. cit. cap. 2.
[5]) *Institut.* lib. IV. cap. 17. §. 39.

servare illa omnia deberemus, quae Christus gessit in coena legali, quod nemo dicet; siquidem necesse haud est, ut in omnibus figuratum figurae respondeat. Panes propositionis, qui pariter figuram gerebant Eucharistiae, totam hebdomadam servabantur; ac manna ad plura saecula in arca servatum est.

135. Ad 3. *N.* Hoc siquidem tantum evincit finem primarium Eucharistiae ejusdem usum esse, quod non inficiamur, non item vero Christum in Eucharistia tantum esse in usu, cum sumitur. Accedit, quod veteres interdum ad alium finem servaverint Eucharistiam, sive ad recuperandam valetudinem, ut refert Augustinus [6], sive ad se tutandos a periculis, ut testatur s. Ambrosius, op. cit., sive ad majorem haeresum detestationem significandam, ut Theodorus rom. pontifex, qui Christi sanguine uti atramento usus est ad damnationem Pyrrhi, sive in signum communionis ecclesiarum, ut de Victore rom. pontifice constat.

136. Ad 4. *D.* Ob peculiares causas in nonnullis particularibus ecclesiis, *Tr.* universim, *N.* Hae porro causae sunt 1°. ne ingruente persecutione impiorum profanationi Eucharistia pateret; 2°. ne ex diuturna asservatione vitium aliquod contraheret, teste eodem Hesychio nobis objecto. In masticonensi autem concilio id unum statutum fuit, ne ultra quartam aut quintam feriam Eucharistia servaretur. A caesaraugustano ac toletano conciliis cautum est ne traderetur Eucharistia in proprias domos deferenda, quia Priscillianistae ita se tegebant non communicando in ecclesia, ac domi insuper eam profanabant.

PROPOSITIO III.

Christus in Eucharistia adorandus est cultu latriae.

137. Et haec propositio de fide est a Tridentino sancita, can. VI: *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae sacramento, Christum unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum... neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.*

138. Christi autem adoratio in Eucharistia necessario fluit ex ejusdem in sacramento permanentia superiori propositione vindicata: *Nam illum eumdem Deum,* inquit Tridentinum, Sess. XV. cap. 5. *praesentem in eo* (sacramento) *adesse credimus quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: et adorent eum omnes angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur.*

139. Et sane in hoc convenit universa antiquitas. Juxta s. Jo. Chrysostomum angeli Deum praesentem adorant in Missae sacrificio [1]; Theodoretus [2]: *Symbola mystica,* inquit, *et creduntur et adorantur.* S. Ambrosius in illud

[6]) *Oper. imperf.* lib. III. cap. 162.
[1]) *Hom.* VIII. *in Matth.* et alibi.
[2]) *Dial.* II.

Ps. XCVIII: *Adorate scabellum pedum ejus,* scribit [3]: *Per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino Jesu adorarunt.* Eadem ferme exscribit verba s. Augustinus, subdens [4]: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

140. Et haec de adoratione, quam Clausen protestans vocavit *consequentiam logicam* dogmatis de reali Christi praesentia. Disciplinam moderari, seu determinare modum quo haec adoratio adhibenda sit, ad ecclesiam spectat, et quod pro temporum, locorum ac personarum adjunctis e re esse judicaverit, constituit, prout scite animadvertit vel ipse Leibnitzius, op. citat.

DIFFICULTATES.

141. Obj. 1. Christus nullum dedit Eucharistiae adorandae praeceptum. 2. Patres venerationem tantum commendant, non autem adorationem presse sumptam. 3. Alioquin creaturae omnes in quibus Deus praesens substantialiter adest, forent adorandae. 4. Merito idololatriae arguuntur catholici ex eo capite, quod una cum Christo species adorent, juxta illud Tridentini, Sess. XIII. c. 5. affirmantis: *Latriae cultum qui uni Deo debetur, huic sanctissimo sacramento a fidelibus exhiberi.* 5. Saltem exponuntur hac adoratione catholici idololatriae periculo, cum fieri possit ut, aliqua de causa, Eucharistia non sit rite confecta. Ergo.

142. Resp. Ad 1. *D.* Expressum, *C.* tacitum, *N.* Data Christi reali praesentia, adoratio ejus jam sequitur; oritur enim ex rei natura.

143. Ad 2. *N.* Etenim s. Augustinus de ea adoratione loquitur, quae creaturis *absque impietate* deferri nequit; s. Cyrillus de ea quae debetur *supremo Regi;* s. Jo. Chrysostomus de ea quam Christo detulerunt Magi, quamque ei denegabat Paulus samosatenus.

144. Ad 3. *Nego* paritatem. Nec enim Deus est cum creaturis hypostatice conjunctus, quemadmodum Verbi persona cum Christi humanitate conjuncta est.

145. Ad 4. *Neg.* Siquidem species, ut communis jam fert philosophorum doctrina, non sunt nisi affectiones nobis subjectivae ab objecto productae in sensibus nostris. Concilium vero tridentinum in objecto loco loquitur de sacramento adaequate sumpto seu de re signata, non autem quatenus, ut scholae loquuntur, formaliter signum aut sacramentum est.

146. Ad 5. *D. Materialis, Tr. formalis, N.* Alioquin deberemus vel ipsa Eucharistiae sumptione hoc obtentu abstinere. Sane vel ipsi lutherani, Leibnitzio teste, *adorationem in ipsa perceptione Eucharistiae exhibent.*

[3]) *De Spir. Sancto*, l. III. c. 11. n. 78, 79. [4]) *Enarr. in Ps.* XCVIII. n. 8.

PROPOSITIO IV.

Neque Dei praeceptum, neque salutis necessitas postulant, ut omnes et singuli Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debeant.

147. De fide est, his verbis, Sess. XXI. can. I. a Tridentino definita: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere; anathema sit.*

148. Impetit propositio vulgo *calixtinos* nuncupatos, hussitas nempe, et qui eos secuti sunt protestantes omnes, qui licet in sacramento vix umbram ac figuram agnoscant aut ritum mnemonicum, attamen furunt adversus ecclesiam, eo quod, ut loquitur Calvinus, *dimidiam coenae partem meliori populi Dei numero furata sit, vel eripuerit.* Quippe *edictum aeterni Dei est ut omnes bibant.*

149. Ast perperam: si enim aut edictum aeterni Dei esset, aut necessitas salutis posceret ut omnes biberent, id ecclesiam, quae ab apostolis hoc sacramentum accepit, minime latuisset. Atqui neutrum agnovit umquam ecclesia.

150. Idque evincitur quatuor ineluctabilibus argumentis, quae numquam solvent calixtini omnes. Primum desumitur ex communione infirmorum, ad quos Eucharistia sub unica semper specie panis delata est; ut constat ex historia senis Serapionis de qua paulo ante: ad eum enim sacerdos ex demandato episcopi Eucharistiam per puerum misit in solo pane consecrato, qui ad hunc finem servabatur, item ex historia s. Ambrosii ad quem, ut refert ejus biographus Paulinus, s. Honoratus vercellensis episcopus *detulit Domini corpus, quod ubi accepit ac glutivit, emisit spiritum.*

151. Alterum praebet communio parvulorum, quibus, s. Cypriano teste [1], Eucharistia non porrigebatur nisi sub unica specie vini; quem ritum adhuc servat ecclesia graeca et cum ea caeterae ecclesiae orientales, ut fidem faciunt Arcudius, Allatius et Goarius, servavitque ecclesia latina, quamdiu mos viguit praebendi Eucharistiam infantibus post Baptismum, quibus digitus sanguine intinctus tradebatur sugendus, ut testatur Hugo Victorinus. [2]

152. Tertium suppeditat communio domestica fidelium, siquidem vigente persecutione, post synaxin unusquisque domum sacrum edulium deferebat sub unica panis specie, ut eo pro opportunitate vesceretur. Cujus consuetudinis testes locupletissimi sunt Tertullianus [3]; Cyprianus, op. cit., et s. Zeno veronensis, dum scribit [4]: *Omnibus peraeque unus panis cum ligno datur* seu in capsula lignea. Eadem occurrunt in Actis ss. Indis et Domnae apud Surium; in Actis s. Eudoxiae apud Bollandum ad diem 1. Martii, et alibi

[1]) Lib. ***De lapsis.***
[2]) ***De Sacram.*** lib. I. cap. 20.
[3]) Lib. II. ***Ad uxor.*** cap. 5.
[4]) Lib. I. ***Tract.*** XIV. cap. 4.

passim. His adjici debet communio monachorum seu eremitarum in solitudinibus degentium, qui secum deferebant Eucharistiam sub unico panis symbolo, testibus s. Basilio [5], Theodoro Studita, et biographo s. Lucae eremitae apud Combefisium.

153. Quartum suppedit ex ipsa communione publica eaque duplici, fidelium scilicet ac sacerdotum. Constat enim ex s. Leone M. [6], manichaeos diu latuisse Romae, quamvis in sacra synaxi unicum symbolum panis sumerent, vini symbolo relicto, a quo ipsi abhorrebant, ita ut necesse fuerit ad illos detegendos omnes indiscriminatim cogere ad sumendam Eucharistiam sub utroque symbolo: quod praeceptum sub Gelasio iterum eadem de causa renovatum est. Ergo liberum erat fidelibus alterutrum symbolum in publica communione sumere, alioquin non diu adeo se manichaei contegere potuissent. Eadem libertas vigebat in ecclesia constantinopolitana, ut patet ex facto quod de pervicaci muliere macedoniana refert Sozomenus [7], et ex eo Nicephorus [8]; quod vero attinet ad communionem sacerdotum, habetur ex Missa praesanctificatorum, in qua toto Quadragesimae tempore apud graecos, Dominica excepta, communicabant sub sola specie panis. Idem dic de abstemiis, qui magno semper numero sunt, quique coacti numquam fuerunt, nec coguntur etiam apud protestantes ad communicandum sub vini specie.

154. Ecclesia igitur numquam aut divinum praeceptum aut salutis necessitatem agnovit, qua omnes adigerentur fideles ad Eucharistiam sub utraque specie percipiendam.

DIFFICULTATES.

155. I. Obj. 1. Christus in verbis promissionis utriusque symboli necessitatem inculcavit dicens: *Nisi manducaveritis... et nisi biberitis;* 2. idipsum praestitit in institutione illis verbis: *Manducate... bibite.* 3. Immo calicem porrigens adjecit: *Bibite ex hoc omnes,* praevidens futuros, qui fideles a calice arcerent. 4. Eo vel magis quod apostoli in coena universos repraesentarent fideles. Ergo.

156. Resp. Ad 1. *D.* Christus in verbis promissionis inculcavit necessitatem Eucharistiae quoad rem sumendam, *C.* quoad modum sumendi, *N.* In adducto loco Christus exponit necessitatem sumendae Eucharistiae ejusque fructus, modum vero nullatenus attingit, quia ejus scopus non ferebat. Tantumdem igitur valent allegata verba: *Nisi manducaveritis et nisi biberitis,* ac *nisi aut manducaveritis aut biberitis;* ut ipsemet Christus aperte declarat dicens: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum... Qui manducat hunc panem vivet in aeternum... Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quae expositio fundamentum biblicum habet, tum scilicet in verbis Petri, Act. III. 6: *Argentum et,* scilicet *aut, aurum, non est mihi;* tum Exod. XXI. ex hebraica veritate, *qui percusserit patrem et,* nempe *aut,*

[5]) *Epist.* XCIII.
[6]) *Serm.* IV. *de Quadrages.*
[7]) *Hist. Eccl.* lib. VII. cap. 5.
[8]) Lib. XIII. cap. 7.

matrem, morte moriatur, et clarius adhuc ad rem nostram, I. Cor. XI. 27: *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

157. Ad 2. *D.* Ita tamen ut illa verba dirigantur ad praesentes, *C.* ad absentes, *subd.* conficientes, *C.* non conficientes, *N.* Sane id aperte constat ex Marc. XIV. 23. ubi executio praecepti exhibetur: *Et biberunt ex illo omnes.* Congruunt antiquae versiones syriaca, arabica; et aethiopica apud Waltonum, in quibus sic verba Christi efferuntur: *Bibite ex hoc omnes vos.*

158. Ad 3. *D.* Quatenus voluit significare calicem esse inter omnes dividendum, *C.* secus, *N.* Perinde enim valent apud Matthaeum Christi verba: *Bibite ex hoc omnes,* ac apud Lucam, XXII. 17: *Dividite inter vos.* Hoc demum fassus est Kuinoel, qui sic enarrat verba Christi: *Sumite hoc, et in orbem ex eo bibite. Dedit nimirum Christus calicem Apostolo, qui ei proximus accumbebat, hic secundo, secundus tertio et ita porro.* Non satis igitur acutum se praebuit Lutherus in sua hac observatione.

159. Ad 4. *D.* Ea ratione qua magistratus universum coetum repraesentant, *C.* fideles singulos, *subd.* in sensu accommodo, seu prout fert eorum conditio, *C.* presse sumpto, *N.* Alioquin fideles omnes non modo jure pollerent sumendi et conficiendi, verum etiam ejusdem juris exercitio, secus ac censeant protestantes.

160. Inst. Atqui apostoli fideles repraesentabant, ita ut ipsi jus acquisierint ad utrumque symbolum. Nam 1. Christus, Luc. XXII. 17. eis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* jam vero fideles omnes tenentur Christi commemorationem facere dum communicant; ergo ad utrumque symbolum sumendum tenentur. 2. Apostolus scribit [9]: *Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;* ergo ad annuntiandam seu repraesentandam Christi mortem utrumque symbolum necessarium est. 3. Hac de causa Apostolus praecipit utriusque sumptionem dicens [10]: *De pane edat et de calice bibat.* 4. Rei igitur violati praecepti sunt catholici, dum dimidiata coena, ac dimidiata haereditate, sacramentum sub unica specie distribuunt. Ergo.

161. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* A conficientibus, *C.* a non conficientibus, *subd.* per alterutrius symboli sumptionem, *C.* per sumptionem utriusque, *N.* Ecquis porro inficias ibit recoli posse dominicam passionem per unius symboli sumptionem? Sane Paulus, qui I. Cor. XI. 25. Christi verba retulit uti prolata post consecrationem calicis, secus ac praestiterit s. Lucas, hoc modo effert: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*

162. Ad 2. *D. Annuntiabitis, C. repraesentabitis, N.* Jam vero minus requiritur ad annunciationem, quam ad repraesentationem alicujus rei. Dum igitur conficitur Eucharistia per distinctam panis ac vini consecrationem, repraesentatur mors Christi cruenta; dum sumitur, annunciatur sive per alterutrius sive per utriusque sumptionem.

[9]) I. Cor. XI. 26.

[10]) Loc. cit.

163. Ad 3. *D.* Et haec scribit Apostolus in ordine ad probationem praemittendam sumptioni Eucharistiae, *C.* in ordine ad utriusque symboli sumptionem, *N.* En contextum: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Id est, excutiat prius conscientiam suam antequam accedat ad Eucharistiam.

164. Ad 4. *N.* Catholici enim sub unaquaque specie integrum Christum, qui est objectum haereditatis ac coenae porrigunt; dum protestantes lutherani Christi cadaver exhibent; calviniani autem totum Christum suffurantur, cum ejus non dent nisi signum et figuram, ac pro coena dispensant vasa vacua.

165. II. Obj. 1. Patres ex praecepto divino derivant obligationem sanguinis Christi hauriendi; 2. s. Cyprianus in *Epistola* LXIII. *ad Caecilium,* eos redarguit, qui *in calice dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus et Deus noster sacrificii hujus auctor et doctor fecit et docuit.* 3. Arnoldus abbas Bonae Vallis in *Serm. de coena Domini: Lex,* inquit, *esum sanguinis prohibet, Evangelium praecipit ut bibatur*, prout longe ante pariter scripsit s. Augustinus.[11] Quod ut fieret 4. Gelasius Papa decrevit, ut omnes *aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ergo.

166. Resp. Ad 1. *D.* Late sumpto, *C.* proprie dicto, *N.* Haec enim scribebant Patres cohaerenter ad vigentem tunc temporis disciplinam, a qua privatis recedere nefas erat. Nec tamen ea ita obtinuit, ut plures non admitteret exceptiones, prout ostendimus, ipsis probantibus Patribus. Accedit quod ejusmodi frequentes objurgationes evincant communionem sub unica specie passim obtinuisse, alioquin inutiles illae fuissent.

167. Ad 2. *D.* Quoad conficientes, *C.;* quoad communicantes, *N.* Argumentum totius epistolae est de hydroparastatis sive aquariis, qui ex quadam ignavia sacrificium offerebant in panis et aquae consecratione.

168. Ad 3. *D.* Sub alterutra specie, *C.* sub specie vini, *subd.* praecepto late sumpto, *C.* rigoroso, *N.* Responsio patet ex dictis.

169. Ad 4. *D.* Ita ut decretum gelasianum manichaeos directe attigerit, indirecte vero fideles ad illos detegendos, *C.* ex necessitate sumptionis utriusque speciei, *N.* Renovavit scilicet decretum Leonis M. eamdem ob causam. Sane novimus sub Gelasio plures combustos manichaeorum libros fuisse ante Basilicam liberianam.

PROPOSITIO V.

Non errat ecclesia, dum justis causis et rationibus adducta jubet laicos atque clericos non conficientes sub una tantum specie communicare.

170. De fide et haec propositio est ex can. II. sess. XXI. concilii tridentini: *Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam non justis causis et*

[11]) *Quaest.* LVII. *in Levit.* n. 4.

rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

171. Sequitur autem haec propositio ex praecedenti; si enim nec ullo divino praecepto, neque necessitate salutis adiguntur fideles ad Eucharistiam sub utraque specie suscipiendam, legitime infertur, modum statuere quo fideles communicare debeant, rem esse disciplinarem, cujus moderatio ad ecclesiam spectat. Idque declaravit tridentina synodus, Sess. XXI. c. 2. dum ait, *hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Jam vero ecclesia in conc. constantiensi primum, deinde in tridentino prohibuit justis de causis fidelibus et clericis non conficientibus usum calicis, seu potius lege lata confirmavit inolitam jamdiu consuetudinem communicandi sub altera tantum specie.

DIFFICULTATES.

172. Obj. 1. Quaecumque sint causae, quibus permoveri ecclesia potuit ad calicis usum fidelibus adimendum, numquam praevalere possunt possessioni, in qua illi erant per XII ad minus saecula. 2. Haec enim originem habet ab exemplo et institutione Christi. 3. Praesertim cum ejusmodi subtractio attingat ipsam sacramenti substantiam ejusque integritatem. 4. Per eam insuper tollitur significatio tum separationis sanguinis a corpore, tum pleni convivii quod in cibo et potu instruitur; 5. privantur fideles ea *consolationis* parte, eaque *gratia*, quae alteri huic symbolo respondet. 6. Non pauci proinde, iique docti et pii catholici restitutionem calicis efflagitarunt tum in concilio constantiensi, tum in conc. tridentino. 7. Nec dimittendum, aliud esse peculiares ob causas aliquam regulae exceptionem pati, aliud vero exceptionem ipsam uti legem statuere. Ergo.

173. Resp. Ad 1. *D.* Si privatorum judicio id esset decernendum, *Tr.* si judicio ecclesiae, *N.* Porro ecclesiae suppetere potuerunt motiva ad ita statuendum, quae privatos laterent. Haec noluit nobis ecclesia patefacere; sed plura eaque gravissima certe fuerunt, conjicere tamen possumus quae illa fuerint ex actis conc. tridentini; ac 1°. periculum effusionis in magna praesertim populi frequentia; 2°. nausea et repugnantia quam haud pauci experiuntur in labiis admovendis ad eumdem calicem, aut instrumentum suctorium; 3°. maxima difficultas in servanda vini specie in non paucis regionibus; 4°. vini inopia pluribus in locis, ad quae facilis non patet accessus; 5°. multitudo abstemiorum; 6°. spontanea fidelium desuetudo fere universalis saec. XII et XIII; 7°. haereticorum audacia, qui ecclesiam accusare ausi sunt, ac si ipsa legem a Christo latam ignoraverit aut contempserit.

174. Ad 2. *D.* Disciplinari tamen ac libera, sub ecclesiae dispositione, *C.* praeceptiva ac de necessitate salutis, *N.* Exemplum ac institutio a mandato sunt secernenda.

175. Ad 3. *Neg.* Substantia enim sacramenti eucharistici consistit in reali totius Christi, seu corporis et sanguinis ejus participatione sub alterutra specie. Adeoque nulla fit ejusdem mutilatio per subtractionem alterutrius symboli.

176. Ad 4. *D.* Si ageretur de sacrificio, *C.* si de sacramento, *subd.* non habetur adeo expressa in unico symbolo, *C.* non habetur sufficiens, *N.* Eadem ratione ac Baptismus collatus per infusionem non adeo expressam habet significationem dominicae sepulturae ac haberet administratus per immersionem. Idem dic de convivio.

177. Ad 5. *D.* Quae accidentalis est, cuique obedientia et majori fervore suppleri potest, *Tr.* necessaria atque essentialis, *N.* Concilium enim tridentinum declaravit, Sess. XXI. cap. 3: *Fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari qui unam speciem solam accipiunt.* Disceptant praeterea inter se theologi, utrum fructus etiam accidentalis proveniat ex alterius speciei sumptione. Certe qui confert gratiam, est Christus sub symbolo contentus, non symbolum per se.

178. Ad 6. *D.* Optima intentione ducti et fallaci spe, *Tr.* vel *C.* solido fundamento, *N.* Adblandiebantur catholici hi viri spe de faciliori reditu haereticorum ad ecclesiam; at eventus non respondit, ut patet ex concessione interdum facta, uti adnotavit Benedictus XIV. *De sacrificio Missae*, lib. II. cap. 23. n. 7 seqq.

179. Ad 7. *D.* Si nulla rationabili causa id fiat nec a legitima auctoritate, *C.* secus, *N.* Semel constituto principio quod de re disciplinari agatur, jam subest ecclesiae regimini, cujus est judicare, quando expediat quidpiam concedere vel negare, uti etiam patet quoad collationem Baptismi sive per immersionem sive per infusionem.

CAPUT IV.

DE EUCHARISTIAE NECESSITATE, DISPOSITIONIBUS ET EFFECTIBUS.

180. Jamdiu obsoleta est sententia de absoluta Eucharistiae necessitate; prout pariter obsolevit vel apud protestantes ipsos error, qui tamen connectitur cum protestantismi principio de sola fide justificante, optimam dispositionem ad Eucharistiam rite suscipiendam gravem esse peccatorum sarcinam; item doctrina, quod primarius hujus sacramenti effectus sit peccatorum remissio. Adeoque levi calamo haec attingemus.

PROPOSITIO I.

Nemini actualis Eucharistiae perceptio necessaria est necessitate medii, sed solis adultis necessitate praecepti.

181. Utraque propositionis pars de fide est; etenim Tridentinum, Sess. XXI. can. IV. statuit: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem; anathema sit;* et Sess. XIII. can. IX: *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris ecclesiae; anathema sit.*

182. Constat autem de prioris partis veritate ex ecclesiae sensu traditionali. Ecclesia namque semper sensit ac docuit per Baptismum infantes emaculari originali noxa; qua sublata, nihil amplius eos impediat, si ex hac vita discesserint, ab aeternae beatitudinis consecutione. Item sensit ac docuit rite in infirmitate tinctos, quin ipsis administrari potuerit eucharistia, adultos salutem adipisci. Cumque in nonnullis particularibus ecclesiis disciplina obtinuerit ab antiquis temporibus, ut denegaretur Eucharistica communio ob quaedam atrocia delicta, numquam dubium excitatum est de illorum salute, qui rite fuerint poenitentia functi. Sensit igitur ecclesia necessariam haud esse necessitate medii actualem Eucharistiae perceptionem.

183. Veritas posterioris partis quoad praeceptum divinum patet ex Christi verbis Joann. VI. 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quoad praeceptum ecclesiasticum, liquet ex cap. *Omnes utriusque sexus* conc. lateranensis IV. et can. allegato conc. tridentini.

DIFFICULTATES.

184. Obj. 1. Christus eadem ratione locutus est de necessitate Eucharistiae, Joann. VI. ac de necessitate Baptismi, Joann. III. dicens: *Nisi quis renatus fuerit* etc., et de necessitate Poenitentiae, Luc. XIII. 3: *Nisi Poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Jam vero necessitas Baptismi et Poenitentiae, saltem quoad adultos, est absoluta. 2. Recepta exinde est in tota antiquitate consuetudo porrigendi Eucharistiam una cum Baptismo. 3. Hanc proinde praxim urgent s. Innocentius I. et s. Augustinus adversus pelagianos, distinguentes inter regnum coelorum ac vitam aeternam, ut evincerent haud posse vitam aeternam obtineri sine actuali Eucharistiae perceptione. Ergo.

185. Resp. Ad 1. *Neg.* Formula enim qua usus est Christus, Joann. III. in persona tertia est ac indefinita: *nisi quis,* nullamque exceptionem patitur; formula vero qua usus est loquens de Eucharistiae et Poenitentiae necessitate est in persona secunda *nisi manducaveritis; nisi poenitentiam habueritis,*

adeoque solos complectitur adultos praecepti capaces. Diversa proinde ratione ecclesia Christi verba intellexit.

186. Ad 2. *D.* Ad perficiendum Eucharistia, immo et Confirmatione, quod Baptismate inchoatum est, *C.* de necessitate salutis, *N.* uti constat ex dictis. Hinc optime tridentini Patres, Sess. XXI. cap. 4: *Parvulos*, inquiunt, *usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.*

187. Ad 3. *D.* Arguendo *ad hominem* contra pelagianos invehentes distinctionem inter *regnum coelorum et vitam aeternam, C.* ex propria sententia, *N.* Alioquin tum s. Innocentius, tum s. Augustinus, ac deinceps Gelasius pontifex, sibi turpiter contradixissent. Pro rato enim habebant praeter Baptismum nil aliud in infantibus requiri, ut aeternam adipiscerentur salutem. Idque apertissime constat ex iis, quae s. Augustinus, in lib. II. *Contra duas epistolas Pelagianor.* disputat de eo infante qui, ita Deo disponente, suscepto Baptismo, defunctus est, ac de eo qui, festinantibus parentibus ac ministris, nequivit baptizari.

PROPOSITIO II.

Peccatorum remissio neque est praecipuus neque unicus sanctissimae Eucharistiae effectus; nec sola fides est sufficiens praeparatio ad sumendum ss. Eucharistiae sacramentum.

188. Ambae pariter hujus propositionis partes de fide sunt, decernente Tridentino, Sess. XIII. can. V: *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum ss. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.* Et can. XI: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum ss. Eucharistiae sacramentum; anathema sit.*

189. Utraque autem propositionis pars evincitur ex Apostolo, scribente [1]: *Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Porro probationem hanc non in sola fide consistere, sed in conscientiae puritate et caritate habituali praefigurata in veste nuptiali [2], ex universa constat traditione ac perpetuo ecclesiae sensu. Primis enim ecclesiae saeculis tum catechumeni tum poenitentes vel ab ipso Eucharistiae arcebantur aspectu. Concilia omnia, ut illiberitanum, can. LXXVII et LXXIX; ancyranum, can. IV, V et VII. ac nicaenum, can. XI. vetant Eucharistiam dari peccatoribus et poenitentibus nondum reconciliatis.

[1]) I. Cor. XI. 28. [2]) Matth. XXII.

190. Post haec superfluum vix non videretur ad hoc conficiendum Patrum auctoritatem afferre, qui unanimes plane sunt in inculcanda necessitate conscientiae puritatis ad se angelico pane recreandum, atque in exaggeranda sacrilegii immanitate quo se deturpant, qui cum peccati conscientia ad Eucharistiam accedunt. S. Cyprianus eos Christi tortoribus comparat, pejoresque illis pronunciat [3]; s. Jo. Chrysostomus comparat Judae, scribit enim [4]: *Nullus ergo Judas assistat, nullus avarus.* S. Augustinus [5]: *Innocentiam,* inquit, *ad altare apportare. Peccata, etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera.*

191. Sane cum hoc sacramentum ad modum cibi et alimenti institutum sit, evidens est non posse nisi viventes reficere, prout demum vel ipsi protestantes agnoscere visi sunt.

192. Et haec adversus haereticos. Quoad catholicos circa frequentiam communionis dispositionesque ad eam necessarias, nonnulli in extreme oppositas sententias dilapsi sunt. Alii enim per defectum, alii per excessum a vero abluserunt. Siquidem aliqui, toti occupati in utilitate ex hujus perceptione sacramenti proveniente, visi sunt oblivisci dispositionum quae ad eam requiruntur; hinc damnata est ab Innocentio XI. propositio: *Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.* Aliqui ex adverso unice intenti in extollenda hujus sacramenti sanctitate tales inculcant ad illud suscipiendum dispositiones, quae vix inter homines reperiri possunt; exinde pariter ab Alexandro VIII. duae nimis rigidae propositiones proscriptae sunt, quarum altera ita se habet: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint;* altero vero: *Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.*

193. Duo hic rata habenda sunt: 1°. optasse semper ecclesiam, ut saepe fideles ad tam salutare convivium accederent; 2°. numquam illud subtraxisse iis, qui animum afferrent a contagione peccati purgatum, quoad humana infirmitas patitur. Caeterum quod attinet ad majorem minoremque frequentiam ex Innocentio XI. in Decreto *Cum ad aures,* res tota in prudentia ministrorum posita semper fuit.

DIFFICULTATES.

194. Obj. Ecclesia ipsa in sua liturgia peccatorum remissionem esse praecipuum Eucharistiae effectum supponit; rogat enim: *Haec nos communio purget a crimine... sit ablutio scelerum.* Hinc s. Joann. Chrysostomus [6]: *Hoc,* inquit, *remedio* (sacramento) *omnis morbus extinguitur;* s. Ambrosius [7]: *Accedite,* scribit, *et absolvimini, quia remissio peccatorum est.* Quae doctrina

[3]) Lib. *De lapsis.*
[4]) *Hom.* LXXXII. *in Matth.*
[5]) *Tract.* XXVI. *in Joann.* num. 11.
[6]) *Hom.* IV. *in Matth.* n. 9.
[7]) *Serm.* XVIII. *in Psal.* CXVIII. n. 28.

verbis Christi innititur [8]: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* et Joann. VI. 52: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ergo.

195. Resp. *N. A.* Quae porro allata documenta sunt, aut de peccatorum venialium remissione sunt intelligenda; aut, si de peccatorum lethalium accipiantur, non attingunt nisi Eucharistiam prout sacrificium est propitiatorium, quod remissionem affert peccatorum *mediate,* ut ajunt, quatenus nobis gratias communicat ac dispositiones ad eorum remissionem in sacramento Poenitentiae obtinendam, uti paulo post ostendemus; aut denique remissionem poenae temporalis peccatis quoad culpam remissis adhuc debitae, prout sacrificium est expiatorium. Quapropter, *ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus* (tridentina) *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium dicere, praedicare vel pertinaciter asserere, aut etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Sess. XIII. can. XI.

Hactenus de Eucharistia prout sacramentum est.

PARS POSTERIOR.

DE SACRIFICIO.

196. Sacrificii vox proprie ac improprie sumi potest. Improprie seu latiori significatione ea usurpatur ad denotandum quemvis sive interiorem sive exteriorem religionis actum; quo sensu in sacris litteris invenimus commemoratum sacrificium laudis, sacrificium spiritus contribulati, recensitas spirituales hostias, etc. Proprie, seu pressa significatione, sacrificium definiri solet: *Oblatio rei sensibilis soli Deo facta per legitimum ministrum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominatum, quae ritu mystico consecratur et immutatur;* quibus postremis verbis discrimen constituitur inter simplicem oblationem, quae nullam mutationem exigit, et sacrificium, quod rei, quae offertur, mutationem necessario exposcit, e. gr. effusionem sanguinis, si res animata fuerit, vel partium divisionem, vel destructionem, si fuerit inanimata.

197. Non tamen omnibus ejusmodi sacrificii definitio probatur, utpote quae in nonnullis abundare in aliis deficere videatur. Sane, ajunt isti, in thurificatione Deo exhibita verificatur illa definitio, quin tamen ea uti verum sacrificium habeatur. Adjiciunt difficile omnino esse reperire in sacrificio Missae immolationem seu immutationem rei, quae tamen discriminat sacrificium ab oblatione.

[8]) Matth. XXVI. 28.

198. His perpensis, Vasquez aliam subjecit definitionem [1], quae tum difficultates illas declinaret, tum faciliorem redderet viam ad tuendam veritatem sacrificii eucharistici adversus protestantes. Generatim primo observat rationem formalem sacrificii positam esse in significatione omnipotentiae Dei auctoris vitae et mortis; ex quo infert immolationem non esse de ratione formali sacrificii. Quapropter sic ipse illud definit: *Sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis.*

199. Hoc praejacto fundamento, duplex ipse distinguit sacrificium, scilicet *absolutum* et *relativum* seu *commemorativum*. Absolutum illud dicitur, quod tale per se est sine ulla ad alterum relatione, uti mactatio pecudis, aut alterius rei consumptio; relativum seu commemorativum illud vocatur, quod tale tantum est ob relationem quam habet ad alterum, cujus commemorationem seu repraesentationem continet; ejusmodi est sacrificium Missae, quod refertur ad sacrificium crucis, cujus commemorationem immo et repraesentationem prae se fert per panis ac vini consecrationem, seu mysticam immolationem.

200. Jam vero, pergit ipse, in sacrificio absoluto realis quidem in materia immolatio seu immutatio necessario requiritur, non item in sacrificio relativo et commemorativo, in quo sufficit illa quae praecessit in absoluto, quod exhibetur et commemoratur. Nam si ratio formalis sacrificii in nota illa reali consistit, qua significamus Deum auctorem vitae et mortis, cumque haec reperiatur in sacrificio relativo et commemorativo, jam sequitur ipsum verum ac proprium sacrificium esse, quamvis nulla actualis habeatur immolatio realis aut immutatio, quae jam praecessit in sacrificio absoluto. Hinc in Missa, cum Christus per utriusque symboli distinctam consecrationem praesens sistatur in statu victimae oblatae in cruce, verum habetur sacrificium absque nova immolatione et immutatione reali. Etenim per hanc victimae veluti immolatae praesentiam Deus ut auctor vitae et mortis colitur, et per mysticam immolationem Christus illud idem exhibet sacrificium, quod reali sanguinis effusione in cruce consummavit.

201. Haud sufficit huic sacrificio relativo constituendo, ut idem auctor scite animadvertit, nudum signum rei oblatae, sed res ipsa requiritur, alioquin non haberetur veri sacrificii nisi umbra et imago. Adeoque in sacramentariorum hypothesi numquam veri sacrificii ratio reperiri potest, cum negent realem Christi praesentiam in Eucharistia.

202. Quamvis fateamur hanc unicam viam haud esse ad veritatem sacrificii nostri adstruendam, negari tamen nequit eam longe faciliorem reddere hujus articuli intelligentiam, ejusque propugnationem, ita ut vix habeant protestantes, qui adhuc admittunt realem Christi praesentiam, quod opponant. Haec porro est ratio, quam non pauci tridentini Patres adduxerunt in congregationibus praeparatoriis ad conciliandam in Eucharistia veritatem sacramenti et sacrificii, ut refert card. Pallavicini. [2]

[1]) *In* III. *part. s. Thom.* disp. 220. cap. 3. [2]) *Hist. conc. trident.* lib. XVIII. cap. 2.

203. Atque haec quoad notionem sacrificii, respectu ejus divisionis, multiplex est; ac 1°. ratione temporis, alia dicta sunt *legis naturae,* alia *legis scriptae;* 2°. ratione materiae alia dicta sunt *hostiae* aut *victimae;* alia *immolationes,* alia *libamina;* 3°. ratione modi quo offerebantur, aut *holocausta* aut *hostiae pacificae;* aut *hostiae pro peccato* nuncupata sunt; 4°. ratione finis, nonnulla vocata fuere *latreutica* ad protestandum erga Deum propriam dependentiam ac servitutem; alia *eucharistica*, quae in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis offerebantur; alia *impetratoria* ad nova obtinenda beneficia; alia denique *propitiatoria* quae ad Deum offensum placandum peragebantur. Has omnes proprietates et hos fines in se uno complectitur sacrificium novae legis, de quo agere coepimus.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRIFICII EUCHARISTICI EJUSQUE NATURA.

204. Lutherus a diabolo edoctus, ut ipse fatetur, veritatem sacrificii eucharistici negavit, immo et *abominationis* nomine insignivit; protestantium sectae omnes, ne degeneres a tanto magistro viderentur, aversionem a Missae sacrificio profitentur. Earum communem errorem anathemate perculit Tridentinum et catholicum dogma asseruit, sess. XXII. his quatuor editis canonibus, can. I: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerre non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.* Can. II: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum; anathema sit.* Can. III: *Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Can. IV: *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.* Atque haec doctrina est quam propugnandam aggredimur.

PROPOSITIO I.

In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium.

205. De fide est propositio ex allegato can. I. concilii tridentini. Ejus veritas tum ex Scripturis, tum ex traditione evincitur, atque ex ipsa theologica ratione.

206. Ac primo ex Scripturis: Christus in coenae seu in Eucharistiae institutione verum ac proprium Deo obtulit sacrificium; atqui illud ipsum quod Christus fecit, jussit fieri ab apostolis eorumque in sacerdotio successoribus illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo in Missa, in qua fit, quod Christus fecit, verum ac proprium Deo sacrificium offertur.

207. Major propositi argumenti sic ostenditur: juxta praemissa de ratione formali sacrificii, ad sacrificium commemorativum seu relativum, cujusmodi est illud, quod a Christo in coena oblatum est, et offertur in Missa, duo requiruntur et sufficiunt, tum scilicet realis Christi praesentia in Eucharistia, tum repraesentatio mortis Christi per mysticam immolationem. Jam vero realem Christi praesentiam in Eucharistia in priore tractatus parte vindicavimus; repraesentationem autem violentae Christi mortis in cruce haberi in distincta utriusque symboli, seu panis ac vini consecratione, qua corpus verborum vi separatum a sanguine Christi constituitur, ultro nobis concedunt adversarii immo contendunt. Ergo in coena, ac proinde in Missa, verum ac proprium sacrificium oblatum est et offertur.

208. Hoc ipsum confirmatur ex ritu Agni paschalis, quem Christus servavit eique novum pascha substituit in oblatione suimetipsius in institutione Eucharistiae, in qua praeterea figuram adimplevit sacrificii a Melchisedech oblati in pane et vino. Ad hanc oblationem, quae renovatur in Eucharistiae celebratione alludens Apostolus, scribit[1]: *Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?.... Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo vos socios fieri daemoniorum; non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* Ubi apertam Apostolus antithesin instituit inter mensam et mensam, seu altare et altare, inter participationem sacrificiorum, seu immolatorum daemonibus, et participationem sacrificii Deo in nostris altaribus oblati; pro certo igitur assumit in Eucharistiae celebratione verum Deo sacrificium offerri super mensa et altari Deo dicato.

209. Demum caeteris omissis, in Eucharistia verum Deo offerri sacrificium ex celebri patet Malachiae oraculo, c. I. 10: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Ubi tria enunciantur: 1°. abrogatio sacrificiorum legalium, et 2°. substitutio novi sacrificii sanctiorisque illis, 3°. ejusdem per universum orbem oblatio; haec tria porro non concurrunt nisi in Eucharistia; aut igitur adimpletum non est vaticinium, aut Eucharistia est verum ac proprium sacrificium.

210. In subsidium ejusdem veritatis venit secundo loco traditio eaque constans, publica, universalis. Ejus testes sunt omnes liturgici libri ecclesiae universae; testes sunt sectae omnes, mille et amplius annos ab ecclesia divisae antequam Luthero a diabolo persuaderetur sacrificium hoc abrogandum, quae constanter oblationem hujus sacrificii retinuerunt; testes sunt Patres ad unum omnes; qui locuti sunt de Eucharistia, memineruntque *oblationis, victimae, hostiae, sacrificii* etc.; testes sunt altaria omnia ubique

[1]) I. Cor. X — 18 seqq.

terrarum erecta vel in ipsis cryptis, coemeteriis, catacumbis; testes sunt nomina *sacerdotum* et *pontificum* presbyteris et episcopis tributa; testes denique sunt luculentae confessiones hostium ipsorum ecclesiae romanae.

211. Inter hos eminet Jo. Ernestus Grabius editor operum s. Irenaei; cum enim Sanctus hic lib. IV. *Contra haeres.* cap. 17. docuisset Christum instituisse novam oblationem, atque hanc eamdem esse quam praenunciaverat Malachias, hanc notam apposuit Grabius: *Certum est s. Irenaeum aliosque Patres quorum scripta habemus, tam eos qui viderunt apostolos, quam eos qui immediate ipsis successerunt, spectasse Eucharistiam velut sacrificium novae legis, et obtulisse Deo Patri super altare panem et vinum, veluti dona sacra offerentes ante consecrationem;... et post consecrationem velut corpus et sanguinem mysticum* (hoc *mysticum* sacramentarius homo de suo addidit)... *Haec doctrina non est doctrina unius ecclesiae vel peculiaris doctoris, sed erat doctrina et praxis ecclesiae universalis; ecclesia enim acceperat ab apostolis, apostoli a Christo.* Concludit vero adhortando suos ut contra *errorem Lutheri et Calvini* restituant hoc sacrificium ad colendum Deum. Atque hoc reipsa nunc efficere adnituntur Oxonienses puseyistae, pluresque recentiores protestantes deceptum a diabolo fuisse Lutherum palam profitentur.

212. Ratio demum theologica id ipsum suadet. Siquidem sacrificium ritus ille est, quo Deum supremum rerum omnium dominum profitemur, adeoque actus est religionis totius praecipuus. Quemadmodum igitur nulla umquam religio exstitit sine sacrificio, ita et religio christiana suum habeat necesse est; alioquin destitueretur actu, omnium consensu ad Deum honorandum aptissimo. Jam vero in christiana religione praeter eucharisticum nullum aliud umquam fuit aut est; dicendum ergo in ejus celebratione verum Deo offerri sacrificium.

DIFFICULTATES.

213. I. Obj. 1. Ne verbum quidem occurrit in institutione Eucharistiae, quod insinuet oblatum a Christo esse sacrificium; 2. occurrunt e converso, quae illud excludunt, cujusmodi est institutio sacramenti et testamenti: siquidem sacramento et testamento aliquid nobis datur, contra vero per sacrificium aliquod nos Deo damus; item promissio fide apprehenditur, sacrificium ex fide offertur. Ergo.

214. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut occurrat res, *C.* verbum, *Tr.* Res, uti ostendimus, consistit in reali praesentia ac in mystica separatione corporis a sanguine ordinata ad repraesentandam cruentam Christi necem, seu sacrificium absolutum ab eodem Christo oblatum in cruce. Cum vero haec necessario insint eucharisticae institutioni, nullo alio indigemus. Caeterum nec in Christi morte ullum occurrit verbum ad denotandam oblationem sacrificii. quin tamen propterea illam negent protestantes.

215. Ad 2. *D.* Sub uno eodemque respectu non possunt simul consistere ratio sacramenti ac testamenti cum sacrificii oblatione, *C.* sub diverso respectu, *N.* Porro ratio sacrificii in ritu ipso consecrationis consistit; ratio

vero sacramenti et testamenti in re jam oblata, prout rationem habebant sacramenti carnes jam mactatae in sacrificiis V. Testamenti. Idem dic de fide qua apprehendimus promissionem, ac de fide qua Deo sacrificium offertur. Hinc per sacrificium Deo aliquid offerimus, per sacramentum ac testamentum aliquid accipimus a Deo. Sicque omnia apprime componuntur.

216. II. Obj. Apostolus in Epistola ad Hebraeos duo constituit, quae cum doctrina catholica de sacrificio componi nullatenus possunt, unicum scilicet sacrificium a Christo in cruce oblatum, ac unicum ejus sacerdotium ad cujusvis alterius exclusionem. Sane 1. Hebr. IX. 12. de Christo ait: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa;* v. 28: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* item ibid. cap. X. 10: *In qua voluntate* Dei *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel;* ac v. 14: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Cumque haec scripserit Paulus ad excludendam sacrificiorum multiplicem oblationem, concludit, v. 18: *Ubi autem horum* (peccatorum) *remissio, jam non est oblatio pro peccatis.* 2. Alterum vero docet Apostolus, dum cap. VII. 28. scribit: *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes... hostias offerre. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Quod si Christus nullum habet in sacerdotio successorem in terris, nec alia adsunt in terra sacrificia, quae sacrificio illius succedere possint. Atqui catholici utrumque admittunt, sacerdotes scilicet et sacrificia. Ergo adversantur Apostoli doctrinae.

217. Resp. *D. A.* quoad 1. partem: Unicum Apostolus constituit sacrificium ut causam meritoriam nostrae redemptionis, *C.* ut medium applicationis eorumdem meritorum, *N.* Christus sacrificio mortis suae nos redemit ab omnibus peccatis, ea tamen lege ut nobis non prodesset ejusmodi universalis redemptio, nisi per applicationem meritorum suorum fide, sacramentis, sacrificio incruento, bonis operibus unicuique in particulari. Alioquin nemo jam damnaretur. Neque hoc diffiteri possunt protestantes ipsi, qui requirunt fidem et sacramenta ad imputationem, ut ipsi autumant, meritorum Christi. Si vero media reliqua non detrahunt sacrificio crucis, immo illud commendant, quomodo detraheret sacrificium incruentum, quod rationem habet medii ad applicanda nobis merita per sacrificium crucis parta? Exinde patet responsio ad singula objecta ex Apostolo testimonia, quae unice attingunt causam meritoriam redemptionis.

218. Ad 2. seu ad alteram partem, *D.* Unicum constituit sacerdotium ad offerendum sacrificium meritorium redemptionis, *C.* ad offerendum sacrificium quo applicentur redemptionis merita, *N.* Sacerdotium illud proprium unius Christi est, alterum vero quod est ministeriale, voluit Christus ipse ut esset proprium apostolorum, eorumque in sacerdotio successorum, qui ut ministri Christi offerunt sacrificium incruentum et commemorativum, ut illius cruenti nobis fructus seu merita applicentur, ut dictum est. Apostoli autem

ac reliqui sacerdotes non succedunt Christo in sacerdotio, sed tantum ejus vice funguntur eique praebent ministerium suum. Et hac ratione exponenda loca sunt ex Apostolo objecta.

219. III. Obj. Sacrificio Missae desunt sacrificii veri ac realis conditiones. Etenim 1. ad verum sacrificium requiritur mactatio aut immutatio rei oblatae; jam vero in Christum neutra cadere potest; 2. nuda igitur in Missa habetur passionis Christi commemoratio; 3. sane si nonnisi mystica immolatio victimae, quae est Christus, in Missa fit, sequitur nonnisi mysticum esse sacrificium, quod in ea offertur, non autem verum ac reale. Ergo.

220. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Ad sacrificium absolutum, *C.* ad sacrificium relativum et commemorativum, *N.* Ad hoc enim non requiritur nisi realis praesentia victimae ac repraesentatio sacrificii absoluti, sive cruenti per mysticam mactationem. Tale porro est sacrificium Missae.

221. Ad 2. *Neg.* Cum non habeatur nudum signum, sed victima realiter praesens ac mystice immolata, quae repraesentat Christi mortem, cum qua necessariam relationem habet, verum ac reale offertur sacrificium.

222. Ad 3. *Neg.* Utrumque enim habetur in Missa, sacrificium videlicet *verum* ac reale in realitate victimae, et mysticum quoad modum quo victima ipsa offertur.

223. IV. Obj. Saltem non constat sacrificii veritas ex traditione. Siquidem 1. Patres unice commendant oblationem repraesentativam et commemorativam sacrificii crucis; 2. sacrificium crucis unicum novae legis sacrificium appellant. 3. Quod si interdum Eucharistiam sacrificium nominant, ideo est aut quia in ejus celebratione preces funduntur, aut quia panis ac vinum a fidelibus offerebantur ad ejus celebrationem, aut quia fiebat in ea commemoratio sacrificii crucis, aut quia denique oblatio Eucharistiae sacra est juxta *sacrificii* etymologiam; 4. liturgiae autem humanam tantum habent institutionem, nihil proinde ex illis confici potest. Ergo.

224. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* In ordine ad sacrificium absolutum, nempe crucis, *C.* in se quasi nuda esset repraesentatio et commemoratio sine realitate victimae, *N.* Ut suo loco ostendimus, Patres omnes realem Christi praesentiam professi sunt in Eucharistia; cumque huic accedat ex doctrina Patrum repraesentatio sacrificii absoluti sive cruenti in cruce, hoc ipso veram ac realem sacrificii rationem agnoverunt in celebratione Eucharistiae. Atque hinc factum est, ut numquam meram seu nudam commemorationem aut repraesentationem sacrificii Patres Eucharistiam dixerint.

225. Ad 2. *D.* Unicum dixerunt sacrificium cruentum in nova lege per oppositionem ad multiplicitatem sacrificiorum in lege veteri, *C.* ad exclusionem sacrificii eucharistici, quod illud perpetuo refert, *N.*

226. Ad 3. *Neg.* Omnia enim quae recensita a Chemnitio sunt, ad sacrificia spectant late sumpta; nos vero loquimur de vero ac proprio sacrificio, quale ab ecclesiae Patribus sacrificium eucharisticum constanter habitum est. Quod manifeste evincunt voces, quibus usi sunt de hoc sacrificio disserentes; vocant enim *sacrificium summum, verissimum et singulare corporis et*

sanguinis Domini. Affirmant a solis sacerdotibus offerri posse, aliaque ejusmodi habent, quae nonnisi vero ac reali sacrificio competere queunt.

227. Ad 4. *D.* Quae tamen continent quod a Christo institutum est ac ab apostolis traditum, *C.* doctrinam mere humanam, *N.* Sunt liturgiae documenta ineluctabilia doctrinae et praxis universae ecclesiae, adeoque divinae traditionis testimonium locupletissimum.

PROPOSITIO II.

Sacrificium Missae est etiam propitiatorium pro vivis atque defunctis.

228. De fide hanc pariter esse propositionem habetur ex can. III. concilii tridentini superius recitato. Ad pleniorem ejusdem intelligentiam nonnulla praemittenda sunt.

229. Ac I. Notandum est non eadem ratione dici propitiatorium sacrificium Missae ac sacrificium crucis; sacrificium enim crucis fuit *meritorium* redemptionis, seu remissionis peccatorum, gratiarum omnium, in eoque meritum Christi Domini consummatum est. Sacrificium autem Missae dicitur propitiatorium, quatenus *medium* et *instrumentum* est quo merita in cruce parta nobis applicantur, prout applicantur per sacramenta, pia opera etc., licet diversa ratione.

230. II. Notandum sacrificium Missae non esse nobis propitiatorium nisi *mediate,* quatenus, ut loquitur Vasquez [1]: *Vim habet impetrandi gratiae auxilium, quo et a mortalibus et a venialibus peccatis justificari, et in justificatione sua homo crescere possit,* seu *per impetrationem;* non autem *immediate,* ut sacramenta Baptismi et Poenitentiae; idem dic de bonis temporalibus.

231. III. Animadvertendum doctrinam quidem certam theologorum esse hoc sacrificio proxime et immediate remitti semper ac certo poenam temporalem viventium pro uniuscujusque dispositione (quo sensu *propitiatorium* dicitur pro vivis atque defunctis); de fide tamen non esse *certo semper*, seu *certa lege* poenam ejusmodi temporalem remitti.

232. IV. Animadvertendum neque de fide esse praedictos effectus tam pro vivis quam pro defunctis sacrificium Missae producere *ex opere operato.* Certum quin immo est defunctis non remitti per hoc sacrificium nisi poenam temporalem, et quidem per modum suffragii iis prodesse, prout nempe Deo illud acceptare pro iis placuerit. Ex quo infertur effectum hujus sacrificii non ita certum esse erga defunctos, quam erga viventes.

233. V. Notandum denique hujus sacrificii valorem quoad nos sive extensive, aut ut alii loquuntur, quoad effectum, infinitum non esse; quod clarius ex dicendis constabit.

234. His praemissis, sic luculenter catholicam doctrinam exponit tridentina synodus, Sess. XXII. cap. II: *Docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta*

[1]) *In part.* III. *s. Thom.* disp. 228. c. 1 et 2.

fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.

235. Ita porro veritatem catholicam adstruimus: ex Apostolo, Hebr. V. 1: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;* jam vero apostoli eorumque in sacerdotio successores juxta demonstrata in praecedenti propositione nullum aliud habent quod offerant sacrificium pro peccatis nisi eucharisticum; ergo sacrificium eucharisticum pro peccatis offertur adeoque propitiatorium est, in sensu quo exposuimus. Rursum: adversariis ipsis fatentibus, sacrificia veteris legis, quatenus ex fide in Christum offerebantur, erant vere propitiatoria, quin propterea quidpiam detraherent sacrificio crucis, ex quo vim propitiandi derivabant, multo igitur magis propitiatorium est sacrificium Missae, in quo modo incruento eadem offertur victima, quae oblata est in cruce, quin pariter ullo modo detrahat efficaciae sacrificii crucis, cujus nobis fructus applicatur ac meritum.

236. Talis proinde fuit sensus totius antiquitatis, ut patet 1°. ex liturgiis omnibus, quae in hoc consentiunt; satis hic sit in exemplum adducere verba liturgiae s. Jacobi omnium orientalium antiquissimae: *Offerimus,* in ea dicitur, *tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi.* Patet 2°. ex Patribus, qui pariter uno ore dogma nostrum profitentur, ex quibus, speciminis causa, unum laudamus Cyrillum hierosolymitanum [2], qui vocat Eucharistiam *hostiam propitiationis,* et deinceps, n. 4. scribit: *Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis* (defunctis) *tum pro nobis demereri et propitiare satagentes.* Patet 3°. ex antiquissima universalique praxi offerendi sacrificium pro defunctis, de qua loquitur Tertullianus [3]; nec non s. Cyprianus [4], et concilia carthagin. III, bracarense I, cabillonense, aliaque non pauca apud Bellarminum, lib. V. c. 7. Porro sacrificium pro defunctis offerri nequit nisi ad poenarum expiationem, spectatum igitur semper fuit uti propitiatorium sacrificium nostrum.

237. Exinde colligimus 1°. sacrificium Missae offerri posse tam pro vivis quam pro defunctis.

238. Colligimus 2°. offerri non posse pro sanctis cum Deo in coelo regnantibus, cum nihil ipsis expiandum sit, sed Deo in sanctorum honorem, prout *eucharisticum* est, offerendum esse, *ut orent ipsi pro nobis,* ut loquitur s. Augustinus. [5] Quare concilium trid. Sess. XXII. cap. 3: *Quamvis,* inquit,

[2]) *Catech. mystagogic.* V.

[3]) Lib. *De corona,* et in lib. II. *Ad uxorem.*

[4]) *Ep.* IX.

[5]) *Tract.* LXXXIV. *in Joann.* n. 1.

in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet; sed Deo soli ... de illorum victoriis gratias agens (sacerdos), *eorum patrocinium implorat;* et can. V: *Si quis dixerit, injuriosum esse Deo Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut ecclesia indendit; anathema sit.*

239. Colligimus 3°. non solum *propitiatorium* et *eucharisticum,* verum etiam *impetratorium* esse sacrificium Missae, quatenus per illud bona tum pro praesenti tempore, tum pro aeterna vita obtinere a Deo vi illius possumus, si fide, spe ac pietate inflammati ad ipsum accedamus.

240. Si quis vero quaerat, in quanam peculiari actione essentia sacrificii constituenda sit, nobis verisimilior illorum videtur sententia, quae jam communis effecta est, qui eam agnoscunt in sola consecratione. Siquidem in actione illa essentia sacrificii nostri constituenda est, in qua sacerdos agit nomine Christi, et vi cujus victima in altari praesens sistitur et offertur veluti immolata in honorem Dei auctoris vitae et mortis; talis autem est consecratio. Adeoque oblatio, fractio, communio uti partes integrales sacrificii habendae sunt.

DIFFICULTATES.

241. Obj. 1. Sacrificium propitiatorium ex mosaica lege ejusmodi erat, ut tota victima combureretur; ast de sacrificio Missae participant sacerdos et populus. 2. Apostoli certa sententia est, Hebr. IX. 22: *Sine sanguinis effusione non fit remissio,* jam vero nulla in Missa sanguinis effusio fit. 3. Missae sacrificium non est propitiatorium ex se, ut patet; sed neque tale esse potest virtute sacrificii crucis, alioquin insufficiens istud fuisset ad Deum nobis propitiandum. 4. Omnia nobis peccata dimissa sunt beneficio crucis Christi. Ergo.

242. Resp. Ad 1. *D.* Aliquando ac in peculiaribus nonnullis sacrificiis, *C.* semper et in omnibus, *N.* Siquidem, Deut. capp. IV et VII. praescribitur, ut soli masculi vescantur victimis oblatis pro peccatis. Praeterea sacrificium Missae est etiam eucharisticum et impetratorium.

243. Ad 2. *D. Sine sanguinis effusione non fit remissio, C. non fit remissionis applicatio,* prout etiam fit per Baptismum, absolutionem, jejunium, aliaque pia opera, *N.*

244. Ad 3. Resp. Sacrificium Missae propitiatorium esse virtute sacrificii crucis, nec tamen sequitur quod adversarii autumant, istud fore insufficiens; nam Christi mors meruit remissionem peccatorum, sacrificium Missae uti instrumentum et medium applicat unicuique in particulari meritum partum in cruce, prout applicant fides, baptismus, aliaque recensita media. Pulchra similitudine rem hanc illustrat pius et doctus Card. Hosius in *Confessione fidei cathol. in synodo petrocoviensi,* cap. XLI. deducta ex publico fonte, qui licet exsiliat in communem omnium utilitatem, nisi tamen quisque accedat ad aquam inde hauriendam idoneo instrumento, sitim explere

nequit. Ejusmodi fons est sacrificium crucis, instrumentum ad aquas seu fructus derivandos est sacrificium Missae, sunt sacramenta, sunt alia quae enumeravimus; nisi igitur his utamur, peccata nobis in particulari non remittuntur.

245. Ad 4. *D.* Quoad pretium redemptionis, *C.* quoad applicationem pretii, *N.* Responsio patet ex dictis.

CAPUT II.

DE MISSA PRIVATA.

246. Improprie Missa *privata* dicitur, quatenus ad discrimen solemnis, aut in privato loco, aut non in die festo celebratur, nec parochialis, ut ajunt, seu conventualis est, nec quispiam in ea saltem sacramentaliter communicat. Caeterum quaevis Missa semper publica est, cum in ea offeratur sacrificium in gratiarum actionem pro beneficio publico, cujusmodi est mors Christi, a publico ecclesiae ministro, pro publica ecclesiae seu fidelium omnium utilitate.

247. Lutherus ratus Eucharistiae non inesse rationem sacrificii in lib. *De abroganda Missa privata,* in Missas invehitur, in quibus solus sacerdos communicat, easque *solitarias*, *singulares*, *angulares* per contemptum nominat.

248. Synodus pistoriensis, cum constituisset *victimae participationem esse partem sacrificio essentialem,* adjicit prop. XXVIII: *Non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte de ipsa victima, spiritu illam recipiendo.* Quae propositio, *quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant, et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet*, a Pio VI. *in Const. Auctorem fidei* damnata est ut *falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.* Synodo pistoriensi praeiverunt in hac erronea doctrina tuenda Nannaronius, qui tamen postea eamdem ejuravit, can. Guerrerius, nonnullique alii.

249. Concilii tridentini doctrina, Sess. XXII. c. 6. haec est: *Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat; siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.* Hanc porro doctrinam sancivit can. VIII: *Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.*

PROPOSITIO I.

Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, neque propterea abrogandae.

250. De fide est ex adducto canone. Ejus veritatem sic evincimus: Missae illae illicitae non sunt adeoque neque abrogandae, in quibus finis praecipuus ad quem institutae sunt, obtinetur, quae in antiquitate fundamentum habent, nec ulli Christi praecepto adversantur; tales vero sunt Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat.

251. Etenim I. finis praecipuus sacrificii est Deo supremam exhibere adorationem, eumque nobis propitiare, bonaque omnia fidelibus vivis atque defunctis obtinere, ac pro collatis beneficiis Deo gratias agere. Jam vero finis hic est independens a populi communione.

252. II. Fundamentum has Missas praeterea habere in antiquitate haud pauca ecclesiastica documenta ostendunt, ex quibus novimus celebratas in privatis aedibus Missas fuisse a ss. Marcello, Gregorio nazianzeno seniore, Ambrosio, Paulino nolano aliisque, uti ostendunt card. Bona [1], cum adnotationibus Roberti Sala, et Pellicia [2], qui ea exempla collegerunt. Hoc ipsum ostendunt testimonia Patrum, ex quibus s. Joann. Chrysostomus sic increpabat fideles, qui non communicabant nisi in Quadragesima [3]: *Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari; nemo est qui participet,* quin tamen cessandum inferret a quotidiano sacrificio; s. Ambrosius licet populum adhortetur, ut quotidie Missae intersit, attamen ut in Quadragesima, die saltem dominico, offerat et communicet tantum admonet; eadem ratione se gessit s. Augustinus, apud Bellarminum. [4] His congruunt complura statuta conciliorum, quae licet jubeant fideles omnibus diebus festis Missae interesse, non adigunt tamen ad sacram synaxim nisi bis vel ter in anno.

253. III. Nulli denique Christi praecepto Missas has adversari ex eo liquet, quod protestantes numquam illud invenire potuerint. Nec enim sufficit verba afferre, quibus Christus potestatem fecit apostolis conficiendi, sed opus praeterea esset aliquid adducere, quo ne id fiat prohibeatur. Atque hinc factum est, ut protestantes a doctore suo hac in parte recesserint, testibus Molano [5], nec non Doederlein. [6]

DIFFICULTATES.

254. Obj. 1. Christus in confectione Eucharistiae eam distribuit; 2. ut idem facerent apostoli praecepit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* 3. Apostolus, I. Cor. X. Eucharistiam vocat *participationem* seu *communicationem* corporis et sanguinis Domini. 4. Fractio ipsa panis con-

[1]) *Rer. liturgic.* lib. I. cap. 13.
[2]) *De polit. ecclesiae,* lib. II. cap. 10.
[3]) *Hom.* III. *in Epist. ad Ephes.* n. 4.
[4]) Lib. VI. cap. 9. n. 24 et seqq.
[5]) *Cogitation. privat.* p. II.
[6]) *Instit. Theol. christ.* tom. II. p. 789.

secrati, quae in coena fit, ex qua Act. apost. cap. II. 42. et alibi Eucharistia denominationem accepit, patefacit eam ad communionem adstantium ordinatam esse. 5. Quare Apostolus scribit [7]: *Convenientibus vobis in unum jam non est dominicam coenam manducare; unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum;* quibus verbis ita opponit coenam privatam coenae publicae, ut illa in comparatione istius nec coenae nomine digna sit privatam itaque sacerdotum communionem ut illicitam reprehendit. 6. Huc spectant orationes quae in liturgiis omnibus orientalibus et occidentalibus fundebantur communi nomine, quibus evincitur, nisi nugatorias eas esse velimus, plures saltem cum sacerdote participare. 7. Canones pariter huc antiquissimi referuntur praecipientes fidelibus adstantibus sacrificio communionem et arcentes eos ab ecclesiae liminibus, qui non obtemperaverint. 8. Hinc graeci numquam Missam sine communicantibus celebrant. Ergo.

255. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut exemplum Christi Eucharistiam distribuentis praeceptivum non sit, *C.* ut sit praeceptivum, *subd.* affirmativum et conditionatum, *C.* negativum et absolutum, *N.* Nempe Christi exemplum *primo*, obligationem ac praeceptum per se non semper importat, ipsis adversariis fatentibus, alioquin in absurda incideremus; *secundo,* hoc etiam dato praeceptum Christi non est nisi affirmativum et conditionatum, si nimirum sint qui legitime petant, non autem negativum ita ut absolute vetitum sit celebrare nisi sint qui communicare velint, ac legitime petant, quasi aliquid essentiae sacrificii deesset aut ejus integritati, ita ut invalida aut illicita sacrificia ejusmodi sint censenda.

256. Ad 2. *N.* Allegata enim verba facultatem exprimunt datam apostolis Eucharistiam conficiendi et sacrificium proinde offerendi. Quod si velint adversarii eadem ad distributionem quoque extendere, intelligi ea debent in sensu exposito.

257. Ad 3. et 4. *D.* In sensu positivo, praesentibus legitime petentibus, et communicantibus, *Tr.* vel *C.* in sensu negativo, ita ut, nisi sint qui communicent, offerri sacrificium non possit, *N.* Hoc praecise est, quod ostendi ab adversariis deberet, nec tamen umquam conficiunt. Fractio praeterea mysticam habet significationem, ac sine fidelium communione consistere potest.

258. Ad 5. *D.* Ita ut Apostolus *dominica coena* agapas significet, quas celebrabant fideles ante vel post communionem eucharisticam, *C.* communionem ipsam, *N.* Ita verba Apostoli exponunt Chrysostomus, Augustinus et Oecumenius, quam expositionem exigit series ipsa orationis, qua Apostolus invehitur in duritiem divitum, et concludit: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos qui non habent?*

259. Ad 6. *D.* Quatenus ecclesia supponit adesse communicantes, qui si voluerint riteque dispositi sint, possunt participare, *C.* quatenus necessario esse hi debeant, *N.* Tantum abest, ut arceat ecclesia communicare volentes

[7] I. Cor. XI. 20.

in Missa cui intersunt, ut id fieri optet; sed si nemo sit qui participare velit, debebitne orationes liturgicas immutare, aut a sacrificio Deo offerendo abstinere? Absit. Igitur ejusmodi preces ex communiter contingentibus, praesertim primis saeculis, instituta sunt.

260. Ad 7. *Neg.* Ut enim observat ipse Gerardus Vossius in *Adnot. ad can.* X. *apostolic.* non praecipiunt veteres canones, ut quisquis quoties adest communicet, sed ne quis nondum peracta communione discedat.

261. Ad 8. *Neg. Missas absque communicantibus non celebrare* (graecos) *falsum est,* scribit Allatius [8], *qui non credit, adeat ipsas graecorum ecclesias ubicumque terrarum constitutas; in omnibus sacerdotes, ut plurimum, nulla interveniente communione, tum privatim tum publice celebrant.*

PROPOSITIO II.

Neque realis neque spiritualis victimae participatio ex parte populi est pars essentialis sacrificii; neque ullo sive divino sive ecclesiastico praecepto tenentur laici ad communionem liturgicam; non sunt proinde ut invalidae aut illicitae damnandae Missae illae, in quibus nemo sit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet.

262. Haec propositio, quae certa et fidei proxima est, ut patet ex censura doctrinae synodi pistoriensis, adstruitur non modo iisdem argumentis quibus superiorem vindicavimus, sed praeterea cum sit directe adversus illos, qui se catholicos profitentur, argumentis deductis ex ecclesiae auctoritate et praxi.

263. Etenim victimae participatio seu populi communio non pertinet ad sacrificii essentiam, nec ullo divino aut ecclesiastico praecepto necessaria est, si Tridentinum non solum validas sed insuper licitas Missas illas declaravit et sanxit, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Atqui ita se gessit tridentinum concilium, uti ex doctrina et canone paulo ante descriptis patet. Ergo. Quod si nec ad essentiam sacrificii pertinet sacramentalis populi communio liturgica, nec ullo divino aut ecclesiastico praecepto est necessaria, multo vero minus censenda erit necessaria communio spiritualis, quae nuspiam praecipitur, ac interior est, quaeque a synodo non est adjecta nisi ad anathema tridentinum eludendum.

264. Ex his ita constitutis pronum est inferre, 1°. communionem liturgicam aut aliturgicam, seu intra aut extra Missam, rem esse plane disciplinarem cujus moderatio ad ecclesiam spectat; adeoque 2°. jure merito Benedictum XIV. in Encyclica *Certiores effecti* data ann. 1742. ad sopiendas controversias Cremae exortas, constituisse, laudabilem quidem esse atque exemplo Christi consentaneam communionem quae ab adstantibus Missae fiat, attamen non propterea turbas esse excitandas, si ob peculiaria motiva aliter fuerit ab episcopo ordinatum.

[8]) *De eccles. occid. et orient. consensu*, lib. III. cap. 15. n. 3.

DIFFICULTATES.

265. Obj. 1. Ideo validitati sacrificii non obstat defectus communionis adstantium, quia tunc communio populi a sacerdote suppletur. 2. Fideles jus habent ad sacramenta, quae a Christo ad ipsorum utilitatem instituta sunt. 3. Qui extra Missam communicat, privatur effectu orationum quae a sacerdote pro communicantibus funduntur. 4. Dominica institutio, liturgiae, ecclesiae praxis, veteris ecclesiae disciplina, collectae ac preces, quae in Missa recitantur, communionem liturgicam suadent. Ergo.

266. Resp. Ad 1. *Neg.* Si enim communio liturgica necessaria est ex parte populi, ea profecto suppleri nequit a sola communione sacerdotis. Quod si ita esset, ut adversarii autumant, inutilis plane foret controversia ab ipsis excitata.

267. Ad 2. *D.* Cum subjectione ecclesiae quoad modum ea percipiendi, *C.* sine illa, *N.* Si propterea ecclesia justis causis adducta interdum magis expedire judicaverit, ut tribuatur Eucharistia extra Missam, ei parendum est.

268. Ad 3. *D.* Accidentali, cui suppleri potest obedientiae merito majorique fervore, *Tr.* essentiali et cui suppleri nequeat, *N.* Transmisimus primum distinctionis membrum, cum fructum percipiat ejus Missae, in qua confecta Eucharistia est, etiam ille qui aliturgice communicat. Deinde accidentalis hic fructus negligendus est, si ecclesia aliter statuerit, prout fit circa communionem sub utraque specie, etsi theologi disceptent inter se, num major fructus accidentalis ex alterius etiam symboli perceptione proveniat.

269. Ad 4. *D. Suadent* ut magis congruentem, *C.* inducunt necessitatem aut praeceptum, *N.* Quod nobis satis est; caetera ordinare ad ecclesiam spectat.

CAPUT III.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRIFICII EUCHARISTICI.

270. Eadem materia et forma èst Eucharistiae tum prout est sacramentum, tum prout est sacrificium. De forma vix controversia alicujus momenti est; omnes enim in eo consentiunt Eucharistiam verbis Christi confici: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, seu *calix sanguinis mei.* Quidquid nonnulli contenderint, nunc exploratum est, orationem qua invocatur Spiritus Sanctus, ut vi sua immutet oblata dona in corpus et sanguinem Domini, non pertinere ad essentiam, ut graeci professi sunt in concilio florentino. Reliquae si quae sint quaestiones inter scholasticos olim agitatae nunc quiescunt, nec operis pretium est eas a somno suo excitare.

271. Materiam panem esse triticeum et vinum de vite fatentur omnes. Perinde esse ad valorem Eucharistiae eam conficere sive in pane azymo sive in pane fermentato admittunt latini, contra vero graeci schismatici solum panem fermentatum idoneam esse hujus sacramenti ac sacrificii materiam

contendunt, ita ut invalidam habeant consecrationem latinorum, qui in pane azymo conficere consueverunt, ac *azymitas* per contemptum graeculi latinos vocant. Nullam litem nobis protestantes intentant circa vinum de vite, bene vero circa aquae admixtionem in calice offerendo. Utrique jam sive graeci sive protestantes nunc meliora de nobis sentire videntur, ita ut fere sopitae habeantur controversiae istae tanto olim animorum aestu agitatae.

272. Circa ministrum protestantes contendunt fideles omnes vi Baptismi totidem sacerdotes effectos esse, jure adeoque pollere consecrandi. Ast hunc errorem refellemus, cum de Ordine sermo erit. Hic potius perstringimus jansenianos ac proinde synodum pistoriensem nonnullosque illis adhaerentes, qui autumarunt fideles omnes adstantes sacrificio, non secus ac sacerdotes, vere et proprie dictos ac immediatos offerentes esse, immolatores et sacrificatores, nec differre a sacerdote nisi sola consecrandi potestate, quae eis non competit. Synodus praeterea pistoriensis insurgit adversus specialem Missae applicationem pro singularibus individuis. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO I.

Panis triticeus, sive azymus sit sive fermentatus, est materia valida sacramenti et sacrificii eucharistici.

273. De fide est propositio, ut constat ex concilii florentini decreto, in quo utriusque ecclesiae Patres: *Definimus item*, inquiunt, *in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.*

274. Jam vero validam esse Eucharistiae materiam panem azymum, de quo solo est quaestio, evincit I. exemplum Christi, qui, uti nunc omnes consentiunt, celebrato paschate legali, instituit Eucharistiam in pane, qui tunc temporis ex legis praescripto ei praesto erat, nempe azymo. Tres enim Evangelistae, Matthaeus XXVI. 17; Marcus XIV. 12; Lucas XXII. 7. uno consensu scribunt Christum *prima die azymorum* tum pascha celebrasse tum instituisse Eucharistiam; ergo nonnisi in pane azymo illam confecit.

275. Evincunt II. Patres omnes, qui in eo consentiunt Christum instituisse sacramentum et sacrificium eucharisticum in azymis, adeoque pro certo habuerunt, azymum panem idoneam esse ejusdem sacramenti et sacrificii materiam.

276. Evincit III. usus antiquissimus in ecclesia saltem occidentali adhibendi panem azymum in Eucharistiae confectione. Siquidem, praetermissa etiam quaestione critica inter eruditos agitata, utrum novem prioribus saeculis praxis obtinuerit etiam in ecclesia latina consecrandi in fermentato, ut contendit Sirmondus in *Disquisitione de azymo;* an vero in solo azymo, ut vult Ciampinus, *De perpetuo azymorum usu in ecclesia latina;* an vero, uti verisimilius censet card. Bona [1], cum *Propylaeo* Roberti Sala, promiscue tum in pane azymo tum in pane fermentato; illud exploratum est a pluribus

[1]) *Rerum liturgic.* lib. I. cap. 23.

saeculis consuevisse ecclesiam occidentalem in pane azymo consecrare. Etenim in Missa ambrosiana, quam Pamelius cum melioris notae codice contulit et vulgavit, hic titulus legitur: *Oblatio panis azymi cum patena facienda;* Missam hanc anteriorem esse ipso s. Ambrosio ostendit cl. Mazzuchelli. Ostendit praeterea Mabillonius, in *Diss. de pane eucharistico azymo et fermentato*, de pane azymo in confectione Eucharistiae jam synodum toletanam XV. quae ann. 693. celebrata est, can. VI. locutam esse veluti de re in communi usu posita; idque confirmat testimonio s. Udalrici, qui disserit de oblatis ad usum Eucharistiae *in ferramento characterato* coctis; nec non Alcuini saec. IX. scriptoris celebratissimi.

277. Cum igitur pro consuetudine ecclesiae latinae stent exemplum Christi, auctoritas Patrum omnium, usus ab immemorabili, ecquis in dubium revocare poterit panem azymum idoneam materiam esse sacramenti et sacrificii eucharistici? Immo cum hoc spectet ad disciplinam, omnes tenentur, ut in concilio florentino statutum est, Eucharistiam conficere juxta illam consuetudinem, quae in propria ecclesia obtinet, quin aut graeci latinis, aut latini graecis succensere valeant.

DIFFICULTATES.

278. I. Obj. Longe probabilius Christus pascha legale non celebravit, uti non obscure ex Evangelio Joannis colligitur. Nam c. XIII. 1 seqq. legitur: *Ante diem festum Paschae sciens Jesus, quia venit hora ejus... coena facta*, etc.; cap. vero XVIII. 28. refert idem evangelista, judaeos non introivisse in praetorium *ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*; et cap. XIX. 14. subdit: *Erat autem parasceve Paschae*, cum Pilatus Christum morti addixit; et v. 31: *Judaei ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur.* Si igitur tempus, quo Christus coenam celebravit, erat ante diem festum, erat parasceve Paschae; si in vigilia Paschae crucifixus et depositus est, jure infertur aut Christum eo anno Pascha legale haud celebrasse, aut ante diem a lege praestitutum, cum panis fermentatus nondum sublatus erat, in eoque Eucharistiam celebrasse. Sane cum Christus, Joann. XIII. 27. dixisset Judae: *Quod facis, fac citius*, apostoli haec verba ita intellexerunt, perinde ac si Judae dixisset, ut emeret, quae *opus erant ad diem festum*, adeoque dies Paschatis nondum inceperat. Alioquin, si pridie mortis suae Christus comedisset Pascha, cruci affixus fuisset et ab ea depositus ipso die festo, quod non fecissent judaei juxta legis praescriptum. Ergo.

279. Resp. *N. A.* Ad probb. autem adductas ex Evangelio Joannis, licet in diversas abeant interpretes ac theologi sententias, si tamen paucos excipias, qui notam temeritatis non effugerunt, omnes consentiunt, Christum Pascha legale celebrasse, adeoque panc azymo ad conficiendam Eucharistiam usum esse; quod nobis satis est. Alii igitur componunt s. Joannem cum reliquis evangelistis exponentes illud *parasceve Paschae* de sabbato, in quod

eo anno dies solemnis Paschae incidebat, prout insinuat ipse Joannes, XIX. 31. quo sensu pariter reliqua exponunt, quae afferuntur ex eodem Joanne, quod judaei non introierunt in praetorium Pilati *ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha,* nempe sacrificia, quae die solemni Paschae immolabantur. Negant praeterea ex lege vetitum esse exsequi mortis sententiam, eo magis quod milites romani sententiam in Christum latam exsequi deberent, prout reipsa factum est. Atque haec est communior sententia. Alii vero, ut Paulus Burgensis, Jansenius Gandavensis, Maldonatus, Petavius, Natal. Alexander cum aliis pluribus, censent Christum pridie ejus diei, quo judaei, celebrasse pascha, estque haec sententia satis communis. Alii existimant Christum in primis vesperis diei azymorum, prout consuetudo ferebat, post oblatum sacrificium vespertinum, Pascha manducasse. In quacumque hypothesi Christus Pascha legale celebrasset, et in azymis Eucharistiam confecisset.

280. II. Obj. 1. Panis, quo usus est Christus, in Evangelio dicitur ἄρτος seu *elevatus*, ope scilicet fermenti, alioquin non esset panis, sed aridum lutum ex farina. 2. Etsi vero Christus pane azymo usus esset, non sequitur licite a nobis eum adhiberi, cum legalia morte Christi abolita fuerint, prout non licet nobis circumcidi, quamvis Christus fuerit circumcisus. 3. Hinc nonnisi judaizantes nazaraei et ebionitae consueverunt in azymis consecrare, a quibus ut recederet ecclesia, adscivit panem fermentatum ad conficiendam Eucharistiam. 4. Sane fideles panem et vinum ad usum sacrificii offerebant, adeoque panem communem et fermentatum, qui ipsis praesto erat. 5. Reipsa Patres panem eucharisticum *communem* et *usitatum* passim vocant. 6. Concilium trullanum, can. XI. vetat *ne clerici vel laici comedant azyma judaeorum.* 7. Azyma sunt signa doloris, Eucharistia autem laetitiae. Ergo.

281. Resp. Ad 1. *D.* Spectata vocis etymologia, *C.* communi loquendi usu, *N.* Nam promiscue ἄρτος vocabatur panis sive azymus sive fermentatus. Cujus rei locupletissimum exemplum suppetit, Luc. XXIV. 30—36. ubi panis, quem Christus fregit, vocatur ἄρτος, etsi azymus fuerit; cum id acciderit diebus azymorum, et cum praeterea expresse dicatur *panis*, concidit animadversio Graecorum, quod azymum sit aridum lutum ex farina.

282. Ad 2. *D.* Legalia, quae cum professione christiana componi non possunt, abolita fuerunt, *C.* alia quae ex se sunt indifferentia, *N.* Componi autem non possunt cum professione christiana ritus illi, qui Christum praefigurabant et connexa sunt cum professione judaismi, cujusmodi est circumcisio. Caeteri ritus, qui indifferentes sunt, partim retenti fuerunt, ut abstinentia a sanguine et suffocato quae ex decreto apostolico, Act. XV. per plura saecula in ecclesia viguit, partim in desuetudinem ex se abierunt. Ad hos porro indifferentes ritus pertinet usus azymorum.

283. Ad 3. *D.* Ex animo judaizandi, *C.* ut magis se conformarent exemplo Christi, ut praestitit ecclesia, *N.* Cum enim ex dictis, hi ritus indifferentes sint, bonus vel malus eorum usus ex intentione agentis pendet. Cum igitur haeretici illi ex animo judaizandi una cum reliquis legalibus

azyma adsciverint, damnati sunt; ecclesia vero cum ex desiderio imitationis Christi azyma adhibuerit ad conficiendam Eucharistiam, laudabilis est.

284. Ad 4. et 5. Esto; neque enim contendimus numquam panem fermentatum adhibitum in ecclesia fuisse, immo diximus verisimilius utrumque panem promiscue obtinuisse in celebratione Eucharistiae, adeoque nihil contra nos.

285. Ad 6. *D.* Ad vitandam judaeorum familiaritatem, *C.* in ordine ad Eucharistiam, *N.* ut patet ex ipsis canonis verbis quibus praecipitur, ut *nemo judaeorum azyma comedat vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accersat,* etc.

286. Ad 7. *D.* Sub aliquo respectu, *C.* sub omni respectu, *N.* Alioquin non scripsisset Apostolus, I. Cor. V. 8: *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

PROPOSITIO II.

Solum vinum de vite est materia idonea sacramenti et sacrificii eucharistici.

287. Ad fidem pertinet propositio, ut ex sensu ecclesiae constat atque ex decreto Eugenii IV. pro Armenis: *Tertium est Eucharistiae sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite.* Omissis porro antiquis ebionitis et encratitis, qui sobrietatis obtentu aquam vino suffecerunt ad Eucharistiam conficiendam, nec non hydroparastatis seu aquariis qui aqua in sacrificio utebantur, ne deprehenderentur ex vini odore a paganis, nemo exstitit, qui contrarium senserit circa vini necessitatem. Haeretici recentiores, auctore Calvino, autumarunt aptam materiam ad Eucharistiam esse posse quidquid vini loco bibere homines solent. Et hi sunt, qui purum verbum Dei credendorum et agendorum regulam praedicant!

288. Attamen Matth. XXVI. 29; ac Luc. XXII. 18. vinum, quo usus est Christus ad Eucharistiam conficiendam, *generatio,* seu *genimen vitis* expresse vocatur, nec inficiantur adversarii. Praxis ecclesiae idipsum praeterea confirmat, quae numquam ad sacrificium adhibuit nisi vinum de vite; immo in conc. carthaginiensi IV. sancitum est, can. XXIV: *Ut nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum;* et ante hoc concilium id ipsum s. Justinus [1], et s. Cyprianus [2] scripserant; adeo ut vere affirmarit s. Augustinus de aquariis: *Aquam offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis ecclesia.*

289. Inepte prorsus haereticorum more, qui ex privato sensu Scripturam interpretantur, ad errorem suum cohonestandum afferebant aquarii illud Christi, Joann. VII. 37: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae;* inepte, inquam, siquidem ibid. evangelista subdit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

290. Nec melius protestantes in subsidium suum afferebant decretum

[1]) *Apolog.* I. n. 65.

[2]) *Epist.* XXII. *ad Caecilium.*

Innocentii VIII. tribuentis Norvegis facultatem sacrificium offerendi sine calice. Subdititium enim est decretum istud a Dominico Viterbiensi, et Franc. Maldente obtrusum, qui propterea capitis damnati sunt.

PROPOSITIO III.

Aqua miscenda est vino in calice offerendo.

291. De fide est ex can. IX. sess. XXII. concilii tridentini: *Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.*

292. Impetit autem directe antiquiores protestantes, qui ejusmodi admixtionem humanis figmentis accensebant ac saltem liberam propugnabant; recentiores enim, inter quos Kuinoel, nobis jam dant hunc usum a Christo provenire. Eam porro admixtionem non adstruimus ut necessariam necessitate sacramenti, ita ut sine ea invalida sit consecratio; contrarium enim docet *Catechismus romanus* [1], neque de praecepto divino, de quo non constat, sed de praecepto ecclesiastico proveniente ab exemplo Christi et traditione apostolica, quam jugiter ecclesia servavit.

293. Etenim hujus traditionis testes sunt 1°. Patres antiquissimi, uti s. Irenaeus, qui memorat *temperamentum calicis* [2]; nec non s. Justinus [3] et s. Cyprianus, qui: *Quando in calice,* inquit [4], *vino aqua miscetur, Christo populus adunatur;* eadem habet s. Cyrillus hierosolymitanus aliique passim apud Bellarminum. [5] Testes 2°. sunt vetustissimae liturgiae ss. Jacobi, Marci, Basilii, Cyrilli, aliaeque orientales omnes apud Renaudotium, qui de hac mixtione disserens ait: *Quam omnes ecclesiasticae orientalium leges praescribunt*, perinde ac occidentales apud Le Brun, Muratorium, Mabillonium et Assemanum juniorem. 3°. Testes sunt concilia carthaginiense III., bracarense, trullanum, ac wormatiense apud Bellarminum.

294. Hujus ritus tres a conc. tridentino, Sess. XXII. c. 7. assignantur rationes his verbis: *Monet s. synodus, praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quod Christus Dominus ita fecisse credatur; tum etiam quia a latere ejus aqua simul cum sanguine exivit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et, cum aquae in Apocalypsi b. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.*

295. Quae a protestantibus olim adversus hunc usum objiciebantur, adeo frigida sunt, ut vix commemorari digna sint; quod nempe ex Scripturis non constet Christum aquam vino permiscuisse; nam, ut videmus, nunc jam nobis id concedunt, et praeterea de hoc constare potest ex traditione; sic etiam quod addebant per aquam et sanguinem juxta Patres duo praecipua

[1]) Part. II. cap. 4. n. 12.
[2]) Lib. IV. *Contra haeres.* cap. 33. n. 2.
[3]) *Apolog.* I.
[4]) *Epist.* LXIII.
[5]) Lib. IV. cap. 10.

significari sacramenta, Baptismum et Eucharistiam, refellitur ex eo quod altera significatio per alteram non excludatur; tum cum addunt symbolicam esse aquarum significationem; nec enim hoc negatur, sed mystica non desinit esse ratio a Tridentino allata. Quod demum adjiciebatur ex conc. aurelianensi, can. IV. quasi praescripserit ut *nullus praesumat vinum aqua mixtum offerre,* exploratum nunc est corruptam fuisse ejusmodi lectionem, genuinam autem hanc esse: *Nullus in oblatione sacra calicis, nisi quod ex fructu vineae speratur et hoc aqua mixtum, offerre praesumat.*

PROPOSITIO IV.

Solus sacerdos conficiens est immediatus et proprius offerens et minister sacrificii eucharistici, fideles autem adstantes nonnisi mediati et improprie dicti offerentes et celebrantes sunt.

296. Certa ac proxima fidei est propositio, uti ex dicendis patebit. Sermo hic vero non est de offerente primario, qui est solus Christus, sed de secundario. Impetit vero propositio neotericos illos, qui autumant fideles immediatos ac proprie dictos offerentes ac sacrificantes esse eadem ratione qua est sacerdos, quia essentia sacrificii ex ipsorum sententia unice reponenda est in consummatione. Consecratio enim juxta eorumdem doctrinam se habet tantum uti conditio, et hanc solam tribuunt sacerdoti. Caeterum cum communio seu participatio victimae aeque competat populo ac sacerdoti, inferunt utriusque esse sacrificium offerre eadem prorsus ratione. Doctrina vero catholica est, fideles non esse nisi offerentes secundarios et mediatos, quatenus 1°. communi nomine sacerdos offert; 2°. quatenus spiritu conjunguntur sacerdoti offerenti; 3°. quatenus oblationibus et eleemosynis concurrunt ad sacrificium offerendum.

297. Jam vero adversariorum doctrina dubiis aut falsis nititur principiis, et contraria est concilio tridentino. Duo enim principia sunt, quibus adstruunt neoterici doctrinam suam; ac 1°. quod essentia sacrificii in sola communione tota consistat; porro haec sententia ad minus dubia est, cum ea nonnisi paucorum sit, qui insuper docent essentiam in consecratione etiam agnoscendam esse. 2°. Alterum principium est, quod communio ex parte populi spectet ad essentiam sacrificii; hoc autem falsum est, immo et erroneum, ut patet ex iis quae superius constituimus adversus lutheranos et pistorienses. Contrariam insuper eamdem doctrinam esse concilio tridentino facile ostenditur. Nam Tridentinum, Sess. XXII. cap. 2: *Una est hostia,* inquit, *idem nunc offerens Christus Jesus sacerdotum ministerio;* in hypothesi autem adversariorum debuisset dicere: *Fidelium adstantium et sacerdotum ministerio.* Hinc ecclesia catholica nullos alios umquam agnovit *offerentes* proprie dictos praeter sacerdotes conficientes juxta doctrinam Apostoli, Hebr. V. quod omnis pontifex seu sacerdos a Deo constituatur, ut *offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

DIFFICULTATES.

298. Obj. 1. Liturgiae exhibent oblationem sacrificii communem populo et sacerdoti: *Offerimus,* dicitur in liturgia romana... *Sacrificium quod tibi offerimus, vel quod tibi offerunt,* aliaque ejusmodi. 2. Patres interdum memorant *sacerdotium laici*, ut Hieronymus; *ordinem sacerdotalem justorum*, ut Irenaeus. 3. Nec desunt monumenta ecclesiastica, in quibus perhibentur laici sacrificasse, seu obtulisse cum sacerdote, ut de Saturnino legitur, de Simeone Stylita, aliisque non paucis. Ergo.

299. Resp. Ad 1. *D.* Liturgiae exhibent oblationem communem sacerdoti et populo, sed diversa ratione, *C.* eadem ratione, *N.* Scilicet sacerdotis proprium est offerre per actionem suam, populi autem triplici ex causa quam paulo ante commemoravimus. Adeoque fideles cum jungantur spiritu cum sacerdote, cum concurrant suis oblationibus, cum eorum nomine sacerdos uti minister publicus offerat, ideo et ipsi *suo modo* offerre dicuntur; sacrificium dicitur tum sacerdotis tum populi, non autem quatenus ipsi quidpiam praestent ad actionem sacerdotalem. Atque ita explanantur, quae ex liturgiis opponunt adversarii.

300. Ad 2. *D.* Patres memorant sacerdotalem justorum ordinem, aut *sacerdotium laici* in sensu mystico et late sumpto, *C.* in proprio ac rigoroso sensu, *N.*

301. Ad 3. *D.* Exhibent monumenta ecclesiastica laicos interdum offerentes cum sacerdote, id est, mediante cui offerenti assistebant, *C.* per simultaneum concursum ad actionem ipsam, *N.* Nam non alium sensum patiuntur quae de Saturnino, Simeone, aliisque leguntur.

PROPOSITIO V.

Specialis sacrificii applicatio pro aliquibus personis a sacerdote fieri potest, qua fit ut specialis fructus iis, pro quibus applicatur, caeteris paribus, proveniat.

302. Fidei proxima et haec propositio est, ac impetit synodum pistoriensem, quae prop. XXX. quamvis admittat specialem in Missa fieri posse aliquorum commemorationem, ita tamen admittit, ut *applicare fructus sacrificii cui vult, non sit in arbitrio sacerdotis*, idque tamquam *errorem magnopere laedentem jura Dei damnat;* adeoque uti *falsam traducit opinionem in populum invectam, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant.* Haec porro propositio damnatur a Pio VI. in *Const. Auctorem fidei,* ut *falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

303. Jam vero doctrina synodi adversatur ecclesiae catholicae doctrinae et praxi totius antiquitatis innixae Scripturarum auctoritati. Etenim conc. tridentinum, Sess. XXIII. c. 1. *de Reform.* haec habet: *Cum praecepto divino*

mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre; ex quo infert Benedictus XIV. in *Encyclica Cum semper: Eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium offerre, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illum pro aliis applicare posse.* Supponit ergo ecclesia posse sacerdotem specialem fructum pro aliquibus applicare sacrificii quod offert.

304. Specialem insuper dari hunc fructum provenientem ex Missa, quae pro aliquibus applicatur, patet ex errore in Wicleffo damnato a conc. constantiensi: *Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eisdem quam generales.* Quamvis porro Wicleffus nonnisi de speciali orationis applicatione expressam mentionem faciat, ex paritate tamen materiae idem dici debet de Missa, cujus applicatio, uti ostendit Drouvenius, Lib. V. qu. VII. c. 3. ad genus orationis pertinet.

305. Inniti porro ejusmodi ecclesiae doctrinam et praxim Scripturarum auctoritati, constat ex eo quod legitur in V. T. de applicatione sacrificiorum leviticorum, quae pro singularibus personis et negotiis offerebantur.

306. Atque exinde factum est, ut a remotissima antiquitate sacrificium eucharisticum oblatum fuerit pro personis singulis; cujus usus meminit Tertullianus [1]; Cyprianus dum in *Epist. ad clerum et plebem Furnitan.* prohibuit, ne sacrificium offerretur pro anima defuncti Victoris; nec non Eusebius in *Vita Constantini* [2]; s. Augustinus, qui refert oblatum *sacrificium pretii nostri* pro s. Monica, atque Possidius pro eodem sancto in ejus biographia factum id esse refert. [3] Plura item exempla harum Missarum, praeter liturgiographos Renaudotium, Assemanum et Mabillonium, collegit Thomassinus, *De Beneficiis* [4], quae saec. VI et VII. passim offerebantur pro singularibus personis aut negotiis. Res proinde haec est exploratissima in ecclesia, adeo ut ex hac praxi s. Thomas eos refellerit [5], qui autumabant perinde esse Missam pro uno aut pro pluribus offerre.

DIFFICULTATES.

307. Obj. 1. Sacrificium Missae infiniti est valoris, aeque igitur prodest sive pro uno sive pro pluribus offeratur; 2. pro *omnibus* semper sive vivis sive defunctis in qualibet Missa orat sacerdos. 3. Si tribuatur proinde eleemosyna ad sacrum faciendum, meritum ejusdem eleemosynae obtinebitur; 4. nisi potius praestet eleemosynas ejusmodi abolere ad tot scandala praecavenda, quae inde proveniunt. 5. Poterit proinde sacerdos specialem alicujus in Missa commemorationem facere, non autem Missam applicare, quod esset laedere jura Dei. Ergo.

308. Resp. Ad 1. *D.* In se seu ratione sui, *C.* quoad effectus, *N.*

[1]) *De exhortat. castitatis,* cap. 11. et alibi.
[2]) Lib. IV. cap. 21.
[3]) *Confess.* lib. IX.
[4]) Part. I. lib. II. cap. 75.
[5]) *Suppl.* qu. 71. art. 13.

Nam neque sacrificium crucis infinitum fuit quoad effectum. Christus enim noluit ut prodesset diabolo et angelis ejus. Si igitur quoad effectum sacrificium Missae finitum est, patet illud, caeteris paribus, magis prodesse illi pro quo offertur seu applicatur quam caeteris. Sane ecclesia consuevit plures Missas pro uno eodemque defuncto offerre.

309. Ad 2. *D.* Spectato fructu *generali*, *C.* fructu *medio*, ut vocant, *N.* Fructus *generalis* ille est, qui provenit universae ecclesiae cujus nomine sacerdos ut minister publicus sacrificium offert; fructus *specialis* seu *specialissimus* est, qui provenit ipsi sacerdoti offerenti. Fructus inter hos *medius* ille est, qui a voluntate sacerdotis pendet, ut illum applicet cui libuerit. Cum igitur de Missae applicatione disseritur, de hoc fructu medio sermo est, qui sine aliorum fructuum detrimento in bonum cedit illius, sive vivi sive defuncti, pro quo speciali ratione sacrificium offertur.

310. Ad 3. *D.* Praeter fructum medium provenientem ex Missae applicatione, *C.* solum, *N.*

311. Ad 4. *D.* Si scandala et abusus intrinseci seu inhaerentes essent ipsi eleemosynae, *C.* si corrigi possunt ac dispesci, *N.* Jam vero numquam non advigilarunt summi pontifices, si quando irrepserunt nonnulli abusus, ut tollerentur. Plura ad hoc decreta data sunt. Aliunde qui servit altari, vivendi de altari jus habet.

312. Ad 5. vel *N.* vel *D.* Si a Deo ipso sacerdos facultatem non haberet fructum medium sacrificii, de quo loquimur, alicui applicandi, *C.* si habeat, *N.* Sane numquid laederet jura principis minister ille, qui facultate ab eo accepta, favorem aliquem dispensaret? Hac porro facultate instructum a Deo esse sacerdotem in sacrificio offerendo, patet ex constanti ecclesiae praxi, quae jugiter consuevit, uti ostendimus, de aliquibus in particulari non solum commemorationem facere, sed praeterea pro ipsis sacrificium offerre.

CAPUT IV.

DE IDIOMATE, VOCE AC CAEREMONIIS, QUIBUS MISSA CELEBRANDA EST.

313. Vindicanda supersunt, quae circa aptam Missae celebrationem, adeoque eidem extrinseca, fuerunt ab ecclesia constituta: siquidem ecclesiam novatores incusant, tum quod sive ignota lingua, sive submissa voce Missam celebrare consueverit, tum quod illam ludicris ac theatralibus caeremoniis stipaverit. Synodus pistoriensis sub specioso praetextu collapsam disciplinam instaurandi illorum in ecclesiam conviciis haud parum favit. Contra hos igitur omnes sit

PROPOSITIO I.

Nec licet nec expedit lingua tantum vulgari Missam celebrare.

314. Certa est haec propositio, atque ex ea parte, quae afficit ecclesiae potestatem aliquid circa disciplinam constituendi, est de fide; concilium enim tridentinum, Sess. XXII. can. IX. decernit: *Si quis dixerit... lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; anathema sit.* Clemens vero XI. in *Const. Unigenitus* proscripsit propositionem LXXXVI. Quesnelli: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei;* ac a Pio VI. in *Const. Auctorem fidei,* proscripta est *propositio synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et alta voce proferendo.* Prop. XXXIII.

315. Tria vero sunt, quibus ostendimus nec licere nec expedire Missam lingua vulgari celebrare, ac I. non licere constat ex ecclesiae legibus quibus id vetitum est, quasque attulimus tum ex Tridentino, tum ex constitutionibus pontificiis; II. non expedire constat praeterea ex antiqua et ubique recepta ecclesiae praxi; siquidem in ecclesiis occidentalibus usus perpetuus viguit, ut nonnisi latina lingua celebraretur, in ecclesiis autem orientalibus adhuc celebratur vel lingua graeca antiqua, vel antiqua syriaca, coptica, armena etc.; quamvis, uti ostendit Renaudotius, omnes linguae istae a pluribus saeculis vulgares esse desierint, nec quispiam reclamavit praeter novatores adversus hunc usum, a quo proinde recedere nemini fas est. III. Demum id ipsum evincitur ex incommodis ac periculis quae exinde orirentur, ac 1°. quia detrimentum pateretur unitas illa quae exsurgit ex nexu communicationis, quo ecclesiae pastores in divinis rebus sociari debent; 2°. ex jugi mutabilitate linguarum vulgarium, dum veteres jamdiu firmiter constitutae sunt; 3°. ex contemptu in quem venirent sacra, si fierent antiquata lingua vulgari, nisi identidem magno dispendio et periculo novae semper adornarentur versiones, uti patet ex versionibus biblicis haereticorum in quas ipsi errores suos obtruserunt et obtrudunt; 4°. ex eo quod vix ulla lingua vulgaris sit communis omnibus villis et pagis ubi incolae propria eaque corruptissima dialecto utuntur; deberent proinde tot versiones fieri liturgiae quot sunt ejusmodi dialecti, quae et ipsae mutabiles sunt: quod factu fortasse impossibile est.

316. Ad haec, defervescente priori aestu, attendentes protestantes, atque experientia edocti, a proposito haud parum recedere visi sunt. Sane Oxonienses conquesti *de Reformatione* sunt, quod ob utilitates imaginarias derelicta fuerit idea cultus uniti, vi cujus identitas temporum et linguae apud diversas nationes conservata fuerat.

DIFFICULTATES.

317. Obj. 1. Haec disciplina adversatur Apostolo scribenti, I. Cor. XIV. 13 seqq.: *Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nam si orem lingua* (peregrina) *spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est..... Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet: Amen super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem gratias agis: sed alter non aedificatur.* 2. Neglectis igitur versionibus Missae vernaculis, negligitur utilitas ac devotio fidelium circa Missae sacrificium. 3. Romani proinde pontifices Adrianus II, Joannes VIII, Innocentius IV. Illyricis indulserunt, ut lingua vernacula in sacris uterentur, prout Paulus V. id ipsum concessit Sinensibus. Quomodo vero haec componi possunt cum tridentino decreto, cum quo adducti pontifices aperte pugnant? Ergo.

318. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem nihil commune habet, quod hic objicitur ex Apostolo cum celebratione Sacri in lingua vulgari. Loquitur enim s. Paulus de dono linguarum, quo qui instructi erant, lingua reipsa ignota ac peregrina sermones promebant quos nemo intelligeret, et magna exinde in coetu fidelium oriebatur perturbatio et confusio. Jam vero lingua, in qua Missa celebratur, non ita ignota populo dici potest, ut nemo eam intelligat. Ex praescripto praeterea Tridentini explanare debent pastores, quae in Missa peraguntur. Non desunt magna quantitate libri, in quibus haec ipsa vulgari lingua exponuntur, adeo ut, vel ipso Leibnitzio teste, nihil hac in parte desiderari possit.

319. Ad 2. *Neg.* Ut patet ex modo dictis; nec ulla ratione pietas seu devotio ac utilitas populi negligitur, cum tot mediis abunde illi provisum sit ac provideatur.

320. Ad 3. *D.* Ita poscentibus peculiaribus rerum adjunctis, *C.* secus, *N.* Nam cum agatur de re disciplinari adeoque ecclesiae obnoxia potestati, optime sese gesserunt romani pontifices, dum justis de causis indulserunt fieri quod generatim fieri non expedit. Nulla proinde intervenit pugna inter id quod permiserunt rom. pontifices in casibus particularibus, et id quod ne generatim fieret constituit Tridentinum. Praesertim cum multum interponatur discrimen inter eos apud quos primum religio christiana propagatur, et illos apud quos haec a pluribus saeculis obtinet ac lingua liturgica jam firmata est.

PROPOSITIO II.

Non omnia in Missa alta voce sunt recitanda.

321. Ejusdem certitudinis est haec propositio ac praecedens. Concilium tridentinum, Sess. XXII. cap. 5. haec habet: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem attolli; propterea pia mater ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit.* Deinde hunc can. VI. edidit: *Si quis dixerit, ecclesiae romanae ritum, quo submissa*

voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse...; anathema sit. Jure merito proinde propositionem qua synodus pistoriensis optare se dicit ut liturgia *alta voce* proferatur, Pius VI. damnavit uti *temerariam, in ecclesiam contumeliosam, faventem haereticorum in eam conviciis.*

322. Innititur autem decretum tridentinum 1°. exemplo veteris legis in qua, Deo ipso praecipiente, plura a sacerdotibus submissa voce, immo nec populo conspiciente recitabantur; 2°. antiquae institutioni, cujus plura suppetunt documenta in liturgiis omnibus vetustissimus in quibus, uti ostendit Le Brun, *Diss.* XV. plura semper submissa voce recitari a sacerdote praescribuntur; 3°. majori venerationi, quae per silentium promovetur tum in sacerdote, tum in adstantibus, et quo fit ut attentius, quae peraguntur, meditari possint.

DIFFICUTATES.

323. Obj. 1. Incertum saltem est antiquas liturgias favere tridentini concilii decreto, cum vox *secreta,* quae in illis offenditur, tantumdem valeat ac *separatim,* cum sit a *secerno,* scilicet a catechumenis; 2. cum *submissa voce* significet *sine cantu,* unde illae phrases proveniunt quae in nonnullis rubricis leguntur: *canere in silentio, cantus in silentio.* 3. Sane olim populus post verba consecrationis consueverat respondere: *Amen.* 4. Justinianus constituerat, ne canon secreto recitaretur, cui orientales ecclesiae paruerunt. Ergo.

324. Resp. Ad 1. *Neg.* Etsi enim daremus *secretae* etymologiam a *secerno* esse, ex usu tamen et sensu ecclesiae certum est *secretam* vel *secretum* dici, quod submisso vocis sono recitabatur. Sic eam vocem interpretati sunt saec. IX. Amalarius, ac Rhemigius saec. X. exponentes canonem. Immo in Sacramentario *Ms.* ecclesiae turonensis orationes *secretae* dicuntur *arcanae.*

325. Ad 2. *Neg.* Ut enim ostendit Mabillonius in *Disquisitione de cursu gallicano,* pluribus adductis exemplis ex antiquis auctoribus, voces *cantare, canere, cantus* sumebantur in sensu *recitandi,* ita ut perinde sit dicere *sine cantu,* ac *submissa voce.* Hinc Rhemigius autissiodorensis apud eumdem auctorem scripsit: *Idcirco venit consuetudo, ut tacite ipsa obsecratio atque consecratio a sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent.* Nullum igitur de horum verborum significatione dubium superesse potest. Qui praeterea contendunt, a conc. tridentino verba *submissa voce* pro *sine cantu* exponenda esse, ii vere desipere dicendi sunt, quasi nempe Missae omnes aetate Tridentini cum cantu celebrarentur.

326. Ad 3. *D.* In nonnullis ecclesiis particularibus orientalibus, et quidem ad tempus, *Tr.* in ecclesia universali, ac praesertim in ecclesia latina, *N.* Id, allatis in medium documentis, luculenter ostendit Le Brun, in cit. *Dissert.* ubi evincit ritum illum, quo populus respondebat *Amen* post consecrationem, in aliquot tantum ecclesiis orientalibus viguisse usque ad IV. saeculum, quo desiit, nec umquam obtinuisse in ecclesia latina.

327. Ad 4. *D.* Adeoque contraria consuetudo viguerat, *C.* secus, *N.* Nam hoc ipso quod hic imperator constituit ut totus canon alta voce reci-

taretur, constat usque ad id temporis nonnisi submissa voce ac secreto recitari consuevisse. Accedit, quod praeter paucos assentatores, nullos habuerit adstipulatores; hinc tum sub ipso imperatore tum potissimum post ejus obitum antiquus usus perseveravit, prout adhuc in ecclesia graeca perseverat.

PROPOSITIO III.

Nihil est in Missae caeremoniis, quibus utitur ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium.

328. De fide est juxta can. VII. sess. XXII. concilii tridentini: *Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa quibus in Missarum celebratione ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.* Impetit autem propositio directe novatores antiquiores, siquidem recentiores jam aliter sentire coeperunt; ac indirecte synodum pistoriensem, quae de more protestantium ac jansenistarum vestigiis insistens, novitates suas et hic obtrusit.

329. Profitemur autem 1°. nos haud agere de caeremoniis singillatim, quod alienum esset a scopo nostro; 2°. nos loqui de ritibus qui in universa romana ecclesia recepti sunt.

330. Sic porro directe adversus novatores insurgimus; caeremoniae quibus Ecclesia catholica utitur in Missae celebratione, ex traditione apostolica descendunt: majestas tanti sacrificii per eas commendatur: fidelium mentes ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitant; nihil igitur in illis est quod non sit sanctum et pium.

331. Jam vero ex apostolica traditione ac disciplina caeremonias, quibus ecclesia catholica utitur, manare evincunt liturgiae omnes orientales et occidentales, quae adhuc supersunt. Siquidem liturgiographi, quos saepe recensuimus, ostendunt in praecipuis ritibus ac caeremoniis quoad substantiam plane convenire cum illis quae adhuc servantur. Has autem liturgias ea continere quae viva voce ab apostolis tradita sunt, ostendimus cum ageremus *de Sacramentis in genere*, cap. ult. idque nobis praestantiores dant protestantes. Quod quidem confirmatur ex Patribus antiquissimis Justino, Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Cyrillo hierosolymitano, Basilio, Hieronymo, Augustino, qui modo unum, modo alterum ritum memorant.

332. Commendari autem his caeremoniis tanti sacrificii majestatem ostendunt illa omnia, quae Deus ipse ad legalia sacrificia rite offerenda praescripsit; si enim illa ad exteriorem cultum commendandum adeo conferebant, quare non conferent, quae ecclesia Dei spiritu ducta instituit ad commendationem sacrificii nostri quod longe illis praestantius est?

333. Fidelium denique mentes per externa haec pietatis signa attolli ad latentium in hoc sacrificio mysteriorum contemplationem ex ipsa humanae naturae indole ac natura patet, quae ita constituta est, ut illis mirabili prorsus ratione afficiatur. Multo vero magis id obtinetur per expositiones, quas pii auctores harum caeremoniarum suppeditarunt.

334. Quod vero nunc attinet ad synodum pistoriensem, ejusdem insequentes propositiones censura notatae sunt a Pio VI. in *Constitut. Auctorem fidei*, scilicet. XXXI: *Propositio synodi enuncians, conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere;* et XXXII: *Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresque apponantur.*

335. Porro non semper in antiquitate nec ubique servatam esse disciplinam de unico altari in singulis templis innumera pene documenta ostendunt. Satis hic sit commemorare sacella quae adhuc in catacumbis romanis subsistunt, in quibus duo, tria, novem quandoque altaria in eodem cubiculo reperiuntur; ut omittam ecclesiam s. Sepulchri a Constantino extructam in qua tria erecta sunt altaria, Basilicam ostiensem, aliasque non paucas in quibus plura recensebantur altaria; perperam igitur ad antiquitatem confugit synodus ad novitates suas cohonestandas.

336. Consuetudinem pariter antiquitus viguisse, ut super altaribus collocarentur capsae et sanctorum reliquiae testis est s. Gregorius turonensis, in *Historia Francor.* lib. IX. cap. 6. ubi refert se respondisse: *Requiescant beatae reliquiae super altarium, donec mane procedamus ad occursum earum;* ac testis praeterea est Leo IV. qui obiit ann. 847. decrevitque: *Super altare nihil ponatur, nisi capsae cum reliquiis sanctorum, aut forte quatuor Evangelia, aut pyxis cum corpore Domini.* [1] Eadem ferme leguntur in *Synodica*, Ratherii veronensis, n. 6.

337. Flores naturales a vetustioribus saeculis, immo et corollas ex illis affabre contextas super altare ad ejus ornatum christiani apponere solebant; quod constat ex s. Augustino, Venantio Fortunato, aliisque bene multis, quorum testimonia collegit ac protulit card. Bona [2], quibus plura alia adjecit Rob. Sala in adnotationibus in hunc locum.

338. Temporis tractu fabrefacti naturalibus flores suffecti sunt, isque usus deinceps retentus est.

339. Quae cum ita se habeant, patet non antiquitatis amore, sed novitatis libidine pseudo-synodum permotam esse ad illos usus carpendos, quos a pluribus saeculis ecclesia universa probavit; cujus est quae spectant ad disciplinam pro diversis temporum ac locorum adjunctis moderari.

DIFFICULTATES.

340. I. Obj. 1. Nec Christus in Eucharistiae institutione caeremonias adhibuit; 2. neque apostoli instituerunt. 3. Non debent igitur catholici in his Missae *nervos* constituere.

341. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut facultatem ecclesiae suae tribuerit eas instituendi, *C.* secus, *N.* Idcirco enim Christus apostolos eorumque suc-

[1]) Apud Labbaeum, tom. VIII. col. 34. [2]) *Rerum liturgicarum*, lib. I. c. 25. §. 13.

cessores pastores constituit, ut ea statuerent, quae ad ecclesiae utilitatem conferrent, ut patet ex I. Cor. XI. 34.

342. Ad 2. *Neg.* Contrarium enim constat ex liturgiis antiquis omnibus, quarum origo, quoad rei substantiam, ab apostolis unice repeti potest, ut ostendimus. Apostolus in I. Cor. XII. nobis solum referre sibi proposuit, *quod accepit a Domino.*

343. Ad 3. *Neg.* Numquam enim catholici in ritibus his sive essentiam, sive *nervos* Missae collocarunt. Haec est haereticorum calumnia.

344. II. Obj. 1. Unitas altaris est symbolum unius Christi; 2. Patres antiquissimi Ignatius, Cyprianus, Optatus unius altaris in locis sacris meminerunt. 3. Ex Apocalypsi sanctorum reliquiae sub altari delitescere debent, non autem super altare, prout etiam nos docet veneranda antiquitas. 4. Si excipias crucifixi imaginem et candelabra ab altaribus caetera omnia ornamenta, flores praecipue, exulare debent, quorum usus a superstitione paganorum dimanavit. Ergo.

345. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut hoc symbolum in quolibet altari seorsum sumpto servetur, *C.* ut per plura altaria in eodem templo destruatur, *N.* Alioquin omnia templa ab eadem urbe tollenda essent, ut servaretur symbolum unius Christi in unico templo, quod esset absurdum.

346. Ad 2. *D.* In ipsorum provinciis, *Tr.* in omnibus seu ubique terrarum, *N.* Siquidem, adductis documentis, nos alibi contrariam consuetudinem viguisse ostendimus.

347. Ad 3. *Neg.* Nec enim Apocalypsis exhibet corpora, sed *animas interfectorum* sub altari in coelo constitutas. Quin contrarium potius in Apocalypsi insinuatur, cap. III. 21. illis Christi verbis: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Usus in antiquitate, ut vidimus, varius exstitit. Agitur enim de re indifferenti.

348. Ad 4. *Neg.* Hoc enim determinare non ad privatos sed ad ecclesiam spectat. Jam vero in *Caeremoniali episcoporum,* cap. 12. *de Ornatis* legitur: *Sed ipsum ciborium floribus frondibusque ornari poterit.* Non est igitur hac de causa a factiosis pax turbanda.

TRACTATUS

DE POENITENTIA.

PROOEMIUM.

1. Bifariam spectari Poenitentia potest, prout est virtus, ac prout est sacramentum. Quatenus virtus Poenitentia est, quovis tempore necessaria fuit ad hominem Deo reconciliandum. Definiri autem solet: *Virtus supernaturalis, qua homo movetur ad detestationem peccati sui, ad firmum melioris vitae propositum, et ad sui vindictam in compensationem injuriae Deo per peccatum illatae.* Lutherus cum suis virtutem poenitentiae in sola *novitate vitae* vel *resipiscentia* atque consilii mutatione consistere autumat, quin odio opus sit praeteritae vitae, aut animi dolore de male gestis concepto. In quo ipse vel a communi hominum sensu recedit, ethnicis ipsis non exceptis, qui in anteactae vitae detestatione constanter poenitentiam constituerunt. Quatenus vero Poenitentia sacramentum est, definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per juridicam sacerdotis absolutionem homini contrito et confesso remittuntur peccata post baptismum commissa.* Ex qua definitione dum catholicae doctrinae circa hoc sacramentum summa eruitur, sic praebetur summa tractatus nostri. Siquidem de veritate sacramenti primum nobis agere propositum est, deinde vero de ejus partibus, contritione videlicet, confessione et satisfactione; de materia denique, forma ac ministro.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI POENITENTIAE.

2. Poenitentia, juxta protestantes, qui omnium primi illam e sacramentorum albo expunxerunt, nihil aliud est quam recordatio Baptismi.

Doctrina haec fluit ex adoptato principio de sola fide justificante, quae dum per sacramenta excitatur, vim habet ut non imputentur ea peccata, quibus homo inquinatus est. Cum propterea vi fidei excitatae ope Baptismi non imputetur ad poenam originale peccatum, ejusdem vi fit ut non imputentur ejusdem peccati *parentis*, ut vocant, manifestationes, seu peccata actualia. Contra vero ecclesia catholica constanter tenuit ac docuit peccata vere remitti per sacramentum Baptismi vi gratiae sanctificantis, ita tamen ut adepta gratia et justificatio denuo amitti possint per novum peccatum, quod si patretur, non remanet ad ejus deletionem nisi secunda post naufragium tabula, seu sacramentum Poenitentiae, quod est a sacramento Baptismi plane distinctum. Duo igitur hic a nobis praestenda sunt; tum scilicet est veritas hujus sacramenti vindicanda, tum ostendendum illud a sacramento Baptismi prorsus esse distinctum.

PROPOSITIO.

Poenitentia est vere et proprie novae legis sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa, a sacramento Baptismi distinctum.

3. Utraque propositionis pars de fide est sancita a Tridentino, Sess. XIV. can. I: *Si quis dixerit, in catholica ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo D. N. institutum; anathema sit.* Et can. II: *Si quis, sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.* Ex eodem concilio, ibid. cap. I. tum praecipue Christus hoc sacramentum instituit, *cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

4. Reipsa in adductis verbis tres conditiones illae habentur, quae adversariis fatentibus ad sacramentum constituendum requiruntur et sufficiunt; divina videlicet institutio, ut per se patet; gratiae promissio, sine hac enim peccata non remittuntur; ritus denique externus, qui in ejusdem potestatis exercitio apparet. Scite porro Patres tridentini docuere *tum praecipue* hoc sacramentum a Christo redivivo institutum esse, cum protulit allegata verba; jam enim quasi inchoate hoc sacramentum instituerat juxta communem Patrum ac doctorum consensum, cum Matth. XVI. 19. dixit Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis;* et cum ibid. XVIII. 18. sic apostolos omnes affatus est: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*

5. Constantis autem traditionis circa hunc articulum 1°. testes sunt Patres omnes, qui adversus montanistas et novatianos propugnarunt illimi-

tatam a Christo concessam esse ecclesiae potestatem dimittendi peccata post Baptismum admissa, illis verbis: *Quorum remiseritis* etc., et *quaecumque solveritis* etc.; nec non ii omnes, qui extollunt hac de causa sacerdotalem potestatem, inter quos eminet s. Ambrosius, qui comparans Poenitentiam cum Baptismo [1]: *Quid interest,* inquit, *utrum per Poenitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est;* et s. Jo. Chrysostomus [2]: *Iis,* inquit, *datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam esse voluit; neque enim illis dictum est: Quaecumque alligaveritis,* etc. Ii demum Patres, qui confessionis necessitatem inculcant, quos paulo post afferemus. 2°. Testes ejusdem traditionis sunt omnes rituales libri utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis, in quibus ratio traditur administrationis hujus sacramenti. 3°. Testis est doctrina de septenario sacramentorum numero, inter quae Poenitentia semper recensita est, de qua doctrina universali ac perpetua in *Tract. de sacram. in genere* egimus.

6. Ex his vero non solum confecimus quod primo loco constituimus, nempe Poenitentiam vere et proprie sacramentum esse, sed et illud, quod secundo loco proposuimus, nempe Poenitentiam sacramentum esse a Baptismo plane distinctum. Utrumque enim evincunt allata documenta tum ex Scriptura, tum ex traditione et ecclesiae praxi. Exinde enim factum est, ut Patres passim Poenitentiam appellare consueverint *laboriosum quemdam Baptismum,* aut *secundam post naufragium tabulam*, uti Tertullianus, Ambrosius ac Hieronymus.

DIFFICULTATES.

7. I. Obj. 1. Christus, Joann. XX. solam apostolis missionem contulit praedicandi evangelium; verbis enim adductis, *Quorum* etc., praemiserat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* 2. Quod magis patet ex collatione, Joann. XX. cum Luc. XXIV. 47. qui sic Christum loquentem inducit: *Et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes*, quae si crediderint, poenitentiam et peccatorum remissionem obtinebunt, sin vero incredulae fuerint, promeritas poenas sustinebunt. 3. Quapropter s. Augustinus utrumque textum Joannis et Lucae conjungens adnotat [3], ea fuisse a s. Luca adjecta, quae praetermisit Joannes. 4. S. Cyrillus alex. [4] vero Christi verba, Joann. XX. de peccatorum remissione exponit, quae datur per Baptisma. 5. Quae porro leguntur, Matth. XVIII. de mutua solum privatarum injuriarum condonatione esse intelligenda tum orationis series ostendit, tum Patrum auctoritas, inter quos s. Augustinus ita exponit [5]: *Coepisti habere fratrem tuum tamquam publicanum? Ligas eum in terra... Cum autem correxeris et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra,*

[1]) ***De Poenitentia,*** lib. I. cap. 8. n. 36.
[2]) ***De sacerdot.*** lib. III.
[3]) Lib. III. ***De consensu evang.*** c. 25. n. 74.
[4]) Lib. XII. cap. 1.
[5]) ***Serm.*** III.

solutus erit et in coelo; sic etiam s. Hieronymus, qui docet [6], apostolos solvisse peccatorum funes et vincula juxta id quod dictum est: *Quaecumque solveritis,* etc. *Sermone Dei et testimoniis Scripturarum et exhortatione virtutum.* 6. Sane si Christus in adductis testimoniis sacramentum instituisset, sequeretur, sacramentum confici, nedum quando sacerdos absolvit, verum etiam quando ligat, seu peccata retinet, quod nemo dicet. Ergo.

8. Resp. Ad 1. *Neg.* Tum quia ecclesia de potestate sibi a Christo collata peccata remittendi et retinendi Christi verba semper intellexit; hinc conc. tridentinum, Sess. XIV. hunc canonem, qui tertius est, statuit: *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem praedicandi evangelium; anathema sit.* Tum quia missio, de qua immediate ante locutus est Christus, non solum munus doctoris, sed etiam munus reconciliatoris complectitur, quod expletur a sacerdotibus per remissionem peccatorum, quam tribuunt per sacramentum Poenitentiae.

9. Ad 2. *Neg.* Etenim quae refert s. Lucas, dicta sunt a Christo *undecim* apostolis; quae refert Joannes, dicta sunt *decem;* siquidem, ut legitur ibid. IV. 24: *Thomas autem unus ex duodecim... non erat cum eis, quando venit Jesus.* Adeoque diversa fuit apparitio ac diversum argumentum, seu objectum missionis in utroque loco. Hinc evanescit glossa adversariorum.

10. Ad 3. *D.* Coordinando quae apud Lucam et apud Joannem leguntur, ut fit in concordantia Evangeliorum, *C.* duplicem confundendo apparitionem, *N.* Immo s. Doctor alteram ab altera omnino distinguit, ac proinde potestatem, quae a Christo discipulis in utroque loco data est.

11. Ad 4. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Nam ibidem s. Cyrillus exponit duobus modis a sacerdotibus remitti aut retineri peccata et per Baptismum, et *cum filios ecclesiae peccantes accipiunt vel poenitentibus ignoscunt.*

12. Ad 5. *Neg.* Siquidem tres ibidem aperte distinguuntur, qui injuriam passus est, testes, et ecclesia, ac soli ecclesiae Christus tribuit potestatem ligandi atque solvendi, dicens: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Hic proinde horum verborum sensus est: si ecclesiae liganti non obtemperaverit qui injuriam intulit, sit tibi, contra quem peccavit, quique eum detulisti, tamquam ethnicus et publicanus. Alius est ergo, qui injuriam accipit, alius qui ligat et solvit; idcirco Christus adjecit: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis,* etc.

13. Quod si nonnulli Patres Christi verba per quamdam, ut vocant, extensionem, atque in sensu mystico ac minus proprio injuriarum mutuae condonationi applicarunt, non idcirco judiciariam potestatem a Salvatore apostolis collatam, atque adeo sensum litteralem ac proprium excludere volue-

[6]) *In Isai.* lib. VI. cap. 14.

runt. Iidem enim, qui nobis objiciuntur Patres, alibi sensum hunc litteralem aperte constituunt; sic s. Augustinus affirmat Christi verba: *Quaecumque* etc., intelligi *de praepositis, per quos ecclesia gubernatur* [7]; quod saepe alibi inculcat. Ita etiam s. Hieronymus eadem verba apostolis dicta adstruit [8]; atque ita pariter Theophylactus, qui objici solet.

14. Ad 6. *D.* Si sacerdos actu positivo ac directe ligaret, *C.* si negative ac indirecte, *N.* Ligat porro sacerdos quando non absolvit vi potestatis judiciariae quam exercet in administratione hujus sacramenti; accedit, quod sacerdos etiam liget, quum opera satisfactionis injungit.

15. II. Obj. Adversus alteram partem: 1. Scriptura constanter Poenitentiam cum Baptismo conjungit, e. gr. Act. II. 38. dicitur: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum:* et alibi saepe. 2. Quapropter Patres omnium prorsus peccatorum remissionem Baptismo tribuunt, uti Augustinus, qui scribit [9]: *Quidquid ab eis, qui post acceptum Baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur;* et clarius adhuc, Apostoli dictum explanans: *Christus dilexit ecclesiam... mundans lavacro;* subdit [10]: *Ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quae posterius... contrahuntur: non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Et s. Fulgentius vocat Baptismum *sacramentum fidei et Poenitentiae.* [11] Ergo.

16. Resp. Ad 1. *D.* Scriptura Poenitentiam prout virtus est in adultis cum Baptismo conjungit, *C.* prout sacramentum est, *N.* Scilicet ut Baptismus cum fructu ab adultis suscipiatur necesse est ut cum Poenitentia, seu detestatione anteactorum peccatorum conjungatur; alioquin peccata non remittuntur. Quoad peccata autem, quae post lavacrum patrantur, non Baptismus sed Poenitentia delet, ut patet ex Simone Mago, Act. VIII. 22, et incestuoso Corinthio, de quo I. Cor. V. coll. II. Cor. II. qui non ad memoriam accepti Baptismi, sed ad Poenitentiam revocantur.

17. Ad 2. *D.* Tribuunt Patres remissionem omnium peccatorum Baptismo ut causae remotae, et conditioni praerequisitae, ut sacramenta ac caetera salutis subsidia vim suam exerant, *C.* ut causae proximae et formali, *N.* Sane s. Augustinus in objectis ipsis locis mentem suam luculentissime aperit; siquidem in *Epist. ad Bonifac.* ibid. prosequitur: *Neque enim aliquid prodest non baptizato dicere: dimitte nobis debita nostra:* et in lib. *De nuptiis*, pariter ibid. subdit: *Quid enim prodesset vel ante Baptismum Poenitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet?* Comparat enim s. Doctor

[7]) *De civit. Dei,* lib. XX. cap. 9. n. 1.
[8]) *Comment. in cap.* XVIII. *s. Matth.*
[9]) *Ep.* CLXXXV. *ad Bonifac.* c. 9. n. 39.
[10]) Lib. I. *De nuptiis,* cap. 33.
[11]) *De fide ad Petrum,* cap. 30.

sacramentum regenerationis generationi carnali; quoniam vero ex hac tum vita tum sanitas tum medicinalis virtus ad recuperandam valetudinem pendent; sic ex generatione spirituali vita, ejusque perfectio, nutritio, amissaeque valetudinis recuperatio, quae per Confirmationem, Eucharistiam ac Poenitentiam habentur, omnino dependent.

18. Sic etiam s. Fulgentius exponit, quo sensu vocaverit lavacrum *sacramentum fidei et Poenitentiae*, quatenus Poenitentia necessaria est adultis ad Baptismum accedentibus, non item vero infantibus.

CAPUT II.

DE CONTRITIONE.

19. Tres partes esse Poenitentiae, cujus veritatem adstruximus, definivit conc. tridentinum, contritionem videlicet, confessionem et satisfactionem, hoc can. IV: *Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti Poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur, aut dixerit duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, cognito peccato, et fidem conceptam ex evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.* De tribus his proinde partibus singillatim nobis agendum est.

20. Jam vero ut a contritione exordiamur, ea ab eadem synodo, Sess. XIV. cap. 4. definitur: *Animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.* Hic autem dolor, *si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur,* ut prosequitur synodus, hominem post Baptismum lapsum *ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit.*

21. Ast hic plura sesse offerunt discutienda, quorum alia de fide sunt, alia sunt proxima fidei, alia denique libere in scholis catholicis agitantur.

22. Ac I. de fide est ex Tridentino, loc. cit.: *Contritionem illam imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed solum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt.* Quam doctrinam synodus, canone V. quem paulo post subjiciemus, anathemate sanxit.

23. II. Fidei proximum est, *contritionem, quam aliquando caritate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum*

actu suscipiatur, ut ibid. prosequitur Tridentinum; quod praeterea docet, *ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Quod confirmant propositiones in Bajo damnatae.

24. III. Ad fidem proinde proxime accedit, saltem post conc. tridentinum, ad Poenitentiae sacramentum rite suscipiendum minime requiri contritionem caritate perfectam, ut contendunt jansenistae, qui *dominantem caritatem* postulant in peccatore ad Poenitentiae sacramentum accedente.

25. IV. In scholis autem catholicis controvertitur 1°. utrum ad justificationem Poenitentiae sacramento obtinendam, praeter attritionem, quae oritur ex consideratione gehennae et poenarum, opus sit aliquo amore initiali. 2°. Utrum hic amor initialis consistat in solo amore spei, seu, ut loquuntur, *concupiscentiae*, quatenus nempe Deus diligitur prout est bonus nobis ac finis noster, an vero in *amore amicitiae* seu *benevolentiae*, quo Deus diligitur propter se, seu quatenus est bonus in se, atque infinitis pollet perfectionibus. Qui adstruunt amorem concupiscentiae, censent, caritatem distingui in perfectam et in imperfectam specie, seu specifico motivo, ita ut amor concupiscentiae sit caritas imperfecta, quae specie differt a caritate perfecta, quae ex ipsis in amore benevolentiae consistit. Qui vero pugnant pro solo amore benevolentiae, docent, caritatem perfectam ab imperfecta distingui, non specie, sed intensitate gradus, ita ut juxta ipsos amor initialis, quem requirunt ad justificationem in sacramento, sit quidem *appretiative* summus, non autem *intensive*. Huc spectat propositio XXXVI. synodi pistoriensis proscripta a Pio VI. uti falsa, qua traditur, quod *fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur.* 3°. Juxta alios, caritas theologica et proprie dicta, quaeque ad justificationem requiritur, in solo amore concupiscentiae nuncupato consistit, non autem in amore amicitiae ac benevolentiae. Hi caritatem perfectam ab imperfecta distinguunt ex motivis; si enim Deus solum diligatur quia bonus nobis est, habebitur caritas perfecta; si vero diligatur cum aliquo extrinseco ei superaddito, vel cum admixtione timoris, erit imperfecta. 4°. Demum disceptant theologi, utrum attritio, quae concipitur ex timore illo, qui oritur ex metu supernaturali poenarum temporalium sufficiat ad justificationem in sacramento, an vero praeterea necesse sit, ut concipiatur ex metu poenarum aeternarum.

26. Nos itaque primo fidei dogma propugnabimus adversus protestantes; deinde catholicae ecclesiae doctrinam adversus jansenistas adstruemus.

PROPOSITIO I.

Contritio illa, quae concipitur ex peccatorum gravitate, multitudine, foeditate, amissione aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursu, cum proposito melioris vitae, est verus et utilis dolor, ac praeparat ad gratiam, non vero facit hominem magis hypocritam ac magis peccatorem; neque est dolor coactus, sed liber ac voluntarius.

27. De fide propositio est ex can. V. concilii tridentini: *Si quis dixerit eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

28. Status quaestionis inter catholicos et novatores versatur circa timorem *servilem* nuncupatum, siquidem omissis timore mundano, qui vitiosus est, et naturali, de quo in praesentia non agitur, timor supernaturalis distinguitur in timorem *servilem filialem* seu *castum*, et in timorem *serviliter servilem*, quem omnes uti vitiosum rejiciunt, utpote qui animum seu voluntatem non avertat a peccato. Jam vero timorem filialem et castum, quo aliquis timet culpam, omnes commendant prout commendant timorem mixtum, quo aliquis timet culpam et poenam. Restat igitur timor simpliciter servilis, de quo disceptatur utrum bonus an malus sit. Servilis porro censetur timor, cum quis gehennae ac poenarum metu legem divinam exsequitur, ac de ejus transgressione dolet, seu is est, qui non solum manum sed et voluntatem cohibet a peccato. Lutherus hunc timorem utpote malum rejicit, ejusque vestigiis insistit Quesnellus; concilium tridentinum e converso declarat eumdem timorem, quatenus voluntatem a peccato retrahit, donum Dei esse, proindeque bonum ac utilem, ac disponere ad justificationem eum, qui de peccatis suis dolet, statuitque non peccare de caetero ad vitanda aeterna supplicia, caeteraque mala, quae peccatum consequuntur.

29. Jam vero timorem hunc Scriptura, Patres et Ecclesia universa uti donum Dei ac idoneum medium proponunt tum ad fugienda tum ad detestanda peccata, tum ad salutarem poenitentiam disponens; ergo bonus et utilis est.

30. Sane peremptoria sunt verba Christi, Luc. XII. 3: *Timete eum, qui postquam occiderit* (corpus), *habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.* Donum vero Dei hunc timorem esse docet Apostolus, Rom. VIII. 15. ubi de christianis ad discrimen judaeorum in veteri lege scribit: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Hunc timorem a Deo efflagitabat David, Ps. CXVIII. dicens: *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* Prophetae omnes constanter hunc timorem

judaico populo ingerebant, ac Jonas eo Ninivitas concussit per comminationem illam: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.*

31. Ex prope innumeris Patrum hanc in rem testimoniis, unum urgemus s. Augustinum, quem suum novatores ac jansenistae faciunt. Ipse igitur: *Ille timor,* inquit [1], *nondum castus praesentiam* (Domini) *et poenas timet. Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est.* Supervacaneum esset alia testimonia post haec verba clarissima ex eodem promere.

32. De ecclesiae doctrina constat tum ex verbis Tridentini allegatis, tum ex damnatione insequentium propositionum Quesnelli in Constit. dogmatica *Unigenitus* a Clemente XI. facta, sunt autem: Prop. 60: *Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.* Prop. 61: *Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.* Prop. 62: *Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo;* ut alias similes omittam. Cumque nonnulli hanc eamdem doctrinam instauraverint, Alexander VIII. rursum has propositiones confixit, nempe prop. 15: *Timor gehennae non est supernaturalis;* et prop. 16: *Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

33. Priusquam difficultates dissolvamus ad praecavendas tricas adnotamus 1°. timorem non posse malum dici per se, sed posse malum evadere pro mala dispositione ejus, qui timore percellitur, seu subjective; 2°. spectari item posse timorem aut absolute, aut respective; absolute seu in se, bonus est: respective ad caritatem, imperfectus, aut potius minus perfectus est, et latiori sensu interdum is malus dicitur, seu minus bonus; 3°. timorem poenarum a Deo infligendarum esse *medium* seu rationem medii habere ad vitandam culpam, non autem habere rationem finis, neque interpretative; 4°. timorem denique ortum ex ordinata erga nosmetipsos dilectione bonum esse ac honestum, cum Deus nos velit ordinate nosmetipsos amare dicens: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

DIFFICULTATES.

34. I. Obj. Joannes I. Epist. IV. 18: *Timor,* inquit, *non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate.* Paulus proinde christianos alloquens, Rom. VIII. 15. dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ergo 1. timor opponitur caritati; 2. habet malum pro objecto; 3. adeoque nec Dei donum est; 4. qui

[1]) *Enarr. in Ps.* CXXVII. n. 8.

cum eo operatur, male agit; 5. juxta illud Apostoli [2]: *Si caritatem non habuero, nihil sum..... nihil mihi prodest.*

35. Resp. Ad 1. *D.* Opponitur timor caritati improprie, ut medium fini, et via termino, aut tamquam minus perfectum magis perfecto, *C.* proprie seu contrarie, ut malum bono, *N.* Alioquin Christus timorem non inculcasset.

36. Ad 2. *D.* Id est, poenam immediate, *C.* mediate, *N.*

37. Ad 3. *Neg.* Contrarium enim ibid. docet Apostolus; unde enim *acceperunt* judaei *spiritum timoris* nisi a Deo?

38. Ad 4. *D.* Si timor ex perversa dispositione subjecti non excludat affectum a culpa, *C.* si excludat, *N.*

39. Ad 5. *D.* Timor sine caritate nihil prodest ad meritum in ordine ad vitam aeternam, *C.* ad justificationem uti dispositio, *N.*

40. II. Obj. Patres docent 1. timorem malum esse; 2. hoc constituunt discrimen inter veterem et novam legem, quod illa timorem injiciens homines deterret ab opere externo, nova vero per amorem etiam cohibeat interiorem animi affectum a culpa. 3. S. Augustinus: *Inaniter putat,* scribit [3], *victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis;* et iterum [4]: *Quando timore poenae*, inquit, *non amore justitiae, fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere.* Ex his igitur aliisque ejusmodi, quae facile afferri testimonia possent, constat s. Augustinum in ea fuisse sententia, timorem poenae hominem efficere hypocritam et magis peccatorem, nec quempiam posse ex puro timore unum effugere peccatum quin incurrat in aliud.

41. Resp. Ad 1. *D.* Timorem mundanum ac *serviliter servilem, C.* timorem Dei *simpliciter servilem, N.* Duas priores species timoris et nos reprobamus, ast timorem de quo disserimus, non solum nemo Patrum condemnat, verum nemo est qui non commendet, et ipso non utatur ad retrahendos homines a peccato, ut patet tum ex apologetis religionis christianae, tum etiam ex ipsis martyrum actis.

42. Ad 2. *D.* Hoc constituunt discrimen uti notam characteristicam inter utramque legem, *C.* in sensu exclusivo, *N.* In utraque lege obtinent timor et amor, ita tamen ut in veteri praevaleret timor, praevaleat autem amor in nova. Hac de causa Patres hanc characteristicam notam assignant inter utramque legem; uti expresse adnotat s. Augustinus. [5] Quum vero Patres interdum docent veterem legem manum tantum per timorem poenae cohibuisse, non cor, disserunt de poenis temporalibus ab hominibus infligendis, non autem de poenis aeternis aut de temporalibus prout infliguntur a Deo.

[2]) I. Cor. XIII. 2.

[3]) *Epist.* CLIV.

[4]) *Contra duas epistol. Pelagianorum,* lib. II. cap. 9. n. 10.

[5]) *De moribus eccles.* lib. I. c. 28. n. 56.

43. Ad 3. *D.* Cum loquitur de timore mundano, aut *serviliter servili, C.* cum loquitur de timore supernaturali, ac *simpliciter servili, N.* Nisi velimus Augustinum cum Augustino committere, nulla alia ratio suppetit quam recensitas species timoris distinguere. Quod vel ipse s. Augustinus effecit, dum graphice characterem timoris *serviliter servilis* depingit similitudine latronis furari volentis, ac luci cupientis deripere, qui impediti nequiverunt explere quod sibi proposuerant, et alter latro, alter lupus permanserunt. [6] Timorem vero simpliciter servilem non modo *bonum* ac *utilem*, ut vidimus, declarat, sed sic auditores suos adhortatur [7]: *Fac, fac timore poenae, si nondum potes amore justitiae.*

44. III. Obj. 1. Timor poenarum oritur ex amore *proprio* seu suimet-ipsius, ergo quo magis quis poenas timet, eo magis se ipsum amare convincitur. Jam vero haec dispositio pessima est, et peccati amorem arguit. 2. Hinc Augustinus: *Qui gehennam metuit,* inquit [8], *non peccare metuit, sed ardere.* Ergo.

45. Resp. Ad 1. *D.* Timor poenarum oritur ex amore sui ipsius *ordinato, C.* inordinato, saltem in casu nostro, *N.* Deus ipse est, qui amorem in nos ipsos ingessit, adeoque si ordinatus sit, bonus est: qui igitur ex amore quo quis semetipsum prosequitur, ne aeternam beatitudinem amittat, aut aeternam incurrat damnationem, timet culpam, bene se gerit, et hac de causa Christus timorem inculcat, ac Deus poenas comminatur. Timor proinde est medium, quo homo utitur ad voluntatem avertendam a peccato, aut ad detestandum commissum. Negamus idcirco pessimam ejusmodi esse dispositionem, uti adversarii autumant. Si quis vero seipsum ut finem ultimum etiam interpretative constituat, malus hic affectus non ex timore in se spectato, sed ex perversa timentis dispositione nascitur, qua fit ut habeatur timor *serviliter servilis*, qui manum cohibet, non cor, de quo hic non disserimus.

46. Ad 2. *D.* Loquens de timore *serviliter servili, C.* de timore *simpliciter servili, N.* Responsio patet ex dictis.

PROPOSITIO II.

Contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum Poenitentiae actu suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur.

47. Haec propositio fidei proxima est, juxta ea, quae ex conc. tridentino praemisimus. Perstringit autem non modo jansenistas, qui proscriptam Baji doctrinam tuentur, verum etiam nonnullos theologos illius principiis plus aequo inhaerentes. Talis est anonymus, quem Bellarminus impugnat [1],

[6]) *Serm.* LXXVIII. *de verb. Apostoli,* n. 10.

[7]) *Serm.* CLXVI. n. 14.

[8]) *Epist.* CXXV. n. 3.

[1]) *De Poenit.* lib. II. cap. 13.

qui contendebat perfecte contritis et caritate flagrantibus non remitti culpam et poenam aeternam sine actuali Baptismi aut Poenitentiae susceptione *nisi forte in articulo mortis;* nec non Estius, qui autumat eas non remitti nisi *raro,* in casu scilicet necessitatis [2], ac demum Aurel. Piette, qui existimat [3], non omnem Dei amorem *super omnia ex certa lege* hominem justificare.

48. Ast perperam. Siquidem doctrina illa fidei proxima censenda est, atque ab omni catholico theologo tenenda, quae expresse traditur ab oecumenica synodo, et rom. pontificibus, quaeque luculentissime Scripturarum ac Patrum innititur auctoritati. Talis porro est doctrina quam enunciavimus.

49. Jam vero a concilio tridentino expresse tradi doctrinam nostram, patet ex ejus verbis superius recitatis; quod vero ad rom. pontifices attinet, patet ex prop. XXXI, XXXII, LXX et LXXI. Baji damnatis a s. Pio V. Gregorio XIII. et Urbano VIII. Caeteris autem omissis, quae sunt de caritate perfecta, prop. LXXI. ita se habet: *Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.* Contradictoria igitur propositio vera et catholica est.

50. Scripturarum vero auctoritati doctrinam hanc inniti ostendunt omnia testimonia, quae per veram conversionem peccata dimitti docent; ut Ezech. XXXIII. 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua;* nec non testimonia illa, quae perhibent peccatum cum caritate consistere haud posse, uti Prov. VIII. 17: *Ego diligentes me diligo;* I. Petr. IV. 8: *Caritas operit multitudinem peccatorum;* Luc. VII. 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Caritas autem est individua comes contritionis.

51. Ex tot Patribus, quos collegit Bellarminus, loc. cit. nos unum aut alterum seligemus. S. Jo. Chrysostomus [4]: *Ubi,* inquit, *caritas est, omnia sublata sunt mala.* S. Augustinus [5]: *Sola caritas extinguit delicta.* S. Leo M. [6]: *Nullas patitur veniae moras vera conversio.* Sanctus Petrus Chrysologus [7]: *Absolvi vis? Ama. Caritas operit multitudinem peccatorum.* His adjicimus s. Thomam, qui scribit [8]: *Quantumcumque parvus sit dolor; dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* Ergo.

DIFFICULTATES.

52. I. Obj. Scriptura ipsa insinuat non semper peccata remitti etiam flagrantibus caritate perfecta. Nam 1. Luc. VII. dicit Christus de muliere poenitente in praesenti: *Remittuntur ei peccata multa,* quamvis dilectio praecesserit: *Quoniam dilexit multum.* Prout 2. adnotant ss. Augustinus, Gregorius M. et s. Bernardus, qui uno consensu docent mulierem illam accessisse

[2]) *Sentent.* IV. dist. XVII. §. 2 et seqq.
[3]) *Elucidat. difficiliorum theologiae quaestionum,* p. IV. qu. 7.
[4]) *Homil.* VII. *in* I. *ad Timoth.*
[5]) *Tract* I. *in* I. *Epist. Joann.* n. 6.
[6]) *Epist.* CVIII.
[7]) *Serm.* CLXXIV.
[8]) *Sent.* IV. dist. 17. qu. 2. art. 3.

aegram, immundam, illotam, ut sanaretur, mundaretur, lavaretur. 3. Hinc Paulo, jam vasi electionis, dixit Ananias [9]: *Exsurge et baptizare et ablue peccata tua.* 4. S. Augustinus proinde scribit [10]: *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat; non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum;* quod exemplo sui ipsius confirmat. [11] Eidem 5. assentitur s. Leo M. qui scribit [12]: *Sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* 6. Demum ipsum conc. tridentinum, Sess. XIII. can. XI. excepto necessitatis casu, et confessarii defectu, omnibus utcumque contritis confessionem injungit antequam ad Eucharistiam accedant. Ergo.

53. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Externa manifestatione coram hominibus, *C.* coram Deo, *N.* Alioquin cum haec eadem verba iterum ibid. pronunciasset Christus dicens: *Remittuntur tibi peccata tua,* bis eamdem absolvisset. Porro verba illa: *quoniam dilexit multum,* juxta Bellarminum, significant magnam dilectionem causam fuisse magnae indulgentiae.

54. Ad 2. *D.* In aestimatione hominum, *C.* in se, *subd.* cum accessit, cucurrit, procubuit necdum perfecta caritate flagrans, *Tr.* cum dilexit caritate perfecta, *N.* Quod expressit s. Bernardus, dicens [13]: *Errabat* (pharisaeus), *qui tamquam peccatricem horrebat, quae divinis inhaerens vestigiis,* etc.

55. Ad 3. *D.* Adimplendo conditionem a Christo praescriptam, vel ad habendum gratiae signum, *C.* quasi adhuc peccatis sordesceret, *N.* Prout contigit Cornelio centurioni cum domo sua, ipso adnotante Augustino. [14]

56. Ad 4. *D.* Quoad catechumenos, qui sine legitima causa differebant susceptionem Baptismi ac interea sibi adblandiebantur de dimissis peccatis, *C.* in se, *N.* Nec enim contritio peccata delet sine voto, quod in illa includitur, aut Baptismi aut Poenitentiae.

57. Ad 5. *D.* Vel in re vel in voto, *C.* in re tantum, *N.* S. Leo hic sibi proposuit peccatores retrahere a procrastinanda Poenitentia.

58. Ad 6. *D.* Ob deceptionis periculum et facilitatem in re tam gravi, *C.* in se, *N.* Aliud est loqui de principio in abstracto, aliud vero de ejus applicatione in concreto. Principium verissimum est ex Tridentino, at quoad applicationem unusquisque de se timere debet, ne forte se decipiat, dum putat illa se contritione aut caritate pollere quam reipsa non habet.

59. II. Obj. Si vera haec doctrina esset, jam sequeretur 1. inutilem fore realem eorumdem sacramentorum susceptionem; 2. falsam evadere Baptismi et Poenitentiae formam; 3. contritionem et caritatem praecedere debere remissionem peccatorum. Quae absurda et erronea sunt. Ergo.

60. Resp. *Neg.* 1. sequelam, quia contritio non remittit peccata nisi virtute sacramenti, quod operatur vel *in voto existens,* ut loquitur s. Thomas [15],

[9]) Act. XXII. 16.
[10]) *De Baptismo,* lib. IV. cap. 22; et *Tract.* XIII. *in Joann.*
[11]) *Confess.* lib. IX. cap. 4.
[12]) *Epist.* CVIII. cap. 2.
[13]) *Serm.* IV. *de dedicat. Eccl.*
[14]) Quaest. 33. *in Numer.* n. 9.
[15]) *Suppl.* qu. 18. art. 1.

vel *in actu se exercens.* Adeoque si ex culpa omittatur actualis sacramenti susceptio, justificatio adepta non prodest.

61. *Neg.* alteram sequelam. Quia sacramenta haec operantur, ut diximus, tum actu, tum voto; quia insuper verba absolutionis et lavacri significant tam primam, quam secundam, ulterioremque justificationem; demum quia ex s. Thoma perinde valent haec verba: *Ego te absolvo,* ac *sacramentum absolutionis tibi impendo,* seu exteriori signo significant quod interius Deus operatus est aut operatur. [16]

62. Ad 3. *D.* Debet contritio praecedere prioritate causae et naturae remissionem peccatorum, *C.* prioritate temporis, *N.*

PROPOSITIO III.

Ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio caritate perfecta.

63. Et haec propositio proxima fidei est ex concilio tridentino, cum non sit nisi necessarium corollarium praecedentis propositionis. Quamvis autem penes antiquos scholasticos saltem ad tempus obtinuerit doctrina ista, obsoleta est post concilium tridentinum, quod serio in illam inquisivit, ob affinitatem quam habet cum errore protestantium.

64. Ita porro ejus veritatem adstruimus: ex Tridentino, Sess. XIV. cap. 4. duplex distinguitur contritio; altera, quae *aliquando* caritate perfecta est, hominemque cum Deo reconciliat, priusquam actu sacramentum suscipiatur, altera imperfecta, quae sine sacramento non justificat, disponit tamen ad Dei gratiam in sacramento impetrandam. Pro certo igitur sumit concilium 1°. non esse necessariam contritionem perfectam ad sacramentum rite suscipiendum, alioquin non solum *aliquando,* sed *semper* peccator justificaretur priusquam ad sacramentum accederet; 2°. peccatorem passim et communiter ad justificationem perduci in sacramento Poenitentiae per solam contritionem imperfectam, seu per attritionem; prout apertius etiam declarat Catechismus romanus. [1]

65. Huc pariter spectat damnatio propositionis LVIII. Baji ita se habentis: *Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui Poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.* Ast si necessaria esset ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum contritio caritate perfecta, reipsa *numquam* ministerio sacerdotis absolventis, sed *semper* a solo Deo peccator vivificaretur. Atque in hac hypothesi hoc sibi proprium vindicaret hoc sacramentum, ut *in re* numquam produceret effectum quem significat, produceret autem *semper in voto,* quod absonum est.

[16]) Part. III. qu. 84. art. 3. ad 5.

[1]) Part. II. cap. 5. n. 38.

DIFFICULTATES.

66. Obj. 1. Doctrina haec a Tridentino damnata non fuit. 2. Eam tribus continentibus saeculis propugnavere uno ore scholastici; immo teste Pallavicino [2], nec defuere qui in ipso concilio illam propugnaverint, et post concilium plures adhuc eidem firmiter adhaeserunt; 3. innixi patrum auctoritati, Augustini praesertim et Gregorii M., qui aperte tradiderunt vivum esse oportere qui peccata confitetur, nec quemquam esse absolvendum nisi quem sacerdos cognoverit vivificatum; idque declarant exemplo Christi, qui leprosum mundatum misit ad sacerdotes, ut ejus mundities declararetur; quique praecepit apostolis ut Lazarum excitatum ab exterioribus vinculis solverent. 4. Hinc s. Thomas scribit [3], quod *ordinatur confessio directe ad dimissionem poenae.* 5. Nec obstant incommoda, quae allata sunt in contraria sententia; siquidem ex ipso conc. tridentino contritio perfecta non justificat nisi dependenter a sacramenti voto, et adversarii ipsi adstruunt verificari formulam absolutionis etiam in iis, qui vivificati ad sacramentum accedunt. Ergo.

67. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen ut eam rejecerit ac improbaverit, *C.* secus, *N.* Ideo vero nullam specialem notam illi sententiae concilium inussit, quod noluerit scholasticos, qui innoxie illam tenuerant nota suggillare.

68. Ad 2. *D.* Antequam doctrina illa reprobaretur ab ecclesia, *Tr.* postquam ab ecclesia reprobata est, *subd.* a jansenistis aut eorum symmystis, *C.* a cordatis theologis, *N.* Horum munus est ecclesiae doctrinam tueri.

69. Ad 3. *Neg.* Immo Patres contraria adeo principia posuerunt, ut cum illis adversariorum sententia consistere nequeat. Talia sunt, sacerdotes vere a peccatis mundare, non autem mundatos peccatores declarare; nonnisi ad preces sacerdotum indulgentiam peccatoribus a Deo concedi; peccatores ad vitam excitari solemni absolutionis ritu, et alia ejusmodi. Quod si interdum docent a Deo vivificari, intelligendi sunt, ut exponit Catechismus romanus, de causa efficiente, cujus sacerdotes sunt causa instrumentalis; aut praeveniri a Deo poenitentes gratia actuali qua ad compunctionem excitantur; quo referuntur exempla leprosi a Christo mundati, ac Lazari a mortuis excitati. Sic enim s. Gregorius M. se ipsum explicat dicens [4]: *Ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat.* Eodem sensu loquitur s. Augustinus, dicens [5]: *Resurrexerunt isti, revixerunt, quibus displicet quod fuerunt, sed reviviscentes ambulare non possunt. Haec sunt vincula ipsius reatus. Opus est ergo, ut, qui revixit, solvatur et ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: Quae solveritis,* etc.

70. Ad 4. *D.* In *Comment.* citato, *C.* cit. in *Summa,* in qua si quid minus caute antea scripserat, emendavit, *N.* Jam vero in part. III. qu. 84.

[2]) Lib. XII. cap. 12. n. 2 seqq.
[3]) *Sent.* IV. dist. 21. art. 2.
[4]) *Hom.* XXVI.
[5]) *Serm.* XCVIII. *de verbis Dom.* c. 6.

art. 2 et 3. aperte docet vere per absolutionem remitti peccata, quia forma sacramentorum id efficit quod significat.

71. Ad 5. *Neg.* Nam ex doctrina Tridentini id unum eruitur, actualem confessionem necessariam esse, quia non sine ejus voto contritio perfecta justificat, prout ipsum concilium docet. Quo sensu etiam verificatur formula absolutionis.

CAPUT III.

DE CONFESSIONE.

72. Confessio definiri solet: *Accusatio peccatorum, quae quis post Baptismum commisit, legitimo sacerdoti facta ad illorum absolutionem obtinendam.* Wicleffus inutilem declaravit confessionem plene contritis. Novatores saeculi XVI. modo utilem praedicarunt confessionem, modo uti carnificinam animarum ac tormentum innocentium exsecrati sunt, aut saltem liberam eam dixerunt. Increduli eadem sese gerunt ratione. Veteres novatiani ac montanistae coarctarunt ecclesiae potestatem in peccatis absolvendis. Jansenistae improbant usum confessionis peccatorum venialium. Hi proinde errores omnes sunt refellendi.

PROPOSITIO I.

Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium, quae post Baptismum commissa sunt, divinae institutionis est et necessaria ad salutem, quod primo ex sacris litteris evincitur.

73. De fide propositio est, quam Tridentinum, Sess. XIV. his canonibus sancivit: Can. VI: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secreto confitendi soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.* Can. VI: *Si quis dixerit, in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant;... anathema sit.* Can. VIII: *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam, a piis abolendam;... anathema sit.*

74. Ex Christi verbis paulo ante allegatis et expensis: *Quaecumque alligaveritis,* etc. *Quorum remiseritis,* etc. sic veritatem propositionis adstruimus: his verbis Christus sacerdotes vere judices instituit peccatorum solvendorum aut alligandorum, remittendorum aut retinendorum; atqui, inquit Tridentinum, cap. 5. *constat sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Quod vel exemplo ipso societatis patet, in qua judices

praevaricationis iniquae rei fierent, nisi prius causa apprime discussa sententiam proferrent.

75. Huc accedit sensus traditionalis totius antiquitatis; quae non alia ratione verba Christi intellexit, prout efficiemus in insequenti propositione. Hic id unum animadvertimus haud esse permiscendam necessitatem confessionis cum *modo* confessionis faciendae sive publice sive secreto, primum enim attingit dogma, alterum vero disciplinam.

DIFFICULTATES.

76. I. Obj. 1. Dato etiam quod sacerdotes judices constituti sint, peccata tamen remittere ac poenas eis debitas decernere non est judicis sed principis. 2. Princeps praeterea judices constituendo non prohibet, quominus subditi possint immediate ad se confugere, quare possunt peccatores immediate sine confessione confugere ad Christum ad remissionem obtinendam, adeoque libera est confessio. 3. Sane absolutio est alieni beneficii executio, non autem judicium; 4. Christus enim mandatum quidem dedit remittendi peccata, non autem peccata cognoscendi; 5. quod patet ex Baptismo, quo licet remittantur peccata, non idcirco ulla exsurgit necessitas peccata pandendi. Ergo.

77. Resp. Ad 1. *D.* Non est judicis peccata ac poenas remittere nomine et auctoritate propria, *C.* nomine et auctoritate principis, atque in casu nostro, nomine et auctoritate Christi, *N.*

78. Ad 2. *D.* Si Christus aliter non constituerit, *C.* si ita voluit, ut nemini dimitterentur peccata nisi virtute clavium quas ipse sacerdotibus contulit, *N.* Jam vero ipsa clavium metaphora id suadet; quorsum enim consignare alicui claves ad claudendum aut aperiendum, si domus aditus omnibus pateret?

79. Ad 3. *D.* Conferendi per actum judicialem, *C.* conferendi quacumque ratione, *N.*

80. Ad 4. *Neg.* Nam hoc ipso, quod Christus dederit potestatem peccata remittendi aut retinendi, mandavit patefactionem et cognitionem peccatorum, sine qua illa potestas exerceri juxta aeqitatem nequit.

81. Ad 6. *Nego* paritatem. Siquidem judicium et sententia non possunt nisi in subditos institui et proferri. Fiunt autem subditi infideles per Baptismum, qui est ecclesiae janua. Potest autem ecclesia catechumenorum dispositionem cognoscere per plura experimenta, quibus reipsa eos subjicit.

82. II. Obj. 1. Nuspiam legimus apostolos fideles ad peccatorum confessionem faciendam compulisse. 2. Immo vero s. Paulus, I. Cor. XI. 28. fideles remittit ad propriae conscientiae discussionem, dicens: *Probet autem se ipsum homo.* 3. Christus, Matth. VI. nos docet a Deo immediate veniam petere illis verbis: *Dimitte nobis,* et Apocalyps. II et III. episcopis delinquentibus non confessionem sed poenitentiam injungit. 4. Sane verisimile non est Christum voluisse in lege gratiae durissimum jugum imponere, cui Deus in lege timoris nec subjecit populum suum. Ergo.

83. Resp. Ad 1. *Tr.* Si quidem plures iique gravissimi auctores, innixi potissimum Patrum graecorum auctoritati, contendunt de confessione intelligenda esse quae scribit s. Jacobus, cap. V. 16: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra,* praesertim cum haec connectantur cum sacramento olei sancti de quo ante locutus Apostolus fuerat. Sed hoc misso, *D.* Non legimus compulisse, *C.* non compulerunt, *N.* Sane nec legimus apostolos infantes tinxisse. Apostoli ea praedicarunt, quae Christus instituit et docuit, cum igitur constet de Christi institutione, inferendum est, fidelibus hanc confessionem injunxisse, cum ea opus haberent.

84. Ad 2. *D.* Ad normam a Christo datam exigendam, *C.* probationem, quae in nuda conscientiae discussione consisteret, *N.*

85. Ad 3. Christus non docuit veniam a Patre petere ac obtinere per media idonea, *C.* his neglectis, *N.* Sed neque obest, quod Christus in Apocalypsi episcopis illis poenitentiam tantum injunxerit, nam in hac caetera includebantur, quae ipsi praestare debebant.

86. Ad 4. Resp. I. hic agi de *facto*, cum proinde de eo constiterit; non est ulterius quaerendum. Resp. II. leve hoc jugum esse, si ratio habeatur tot sacrificiorum, lustrationum, poenarum etiam corporalium, quibus Hebraei subjiciebantur; uberiori praeterea nos gratia donari ad hoc praestandum, quod demum cedit in commodum ac solatium nostrum, ac proprium est legis amoris.

87. III. Obj. 1. Distincta peccatorum confessio interdum impossibilis est aut defectu memoriae, aut cognitionis in discriminandis culpis gravibus a levibus. 2. Perniciosa insuper est, dum ex facilitate veniae causa sumitur relabendi. 3. Periculum exinde oritur tum quoad societatem, quae timere potest ne praetextu confessionis machinationes instruantur; tum etiam quoad confessarios, qui turpibus narrationibus infici possunt; tum denique quoad poenitentes, ne dum memoria foeda recolunt, iis alliciantur. Ergo.

88. Resp. I. generatim, *Neg.* cum fieri nequeat ut quod divinitus institutum est incommoda, quae objiciuntur, ex se pariat. Distingui debet in omnibus legitimus usus ab abusu rei; primus bonus est, alter ex sola hominum malitia provenit.

89. Resp. II. Ad 1. *D.* Prout ab adversariis concipitur, *C.* prout docet ecclesia catholica, *N.* Nam juxta hujus doctrinam non tenemur, nisi ad confitenda peccata quae post diligens examen conscientia suggerit, et juxta gravitatem quam in eis deprehendimus. Si quod dubium praeterea supersit, confessarii ope excutitur.

90. Ad 2. *D.* Ex malitia et abusu, *Tr.* ex vi confessionis, *N.* Nam si illae afferantur dispositiones quae ad rite suscipiendum sacramentum hoc requiruntur, certe id non sequitur.

91. Ad 3. *D.* Ex abusu, *Tr.* ex usu legitimo, *N.* Ac 1°. non solum nihil habet ex confessione pertimescendum societas, sed plura bona sunt quae sibi polliceri potest, cum homines reddantur meliores, cum ad restitutionem laesi honoris aut ad reparationem damni illati poenitentes adigantur,

ad machinationes potius detegendas obligentur, et ab iis moliendis retrahantur. 2°. Confessarii sibi prospicere possunt oratione, et sanctitate hujus ministerii propria, atque ex consideratione judicii subeundi. Si qui aliter se gerunt, ipsi viderint. Interim rom. pontifices salutaribus Constitutionibus huic periculo prospexerunt. 3. Poenitentes, si ea qua par est verecundia, et in amaritudine cordis sui proprias noxas patefaciant, a quovis et ipsi periculo longe absunt.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas ostenditur ex traditione.

92. Protestantes primum affirmabant recentem esse confessionis usum et praxim; deinde veritatis luce compulsi, licet antiquum hunc usum fassi sint, saltem recentem esse illius obligationem et ab Innocentio III. inductam saec. XIII. in concilio lateran. IV. nunc communiter autumant. Utrumque erroneum ac falsum esse nobis ostendendum est.

93. Itaque primo necessitatem confessionis adstruunt omnes Patres illi, qui eam repetunt ab institutione Christi, ita ut non aliter quam per sacerdotes, quibus patefacta crimina fuerint, venia illorum obtineri possit. Porro tales sunt ex latinis ss. Cyprianus; Ambrosius, Innocentius I., Leo M., Augustinus, Gregorius M. Hic brevitatis gratia unius Cypriani verba describimus ex lib. *De lapsis*, ubi cum multa de necessitate confessionis etiam occultorum peccatorum, quamvis solius cogitationis, disseruisset, concludit: *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest; dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Reliqua testimonia per saecula singula digesta recoli possunt apud Muzzarellium, in *Opusc.* XIII. Ex graecis autem Origenes, s. Basilius, et s. Joann. Chrysostomus, inter quos Origenes haec scribit [1]: *Est adhuc et septima licet dura ac laboriosa per Poenitentiam remissio peccatorum... cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quaerere medicinam secundum eum, qui ait: Dixi, pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.*

94. Ad alterum vero quod attinet, scilicet ad usum et praxim confessionis, ut omittam documenta, quae se protendunt a saec. XII. nempe ante Innocentium III. usque ad saec. VI. ex quibus patet luculentissime exstitisse confessarios principum vivorum, imperatorum, militum, fidelium in genere, infirmorum, confessionum formulas; contenti erimus ea urgere quae a saeculo V. de hoc usu occurrunt usque ad saec. II. inclusive. Itaque saeculo V. s. Augustinus, ut fideles inducat ad tempestivam poenitentiam, sic eos alloquitur [2]: *Quia si ad ultimum vitae steterit, nescit, si ipsam Poenitentiam accipere, ac Deo et sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Saec. IV. s. Ambrosius, ut refert ejus biographus Paulinus, n. 39. *quotiescumque illi aliquis ob percipiendam Poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum*

[1]) *Hom.* II. *in Levit.* n. 4. [2]) *Serm.* CCCXCIII.

flere compelleret. Saec. III. Origenes scribit [3]: *Dura et laboriosa Poenitentia... cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quaerere medicinam.* Saec. II. labente refert s. Irenaeus de mulieribus a Marco praestigiatore seductis, quod *postea ad Dei ecclesiam reversae cum reliquo suo errore hoc quoque confessae sunt:* aliae autem hoc crimen confiteri veritae *a vita Dei desperaverunt.* [4] Non desperassent profecto, si liberum usum confessionis mulieres istae credidissent. Tertullianus *eos* damnat qui *publicationem sui suffugere aut de die in diem differre praesumunt, pudoris magis memores quam salutis.* [5] Quum vero hi Patres uno ore a Christi institutione confessionem hanc repetant, evidens est saec. I. eamdem viguisse doctrinam.

95. Huc accedunt sectae omnes quae longe ante Innocentium ab ecclesia catholica divisae sunt, ut Graeci, Armeni, Aethiopes, aut nestoriana haeresi aut monophysitica infecti, aut schismate, apud quos eadem doctrina et praxis adhuc viget. Adeoque, quod consequens est, non ab Innocentio III. sed ab ecclesia catholica, quae a Christo hanc doctrinam habuisse semper professa est, eam receperunt.

DIFFICULTATES.

96. I. Obj. Allata documenta non agunt nisi de confessione soli Deo facienda; 2. aut de confessione quadam generica peccatorum publicorum; 3. aut libera devotionis causa suscepta, qualis apud monachos viguit. 4. Alioquin reddi non posset ratio silentii, quod apud Sanctorum biographos invenitur, qui numquam exomologesim fecisse ante obitum perhibentur; 5. nec non silentii circa confessarios institutos sive in nosocomiis, sive in exercitibus. 6. Sane nonnisi recentiore aetate tot eruperunt *Summae* ac *Summulae, Instructiones* confessariorum. Ergo.

97. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim adducti Patres loquuntur de confessione *Deo* et *sacerdoti* facienda, uti s. Augustinus; aut Deo *per sacerdotem*, ut Anastasius Sinaita [6], alioquin absurdum foret disserere de pudore propter quem haud pauci retrahebantur a confessione, uti testantur Tertullianus et Cyprianus cum aliis.

98. Ad 2. *Neg.* Nam Origenes scribit [7]: *Si quid in occulto gerimus; si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.* Eadem habet s. Cyprianus.

99. Ad 3. *Neg.* Alioquin mulieres, de quibus scribit s. Irenaeus, a vita Dei non desperassent, quae profecto non erant sanctimoniales.

100. Ad 4. Resp. Immo multiplicem rationem ejusmodi silentii reddi; ac 1°. quia plures martyrio naevos suos abluebant; 2°. quia plerique nonnisi levioribus se maculis inquinabant, quibus tollendis confessio necessaria non est; 3°. quia etsi eam fecerint, biographi antiqui minuta haec persequi

[3]) *Hom.* II. *in Levit.* n. 4.
[4]) Lib. I. *Cont. haeres.* cap. 4 et 13.
[5]) Lib. *De Poenitent.* cap. 8.
[6]) *De sacra synaxi,* n. 5.
[7]) *Hom.* III. *in Lev.* n. 4.

non consueverunt, ut patet etiam ex eo quod plerumque omittant quoque mentionem facere de percepta a Sanctis, instante morte, Eucharistia. 4°. His addimus argumentum negativum esse, quod eliditur per positiva documenta quae attulimus, nec esse generale. Siquidem de s. Eligio legimus in ejus vita ipsum totius anteactae vitae maculas ante obitum per confessionem eluisse.

101. Ad 5. *D.* Id est, non legitur praefectos sacerdotes fuisse excipiendis confessionibus in nosocomiis, in exercitu etc., *Tr.* praefecti reipsa non fuerunt, *N.* Nam alterum ex altero non sequitur, alioquin nimis probaretur, cum pariter non legamus Eucharistiae infirmis aut militibus dispensandae praefectos sacerdotes fuisse.

102. Ad 6. *D.* Si *Summae, Summulae, Manipula, Medullae* etc. ad essentiam confessionis spectarent, *C.* secus, *N.* Longe olim majori simplicitate antiqui hac in parte se gerebant, Scripturam, canones, sanctiones pro norma habebant casibus solvendis. Et quemadmodum theologia theoretica seu speculativa nonnisi sequioribus saeculis scientifica methodo tradi coepit, ita et moralis disciplina.

103. II. Obj. Omnes catholicorum conjecturas evertit celebre Nectarii factum quod ann. 390. contigit. Cum enim nobilis quaedam mulier, ut refert Socrates [8], patefecisset in confessione se turpem cum diacono consuetudinem habuisse, et *cum eam ob causam ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudaemon quidam ecclesiae presbyter Alexandria oriundus episcopo Nectario suasit, ut poenitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere.* Jam vero si confessio auricularis aboleri potuit, jure infertur eam non divinae, sed ecclesiasticae institutionis esse. Ergo.

104. Resp. *Neg. min.* quae supponit vere abolitam confessionem esse, cum abolitum tantum fuerit poenitentiarii munus, quod, eodem ibid. referente Socrate, sub Decio institutum fuerat. Porro hoc munus complectebatur mixtum tribunal et excipiendi confessiones, et adigendi in nonnullis casibus poenitentes ad denunciandum complicem, ut procedi in eum in foro exteriori posset. Duplicem haec mulier confessionem fecerat, primam totius anteactae vitae, et alteram fecit *progressu temporis,* in qua patratum cum diacono stuprum confessa est. Post hanc secundam confessionem a presbytero poenitentiario compulsa mulier est ad denunciandum diaconum, qui propterea ejectus est, atque exinde orta in clerum dicteria. Ob haec munus presbyteri poenitentiarii ad tempus saltem Constantinopoli abrogatum est, et confessio ad pristinam simplicitatem revocata. Quod etiam constat ex Sozomeno [9], qui agnoscit *necessitatem* auricularis confessionis, scribens: *Cum in petenda venia peccatorum necessario confiteri oporteat,* nec non ex s. Joanne Chrysostomo, Nectarii successore, qui in synodo ad Quercum ab aemulis suis accusatus est de nimia facilitate in absolvendis poenitentibus, quorum confessiones

[8]) *Hist. Eccl.* lib. V. cap. 19.

[9]) Lib. VII. cap. 16.

excipiebat, ut refert Socrates [10], et ex actis conciliorum constat apud Harduinum. [11] Ex his patet ars critica Calvini, Chemnitii, Dallaei caeterorumque haereticorum, qui hoc factum adhuc obstrudunt, ex quo magis elucet tum necessitas tum praxis confessionis sacramentalis saec. IV.

105. III. Obj. Non defuerunt sive ante sive post conc. lateranense IV. qui negarent necessitatem auricularis confessionis. Ante quidem Gratianus qui in suo *Decreto dist.* 1. *de Poenitentia* commemorat sapientes ac religiosos viros docentes *sola cordis contritione et secreta satisfactione absque oris confessione quemquam posse Deo reconciliari,* quin tamen sic sentientes fuerint aut a conc. cabillonensi, aut a Petro Lombardo censura notati. Post concilium vero Joannes Semeca Gratiani glossator, qui eamdem oralis confessionis necessitatem rejicit, prout etiam docuit Petrus de Osma nuncupatus. Ergo.

106. Resp. *D. A.* Nonnulli obscuri canonistae, *Tr.* plures iique alicujus nominis, *N.* Quoad Gratianum non desunt, qui dubitent distinctionem de Poenitentia illius esse; verum et hoc praetermisso, intelligi potest ejus doctrina de justificatione, quam quis obtinet contritione caritate perfecta cum confessionis voto, si confessarii desint, prout etiam nunc temporis catholici sentiunt. Exploratum enim est doctores Gratiano coaevos necessitatem confessionis ut dogma admisisse. Quod si reipsa aut Gratianus aut Joannes Semeca, aut nonnulli alii contrarium senserunt, turpiter errarunt, et ex sola ignorantia traditionis excusari possunt; qua de causa tum a conc. cabillonensi, tum a Magistro sententiarum censura notati non sunt. Petrus autem de Osma ut haereticus damnatus est a Sixto IV. ejusque cathedra combusta.

PROPOSITIO III.

Nullum est peccatum, quod rite dispositis ab ecclesia virtute clavium remitti non possit.

107. Propositio est de fide, ut patet ex montanistis et novatianis, qui hac de causa uti *haeretici* ab ecclesia damnati sunt. Montanistae tria peccata subtrahebant potestati clavium, idololatriam, homicidium, moechiam. Novatianus et Novatus schismatis auctores subtraxerunt lapsum in idololatriam, ipsorum asseclae ulterius progressi negarunt prius posse ab ecclesia graviora crimina remitti, deinde omnia lethalia peccata post Baptismum admissa. Sociniani aliqua saltem ex parte immiti huic doctrinae adhaesere.

108. Sic autem propositionis nostrae veritatem evincimus: Si quae peccata essent, quae virtute clavium ab ecclesia remitti non possent, ideo foret, aut quia Christi verba, Matth. XVIII: *Quaecumque solveritis* etc., et Joann. XX: *Quorum remiseritis* etc., intelligi deberent de Baptismo; aut quia Christus ipse aliquam exceptionem fecisset; aut quia denique ad solos apostolos personaliter dicta sunt. Atqui nihil horum admitti potest.

[10]) Lib. VI. cap. 21.

[11]) Tom. I. col. 1042.

109. Etenim de solo Baptismate adducta verba intelligi non posse, paulo ante confecimus. Exceptionem porro quamlibet generalissima Christi verba non patiuntur; ut enim optime scribebat s. Pacianus [1]: *Quaecumque solveritis, inquit* (Christus). *Omnino nihil excepit: quaecumque inquit vel magna vel modica;* et s. Ambrosius [2]: *Deus*, inquit, *distinctionem non fecit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* Quod confirmat exemplo incestuosi Corinthii, et Simonis magi haereticorum omnium parentis, quorum alteri venia data est, alteri poenitentia indicta. Tertium denique admitti nequit, quin et Baptismi caeterorumque conferendorum sacramentorum facultas desiisse cum apostolis dicatur, quod est absurdum, cum Christus in bonum ecclesiae perduraturae usque ad consummationem saeculi ejusmodi facultatem concesserit.

110. Quapropter vix montanistae ac novatiani novam hanc doctrinam invexere, quum uno animo Patres in illam, tamquam in *immanissimam* haeresim insurrexerint, eamque damnaverint.

DIFFICULTATES.

111. I. Obj. 1. Christus, Matth. XII. 31. coarctavit potestatem datam absolvendi illis verbis: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Apud Joannem proinde dicitur [3]: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Et Paulus scribit [4]: *Impossibile est, eos; qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam;* et ibid. X. 25: *Voluntarie enim nobis peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia;* quod cap. XII. confirmat 2. exemplo Esau, *qui non invenit Poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisivisset eam.* Ergo.

112. Resp. Ad 1. *D.* Et haec aliaque ejusmodi testimonia arguunt difficultatem remissionis ratione habita pessimae dispositionis in subjecto, seu in ejusmodi peccatoribus, *C.* arguunt potestatis limitationem in ecclesia quoad rite dispositos, *N.* Siquidem nec unum ex his testimoniis afficit ecclesiae facultatem, sed omnia vel Deum immediate, vel peccatores attingunt; adeoque plus probarent, quam adversarii vellent, nec Deum scilicet, cujus misericordiae ejusmodi peccatores remittebant, posse illis peccata remittere. Haec difficultas igitur oritur solum ex pessima delinquentium istorum dispositione, sive ejusmodi peccata consistant in voluntaria apostasia, sive in aperta cognitae veritatis impugnatione, sive in alio ejusmodi, ut interpretes varie exponunt, nec vacat hic diutius inquirere.

113. Ad 2. *D.* Non invenit Esau locum poenitentiae in patre, qui ratam

[1]) *Epistola* IV. *ad Sympronianum.*
[2]) *De Poenit.* lib. I. cap. 3. n. 10.
[3]) Epist. I. cap. 5. 16.
[4]) Hebr. VI. 4.

habuit benedictionem collatam Jacob, *C.* de peccatis suis, *N.* Nec enim de his sermo est.

114. II. Obj. Patres hanc agnoverunt exceptionem, 1. Hermas enim *Pastor* de scelestis hominibus scribit [5]: *Hujusmodi homines morti sunt destinati;* et auctor *Constit. Apost.* de eo, *qui velut acie rebelli tentat Deum,* affirmat [6], quod *venia carebit.* 2. Origenes et Theognostus apud s. Athanasium [7], allegata Apostoli verba de relabentibus in peccata post Baptismum intellexere, quos propterea docent *misericordiam non consecuturos.* 3. Ss. Cyprianus et Ambrosius tradunt nonnullorum peccatorum nonnisi Deum misereri posse; et ss. Athanasius et Hieronymus peccatum in Spiritum S. vocant *irremissibile, inveniabile, indeprecabile.* 4. Sane ecclesia interdum quorumdam criminum reos a reconciliatione arcebat vel in ipso mortis articulo. Ergo.

115. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *N.* Neque enim hi auctores de facultate ecclesiae loquuntur, sed de prava illorum peccatorum dispositione, uti exposuimus.

116. Ad 2. *D.* Qui proinde errarunt, adeoque refellendi sunt, prout eos confutat ibid. s. Athanasius, *C.* recte senserunt, *N.*

117. Ad 3. *Neg.* Etenim s. Cyprianus loquitur de lapsis recusantibus satisfactionem confisis martyrum precibus, statuitque Dei solius esse ita peccata remittere, ut nullam satisfactionem exigat. Tantum vero abest, ut s. Ambrosius irremissibilia peccata doceat, ut contrarium expresse adstruat contra novatianos, et virginem lapsam ad poenitentiam admiserit. Dum vero s. Athanasius et s. Hieronymus *irremissibile* peccatum in Spiritum S. praedicant, nonnisi de prava subjecti dispositione loquuntur.

118. Ad 4. *D.* In nonnullis ecclesiis particularibus et quidem ad tempus, *Tr.* in ecclesia universali, *N.* Incertum primo est, utrum reipsa documenta, quae pro hac sententia afferuntur, de totali ac perpetua negatione absolutionis loquantur; sed et hoc dato, hic usus contrarius fuit praxi universalis ecclesiae, neque provenit ex eo quod putaverint ecclesiae illae sibi coarctatam a Christo esse facultatem absolvendi, quod nobis satis est, quidquid de critica hac quaestione sentiendum sit.

PROPOSITIO IV.

Recta ac utilis est peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea.

119. Haec propositio, quae jansenistas impetit ac synodum pistoriensem, certa est. Etenim a Pio VI. in *Const. Auctorem fidei, declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones,* damnata

[5]) Lib. III. *Simil.* IV. n. 2.
[6]) Lib. II. cap. 23.
[7]) *Ep.* IV. *ad Serapion.* n. 9.

est uti *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi, a s. conc. tridentino probatae, contraria.*

120. Sane conc. tridentinum, Sess. XIV. cap. 5. haec docet: *Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Hujus propterea *rectae* et *utilis* confessionis piorumque hominum usui consentaneae frequentiam, valde commendat s. Franciscus Salesius in sua *Philothea.* [1]

121. Hinc videmus hunc usum apud veteres obtinuisse. Siquidem Tertullianus plura venialia peccata inter remissibilia virtute clavium recenset. [2] S. Cyprianus, lib. *De lapsis* refert de fidelibus aetatis suae, quod *salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus a sacerdotibus per exomologesim requirerent.* S. Basilius, in *Regulis brevius tractatis*, *interrog.* IV. hanc praxim apud sanctimoniales obtinuisse testatur. S. Augustinus: *Semper confitere,* inquit [3], *semper habes quid confitearis.* Mabillonius, in *Praef. ad Acta Sanctorum Benedictinorum,* saec. III. pluribus adductis documentis, ostendit praxim frequentis confessionis venialium tum apud monachos, tum apud pios laicos viguisse. Alia plura adjiciunt Morinus [4], Martenius [5], Renaudotius [6], et Chardonius. [7] Ergo.

DIFFICULTATES.

122. Obj. 1. Hic usus in antiquitate non obtinuit; 2. experientia docet confessionem vilescere ex nimia ejusmodi frequentia; 3. peccatores, pro quibus ecclesia orare consuevit, non amplius agnoscerentur. Ergo.

123. Resp. Ad 1. *Neg.* Contrarium enim ostendunt documenta, quae attulimus.

124. Ad 2. *Neg.* Quin immo experientia evincit longe melioribus dispositionibus praeditos ad confessionem accedere, qui frequenter leves noxas suas diluunt, quam qui semel in anno ad idem tribunal accedunt. Si abusus nonnulli irrepunt, hi corrigendi sunt, non usus tollendus ex quo tot bona proveniunt, inter quae non infimum locum tenet major animi tranquillitas, cum saepe accidat conscientiam angi in dubio utrum culpa gravis an levis fuerit, quod apprime discutere difficillimum esse s. Augustinus fassus est. [8]

125. Ad 3. *N.* Ecclesia enim orat pro omnibus; quod si praxis obtineret, ut nonnisi graves peccatores ad confessionem accederent, plures se ab ipsa retraherent, ne proderent conscientiae statum, gravesque saltem suspiciones de se excitarent. Hic porro scopus jansenistarum est in hac doctrina.

[1]) Part. II. cap. 19.

[2]) *De pudicitia,* cap. 19.

[3]) *Enarr. in Ps.* XCIX. n. 6.

[4]) *De Poenit.* lib. V. cap. 3, 5 et 32.

[5]) *De antiq. Eccles. ritib.* lib. I. p. II. cap. 5. art. 5.

[6]) *De perpet. fidei,* tom. V. lib. III. c. 6.

[7]) *Hist. Sacram.* tom. II. cap. 6.

[8]) *De civit. Dei,* lib. XXI. cap. ult.

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE.

126. Satisfactio, quae pars integralis est sacramenti Poenitentiae, definiri solet: *Compensatio injuriae Deo nostris peccatis illatae.* Duplex enim in peccato reatus invenitur, *culpae* et *poenae.* Reatus poenae aeternae semper remittitur una cum culpa: ut plurimum tamen illo dimisso, remanet reatus poenae temporalis adhuc subeundae vel in hac vel in altera vita. Tolli autem et hic potest, ut docet Tridentinum, Sess. VI. cap. XIV. per eleemosynas, orationes et jejunia, aliave pia opera aut poenas sive sponte susceptas sive patienter toleratas sive a sacerdote injunctas. Protestantes sub ecclesiae reformandae praetextu commodiorem viam invexerunt ad se liberandos a poenis temporalibus consectandis et a satisfactione Deo praestanda, autumantes hoc esse injuriosum Christo, cum Deus nobis ejus merita per fidem imputet. Contra quos sit

PROPOSITIO I.

Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo, sed plerumque, poena aeterna virtute clavium sublata, poena temporalis manet exsolvenda.

127. Propositio de fide est ex can. XII. sess. XIV. concilii tridentini: *Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo; . . . anathema sit.*

128. Ex sacris litteris propositionis veritatem evincunt notissima exempla Adae, Moysis, Aaron, David praesertim, quibus quamvis Deus culpam dimiserit, deque ejus remissione certior David factus fuerit, gravissimis tamen poenis temporalibus mulctati sunt.

129. Patres uno consensu necessitatem satisfactionis praedicasse post culpas dimissas fatetur ipse Calvinus, qui scribit [1]: *Dicam simpliciter, omnes fere Patres, quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse aut nimis aspere et dure locutos.* Non est igitur quod solliciti simus in eorum testimoniis colligendis. Speciminis gratia sit s. Cyprianus, qui: *Dominus,* inquit [2], *orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus.* Cujus rei hanc reddit rationem s. Augustinus, dicens [3]: *Ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena.*

130. Quapropter Tridentinum, Sess. cit. cap. 8. haec praeclare habet: *Sanae et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati, et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono,*

[1]) *Inst.* lib. III. cap. 4. §. 38.
[2]) Lib. *De lapsis.*
[3]) *Tract.* CXXIV. *in Joann.* n. 5.

scientes templum Dei violare, et Spiritum S. contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die irae.

DIFFICULTATES.

131. I. Obj. 1. Deus passim protestatur se plene peccata dimittere, dicens Is. XLII. 25: *Peccatorum tuorum non recordabor;* et Ezech. XXXVIII. 12: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* 2. Christus superabundanter satisfecit pro peccatis nostris non solum quoad culpam et poenam aeternam, sed etiam quoad poenas temporales. 3. Hinc nuspiam legimus in N. T. pro dimissis peccatis injunctam esse poenitentiam, nec publicano, nec mulieri poenitenti, nec servo cui dimissum est omne debitum, nec Petro, aut alii cuiquam. Ergo.

132. Resp. Ad 1. *D.* Quoad culpam et poenam aeternam, *C.* quoad poenam temporalem, *N.* Alioquin neque ab Adam, neque a David, neque a caeteris quos enumeravimus poenitentibus poenas temporales poposcisset.

133. Ad 2. *D.* Ita tamen ut satisfactionibus nostris applicemus nobis satisfactionem Christi, *C.* secus, *N.* Non aliter nobis prosunt merita et satisfactio Christi quam per eorum applicationem, ut suo loco ostendimus.

134. Ad 3. *D.* Ob causas peculiares, *C.* ad exclusionem satisfactionis in N. T., *N.* Nam 1°. Christus utpote supremus Dominus potuit omnem etiam satisfactionem remittere, quod nequeunt ejus administri; 2°. perfecta etiam contritione et caritate potuerunt illi praediti esse, cujus Christus utpote cordium scrutator, inspector erat. Nunc vero addimus Petrum culpam suam toto vitae tempore flevisse, et crucis patibulo expiasse. De caeteris Scriptura silet, nescimus proinde an non etiam poenis temporalibus illi suas culpas diluerint. Certe Paulus Corinthio incestuoso poenam satis gravem imposuit.

135. II. Obj. 1. Satisfactio ex indebitis fieri debet, nihil autem nos habemus quod Deo titulo creationis, redemptionis et sancitficationis non debeamus. 2. Deinde ratio clamat, quod, sublata causa, scilicet culpa, tolli debeat effectus, nempe poena. Ergo.

136. Resp. Ad 1. *D.* Nisi Deus voluerit id quod possumus, et ea qua valemus ratione offerre, gratuito acceptare, *Tr.* vel *C.* secus, *N.* Porro hoc ipso quod Deus poenas seu satisfactiones a nobis poscat, declarat se eas acceptare.

137. Ad 2. *D.* Si effectus a causa pendeat, ut sit et conservetur, *C.* si pendeat a causa, ut producatur in esse permanente, *N.* Alioquin sublato gladio cessaret vulnus et dolor, sublato artifice cessaret opus ab eo confectum, et ita porro.

PROPOSITIO II.

Possunt et debent ministri Poenitentiae salutares et convenientes satisfactiones poenitentibus injungere.

138. De fide propositio est a Tridentino, Sess. XIV. sancita hoc can. XV: *Si quis dixerit, claves ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; ... anathema sit.*

139. Profluit porro haec doctrina ex constitutis in propositione praecedenti. Evincitur autem ex continenti ecclesiae traditione. Etenim Patres omnes quovis tempore docuerunt claves a Christo ecclesiae concessas non solum ad solvendum, verum etiam ad ligandum salutaribus et convenientibus satisfactionibus. Caeteris omissis documentis paulo ante adductis, hic adjicimus verba Innocentii I. qui scribit [1]: *De pondere aestimando delictorum sacerdotum est judicare, ut attendat ad confessionis poenitentis..... ac tum jubere dimitti* (poenitentem), *cum viderit congruam satisfactionem suam.* Tot praeterea testes habentur ecclesiae fidei ac praxeos, quot supersunt canones ac libri poenitentiales, qui regulas hujus injungendae satisfactionis tradunt.

140. Et haec quidem adversus protestantes. Nunc aliquid adjiciendum contra jansenistas, qui contendunt satisfactionem necessario praemittendam absolutioni esse. Licet vero antiqua disciplina ferret, ut satisfactio reconciliationem praecederet, non ita tamen servata haec consuetudo est, ut nullam pateretur exceptionem. Etenim ex Cypriano novimus constitutum in conc. carthaginiensi III. fuisse, ut instante persecutione, omnibus absolutio et eucharistia daretur, qui apte fuissent dispositi, adeoque nedum completa, sed neque incoepta satisfactione, quod pluribus aliis exemplis fieri consuevisse ostendit Morinus [2], et cum eo Natalis Alex. [3] Viguit praeterea a duodecim et amplius saeculis in utraque ecclesia praxis tribuendi absolutionem et admittendi ad sacram synaxim poenitentes ante completam injunctam satisfactionem. Nequit igitur sine ingenti temeritate accusari ecclesia ob disciplinam quam hodiedum servat, quin in crimen vocetur universa antiquitas.

141. Cum proinde Petrus de Osma docuisset: *Non peracta poenitentia, confitentes absolvi non debere;* a Sixto IV. haec propositio in *Const.* data ann. 1479. haeretica nota confixa est. Sic etiam Alexander VIII. hanc proscripsit propositionem, n. 15: *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id quodam modo dictante.* Clemens vero XI. proposit. LXXXVII. Quesnelli pariter damnavit: *Modus plenus sapientia, lumine et caritate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati,*

[1]) *Epist. ad Decent.*
[2]) *De Poenitent.* lib. X.
[3]) *Diss.* IX. in saec. III. prop. 2.

petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei antequam reconcilientur. Cumque eamdem doctrinam instaurasset synodus pistoriensis, proposit. XXXV. eam Pius VI. in cit. *Constit.* rejecit uti *falsam, temerariam, communi praxi ecclesiae injuriosam, inducentem in errorem, haereticali nota in Petro de Osma confixam.*

DIFFICULTATES.

142. Obj. 1. Apostolus, Rom. VIII. 1: *Nihil,* inquit, *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Si *nihil,* ergo tum quoad culpam tum quoad poenam. 2. Ad Ephesios vero, c. IV. 28. a conversis unice exigit, ut *qui furabatur, jam non furetur.* 3. Exponens s. Jo. Chrysostomus Apostoli mentem, haec scribit [4]: *Non inquit* Apostolus *si puniamus, si supplicium de nobis sumamus; sed si dijudicaremus, hoc est, si nostra tantum voluerimus peccata cognoscere, si nos ipsos condemnare, liberaremur ab hujus et futuri saeculi suppliciis.* 4. Sane nulla est ratio, cur imponendae sint in sacramento Poenitentiae satisfactiones, cum nullae in Baptismo injungantur. 5. Quod si vetus ecclesia consuevit injungere satisfactiones poenitentibus, non ad vindictam, sed ad certamina et exercitationes novae vitae, et ad aliorum aedificationem ita se gessit. Ergo.

143. Resp. Ad 1. *D.* Renatis per Baptismum, *C.* poenitentibus post Baptismum, *subd.* quoad reatum culpae et poenae aeternae, *C.* quoad reatum poenae temporalis, saltem de via ordinaria, *N.*

144. Ad 2. *D.* Praecipue, et quidem quoad renatos ex Baptismo, *C.* solum et quoad lapsos post Baptismum, *N.*

145. Ad 3. *D.* In ordine ad supplicia a Deo immissa aut immittenda in hac vel in altera vita, *C.* ad exclusionem satisfactionum sacramentalium, *N.* En quomodo de his s. Jo. Chrysostomus, eadem Apostoli verba expendens, loquatur [5]: *Audi Paulum dicentem: Quoniam si nos judicaremus. . . Et quomodo, inquies, de nobis judicabimus et a nobis rationes expetemus? Luge, acerbe ingemisce, te ipsum humilia et afflige,* etc.

146. Ad 4. *Neg.* Sed hanc assignat Tridentinum rationem, Sess. XIV. c. II. quia per Baptismum nova efficimur creatura, adeoque plenam et integram peccatorum omnium remissionem assequimur, *ad quam novitatem et integritatem per sacramentum Poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.*

147. Ad 5. *Neg.* Etenim ecclesia non solum ob recensitas causas, verum etiam ad satisfaciendum Deo pro admissis peccatis satisfactiones injunxit, ut constat ex apertissimis Patrum testimoniis, quae attulimus.

148. Dices cum jansenianis: Patres satisfactionem *pretium,* absolutionem *mercedem* vocarunt. Ergo illa semper absolutioni praemitti debet.

149. Resp. *D.* Ita vocarunt Patres satisfactionem et absolutionem, ut rationem afferrent disciplinae, quae tunc temporis passim obtinebat, *C.* ut

[4]) *Homil.* XXVIII. *in Ep.* I. *ad Cor.* [5]) *Homil.* XIV. *in Matth.*

significarent, ut autumant janseniani, ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni ex Christi institutione, ac natura sacramenti servandum, *N.* Quod patet ex exceptionibus satis frequentibus, quibus ipsimet hunc ordinem inverterunt.

CAPUT V.

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

150. Duplex materia distinguitur: *remota* et *proxima.* Remota rursum aut *necessaria* est aut *libera.* Necessaria sunt omnia lethalia peccata post Baptismum commissa; libera peccata venialia, aut etiam lethalia alias rite confessa. Materia haec remota sive necessaria sive libera ea est, ut loquuntur scholae, *circa quam* versatur sacramentum. In hoc conveniunt omnes. At circa materiam proximam, seu *ex qua,* ut aiunt, sacramentum conficitur, controversia viguit inter thomistas et scotistas. Utrique fatentur *contritionem, confessionem* et *satisfactionem* partes esse Poenitentiae, quas aliis verbis vocant *actus* poenitentis, easque Tridentinum dixit *quasi materiam* hujus sacramenti; quia, ut exponit Estius [1], materia Poenitentiae non est aliquid physicum uti elementa, e. gr. aqua, oleum, panis etc., sed sunt actiones, quae idcirco non ita *proprie* materia vocari possunt. Itaque thomistae contendunt recensitos actus veram materiam proximam hujus sacramenti constituere; scotistae vero censent ejusdem materiam proximam esse absolutionem a sacerdote poenitenti impertitam, quatenus est ritus sensibilis, et habere rationem formae, quatenus significat effectum sacramenti. Maldonatus sententiam thomistarum vocat *communem,* scotistarum autem *veriorem.* [2] Fundamenta utriusque sententiae expendi possunt apud respectivae scholae theologos.

151. Sed jam de forma. Protestantes contendunt absolutionem non esse nisi declarativam remissionis peccatorum, non autem ejusdem effectivam; quem errorem mox refellemus. Interim theologi omnes consentiunt eam consistere in verbis illis: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Perinde autem videtur, seposito ecclesiae praecepto, quoad rei substantiam, sive ea modo *indicativo,* sive modo *deprecativo* pronuncientur. Exploratum enim est ex certissimis documentis non aliam viguisse usque ad saec. XII. in ecclesia occidentali hujus sacramenti formam praeter deprecativam, uti praeter Morinum [3], ostendit Martenius [4]; in ecclesia autem graeca adhuc vigere eamdem deprecativam formulam ex ejus Euchologiis constat apud Goarium et Arcudium. Quae *facta* nullis concutiuntur ratiocinationibus sive Suarezii sive Simonneti.

152. Circa ministrum desipuere tum protestantes autumantes quemlibet fidelem clavium potestatem a Christo accepisse; tum waldenses, wicleffitae et hussitae, qui potestatem absolvendi tribuerunt laicis probis, dene-

[1]) *Sent.* IV. dist. 15. §. 2.
[2]) *Tract. de Poenit.* part. III. *thes.* VII.
[3]) *De Poenit.* lib. VIII. cap. 8 seqq.
[4]) *De antiq. eccl. ritibus,* lib. I. part. II. cap. 6. art. 5. §. 12, et art. 7.

garunt sacerdotibus pravis. Sic etiam desipuerunt nonnulli ecclesiae perturbatores sub finem elapsi saeculi, dum affirmarunt approbationem episcopalem ad excipiendas confessiones non esse collationem jurisdictionis seu facultatis absolvendi, sed merum idoneitatis testimonium, cum sacerdotes omnes vi ordinationis accipiant eam facultatem; tum etiam ex eodem principio intulerunt sin minus licite, saltem valide posse omnes absolvere a casibus reservatis. Hanc doctrinam suam fecit synodus pistoriensis. Contra hos omnes sit

PROPOSITIO I.

Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus judicialis, et non nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti.

153. De fide est; hunc enim can. IX. sess. cit. Tridentinum edidit: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum. . .; anathema sit.*

154. Ostenditur autem ejusdem veritas illis ipsis Scripturarum et traditionis testimoniis, quibus veritatem hujus sacramenti adstruximus. Etenim Christus, Joann. XX. apostolis dixit: *Quorum remiseritis peccata,* non autem *quorum declaraveritis remissa peccata esse.* Rursum idem Christus, Matth. XVI et XVIII. dixit: *Quodcumque ligaveris. . . quodcumque solveris;* vel: *Quaecumque alligaveritis. . . et quaecumque solveritis.* Quae certe veram solutionem important, non vero nudam solutionis declarationem. Hoc vero magis patefit ex metaphora clavium, qua usus est Christus; claves enim vere traduntur ad claudendum aut aperiendum domus ostium, non autem ad declarandum apertum vel clausum ostium esse. Nisi igitur vim inferamus Scripturae verbis, fatendum est actum quo sacerdotes absolvunt actum esse vere judicialem, et non nudum ministerium declaratorium.

155. Id ipsum conficitur ex allegatis Patrum testimoniis, ex quibus discimus 1°. Christum delere peccata sacerdotum ministerio; 2°. sacerdotes sedere judices in tribunali Poenitentiae; 3°. illorum sententiam ratam in coelis esse; 4°. sacerdotes hac potestate praestare angelis et archangelis ipsis. Controversia ipsa, quae saec. II et III. excitata est a montanistis et novatianis adversus catholicos quoad potestatem clavium, hanc eamdem veritatem luculenter ostendit, quae ridicula plane fuisset, si unice fuisset versata circa meram declarationem remissionis peccatorum. Ergo.

DIFFICULTATES.

156. Obj. 1. Verbum *remittere* interdum in sensu *declarandi* usurpari constat ex Luc. VII. 48. cum Christus mulieri poenitenti dixit: *Remittuntur tibi peccata tua,* cum jamdiu eidem peccata fuissent remissa. 2. Hunc autem sensum subesse huic verbo, Joann. XX. patet ex voce *retinere;* nec enim retinent sacerdotes peccata, nisi quatenus declarant esse retenta, seu non dimissa. 3. Quod confirmat officium judicis, cujus est tantum declarare ali-

quem reum aut innocentem esse respectu legis. 4. Praesertim cum Christus proprie non constituerit sacerdotes judices peccatorum, sed personarum utrum dispositae rite sint nec ne, dicens: *quorum remiseritis peccata ... quorum retinueritis;* 5. prout reipsa nonnulli scholastici docuerunt. Ergo.

157. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem Christus, loc. cit. tum v. 47. tum v. 48. in eodem sensu *remissionis* dixit: *Remittuntur peccata;* in praecedenti quidem versiculo dum Pharisaeo patefacit remitti peccata mulieri; in insequenti vero dum hoc ipsum peccatrici confirmat.

158. Ad 2. *Neg.* Nam prout peccata subjiciuntur per confessionem clavibus, sacerdotes eodem actu judiciali eadem aut retinent aut remittunt.

159. Ad 3. *D.* Si judices fuerint *meri* seu exsecutores, *C.* si sint *mixti* seu auctoritate suprema praediti, *N.* Tales porro sunt sacerdotes ex Tridentino, quos Christus *suos vicarios tamquam judices* et *praesides* constituit.

160. Ad 4. *D.* Christus constituit sacerdotes judices personarum in ordine ad peccata juxta diversas dispositiones remittenda aut retinenda, *C.* secus, *N.* Ideo enim sacerdotes expendunt dispositiones poenitentium, ut eos a peccatis solvant, aut non solvant. Deinde omne dubium tollitur ex Matth. XVIII. ubi Christus in recto dixit: *Quaecumque alligaveritis, quaecumque solveritis.*

161. Ad 5. *D.* Iique pauci, qui statim confutati sunt, *C.* plures et innoxie, *N.* Eos enim refellit Richardus a s. Victore, qui illorum sententiam profert apud Morinum, op. cit. lib. VIII. cap. 2. n. 8.

PROPOSITIO II.

Soli sacerdotes sunt sacramenti Poenitentiae ministri.

162. De fide pariter propositio haec est juxta can. X. concilii tridentini, sess. cit.: *Si quis dixerit, non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis* etc. *Quorum remiseritis* etc., *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per corruptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.*

163. Jam vero allegata Christi verba, quibus innititur facultas absolvendi, ad solos apostolos eorumque in sacerdotio successores pertinere universa antiquitas uno consensu semper agnovit. Hujus rei testes sunt omnes latinorum rituales libri. Graecorum et orientalium omnium Euchologia, quae eruditi viri Martenius, Renaudotius, Morinus, Assemanus, collegerunt; nec non Patres omnes utriusque ecclesiae. De Origene, Tertulliano et Cypriano constat ex superius adductis eorum testimoniis; quibus nunc addimus ex graecis s. Basilium, qui scribit [1]: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita est dispensatio;* ex latinis s. Ambrosium, qui: *Jus hoc*, inquit [2], *solis permissum sacerdotibus est.* Et haec speciminis gratia.

[1]) *Regul. brev. Interrog.* CCLXXXVIII. [2]) *De Poenit.* lib. I. cap. 2. n. 7.

164. Pravitatem porro sacerdotum non officere quominus ipsi valide absolvant, constat ex iis, quae disputavimus in *Tract. de sacr. in genere;* definivitque iterum tridentina synodus in can. cit. cujus prior pars haec est: *Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere;... anathema sit.*

DIFFICULTATES.

165. Obj. 1. S. Jacobus, in Epist. sua, cap. V. 16. indiscriminatim omnibus scribit: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* 2. Ad quae verba alludens s. Augustinus: *In omnibus*, inquit [3], *Scripturis divinis utiliter ac salubriter admonemur ut peccata nostra debeamus jugiter et humiliter, non solum Deo, sed etiam sanctis et Deum timentibus confiteri. Sic enim per Jacobum apostolum*, etc. 3. Nec desunt certissima documenta, ex quibus constat in necessitatis casu etiam diaconis tributam facultatem esse excipiendi delicti exomologesim, ut ait s. Cyprianus [4], manum imponendi ad Poenitentiam, et dandi pacem; prout pariter faciendum esse statuerunt concilia illiberitanum ac triburiense in Hispania; eboracense et londinense in Anglia; Odo episcopus parisiensis in Gallia; Petrus Cantor insuper et subdiaconos docet posse *ligare, auctoritate Papae, non sua;* apud Morinum. [5] Quod confirmatur ex jure canonico, cap. *Fures extra, de furtis.* Innumera pariter suppetunt apud Martenium et Mabillonium documenta de confessione non solum diaconis, sed etiam inferioribus clericis, immo et laicis facta, quandoque etiam abbatissis a respectivis subditis. 4. Sane in necessitatis casu omnes tingere possunt, ergo et absolvere.

166. Resp. Ad 1. *Neg.* Aut enim Jacobi textus accipitur de confessione sacramentali cum plerisque Patribus, et in hoc sensu cum iisdem Patribus coarctari debet ad solos presbyteros ecclesiae, quos in vers. immediate praecedente advocandos dicit ad inungendos infirmos; aut cum aliis de humili confessione qua quis se peccatorem profitetur, et in hoc sensu non est ad rem.

167. Ad 2. *Neg.* Sermo siquidem adductus Augustini foetus non est; agitur praeterea in eo de confessione caeremoniali.

168. Ad 3. *D.* Quae tamen documenta non attingunt nisi exomologesin caeremonialem, et relaxationem poenitentiae canonicae in foro externo, *C.* exomologesin sacramentalem, et absolutionem in foro interno, *N.* Hoc sensu exponit haec ipsa documenta Morinus in *recognitione operis sui de Poenitentia,* in quo illa congesserat. Et hoc quidem respectu diaconorum; relate vero ad subdiaconos aliosque inferiores clericos et laicos, quae de auditis ab his referuntur confessionibus, intelligi debent de confessionibus, quas, absente sacerdote, faciebant poenitentes humilitatis ergo tum ad excitandos se ad contritionem, tum ad implorandas ecclesiae preces. Quas quidem confes-

[3]) *Hom.* XII.
[4]) *Epist.* XII.
[5]) Op. cit. lib. VIII. cap. 23.

siones *quodam modo sacramentales* vocat s. Thomas [6], qui illis tribuebat analogice quamdam vim ex opere operantis gratiam producendi. Hic usus perduravit fere usque ad saec. XVI. deinceps vero penitus obsolevit. Exinde rite explicari possunt quae ex conciliis, jure canonico, et Petro Cantore objecta sunt. Quoad abbatissas vero, illae confessiones non consistebant nisi in quadam conscientiae ratione, quam subditae tamquam matri reddebant, prout adhuc fit in nonnullis religiosis institutis. Si quis obrepsit abusus, illico sublatus est.

169. Ad 4. *Nego* paritatem, quia Christus diversa ratione statuit, quae spectant ad horum sacramentorum administrationem.

PROPOSITIO III.

Ad valide absolvendum in sacramento Poenitentiae, praeter potestatem ordinis requiritur potestas jurisdictionis.

170. Certa ac fidei proxima propositio est, ut constat ex nota inusta propositioni XXXVII. synodi pistoriensis a Pio IV. in *Const. Auctorem fidei,* quae *sic intellecta, quod ad validum usum hujus potestatis* (absolvendi), *non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam,* damnatur ut *falsa, temeraria, erronea, et concilio tridentino contraria.*

171. Verba concilii tridentini, Sess. XIV. cap. 7. ad quae alludit summus pontifex, haec sunt: *Quoniam natura et ratio illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Haec porro verba nihil aliud significare possunt, quam jurisdictionis supervenientis ordini necessitatem ad valide absolvendum, alioquin absurda evaderent.

172. Quod magis adhuc patet ex rom. pontificibus, qui saepius declararunt nullam ac irritam illius sacerdotis absolutionem esse, qui destitutus alterutra jurisdictione sit. Sane Benedictus XIV. in *Constit. Sacramentum Poenitentiae,* his verbis confessario omnem facultatem ademit absolvendi complicem in peccato turpi: *Sublata propterea illi* (confessario) *ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus.* Hoc ipsum analogia confirmat deducta a tribunali civili, in quo irritam pronunciarent sententiam judices jurisdictione destituti.

173. Posset praeterea, nisi ageretur cum catholicis, haec doctrina evinci

[6]) *Supplem.* qu. 8. art. 2. ad 1.

ex sensu totius antiquitatis, ex cujus documentis constat ab initio solos episcopos absolvisse, nec nisi processu temporis, adscitos ab iisdem fuisse monachos ad hoc munus, crescente poenitentium multitudine, nec umquam alios sacerdotes hanc sibi facultatem arrogasse, uti ostendit Christianus Lupus [1], nec non Martenius. [2]

174. Ex his infertur 1°. episcopalem approbationem ad excipiendas confessiones, non esse merum *idoneitatis* testimonium, sed veram potestatis et jurisdictionis collationem, 2°. sine antistitum approbatione, et jurisdictionis potestate, non solum *illicite,* sed prorsus *invalide* administrari sacramentum Poenitentiae.

DIFFICULTATES.

175. Obj. 1. Sacerdotibus omnibus vi propriae ordinationis, ut cum conc. tridentino docet Catechismus romanus duplex competit potestas, altera in corpus Christi *reale*, altera in corpus Christi *mysticum,* seu in fideles omnes, qui hoc ipso subditi sacerdotum evadunt, quin alia jurisdictione opus sit. 2. Alioquin sequeretur, ad valide absolvendum, praeter potestatem divinam, requiri potestatem humanam, et illam ab hac pendere, absolutionem proinde non jam conferri in nomine J. C. sed in nomine episcopi. 3. Nec obstat debere sententiam in subditos ferri, siquidem cum fidelis coram sacerdote se sistit, hoc ipso se ejus subditum constituit; 4. eo vel magis, quod administratio sacramenti Poenitentiae constituta sit ad instar *compromissi* inter poenitentem et confessarium, sacerdos enim est judex *compromissarius* a Christo institutus inter Deum offensum et peccatorem, a quo laesa divina justitia est; peccator propterea fit subditus voluntarius illius sacerdotis, ad quem confitendus accedit. Ergo.

176. Resp. Ad 1. *D.* Ita tamen, ut quoad exercitium altera pendeat a materia idonea, altera vero a subditis assignandis, *C.* secus, *N.* Profecto ex ordinatione sacerdotali facultas absolvendi provenit; quod nemo inficiatur; at exerceri facultas haec non potest nisi in subditos, qui non habentur sine potestate ordinaria aut subdelegata, uti ex dictis patet.

177. Ad 2. *Neg.* Siquidem jurisdictio tantum se habet ut conditio, qua potestas absolvendi, in ordinatione a Deo collata, in praxim seu in actum deducatur. Per eam enim subditi assignantur, in quos possint sacerdotes ministerium suum exercere.

178. Ad 3. *D.* Si in arbitrio cujusvis fidelis esset sibi judices eligere, *C.* si hoc pendeat a legitima auctoritate, *N.* Alioquin etiam in causis civilibus possent cives sibi judices constituere, quod nemo dicet. Possunt igitur fideles quemcumque sacerdotem eligere ex approbatis.

179. Ad 4. *Nego*, tum quia novum hoc paradoxum *compromissi* pugnat cum doctrina Tridentini, Sess. XIV. cap. 5. declarantis, *Christum... sacer-*

[1]) *Dissert. de peccator. ac satisfaction. indulgentiis,* cap. 2.

[2]) Op. cit. lib. I. part. II. cap. 6. art. 6. §. 2.

dotes sui ipsius vicarios reliquisse tamquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, adeoque independenter a fidelium electione; tum quia in judicio *compromissario* nulla requiritur jurisdictio, ex eodem tamen concilio nisi sacerdotes ordinaria aut subdelegata *jurisdictione* praediti sint, absolutio nulla est.

PROPOSITIO IV.

Episcopi jus habent reservandi sibi casus etiam in foro interno coram Deo; ideoque sacerdotes, qui extra mortis articulum nihil possunt in casibus reservatis, invalide prorsus ab iis poenitentes absolvunt.

180. De fide propositio est ex Tridentino, Sess. cit. can. XI. definiente: *Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque adeo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.* Cohaeret autem haec definitio cum ejusdem concilii doctrina tradita, ibid. cap. 7. ubi dicitur: *Hanc autem delictorum reservationem* (quam rom. pontifex quoad universam ecclesiam, episcopi autem in suis dioecesibus faciunt) *consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere... Extra articulum mortis, sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.*

181. Jure proinde merito Pius VI. binas propositiones synodi pistoriensis proscripsit, nempe XLIV. asserentem: *Reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem;* quae propositio declaratur *falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva;* et XLV. in qua synodus spem patefacit, reformatum iri Rituale una cum ordine Poenitentiae, quae eisdem fere censuris notatur.

182. Jam vero jus penes summum pontificem, ac respectivos praesules esse reservandi sibi nonnullos casus etiam in foro interno coram Deo, quoad eos qui se catholicos profitentur, satis ostendunt allegatae auctoritates; quoad protestantes vero lutheranos, quos directe ferit canon tridentinus, evincitur tum ex natura hujus sacramenti, tum ex antiquae ecclesiae sensu et praxi. Ac primo ex natura hujus sacramenti, quod ex dictis, institutum a Christo est ad modum forensis judicii; nemo autem inficiatur in civili foro non paucas causas superiori tribunali, quandoque vero ipsi principi reservatas esse. Quod vero spectat ad antiquitatis sensum et praxim, exinde patet, quod antiquitus soli episcopi a peccatis absolvere consueverint, et si quando ministerium hoc sacerdotibus demandarunt, sibi atrociorum criminum absolutionem reservaverint. Exemplo sint tria delicta canonica nuncupata, idololatria, homicidium et moechia, a quibus simplices sacerdotes reos absolvere nequibant; interdum soli rom. pontifici reservatum erat homicidium, ut constat

ex Actis s. Redonis. Episcopus Synesius saec. IV. ad Theophilum patriarcham alexandrinum absolvendum remisit Lampronianum presbyterum, ut habetur ex ejusdem Synesii *Epistola* LXVII. ad eumdem Theophilum. Plura praeterea hujus rei documenta suppetunt apud Martenium, Morinum et Chardonium, qui in opp. citt. ea collegerunt. Ex quibus etiam janseniani arguuntur, qui toties provocant ad *venerandam antiquitatem.*

DIFFICULTATES.

183. Obj. 1. Christus illimitatam contulit sacerdotibus absolvendi facultatem illis verbis: *Quorum remiseritis* etc. *Quaecumque solveritis* etc.; nulla igitur reservatio fieri peccatorum potest. 2. Tridentinum eamdem in sacerdotibus potestatem agnoscit in corpus Christi reale, ac in ejus corpus mysticum; porro illa ita suspendi nequit, ut invalide consecrent, ergo neque haec ita coarctari, ut invalide absolvant. 3. Quod potissimum valet respectu episcoporum et parochorum, qui cum auctoritate polleant ordinaria, nequit ipsis jurisdictio coarctari quin ab officio removeantur. Ergo.

184. Resp. Ad 1. *D.* Quae tamen quoad exercitium limitari possit, *C.* quae limitari nequeat, *N.* Constituto semel principio, quod aliud sit facultas, aliud facultatis exercitium, reliqua sequuntur. Etenim quoad personas ad hoc exercitium necesse est ut subditi designentur; quoad causas ut ab eo, in quo residet suprema potestas, illae non subtrahantur, ut fit etiam in foro civili. Suprema autem haec potestas quoad episcopos residet in rom. pontifice; quoad sacerdotes residet praeterea in respectivae dioeceseos episcopo.

185. Ad 2. *Nego* paritatem. Facultas enim consecrandi unice pendet a potestate ordinis a qua dispesci nequit; facultas vero absolvendi quoad exercitium pendet praeterea a potestate jurisdictionis, quae si desit, ut idem concilium, cap. 7. declaravit, *nullius momenti* erit absolutio collata a sacerdote, excepto mortis articulo, in quo nulla est reservatio.

186. Ad 3. *Neg.* Quamvis enim episcopi et parochi praediti sint potestate ordinaria, haec tamen *subordinata* est potestati supremae, a qua proinde in aedificationem coarctari potest tum quoad subditos, ut diximus, tum quoad causas.

187. Et haec de sacramento Poenitentiae, ad quod rite administrandum magna opus est caritate et prudentia, praeter scientiae apparatum et sanctitatis ornamentum. Quae paucis complexus est s. Gregorius M. in *Reg. pastorali,* part. II. cap. 6. scribens: *Sit itaque amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens.* Quas dotes aetate hac nostra prae se tulit s. Alphonsus Maria de Liguori, cujus doctrina saepe adeo ab apostolica Sede commendata est.

TRACTATUS

DE INDULGENTIIS.

PROOEMIUM.

1. Divina dispositione constitutum est, ut dimissa culpa ac poena aeterna, persolvendae remaneant, uti ostendimus in superiore Tractatu, poenae temporales vel in hac vel in altera vita, si casum excipias perfectae caritatis. Huic fundamento innituntur satisfactiones, quas poenitentibus confessarii injungunt. Verum sacramentales ejusmodi satisfactiones longe absunt ab adaequanda gravitate culparum nostrarum. Ut huic defectui occurri posset, misericors Deus dedit ecclesiae suae facultatem has ipsas, quae persolvendae adhuc satisfactiones supersunt, vel ex toto vel ex parte relaxandi vi clavium, quas ei commisit. Hae porro relaxationes sunt, quae indulgentiarum nomine veniunt.

2. Est igitur indulgentia: *Remissio poenae temporalis adhuc post remissam culpam et poenam aeternam peccatis debitae, in foro interno coram Deo valida, facta per applicationem thesauri a superiore legitimo.* Ex qua definitione pronum est colligere 1°. objectum hujus remissionis sive indulgentiae esse poenas temporales, quae subeundae essent post culpae et poenae aeternae condonationem; 2°. subjectum esse fideles adultos rite dispositos; ministrum superiorem legitimum, seu pro universa ecclesia rom. pontificem, ac episcopos in propria dioecesi intra limites sibi constitutos; 3°. ejusmodi remissionem, quamvis detur in foro externo, seu extra sacramentum ab iis qui jurisdictione gaudent, valere tamen in foro interno seu coram Deo; 4°. adeoque per modum suffragii extendi eam posse etiam ad animas in pur-

gatorio degentes; 5°. remissionem demum hanc dari virtute clavium, quibus applicantur satisfactiones Christi, nec non sanctorum omnium, quae constituunt ecclesiae thesaurum nuncupatum.

3. Adversus indulgentias insurrexerunt ab initio fere rei christianae montanistae; deinde vero waldenses et wicleffitae; demum Lutherus, qui exinde occasionem sumpsit perduellionis vexillum erigendi contra ecclesiam Dei, et Calvinus, qui virus, quo plenus erat, hac ipsa de causa in ecclesiam evomuit. Sectae omnes ex his progenitae nescio quae monstra in indulgentiis finxerunt, lepidasque fabulas invexere. Doctrinam ecclesiae catholicae circa indulgentias janseniani eorumque asseclae saltem temerarie aggressi sunt, autumantes eas non esse nisi relaxationes poenitentiae canonicae in foro ecclesiastico solum validas; thesaurum vero ecclesiae commentum esse a scholasticis excogitatum.

4. Vindicias catholicae doctrinae de indulgentiis acturi adversus hos omnes, accurate secernere debemus ea, quae de fide sunt, ab iis, quae sunt fidei tantum proxima, atque ab iis, quae libere in scholis agitantur.

5. Duo de fide sunt, 1°. esse in ecclesia potestatem divinitus traditam concedendi indulgentias; 2°. indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse.

6. Sunt autem proxima fidei 1°. indulgentias valere in foro interno coram Deo; 2°. has ipsas indulgentias applicari posse animabus in purgatorio detentis per modum suffragii; 3°. dari denique in ecclesia thesaurum, seu collectionem satisfactionum Christi, sanctorum et electorum omnium, cujus dispensatio spectet ad rom. pontificem, et ad episcopos intra praescriptionem canonum.

7. Quaestiones vero domesticae versantur circa dispositiones, conditiones, indulgentiarum fructum, aliaque ejusmodi, quae, vindicatis aut ad fidem aut ad sinceram catholicam doctrinam spectantibus, exponemus.

PROPOSITIO I.

Est in ecclesia potestas a Christo concessa conferendi indulgentias, earumque usus est christiano populo maxime salutaris.

8. Dogmatica seu de fide propositio est quoad ambas suas partes. Haec enim habet Tridentinum, Sess. XXV. in decreto de indulgentiis: *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant.* Exinde in fidei professione a Pio IV. edita, quisque profiteri debet, *indulgentiarum potestatem a Christo in ecclesia relictam esse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse.*

9. Priorem autem partem evincimus tum ex Scriptura tum ex traditione, atque ecclesiae antiquae praxi. Etenim Christus ait Petro [1]: *Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis;* et iterum omnibus apostolis [2]: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Jam vero si haec verba in amplissima sua ac nativa significatione accipiantur, non modo includunt remissionem seu solutionem a reatu culpae et poenae aeternae, verum etiam solutionem a reatu poenae temporalis. Porro eorumdem coarctandam significationem esse numquam adversarii evincent, cum ejusmodi limitationem nuspiam Scripturae insinuent, excludantque interpretationis regulae, sensus ac praxis constans ecclesiae, ut mox ostendemus. Ergo per ea Christus ecclesiae potestatem fecit poenas etiam temporales relaxandi peccatis debitas, seu concedendi indulgentias.

10. Haec confirmantur ex metaphora clavium, qua in hac conferenda potestate usus est Christus. Qui enim alteri domus claves confert, non solum facultatem communicat eam claudendi et aperiendi, sed insuper id efficiendi citius aut serius removendo obstacula, si quae sint, ad aditum patefaciendum. Cum igitur Christus regni coelorum claves ecclesiae suae tradiderit, hoc ipso eidem contulit potestatem citius in illud filios suos introducendi per remotionem reatus poenae temporalis, qui illius ingressum impediret. Eo vel magis, quod in allegatis verbis tam late pateat vox *solvendi,* ac vox *ligandi;* sed haec, ex alibi demonstratis, se extendit ad injungendas poenas temporales, ergo et illa se protendit ad harum poenarum relaxationem.

11. Hac usus est potestate Apostolus [3], dum incestuosum Corinthium judicavit *cum virtute Domini Nostri Jesu tradere satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C.,* eumdem, anno vix expleto, ab injuncta poenitentia solvit, rescribens [4]: *Sufficit illi objurgatio haec, quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis. . . Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* De poenitentiae sane condonatione locum hunc intellexere s. Jo. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, et Oecumenius ex graecis in hunc locum, nec non s. Ambrosius et s. Pacianus ex latinis.

12. Eodem quo exposuimus sensu ecclesiam Christi verba intellexisse constat 1°. ex usu qui per decem plus minus saecula perduravit, ut feria V. in coena Domini ab episcopis absolverentur ab omni ulteriori poena, qui in capite Quadragesimae confessi fuerant peccata sua. Cujus praxis meminerunt s. Ambrosius [5], s. Leo M. [6], concilium carthaginiense IV. can. VIII. et aga-

[1]) Matth. XVI. 19.
[2]) Ibid. XVIII. 18.
[3]) I. Cor. V. 4.
[4]) II. Cor. II. 6.
[5]) *De Poenit.* lib. I. cap. 15.
[6]) *Serm.* II. *de Quadragesima,* cap. 4; et *Serm.* VI. cap. 4.

thense, can. XV. et Ordo romanus [7], praeter alia documenta quae magno numero collegit Eusebius Amort. [8]

13. Constat 2°. ex relaxatione, quam episcopi indulserunt lapsis ulterioris poenitentiae ad preces martyrum, quam coram Deo validam esse testatur Tertullianus adhuc catholicus [9], ac s. Cyprianus tum in lib. *De lapsis*, tum in pluribus epistolis, in quibus interdum invehitur in nimiam ejusmodi condonationis facilitatem.

14. Constat 3°. ex can. XII. conc. nicaeni I. qui est hujusmodi: *Licebit episcopo de his* (poenitentibus) *aliquid humanius cogitare;* seu prout prudentia dictaverit, vel ex toto vel ex parte poenitentium poenam relaxare. Idipsum jam constituerat concilium ancyranum, can. V. ac deinceps laodicenum confirmavit can. II. ut praeteream monumenta insequentis aetatis, in qua ipsi adversarii fatentur doctrinam et praxim hanc largiendi indulgentias obtinuisse.

15. Quod vero spectat ad alteram propositionis partem, qua asserimus utiles ac maxime salutares ejusmodi relaxationes seu indulgentias esse, facile ejus veritas ex dictis colligitur. Si enim Christus ecclesiae suae potestatem contulit has poenas remittendi; si ecclesia pro tradita sibi facultate quovis tempore ea usa est has poenas condonando, evidens est indulgentiarum usum et utilem et maxime salutarem esse populo christiano. Sane cum hae nonnisi rite dispositis ac poenitentibus, nec nisi sub conditionibus quae pietatem foveant ac poenitentiae spiritum, concedantur, pronum est inferre, earum largitionem fidei, spei, caritatis, devotionis, pietatisque augmentum promovere, prout reipsa experientia quotidiana patefacit, nec adversarii ipsi diffitentur.

DIFFICULTATES.

16. I. Obj. adversus primam partem: 1. Christi verba: *Quodcumque solveris, Quaecumque solveritis,* ad Poenitentiae sacramentum referuntur, quo solo perinde ac sacramentis reliquis ex catholicorum doctrina gratia confertur, trahi igitur nequeunt ad potestatem largiendi indulgentiam. 2. Neque id melius conficitur ex facto incestuosi Corinthii, quem cum Apostolus prius excommunicasset, postea in communionem recepit. 3. Nemo profecto potest ab eo dispensare, quod juris divini est, cujusmodi satisfactio censetur pro culpis admissis, ut patet ex Deut. XXV. 2: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* 4. Sane sive rom. pontifex sive episcopi nequeunt per indulgentias relaxare eas poenas, quas sacerdos jure divino, in quo nullum agnoscit superiorem, injunxerit. Ergo.

17. Resp. Ad 1. *D.* Etiam, *C.* solum, *N.* Potestas enim clavium ad utrumque forum se extendit, ac in utroque ecclesia reipsa eum semper exercuit, tum scilicet in sacramento ligando et solvendo a peccatis; tum

[7]) *Biblioth. maxima Patrum*, Lugd. tom. XIII.

[8]) *Diss. praelim. apologetica pro indulgentiis*, §. 2.

[9]) Lib. *Ad Martyres*, cap. 2.

extra sacramentum ligando poenis et censuris, atque ab eis solvendo. Cum vero indulgentiae tribuantur in foro externo poenas relexando temporales, opus non est gratiae collatione, quae unice necessaria est ad remittendas culpas in sacramento.

18. Ad 2. *Neg.* Non solum enim Apostolus incestuosum Corinthium excommunicavit, sed praeterea poenis eum subjecit, ut patet ex iis, quae habet I. Cor. V. 14; scribit enim se tradidisse eum satanae *in interitum carnis,* quae profecto non minima poena est. Adeoque una cum excommunicatione poenas temporales ei inflixit, et cum eum in communionem recepit, condonavit reliquam peragendam poenitentiae partem, et quidem *ex persona Christi.*

19. Ad 3. *D.* Nisi id fiat potestate a Deo seu a Christo accepta, *C.* hac obtenta, *N.* Alioquin multo minus possent sacerdotes culpas ipsas remittere. Quod adjicitur ex Deuteronomio, non respicit nisi forum politicum, seu civile, in quo etiam a suprema potestate possunt plagae remitti.

20. Ad 4. *D.* Si rom. pontifex aut episcopi concedendo indulgentias relaxarent satisfactionem sacramentalem a sacerdote injunctam, *Tr.* si solum satisfactiones aliunde debitas, *N.* Transmisimus prius distinctionis membrum, cum in illa hypothesi, quae nunc temporis locum non habet, sin minus *directe* irritando sententiam sacerdotis, saltem indirecte id efficere possent tollendo poenae reatum.

21. II. Obj. adversus alteram partem. 1. Nequeunt non esse perniciosae indulgentiae, cum per eas fideles exonerentur satisfactionibus, quibus erga divinam justitiam adstricti sunt; 2. desides fiant in operibus bonis consectandis, unice solliciti de alienis satisfactionibus sibi comparandis; 3. imminuatur proinde in ipsis horror peccati, quod tanta facilitate expiari potest; 4. etiamsi nunc temporis indulgentiae minus abusivae sint, quam olim fuerint, tamen negari non potest conciliari eas minime videri cum principiis moralitatis, dum levissimis actibus exterioribus e. gr. osculo cruci impresso, possit aliquis solvi a gravissimis debitis quibus erga Deum detinetur; 5. multo vero minus conciliari possunt cum divina misericordia et justitia quoad eos, qui ratione temporis, loci etc., nequeunt illa opera adimplere, quibus indulgentiae adnexae sunt, ut contingit extra Urbem aut Italiam degentibus, qui proinde acerbissimis suppliciis destinantur. 6. Verum rem conficit insolubile dilemma a Graeco-Moscovita non ita pridem theologis occidentalibus propositum: vel indulgentiae, quae nonnullis in casibus dispensantur christianis, non dantur absolute, sed peculiarem poenitentiam et absolutionem supponunt, et sunt inutiles; vel indulgentiae applicant merita Christi peccatoribus vi apostolicae potestatis, absolute, independenter a qualibet poenitentia, et sunt noxiae. Ergo.

22. Resp. Ad 1. *Neg.* tum quia indulgentiae superveniunt satisfactioni sacramentali; tum quia requirunt spiritum contritionis et poenitentiae, a quo inseparabilis est voluntas satisfaciendi insuper quantum in se est laesae divinae justitiae; tum quia incerti semper fideles sunt num indulgentiam prae-

sertim plenariam consecuti fuerint, adeoque prudentia in his suggerit ut meliori quo possunt modo sibi prospiciant. Sane experientia ostendit longe magis addictos poenitentiae operibus eos esse, qui adnituntur indulgentias lucrari, quam qui eas negligunt.

23. Ad 2. *Neg.* Ut patet ex modo dictis in resp. ad 1.

24. Ad 3. *Neg.* Siquidem nemo potest indulgentias lucrari, quin prius sincero dolore deleverit labes quibus se commaculavit, ac proposito non peccandi de caetero. Si ejusmodi dispositionibus praediti sunt, qui indulgentias quaerunt vereque a peccato horrore percellantur, nihil impedit quominus facilibus ejusmodi mediis exterioribus alliciantur ad sibi illas dispositiones comparandas, et hac ratione indulgentias lucrentur, ac meliores fiant. Demum experientia semper praesto est, quae in praxi ostendit quinam praestantiores fideles sint. Possemus provocare protestantes an cum dogmate quod ipsi profitentur de sola fide justificante, quin ulla opera bona et satisfactoria penitus requirantur, peccati horror melius concipiatur.

25. Ad 4. *D.* Si actus exteriores materialiter in se spectantur, *Tr.* si una cum praeviis dispositionibus, quae nullo non tempore necessario praerequisitae sunt ac praerequiruntur ad quamlibet lucrandam indulgentiam, *N.* Has porro dispositiones recensuimus; et sic optime conciliantur indulgentiae cum principiis omnibus moralitatis.

26. Ad 5. *D.* Nisi alia ratione supplere possent hi, qui in iisdem adjunctis non versantur, *Tr.* si possint supplere, *N.* Ac primo animadvertimus multiplicata adeo media esse ad indulgentias lucrandas, ut vix aliquis reperiri possit, qui his non abundet. Deinde Deus ipse defectibus his exterioribus supplere potest quoad eos, qui bono animo sunt per uberiores gratias interiores, et fideles ipsi per fideliorem cooperationem. Deus enim res ita constituit, ut defectui interiorum dispositionum in adultis numquam suppleri posset, semper vero posset defectui mediorum exteriorum. Satis est cum Deo sincero corde procedere.

27. Ad 6. Resp. Indulgentias dari post Poenitentiam seu satisfactionem sacramentalem, quae pars integralis sacramenti est, seu in supplementum sacramentalis satisfactionis, quae longe abest, ordinarie saltem, ab adaequanda poena ob culpas promerita, adeoque indulgentiae quaecumque demum sint sive plenariae sive partiales nec inutiles neque noxiae sunt. Insolubile proinde dilemma supinam ignorantiam evincit Graeco-Russi, seu barbari Scythae, qui illud proposuit circa doctrinam et praxim ecclesiae catholicae, et a quo theologi occidentales se expediunt negando falsum suppositum.

PROPOSITIO II.

Indulgentiae hominem liberant a poenae reatu non solum coram ecclesia, sed etiam coram Deo.

28. Propositio fidei proxima est, ut constat ex pluribus propositionibus censura notatis: ac 1°. Leo X. confixit art. 19. Lutheri: *Indulgentiae, his*

qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam; 2°. Pius VI. proposition. XL. synodi pistoriensis asserentem: *Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erant peccanti;* quae propositio sic intellecta: *quasi indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam,* in *Const. Auctorem fidei,* declaratur et proscribitur ut *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, ac dudum in art.* 19. *Lutheri damnata.*

29. Duo porro sunt quae evincunt indulgentias valere etiam coram Deo, facultas scilicet a Christo ecclesiae collata indulgentias faciendi, et perpetuus ecclesiae sensus in illis dispensandis.

30. Ad primum quod spectat, ecclesia virtute clavium, quas ei Christus contulit, ligat aut solvit tum quoad culpas, tum quoad poenas aeternas ac temporales, ut constat ex superiore propositione, utrumque autem coram Deo. Dum igitur a poenis temporalibus per indulgentias solvit, coram Deo solvit, ac removet impedimenta ab ingressu regni coelorum. Hinc Apostolus quemadmodum ligaverat Corinthium *in nomine D. N. J. C.* sic eum solvit *in persona Christi,* seu Christi nomine et auctoritate, *ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C.* Aut igitur neganda potestas dandi indulgentias, aut fatendum eas validas etiam esse coram Deo.

31. Ad ecclesiae vero sensum quod attinet, is patefit 1°. ex formula, qua feria V. in Coena Domini poenitentes ab ulterioribus satisfactionibus absolvebantur, quamque exhibet adhuc Ordo romanus, in qua dicebatur: *Deus... agnosce oves tuae redemptionis, constrictas vinculis peccatorum, ecclesiae tuae precibus exoratus absolve.* 2°. Ex iis, quae scribit Tertullianus, jam montanista, ubi catholicos vellicat quod ad preces martyrum veniam moechis tribuerint [1]: *At tu,* inquit, *jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem. Quis permittit homini donare, quae Deo reservanda sunt? Sufficiat martyri propria delicta purgasse... Quis alienam mortem solvit, nisi solus Filius Dei?* Quae certo de sola remissione poenarum ecclesiasticarum intelligi non possunt. 3°. Ex persuasione totius populi carthaginiensis, quod obtenta a martyribus pax valeret *in coelis,* teste clero romano [2], nec non ex eodem s. Cypriano, qui scribebat [3]: *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, et praerogativa eorum apud* Deum *juvari possunt.* Et alibi passim.

32. Ad haec accedit ineluctabile s. Thomae argumentum [4], quod si vera esset adversariorum sententia, *ecclesia, hujusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret quam adjuvaret: quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis;* cum tamen Tridentinum definierit *indulgentiarum usum esse christiano populo maxime salutarem.*

[1]) Lib. ***De pudicitia,*** cap. ult.
[2]) ***Ep.*** XXX. ***ad Cyprianum.***
[3]) ***Ep.*** XII.
[4]) ***Suppl.*** qu. 25. art. 1.

DIFFICULTATES.

33. Obj. 1. Indulgentiae hodiernae substitutae sunt antiquis relaxationibus poenitentiae canonicae. Atqui relaxatio poenitentiae canonicae erat solum pro foro externo coram ecclesia; ergo et indulgentiae hodiernae non valent nisi pro foro externo coram ecclesia. 2. Quod magis elucet ex conc. tridentino declarante ecclesiam *antiquissimis temporibus* consuevisse indulgentias dare; sed antiquissimis temporibus non dabatur indulgentia nisi de poenis canonicis; ergo non alia datur etiam nunc temporis, cum poenitentiae canonicae numquam fuerint abrogatae. 3. Sane quo referuntur nisi ad canonicas poenitentias formulae, quibus non ita pridem concedebantur indulgentiae de *poenis injunctis?* Quibus item dantur adhuc indulgentiae *septem annorum et totidem quadragenarum?* 4. Quorsum conc. tridentinum ne nimia sit facilitas largiendi indulgentias, rationem adducit, *ne enervetur disciplina,* si indulgentiae non remitterent poenitentias canonicas? Ergo.

34. Resp. Ad 1. *Tr. maj. Neg. min.* Transmisimus *majorem,* quia ex Apostolo constat datam indulgentiam antequam instituerentur poenitentiae canonicae, prout pariter ex aliis documentis patet historiae ecclesiasticae. Verum, hoc omisso, negavimus *minorem*, quum poenitentiae canonicae non solum institutae fuerint ad satisfaciendum ecclesiae ratione scandali, sed etiam immo potissime ad satisfaciendum Deo, cum hoc de natura poenitentiae sit, ut ea poena coram Deo expietur pro culpis admissis. Sane poenitentiae illae constituebant partem integralem sacramenti, saltem per applicationem clavium, ac ipsis jansenianis contendentibus, praemittebantur ut *pretium,* illisque ut *merces* impendebatur absolutio.

35. Ad 2. *D. Antiquissimis temporibus* non erant indulgentiae nisi relaxationes poenitentiae canonicae, validae tamen coram Deo, uti exposuimus, *Tr.* validae tantum coram ecclesia, *N.* ut patet ex dictis. Falsum autem est adhuc vigere poenitentias canonicas, quae quinque ad minus saeculis ante concilium tridentinum per non usum cessaverant, quamvis nullo positivo decreto abolitae fuerint. Contrarium asserere vere est ridiculum se praebere.

36. Ad 3. Resp. ejusmodi formulas reipsa alludere ad antiquum usum, et, quamvis poenitentiae canonicae cessaverint, formulae tamen conservatae sunt. Siquidem in antiquis Poenitentialibus unicuique peccato determinata erat poena sua, et juxta has regulas poenitentes expiare tenebantur propria crimina coram Deo. De his itaque *poenis injunctis* vel absolute, vel quae responderent *septem annis et totidem quadragenis* dabatur indulgentia, et adhuc datur, quae tali expiationi respondeat, etiamsi regulae illae non amplius vigeant.

37. Ad 4. Resp. rationem illam conc. tridentinum adduxisse, ne ex nimia facilitate indulgentiae vilescerent, sicque fervor intepesceret, negligerenturque opera illa quae praescribi solent ad lucrandas indulgentias, atque extingueretur studium poenitentiae. Nullo vero modo illis verbis alludere potuit Tridentinum ad enervationem disciplinae, quae exsurgeret ex neglectu

poenitentiarum canonicarum, quae ubique, uti diximus, a pluribus saeculis disparuerant.

38. Inst. 1. Martyres antistites rogabant ut lapsis aliquid de rigore remitterent poenitentiae canonicae; 2. antistites vero in danda indulgentia rationem fervoris habebant, quo praesumebant eos plene jam Deo satisfecisse, adeoque non remittebant nisi superstitem poenitentiam agendam in foro ecclesiae. Ergo.

39. Resp. Ad 1. *D.* Qua Deo etiam, immo praecipue satisfaciebant, *C.* soli ecclesiae, *N.* Responsio patet ex dictis.

40. Ad 2. *Neg.* Alioquin minime Patres dixissent, prout saepe in eorum scriptis reperitur, se vere coram Deo aliquam satisfactionis partem remisisse, aut etiam universam ad preces martyrum, ingruentibus praesertim persecutionibus.

PROPOSITIO III.

Datur in ecclesia indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et Sanctorum.

41. Et haec propositio certa est doctrinamque catholicam exhibet, uti ostendunt propositiones a romanis pontificibus damnatae. Etenim Pius VI. in toties laudata *Constit.* propositionem XLI. synodi pistoriensis proscripsit, quae asserit: *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum et clarae notioni absolutionis a poenis canonicis substituisse confusam et falsam applicationis meritorum. Quasi thesauri ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum: falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art.* 17. *Lutheri damnata.* Praeiverant huic pontifici praeter Leonem X. s. Pius V. et Gregorius XIII. qui XI. Baji propositionem confixerant: *Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur;* cui affinis est altera ejusdem Baji propositio, nempe LIX.

42. Ne in re quam tanto furore impetunt Lutherus, Calvinus, immo et neoterici catholici, obscuritas habeatur, praenotamus: I. Nos *meritorum* Christi et sanctorum nomine significare non merita in rigoroso sensu, quibus aliquis *sibi* meretur; sed quatenus haec *satisfactoria* sunt, quibus quispiam aut pro se, aut pro se et aliis, aut pro aliis tantum divinae justitiae laesae satisfacit; sic Christus pro nobis tantum satisfactoria haec merita posuit, sancti vero satisfecerunt pro se et pro aliis; dum itaque dicimus thesaurum ecclesiae constare ex meritis Christi et sanctorum, significamus constare tum ex meritis satisfactoriis Christi, tum ex meritis satisfactoriis, aut etiam, ut nonnullis placet, *impetratoriis,* quae praestiterunt sancti pro se, et si superabundent, etiam pro aliis. Adeoque improprie *meriti* nomen usurpatur.

43. Praemittimus II. ad essentiam indulgentiae, et proinde ad applicationem thesauri non requiri sanctorum merita, quae solum adjiciuntur ad

instar cujusdam *adminiculi aut cumuli,* ut loquitur Clemens VI. ut inde major meritis Christi honor accedat et gloria, quae eam vim communicarunt meritis sanctorum, et ne otiosae istorum satisfactiones permaneant.

44. Praenotamus III. thesaurum hunc conflari ex meritis sanctorum tum in coelo regnantium, tum in terris degentium, quos certum est posse tum pro se tum pro aliis satisfacere, ex Christi meritis, ut dictum est, ac docet Catechismus romanus. [1]

45. Praemittimus IV. applicari nobis sanctorum merita ab ecclesia per indulgentias ad eum modum quo extra sacramenta applicantur nobis merita Christi, qui dignitatem communicat sanctorum meritis per gratiam sanctificantem, quo fit ut Deus meritorum Christi et sanctorum intuitu, mediante ecclesiae ministerio et conditionibus ab ea appositis, remittat nobis poenas temporales ob peccata debitas.

46. Jam vero dari satisfactoria Christi et sanctorum merita (ex quibus ecclesiae thesaurus constituitur juxta dicta) quorum applicatio ecclesiae ministerio et auctoritati commissa sit, sic facile adstruimus.

47. De Christi meritis satisfactoriis superabundantibus nemo est qui dubitet, immo adversarii adeo admittunt, ut veluti Christo injuriosas rejiciant omnes satisfactiones nostras. Pars igitur essentialis thesauri in tuto est. Dari praeterea satisfactoria et quidem superabundantia ac impetratoria sanctorum merita nemo sanus inficias ibit, qui secum animo reputet quanta ss. Virgo perpessa sit, quot sustinuerint martyres, nec non viri sanctitate conspicui, qui in ecclesia quovis tempore floruerunt. Certe s. Ambrosius [2] et s. Jo. Chrysostomus, quem paulo post afferemus, non solum merita haec superabundantia agnoscunt, sed extollunt illorum vim ad peccatorum nostrorum poenas expungendas.

48. Unum igitur superest ut evincamus, ejusmodi scilicet thesauri applicationem ecclesiae ministerio et auctoritati commissam esse. Id autem constat ex Apostoli verbis [3]: *Dedit* (Deus) *nobis ministerium reconciliationis,* nempe tum quoad culpam et poenam aeternam per sacramenta, tum quoad poenam temporalem etiam extra sacramenta. Siquidem generalissima sunt, ac modum omnem reconciliationis includunt. Ac reipsa utraque ratione ecclesia ministerium istud semper implevit.

49. His pondus adjicit dogma de communione sanctorum, cui innixus Apostolus sic divites Corinthios ad pauperum Hierosolymitanorum inopiam sublevandam excitabat [4]: *In praesenti tempore vestra abundantia eorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, et fiat aequalitas.* Haec autem aequalitas seu *aequatio* nonnisi in satisfactionibus fieri potest, siquidem merita personalia sunt, nec alteri communicari possunt.

[1]) Part. II. cap. 5. n. 61.
[2]) Lib. I. ***De Poenitentia,*** cap. 15. n. 39 seqq.
[3]) II. Cor. V. 18.
[4]) Ibid. VIII. 4.

DIFFICULTATES.

50. Obj. 1. Quidquid de Christo sit, certum est sanctos abundantem operum suorum mercedem retulisse; 2. numquam in animo habuisse praeter propria etiam aliena solvere debita. 3. Cum Christus praeterea abunde pro debitis nostris sub quovis respectu satisfecerit, non possunt sanctorum satisfactiones non esse Christo *injuriosae*, aut saltem *superfluae* in commentitio thesauro *barbaris temporibus excogitato*. 4. Praeclare proinde s. Leo M. scribebat [5]: *Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepere justi, non dederunt coronas ... nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit.* 5. Hinc sine blasphemia admitti nequit *cumulus* aut *adminiculum* ex sanctorum meritis exsurgens, quodque adjiciatur meritis Christi, et illorum sanguinis cum Christi sanguine profana permixtio. Ergo.

51. Resp. Ad 1. *D.* Prout opera meritoria fuerunt, *C.* prout fuerunt satisfactoria, *N.* Merces enim sequitur meritum, satisfactio debitum.

52. Ad 2. *D.* Expresse, seu intentione explicita, *Tr.* implicita aut virtuali, *N.* Cum enim sancti caritate flagrent, ita sunt comparati, ut velint meliori qua possunt ratione caeteros juvare; eo vel magis quod subsint ecclesiae, cujus voluntati ac intentioni se et opera sua committunt.

53. Ad 3. *Nego* quoad omnes partes. Nam satisfactiones sanctorum non sunt *injuriosae* satisfactioni Christi, eadem ratione ac non sunt injuriosae Christo interpellationes sanctorum, saltem viventium, quas ipsi adversarii admittunt. Siquidem non adjiciuntur satisfactioni Christi sanctorum satisfactiones ad *augendum* illius *valorem*, quod esset absurdum, sed ut nobis applicetur satisfactio Christi uberius, prout opera et satisfactiones justorum media sunt ad illius applicationem. In radice omnia pendent a satisfactione Christi, quae, si abesset, nullius valoris essent sive nostrae, sive satisfactiones sanctorum. Ergo quin satisfactiones sanctorum injuriosae sint satisfactioni Christi, eam summopere commendant. Non sunt *inutiles*, quemadmodum non sunt inutiles satisfactiones nostrae, quia quamvis satisfactio Christi sit infinita, nobis tamen non applicatur nisi modo finito, et pro ratione satisfactionum nostrarum, et satisfactionum sanctorum. Non est demum novitium inventum thesaurus ecclesiae, neque in se, neque quoad nomen ipsum. Utrumque enim invenimus apud Patres, inter quos s. Jo. Chrysostomus ita scribit [6]: *Ejusmodi est thesaurus ecclesiae, novas et veteres habet margaritas, sed una omnium est pulchritudo... Temporis diuturnitate opes, quae ad corpora spectant, facile intereunt ... at non sic se res habet in spiritualibus thesauris.*

54. Ad 4. *D.* Loquens de redemptione ac satisfactione *de condigno, C.* secus, *N.* Nil aliud significat s. Leo in objecto loco, quam soli Christo nos

[5]) *Epist.* CXXIV. *ad Palaestinos.*

[6]) *Homil. in SS. MM. Juventinum et Maximinum.*

in acceptis referre debere redemptionem nostram et satisfactionem de condigno pro peccatis nostris; quod nemo catholicorum in dubium revocavit. Verum haec satisfactio non excludit satisfactiones, quas *de congruo*, et quidem ex Christi meritis, Deo offerunt justi viventes pro aliis satisfactiones, et satifactiones sanctorum pro nobis. Ergo extra rem nobis a Calvino objiciuntur s. Leonis verba.

55. Ad 5. *D.* In sensu exposito ad modum *cumuli* seu *adminiculi* adjiciuntur satisfactiones sanctorum satisfactioni Christi, ut scilicet haec nobis uberius applicetur, *C.* ad conflandum thesaurum ut inde augeatur illius valor, *N.* Itaque nulla fit sanguinis cum sanguine permixtio, uti adversarii comminiscuntur; neque adduntur satisfactiones sanctorum satisfactioni Christi, ut exsurgat ulterior valor, sed uti media ponuntur ad applicationem satisfactionis Christi, et hoc etiam *de congruo*, non *de condigno*, uti pro se hanc rationem habent merita et satisfactiones justorum, prout exposuimus; quae praeterea vim habent ex Christi meritis solutionis et satisfactionis sive pro nobis, sive pro aliis, cum interposito autem memorato discrimine. Exinde patet difficultates oriri ex perperam exposita doctrina catholica.

PROPOSITIO IV.

Indulgentiae applicari etiam possunt per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus.

56. Certa haec propositio est, ejusque contradictoria est temeraria. Etenim Pius VI. in sua *Const. Auctorem fidei* has synodi pistoriensis propositiones proscripsit, nempe XXIV: *Item in eo quod superaddit* (synodus), *luctuosius adhuc esse, quod chimaerica isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos;* quae declaratur *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in rom. pontifices et in praxim et sensum universalis ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art.* 22. *Lutheri;* et XLIII: *In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata* etc., *temeraria*, etc.

57. Diximus *per modum suffragii,* quia cum jurisdictionem ecclesia non abeat in purgantes animas, ideo indulgentiae quae in earum solamen ab ecclesia conceduntur, non habent nisi vim impetrationis una cum solutione pretii, seu satisfactionum, quas ecclesia ex thesauro suo auctoritate, qua pollet, Deo offert, ut ipse pro sua misericordia dignetur illarum intuitu vel totam vel partem illius poenae luendae ad integram satisfactionem condonare.

58. Quo sensu nihil habet enunciata propositio, quod cordato viro non probetur. Etenim ejus veritatem evincunt 1°. argumenta omnia, quibus catholici ostendunt viventium suffragia defunctis prodesse; 2°. dogma *de Communione sanctorum: Neque enim,* inquit s. Augustinus [1], *piorum animae mortuorum separantur ab ecclesia... Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles*

[1]) *De civit. Dei,* lib. XI. cap. 9. n. 1.

etiam defuncti membra ejus sunt? Hinc s. Thomas scribit [2]: *Non est aliqua ratio, quare ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos et non in mortuos;* 3°. evincit rom. pontificum auctoritas et agendi ratio. Etenim Joannes VIII. ann. 878. et Joannes IX. ann. 900. indulgentias in defunctorum suffragium concesserunt apud Mabillonium. [3] Sixtus IV. in *Const. Licet ea*, Petri de Osma propositionem hanc confixit: *Romanus pontifex purgatorii poenam remittere non potest;* et Leo X. art. 22. Lutheri: *Indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles mortuis.* 4°. Eam demum evincit universalis ecclesiae sensus et praxis, quae ab immemorabili consuevit indulgentias in suffragium defunctorum largiri. Jam vero juxta celebrem s. Augustini regulam: *Si quid universa per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est.* Ergo.

DIFFICULTATES.

59. Obj. 1. Conc. tridentinum Leonis X. censuram latam in art. 22. Lutheri non confirmavit. 2. Sane non apparet in quo differat indulgentia per modum suffragii concessa a quavis oratione, quae fiat pro defunctis. 3. Praesertim cum incertum sit, utrum Deus acceptet ejusmodi indulgentias in favorem defunctorum oblatas. 4. Mirum proinde est dari a rom. pontificibus indulgentias plenarias, ita ut si in altari privilegiato sacrum fiat, possit alicujus anima a lustrico carcere liberari. Ergo.

60. Resp. ad 1. *D.* Expresse, *Tr.* tacite et aequivalenter, *N.* Etenim concilium usum qui obtinebat concedendi indulgentias retinendum esse declarat, et populo christiano eum maxime salutarem esse sub anathemate constituit. Porro notus erat concilio in universa ecclesia et in propriis tridentinorum Patrum dioecesibus usus receptus concessionis indulgentiarum pro defunctis; nota praeterea eidem concilio erant antiqua Joannis VIII. et Paschalis I. exempla, ac recentiora Clementis VII. et Julii III. sub quo concilium celebrabatur, earumdem indulgentiarum; comperta eidem erat censura Sixti IV. propositionis Petri de Osma. Cum igitur juxta vigentem usum concilium probaverit indulgentias easque maxime salutares declaraverit, in suo decreto etiam complexum est et confirmavit censuram a Leone X. latam in art. 22. Lutheri.

61. Ad 2. Resp. Magnum interesse discrimen inter nudam orationem pro defunctis et indulgentias in eorum suffragium concessas; nam qui orat, non offert solutionem debiti, contra vero per indulgentias praeter impetrationem offertur et quidem ex officio ab ecclesia quantum opus est ad debiti solutionem ex satisfactionibus Christi et sanctorum.

62. Ad 3. *D.* Incertum est in particulari, *Tr.* in genere, *N.* Nam Deus profecto ratum habet quod ab ecclesia ejus nomine et auctoritate fit. Hinc si nihil obstat, caeteris paribus, magis prodest indulgentia illi, pro quo conceditur, quam aliis.

[2]) *Suppl.* qu. 71. art. 10.

[3]) *Praef. ad saec. III. Benedictin.*

63. Ad 4. *D.* Si perperam intelligatur, *C.* si rite, *N.* *Hoc fundamento,* inquit Benedictus XIV. in sua *Instit.* XVI. n. 15. *innititur summus pontifex, cum privilegiatas aras declarat, ac pro Missae celebratione, quae in illis indicitur ad expiandam defuncti alicujus animam, thesauri ecclesiastici eam partem tribuit per modum suffragii, quae satis est, ut eadem anima, si Deo placitum sit, a purgatorii cruciatibus expietur, uti Gregorius XIII. explicat, cum privilegiatum altare metropolitanae bonnoniensi largitus est.* De Berlendis antiqua ac recentia monumenta exhibet ejusmodi altarium, quae privilegiata nuncupantur. [4]

IN INDULGENTIARUM DOCTRINAM SCHOLIA.

64. Nonnulla hic breviter complectemur, quae ad indulgentias ipsas spectant, ad earum ministrum et subjectum.

SCHOLION I.

65. Inquiri solet utrum indulgentia *solutio* potius quam *absolutio* dicenda sit. Si sermo sit de indulgentiis, quae viventibus conceduntur, rationem habent absolutionis et solutionis, absolutionis respectu dantis, solutionis respectu recipientis; si vero agatur de indulgentiis, quae pro defunctis dantur, solutiones tantum censendae sunt.

66. Indulgentia alia est *plenaria*, alia *partialis.* Plenaria ea est, qua tota illa satisfactio persolvenda remittitur, quae vi clavium remitti potest. Ad indulgentiam plenariam refertur *Jubilaeum*, quod integrae poenarum remissioni adjicit nonnullas peculiares facultates absolvendi, e. gr. a casibus reservatis, a censuris commutandi aut relaxandi vota, etc. Primus qui Jubilaeum instituisse censetur, est Bonifacius VIII. ann. 1300; alii a Silvestro II. ann. 1000. illud repetendum existimant; immo nonnulli illius vestigia deprehendere visi sunt initio saec. III. apud Eusebium in *Chronico* ad ann. 204. et 206. ast labile nimis videtur hoc fundamentum. Itaque Bonifacius VIII. constituit, ut quolibet anno centesimo redeunte Jubilaeum celebraretur; Clemens VI. reduxit hunc cyclum ad ann. 50, Gregorius XI. ad ann. 33, donec tandem Paulus III. et Sixtus IV. eum revocaverunt ad ann. 25, qui mos adhuc perseverat.

67. Indulgentia partialis ea est, qua pars tantum subeundae temporalis poenae relaxatur; e. gr. tot annorum, quadragenarum, aut dierum. Quae ratio indulgentiae concedendae alludit, ut innuimus, ad formulas illas, quibus poenitentiae canonicae pars, quae ad normam canonum aut poenitentialium pro singulis peccatis constituta erat, remitti solebat. Huc etiam spectant *carenae*, quae a carendo dictae sunt, eo quod illi qui huic poenitentiae subjiciebantur omnibus, praeter panem et aquam, carere deberent.

[4]) ***De oblationibus ad altare***, part. II. §. 10. n. 4.

SCHOLION II.

68. Quoad indulgentiae ministrum, ratum apud omnes est rom. pontificem, utpote supremum ecclesiae caput, posse Christi fidelibus omnibus plenariam indulgentiam concedere. Proinde Martinus V. in conc. constantiensi constituit, ut wicleffitae atque hussitae redeuntes ad ecclesiae unitatem interrogarentur, utrum crederent, *quod Papa omnibus christianis vere contritis et confessis ex causa pia et justa possit concedere indulgentias;* item, *utrum credant, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem canonum hujusmodi indulgentias concedere possint.* Haec autem limitatio facta est in conc. lateranensi IV. ut scilicet in dedicatione ecclesiae non extendatur episcopi indulgentia ultra annum, et ultra 40 dies in aliis casibus. Quo decreto, ait Pius VI. in Brevi *Super soliditate,* refutatur *error Eybel, dum perperam disserens de indulgentiis, scribere ausus est, quemlibet episcopum pari modo atque Papam posse indulgentias concedere.* Eamdem erroneam consecutionem ex falsis principiis pariter nonnulli alii neoterici deduxerunt.

SCHOLION III.

69. Sed jam de subjecto deque conditionibus, quae ad lucrandas indulgentias requiruntur, pauca subjicienda sunt. Tam viventes quam defunctos subjecta capacia indulgentiarum esse ex iis, quae disseruimus, abunde liquet. Hoc tamen inter utrosque interponitur discrimen, quod respectu viventium dantis, aut ex parte recipientis, aut ex parte causae, cum illa vera sit absolutio ac solutio quae ex vi clavium divinitus ecclesiae collatarum provenit. Ast non ita certus est hic effectus respectu defunctorum, cum non juridice istis concedatur indulgentia, qui subditi ecclesiae jam esse desierunt, adeoque infallibilis sit indulgentiae effectus, si nihil obstet, aut ex parte per modum suffragii ipsis conferatur ut mera debiti solutio. Item viventibus *primario* et *directe* conceditur indulgentia eo quod ipsi ea praestare possint, quorum causa indulgentia tribuitur, secus ac contingat defunctis, quibus propterea nonnisi *secundario* et *indirecte* indulgentia conceditur.

70. *Indulgentiae,* inquit s. Thomas [1], *tantum valent, quantum praedicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte suscipientis caritas, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.*

71. De auctoritate in dante satis diximus; quoad suscipientes duae exiguntur conditiones ad indulgentias lucrandas; quarum prior est status gratiae, cum nemo possit a poena temporali absolvi, qui poena aeterna adhuc illigatus est. Sic immunes suscipientes esse debent etiam a culpa levi, quoad remissionem illius poenae, quae eidem respondet; ad hoc autem nisi aliud praescribatur, sufficit contritio. Solent idcirco pontifices indulgentias elargiri *vere poenitentibus et contritis.* Posterior conditio est positio operum, quae a

[1]) *Suppl.* qu. 25. art. 2.

largiente indulgentias assignantur. Nonnulli praeter duas has conditiones requirunt a suscipiente *caritatem eximiam;* ast si ita esset, cum ejusmodi caritas omnia deleat, ad nihil prorsus indulgentia daretur; intendunt tamen magnum aliquid dare per indulgentias ecclesiae pastores, quod non a caritate, sed *a potestate clavium* pendeat.

72. Exposci demum ad indulgentiae valorem causam aliquam ex conc. lateranensi IV. colligitur, dum ait: *Per indiscretas et superfluas indulgentias claves ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur;* nec non ex s. Cypriano, a quo in lib. *De lapsis* ejusmodi inconsulta indulgentiae largitio dicitur *irrita et falsa pax, periculosa dantibus et nihil accipientibus profutura.* Non est tamen a suscipientibus judicium ferendum, utrum intervenerit justa haec causa, dum indulgentia tribuitur, sed ipsorum tantum est grati animi sensu beneficia, quae a superioribus legitimis conferuntur, exosculari.

Ac de indulgentiis hactenus.

TRACTATUS

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

PROOEMIUM.

1. Sacramentum Extremae Unctionis non modo Poenitentiae, sed etiam totius christianae vitae, quae, ut conc. tridentinum loquitur, perpetua poenitentia esse debet, a Patribus consummativum existimatum est. Variis nominibus insignitum fuit tum a graecis tum a latinis, aut ratione materiae aut formae, aut subjecti hoc sacramentum. Nam vel *Oleum sanctum*, vel *Oratio Olei*, seu *Oratio cum unctione conjuncta*, vel *Oleum infirmorum* passim nuncupatum est. Demum ratione temporis quo administratur, saec. XII. uti observat Mabillonius, *Praef. in saec.* I. *Benedictinor.* n. 98. sacramentum *Extremae Unctionis*, aut *sacramentum exeuntium* vocari coepit. Definiri autem solet: *Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum, quo per unctionem olei benedicti et orationem seu formam praescriptam, sacerdotum ministerio baptizatis graviter aegrotantibus gratia confertur, qua peccata et eorum reliquiae absterguntur, vires augentur ad daemonis insidias superandas, atque ad morbi incommoda patienter ferenda, et, si animae saluti expediverit, valetudo corporis restituitur.*

2. Haec definitio praeter sacramenti veritatem, ejusdem complectitur partes omnes, subjectum scilicet, materiam, formam et effectum; quae omnia his canonibus singillatim a conc. tridentino, Sess. XIV. sancita sunt. Can. I: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino Nostro institutum et a b. Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum receptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.*

Can. II: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.* Can. III: *Si quis dixerit, Extremae Unctionis ritum et usum, quem observat sancta romana ecclesia, repugnare sententiae b. Jacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a christianis absque peccato contemni; anathema sit.* Can. IV: *Si quis dixerit, presbyteros ecclesiae, quos b. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores, ob idque proprium extremae Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.*

3. Cum autem ex constituta vindicataque sacramenti veritate, caetera fluant, propositum propterea nobis est prius illud praestare, deinde vero reliqua appositis scholiis illustrare.

CAPUT I.

DE VERITATE SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

4. Non satis constat antiquiores haereticos veritatem hujus sacramenti inficiatos esse. Lutherus proinde atque Calvinus primi jure censentur, qui cum suis asseclis, ac progenitis deinde sectis e sacramentorum albo Extremam Unctionem expunxerint; juxta Lutherum enim ea est *deliramentum*, juxta Calvinum *histrionica hypocrisis*. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO.

Extrema Unctio est vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum, et a b. Jacobo apostolo promulgatum.

5. De fide esse hanc propositionem constat ex adducto can. I. conc. tridentini. Ex utroque revelationis fonte, Scriptura et traditione ejus evincitur veritas. Etenim s. Jacobus apostolus in Epist. cap. V. haec scribit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Jam vero in his verbis tria illa, quae omnium consensu requiruntur ac sufficiunt ad sacramentum constituendum inveniuntur; nempe ritus sensibilis in olei unctione eique adnexa oratione seu forma; gratiae promissio tum in alleviatione tum in peccatorum remissione; ac proinde divina institutio, ex qua sola potest gratia derivari una cum recensitis aliis a s. Jacobo effectibus. Agnoscenda igitur est in hac unctione sacramenti dignitas.

6. De traditione testes locupletissimi Patres sunt, et ecclesiae praxis. Loquens Origenes de Poenitentia, cujus perfectio, ut diximus, Extrema Unctio spectata est, scribit [1]: *In quo impletur et illud, quod Jacobus apo-*

[1]) *Hom.* II. *in Levitic.*

stolus dixit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros, etc. Sic etiam Victor antiochenus IV. saeculi scriptor in *Comment. in Marcum*, in quo collegit quidquid antiquiores interpretes et Patres scripserant, haec habet ad cap. 6. ejusdem Evangelii: *Interim, quae apostolus Jacobus in sua canonica narrat, ab his non dissentiunt; scribit enim: Infirmatur quis in vobis*, etc. Et s. Jo. Chrysostomus, loquens de potestate qua sacerdotes divinitus pollent remittendorum peccatorum, ait [2]: *Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam infirmatur, inquit* Apostolus, *quis in vobis? advocet presbyteros*, etc. Omissis porro magno numero insequentibus Patribus sive graecis sive latinis, qui afferri possent, res plane conficitur ex Innocentio I. qui scribit [3]: *Non est dubium* (verba Jacobi) *de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto, non solum sacerdotibus sed et omnibus uti christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo... poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Ex quibus verbis manifeste constat agi de re notissima, ac de vero et proprio sacramento, cum non alia de causa negandum hanc unctionem poenitentibus affirmet, nisi quia sacramentum est.

7. De utriusque vero ecclesiae orientalis et occidentalis praxi tot documenta sunt, quot supersunt orientalium Euchologia a Renaudotio collecta, et Sacramentaria ac Ritualia occidentalium incipiendo a s. Gregorio M. usque ad postrema haec tempora collecta a Martenio. Hinc sectae omnes antiquae sacramentum istud adhuc et agnoscunt et servant. Hac luce perculsi non pauci demum recentiores protestantes non modo ritum hunc summis laudibus extollunt, sed nec abnuunt inter sacramenta recensere, uti Leibnitzius, Ammon, Augusti, aliique passim.

DIFFICULTATES.

8. I. Obj. 1. Ex catholicis ipsis non defuere, qui negaverint jacobaeam Unctionem ad sacramentum transferri posse, uti card. Cajetanus, in *Comm.* in hunc loc. 2. Sane de eadem Unctione loquitur Jacobus, de qua scribit Marcus, c. VI. 13: *Ungebant* apostoli *multos aegros et sanabant*, quae certo non erat nisi gratia curationum. 3. Jacobus praeterea hujus Unctionis effectus enumerans, prius recenset illos, qui ad corpus: *alleviabit eum Dominus;* deinde 4. et quidem hypothetice illos, qui ad animam spectant: *et si in peccatis sit, remittentur ei.* 5. Si tamen de effectu spirituali hic sermo sit, ac non potius de morbis ipsis, qui spectabantur velut peccatorum effectus, hinc morbo curato, peccatum remissum dicebatur. Ergo.

9. Resp. Ad 1. *D.* Quin negaverint hujus sacramenti veritatem, *Tr.* vel *C.* eam negando, *N.* Itaque solus card. Cajetanus ex catholicis est, qui contra sensum totius antiquitatis, omnesque sanae exegeseos regulas inficiatus

[2]) Lib. III. *De sacerdot.*

[3]) *Epist. ad Decentium*, cap. 8.

fuerit Jacobum locutum esse de sacramentali Unctione, et quidem ante conc. tridentinum. Haec proinde expositio, ut alia non pauca, in nova operum hujus Cardinalis editione romana jussu s. Pii V. expuncta est; nec ullum habuit hac in re sectatorem. Ejus commentaria pedibus pavonicis comparata sunt. Nec umquam Cajetanus inficiatus est veritatem sacramenti Extremae Unctionis.

10. Ad 2. *D.* Loquitur Jacobus de eadem Unctione materiali de qua Marcus, *C.* de eadem formali, *N.* Unctio enim, de qua Marcus, habuit diversum plane ministrum, ac subjectum, atque diversos effectus. Cum tamen illa figura fuerit hujus sacramenti, ideo hoc per illam *insinuatum* docet Tridentinum.

11. Ad 3. *D.* Ita poscente orationis serie, et quia notior est ejusmodi effectus, *C.* ad insinuandum corporis salutem *primarium* esse hujus sacramenti effectum, *N.* Postquam enim Jacobus locutus est de infirmitate, orationis series quodammodo poscebat, ut immediate de restitutione salutis dissereret, eo vel magis quod hic effectus notior sit utpote sensibilis. Caeterum non desunt in Scripturis exempla, in quibus prius effectus minus principalis commemoretur quam potior et primarius, sic e. gr. Matth. XIX. 29. legitur: *Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.*

12. Ad 4. vel *N.* cum pluribus exemplis biblicis constet particulam *si* haud significare conditionem, sed rei certae confirmationem, uti patet ex eodem Jacobo I. 5: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo;* vel *D.* Ex parte suscipientis, *C.* ex parte sacramenti, *N.* Nam etsi nulla infirmus remittenda peccata haberet, sacramentum tamen non careret effectu suo, qui est gratia, ac per eam animi alleviatio et erectio, patientia in tolerandis corporis morbis, fortitudo in superandis daemonis insidiis.

13. Ad 5. *Neg.* Si enim per synecdochen, *morbi peccata* vocarentur a Jacobo, hic absurdus sensus exsurgeret ex Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis?... et si in peccatis sit, remittentur ei;* nempe: *Est aliquis vestrum in morbis?..... Si in morbis sit, remittentur ei.* Quod nemo sanus admittet.

14. Inst. Fieri nequit ut in Unctione jacobaea agnoscatur Extrema Unctio ecclesiae romanae. Etenim 1. ex apostolo infirmi omnes indiscriminatim ungi possunt, in romana ecclesia non inunguntur nisi extremo morbo laborantes. 2. Adjumentum sanitatis a Jacobo exhibetur, ab ecclesia praesidium et adjumentum pacatius moriendi. 3. Illa a pluribus presbyteris facienda erat, haec ab unico fit. 4. Illa depellebat morbos, haec nullo modo depellit. 5. Jacobus effectus Unctionis tribuit vi orationis, dicens: *Et oratio fidei salvabit infirmum;* ac proinde omnes adhortatur ad orationem frequentandam, cujus efficaciam commendat, adjiciens: *Et orate pro invicem ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua;* ex ecclesiae autem doctrina, sacramentum effectum producit *ex opere operato.* Ergo.

15. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *Neg.* ut patet tum ex vi graecorum verborum, quibus Apostolus usus est quibusque significantur aegroti viribus et robore destituti, ac valde seu graviter morbo laborantes; tum ex eo quod

agat de infirmis, ad quos advocandi sunt presbyteri, alioquin se ad presbyteros conferre possent.

16. Ad 2. *Neg.* Sed utrumque adjumentum ad salutem animae et corporis exhibetur ab Apostolo dicente: *Alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*

17. Ad 3. *D.* Si Apostolus *numerum* vocandorum significare voluisset, *Tr.* si *qualitatem, N.* Tantumdem enim valet haec locutio: *Inducat presbyteros ecclesiae,* ac inducat aliquem de ecclesiae presbyteris; uti nos dicimus: Qui infirmus est, accersat medicos. Quo sensu ait Christus leprosis, Luc. XVII. 14: *Ostendite vos sacerdotibus,* cum tamen ex Levit. XIV. 2. satis esset ut uni sacerdotum se ostenderent. Caeterum optandum esset ut plures hujus sacramenti administrationi assisterent, et orarent. Ast id fieri saepe nequit in villis et pagis, ubi plures difficile est sacerdotes reperiri.

18. Ad 4. *D.* Non semper hoc sacramentum morbos depellit, *C.* numquam, *N.* Identidem enim infirmi post Unctionem convalescunt. Deinde hic effectus subordinatus est animae saluti. Neque constat omnes convaluisse, qui aetate s. Jacobi inungebantur.

19. Ad 5. *D.* Jacobus Unctionis effectus tribuit *orationi fidei* tamquam hujus sacramenti formae, *C.* tamquam nudae orationi, *N.* Sic enim verba apostoli intellexit ecclesia, quae Unctionem illam deduxit in praxim. Ideo vero *fidei oratio* dicitur, quia fidem excitat in suscipiente; quia fidem exigit, ut cum fructu suscipiatur hoc sacramentum, et quia innititur ecclesiae fidei. Nec obstat Jacobum in vers. insequenti orationem commendare; nam hoc ipso quod mentionem orationis injecerat, occasionem sumpsit novae exhortationis faciendae, ut solet, et fatentur ipsi interpretes protestantes apud Pott, in comment. in hunc loc.

20. II. Obj. 1. Apud Patres quatuor priorum saeculorum nulla occurrit Extremae Unctionis mentio, prout de percepto a Sanctis hoc sacramento nullam mentionem faciunt biographi a saec. V. ad saec. IX. 2. Quae ex Origene adduci solent, ad poenitentiam referuntur, non autem ad Extremam Unctionem. 3. Immo Irenaeus eam tribuit valentinianis.[4] Epiphanius vero[5] et Augustinus[6], eamdem adscribunt heracleonitis; Theodoretus vero eam recenset inter errores archonticorum.[7] 4. Sane Decentius episcopus eugubinus de hoc sacramento dubitavit, ad quod dubium excutiendum consuluit Innocentium. Ergo.

21. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem ex saec. III. adduximus Origenem; ex IV et V. Victorem antiochenum, Chrysostomum, Innocentium, quibus addere possumus Cyrillum alex.[8], Possidium[9], Gregorium M.[10] aliosque non paucos, qui de Extrema Unctione tamquam de re notissima loquuntur. Sic

[4]) *Cont. haeres.* lib. I. cap. 21. n. 5.
[5]) *Haeres.* XXXVI. n. 2.
[6]) *De haeresib.* n. 16.
[7]) Lib. I. *Haeretic. fabul.* n. 11.
[8]) Lib. VI. *De adorat. in spiritu et veritate.*
[9]) *Vita s. Augustini,* cap. 27.
[10]) *Sacramentar.*

etiam falsum est biographos a V ad IX. saeculum de administrato hoc sacramento siluisse. Etenim de Nepotiano refert Gregorius turonensis [11], Extrema Unctione eum ab Artemio Arvernorum episcopo saec. V. labente linitum esse; sic etiam de s. Eugendo abbate ann. 510. legimus in ejus biographia inunctum fuisse: prout *inuncta est a sacerdotibus oleo sancto* s. Chlotildes regina, ut in ejus vita scribitur, ut plura alia praeteream exempla eorum, qui ante saec. IX. inuncti sancto oleo sunt ante obitum, collecta a Chardon. [12] Quod si minus frequens anterioribus saeculis de collata Extrema Unctione mentio occurrit, plures causae assignari possunt, petitae sive ex disciplina arcani, sive ex Baptismi dilatione usque ad mortem, sive ex plurimorum martyrio, sive denique ex eo quod ab ea excluderentur qui publicae poenitentiae addicti erant, aut vitam innocentem transegissent, ut constat ex vita s. Adelhardi.

22. Ad 2. *Neg.* Siquidem Origenes duplici ratione hoc sacramentum a poenitentia distinguit, tum scilicet quod olei unctione et quidem solis infirmis administraretur, tum quod per Poenitentiam graviora, per Extremam Unctionem leviora peccata remitterentur.

23. Ad 3. *D.* Tribuerunt objecti scriptores haereticis Unctionem superstitiosam, *C.* qualem ecclesia adhibet, *N.* Haeretici illi, qui deseruerant veritatem, eam saltem, ut fit, imitari voluerunt, sed haereticorum more, qui temerant ea etiam quae sanctissima sunt. Adeoque oleum aqua permixtum usurpabant, verbis barbaris et ignotis in unctionis ritu utebantur, ne vita functi a principatibus et potestatibus superioribus detineri possent, uti inter caeteros refert s. Irenaeus, loc. cit. Nihil porro haec agendi ratio commune habet cum Extrema Unctione, quae in ecclesia obtinebat; nisi autem in ecclesia catholica hoc sacramentum obtinuisset, numquam haeretici illi impiam ejusmodi imitationem excogitassent.

24. Ad 4. *Neg.* Dubitatio enim Decentii non versabatur circa hujus sacramenti veritatem, sed ut liquet ex responsione s. Innocentii, unice versabatur circa ministrum et subjectum.

25. Inst. Theologi disceptant circa Extremae Unctionis institutionem, materiam, formam, ministrum, subjectum et effectus. Ergo.

26. Resp. *D.* Salva sacramenti veritate, *C.* hujus detrimento, *N.* Illam nobis dent adversarii, quoad reliqua libere poterunt et ipsi disceptare, prout faciunt etiam cum agitur de iis, quae ipsi uti vera ac certa admittunt. Quid autem verisimilius de singulis propositis articulis censendum sit, jam patefacimus.

CAPUT II.

IN SINGULAS SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS PARTES SCHOLIA.

SCHOLION I.

27. De institutione hujus sacramenti inquiri solet, num repeti ea immediate debeat a Christo, an vero ab apostolo Jacobo, accepta ad id a Christo

[11]) *Hist. Eccles. Francor.* lib. I. cap. 41. [12]) *Hist. sacram. Extremae Unct.*

auctoritate, aut interiori Spiritus Sancti illustratione. Quamvis a scholasticis in utramque partem res agitata fuerit, nunc vix est, qui post Tridentinum non teneat a Christo immediate hoc sacramentum institutum et ab apostolo promulgatum. Adeoque nullus amplius superest ambigendi locus.

SCHOLION II.

28. Circa materiam remotam ex Jacobi verbis eam aliam non esse, quam oleum ex olivis expressum, aperte colligitur, nec non ex ecclesiae praxi, et Patrum doctrina. Nec obest *Chrismatis* vocem interdum reperiri, cum agitur de hoc sacramento; siquidem ea adhibetur ad significandam *Unctionem* ipsam, quae graece *Chrisma* dicitur; vel etiam ut nonnullis placet, quod interdum parva balsami quantitas oleo admixta fuerit, uti ex aliquot documentis colligi posse videtur; postea vero plane ejusmodi admixtio desiit. Utrum vero de necessitate sacramenti oleum debeat esse benedictum, res incerta est, Patres tridentini, Sess. XIV. *de Extrema Unctione,* cap. 1. haec habent: *Ex apostolica traditione per manus accepta . . . intellexit ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum.* Reipsa hujus benedictionis jamdiu meminit s. Innocentius. Attamen ex his nondum apparet utrum haec benedictio provenerit ex praecepto divino an vero solum ex praecepto ecclesiastico. Hinc non pauci, nec ignobiles theologi, censent eam ex sola institutione ecclesiastica repetendam esse, adeoque minime ad sacramenti essentiam pertinere. Verum consuli de hoc potest Benedictus XIV. [1] In praxi tutior pars est tenenda. Ex eodem Benedicto XIV. certum est oleum infirmorum ex summi pontificis expressa aut tacita concessione posse presbyteros conficere, seu illi conferre benedictionem, prout adhuc fit a presbyteris orientalibus, quin umquam hac de causa objurgati fuerint.

SCHOLION III.

29. Quoad materiam proximam seu ad partes corporis inungendas mira semper viguit in ecclesia varietas. Alicubi enim plures, alicubi vero pauciores inungebantur, atque adhuc inunguntur corporis partes, uti ostendit documentis Martenius. [2] Interdum nonnisi unica pars inuncta fuit, ut patet ex vita s. Eugendi, cujus tantum pectus linitum est. In ipsa rom. ecclesia unica pars inungitur sub generali formula, si instet mortis periculum.

SCHOLION IV.

30. Eadem ferme varietas viguit circa formam, quae ad longum tempus in ecclesia latina indicativa fuit. In ecclesia enim mediolanensi ex ritu ambrosiano, aetate s. Bonaventurae haec servabatur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris . . . ut, more militis uncti praeparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Sic in *Sacramentario gregoriano* a Menardo edito haec pariter forma legitur: *Ungo te de oleo sancto,* etc. Martenius plures

[1]) *De Synodo,* lib. VIII. cap. 7. §. 4. [2]) Op. et loc. cit. §. 8.

eosque antiquissimos codices profert, in quibus non alia exhibetur forma quam indicativa: *Ungo te de oleo sanctificato, ungo oculos, ungo pedes*, etc. Ex his formis pronum est inferre formam deprecativam, quidquid nonnulli scholastici et in his Simonet censuerint, non pertinere ad hujus sacramenti essentiam; neque necesse esse, ut effectus omnes per formam significentur, et quemadmodum antiquitus nulla fiebat mentio remissionis peccatorum, sic nulla nunc mentio fit roboris ac fortitudinis, quae per hoc sacramentum tribuitur ad superandas diaboli tentationes et insidias. Haec enim his verbis exprimitur: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc. deliquisti.*

SCHOLION V.

31. De ministro certum est solos sacerdotes idoneos esse ad hoc sacramentum conferendum, uti definitum est a Tridentino innixo verbis Jacobi, et universae traditioni atque ecclesiae praxi. Perperam Basnagius, in suis *Annalibus,* ad ann. 58. n. 10. et Launojus, in *Explicata traditione de Extr. Unct.* etc., contenderunt administratam interdum fuisse sacramentalem hanc Unctionem a diaconis, immo et ab ipsis laicis in necessitatis casu. Praecipuum hujus sententiae fundamentum in verbis s. Innocentii *ad Decentium* consistit: *Sancto oleo chrismatis ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed et omnibus christianis uti licet in sua, aut suorum necessitate inungendo.* Jam vero hic non loquitur summus pontifex de unctione *activa*, sed de *passiva;* alioquin illud absurdum sequeretur quempiam posse sibi hoc sacramentum administrare. Grammatici vero docent, gerundium hic adhibitum *ungendo* ab aureae latinitatis scriptoribus in sensu passivo interdum usurpari. Nec firmius est alterum fundamentum cui innituntur illi auctores, scilicet auctoritas Bedae, qui in cap. 5. Epist. s. Jacobi infirmos adhortatur, ut ad seniores potius quam ad juniores minusve doctos imbecillitatis suae causas deferant; siquidem Beda in sensu mystico verba Jacobi exponit de infirmitate spirituali, cui alleviandae praeferendi sunt seniores et experientia exercitati sacerdotes, si doctrina et prudentia junioribus praestent. Exempla demum, quae adducunt, non de sacramentali, sed de caeremoniali unctione intelligi debent.

32. Jam innuimus perinde esse ad valorem sacramenti sive ab uno, sive a pluribus sacerdotibus Unctio haec fiat. Antiquitus passim a pluribus, septem scilicet aut quinque, administrari consueverat, prout adhuc servatur hic mos apud graecos et orientales. Attamen non desunt exempla ex antiquitate de unico sacerdote, ut patet ex Nepotiano inuncto a s. Artemio, atque ex s. Eugendo ab uno inuncto sacerdote. Gravibus de causis sancitum est in ecclesia latina, ut a solo parocho hoc administraretur sacramentum. Eas expendit Benedictus XIV. [3]

[3]) *De Synodo,* lib. VIII. cap. 4. §. 6.

SCHOLION VI.

33. Subjectum Extremae Unctionis sunt soli baptizati gravique morbo laborantes. Perperam Dallaeus autumat etiam infantes et optima valetudine utentes olim inungi solitos. Etenim praeterquam quod verba apostoli contrarium omnino suadent, accedit constans ecclesiae praxis, cui Patres omnes adstipulantur ac rituales libri. Si quae occurrunt singularia exempla diversae praxeos, ea vel ex speciali divino instinctu repeti debent, ut legitur in Odilia factum esse, quae cum bene valens inuncta esset, paulo post mortua est; vel ex ignorantia, vel demum ex eodem principio, quo senes interdum inungi consueverunt. Quod de praxi graecorum et orientalium legitur, qui sanos et bene valentes inungere solent, Renaudotius ostendit ejusmodi unctiones non esse sacramentales, sed devotionis causa frequentatas.

34. Quamvis nonnisi graviter aegrotantes ungi debeant, non tamen usque eo differenda Unctio est, donec in extremis, ut ajunt, infirmus reperiatur. Alia enim ecclesiae mens est; idque adversaretur secundario hujus sacramenti effectui, qui est sanitatis restitutio, si animae saluti expedierit; cum enim non per modum miraculi hunc effectum Unctio producat, non eo est protrahenda, ut miraculum sit necessarium. Ex hoc praeterea abusu fit, ut interdum sine adeo salutari sacramento aegroti ex hac vita decedant, aut minori cum fructu suscipiant, cum usu sensuum sunt destituti, et ansa praebetur haereticis calumniandi ecclesiam, quod pinguedine sua semicadavera inficiat, ut ait Calvinus.

35. Olim plerumque ante viaticum Unctio administrabatur. Nunc vero justissimas ob causas fit, ut post viaticum conferatur.

SCHOLION VII.

36. Effectus denique sacramenti Extremae Unctionis ex Tridentino, Sess. cit. cap. II. est gratia Spiritus Sancti, *cujus unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; et aegroti animum alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando; qua infirmus sublevatur, et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.*

37. Exinde concludunt theologi Extremam Unctionem ordinatam per se esse ad delenda peccata venialia, indirecte autem ac per accidens peccata etiam mortifera, ut etiam docet Catechismus romanus.[4] Nec desunt, qui contendant etiam ordinatam directe ad delenda lethalia peccata, quorum poenitens conscientiam non habet, quo fit ut interdum hujus sacramenti ope salventur, qui alioquin damnandi forent. *Reliquiarum* autem nomine significatur languor ille, quem relinquunt peccata post se, qualem etiam infirmitas corporalis producere solet etiam post curatam valetudinem.

[4]) Part. II. cap. 6. n. 14.

TRACTATUS

DE ORDINE.

1. Si qua tractatio est, cui animum impendere omni studio debemus, profecto haec quae de ordine inscribitur, id maxime exposcit a nobis, qui in sortem Domini vocati sumus.

2. Ordinis nomen tum de inaugurationis ritu, tum de ecclesiae ministrorum gradu ac dispositione a Patribus ac theologis accipitur. Priori sensu proprie a latinis *Ordinatio,* seu *sacra Ordinatio* vocatur; a graecis *χειροτονία* seu *manuum extensio* aut *porrectio,* interdum vero *χειροθεσία* seu *manuum impositio* nuncupatur.

3. De Ordine hoc sensu accepto nobis disserendum est. Quo fit, ut Ordo, quatenus sacram inaugurationem significat, nos ducat tum ad sacramenti veritatem propugnandam, tum ad investigandum, quibus potissimum ritibus et gradibus sacramentalis haec dignitas competat; et quaenam essentialis censeri debeat materia, forma, minister uniuscujusque gradus. His adjiciemus vindicias praecipui Ordinis nostri decoris, continentiae scilicet, qua altaris ministri obstringuntur.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI ORDINIS VERITATE.

4. Ordo seu sacra Ordinatio definiri solet: *Ritus sacer seu sacramentum novae legis a Christo institutum, quo spiritualis potestas confertur sacramenta conficiendi et ministrandi caeteraque ecclesiastica munia pro jure obeundi.* Quatenus dicitur *ritus sacer,* omnes omnino gradus complectitur seu Ordines, eos etiam, quibus ex plurimorum sententia sacramenti ratio non convenit;

quatenus vero dicitur *sacramentum*, Ordinis vox ad eos gradus coarctatur, in quibus sacramenti dignatus reperitur.

5. Qui primum veritatem hujus sacramenti adorti sunt, censentur novatores saec. XVI. Caeremonia, qua ipsi suos ministros instituunt, ei similis est, qua delecti magistratus inaugurari solent. Si proinde anglicanos excipias, reliquae sectae omnes neque collationem gratiae, neque characteris indelebilitatem, neque nativam potestatem conficiendi et conferendi sacramenta in ritu illo agnoscunt, sed muneris tantum liberam collationem, qualis stipendio conductis assignatur. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Ordo seu sacra Ordinatio est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.

6. De fide propositio est a concilio tridentino, Sess. XXIII. can. III. definita: *Si quis dixerit, Ordinem seu sacram Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; anathema sit.*

7. Evincitur autem haec veritas tum ex verbo Dei scripto, tum ex verbo Dei tradito. Nam Apostolus, I. ad Tim. IV. 14. agens de ipsius Timothei Ordinatione: *Noli,* inquit, *negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii;* et II. Tim. I. 6. scribit: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Exponens vero cujusmodi haec gratia sit, pergit ibid.: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.* Unde cum tria, fatentibus adversariis ipsis, ad vere et proprie sacramentum constituendum requirantur et sufficiant, ritus nempe externus, gratiae promissio, ac divina institutio; ex adductis apostoli verbis tria haec in Ordinatione reperiuntur, ritus sensibilis in manuum impositione, gratiae promissio, ut per se patet, adeoque et divina institutio, cum gratiam ritui externo alligare non hominis, sed Dei solius sit.

8. Quod attinet ad verbum Dei traditum, luculentissime constat I. ex Patribus, quorum alii conceptis verbis Ordinationem *sacramentum* appellant, ut s. Leo M. [1], et s. Gregorius M. [2]; alii docent *invisibilem gratiam* a Deo in hoc sacramento tribui, ut s. Ambrosius [3], et s. Gregorius nyssenus [4]; alii denique Ordinationem ita cum Baptismo conferunt, ut eadem utriusque sacramenti ratio sit; ita s. Hieronymus, qui luciferianos sic perstringit [5]: *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potest, et in fide sua sacerdotem*

[1]) *Epist.* XII. *ad episc. provinc. Mauritaniae,* cap. 3.

[2]) *In* I. *Regum,* lib. IV. cap. 5. n. 1.

[3]) *De Spiritu S.* lib. I. c. 5. n. 7. et alibi.

[4]) *Orat. in Baptism. Christi.*

[5]) *Dial. advers. Luciferianos,* n. 11.

constitutum constituens non inquinavit; et s. Augustinus: *Nulla,* inquit [6], *ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.*

9. Constat II. ex synodis oecumenicis chalcedonensi, c. III. et nicaena II. can. V; nec non ex particularibus constantinopolitana, ann. 459. a Gennadio coacta; bracharensi I. can. III. et toletana VIII. can. III. quae omnes in Ordinatione gratiam conferri agnoscunt; sic inter caeteras chalcedonensis, can. cit. loquitur: *Si quis episcopus propter pecuniam Ordinationem fecerit, et non venalem gratiam vendiderit... de proprio gradu in periculum veniat.*

10. Constat III. ex sectis omnibus antiquissimis, quas omnes septenario sacramentorum numero Ordinationem accensere adductis innumeris prope documentis ostendunt Morinus, *De sacris Ordinationibus,* et Renaudotius, tom. V. *Perpetuit. fidei,* quibus accedit Joseph Simon Assemanus, in *Biblioth. Orient.* tom. III. p. I. Recentiores porro sectas, quae proxime protestantes praecesserunt, hoc sacramentum retinuisse ostendit Bossuetius, in *Hist. variation.*

11. Cum igitur universa traditio, sectarum omnium conspiratio in admittenda hujus sacramenti veritate consentiant, a fide pristina recesserunt, qui eam inficiati sunt, ac tum contra verbum Dei scriptum tum contra verbum Dei traditum luculenter pugnant.

DIFFICULTATES.

12. Obj. 1. Christus cum apostolos sacerdotes instituit, nullam adhibuit manuum impositionem. 2. Gratia vero, de qua loquitur Apostolus, non est gratia sanctificans, sed gratia gratis data, quam propterea vocat *charisma,* dum gratiam sanctificantem vocat *χάριν.* 3. Hoc confirmatur ex eo quod affirmet gratiam fuisse Timotheo datam *per prophetiam,* quae est donum gratis datum. 4. Hinc Patres utrumque Pauli testimonium de gratia miraculorum, vel prophetiae, vel de facultate docendi exposuerunt. 5. Fieri praeterea nequit, ut de Ordinatione loquatur in adductis testimoniis Apostolus, cum vocet eam impositionem manuum *presbyterii,* ratum enim penes catholicos est a solo episcopo posse ordinationem conferri. 6. Demum sacramenta debent esse omnibus communia; talis porro Ordinatio non est. Ergo.

13. Resp. Ad 1. *Tr.* Nec enim omnia quae Christus gessit, scripta sunt. Cumque praeterea ipse *potestate excellentiae,* ut vocant, praeditus esset, potuit sine ritu exteriori gratiam ordinationis conferre. Dummodo constet ipsum instituisse Ordinationis sacramentum, satis est; id autem novimus fecisse tum auctoritate Pauli, tum universa traditione.

14. Ad 2. *Neg.* Est enim gratia *virtutis* et *dilectionis,* ut ipsemet Paulus declarat. Philologica autem observatio de vocibus *charisma* et *χάρις* nullius est momenti; nam promiscue Apostolus has voces usurpat, ut patet ex Rom.

[6]) *Contr. Epist. Parmeniani,* lib. II. n. 28.

V. 15. ubi gratiam sanctificantem *charisma* vocavit, dicens: *Non sicut delictum, ita et donum.* Sane graeci Patres Clemens alex., Gregorius nazianz., ac Theodoretus vocarunt *charisma* gratiam, qua filii Dei nominamur et sumus. Ideo vero *charisma* potius quam *χάριν* gratiam Timotheo collatam vocavit Apostolus, quia qui ordinatur praeter gratiam sanctificantem, pluribus donis ad aliorum utilitatem instruitur. Utrumque conjunxit s. Jo. Chrysostomus enarrans Apostoli verba [7]: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, hoc est gratiam Spiritus, quam accepisti, ut praesis ecclesiae, ut signa edas et cultum omnem exhibeas. Penes nos enim est illam vel extinguere vel incendere.* Hac ratione reliqua ss. Patrum testimonia apprime etiam inter se componuntur; nec ipsi recentiores ab ejusdem expositione abnuunt.

15. Ad 3. *D.* De futura videlicet Timothei evectione, *C.* per donum prophetiae, *N.* Scilicet ut exponit vel ipse Calvinus [8], Paulus interiore Spiritus S. inspiratione, aut revelatione inductus est ad cooptandum Timotheum in ordinem pastorum. Cohaerent autem huic interpretationi quae idem Apostolus in I. ad eumdem Timotheum, I. 18. scripserat: *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes in te prophetias.*

16. Ad 4. *D.* Praeter gratiam sanctificantem, *C.* ad hujus exclusionem, *N.* Responsio patet ex dictis.

17. Ad 5. *D.* Id est, episcopi, *C.* simplicis presbyteri, *N.* Tum quia ab initio voces *presbyteri* aut *presbyterii* atque *episcopi* promiscue usurpabantur; tum quia veteres de episcopis Apostoli verba exponunt, inter quos s. Jo. Chrysostomus haec habet [9]: *Non de presbyteris hic loquitur* (Paulus) *sed de episcopis; neque enim presbyteri episcopum ordinabant;* tum quia veteres versiones, uti aethiopica, sic referunt Apostoli verba: *Per impositionem manuum episcopi.* Denique omne dubium tollit Apostolus ipse, in II. ad Tim. Epist. scribens: *Per impositionem manuum mearum.* Si tamen non magis arrideat illorum expositio, qui objecta verba non de ministro, sed de subjecto Ordinationis intelligunt, ita ut sensus sit: *Per impositionem manuum, qua creatus es presbyter,* quem sensum pariter ipse Calvinus probavit.

18. Ad 6. *D.* Quoad utilitatem, *Tr.* vel *C.* quoad susceptionem, *N.*

CAPUT II.

DE MULTIPLICI ORDINUM NUMERO ET DIGNITATE.

19. Tridentinum, Sess. XXIII. cap. 2. haec de sacris Ordinibus habet: *Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et*

[7]) *Hom.* I. *in* II. *ad Tim.* cap. I. n. 2.
[8]) *Comment. in* I. *ad Tim.* IV. 14.
[9]) *Homil.* XIII. *in* II. *ad Tim.* n. 1.

de diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, et ab ipso ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris, et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis frequentissime legimus. Can. autem 2. sic eamdem doctrinam sanxit: *Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios Ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit.*

20. Ex his pronum est inferre de fide esse praeter sacerdotium esse alios Ordines majores et minores; minime vero 1°. quot et quinam sint; 2°. utrum omnes et singuli divinitus instituti sint; 3°. adeoque utrum omnibus ac singulis dignitas competat sacramenti, et characterem imprimant; 4°. an iidem semper viguerint, nec alii praeterea.

21. Exploratum est enim graecos nonnisi quatuor Ordines agnoscere, sacerdotium, diaconatum, hypodiaconatum, lectoratum; immo et hypodiaconatum inter minores ordines recensere. Contra vero apud latinos ratum est septem Ordines ad minimum numerari, sacerdotium videlicet, diaconatum, subdiaconatum, acolythatum, exorcistatum, lectoratum et ostiariatum; ex his vero subdiaconatum a pluribus saeculis inter majores Ordines accensitum esse.

22. Quod vero attinet ad reliqua, magna viget seu viguit controversia inter canonistas et theologos, atque inter theologos ad invicem. Quid nobis verisimilius videatur, aperiemus, postquam quae fidei sunt et certa apud omnes constituta vindicaverimus.

PROPOSITIO I.

Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum a Christo Domino institutum, quod non est omnibus fidelibus commune, sed apostolorum proprium, externo ritu in ecclesia propagandum, cui competit veri sacramenti ratio.

23. Quatuor sunt propositionis partes: 1°. nempe sacerdotium visibile et externum fuisse a Christo institutum; 2°. hoc ipsum sacerdotium non esse christianis omnibus commune; 3°. idem esse externo ritu in ecclesia propagandum; 4°. eidem denique veri sacramenti dignitatem competere.

24. Ex his prima pars de fide est a Tridentino, Sess. XXIII. can. I. sancita: *Si quis dixerit non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium, vel eos qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.* Tres partes reliquae ad fidem pertinent veluti totidem corollaria, quae arcto nexu cum prima connectuntur et ex ea profluunt.

25. Sic igitur primam partem evincimus verbis ipsis Tridentini, Sess. cit. cap. 1: *Sacrificium et sacerdotium sic Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit... Hoc autem ab eodem divino Salvatore nostro institutum esse, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi sacrae litterae ostendunt, et catholicae ecclesiae traditio semper docuit.* Unde sic: Christus visibile et externum instituit sacerdotium, si visibile et externum instituit sacrificium; atqui ex demonstratis in *Tract. de Euchar.* part. II. Christus visibile et externum instituit sacrificium; ergo visibile instituit et externum sacerdotium.

26. Major hujus argumenti ex intima patet inter sacrificium et sacerdotium relatione; adeo ut Apostolus, Hebr. V. 1. instar principii eam assumat dicens: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Sane sui fuerunt in ipsa naturae lege sacerdotes ad sacrificium offerendum: in lege autem mosaica sacrificiis offerendis institutum est sacerdotium in familia Aaron; cum igitur in nova lege Christus verum instituerit sacrificium, verum instituere debuit sacerdotium.

27. Hoc porro novum sacerdotium a Christo institutum, prout in secunda parte propositionis asseruimus, non esse christianis omnibus commune, uti Lutherus asseruit, vi Baptismi, sed apostolorum proprium, ita ostendimus: Christus illis tantum sacerdotium contulit, quibus sacrificium a se institutum offerendum commisit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui haec verba solis apostolis dixit, prout tres evangelistae uno consensu scribunt Matth. XXVI; Marc. XIV. et Luc. XXII. Ergo solos apostolos Christus sacerdotes instituit. Quod et analogia confirmat quae inter vetus et novum Testamentum intercedit; si enim ad imperfecta et egena elementa, seu sacrificia veteris legis, quae umbra et figura futurorum fuerunt, offerenda, sacerdotium peculiare in aaronica familia a Deo ipso institutum est, quanto magis id exposcebat sacrificiorum omnium sanctissimum corporis et sanguinis Domini, quod illis succedere debebat in nova lege, ut scilicet non promiscue sed a peculiari delectoque divinitus coetu offerretur? Quod pariter conficitur ex altera potestate, qua Christus communire voluit novum sacerdotium remittendi aut retinendi peccata; eam enim nonnisi apostolis contulit, Joann. XX. ut suo loco ostendimus.

28. Praeterea omnem dubitationem tollit perpetuus et constans ecclesiae sensus, cum nulli quavis aetate sacerdotes in ecclesia habiti fuerint, qui ab apostolis peculiari ritu initiati non essent eorumque successoribus, ut Patres omnes omniaque documenta ecclesiastica testantur. Exinde mira illa praeconia, quibus iidem Patres, in primis vero Chrysostomus, dignitatem hanc sacerdotalem ita extollunt ut non modo principibus ac imperatoribus, verum etiam angelis ipsis eos praeferant, qui illa insigniti sunt.

29. Quod vero in tertia parte enunciatum est, de sacerdotii nimirum

per exteriorem ritum propagatione, facile evincitur ex utroque munere, quo christianum sacerdotium pollet oblationis sacrificii, remissionisque peccatorum. Si enim utrumque hoc munus, quamdiu homines erunt, perdurare debet, sequitur profecto usque ad saeculi finem sacerdotium esse propagandum. Sane apostoli id facto suo ostenderunt; legimus quippe, Act. XIII. 2. jussu Spiritus Sancti segregatos fuisse Saulum et Barnabam in opus ministerii, et *manuum impositione et oratione* fuisse inauguratos. Eodem sacro ritu, ibid. c. XIV. legimus per civitates presbyteros constitutos a Paulo et Barnaba. Idem Paulus, in Epistolis ad Timotheum et ad Titum datis, regulas iis praefixit quas servare deberent in presbyteris eligendis et ordinandis. Exinde successio illa sacerdotum, quae ab apostolis coepta ad nos usque continenter dimanavit eodem ritu, prout in omnibus occidentalium Ritualibus et orientalium Euchologiis reperitur, quin ulla exceptio fieri possit.

30. Quibus constitutis, quarta jam pars propositionis nostrae colligitur, de dignitate videlicet sacramenti, quae sacrae sacerdotii ordinationi competit, prout Tridentinum docet in eadem Sess. can. IV: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* Ac reipsa si de fide est aliquam Ordinationem sacramentum esse, aut fatendum est sacramenti rationem inesse ritui, quo sacerdotes inaugurantur, aut nutare hoc fidei nostrae dogma, cum sacerdotium sit ordinum omnium sublimissimum, ad quod velut ad centrum reliqui Ordines referuntur. Atque hinc factum est, ut nulla umquam hac de re disceptatio orta fuerit non solum inter catholicos, sed neque cum haereticis, qui aut negant Ordinationem esse sacramentum, aut si eam admittunt, sacerdotio eamdem inesse fatentur.

31. Sacerdotium proinde recte definies: *Ordo sacer et sacramentum divinitus institutum, quo tribuitur potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini, nec non remittendi et retinendi peccata.*

DIFFICULTATES.

32. I. Obj. Adversus 1. partem: 1. Nuspiam in N. T. sacerdotii proprie dicti, aut sacerdotis nomen occurrit. Immo Apostolus, Hebr. VII. 24. praeter Christum omnem alium sacerdotem excludit dicens: *Eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* 3. Reipsa ex catholicis sacrificium et sacerdotium relativa sunt; ergo cum nonnisi mysticum et repraesentativum sit sacrificium, sequitur mysticum et repraesentativum tantum esse sacerdotium; nec enim in Eucharistiae consecratione realiter sanguis a corpore Christi separatur, sed mystice. Ergo.

33. Resp. Ad 1. *D.* Sacerdotii aut sacerdotum vox in N. T. nuspiam occurrit, *C.* res per eam vocem significata, *N.* Si de hac constet, non est quod de voce litem moveas, prout in pluribus aliis fidei nostrae dogmatibus accidit. Porro de re apertissime in N. T. constare patet ex utraque pote-

state, qua Christus apostolos insignivit, conficiendi Eucharistiam, et remittendi peccata. Ratio vero cur altaris ministri ab initio sacerdotes nuncupati non fuerint, est, uti observat card. Roffensis, ne confunderentur cum sacerdotibus mosaicis. Hac proinde causa cessante, a viris apostolicis iidem *sacerdotes* vocati sunt.

34. Ad 2. *D.* Qui Christo succederet, *C.* qui ejus vices gereret in offerendo sacrificio per proprium ministerium, *N.*

35. Ad 3. *D.* Sacrificium eucharisticum mysticum est ratione *modi*, quo offertur, *C.* ratione *rei*, quae offertur, *N.* Offertur enim verum ac reale Christi corpus in altari, adeoque verum ac reale est sacrificium, ac non mysticum tantum ac repraesentativum, ut suo loco ostendimus.

36. II. Obj. Adversus 2. partem. 1. Scriptura omnes promiscue fideles sacerdotes exhibet; sic Petrus, I. Ep. II. 5. eos generatim vocat *sacerdotium sanctum;* et v. 9. *regale sacerdotium;* Joannes vero, Apoc. I. 5 et 6. de Christo scribit: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* 2. Quod viderunt et ipsi Patres; inter quos s. Hieronymus memorat *sacerdotium laici* [1]; 3. praecipue vero Tertullianus, qui scribit [2]: *Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non licet* (iterare nuptias), *laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi ecclesiastici Ordinis non est consessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus... Igitur, si habes jus sacerdotis in temetipso... digamus tinguis, digamus offers?* 4. Nec desunt exempla in historia ecclesiastica laicorum, qui sacerdotalia munia obierint. Teste enim Theodoreto [3], Frumentius Indis, quos converterat, auctor fuit, ut Romanorum more *sacra celebrarent,* cum tamen nullus apud eos sacerdos fuerit. Ergo.

37. Resp. Ad 1. *D.* Internum, mysticum ac improprie dictum, *C.* externum, reale ac proprie dictum, *N.* Per quamdam similitudinem Petrus et Joannes extendunt ad christianos omnes sacerdotium, quatenus ipsi *membra sunt unius sacerdotis,* ut ait s. Augustinus [4], et quatenus in altari mentis suae Deo offerunt *spirituales hostias,* ut ibid. inquit s. Petrus, seu *hostiam laudis Deo,* ut ait Paulus [5], alludentes ad illud Exod. XIX. 6. ubi de omnibus Israelitis dicitur: *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta.* Numquam vero tribuunt potestatem eucharisticum sacrificium offerendi, aut remittendi ac retinendi peccata, in quibus sacerdotium, de quo agimus, consistit.

38. Ad 2. *Neg.* Numquam enim Patres fidelibus omnibus sacerdotium externum et proprie dictum commune fuisse docuerunt. *Sacerdotium laici,* de quo loquitur Hieronymus, illud est, quod vi Baptismi fideles obtinent, mysticum nempe, ut diximus, ac spirituale.

[1]) *Dial. adv. Luciferian.* n. 4.
[2]) *De exhortat. castitatis,* cap. 7.
[3]) *Hist. Eccl.* lib. I. cap. 23.
[4]) *De civ. Dei,* lib. XX. cap. 10.
[5]) Hebr. XIII. 15.

39. Ad 3. *Neg.* Tertulliani enim mens aperte liquet tum ex lib. *Praescript.* cap. 41. ubi irridet haereticos, apud quos *hodie est presbyter, qui cras laicus:* tum praesertim ex lib. *De monogamia,* cap. 4. cum de laicis haec scribit: *Quum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes Deo et Patri fecit; quum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus;* scilicet alios laicos, alios sacerdotes esse palam confitemur. De solo igitur sacerdotio interno ac mystico loquitur Tertullianus in objecto loco, ac de nonnullis muniis, quae laici obibant, deficiente clero, seu in necessitatis casu, cujusmodi erat collatio Baptismi et oblatio Eucharistiae jam confectae in domibus privatis, ubi nonnullas preces fundebant ad imitationem sacrae liturgiae. Ex his sophistice argumentabatur Tertullianus, ut suaderet laicis monogamiam, cui adstricti erant sacerdotes, omnia miscens atque confundens. Ex exteriori enim differentia, juxta quam in conventibus clerus sedebat, stabant vero laici, transit ad internam, quae ex vi ordinationis pendet; ex eo quod in necessitatis casu a laicis praestabatur, ad ea transit, quae ex officio sacerdotes faciunt, et ita porro, ut finem suum obtineret.

40. Ad 4. *Neg.* Theodoretus autem, ut clarius patet ex Ruffino [6], ex quo ille historiam hanc suam desumpsit, nonnisi de orationibus loquitur, quas Indi seu Aethiopes a Frumentio conversi in coetibus suis fundere debebant, ad imitationem eorum, quae gerebantur in conventibus christianorum in imperio romano. Largo autem et improprio sensu pias illas preces vocavit *liturgiam,* prout in sensu improprio interdum *synaxis* vox usurpatur, uti ostendit Petavius. [7]

41. III. Obj. adversus 3. partem. 1. Nuspiam legimus in Scripturis Christum ritum externum instituisse ad propagandum sacerdotium. 2. Scribit praeterea Apostolus, Hebr. V. 4: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Jam vero, inquit Calvinus [8], neminem eorum, qui apud nos sacerdotes sunt, Deus vocavit. Ergo.

42. Resp. Ad 1. Expresse, *Tr.* tacite seu implicite, *N.* Cum enim ex Apostolo ad Timoth. per manuum impositionem conferatur gratia, exinde necessario colligimus Christum ritum hunc instituisse, cum unius Dei sit ritui externo vim conferendi gratiam tribuere. Necesse porro non est ut adjuncta nos assignemus, in quibus Christus hoc instituerit, cum non omnia quae dixit aut fecit, litteris consignata sint.

43. Ad 2. *D. min.* Neminem Deus vocavit tamquam Aaron immediate, *Tr.* vel *C.* mediate, *N.* Nam hoc ipso quod Christus instituerit sacerdotium in apostolis jusseritque ipsum externo ritu propagari in perpetuum, vocavit immediate tamquam Aaron apostolos, et per eos, seu mediate, vocat

[6]) *Hist. Eccl.* lib. I. cap. 9.
[7]) *Diatriba de potestate consecrandi,* cap. 3.
[8]) *Inst.* lib. IV. cap. 18. §. 9.

eos omnes, qui legitime initiantur. Nam Deus ipse immediate non vocavit ad sacerdotium filios Aaron, sed mediante legitima generatione.

PROPOSITIO II.

Praeter sacerdotium sunt in ecclesia catholica alii Ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur.

44. De fide propositio est ex adducto can. II. concilii tridentini. Ad mentem ejusdem concilii duo hic nobis demonstranda sunt, ac 1°. de diaconatu praeter traditionem sacras litteras mentionem facere; 2°. de reliquis inferioribus Ordinibus veluti de totidem ad sacerdotium gradibus antiquissima exstare documenta. Cum de facto agatur, utrumque facillimae probationis est.

45. Ac primo Scripturas de diaconatu tamquam Ordine sacro mentionem facere tum Actus apostolici, tum Pauli Epistolae aperte testantur. Etenim, Act. VI. 1 seqq. legimus sic apostolos allocutos multitudinem fidelium: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus... Et elegerunt Stephanum virum plenum fide et Spiritu Sancto, et Philippum... Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Hic tria a nobis expendi debent, scilicet 1°. inaugurationis ritus, qui idem est ac ille quo episcopi et sacerdotes ordinantur, manuum impositio una cum oratione; 2°. virtutes, quibus fulgere debuerunt diaconi, sanctitas et sapientia; 3°. munus eisdem commissum, administratio mensarum, quae tunc temporis etiam sacrae erant, eo quod in ipsis Eucharistia dispensaretur. Quae profecto nonnisi Ordini sacro competere possunt. Haec autem magis confirmantur tum ex officiis, quae diaconi statim post ordinationem obiverunt, praedicandi scilicet et baptizandi, ut legitur ibid. cap. 7 et 8. de Stephano et Philippo; tum ex Apostolo, qui in Ep. I. ad Tim. III. easdem ferme virtutes in diaconis ac in episcopis aut presbyteris requirit, et ex Ep. ad Philipp. I. 1. ubi diaconos cum episcopis conjungit.

46. Universa proinde antiquitas diaconos ut ministros sacros spectavit; Patres apostolici Clemens romanus, I. *ad Cor.* c. XLII; Polycarpus, in *Ep.* sua, c. III; s. Ignatius M., in omnibus fere suis *Epistolis* ita de diaconis loquuntur, ut ex Christi ordinatione eos institutos assumant. Satis nobis erit hic verba describere s. Ignatii ex ejus *Epist. ad Smyrnaeos,* c. VIII: *Omnes episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et presbyterium ut apostolos; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.* Passim autem a Patribus et conciliis diaconi oculi, aures, manus, pedes episcoporum vocantur. Adeo ut doctiores ipsi protestantes, Grotius, Beveregius, Pearsonius aliique non solum id fateantur, sed etiam propugnent.

47. Ad alterum vero quod attinet, de aliis inferioribus Ordinibus uti gradibus ad sacerdotium antiquissima documenta mentionem facere, locupletissimus testis est s. Cornelius Papa, qui in *Epist. ad Fabium antiochenum,*

ita de Novatiano scribebat ann. 252: *Ergo ille evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica, in qua tamen sciebat presbyteros esse quatuor et quadraginta, septem autem diaconos totidemque subdiaconos, acolythos duos et quadraginta, exorcistas, lectores cum ostiariis quinquaginta duos?* Cantum praeterea refert Anastasius bibliothecarius a Cajo rom. pontifice ann. 283. ne quis constitueretur episcopus, qui prius non fuerit *ostiarius, lector, exorcista, sequens* (acolythus), *subdiaconus, diaconus, presbyter.* De iisdem praeterea ordinibus saepissime in scriptis suis loquuntur Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, Hieronymus, Augustinus, ita ut res notissima sit; concilium vero carthaginiense IV. uniuscujusque Ordinis ritus apprime describit, qui adhuc servantur.

48. Cum igitur in adductis documentis de his Ordinibus sermo occurrat tamquam de re jam usu recepta, quin apprime origo illorum institutionis assignari possit, non immerito ab apostolis eos institutos theologi colligunt. Ut autem innuimus, in ecclesia graeca duo tantum praeter diaconatum recensentur Ordines, hypodiaconatus et lectoratus; ut patet etiam ex conc. VIII. oecumenico adversus Photium celebrato, quod can. V. constituit neminem posse ad episcopatum ascendere, quin prius aliis Ordinibus fuerit initiatus; hos vero recensens, quatuor nominat, lectoratum, hypodiaconatum, diaconatum et sacerdotium. Orientales reliquos hac in parte cum graecis consentire ostendit Renaudotius, op. cit.

DIFFICULTATES.

49. I. Obj. 1. Diaconatus Ordo sacer dici nequit, cum diaconi ad profanum opus, mensarum videlicet viduarumque ministerium instituti fuerint, ut ex ipsis Actis apostolicis liquet; et 2. prout eis exprobrat s. Hieronymus, in *Epist. ad Evangelum,* ubi eos vocat *mensarum viduarumque ministros;* 3. ab eo vero non dissentiunt Chrysostomus, Theophylactus et Oecumenius in hunc *Act. apostolorum* locum. 4. Quapropter conc. trullanum, can. XV. de profano ministerio exponit, quod commissum primis diaconis est. Ergo.

50. Resp. Ad 1. *Neg.* 1°. quia alia est occasio, ob quam primi diaconi instituti sunt, aliud vero diaconatus in se spectatus. S. Lucas hanc occasionem ortam refert ex murmure Graecorum adversus Hebraeos in ministerio quotidiano; hoc permoti apostoli diaconatus Ordinem ex Christi mandato instituerunt; 2°. quia, ut diximus, ministerium mensarum tunc etiam sacrum erat; 3°. quia officia a diaconis obita, Epistolae Pauli, et traditio apostolica istorum Ordinem sacrum esse nos docent.

51. Ad 2. *D.* Ratione occasionis, qua diaconi instituti sunt, *C.* in se, *N.* Cum s. Hieronymus sibi arrogantiam nonnullorum tumidorum diaconorum, qui se presbyteris praeferebant, compescendam assumpserit, eos revocat ad primaevae institutionis recordationem, quin Ordini ipsi quidpiam detrahere voluerit. Sane, in *Epist. ad Heliodorum,* s. Doctor diaconatum *tertium sacerdotii ordinem* appellat.

52. Ad 3. *Neg.* Mens enim s. Jo. Chrysostomi, cujus Theophylactus et

Oecumenius epitomatores sunt, ut ex orationis serie patet, est *nomen* diaconorum, perinde ac presbyterorum et episcoporum serius usurpari in ecclesia coepisse, licet prius *fuerint ordinati*, ut ipse ibid. loquitur. [1]

53. Ad 4. *D.* Quin tamen diaconos excluderet ad sacra ministeria constitutos, *C.* secus, *N.* Singularis fuit istius concilii sententia antiquitati contraria, adeoque commentitia, primos septem diaconos ad profana tantum munia institutos, quibus deinceps alii adjecti sunt ad ministeria sacra, ac de hisce locutum Apostolum in Epist. ad Timotheum. Hoc tamen nobis satis est.

54. II. Obj. 1. Subdiaconatus caeterique minores, quos vocant, Ordines, prorsus incogniti primitivae ecclesiae fuerunt; 2. nec nisi officia ab initio erant, quae delectis hominibus ab episcopo, aut sacerdotibus committebantur, ut de cantoribus, seu psalmistis, ac fossariis novimus, et ad nutum ab illis officiis revocabantur. 3. Id aperte constat ex s. Ambrosio, qui scribit [2]: *Alius distinguendae lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Haec omnia spectet sacerdos, et quid cuique congruit, id officii deputet.* 4. Quum vero recens disciplina haec non amplius ferat, jure synodus pistoriensis, prop. LV: *Vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri* (quo nomine inferiorum Ordinum clericos designat) *a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis et aliis officiis velut acolythi* etc., *ut olim fieri solebat, quando ejus generis officia non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis reducta erant.* Ergo.

55. Resp. Ad 1. *D.* Si primitivae ecclesiae nomen coarctetur ad apostolorum aetatem, *Tr.* si complectatur trium saltem priorum saeculorum aetatem, *N.* Certe ex sacris litteris minime novimus horum Ordinum institutionem ab apostolis factam: cum tamen Patres vetustissimi Tertullianus, Cyprianus, Cornelius, aliique hosce ipsos Ordines commemorent uti jam ubique notissimos, merito inferimus aut ab apostolis aut ab ecclesia, primo ipso aut secundo saeculo institutos uti gradus ad sacerdotium, ne qui ad statum ecclesiasticum evehendi erant, repente sine idonea institutione in clericali palaestra promoverentur.

56. Ad 2. *D.* Una cum ordinatione commissa, *C.* nuda officia, *N.* Etenim recensiti Ordines a Cornelio et Cajo pontificibus veluti totidem gradus exhibentur, per quos ascendebatur ad sacerdotium. Concilium carthaginiense, ann. 398. celebratum, ritus describit eorumdem tradendorum ac munia declarat; omnium praeterea collationem episcopo tribuit. Si igitur Ordinis nomine venit ritus sacer, quo spiritualis potestas confertur ad ecclesiastica munia obeunda, sequitur a veteribus Ordines istos non ut mera officia spectata fuisse, sed ut veros Ordines et gradus habitos esse ad sacerdotium. De psalmistis et fossariis paulo post agemus.

57. Ad 3. *D.* Constat ex s. Ambrosio officia, de quibus loquitur, distributa

[1]) *Homil.* XIV. *in Acta apost.* n. 3. [2]) Lib. I. *De Officiis,* cap. 44.

fuisse inter clericos Ordinibus initiatos, *C.* promiscue, *N.* S. Ambrosius episcopum instruit, qua ratione apte varia officia pro uniuscujusque idoneitate inter *clericos* distribuat. Cum proinde hos *clericos* vocet, patet agi a s. Doctore de iis, qui jam Ordinibus initiati sunt.

58. Ad 4. *Neg.* Siquidem etiam recens disciplina exigit ut clerici pro officio in Missa solemni aliisque ecclesiasticis publicis functionibus juxta proprium gradum inserviant, ministeriumque suum exhibeant; tum etiam exigit, ne quis statim e laicali statu ad majores Ordines promoveatur, prout etiam sancitum est a tridentina synodo; proinde propositio, qua Calvini in hos Ordines convicia renovantur, jure merito a Pio VI. in laudata saepe Const. *Auctorem fidei* proscripta est tamquam *suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ordinis perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum Ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.*

IN DOCTRINAM CAPITIS SUPERIORIS SCHOLIA.

59. Tria sunt circa quae scholia haec nostra versantur, eo quod de his non minima viguerit inter theologos disceptatio. Sunt autem 1°. sacramentalis dignitas, quatenus nempe et quibus ex recensitis Ordinibus competat; 2°. Ordinum numerus, institutio, munia; 3°. gradus, varietas, vicissitudo. Quid verisimilius nobis de singulis his sentiendum videatur, omni deposita contentione aperiemus.

SCHOLION I.

60. Circa dignitatem sacramentalem, inquiri solet utrum episcopatus, prout a presbyteratu distinguitur, haberi debeat ut Ordo et sacramentum. Equidem si Ordinis nomine veniat *gradus,* nulli controversiae locus esse potest, cum de fide sit dari *in ecclesia catholica hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris,* juxta definitionem Tridentini, Sess. XXIII. can. VI. Prout vero Ordine ritus consecrationis significatur, communis scholasticorum, praeeuntibus Magistro Sententiarum, ss. Thoma et Bonaventura, in *Sentent.* IV. dist. 24. qui expressis verbis scribunt: *Episcopatus non est ordo*, doctrina fuit, episcopatum non esse nisi *officium,* et solam extensionem presbyteratus, seu ut alii loquuntur, simplicem deputationem extrinsecam ad aliquas functiones seu ministeria, quibus peragendis non erat idoneus presbyter. Card. Capisucchius ord. praed. in *Controvers. theologicis selectis* Romae editis ann. 1670. *Controv.* XXVIII. *de Episcopatu,* §. 2. recenset 83 auctores pro hac sententia. Adeoque ex istorum placito episcopatus nec Ordo nec sacramentum est. Nunc tamen opposita sententia praevaluit, jamque communis est, episcopatum tum Ordinem peculiarem tum sacramentum esse. Haec sententia, cui adhaerendum omnino videtur, innititur Scripturae, ac ratio ei suffragatur. Etenim Apostolus, in adductis testimoniis ex utraque ad Timotheum Epistola, in quibus agit de

hujus discipuli Ordinatione, tria illa commemorat, quae sacramenti ostendunt veritatem, ritum sensibilem, gratiae collationem, divinamque idcirco institutionem. Ratio theologica praeterea huic sententiae suffragatur, quatenus ritus, quo consecratur episcopus, distinctum habet ministrum, peculiarem formam, novamque tribuit potestatem qua antea simplex sacerdos carebat, tum nempe ordinandi, tum confirmandi. Quae cum ita sint, rite definitur episcopatus: *Ordo sacer et sacramentum, quo presbytero potestas tribuitur conferendi sacramenta Confirmationis et Ordinis, regendique ecclesiam sibi commissam.* Presbyteratus est fundamentum episcopatus, qui illius apex et fastigium est, et ab illo specie distinguitur.

61. De chorepiscopatu pariter controversia orta est, num fuerit Ordo, an nudum officium. Hoc posterius certum videtur. Siquidem chorepiscopi seu episcopi agrorum, seu ut etiam dicebantur, *vicani* aut *villani* praeficiebantur pagis aut villis, uti nunc vicarii foranei cum potestate regendi plebem sibi commissam et conferendi minores Ordines. Horum institutio antiquissima est; in Oriente horum meminere synodi neocaesariensis, can. XIII. et ancyrana, can. XII. quae eodem anno 314. celebratae sunt. In Occidente saec. V. prima eorum mentio invenitur in conc. rhegiensi in Galliis ann. 439. Horum plerique nonnisi sacerdotali gradu erant insigniti; nonnulii tamen pollebant praeterea dignitate episcopali. Saec. IX aut X. in utraque ecclesia chorepiscopi desierunt.

62. Diaconatus ex communi ac certa theologorum sententia sacramentum est. In diaconorum enim inauguratione episcopus dicit: *Accipe Spiritum Sanctum;* quod non frustra proferri definivit Tridentinum, can. IV. Eisdem manus imponitur, cum ordinantur, ac de divina diaconatus institutione in allegato can. VI. idem concilium loquitur; nullum propterea de istius Ordinis sacramentali dignitate dubium superest. Definiri idcirco diaconatus potest: *Ordo sacer et sacramentum, quo potestas tribuitur proxime inserviendi presbytero rem sacram facienti.*

63. Verum quid dicendum de diaconissis? Certum est 1°. eas ipsa aetate apostolica exstitisse, ut patet ex Epist. ad Rom. XVI. 1; et ex I. ad Tim. V. 9. illarum etiam meminit Plinius in celebri *ad Trajanum Epistola.* Certum est 2°. illas inauguratas pene iisdem ritibus, quibus inaugurabantur diaconi; certum est 3°. unice caeremonialem fuisse hanc inaugurationem, qua foeminis varia committebantur officia, quae longum esset recensere, nec ulla ratione Ordinem esse, qui gradum dicat ad sacerdotium, cujus foeminae incapaces sunt, uti paulo post ostendemus. Quoniam vero potissimum earum officium erat assistere foeminarum Baptismo, qui per immersionem conferebatur, cum passim hoc sacramentum conferri coeperit per infusionem, hinc diaconissae ita desiere, ut saec. X. vix earum reperiatur vestigium.

64. Competere tum subdiaconatui tum minoribus Ordinibus sacramenti dignitatem plerique scholastici, quibus non pauci recentiores theologi adstipulati sunt, docuere. Nunc vero contraria sententia praevaluit, cui nos assentimur, eo quod desit ipsis divina institutio, uti constat 1°. ex antiquorum

testimoniis, qui expresse affirmant, crescente fidelium multitudine, ab ecclesia praefatos Ordines pro opportunitate institutos esse; 2°. ex istiusmodi Ordinum modo unius, modo alterius, aut etiam plurium cessatione, additione, imminutione, abrogatione et instauratione, quae certe in rem divinitus institutam cadere nequeunt; 3°. ex neglecta quandoque horum Ordinum collatione ante promotionem ad altiores Ordines respective, ita ut e. gr. lectores creati fuerint, quin prius fuerint ostiarii; acolythi, qui numquam fuerant ostiarii, lectores, exorcistae; diaconi, quin antea subdiaconi creati fuerint; ex fine, quem juxta rom. pontificum et conciliorum testimonia sibi potissimum ecclesia praestituit in his Ordinibus instituendis et conferendis, ne scilicet neophyti sacrorum rudes et tirones illico presbyterio inaugurarentur, priusquam fidei dogmata et sacramentorum caeremonias didicissent. Horum quatuor, quae vix innuimus, si quis documenta quaerat, reperiet apud Morinum.[1] Jam vero si his Ordinibus divina deest institutio, sequitur eos nec sacramenta esse, neque characterem imprimere.

SCHOLION II.

65. Quoad Ordinum numerum, diversus hic viget in ecclesia graeca et in ecclesia latina. Etenim in ecclesia graeca, ut jam diximus, quatuor tantum numerantur, sacerdotium, diaconatus, hypodiaconatus et lectoratus; septem vero in ecclesia latina recensentur, nempe praeter tres priores quatuor minores, ostiariatus, lectoratus, exorcistatus et acolythatus. Hi quidem omnes in ecclesia romana semper constantes fuerunt; non item vero in ecclesiis aliis particularibus sive orientalibus sive occidentalibus. Nam juxta Morinum[2] et Assemanum[3], apud Syros et Maronitas viget etiam *cantoratus* seu *psalmistatus* tamquam gradus ad lectoratum, immo apud Syros viguit insuper Ordo *Fossariorum,* qui ab ipsis *laborantes* dicebantur, et alicubi *copiatae.* Sic etiam *psalmistatus* in ecclesia carthaginiensi viguisse videtur ex Act. conc. carthag. III. prout *fossariorum* Ordo pariter in Galliis receptus aliquando videtur, ut patet ex *Epist.* sub Hieronymi nomine vulgata ad *Rusticum narbonensem,* in qua legitur: *Primus in clericis fossariorum Ordo est;* in recensione autem caeterorum Ordinum omittuntur exorcistatus et acolythatus.

66. Cum instituti nostri non sit singulorum Ordinum munia describere, quae praecipua sint, ex singulorum definitione facile agnosci poterunt.

67. Subdiaconatus ex dictis definiri potest: *Ordo seu ritus sacer quo potestas tribuitur ministrandi diacono et sacerdoti in Missae sacrificio.* In ecclesia graeca confertur manuum impositione extra sanctuarium; in ecclesia latina traditione calicis vacui cum patena vacua superposita, et forma adnexa.

68. Acolythatus est: *Ordo quo traditur potestas ministrandi subdiacono*

[1]) Op. cit. *De sacr. Ordination. Exercitat.* XI. capp. 1, 2 et 3.

[2]) Op. et loc. cit.

[3]) *Bibl. orient.* tom. III. part. I. pag. 575.

et diacono in Missae sacrificio. Confertur porro per traditionem ceroferarii cum cereo ac urceoli vacui cum respectiva forma.

69. Exorcistatus est: *Ordo quo potestas traditur nomen Domini invocandi super eos, qui ab immundis spiritibus obsessi, energumeni seu arreptitii vocantur.* In hujus Ordinis administratione liber porrigitur exorcismorum, aut Missale vel Pontificale iis verbis, quae hujus potestatis collationem significent.

70. Lectoratus est: *Ordo quo confertur potestas divinos utriusque foederis libros et sanctorum Patrum scripta publice in ecclesia legendi.* Apud graecos manuum impositione et adjuncta prece; apud latinos sacri codicis traditione et respectiva forma confertur.

71. Ostiariatus demum est: *Ordo quo clericus templo praeficitur tum ut illud sacrasque res asservet, tum ut divinis mysteriis, quae in eo peraguntur, reverentiam conciliet.* Ejus materia est traditio clavium; forma sunt verba quae eam comitantur.

72. Ideo vero in ostiariatus definitione verba adjecimus *quo clericus*, quia ecclesia non consuevit Ordines conferre nisi clericali militiae adscriptis per tonsuram, quae definiri solet: *Caeremonia ab ecclesia instituta, qua laicus baptizatus et sacramento Confirmationis consignatus sacro ritu in clerum cooptatur. Caeremoniam* vocavimus tonsuram clericalem, quia jamdiu obsoleta est nonnullorum scholasticorum et canonistarum sententia, quod tonsura et Ordo et sacramentum sit, quamque frustra viginti duobus argumentis Prosper Fagnanus fulcire adnisus est in *Comment. in secund. partem primi libri Decretalium, tit. de Aetate et Qualit.* cap. *Cum quicumque.*

73. Perperam vero Calvinus in clericalem tonsuram tamquam in ritum vanum ac superstitiosum invehitur. Certum enim est ex indubiis documentis eam antiquissimam esse in ecclesia. Siquidem auctor dialogi inscripti *Philopatris,* Lucianus creditus, christianorum irrisor, clericum describit e montibus ad ecclesiam *detonsa coma* venientem. Ammianus Marcellinus refert [4], Diodorum quemdam ab ethnicis alexandrinis sub Juliano apostata neci datum, quod puerulos tondens clericatui illos initiaret. Prudentis attonsionem s. Cypriani in clericum his verbis describit [5]: *Deflua caesaries compescitur ad breves capillos.* Et haec sufficiant, ut praeteream concilia carthag. IV. et toletanum II. aliaque monumenta, quae antiquitatem ritus hujus testantur. Eam propterea Calvinus superstitionis damnare non potuit, quin hac labe primitivam ecclesiam adspergeret. Quod attinet ad varias tonsurae formas quae diversis temporibus, diversisque in ecclesiis obtinuere, consuli potest praeter Martenium et Morinum, Opp. citt. Pellicia. [6]

[4]) Lib. XXII. cap. 11.
[5]) *Hymn.* XIII. *Peristephan.*
[6]) *De Christ. eccles. primae mediae et novissimae disciplina,* lib. VI.

SCHOLION III.

74. Circa Ordinum demum gradum, subdiaconatus apud graecos inter minores ordines recensetur; apud latinos pariter usque ad saec. XII. minoribus Ordinibus adscriptus fuit, ut constat ex synodo beneventana, sub Urbano II. celebrata ann. 1091. quae can. I. constituit, ut nemo ad episcopatum promoveretur, qui prius in *sacris Ordinibus* religiose vivens non fuerit inventus: *Sacros autem Ordines dicimus diaconatum et presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur ecclesia habuisse.* De episcopatus gradu relate ad presbyteratum quid tenendum sit, ex insequenti capite patebit.

CAPUT III.

DE EPISCOPORUM PRAESTANTIA SUPRA PRESBYTEROS.

75. Omnimodam episcoporum et presbyterorum aequalitatem Aerius, saeculi IV. haereticus, propugnavit, quem deinceps waldenses ac wicleffitae secuti sunt, demum presbyteriani de calviniano grege. Duplici porro ratione ex doctrina catholica praestant episcopi presbyteris, tum scilicet potestate ordinis, tum potestate jurisdictionis. Cum vero de illa postea dicturi simus, hic de altera tantum agemus, ostendentes episcopos presbyteris praecellere dignitate, gradu, potestate, quae jurisdictionis nomine designamus.

PROPOSITIO.

Episcopi sunt presbyteris superiores jure divino.

76. Prior propositionis pars de fide est ex can. VII. sess. XXIII. concilii tridentini: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores; . . . anathema sit.* Pars vero posterior licet certa, de fide non est, cum concilium expresse *de jure divino* episcopos presbyteris superiores esse non definierit. Cum tamen eadem argumenta, qui praecellentiam episcoporum evincunt, eam a divino jure repetendam esse ostendant, ideo per modum unius utriusque veritatem complectimur.

77. Sic igitur Blondellum, Salmasium ac presbyterianos reliquos adorimur: non solum Scriptura sed universa traditio hanc episcoporum praecellentiam agnovit usque ad Aerium, qui primus, teste s. Epiphanio [1], *dogma supra hominis captum furiosum* invexit illis verbis: *Quanam in re presbyteros episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo et idem honor et dignitas.*

78. Etenim primo Scriptura nobis perhibet Christum apostolos in supremo gradu constituisse supra septuaginta duos discipulos; communis autem Patrum omnium sententia est apostolos episcoporum, discipulos presbyterorum figuram gessisse.

[1]) *Haeres.* LXXV. cap. 3.

79. Inter Patres I. et II. saeculi eminent Clemens rom. et Ignatius M. Porro s. Clemens: *Summo quoque sacerdoti*, inquit [2], *sua munia tributa sunt; et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua munia incumbunt.* S. Ignatius, tum alibi, tum in *Epist. ad Magnesianos,* tres et ipse hierarchiae gradus distinguit, supremumque tribuit episcopo scribens [3]: *Hortor vos, ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, episcopo praesidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis.*

80. Ex III. saec. hunc ipsum supremum gradum in episcopis agnoscunt Clemens alex. et Origenes ex graecis; Tertullianus et Cyprianus ex latinis. *In ecclesia*, inquit Clemens [4], *sunt progressiones episcoporum, presbyterorum et diaconorum.* Caeteris omissis, ne longiores simus, s. Cyprianus: *Ecclesia,* scribit [5], *super episcopos constituitur, et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernatur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit,* etc.

81. Atque exinde factum est, ut veteres summa diligentia ad nos successiones episcoporum transmiserint ab apostolis usque ad aetatem suam. Ita Hegesippus, Irenaeus, Tertullianus, Eusebius praestitere, adeo ut primus uniuscujusque successionis vel apostolus sit, ut in ecclesia romana et hierosolymitana, vel aliquis ab apostolis institutus. Ad has autem successiones Patres omnes provocant haereticos, uti tesseram catholicae seu orthodoxae doctrinae adversus istorum novitates.

82. Demum huc spectant utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis antiquissimi libri Rituales a Martenio [6], a Goario [7], et ab Assemano [8] prolati, in quibus constanter inter episcopos et presbyteros distinctio, illorumque praecellentia exhibetur, et ad *auctorem Christum* refertur; prout pariter efficiunt Constitutiones apostolicae. [9]

83. Sane nulla epocha praeter apostolicam assignari potest tum istius distinctionis, tum istius praecellentiae; cumque Blondellus ac Salmasius ejus originem post medium saec. II. assignaverint, illico convicti sunt ex testimoniis Clementis romani, Ignatii, Polycarpi, Hermae, qui omnes longe ante ann. 136. floruerunt. Ergo.

DIFFICULTATES.

84. I. Obj. Scriptura eosdem docet episcopos ac presbyteros fuisse. Etenim 1. Apostolus, ad Tit. I. 6. cum praemisisset: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros,* v. 6 et 7. pergit exponere, quibusnam virtutibus ejusmodi presbyteri praediti esse debeant, et describit episcopum dicens: *Oportet enim episcopum sine crimine esse,* etc. 2. Luculentius vero, Act. XX. 17. legitur: *Paulus a Mileto mittens Ephesum, vocavit majores natu (gr. presbyteros) ecclesiae, qui cum venissent ad eum, et simul*

[2]) *Epist.* I. *ad Corinth.* cap. 8.
[3]) Cap. 6.
[4]) *Strom.* lib. VI.
[5]) *Epist.* XXVI.
[6]) Op. et loc. cit. art. 11.
[7]) *Euchолog.* pag. 307 seqq.
[8]) *Biblioth.* cit.
[9]) Lib. VIII. cap. 4 et 5.

essent, dixit eis... Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. 3. Hac de causa in Epistola ad Philipp. I. 1. idem Apostolus salutem dicit *episcopis cum diaconibus,* presbyteris praetermissis; et I. Tim. III. virtutes exponit, quibus episcopi et diaconi debent esse instructi, nulla presbyterorum injecta mentione, non alia profecto de causa, quam quod iidem essent episcopi et presbyteri. Ergo.

85. Resp. *D. A.* Scriptura eosdem docet fuisse episcopos et presbyteros quoad nomen, *C.* gradu et potestate *subd.* relate ad personas utroque gradu ut plurimum aetate illa insignitas, *C.* relate ad gradum in se spectatum episcopatus et presbyteratus, *N.* S. Jo. Chrys. censuit [10], episcopi et presbyteri nomen aetate apostolica primi ac secundi Ordinis sacerdotibus commune fuisse. Petavius, tum in op. *De ecclesiast. hierarchia,* lib. I. c. 4. tum praesertim in lib. *Dissertation. eccles.* c. 1 et 2. existimat primaeva illa aetate, quae quoad disciplinae formam veluti infantia ecclesiae spectari potest, presbyteros vel omnes, vel eorum plerosque, sic ordinatos esse, ut episcopi et presbyteri gradum obtinerent; id quodammodo exposcentibus illius aetatis adjunctis ad majus religionis incrementum. Sic plures episcopi in una eademque civitate seu ecclesia communi consilio res ecclesiasticas administrabant, apostolis tamquam majoris gradus pontificibus obsequentes. Resque ita steterunt, donec refrigescente pristina illa caritate et humilitate ac modestia, ad tollendas simultates, et *in schismatis remedium,* ut loquitur Hieronymus, unum aliquem e presbyterorum turba eligi placuit, qui praeponeretur caeteris. Ita desiere pari non solum dignitate, sed etiam ordine et potestate plures creari, translata in unum tam honoris quam jurisdictionis praerogativa, et episcoporum successio coepit. Hac ratione, ut patet, objecta omnia Scripturarum testimonia rite explicantur, difficultatesque omnes facile diluuntur.

86. II. Obj. 1. Patres antiquissimi quandoque in duas classes clerum distribuunt, in episcopos videlicet et diaconos, omissis presbyteris, aut in presbyteros et diaconos omissis episcopis, ut Clemens romanus [11], Polycarpus [12], Justinus [13], Clemens alexandrinus [14], Cyprianus [15], Hilarius. [16] Quandoque 2. presbyteros vocant apostolorum *successores,* ut Clemens romanus [17], Papias, apud Eusebium; Irenaeus [18], ac episcopi presbyteros vocant passim *collegas, compresbyteros, fratres suos.* Verum his omissis, 3. prae caeteris s. Hieronymus utrorumque aequalitatem luculenter adstruit, scribens [19]: *Idem est presbyter qui et episcopus... communi presbyterorum consilio* (ab initio) *ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur.* Admonet deinde episcopos, ut

[10]) *Hom.* I. *in Ep. ad Philipp.* n. 1.
[11]) *Epist.* I. *ad Corinth.* n. 42.
[12]) *Epist. ad Philipp.*
[13]) *Apol.* I.
[14]) *Strom.* I. 7.
[15]) *Ep.* LXII.
[16]) *In Ps.* CXXIV.
[17]) *Ep.* cit. cap. 1.
[18]) Lib. III. cap. 2.
[19]) *Comment. in Epist. ad Tit.*

noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse superiores, et in communi debere ecclesiam regere. Quae gravioribus verbis confirmat in *Epist. ad Evangelum,* rem declarans exemplo ecclesiae alexandrinae, in qua a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium, presbyteri unum ex se electum *excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant,* uti exercitus imperatorem sibi constituit, et diaconi archidiaconum. Ergo.

87. Resp. Ad 1. *D.* Inadaequate ob peculiares illius aetatis causas, *C.* adaequate ad identitatem utriusque ordinis significandam, *N.* Id enim ab ipsis fieri potuit vel ob unitatem sacerdotii, vel ob communionem nominis, aliasve ejusmodi peculiares causas; non autem ob utriusque gradus unitatem. Nam iidem qui nobis objiciuntur Patres ibid. in tres gradus et ordines clerum distribuunt, episcopum, presbyteros et diaconos, ut Clemens rom. et Ignatius; alii vero, ut Clemens alex., Cyprianus et Hilarius ea floruerunt aetate in qua, adversariis fatentibus, jam inducta erat inter episcopos et presbyteros distinctio, nempe post ann. 136.

88. Ad 2. *D.* Vocant presbyteros apostolorum *successores* aut *collegas, compresbyteros* etc. episcopos, *C.* presbyteros, *subd.* ob unitatem sacerdotii, *C.* ejusdem gradus et ordinis, *N.* Multiplici enim de causa, uti ex dictis patet, potuerunt presbyteri dici apostolorum successores, collegae etc., etiamsi hoc nomine daremus significatos simplices sacerdotes et non potius episcopos, quibus vidimus ab initio nomen presbyteri fuisse commune.

89. Ad 3. *Neg.* Quatuor enim docet s. Hieronymus, quae cum ejusmodi aequalitate consistere nequeunt; 1°. episcopos successores esse apostolorum, presbyteros vero LXX discipulorum; 2°. illos naufragium facere in portu, qui dicunt nullum inter episcopum et presbyterum esse discrimen; 3°. uni episcopo potestatem ordinationis tribuit; 4°. docet ita episcopum praecellere presbyteris, uti Aaron filiis suis, immo uti Moyses populo Israel; quae quidem omnia reperiuntur in ejusdem *Epistolis* LXXVIII, CXLVI, nec non in lib. *Adversus Joannem hierosolym.*, ac simul omnia in eadem, quae objicitur *ad Evangelum Epistola.* Ad haec igitur certissima s. Doctoris principia revocari debent, sive quae in *Comment. in Epist. ad Titum,* sive quae in cit. *Epistola ad Evangelum,* ab illis dissentire videntur. Componuntur autem si dicatur s. Doctorem allusisse ad primam illam aetatem, in qua non solum episcopi et presbyteri nomen utriusque gradus sacerdotibus commune erat, verum etiam utraque potestas in eadem capita passim collata erat; donec, ut idem s. Hieronymus scribit, ad tollenda schismatum semina toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur caeteris, distinctique proinde sunt gradus episcopatus et presbyteratus ab invicem. Id autem contigit ann. 55. id est, longe ante epocham a Blondello assignatam huic distinctioni, nempe ann. 136.

90. Quod speciatim attinet ad usum ecclesiae alexandrinae, nonnulli censent presbyteros illos, ex quibus collegium constituebatur, dignitate praeterea episcopali fuisse insignitos, adeoque non alio indiguisse, qui ad eccle-

siae regimen vocabatur, quam electione. Alii autem existimant s. Hieronymum locutum tantum esse de electione, qua semel facta, delectus statim potiebatur jurisdictione necessaria ad ecclesiam regendam, deinceps vero statuto tempore consecrabatur, prout pluribus documentis Witasse ostendit [20], nec non Natalis Alexander. [21] Atque huc referunt etiam similitudines a s. Hieronymo petitas tum ab electione imperatoris, tum ab electione archidiaconi.

91. Caeterum nihil illustrius ad s. Hieronymi germanam mentem afferri potest verbis, quibus ipse Epistolam suam *ad Evangelum* concludit: *Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de vet. Testamento; quod Aaron et filii ejus atque levitae in templo fuerunt, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in ecclesia.* Aaron porro divino jure praecellebat sacerdotibus reliquis, idem igitur juxta Hieronymum de episcopis relate ad presbyteros sentiendum est.

CAPUT IV.

DE SACRAE ORDINATIONIS MATERIA, FORMA, SUBJECTO ET MINISTRO.

92. Circa singulos hosce articulos nonnulla sunt certa apud omnes, nonnulla vero in quaestionem veniunt. Alia proinde ab aliis sunt accurate secernenda.

93. I. Quoad materiam aliter disseri debet de Ordinibus hierarchicis, aliter de non hierarchicis. Exploratum enim est penes theologos omnes subdiaconatus ac minorum Ordinum materiam in ecclesia latina esse instrumentorum porrectionem; in ecclesia graeca manuum impositionem extra sanctuarium collatam; formam vero, verba quae utrumque respective ritum comitantur.

94. Dissentiunt autem theologi in assignanda materia essentiali et adaequata ordinum hierarchicorum. Scholastici veteres fere omnes, quibus non pauci recentiores theologi assentiuntur, censuerunt eam pariter consistere in instrumentorum traditione. Communior vero nunc evasit illorum opinio, qui eam constituunt in sola manuum impositione.

95. Posterior haec sententia, quae nobis etiam magis arridet, innititur 1°. auctoritati Scripturarum, quae solam manuum impositionem memorant; 2°. Ritualibus omnibus et Sacramentariis ante nongentos ad minus annos conscriptis, collectisque a Menardo, Martenio et Marino. 3. Constitutionibus apostolicis, lib. VIII. c. 16, conc. carthaginiensi IV. can. III. aliisque conciliis non paucis, in quibus nulla prorsus instrumentorum porrectionis in collatione horum ordinum mentio occurrit; immo conc. carthaginiense, can. V. in eo constituit discrimen inter subdiaconatum et hierarchicos ordines, quod ille instrumentorum traditione, isti manuum impositione conferrentur. 4°. Pa-

[20]) *Tract. de Ordine*, part. II. qu. 2. [21]) *Diss.* XLIV. *in saec.* IV. §. 24. *ad inst.* 5.

tribus omnibus, immo et liturgiographis saec. VII, VIII et IX. qui de ritibus agentes, quibus singuli conferebantur Ordines, isti de instrumentis alte silent. 5°. Graecorum, caeterarumque ecclesiarum omnium orientalium consuetudini constanti, quaeque adhuc perdurat, sola manuum impositione eosdem Ordines conferendi. Solidis igitur adeo fundamentis sententia haec fulcitur, ut concuti non posse videatur.

Cum vero tres adhibeantur in presbyterorum ordinatione manuum impositiones, quaeritur quaenam ex illis essentialis habenda sit. Communis responsio est hanc esse secundam tantum; nam in prima nulla recitatur forma; tertia vero, praeterquam quod super eos fiat, qui cum episcopo Eucharistiam jam consecrarunt, apud graecos et orientales in usu numquam fuit, nec apud latinos ante saec. XIII. ut ex vetustis documentis evincunt Martenius [1] et Morinus. [2] Exinde sequitur antiquitus non adhibitam esse formulam illam: *Accipe Spiritum Sanctum*, qua passim scholastici et cum iis non pauci recentiores adhuc theologi docent conferri potestatem in corpus Christi mysticum, seu potestatem remittendi peccata.

96. Qui igitur sentiunt materiam essentialem et adaequatam Ordinum hierarchicorum in sola manuum impositione consistere, adjectam aiunt tractu temporis in ecclesia latina instrumentorum traditionem ad majorem declarationem eorum quae conferuntur per impositionem manuum.

97. Praecipuum adversae partis opinionis fundamentum est decretum Eugenii IV. pro Armenis: *Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem.* Ast nisi velimus pontificem sibi contradixisse dum episcopos, presbyteros et diaconos ecclesiae graecae rite ordinatos habuit sola manuum impositione, Bellarmini responsio adoptari necessario debet, qui scopum Eugenii fuisse dicit Armenos inducere ad ritum ecclesiae romanae adoptandum, seu potius superaddendum.

98. Caeterum in praxi utraque materia adhibenda est, ita ut si forte alterutra omissa fuisset, universa iteranda esset ordinatio, prout a sacr. Congregatione sancitum est apud Benedictum XIV. [3] In sacramentorum enim administratione tutior semper pars est eligenda.

99. II. Sed jam de subjecto; de quo duo certa penes omnes sunt: 1°. solum masculinum sexum idoneum esse Ordinationi. Nam ecclesia semper abhorruit a marcosianis, montanistis et collyridianis, Ordinationem mulieribus conferentibus. Neque in lege naturae, neque in lege scripta aliquando mulieres admissae ad sacerdotium sunt. Christus et apostoli ne ipsi quidem b. Virgini umquam sacerdotium contulerunt. Paulus praecipit mulieribus in ecclesiis tacere [4]; nec eis docere permittit. Quod si interdum in monumentis ecclesiasticis episcopae, vel presbyterae memoratae inveniuntur, istae non

[1]) *De antiq. eccles. ritib.* lib. I. part. II. cap. 8. art. 9.

[2]) *Exercit.* VIII. cap. 5.

[3]) *De Synodo,* lib. VIII. cap. 10. §. 13.

[4]) I. Cor. XIV. 34.

fuerunt nisi uxores quas episcopi aut presbyteri ante Ordinationem duxerant. De diaconissis satis diximus.

100. Certum 2°. est subjectum capax Ordinationis esse hominem baptizatum, cum Baptisma omnium sacramentorum janua sit. Quod si de adultis agatur, nulla ac irrita prorsus habetur Ordinatio quae invito ac reluctanti tribueretur. Quae ex historia ecclesiastica afferri solent exempla contraria, intelligi debent non de omnimoda et absoluta, sed de aliquali animi reluctantia, seu repugnantia. De iis praeterea, quae requiruntur, ut Ordinatio non solum valida sed legitima seu licita sit, agunt theologiae moralis institutores.

101. III. Superest ut de Ordinationis ministro pauca subjiciamus: controversia agitari potest 1°. de ministro ordinario, atque extraordinario; 2°. de ministro legitimo et illegitimo.

102. Jam vero fatentur omnes solum episcopum totius Ordinationis ministrum ordinarium esse ac proprium, prout fides docet, ac nos peculiari propositione adstruemus.

103. Quatenus Ordinatio complectitur subdiaconatum et quatuor minores Ordines, nunc inter omnes convenit posse presbyterum ex delegatione rom. pontificis esse ministrum extraordinarium. Ast non ita se res habet quoad collationem Ordinum hierarchicorum: ut omittam veterum nonnullorum canonistarum obsoletam sententiam, posse delegari presbyterum ad conferendum presbyteratum, potior quaestio olim agitata versabatur circa diaconatum. Etenim nonnulli senserunt esse in rom. pontificis potestate delegare simplicem sacerdotem ad hujus Ordinis collationem. Innitebantur autem ad hoc asserendum hi auctores privilegio concesso ab Innocentio VIII. abbatibus cisterciensibus ann. 1489. quo his tribuebatur potestas conferendi subdiaconatum et diaconatum subditis suis. Verum a plerisque uti spurium pontificium hoc diploma rejicitur, aut saltem ut interpolatum. Cum autem unicum hoc fundamentum sit hujus sententiae, patet eam nimium labili fundamento inniti, ut prudens quis possit eidem adstipulari.

104. Quoad ministrum legitimum haud exigua viguit contentio. *Legitimus* ille minister dicitur, qui non solùm catholicus est ac canonice electus et proprius episcopus, sed cujus praeterea Ordinatio omnibus ecclesiae legibus plane consentit; *illegitimus* vero censetur ille, qui ex alterutro capite deficiat. Nemo umquam catholicorum dubitavit illicitas esse Ordinationes, quae ab illegitimo ministro conferrentur.

105. Sed utrum praeterea invalidae haberi debeant, adeo olim implicata quaestio fuit, ut Magister Sententiarum scripserit [5]: *Hanc quaestionem perplexam ac plane insolubilem faciunt Doctorum verba, quae plurimum dissentire videntur.* Prolatisque quatuor sententiis, nulli adhaesit. Sane non pauca documenta pro utraque sententia sive affirmante valorem hujusmodi Ordinationum, sive negante, proferri solent, re nondum eliquata. A pluribus

[5]) Lib. IV. dist. 25.

jam saeculis viget doctrina s. Thomae, cui accessit ecclesiae universae suffragium, Ordinationes ab haereticis, schismaticis ac simoniacis validas omnino esse habendas. Irrito conatu Morinus primum, deinde vero Hyacinthus Sbaralea contrariam sententiam instaurare tentarunt: ille in op. cit., hic vero in Diss. *De sacris pravorum Ordinationibus.*

106. Ordinationes anglicanae nullae ac irritae censentur, non ex eo quod ab haereticis et schismaticis fiant, sed tum ob successionis interruptam seriem episcoporum in secta illa, tum ob vitiatam essentialiter formam. Sed jam ad catholicum dogma vindicandum accedamus.

PROPOSITIO.

Episcopi habent potestatem ordinandi, quae non est illis cum presbyteris communis.

107. De fide est enunciata propositio ex can. VII. cit. sess. concilii tridentini: *Si quis dixerit, episcopos... non habere potestatem... ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; anathema sit.* Ambas propositionis partes de potestate ordinandi qua pollent episcopi, quae illis cum presbyteris communis non sit, simul vindicamus, cum probationes utrique suffragentur.

108. Etenim Scriptura, traditio, ecclesiae praxis, simul conspirant ad asserendam uni episcopo ordinandi potestatem. Siquidem Christus sacerdos summus apostolos sacerdotes primum constituit; hi deinceps per manuum impositionem diaconos instituerunt, Act. VI. Saulus et Barnabas, ibid. cap. XIV. eadem ratione presbyteros per ecclesias constituunt. Idem Paulus, I. Tim. IV; et II. ad eumdem Timotheum I. testatur per manuum suarum impositionem inaugurasse hunc discipulum suum; eidem denique, I. Tim. III; et Tit. I. 5. mandat, quibus debeant imponere manus seu Ordines conferre.

109. Traditionis quoad hanc rem testes sunt *Constitutiones apostolicae* nuncupatae, quae praecipiunt [1], ut episcopus a duobus vel tribus ordinetur episcopis, presbyteri vero et diaconi ab uno tantum episcopo. S. Athanasius ideo evincit Ischyram non fuisse sacerdotem, quod a simplici sacerdote Collutho fuerit ordinatus. [2] Novatianus, Eusebio teste [3], sollicitus erat de inveniendis aliquot episcopis a quibus consecraretur, ut sic romanam sedem invaderet; ergo vel ipsis haereticis persuasum erat, nullam fore Ordinationem quae ab aliis quam ab episcopis conferretur. Optime proinde Epiphanius adversus Aërium scribebat [4]: *Ordo siquidem episcoporum ad gignendos Patres praecipue pertinet; hujus enim est Patrum in ecclesia propagatio: alter* (presbyterorum), *cum Patres non possit, filios ecclesiae lotionis regeneratione producit.* Hinc celebre illud, quod attulimus Hieronymi effatum: *Quid facit, excepta Ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat? Sola namque ordinatione,*

[1]) Lib. VIII. cap. 16 seqq.
[2]) *Apologia contra Arian.* n. 12.
[3]) *Hist. Eccl.* lib. VI. cap. 45.
[4]) *Haeres.* LXXV.

inquit s. Jo. Chrysostomus [5], *superiores* (episcopi) *sunt, atque hinc tantum videntur presbyteris praestare.*

110. Ecclesiae praxis melius deprehendi nequit quam in libris rituali-bus graecorum et latinorum, in quibus constanter solus episcopus sacrae Ordinationis exhibetur minister apud Renaudotium et Martenium, opp. citt. Sane vel dira vigente persecutione, numquam nisi ab episcopo presbyterorum aut diaconorum Ordinatio habita est. Sectas omnes orientales antiquissimas hac in parte consentire, res facti est exploratissima. Ergo.

DIFFICULTATES.

111. Obj. Non desunt exempla Ordinationis a presbyteris peractae. Etenim 1. conc. ancyranum ann. 314. celebratum, can. XIII. constituit: *Vicariis episcoporum, quos graeci chorepiscopos vocant, non licere vel presbyteros vel diaconos ordinare... sine praecepto episcopi.* Eadem habent conc. antiochenum coactum ann. 541. can. X. ac meldense anno 845. can. LXIV. confirmatque s. Isidorus [6]; apertissime vero summus pontifex Zacharias his verbis [7]: *Chorepiscopi ordinent etiam lectores, et subdiaconos atque exorcistas, quibus promotiones istae sufficiant. Nec presbyterum vero nec diaconum audeant ordinare praeter civitatis episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est.* Jam vero chorepiscopi simplices erant sacerdotes. 2. A conc. nicaeno facta est potestas presbyteris catholicis *manus imponendi, et proponendi nomina eorum, qui in clerum eligi meruerint*, testibus Theodoreto et Socrate. [8] Ergo.

112. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* A chorepiscopis episcopali dignitate praeditis, *C.* hac destitutis, *N.* Quamvis chorepiscopi ut plurimum non essent nisi presbyteri, uti ostendit Nat. Alexander [9], nunc vero apud criticos omnes exploratum est, plures tamen fuisse praeterea episcopos. Idque evincimus illis ipsis documentis quae nobis objiciuntur. Sane conc. ancyranum, can. XVII. statuit: *Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia, in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias et vim praesulibus earum inferre... eos abjici placuit. Quod si voluerint in presbyterii Ordine, ubi prius fuerant, ut presbyteri residere, non abjiciantur propria dignitate;* concilium vero antiochenum, cujus verba urget Zacharias, ut evincat non posse chorepiscopos sine facultate episcopi presbyteros et diaconos ordinare, haec habet: *Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint, tamen s. synodo placuit, ut modum proprium recognoscant... Nec presbyterum vero nec diaconum audeant ordinare praeter civitatis episcopum.* Alioquin si receptum esset, ut chorepiscopi non episcopali dignitate praediti, passim, saltem de licentia episcopi civitatis, tum presbyteros tum diaconos ordinarent, neque s. Epiphanius neque s. Jo. Chrysostomus aut

[5]) *Hom.* XI. *in* I. *ad Tim.* n. 1.
[6]) *De officiis ecclesiasticis*, lib. II. cap. 6.
[7]) *Epist.* VII. *ad Pipinum*, cap. 1.
[8]) *Hist. Eccl.* lib. I. cap. 9.
[9]) *Diss.* XLV. *in saec.* IV.

s. Hieronymus quibus hoc notissimum erat, tanta fiducia asserere potuissent in hoc tantum episcopos a presbyteris differre, quod illi possent ordinare, isti non possent; neque Aërius contrariam praxim urgere destitisset, si viguisset alicubi, quod tamen numquam fecit.

113. Ad 2. *D.* Facta est a conc. nicaeno presbyteris catholicis potestas *manus imponendi,* id est, *eligendi, C.* ordinandi, *N.* Sic enim textum Theodoreti vertit ac vertendum ostendit Valesius in not. ad cap. 9. libri I. Socratis, ubi pluribus exemplis adductis evincit προχειρίζεσθαι idem esse ac nomina proponere ordinandorum.

CAPUT V.

DE CAELIBATU ECCLESIASTICO SEU DE CONTINENTIAE LEGE SACRIS MINISTRIS IMPOSITA.

114. Continentiae virtus solius verae religionis dos est, nec uspiam proinde nisi in religione catholica ejus professio invenitur. Protestantismus, qui sin minus originem, incrementum saltem suum coenosis hominibus, clericis videlicet et monachis caelibatus pertaesis debet, jugiter ab ejusmodi hominibus adhuc alitur, alioquin uti lampas sine oleo extingueretur. Dumque catholica ecclesia viros probitate, ac doctrina praestantiores ex protestantismo ad unitatem se recipientes in sinum suum complectitur, protestantismus ad probrosam conditionem redactus est libidine infames monachos aut clericos apostatas colligendi, ut non ita pridem, ann. 1844. unus ex illis ingenue publice fassus est. Quocirca quid mirum, si protestantes et increduli adeo vehementer insurgant adversus ecclesiasticum caelibatum? Nostrarum igitur partium est ejus vindicias suscipere, ejus nimirum decoris et ornamenti praecipui, quo altaris ministri fulgere debent.

PROPOSITIO.

Continentiae lex sacris ministris imposita in antiquissima traditione fundamentum habet, eorumque statui convenientissima est.

115. Duas partes complectitur propositio, quarum altera *factum,* altera vero *jus* enunciat.

116. Ut a facto incipiamus; de eo profecto constat ex iis omnibus documentis, quibus evincitur continentiae legem vel consuetudine primum ab aetate apostolica inducta inniti vel apostolica institutione. Jam vero si sermo sit de ecclesia orientali, quamvis nulla peculiari lege in ea clerici ab initio ad continentiam adigerentur, tamen eorum plerique exemplo et exhortatione apostolorum permoti eam profitebantur. Hujus consuetudinis testes sunt Origenes [1], s. Hieronymus [2], Eusebius [3], s. Epiphanius [4], qui ab aevo apostolico et instituto illius originem repetit.

[1]) *Homil.* XXIII. *in Num.* n. 3, et alibi.
[2]) *Cont. Vigilant.* n. 2.
[3]) *Demonstr. evang.* lib. I. cap. 9.
[4]) *Exposit. fidei,* n. 21.

117. In ecclesia vero occidentali severior semper hac in parte disciplina viguit, quum Petrus apostolus non solum episcopos, verum etiam presbyteros et diaconos ejus legi subjecerit, prout solidis fundamentis innixi eruditi viri contendunt. Sane Tertullianus loquens de africano clero [5]: *Quanti*, inquit, *in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suae honorem* (in primaevi paradisi statum) *restituerunt, quique se jam illius aevi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, et totum illud, quod intra paradisum non potuit admitti?* Verbum porro *dicaverunt* votum ac professionem denotat; hinc in lib. *De veland. virginibus*, cap. 10. clericos vocat *viros virgines ac voluntarios spadones;* cumque ipse in clerum majorem ecclesiae carthaginiensis cooptatus esset, se a conjuge separavit. Volens proinde Aurelius carthaginiensis antistes episcopos, presbyteros et diaconos ad severiorem pristinam disciplinam revocare, in secundo conc. carthagin. dixit: *Quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Notum porro est ecclesiam africanam uti caeteras occidentales ecclesias a Petro vel ab ejus successoribus rom. pontificibus institutas fuisse.

118. Quapropter Siricius Papa, ann. 385. ejus legis meminit tamquam ab apostolo Petro institutae, ejusque urget observationem. [6] Eamdem legem supponunt Innocentius I. [7] et Leo M. [8] Eadem ratione sese gesserunt plura concilia saec. III, IV et V. celebrata, illiberitanum, taurinense, carthaginiense II. et V. toletanum I. aliaque non pauca, quorum decreta profert Thomassinus. [9] Hinc nullum proferri potest ex ecclesia latina exemplum de episcopo, presbytero aut diacono impune legem continentiae transgrediente, prout in ecclesiis orientalibus invenimus.

119. Ex ecclesia romana lex haec in caeteras pervenit ad patriarchatum occidentalem spectantes, nempe in Achaiam, Thessalonicam, et Macedoniam. Constat praeterea s. Marcum legem hanc Alexandriae veluti haereditariam successoribus suis reliquisse; eamdemque viguisse in patriarchatu antiocheno, atque aetate s. Epiphanii universam Cyprum eam amplexam esse, ut ipse scribit. [10] Tractu tamen temporis in illis regionibus clerus a primaeva institutione descivit, ac soli episcopi caelibes perseverarunt, tributa facultate clericis inferioribus retinendi uxores quas ante ordinationem duxerant, ex sanctione concilii trullani. Quoad Ordines diaconatu inferiores, in ecclesia latina varia viguit disciplina, donec subdiaconi continentiae lege obligati sunt.

120. Et haec de facto; circa *jus* seu circa hujusce legis convenientiam, eam clero peropportunam maxime esse facile evincit continentiae praestantia quam Christus et apostoli factis et verbis adeo commendarunt. Ut enim Hieronymus loquitur [11]: *Christus virgo, Virgo Maria, utriusque sexus virgini-*

[5]) Lib. *De exhortat. castit.* cap. 11.

[6]) *Epist.* I. *ad Himerium episc. tarracon.* n. 10.

[7]) *Epist.* II. *ad Victricium*, cap. 9.

[8]) *Epist.* CLXVII. *ad Rusticum Narbon.* n. 21.

[9]) *De vet. et nova disciplina*, part. I. lib. II. cap. 60, 61.

[10]) *Haeres.* LIX. cap. 4.

[11]) *Apologetic. pro libro cont. Jovinian.*

tatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes. Ad eam Christus adhortatus est. [12] Paulus pariter ad eam exhortatus est et exemplo suo confirmavit. [13] Conveniens igitur fuit ut hoc institutum sectarentur, qui ad sacrum ministerium vocati sunt, Deoque proxime serviunt.

121. Talia sane sunt munia, quae reipsa ministerium illud complectitur, ut coeleste vitae genus quodammodo poscant. Praecipua enim sunt sacrificium offerre, orare, praecesse, docere, sacramenta administrare, infirmorum et pauperum curam gerere, aliaque id genus multa, quae non patiuntur hominem negotiis saecularibus, et obligationibus conjugalibus distractum. Quod loc. cit. declarat Apostolus, scribens: *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est;* seu hic status efficit, ut quis *non sit Dei in solidum,* ut exponit vel ipse Calvinus, *Comment.* in hunc loc. Quod et experientia ipsa quotidiana demonstrat tum apud graecos presbyteros, tum apud anglicanos et protestantes ministros, qui vix dominica die ministerio incumbunt, dum reliquam hebdomadis partem negotiis impendunt et familiae. Toti sunt uxori et filiis alendis, instituendis ac ditandis. Proventus non in pauperes sed in rem domesticam convertunt. Si lues aut contagiosus morbus grassetur, fugiunt. Si apud exteras regiones missiones suscipiunt, mercatores agunt, ac stipendia ingentia a biblica societate uti mercenarii percipiunt, ac interea, si molestias excipias, quas operariis catholicis creant, otio diffluunt, contemptumque sibi conciliant.

122. Continentiae praeterea professio liberiores altaris ministros efficit, ita ut ad veritatem tuendam neque exilia, neque carceres aliasve insectationes timeant, subireque recusent, secus ac illis contingat, qui familiae cura detinentur; prout rursum experientia evincit, qua novimus ut plurimum protestantes ministros ac *popos* russicos servilem animum gerere, ac se ultro principum ac magistratuum arbitrio subjicere ab eorumque nutu in omnibus pendere.

123. Demum continentiae professio, ob praeclaram de illa in omnium animis velut insitam opinionem sacerdotes reddit populis venerabiles. Hinc eos honore prosequuntur, summam in eis fiduciam collocant, filios instituendos libenter iisdem committunt; quae nonnisi aegre conjugatis clericis impenderent.

124. Quae cum ita se habeant, pronum est inferre, prout ostendendum assumpsimus, continentiae legem tum solidum in antiquitate fundamentum habere, tum clericali statui convenientissimam esse.

DIFFICULTATES.

125. I. Obj. 1. Apostolorum exemplum continentiae instituto minime suffragatur, cum ex Apostolo constet, eos et uxorem habuisse ac secum

[12]) Matth. XIV. 11. [13]) I. Cor. VII.

circumduxisse [14]: *Numquid,* inquit, *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et caeteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* Prout et de ipso Paulo testatur Clemens alex., apud Eusebium [15], quem uxorem compellasse scribit. [16] Nec magis solidum suppeditat antiquitas pro hac lege fundamentum. Etenim 2. cum ageretur in conc. nicaeno de *nova lege* inducenda, ut qui essent *sacris initiati, non uterentur uxoribus legitime sibi ante Ordinationem consociatis*, Paphnutius episcopus aegyptius vehementer vociferatus est, ne grave hoc jugum clericis imponeretur, sed satis esse ut vetus ecclesiae servaretur traditio, de non ducenda uxore post Ordinationem, ut referunt Socrates [17] et Sozomenus [18], qui addunt reipsa *permissum cuique pro arbitrio ab uxorum consuetudine abstinendi.* 3. Hinc tot exempla eorum, qui in episcopatu, presbyteratu et diaconatu ex legitimo conjugio liberos susceperunt.

126. Resp. Ad 1. *Neg.* Paulus enim in objecto loco loquitur de piis foeminis, quae Hebraeorum more apostolos comitabantur, ut illis ministrarent, prout eas Christum secutas legimus [19], sed ut vel ipse Clemens alex. exponit [20], *non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quae una ministraturae essent apud mulieres, quae domos custodiebant: per quas etiam in gynaecaeum, absque ulla reprehensione malave suspicione, ingredi posset verbum Dei.*

127. Sic etiam inficiamur apostolum Paulum aut uxorem habuisse, aut eam compellasse, in Ep. ad Philipp. Quominus enim id admittamus obstat auctoritas Tertulliani, Ambrosii, Hieronymi, Epiphanii, Theodoreti et aliorum, qui id expresse negant; sed potissimum obstat auctoritas ipsius Pauli, qui scribit [21]: *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum. . . Dico non nuptis et viduis, bonum est illis, ut sic permaneant sicut et ego.* Deceptus porro est Clemens aequivocatione, quae latet in voce σύζυγος, qua usus est Paulus, quae tam de conjuge quam de sodali intelligi potest; hic autem ad socium seu sodalem significandum adhibitam esse non solum antiquae versiones omnes consentiunt, sed nobis dant etiam recentiores interpretes protestantes, ac nominatim Rosenmüller.

128. Ad 2. *D.* Actum est in concilio nicaeno de *nova lege* quoad eos, qui conjugio irretiti Ordinationem acceperant, *Tr.* quoad ordinandos, *N.* Transmisimus primum membrum, eo quod eruditis non paucis haec historia aut falsa aut suspecta sit. Verum, ea admissa, nihil exinde contra thesim; siquidem *antiqua traditio* sancita est, ut sacris Ordinibus initiatis nullae permitterentur nuptiae, secus ac dictis et factis teneant protestantes. Cum vero in orientalibus ecclesiis presbyteri et diaconi, qui ante ordinationem conjugio erant obstricti, uxores ex consuetudine retinerent, nihil concilium de his

[14]) I. Cor. IX. 5.
[15]) *Hist. Eccl.* lib. III. cap. 30.
[16]) Philipp. IV. 3.
[17]) Lib. I. cap. 9.
[18]) Lib. I. cap. 23.
[19]) Matth. XXVII. 35; Marc. XV. 41; Luc. VIII. 2.
[20]) *Strom.* lib. III.
[21]) I. Cor. VII et VIII.

statuere voluit. Plerique tamen episcopi ad sedes suas reduces legem plenae continentiae dioecesibus ac provinciis suis imposuerunt, ut constat de s. Eustathio quoad patriarchatum antiochenum, et de s. Alexandro quoad patriarchatum alexandrinum. In ecclesia autem latina antiqua lex de perfecta continentia semper servata est.

129. Ad 3. In ecclesia orientali, *Tr.* in ecclesia latina seu occidentali, *N.* Nos ipsi jam animadvertimus non eodem rigore legem hanc in orientalibus quibusdam ecclesiis obtinuisse, quamquam et in illis nonnisi paucorum exempla suppetant clericorum conjugatorum, praesertim episcoporum. De ecclesia occidentali nulla est controversia.

130. II. Obj. 1. Iniquum est illud interdicere, quod Deus liberum esse voluit, cujusmodi est conjugium. 2. Eo vel magis quod nemo sibi polliceri possit observationem continentiae, quae donum Dei est, ac nulli se illud singillatim daturum promisit. 3. Atque exinde tot illa prodierunt mala et scandala, quibus per honestum conjugium provisum esset. 4. Optime autem cum ministeriis sacris conjugalis status conciliari potest, ut patet ex primis christianis, qui, quamvis conjugati, quotidie tamen communicabant, orabant, Deo vacabant. 5. Idem dic de pauperum cura, ut ostendunt exempla Job et Tobiae, qui quamvis uxorem haberent, alter tamen erat pater pauperum, alter vero et quod poterat, indigentibus tribuebat. Ergo.

131. Resp. Ad 1. Nulla justa interveniente causa, *C.* secus, *N.* Alioquin innumera prope essent aptissime constituta, quae sub hoc praetextu ut iniqua traduci deberent sive in politico sive in ecclesiastico regimine. Deinde *Neg.* ulli interdici conjugium. Ecclesia neminem cogit ad caelibatum, sed eam conditionem constituit, ut qui velit sacris Ordinibus initiari, continentiae observationi se subjiciat; cum ejusmodi conditio ipsi bene perspecta sit, unusquisque ultro conjugio se abdicat, seque hac lege obligat.

132. Ad 2. *D.* Nemo sibi continentiae observationem polliceri potest propriis viribus confisus, *C.* divinae gratiae auxilio, quod nulli petenti deest, *N.* *Quodcumque petieritis,* ait Christus, *credite quia accipietis;* adeoque et continentiae donum. Absonum, immo et blasphemum est asserere impossibilem esse continentiam, quam Christus adeo commendavit atque suasit, prout pariter praestitit Apostolus. Alioquin novae nuptiae illis omnibus concedendae essent, qui absente vel diuturno morbo laborante uxore uti non possent. Quis porro hoc dicet?

133. Ad 3. *D.* Ex hominum malitia causisque extrinsecis, *Tr.* ex vitio legis, *N.* Adversarii sibi placent in amplificandis ejusmodi scandalis, quae tot non sunt, quot ipsi exaggerant. Ast his etiam admissis, negligi debent ratione habita tot emolumentorum, quae ex caelibatus professione et in clerum, et in ecclesiam, immo et in societatem ipsam universam proveniunt. Scandala illa ex vocationis defectu, orationis neglectu et abnegationis sui, aliisque causis oriuntur, quibus neque per conjugium absolute remedium afferretur, ut liquet ex tot etiam in ipso conjugio abusibus ac thalami violata fide.

134. Ad 4. *D.* Absolute, *C.* ea qua par est perfectione, *N.* Neque enim contendimus haud posse absolute consociari officia conjugalia cum ministerio sacro; sed illud verissime dicimus longe melius ob rationes adductas, quibus plures aliae adjici possent, munia sacerdotalia adimpleri a caelibe quam a conjugato. Nec valet exemplum objectum primorum fidelium, tum quia ignoramus, utrum ipsi ea non praestiterint quae Paulus insinuat [22], tum quia magnum intercedit discrimen inter fidelium et ecclesiae ministrorum obligationes et munia.

135. Ad 5. Eadem esto distinctio; fieri utique absolute potest ut clerici conjugati curam pauperum gerant; verum si ex ideali ad concretum quaestionem revocemus, difficile admodum est, ut qui vix familiae alendae sufficiunt, velint aut possint aliis indigentibus tribuere. Quid si agatur de parochiis adeo tenuibus ut vix ali parochus valeat? Anglicani praesules et ministri facto ipso ostendunt clericos conjugatos nec totidem Job nec Tobias esse.

136. III. Obj. 1. Deus omnibus indiscriminatim praecepit conjugium, dicens [23]: *Crescite et multiplicamini;* 2. Apostolus spiritui erroris tribuit nuptiarum prohibitionem [24]: *Discedent quidam a fide; attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum ... prohibentium nubere.* 3. Hinc generatim ait [25]: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat;* adjiciens, v. 9: *Melius est enim nubere quam uri.* 4. Sane natura ipsa hominem ad matrimonium inclinat, et in eum finem sexuum diversitas ab eadem ordinata est. 5. Atque ut docet physiologia, instinctus quo a natura in conjugium ferimur, est *prorsus irresistibilis;* 6. ex ejus autem cohibitione caelibes innumeris prope morbis obnoxii sunt. 7. Demum ex caelibatu damna ingentia in societatem proveniunt. Ergo.

137. Resp. Ad 1. *Neg.* Objecta enim verba benedictionem ac foecunditatem significant, non imperium nubendi, alioquin hoc imperium seu praeceptum impositum pariter fuisset animantibus brutis, quibus ibid. v. 22. Deus dixit: *Crescite et multiplicamini et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram.* Quod si quis contendat illis verbis praeceptum contineri, reponimus afficere illud humanam speciem generaliter non autem individua ejusdem singula, nisi forte ad tempus, seu usque ad sufficientem propagationem, ut illa verba insinuant, quae adjecta sunt: *et replete terram;* alioquin in absurda incideremus.

138. Ad 2. *D.* Tribuit Apostolus spiritui erroris nuptiarum prohibitionem, quasi hae in se malae essent, *C.* secus, *N.* Praenunciat fore haereticos, qui damnaturi erant nuptias ut in se malas et a diabolo invectas, cujusmodi reipsa fuerunt simoniani, saturniani, ebionitae, marcionitae, encratitae, manichaei. Ast ecclesia nuptias in se bonas tuetur, immo et ad sacramenti dignitatem a Christo elevatas; illis vero praefert caelibatum non ut bonum malo, sed ut

[22]) I. Cor. VII.
[23]) Genes. I. 28.
[24]) I. Tim. IV. 1.
[25]) I. Cor. VII. 2.

melius bono, eo quod caelibatus professio sacro ministerio mancipatis magis conveniens sit, quam status conjugalis. Immo unicuique liberum relinquit sive inire conjugium sive suscipere in se conditionem caelibatus per susceptionem sacrorum Ordinum. Haec objicere, vere est abuti Scripturis.

139. Ad 3. *D.* Iis, qui jam matrimonio copulati sunt, *C.* caeteris, *N.* Quin potius Apostolus in hoc capite totus in eo est, ut continentiam ac virginitatem suadeat. Dum vero subdit Paulus: *Melius est nubere quam uri,* de iis loquitur, qui liberi sunt, quibus certe melius est nubere quam fornicari; dico *fornicari,* quia ille profecto non uritur, qui pulsatus tentatione eidem viriliter resistit, immo potius coronatur; prout non uritur, qui tantum calefit. Illi vero qui lege vel veto ad continentiam obstricti sunt, ut tentationes vincant, non ad conjugium, sed ad orationem, jejunium, sensuum custodiam, carnis macerationem confugere debent. Ab his vero abhorrent protestantes ne Christum injuria afficiant!

140. Ad 4. *D.* Per inclinationem vagam et non obligatoriam, *C.* quae unicuique obligationem imponat, *N.* Ejusmodi inclinatione sapienter humanae speciei propagationi prospexit Deus; alioquin vix esset, qui, spectatis conjugii oneribus, vellet sese eidem subjicere. Non ideo propterea inferri potest, exsurgere obligationem, quae omnia et singula speciei individua afficiat. Sexuum autem diversitas idoneitatem denotat ad eum statum, ita ut omnes *possint,* si velint, conjugium inire, non autem necessitatem, ita ut omnes et singuli *debeant* statum illum amplecti, nisi velimus in absurda incidere.

141. Ad 5. *Neg.* Etenim vera scientia numquam religioni adversatur, Christus hortatus est ad continentiam: innumera utriusque sexus individua eam professa sunt, ac Dei ope freti adhuc profitentur, attamen post haec carnales ac increduli homines sub falsi nominis scientia vellent nobis obstrudere *instinctum invincibilem*, seu, ut profani isti loquuntur, *irresistibilem.* Juxta hos omnis licentia iis tribuenda esset, qui matrimonium contrahere nequeunt, aut contracto legitime uti non possunt. En quo ferant ejusmodi theoriae!

142. Ad 6. vel *Neg.* vel *D.* Qui tamen cuivis alii conditioni communes sunt, *Tr.* proprii caelibum tantum, *N.* Itaque primo generica adversariorum assertio tuto negari potest, cum experientia eidem contradicat. Plures enim quotidie caelibes ad decrepitam usque senectutem perveniunt bene valentes; recensiones *statisticae* nuncupatae exhibent longaevitatem praevalere in monialibus ac religiosis seu in caelibibus; idque confiteri vel invite debuerunt ipsi caelibatus adversarii, inter quos infimum non tenet locum Mahon. [26] Hujus porro phaenomeni a Zachia *Medicinae legalis* parente plures causae assignantur; quod demum rursum praestitit cl. prof. Ermenegildus Maria Pistelli in *Commentario* iterum Florentiae 1844. recuso novisque adnotationibus aucto *De caelibatu physice spectato*, in quo egregie argumentum istud evolvit.

143. Verum et hoc transmisso, ecquis ignorat omnes prorsus hominum

[26]) *Medicina legal. ac politia medica*, edit. tert. tom. IV. pag. 261.

conditiones suis propriis pulsari morbis? Exinde tractatus prodiere *De morbis litteratorum, De morbis artificum, De morbis togatorum, De morbis militum, De morbis medicorum, De morbis conjugatorum,* ac denique tractatus inscriptus ab Haller: *Vita humana morbus continuus,* seu *Tractatus de morbis aetatum.* Attamen liberiores medici nonnisi de morbis caelibum solliciti sunt. Debitas gratias sibi habeant.

144. Ad 7. *D.* Qualia sibi fingunt pseudo-politici, *C.* vera et realia, *N.* Praecipuum damnum, quod non ita pridem angustae mentis politici urgebant, desumebatur ex infrequentia civium; nunc vero experientia docuit politicos sollicitos potius esse debere de contrahendo quam de amplificando incolarum numero. Reipsa annuae emigrationes ex Europa in Americam aliasque orbis nuper detecti partes luculenter, quod dicimus, evincunt. Id ipsum evincit *pauperismus,* quem vocant, qui ex nimia propagatione infimae classis oritur, qua fit ut societas sub ejus, ut ita dicam, pondere opprimatur. Plures provinciae sunt suis incolis alendis impares. Tot machinae sunt inventae, ut vix quinta aut sexta pars impendatur hominum ad illos labores explendos, quibus olim impendebantur; exinde novus pauperismi fons; ut alia silentio praetereamus, quibus oeconomiae publicae scriptores et politici permoventur ad quaerenda media cohibendi nimiam propagationem.

145. Caelibes virtutis ac religionis causa emolumento potius maximo sunt societati universae. Ipsi juventutem instituunt; infirmis inserviunt; orphanis praeficiuntur; studiis vacant; populos instruunt; ad dissitas silvestresque tribus evangelium deferunt civilemque cultum; eleemosynis, consilio, exemplo omnibus prosunt. Soli libertini nunc sunt, qui in religiosum caelibatum insurgant.

TRACTATUS

DE MATRIMONIO.

PROOEMIUM.

1. A matre ideo Matrimonium nomen habet, quia prolem concipere, edere, educare matris munus est. Aliis praeterea Matrimonium nominibus vocari consuevit, scilicet *conjugii, connubii, nuptiarum*, de quibus s. Thomas agit. [1] Definiri autem solet: *Viri ac mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.* Haec definitio Matrimonio competit prout naturae officium est; prout vero est sacramentum addi praeterea illi definitioni debet: *Et a Christo ad dignitatem sacramenti elevata.* Aliis placet his verbis Matrimonium definire seu potius describere: *Sacramentum novae legis, quo significatur conjunctio Christi cum ecclesia, et gratia confertur ad sanctificandam viri et mulieris legitimam conjunctionem, ad uniendos arctius conjugum animos, atque ad prolem pie sancteque in virtutis officiis et fide christiana instituendam.*

2. Utraque definitio tria complectitur, matrimonii *essentiam, proprietates*, et *conditiones.* Essentia, quae in *vinculo* seu nexu consistit, significatur per voces *conjunctio maritalis,* quae exsurgit ex mutuo consensu de praesenti, quo contrahentes dominium corporum suorum invicem tradunt. Proprietates, unitas scilicet et indissolubilitas, significantur verbis illis: *Inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens;* seu etiam: *Viri et mulieris legitimam conjunctionem.* Conditiones denique, sub quibus tantum iniri conjugium potest, exprimuntur per verba illa: *Legitimas personas*, aut

[1]) In IV. dist. 27. qu. 1. art. 1.

legitimam conjunctionem. Atque haec tria sunt capita, circa quae versabitur tractatio nostra, in quorum primo agemus de Matrimonio in se spectato, et quatenus sacramentum est; in altero de proprietatibus ejus; in tertio de impedimentis deque potestate illa apponendi. His vero subnectemus, quae spectant ad matrimonia *mixta* nuncupata.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO IN SE SPECTATO.

3. Bifariam Matrimonium spectari potest, vel prout officium naturae est, vel prout est sacramentum, quod officio naturae addit ex Christi institutione gratiam sanctificantem seu sacramentalem.

4. Matrimonium prout officium naturae est, bonum ac honestum in se esse nemo jam est, qui in controversiam vocet. Siquidem obsoletae nunc haereses sunt gnosticorum, saturnianorum, manichaeorum, encratitarum, aliorumque nebulonum, qui nuptias damnabant tamquam malas aut a principio malo et a diabolo invectas. Haeretici aetatis nostrae hac in parte excessu potius peccant quam defectu. Esset igitur tempus inutiliter terere hanc agitare controversiam.

5. Sane natura, etiam secluso peccato, hominem ad prolis generationem inclinat, atque in hunc finem sexuum diversitas ordinata est. Eadem natura dictante, proles ad perfectionem adduci debet tum physicam tum moralem. Id autem sine certis parentibus vinculo inter se colligatis obtineri non posset. Jam vero in hoc mutuo vinculo, ut diximus, essentia matrimonii constituta est.

6. Quapropter ipsius naturae auctor, Deus, in paradiso voluptatis matrimonium instituit ac benedixit, foecunditatemque tribuit. Vix enim mulier condita est, seu *aedificata* ex viri dormientis costa, et Adae est oblata, hic statim in illa verba erupit, quae tamquam a Deo ipso prolata Christus, Matth. IX. 5. laudavit: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quibus verbis indissolubilis ac perpetuus conjugii nexus, adnotante Tridentino, Sess. XXIV. cap. unico *de Matrim.* significatur. Reipsa Christus loc. cit. hoc intulit dicens: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Apostolus vero, I. Timoth. IV. 4. futuros matrimonii accusatores vocat homines *attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum.* Ecclesia recensitos haereticos anathemate perculit.

7. Quae cum ita sint, inique prorsus Barbeyrachius, *De morali Patrum doctrina*, ac Gibbonius, in op. *De casu imperii romani*, succensent ecclesiae catholicae ac sanctis Patribus, quasi docuerint matrimonium etiam legitimum aliquid impuri redolere, eo quod eidem praetulerint virginitatem, viduitatem, continentiam. Siquidem aliud est aurum argento praeferre, aliud argentum reprobare.

8. Tres recensentur matrimonii fines, quorum primarius est prolis

procreatio ejusque complementum, quod in susceptae prolis sustentatione ac liberali ad virtutem institutione consistit; alter constituitur ex mutuo adjutorio, seu communi vitae societate, officiis, ac ope quam sibi conjuges invicem praestant in re domestica administranda; tertius finis, quem saltem sibi contrahentes proponere possunt, est sedandae concupiscentiae propositum. Matrimonium enim quod ante peccatum fuisset merum naturae officium, post peccatum aegrotis remedium effectum est.

9. Hoc porro naturae officium seu naturalem contractum Christus ad dignitatem sacramentalem evexit, ei adjiciendo gratiam. Protestantes ad unum omnes id inficiantur; quamvis enim matrimonii sanctitatem ac divinam institutionem agnoscant, vehementer tamen negant illud a Christo ad sacramenti dignitatem evectum fuisse. Atque haec proinde veritas est quam nos vindicandam suscipimus. Qua constituta, expendemus varias theologorum sententias circa ejusdem sacramenti materiam, formam ac ministrum.

PROPOSITIO.

Matrimonium est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum.

10. De fide propositio est a Tridentino, Sess. XXIV. can. I. sancita: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.* Quam quidem veritatem Scripturae aperte innuunt, traditio docet, perpetua ecclesiae praxis confirmat.

11. Ac primo Scripturas veritatem sacramenti Matrimonii *innuere,* ut loquitur Tridentinum, patet ex Apostoli verbis [1]: *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea... Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia.* Exhibet enim Apostolus Matrimonium ut sacramentum seu signum ac repraesentationem unionis Christi cum ecclesia, atque officia praeterea complectitur, quibus conjuges vi conjugalis unionis adstringuntur, dilectionem praecipue supernaturalem. Ad eam autem, perinde ac ad reliqua christiani conjugii officia rite explenda opus esse gratia Salvatoris, eaque jugi, qualis ex sacramento provenit, nemo negaverit, cum agatur de statu permanente sanctificando, ejusque fine obtinendo. Hinc non solum insignes theologi, verum etiam Catechismus romanus hoc paulino commate ad evincendam ex sacris litteris hujus sacramenti veritatem utuntur.

12. Verum quod Scripturae saltem innuunt, traditio citra ullum dubium ostendit. Sane utriusque ecclesiae Patres docent 1°. Matrimonium christianorum inter res sacras et ad religionem pertinentes adnumerandum esse ac certo ritu ab ecclesiae ministris celebrandum; tales sunt inter graecos

[1]) Ephes. V. 25.

s. Ignatius M. [2], Clemens alex. [3], s. Basilius [4]; inter latinos vero Tertullianus [5], s. Ambrosius [6], s. Siricius Papa. [7] Docent 2°. Christum, dum nuptiis interfuit, eisdem benedictionem, sanctificationem et gratiam, qua antea carebant, adjunxisse atque indicasse; cujusmodi ex graecis sunt Cyrillus alex. [8] Epiphanius [9]; ex latinis Ambrosius [10], Augustinus. [11] Demum 3°. conceptis verbis *sacramentum* appellant, ut Tertullianus [12], Ambrosius [13], Chrysostomus [14], Augustinus passim, praecipue vero in lib. *De Bono conjugali,* cap. 18. n. 21. ubi scribit: *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam foecunditas uteri;* et cap. 24. n. 32: *Bonum igitur nuptiarum,* scribit, *per omnes gentes atque homines in causa generandi est et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.* Sacramenti autem vocem in pressa significatione hic a s. Doctore usurpari patet ex comparatione quam ibid. instituit inter eum, qui sacramento Ordinis instructus ejusdem officia non exercet, et eum qui Matrimonii vinculo indissolubili illigatus permanet, quamvis nulli ab eo filii procreentur.

13. Ad haec postremo loco accedit utriusque ecclesiae constans et perpetua consensio et praxis. De ecclesia occidentali ante conc. tridentinum hujus rei fidem faciunt Eugenius IV. in *Decr. seu instruct. pro Armenis,* et ante Eugenium conc. constantiense, ante constantiense Lucius III. in *Decr. cont. haeret.,* ante Lucium Gregorius Papa, ut fatetur ipse Calvinus [15], ante Gregorium Sacramentalia et rituales libri ante VII saec. exarati, qui inter VII sacramenta nuptias recensent, quosque exhibet Martenius. [16] De ecclesia graeca testis est Hieremias patriarcha, in *Confessionis augustanae censura* data sub finem saec. XVI. ubi ex nomine totius ecclesiae graecae profitetur septem esse in ecclesia sacramenta a Christo instituta, ac de sacramento Matrimonii disserens, ait: *Divinum sacramentum esse, atque unum ex illis septem, quae Christus et apostoli ecclesiae tradiderunt;* id ipsum profitentur varia concilia celebrata adversus Cyrillum Lucarim nova dogmata fabricantem; antea vero conc. florentinum in *Decret. union.* hoc ipsum constituerat, prout jamdiu septenarium hunc sacramentorum numerum Simeon thessalonicensis nobilis inter graecos theologus adstruxerat. His omnibus praeiverant libri symbolici et Euchologia apud Goarium, in quibus ritus describitur celebrationis nuptiarum et gratia quae per ipsas tribuitur expresse commemoratur. Coptos, Jacobitas, Armenos, Syros, Nestorianos uno consensu inter septem

[2]) *Epist. ad Polycarp.* cap. 5.
[3]) *Strom.* lib. III.
[4]) *Hexaem. hom.* VII.
[5]) Lib. II. *Ad uxorem,* cap. 8.
[6]) *Epist.* XIX. *ad Vigil.* n. 7.
[7]) *Epist. ad Himerium tarrac.* cap. 4.
[8]) Lib. II. *in Joann.*
[9]) *Haeres.* LI, quae est *Alogorum,* c. 30.
[10]) *Epist.* XLII. *ad Siricium,* n. 2.
[11]) *Tract.* IX. *in Joann.* n. 2.
[12]) *De exhortat. castitat.* cap. 5.
[13]) *De Abraham,* lib. I. cap. 7.
[14]) *Hom.* XX. *in Epist. ad Ephes.* n. 4.
[15]) *Inst.* lib. IV. cap. 19. §. 34.
[16]) *De antiquis eccl. ritib.* lib. I. part. II. cap. IX. 5.

sacramenta Matrimonium recensere, documentis adductis, ostendunt Renaudotius [17], et Assemanus in sua *Bibliotheca orientali.*

14. Igitur Scriptura vere insinuat, traditio aperte docet, ecclesiae autem consensio constans et publica praxis confirmat, ac sectae omnes a pluribus saeculis ab ecclesiae unitate divisae profitentur Matrimonium verum ac proprium sacramentum esse a Christo Domino institutum.

DIFFICULTATES.

15. I. Obj. 1. Patrum locutiones ita vagae sunt, ut ex illis inferri non possit eos uti verum et proprium sacramentum habuisse Matrimonium. 2. Constat enim eosdem passim latiori sensu vocem *sacramenti* usurpasse cum agerent de Matrimonio, cohaerenter scilicet ad verba Apostoli, Ephes. IV. 32: *Sacramentum hoc magnum est;* ubi tamen est sermo de conjugio Adae cum Heva, quod profecto verum ac proprium sacramentum non fuit, prout non fuere conjugia Hebraeorum, quae tamen a Patribus sacramenti nomine donantur. 3. Sane si Patres in hac fuissent sententia, nullum aptius argumentum urgere potuissent adversus encratitas aliosque nuptiarum impugnatores quam sacramenti dignitatem, ad quam a Christo evectae nuptiae sunt, attamen illud numquam attingunt, prout nec attigit Jovinianus, licet totus esset in nuptiis efferendis super virginitatem. Ergo.

16. Resp. Ad 1. *Neg.* Nam Patres disserebant de Matrimonio cohaerenter ad ecclesiae sensum et praxim. Jam vero cum ecclesia semper habuerit christianorum conjugium uti sacramentum vere et proprie, ut patet ex Ritualibus et Euchologiis antiquissimis superius citatis, ideo Patres non alio sensu Matrimonium rem sacram aut sacramentum appellant, gratia a Christo auctum dicunt, aliaque ejusmodi de eo praedicant. Certe ex verbis adductis ex s. Augustino patet conjugium ab eo conferri cum Ordine et Baptismo, qui vera sunt sacramenta. Nihil illustrius de Matrimonio scribere poterat Tertullianus iis, quae habet lib. II. *Ad uxor.* cap. 8: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renunciant, Pater ratum habet?* Sic etiam s. Leo M. scribit de conjugio [18], *quod primitus divina gratia fundatum erat;* et ita porro.

17. Ad 2. *D.* Patres interdum vocem *sacramenti* latiori sensu usurpant, *C.* semper et in eo de quo agimus argumento, *N.* Responsio patet ex modo dictis. Quod si hac voce alludunt ad paulinum textum, ideo est, quia conjugium Adae cum Heva reipsa fuit figura et signum conjunctionis futurae Christi cum ecclesia, quae figura cum in omnibus conjugiis reperiatur, ideo etiam eam in Matrimoniis Hebraeorum praedicarunt, quo sensu illorum conjugia *sacramentum* seu *signum* vocarunt; verum cum in nuptiis christianis non simplicem typum et figuram, sed significationem viderint unionis Christi cum ecclesia jam perfectae una cum gratia, quae eam sanctificaret, patet

[17]) Tom. V. *Perp. fidei.* [18]) *Epist.* XXXVI. *ad Probum.*

christianorum conjugium eos appellasse sacramentum sensu ab eo longe diverso, quo vocarunt conjugia Hebraeorum.

18. Ad 3. *D.* Si nuptiarum osores sacramenti rationem in nuptiis admisissent, *C.* secus, *N.* Jam vero haeretici illi contra apertissima sacrorum eloquiorum oracula nuptias uti malas rejiciebant, quanto magis inficiabantur vim illis inesse gratiam conferendi? Inutile proinde fuisset Patribus hoc argumentum adversus illos urgere, qui vel ipsum fundamentum subruebant. Jovinianus autem non de ipso Matrimonii ritu, sed de *statu* conjugii relate ad *statum* virginitatis et continentiae disputabat; hinc nulla ei erat ratio, quare confugeret ad sacramenti adjectionem conjugio christianorum factam.

19. II. Obj. 1. Constans non fuit in ecclesia traditio de hoc sacramento, cum non pauci scholastici et canonistae negaverint per Matrimonium gratiam conferri. 2. Ritus praeterea, seu signum efficax gratiae in Matrimonio ut in caeteris sacramentis, nullum habetur. 3. Si vere sacramentum ecclesia Matrimonium habuisset, eidem non praetulisset virginitatem ac caelibatum. Ergo.

20. Resp. Ad 1. *Neg.* Etenim sive scholastici sive canonistae constanter septem cum universa ecclesia sacramenta professi sunt, inter quae Matrimonium adnumerarunt. Illorum disceptationes versabantur circa naturam gratiae hujus sacramenti propriae, quam dicebant conferri *in remedium concupiscentiae;* et circa modum quo conciliari possent pactiones et dotes, quae in nuptiis celebrandis constitui solent. Quidquid vero sit de illis quaestionibus, nobis satis est, quod veritatem hujus admiserint sacramenti. Sane cum Durandus visus esset de hoc dubitare, omnes statim in illum insurrexerunt, adeo ut debuerit suam retractare sententiam.

21. Ad 2. *Neg.* Hic enim ritus, seu signum efficax gratiae est ipse contractus de praesenti verbis expressus; quem contractum cum Christus elevaverit ad dignitatem sacramenti seu eidem gratiam adjecerit, hoc ipso eum in signum elegit tum gratiae, tum unionis suae cum ecclesia.

22. Ad 3. *D.* Si ecclesia virginitatem vel continentiam praetulisset Matrimonio prout sacramentum est, *C.* si praetulit prout *statum* significat, *N.* Numquam ecclesia docuit virginitatem aut continentiam praestare Matrimonio, prout hoc est sacramentum, sed unice *statui conjugali* praetulit et praefert statum sive virginitatis sive continentiae juxta Apostoli verba, I. Cor. VII: *Qui Matrimonio jungit virginem suam bene facit, qui non jungit melius facit.*

DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII.

23. Priusquam de materia et forma sacramenti Matrimonii quidpiam constituamus, opus est ea praemittere, quae ejusdem sacramenti ministrum afficiunt; ex hujus enim determinatione illae pendent.

24. Duplex porro viget sententia circa ministrum sacramenti Matrimonii. Altera eorum est, qui cum Melchiore Cano censent non alium illum esse praeter sacerdotem; altera vero ante Canum universalissima, immo quae unice

dominabatur, eorum est, qui tuentur hujus sacramenti ministros ipsos esse contrahentes.

25. Equidem si ageretur de controversia mere speculativa, quaeque nullas practicas consecutiones induceret, posset facile praetermitti; ast graves adeo exinde consecutiones pendent, ut nullatenus negligi debeat. Nos proinde utriusque placiti praecipua momenta expendemus, conferemus ad invicem, ut deinde quae verisimilior videatur, colligi queat.

26. Qui itaque cum Cano sentiunt, I. urgent sanctorum Patrum auctoritatem, qui docent benedictione sacerdotali nuptias *sanctificari, conciliari, obsignari,* adeo ut conc. carthagin. IV. statuerit, can. XIII. ut sponsi, *cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.* Cum vero haec praecipua argumenta sint, quibus veritas sacramenti adstruitur, nisi admittatur sacerdotem vere ministrum esse, vix aut nullatenus illa defendi posse videtur.

27. II. Urgent quod a Tridentino, Sess. XXIV. praescriptum est, ut sacerdos in jungendis nuptiis dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo,* eadem ratione ac tingendo dicit: *Ego te baptizo;* aut *Ego te absolvo* in sacramento Poenitentiae, quae nemo negaverit esse formas sacramentales a ministro prolatas; et idcirco etiam illa.

28. III. Urgent analogiam caeterorum sacramentorum, quorum omnium minister sacerdos est, dicente Apostolo: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Quare igitur, inquiunt, solius Matrimonii minister non erit sacerdos? His adjiciunt plures synodos quae sacerdotem ministrum sacramenti Matrimonii vocant; profanitatem conjugiorum, dempta sacerdotali benedictione; sententiarum varietatem quoad materiam et formam in contraria opinione.

29. Propugnatores antiquae sententiae ita cum Bellarmino decertant: I. Eugenius IV. in *Instruct. pro Armenis,* haec habet: *Septimum est sacramentum Matrimonii... causa efficiens Matrimonii, regulariter loquendo, est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Congruit Tridentinum, quod docet Christum gratiam promeruisse, quae naturalem conjugum amorem perficeret, eaque gratia christianorum conjugium praestare connubiis in veteri lege celebratis: seu elevasse contractum naturalem ad dignitatem sacramenti per adjectionem gratiae, quin aliquid in illo immutaverit. Jam vero contractus naturalis solo perficitur consensu a contrahentibus.

30. II. Ex conc. tridentino in Decr. *de Reform.* cap. 1. Matrimonia clandestina solo libero contrahentium consensu facta *vera et rata* sub anathemate declarata fuerunt, donec *irrita* ecclesia ea non fecerit; noluit tamen ut haec irritatio vigorem haberet nisi post triginta dies a publicatione decreti. Jam vero ex Innoc. III. in cap. *Quando de divortiis,* et ex communi loquendi usu aetate praesertim Tridentini recepto per Matrimonia *vera et rata* significabantur vere et proprie sacramenta, non autem meri naturales aut civiles contractus; ergo pro certo habuit Tridentinum solos contrahentes esse ministros sacramenti Matrimonii. Hoc ineluctabile argumentum robur

adhuc accipit tum ex Matrimoniis initis coram parocho reluctante; tum ex iis quae celebrantur coram parocho non sacerdote, aut vicario generali aut cardinalibus non sacerdotibus; tum denique ex conjugiis dispensatione pontificia initis sine sacerdotis alicujus praesentia, sive apud haereticos, sive apud infideles; quae tamen omnia *vera et rata* seu sacramenta censentur.

31. III. Indissolubilitas Matrimonii christiani est sacramenti effectus; hoc enim dempto, reliqua Matrimonia dissolubilia sunt, ut patet ex conjugiis infidelium, si conjux alteruter ad christianam religionem convertitur, ut paulo post ostendemus; aliisque in casibus. Porro talia etiam sunt Matrimonia clandestina in regionibus, in quibus decretum tridentinum non est publicatum, aut quae ex dispensatione sine praesentia parochi contrahuntur. Ergo uti vera sacramenta haberi debent.

32. His constitutis, pergunt ad dissolvenda adversariorum argumenta, quae speciosa potius quam solida videntur. Sane, inquiunt, auctoritas Patrum non evincit assumptum, cum nuspiam Patres benedictioni tribuant vim conferendi gratiam, nuspiam vocent sacerdotes hujus sacramenti ministros. Quin potius ex agendi ratione Patrum contrarium evincitur; siquidem constanter Patres hanc benedictionem denegarunt secundis et tertiis nuptiis, ut ostendit Martenius. [1] Nec tamen dubitandi sunt voluisse denegare sacramentum his repetitis nuptiis successivis. Conc. vero carthagin. IV. continentiam prima nuptiarum nocte praescripsit ad imitationem juvenis Tobiae; qui mos varie servabatur in diversis ecclesiis. Multo vero minus quidpiam conficitur ex conc. tridentino, ex cujus historia novimus Patres, si paucos omnino excipias, ad Cani sententiam attendere noluisse. Noluisse autem concilium per illa verba, quae pronunciari jussit a sacerdote: *Ego vos conjungo* insinuare hujus sacramenti formam, constat ex iis quae adjecit: *Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum.* Scimus autem ex Martenio [2], in nullis antiquis ritualibus libris verba illa reperiri; et alicubi receptum adhuc esse, ut sacerdos tantum dicat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Nec melius rem conficiunt adversarii, dum provocant ad analogiam caeterorum sacramentorum, cum quodlibet sacramentum aliquid vindicet sibi proprium. Quod si nonnullae synodi particulares vocant sacerdotes ministros Matrimonii, vel latiori sensu locutae sunt, vel, ut adnotat Bened. XIV. [3] incaute etiam. Si qua vero profanatio inest celebrationi Matrimonii, haec unice ex contrahentium dispositione repeti debet.

33. Demum insurgunt adversus novitatem hujus sententiae, cujus primus auctor fuit Canus, ante quem illa prorsus in ecclesia inaudita erat. Nec non in consectaria, quae ex illa promanant, inter quae non infimum locum tenet distinctio inter contractum naturalem seu civilem, et sacramentum in conjugiis christianorum, foecunda parens tot opinionum, quae plus minus a sana catholica doctrina abhorrent.

[1]) Op. cit. lib. I. part. II. cap. 9. art. 3. §. 6.

[2]) Loc. cit.

[3]) *De Synodo,* lib. VII. cap. 27.

34. Ita quidem assertores antiquae sententiae, quibus nos plane assentimus. Ex hac deprehendimus materiam Matrimonii, circa quam sacramentum versatur, esse corpora contrahentium, formam vero esse verba vel signa, quibus mutuus consensus respective exprimitur et acceptatur illa corporum traditio.

CAPUT II.

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS.

35. Duae proprietates Matrimonii recensentur, *unitas* et *indissolubilitas*. Unitati adversantur *polyandria* seu pluralitas maritorum, et *polygamia* seu pluralitas uxorum; utraque potest esse aut simultanea, aut successiva. Simultaneam plurium maritorum polyandriam nemo umquam in christiana religione licitam esse propugnavit, cum sit turpitudo naturae ipsi adversans, prout vel ipsi ethnici agnoverunt. Successivam autem sive polyandriam sive polygamiam licitam esse nemo jam est, qui ambigat. Quod si Graeci ulteriores nuptias iniri vetant, ut ostendit Arcudius [1], profitentur ita se gerere ex solo jure ecclesiastico.

36. Itaque unica quaestio agitari potest de polygamia simultanea. Usque ad *reformatores* saec. XVI. uno ore christiani omnes eam adversari saltem juri divino professi sunt, donec *sanioris moralis* sectatores Lutherus, Melanchthon, Bucerus, caeterique socii ex occasione qua permiserunt Philippo Hassiae landgravio, ut, vivente priore adhuc conjuge, aliam superinduceret, coeperunt pedetentim hoc facinus cohonestare, ac deinceps resumptis viribus propugnare non ita a Christo et ab Apostolo constitutam unitatem Matrimonii, ut saltem in necessitatis casu dispensationem non admittat, cum nimirum uxor quacumque demum ex causa debitum conjugale reddere nequeat. Immo Lyserus in pluribus opusculis hac de re editis, contendit polygamiam juri divino non adversari, ac solo humano jure vetari. Ita hi strenui evangelii vindices!

37. Quod vero spectat ad indissolubilitatem, variae excitantur quaestiones pro diversa ratione, qua conjugium considerari potest. Etenim conjugium est aut *verum*, aut *ratum*, aut *consummatum*. *Verum* dicitur Matrimonium infidelium; *ratum* praeterea quod inter christianos legitime contrahitur; *consummatum* denique, quod, usu interveniente, completum est.

38. Matrimonium in infidelitate initum dissolvi posse quoad vinculum inter catholicos convenit, si paucos excipias, quos paulo post refellemus. Matrimonium *ratum* inter fideles initum pariter dissolvi posse per sanctioris vitae in Ordine religioso approbato professionem ecclesia catholica docet. Si Matrimonium vero fuerit *consummatum*, nullo umquam in casu quoad vinculum dissolvi potest ex catholica doctrina adversus novatores contendentes pluribus ex causis dissolvi posse, praesertim propter adulterium.

39. Dixi quoad *vinculum;* nam quoad *thorum* et *habitationem* ex

[1]) *De concordia ecclesiae occidentalis et orientalis,* lib. VII. cap. 27 et seqq.

ejusdem ecclesiae catholicae doctrina dissolvi conjugium posse ob multiplicem causam, ex dicendis adversus protestantes patebit.

40. Haec igitur sunt doctrinae catholicae capita, quae circa Matrimonii proprietates adstruenda suscipimus insequentibus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Non licet christianis plures simul habere uxores, cum hoc sit lege divina prohibitum.

41. De fide propositio est juxta concilium trident. Sess. XXIV. can. II: *Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.*

42. Scriptura et traditio conspirant in hac adstruenda veritate. Siquidem Christus, Matth. XIX. 4 et seqq. sciscitantibus pharisaeis, utrum liceret dimittere uxorem quacumque ex causa, respondit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Instantibus porro pharisaeis: *Quare ergo Moyses mandavit dare libellum repudii et dimittere?* Respondit Christus, v. 8 et seqq.: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* Si igitur ex Christo moechus ille est, qui ab alio dimissam duxerit, perseverat prius Matrimonium. Si praeterea moechatur, qui priori uxore dimissa aliam ducit, multo magis moechabitur, qui aliam duxerit, priore uxore retenta.

43. Ad Christi sensum scribit Apostolus, I. Cor. VII. 10, 11: *His qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Sic Rom. VII. 2: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Cum vero ex eodem Apostolo, I. Cor. VII. 4. pares in Matrimonii juribus sint vir et uxor, patet, quemadmodum non licet foeminae, primo conjugio perseverante, alterum superinducere maritum, sic nec licere viro, eodem manente conjugio, alteram superinducere uxorem.

44. Traditio pariter non aliud docuit, ut constat ex Patribus utriusque ecclesiae. Chrysostomus enim affirmat [1], Christum omnem illam veterem polygamiae consuetudinem abolevisse. S. Ambrosius docet [2], lege evangelii reum adulterii esse, qui aliam uxorem quaerit, quum habet suam; eadem

[1]) *Hom.* LXVI. *in Genes.* n. 3. [2]) *De Abraham*, lib. I. cap. 7. et alibi.

habet s. Augustinus.[3] Conc. milevitanum II. cap. 17. polygamiae abrogationem repetit ab *evangelica et apostolica disciplina.* Atque omisso Innocentio I.[4], Nicolaus I. *ad Consulta Bulgaror.* cap. 51: *Duas,* inquit, *tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex christianorum ulla permittit.* Adeo vero receptum hoc erat in ecclesia catholica cum novatores exorti sunt, ut universus christianus orbis facultatem ab ipsis datam Philippo Hassiae aliam superinducendi uxorem, priori vivente, exhorruerit, et iidem lutherani factum hoc omni modo occultare sategerint.

DIFFICULTATES.

45. Obj. 1. Apostolus, I. Tim. III. 2. statuit episcopum oportere *unius uxoris virum* esse, caeteris ergo licet plures uxores ducere. 2. Valentinianus I. teste Socrate[5], legem tulit, ut *cuivis liceret duas simul habere uxores legitimas:* quod facto suo confirmavit, ducta Justina, cum adhuc viveret Severa. 3. Id ipsum fecisse perhibetur Lotharius imperator. 4. Immo Gregorius II. in *Ep. ad Bonifacium* cuidam indulsit, ut propter uxoris suae infirmitatem, alteram duceret. 5. Sane polygamia legi naturali non adversatur, alioquin Deus antiquis patriarchis eam minime indulsisset. Ergo.

46. Resp. Ad 1. *D.* Ad exclusionem polygamiae successivae, *C.* polygamiae simultaneae, *N.* Hinc factum est ut bigami in ecclesia semper ut irregulares habiti fuerint. Cum proinde Theodoretus, ut a se amoveret infracti canonis apostolici accusationem, eo quod promovisset Irenaeum comitem bigamum ad episcopatum Tyrium, verba Apostoli, in *Epist. ad Domnum* intellexisset *de bigamo simultaneo,* ut infractor canonis nihilominus habitus est, et expositionis singularis auctor contra universae ecclesiae sensum. Caeterum Apostolus explicat sua dicta, dum ibid. v. 9. disserens de diaconissa praescribit, ut non eligatur, nisi *quae fuerit unius viri uxor.*

47. Ad 2. *Neg.* Tum quia nuspiam ejusmodi lex Valentiniani apparet; tum quia praemortua Severa, imperator Justinam duxit, uti post Baronium ostendit Valesius, in notis ad loc. cit. *Historiae eccles.* Socratis; tum quia denique ab ipso ethnico Ammiano Marcellino[6], Valentinianus commendatur summopere ob castitatis professionem.

48. Ad 3. *D.* Contra legem Christi, *C.* legitime, *N.* De hac enim Lotharii polygamia haec in *Epistola* ad eumdem data scribebat Nicolaus I: *Annon districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech imitatus esse dignosceris?*

49. Ad 4. *D.* Indulsit Gregorius II. ut nova duceretur uxor, priore impotentia laborante, et ab eo ducta ante conversionem ad christianam religionem, *Tr.* ob simplicem infirmitatem, *N.* Itaque 1°. haec *Epistola* eruditis non paucis suspecta est; 2°. verum, hoc praetermisso, non immerito Berardus in suo *Gratiano* animadvertit, hic agi de homine prius infideli, ac deinceps

[3]) *De nuptiis,* lib. I. cap. 10.
[4]) *Epist.* VI. *ad Exsuperium,* cap. 8.
[5]) Lib. IV. cap. 31.
[6]) Lib. XXX. cap. 9.

ad christianam religionem converso, cujus uxor impotentia laborabat; cum vero longe minorem firmitatem habeat conjugium in infidelitate contractum, quam conjugium christianum, ideo censuit posse cum illo dispensari.

50. Ad 5. *D.* Polygamia non adversatur legi naturali rigorose, seu stricte sumptae, prout non adversatur primario Matrimonii fini, *C.* ei est plene conformis et secundariis saltem conjugii finibus, *N.* Peculiares ob causas, eo ipso quod polygamia juri naturae rigoroso non adversetur, nec primario connubii fini, Deus patriarchis eam indulsit, secus ac senserit Calvinus. Caeterum Christus illam in nova lege abolevit et abstulit, quod christiano homini satis esse debet; et hoc est, quod definivit Tridentinum.

PROPOSITIO II.

Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si, alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris.

51. Propositio certa est; enunciata enim doctrina communis, immo et unanimi consensione admissa in ecclesia catholica est, ac saepius in praxim deducta, donec in finem vergente saec. elapso primum in Galliis, deinde in Germania a nonnullis neotericis impugnata fuit, quos deinde alii editis libellis secuti sunt.

52. Ita vero ejus veritatem adstruimus: Doctrina quam enunciavimus Scripturae auctoritate fulcitur; communi Patrum sensu; rom. pontificum decretis, constantique ecclesiae praxi et communi theologorum et canonistarum suffragio gaudet; ergo certa omnino censenda est.

53. Sane primo Scripturae inniti constat ex Apostolo, I. Cor. VII. 10 seqq. scribente: *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam caeteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. . . Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi. In pace enim vocavit nos Deus.* Tria porro sunt quae evincunt hic Apostolum loqui de dissolutione conjugii in infidelitate contracti quoad vinculum: 1°. antithesis quam instituit inter conjugium fidelium, et conjugium in infidelitate initum, quod prius sit prorsus indissolubile, alterum vero non item; 2°. libertas quam tribuit parti fideli, quum discesserit pars infidelis, dicens: *non enim servituti* etc., jam vero haec nulla esset, si permaneret vinculum conjugale; 3°. ratio quam reddit hujus libertatis, quod *servituti subjectus non sit frater, aut soror in hujusmodi;* haec enim *servitus* alia non est praeter vinculum, quo fit ut frater aut soror deberet aut caelebs vivere, aut alteri parti reconciliari, de quo locutus fuerat agens de Matri-

monio fidelium. Hoc ipsum vinculum illud est, quod paulo post, scilicet v. 39. vocat Apostolus *ligamen*, ejusque solutionem *liberationem*.

54. Communi Patrum sensui hanc ipsam doctrinam inniti patet ex s. Ambrosio, qui scribit [1]: *Si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvi: et quomodo Apostolus dixit: Quod si infidelis discedit, discedat? In quo et mirabiliter noluit apud christianos causam residere divortii, et ostendit non a Deo* (esse) *omne conjugium:* quae verba expositionem datam textui Apostoli apprime confirmant. Sic etiam Ambrosiaster, seu antiquus auctor *Commentarior. in Epist. s. Pauli*, s. Ambrosio coaevus, his verbis communem doctrinam, explanans adductum Apostoli locum, expressit: *Si infidelis odio Dei discedit, fidelis reus non erit dissoluti Matrimonii... ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit.* Nec aliter intellexit Apostolum s. Jo. Chrysostomus, scribens [2]: *Melius est ut divellatur Matrimonium quam pietas;* nec non Chrysostomi epitomatores Theophylactus et Oecumenius.

55. Romanos porro pontifices eamdem tenuisse doctrinam, fidem facit Innocentius III. qui in Decreto *Quanto*, de divortiis haec statuit: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur; ad secunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat..... Nam etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum.* Hinc Bened. XIV. *De synodo*, lib. VI. cap. 4. *infidelium conjugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et ab Apostolo promulgato dissolvi,* pronunciat *certum esse.* Ibid. vero, lib. XIII. cap. 21. §. 2 seqq. plures recenset casus excussos ac resolutos a summis pontificibus s. Pio V, Gregorio XIII, et Paulo V. His adjici possunt responsa a sacra Congregatione concilii hac de re edita, nec non rituales libri ecclesiarum suessionensis, metensis, bononniensis in Britannia minori, ebroicensis, aliarumque id ipsum confirmantes; item usus ab immemorabili receptus haec conjugia dissolvendi in Italia, Galliis, Germania. Nisi proinde dicere velimus, rom. pontifices, immo et universam ecclesiam in re tam gravi, quae morum honestatem afficit, turpiter errasse, fatendum veram esse doctrinam quam propugnamus.

56. Nil mirum igitur si theologi omnes, si unum fortasse Cajetanum excipias, qui tamen fatetur nostram paulini textus expositionem communem in ecclesia esse, hanc doctrinam professi fuerint una cum canonistis omnibus ad haec usque tempora. Nequit proinde a temeritatis nota excusari, qui secus teneat.

DIFFICULTATES.

57. I. Obj. 1. Matrimonium infidelium jure naturae ac divino positivo indissolubile est repraesentans et ipsum suo modo indissolubilem Christi cum

[1]) Lib. VIII. *in Luc.* num. 2. [2]) *Hom.* XXI. *in* c. 7. *Ep.* I. *ad Cor.* n. 3.

ecclesia conjunctionem. 2. Doctrina Christi et Apostoli de absoluta quorumcumque connubiorum indissolubilitate nullam exceptionem patitur. Adeoque insolubilia etiam sunt infidelium conjugia.

58. Resp. ad 1. *D.* Per se, *Tr.* vel *C.* Dei accedente dispensatione, *N.* Sane etiam conjugia Hebraeorum firma ac indissolubilia per se erant, peculiarique ratione referebant unionem Christi cum ecclesia; attamen, Deo auctore, per libellum repudii dissolvi poterant. Ex quo discimus dissolubilitatem conjugii adversari quidem secundario naturae juri, non autem primario, alioquin Deus numquam ejus dissolutionem permisisset.

59. Ad 2. *D.* Quae fiat auctoritate humana, *C.* auctoritate divina, *N.* Alioquin nec dissolvi possent conjugia rata et non consummata fidelium, quod tamen nemo catholicorum dicet. Quemadmodum igitur haec, sic infidelium conjugia divina auctoritate solvuntur; ut enim ex Benedicto XIV. vidimus, Christus ipse est, qui *talem exceptionem in favorem fidei apposuit.*

60. II. Obj. 1. Verba Apostoli: *Si infidelis discedit* etc., adeo vaga et obscura sunt, ut exinde exceptionem extundere non valeamus. 2. Ex altera vero parte Apostolus jam constituerat diversitate religiosae confessionis non solvi conjugium; cum proinde sibi proposuisset casum de infideli ultro discedente a conjugio, respondet nos christianos impedire id non posse, ac satius esse amittere conjugem quam fidem. 3. Nullum igitur privilegium concedit Apostolus fideli ob discessum partis infidelis, prout nullum ejusmodi privilegium exoritur ex alterius conjugis fornicatione, ut loquitur Chrysostomus. 4. *Servitus* autem de qua ibid. disserit Apostolus, nonnisi servitus *peccati* est, ita ut fides omnibus praeferenda sit, nec debeat uxor ob conjugium peccato inservire ac se ipsam perdere. 5. Prout liquet ex vocibus *vir et mulier*, quibus hic utitur Apostolus ad significandum conjugium integrum permanere. 6. Eo vel magis, quod a parte fideli speranda semper sit conversio partis infidelis, ejusque ad pristinum conjugium regressus. Ergo.

61. Resp. Ad 1. *D.* Ideoque interpretatio privata subjicienda est interpretationi ecclesiae, *C.* praeferri huic debet, *N.* Nam hoc ipso quod obscurus sit paulinus textus juxta adversarios, debet omnis sincerus catholicus communem receptamque in ecclèsia interpretationem sectari, neque potest suam peculiarem obtrudere. Caeterum Cornelius a Lapide, ipsoque non abnuente Cajetano, ostendit communem ecclesiae hujus loci expositionem conformem plane esse menti Apostoli tum ex contextu, tum ex communi interpretum graecorum et latinorum hujus loci explanatione.

62. Ad 2. *D.* Id constituit Apostolus in duobus prioribus casibus, quos proposuit, scilicet conjugii fidelium, et conjugii in infidelitate initi, dum infidelis pacifice cum fideli vivere consentit, *C.* in tertio casu, de quo agimus, dum infidelis discedit seu solvit conjugium, *N.* Etenim adversarii concedunt infidelem per discessionem suam juxta leges romanas vere solvere conjugium quoad vinculum, quod Apostolus expressit per verbum *discedit;* ergo dum addit: *discedat*, uti disruptum hoc vinculum habet, ita ut conjux fidelis liber omnino ab eodem vinculo sit. Infidelis quidem sic agendo injuste se

gerit, sed facto semel posito, solutio vinculi exsurgit etiam pro conjuge fideli ex privilegio a Christo concesso in favorem fidei.

63. Ad 3. *D.* Nullum concedit privilegium proveniens ex solo infidelis discessu, *C.* proveniens ex divina dispositione in favorem fidei, ut toties diximus, *N.* Certe nullum ejusmodi privilegium ex sola injusta infidelis agendi ratione exsurgit, neque nos id contendimus, sed hoc privilegium provenit ex Dei ordinatione ab Apostolo promulgata, et hinc ruit observatio ex Chrysostomo petita.

64. Ad 4. *Neg.* Siquidem Apostolus de peccato nec verbum hic habet, sed cum dixisset: *Quod si infidelis discedit, discedat*, continentur subdit: *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Evidens igitur est ipsum loqui de servitute conjugio inhaerente, quae improprie quidem servitus est, attamen talis est respectu jugi seu vinculi, quo obstricti conjuges sunt, quamdiu matrimonium viget.

65. Ad 5. *D.* Si objectae voces promiscue non usurparentur in Scripturis tum de nuptis tum de innuptis, *Tr.* si promiscue sumantur, uti certum est, *N.* Dixi: *Transeat;* nam tamdiu vocat *virum τὸν ἄνδρα*, et *mulierem τὴν γυναῖκα*, quamdiu subsistit conjugium.

66. Ad 6. Esto; exinde unum sequitur, nempe propositum sanctioris vitae optimum esse consilium, non autem esse obligationem, ita ut teneatur fidelis ab aliis ineundis nuptiis abstinere, dum potest sua uti libertate.

67. III. Obj. Saltem traditio huic expositioni non favet. Nam 1. antiquiores Patres de hac quaestione alte silent. 2. S. Augustinus vero eidem prorsus refragatur in duobus ad Pollentium libris *De conjugiis adulterinis*, ubi eam discutit. Generale enim principium Augustini est [3]: *Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir ejus.* Et lib. I. c. 18. ubi ad quaestionem nostram propius accedit, ideo non expedire affirmat, ut conjuges fideles dimittant infideles, *quia in alia conjugia cum ceciderint, viventibus eis a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur.* Jam vero *adulterini nexus* non essent, sed *legitimi*, si ob infidelitatem dissolveretur conjugium. Eadem repetit cap. 25. scribens: *Propter quodlibet fornicationis genus, sive carnis sive spiritus, ubi et infidelitas intelligitur, et dimisso viro non licet alteri nubere, et dimissa uxore non licet alteram ducere; quoniam Dominus, nulla exceptione facta, dicit: Si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur; et omnis, qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechatur.* Nulla igitur ex Augustino quocumque in casu datur conjugii dissolutio. 3. Nec obest contraria Innocentii III, Gratiani, ac deinde theologorum et canonistarum turbae expositio; hi enim omnes decepti sunt ex canone *Si infidelis*, qui falso putabatur Gregorii M. sententia, cum nunc exploratum sit eam esse Ambrosiastri, diaconi scilicet Hilarii, viri obscuri et schismatici

[3]) Lib. II. cap. 4.

luciferiani. 4. Nullum proinde exemplum solutionis ejusmodi conjugiorum ante saec. X. exhiberi potest. Ergo.

68. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Nulla sibi oblata occasione de ea disserendi, *Tr.* vel *C.* quasi contrarium senserint, *N.* Contrarium enim ostendimus tum ex s. Ambrosio, tum ex s. Jo. Chrysostomo, Ambrosiastro aliisque.

69. Ad 2. *Neg.* Etenim s. Augustinus in cit. libris nec ulla ratione praesentem quaestionem discutit, neque eidem refragatur.

70. In primo igitur textu ex lib. II. objecto: *Nullius viri* etc., id unum affirmat contra Pollentium, non solvi scilicet Matrimonium ob adulterium, adeoque subdit: *Non, si fornicetur;* eo quod Pollentius aequiparaverit adulterium morti.

71. In altero textu exponit s. Doctor Apostoli verba: *Caeteris ego dico, non Dominus* etc., de consilio dato ab Apostolo non dimittendi conjugem infidelem, cum hic consentit pacifice cum altero vivere, non autem de praecepto, ut contendebat Pollentius.

72. In tertio demum textu propositionem generalem: *Propter quodlibet* etc., profert s. Augustinus cohaerenter ad Apostoli consilium de non discedendo a conjuge infideli et fornicario; ad alteram vero textus paulini partem: *Quod si infidelis discedit* etc., numquam pervenit s. Doctor. Adeoque unice loquitur de conjugiis christianorum, ac de casu in quo infidelis consentiat pacifice vivere cum conjuge fideli. Exinde patet propositiones generales s. Augustini coarctandas esse ad subjectam materiam.

73. Ad 3. Resp. Esto canonem *Si infidelis* non esse s. Gregorii M. sententiam, est tamen scriptoris saec. IV. qui hac in parte secutus est communem aetate sua sentiendi rationem, ut constat ex s. Ambrosio, aliisque a nobis allatis Patribus. Cum vero Innocentius III. suam fecerit, et sanxerit, satis est ad faciendam auctoritatem, praesertim cum eamdem in praxi doctrinam secuti fuerint insequentes rom. pontifices, immo ecclesia saltem occidentalis universa. Dum igitur catholici theologi et canonistae eam amplexi sunt, gravi non fuerunt fundamento destituti.

74. Ad 4. *D.* Id est, documenta saec. X. anteriora de ejusmodi solutionibus non suppetunt, *C.* nullae factaè sunt, aut saltem fieri non potuerunt, *N.* Eo ipso quod haec doctrina saeculis anterioribus obtinuerit, sequitur aut factas has solutiones esse, aut fieri potuisse, etsi documenta ad nos minime pervenerint. Accedit quod interdum adjuncta peculiaria et prudentia aliter postulent, cum non omnia quae licent semper expediant.

75. IV. Obj. 1. Matrimonium non solvitur propter haeresim, ergo neque solvi potest per infidelitatem, eadem enim ratio pro utroque viget. 2. Non dissolvitur per adulterium, quod magis directe adversatur Matrimonii naturae quam infidelitas. 3. Ignoratur quando hujusmodi dissolutio fiat, num ante novum conjugium, num in actu quo aliud initur, an post. 4. Cum agitur de sacramentis, tutior pars est eligenda, nemo autem non videt longe tutius esse continentiam profiteri, quam sese exponere per novum conjugium polygamiae simultaneae periculo. Ergo.

76. Resp. Ad 1 et 2. *Nego* paritatem. Etenim in his duobus casibus agitur de matrimoniis *veris* et *ratis* inter christianos, seu sacramentis, quae cum consummata fuerint, in nullo umquam casu dissolvi possunt; Matrimonia vero in infidelitate contracta *vera* tantum sunt, non autem *rata*, adeoque eamdem firmitatem non habent, ac connubia christianorum.

77. Ad 3. Resp. dissolvi in actu quo novum contrahitur.

78. Ad 4. *Nego*, tutius esse continentiam profiteri ad mentem adversariorum, qui in hac difficultate supponunt propriam sententiam aliquam saltem probabilitatem habere, cum tamen nullam habeat, et sit aperte *falsa* utpote contraria doctrinae et praxi ecclesiae, uti ostendimus.

PROPOSITIO III.

Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum dirimitur.

79. De fide propositio est, definita a Tridentino, Sess. cit. can. VI: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi; anathema sit.* Ita vero ejus veritatem evincimus: ecclesia, auctoritate sibi divinitus tradita, ut paulo post ostendemus, potuit nonnullas Matrimonio contrahendo conditiones apponere, ut, si desint, illegitime ac invalide ineatur; ergo eadem auctoritate potuit tales apponere conditiones, ut initum dissolvi queat.

80. Jam vero nulla est ratio, quare ecclesia divina auctoritate possit apponere impedimenta, antequam ineatur a christianis conjugium, quae irritum illud faciant; nequeat autem apponere conditionem suspensivam, ut ita dicam, qua fiat ut alter contrahentium, antequam initum conjugium consummet, resilire possit ad perfectius vitae genus per solemnem professionem religiosam instituendum consectandumque. Sane hac potestate ecclesiam praeditam esse patet ex facto ipso. Innocentius III. in cap. *Ex parte de conversione conjugatorum;* et ante ipsum Alexander III. in conc. lateranensi III. ann. 1179. cap. *Verum*, et cap. *Ex publico* sub eodem titulo, non modo declararunt licite id fieri posse, sed praeterea exemplo sanctorum id confirmarunt; et verba Christi: *Non licet viro uxorem suam, nisi fornicationis causa, dimittere*, exposuerunt de Matrimonio consummato; ac ita debere intelligi docuerunt. Plura exempla a Bellarmino aliisque collecta sanctorum, qui initas nuptias sanctioris vitae causa dissolverunt, sin minus apodictice rem conficiant, saltem ostendunt ecclesiae spiritum, et germina traditionis, quae postea evoluta est. Porro juxta regulam ab Augustino traditam [1]: *Quod tota per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est*, recte concluditur jure merito Tridentinum definivisse rata ejusmodi conjugia per solemnem religionis professionem dirimi.

[1]) *Epist.* LV. *ad Januar.* cap. 19. n. 18.

DIFFICULTATES.

81. Obj. 1. Naturali ac divino jure semel legitime contracta Matrimonia indissolubilia sunt, dicente Christo: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* 2. Ecclesia nihil potest in iis, quae ad substantiam sacramentorum spectant, ut in casu nostro. 3. Nullum saec. XIII. anterius exemplum allegari potest hujus dissolutionis. 4. Exempla sanctorum multiplici ex capite nutant, cum incertum sit utrum in iis agatur de nuptiis an de sponsalibus, et utrum dissolutae nuptiae fuerint etiam quoad vinculum, ac demum utrum rite id sancti fecerint. 5. Adde solemnitatem votorum nonnisi de jure ecclesiastico esse, quae proinde irritum efficere non potest, quod ratum est jure divino. Ergo.

82. Resp. Ad 1. *D.* Utroque jure Matrimonia *absolute* contracta indissolubilia sunt, *C.* contracta *conditionate* juxta ecclesiae dispositionem, *N.* Siquidem omnia fidelium conjugia ex ecclesiae dispositione hanc implicite conditionem continent: *Nisi ante Matrimonii consummationem velim perfectiorem vitam juxta ecclesiae doctrinam profiteri.* Cum vero divina ad id accepta auctoritate hoc ecclesia statuerit, sequitur non humana sed divina auctoritate illa conjugia solvi, et Christi oraculum de Matrimonio consummato intelligendum esse, prout intelligit ecclesia.

83. Ad 2. *D.* Nihil ecclesia potest circa sacramenti substantiam *directe, C. indirecte, N.* Hujus rei exempla habemus luculentissima in potestate statuendi impedimenta dirimentia Matrimonium, qua ecclesia divinitus pollet, prout paulo post luculenter ostendemus.

84. Ad 3. *D.* Quatenus ecclesia hac sua potestate ante saec. XIII. usa non sit, *Tr.* uti non potuerit, *N.* Cum constet de jure, parum refert quod facta anteriora non habeantur. Animadvertendum insuper est rom. pontifices, quos adduximus, in suis decretis non loqui de jure novo ac nova praxi, sed de solutione horum conjugiorum agere tamquam de re jamdiu in usu posita.

85. Ad 4. *D.* Exempla sanctorum per se rem non conficiunt, *C.* saltem non patefaciunt ecclesiae spiritum, *N.* Hoc porro nobis satis est.

86. Ad 5. *D.* Solemnitas votorum, *C.* substantia, *N.* Haec enim proveniunt ex doctrina evangelica, quae omnibus perfectionis consilia suadet.

PROPOSITIO IV.

Propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi non potest Matrimonii vinculum.

87. De fide est ex can. V. cit. sess. concilii tridentini: *Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam, a conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.*

88. Innititur haec veritas verbo Dei scripto et tradito. Etenim Christus, Matth. XIX. 9. omnes prorsus dissolvendi Matrimonii causas exclusit dicens: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam*

duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur. Adeoque Apostolus, I. Cor. VII. 10. omni exceptione exclusa, pronunciat: *Iis, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari, et vir uxorem non dimittat.*

89. Verbum porro Dei traditum recensitas omnes exceptiones aperte excludit; Patres enim 1°. uno ore docent adulteram eam esse, quae, vivente viro, fuerit cum alio viro, cohaerenter ad Apostoli dictum, Rom. VII. 2. inter caeteros s. Hieronymus [1], et s. Augustinus, qui scribit [2]: *Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et foemina connubio copulati quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.* 2°. Uno consensu rejiciunt leges ab imperatoribus latas, quibus divortium permittebatur; sic e. gr. Jo. Chrysostomus haec scribit [3]: *Ne mihi legas ab exteris conditas leges, praecipientes dari libellum repudii et divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit:* et Hieronymus [4]: *Aliae*, inquit, *sunt leges Caesarum, aliae Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit;* eadem habet Ambrosius [5], et Augustinus. [6]

90. Jam vero hae solae leges a Patribus et ab ecclesia rejectae sunt, quae nobis a protestantibus in suae doctrinae subsidium objiciuntur, ab illis proinde afferendis supersedemus, quae commodius disjicientur paulo post.

PROPOSITIO V.

Non errat ecclesia, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi.

91. De fide et haec propositio est, ex can. VII. concilii tridentini his verbis concepto: *Si quis dixerit, ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; moecharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.*

92. Hoc canone directe concilium lutheranos et calvinistas impetit, ecclesiam erroris incusantes, quod doceret conjugium per adulterium non posse dissolvi quoad vinculum, non autem graecos, qui adhuc tenent quidem posse connubium hoc in casu dissolvi, quin tamen in ecclesiam latinam ob diversam doctrinam et praxim querelam moveant. Dogmaticum porro hunc canonem esse, secus ac effutierit Launojus, patet ex eo, quod in eo agatur de re, quae *ad evangelicam et apostolicam doctrinam* spectat.

[1]) *Epist.* LV. *ad Amandum,* n. 3.
[2]) *De Nuptiis,* lib. I. cap. 10.
[3]) *Hom. de libello repud.* quae est *in* I. *ad Corinth.* VII. 39. n. 1.
[4]) *Epist.* LXXIX. *ad Oceanum.*
[5]) Lib. VIII. *in cap.* 16. *Luc.* n. 5.
[6]) Loco citato et alibi.

93. Quibus animadversis, sic ad propositam veritatem vindicandam accedimus: ex praecedente propositione ex verbo Dei scripto et tradito omnimoda conjugiorum christianorum indissolubilitas praedicatur. Ergo etiam cum adulterium intervenit. Sane si alicubi casus adulterii exciperetur, esset profecto Matth. V. 32. ubi Christus ait: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mocchari; et qui dimissam duxerit, adulterat;* et ibid c. XIX. 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam*, etc. Haec enim sola loca sunt, ad quae appellant novatores. Atqui exceptio haec illis in textibus non continetur. Etenim si Christus hic de dissolutione Matrimonii quoad vinculum propter adulterium loqueretur, moechiae reum non traduxisset eum, qui, uxore dimissa, aliam duceret, aut eum, qui dimissam ab alio sibi in matrimonium conjungeret. Jam vero, ut patet ex ipsis recitatis verbis, Christus ita pronunciat. Ergo. Et haec confirmantur ex locis parallelis duorum Evangelistarum Marci et Lucae, in quibus, nulla clausula adjecta, adulterii reus absolute a Christo dicitur, tum qui alteram, priore repudiata uxore, ducit; tum qui se cum repudiata conjungit; nec non ex Apostolo, Rom. VII; et I. Cor. VII. Christi mentem exponente. De sola igitur dimissione quoad thorum in adductis locis sermo est.

94. Hanc porro verborum Christi intelligentiam Patres tenuisse, non solum testis est Augustinus, qui ex professo eam tuetur in duobus ad Pollentium libris *De adulterinis conjugiis,* et adversarii ultro nobis dant; verum etiam Patres alii sive Augustino anteriores sive suppares. Etenim conc. illiberitanum, ann. 313. can. IX. statuit: *Fidelis foemina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de saeculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* S. Hieronymus, in cit. *Epist. ad Amandum: Quamdiu,* inquit, *vivit vir, licet adulter sit, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Qui deinde in *Epist. ad Oceanum*, Fabiolae matronae romanae, quae, juxta imperiales leges, marito adultero dimisso, licitum sibi censuit alteri nubere, publicam poenitentiam, toto spectante clero et populo, ab ea factam describit. Ratum igitur firmumque erat in ecclesia romana ea aetate per adulterium Matrimonii vinculum minime solvi. Alios magno numero Patres, quos nos brevitatis causa omittimus, proferunt Bellarminus et Tournelyus de hac agentes quaestione.

95. Hic adjici debent haud levia incommoda, quae ex adversariorum doctrina dimanant, facillima in primis conjugiorum ac frequens solutio; etenim, uti passim obtinet apud heterodoxos, conjuges vel sibi permittunt adulteria ut Matrimonium solvant, vel omnes arripiunt occasiones ad hoc sibi crimen ex levibus conjecturis impingendi, adeo ut frequentissima apud illos divortia fiant; sane in Borussia a tribunalibus ann. 1837. signata sunt 2391 divortia. Ecclesia graeca proprie dicta anno 1845. amare queritur de sorore sua petropolitana, quod hujus *sancta synodus* quotannis signet plus minus 200

divortia provocata a corruptione. Hoc ipsum nunc in utraque communione deplorant prudentiores viri, qui commendant ecclesiam catholicam ob contrariam doctrinam et praxim.

DIFFICULTATES.

96. I. Obj. 1. Christus verbis illis, Matth. V. 32: *Nisi ob fornicationem,* vel ibid. XIX. 9. *excepta fornicationis causa,* ab omnimoda indissolubilitatis conjugii lege excipit adulterii casum. 2. Alioquin Christus adulterium veluti unicam divortii causam quoad thorum assignasset, quum tamen ecclesia plures alias recenseat; neque respondisset pharisaeorum interpellationi de causa absoluti divortii quoad vinculum, si locutus esset de sola solutione quoad thorum. 3. Sensus igitur sententiae Christi est: Moechatur, qui solvit pristinum conjugium, praeterquam ob adulterii causam, ut aliud ineat, prout moechatur ille, qui dimissam duxerit praeterquam ob crimen adulterii. 4. Marcus et Lucas suppleri debent per Matthaeum. 5. Paulus intelligi debet de communiter contingentibus. Ergo.

97. Resp. Ad 1. *Neg.* Siquidem omnia huic intelligentiae obstant, quae retulimus. Igitur vel clausula haec conjungi debet cum priori sententiae parte, et sensus erit: Numquam licet dissolvere conjugium, excepto casu adulterii, conjuge autem adultero sive retento sive dimisso, nefas est alterum ducere. Quae communis interpretatio est, et sic cessat difficultas. Vel exponenda sunt verba Christi *negative,* quasi dixerit: Non licet dimittere uxorem, excepto casu fornicationis. Num vero ea dimissa, fas esset necne aliam ducere, hic Christus non dixit, ne pharisaeos offenderet; quod tamen hic prudenter tacuit, postea cum domi hac ipsa de re interrogatus esset a discipulis, ut refert Marcus, X. 11. omnimodam indissolubilitatem constituit. Vel etiam, ut aliis placet, Christus hic respondit pharisaeis ad normam mosaicae legis, quae, cum Deut. XXIV. 1. permitteret Hebraeis dare libellum repudii uxori, in qua *foeditatem aliquam* invenissent, doctores illius aetatis ita extenderant libertatem hanc, ut ob levissimas causas uxores dimitterentur, seu *quacumque ex causa.* Christus hanc causam ad solum casum fornicationis coarctavit, nihil adjiciens de omnimoda indissolubilitate, quam ipse postea pro lege evangelica constituit. Quaevis harum interpretationum admittatur, difficultas tollitur; nec cogimur admittere Christum, qui legem non venit solvere sed adimplere, adeo latam portam aperuisse ad conjugiorum dissolutionem tot criminum fecundam parentem.

98. Et haec quidem de sententiis inter catholicos hactenus receptis. Verum quid sentiendum de novissima alia interpretatione, qua contenditur Christi clausulas: *Nisi ob fornicationem. . . Excepta fornicationis causa*, de pellice esse intelligendas? Unde Christi sententia in hoc tota esset: conjugium viri et mulieris dissolvi numquam posse, nisi si *fornicarium* sit, quod dicitur concubinatus; eo quod vox *πορνεία*, *fornicatio,* qua hic usus est Christus, non possit significare flagitium illud, quod patrant, qui legitimo

conjugio conjuncti sunt, quodque *μοιχεία*, *adulterium* vocatur, sed illud solum, quo se maculare possunt, qui illegitima conjunctione copulantur. Respondemus ejusmodi interpretationem omnino profligari: 1°. Quia supponeret, quod absonum est, dubium aliquando suboriri umquam potuisse, liceret ne pellicem seu concubinam dimittere aut retinere. 2°. Quia pervulgatum est vocem *πορνείαν* omnis generis impudicitiam significare quocumque modo se exserat, *incestum, adulterium,* perinde ac vocem זָנָה, *scortatus est,* quae de muliere usurpatur sive nupta sive non nupta; adeoque Christum, juxta communem loquendi usum, eam hic accepisse constat in latissima sua significatione, prout postulat substrata materia. 3°. Quia demum adversatur totius sensui antiquitatis, omniumque Patrum, qui Christi dictum, quod expendimus, de conjugio copulatis intellexerunt; immo et sensui adversatur et interpretationi universae ecclesiae, quae huic Christi sententiae innixa constanter docuit, propter adulterium alterius conjugum solvi in perpetuum posse conjugium quoad thorum seu cohabitationem. Deficeret porro hoc fundamentum in ejusmodi expositione, quae praeterea abhorret a contextu.

99. Ad 2. *D.* Intrinsecam atque perpetuam, *C.* extrinsecam et temporariam, *N.* Etenim reipsa solum adulterium est, quod causam intrinsecam et perpetuam tribuat divortium faciendi, ita ut quamvis adulterum poeniteat criminis sui, innocens numquam teneatur illum recipere. Caeterae causae extrinsecae sunt ac temporariae. Cum igitur Christus respondit ad interpellationem pharisaeorum, qui duas ei proposuerant quaestiones: 1°. utrum liceret uxorem dimittere *quacumque ex causa;* 2°. utrum *quacumque ex causa,* conjuge dimisso, liceret aliam ducere; ad priorem respondit, id non licere nisi interveniente adulterio, ut causa scilicet intrinseca et perpetua; ad posteriorem vero reposuit negative absolute, seu numquam licere. Quod cum durum discipulis videretur, dixerunt ei: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* quin vero Christus emolliret sententiam suam eos remittendo ad uxorem fideliorem, occasionem nactus est omnes adhortandi ad continentiam.

100. Ad 3. *Neg.* Cum ejusmodi interpretatio sit plane contraria, ut vidimus, Christi menti expositae ab aliis Evangelistis, ab apostolo Paulo, et a doctrina et praxi universae ecclesiae.

101. Ad 4. *D.* In assignanda causa divortii quoad thorum, et habitationem, *C.* quoad vinculum, *N.* Haec unica ratio suppetit tres evangelistas inter se componendi; alioquin sententiae apud Marcum et Lucam absolutae, seu sine illa clausula, quae juxta adversarios apud Matthaeum afficeret vinculum, falsae essent, uti animadvertit Bellarminus.

102. Ad 5. *Neg.* Etenim verba Apostoli, I. Cor. VII. 10: *His, qui matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari,* absoluta sunt pro quovis casu; quae repetit ibid. v. 39. dicens: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit* (non *si fornicatus*

fuerit) vir ejus, liberata est; cui vult, nubat. Adde casum adulterii non adeo insolitum esse, ut dici possit extraordinarius.

103. II. Obj. 1. Haud pauci Patres, apud Launojum [1], docuerunt solvi quoad vinculum conjugium adulterii causa; 2. nec non plura concilia, ut arelatense I. ann. 314, venetum in Britannia minori, ann. 456, deinde vero vermeriense et compediense, quibus consonat Poenitentiale romanum, tribuens conjugi innocenti facultatem novas ineundi nuptias ac denegans reo. 3. Idque juxta leges imperiales, ne pars innocens cogeretur ad perpetuam continentiam ob alterius crimen. 4. Cajetanus proinde, Catharinus, Erasmus, Launojus in hanc concessere sententiam. 5. Praesertim cum agatur de re disciplinari ac libera, ut patet ex agendi ratione, quam tenuit Tridentinum erga graecos, quibus liberum est in casu, de quo agimus, ad nova transire vota; nisi proinde dicamus alterutram errare ecclesiam, fatendum est non agi de dogmatica doctrina in hoc articulo. Ergo.

104. Resp. Ad 1. *D.* Nonnulli, *Tr.* plures, seu quot Launojus contendit et profert, *N.* Sane ex his nonnulli eidem plane adversantur, ut Hieronymus, Ambrosius, Innocentius I. et Gregorius M. Aliorum vero ipse textus corrupit, ut Joannis VIII. qui in textu genuino contrarium constituit; aliquos ad suam sententiam trahit ob vagas affirmationes, quibus, prolata Christi sententia, dicunt non licere propriam uxorem dimittere, excepta fornicationis causa, et aliam ducere, quae exponi commode possunt de sola dimissione quoad thorum et habitationem, cujusmodi sunt Origenes, Tertullianus, Hilarius pictaviensis et Isidorus; alii plus probant quam ipse contendat, nempe non ob solum adulterium, sed alias etiam ob causas divelli conjugium ad normam legum imperialium, uti Basilius et Epiphanius. Quod si nonnulli adhuc supersunt, quorum dicta emolliri non possint, fatendum est, illos in re nondum eliquata et ab ecclesia definita a vero ablusisse, cum de eo argumento ageretur, in quo, ut ait s. Augustinus [2], *venialiter quisque fallatur.*

105. Ad 2. *D.* Ita constituunt concilia objecta et Poenitentiale rom. post obitum conjugis adulteri, *C.* eo adhuc vivente, *N.* Ex conc. enim forojuliensi et triburiensi novimus perinde ac ex *Epist.* s. Leonis *ad Rusticum narbonensem*, receptam per ea tempora disciplinam, ut adulterii reis novae nuptiae in perpetuum interdicerentur, permitterentur vero parti innocenti post adulteri obitum. Cohaerenter ad ejusmodi disciplinam loquuntur tum Poenitentiale rom. tum allegata concilia. Si quae autem concilia sint, quae omnibus indiscriminatim in praesenti casu nuptias concedant, pugnant cum evangelica et apostolica doctrina, adeoque nulla est illorum auctoritas. Certe nec pauci nec leviores abusus in nonnullis provinciis medio praesertim aevo invaluerant.

106. Ad 3. *D.* Quae proinde leges, utpote evangelicae doctrinae contrariae, a Patribus et ab ecclesia improbatae sunt, *C.* legitimum valent red-

[1]) *De regia in Matrimon. potestate*, part. III. art. 1. cap. 3.

[2]) Lib. *De fide et operibus.*

dere conjugium, *N.* Paulo ante Patrum testimonia, quae his legibus refragantur, attulimus. Si nolit pars innocens se perpetuae continentiae addicere, poterit cum nocente conciliari. Eidem continentiae interdum subjici debent conjuges, uti animadvertit s. Augustinus, ob infirmitatem vel absentiam alterius conjugis.

107. Ad 4. *D.* Quorum tres priores aliqua venia digni sunt, quia ante tridentinum concilium florucre, Launojus vero, utpote temerarius, est deserendus et impugnandus, *C.* secus, *N.* Sane Cajetanus et Catharinus sententias suas ecclesiae subjecerunt. Erasmus, quamvis plurium errorum, quos deinceps novatores adoptarunt, praeformator fuerit, post latas in hanc doctrinam suam a facultate parisiensi censuras, ejus poenituit. Ast Launojus sciens ac volens catholicam doctrinam impugnavit, adeoque temerarii notam incurrit.

108. Ad 5. *Neg.* Siquidem agitur de doctrina *evangelica et apostolica*, adeoque dogmatica. Prudenter porro conc. tridentinum ad rogatum oratorum Venetorum ita temperavit canonem suum, ut directe protestantes feriret ecclesiae detractores, ac simul veram doctrinam adstrueret adversus graecos. Errant proinde graeci in doctrina et praxi, quam consectantur, nec sine peccato conjugia ob adulterium solvunt, quum tamen ecclesiae latinae hac de causa molestiam non intulerint, ideo anathemati subjecti non sunt. Quoad graecos sub latinorum ditione versantes, ipsis novae nuptiae non permittuntur; quoad alios, qui de facto eas nuptias ineunt, tolerantur, prout tot aliorum tolerantur peccata, quin probentur.

PROPOSITIO VI.

Non errat ecclesia, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit.

109. De fide est ex can. VIII. ejusdem sess. Tridentini: *Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.*

110. Quatuor potissimum causae recensentur, propter quas legitime fit ejusmodi separatio. Prima ac praecipua est adulterium alterius conjugis juxta Christi sententiam locis adductis ex Matthaeo, quae cum intelligi nequeant de separatione quoad vinculum, sequitur ut intelligantur de separatione quoad thorum seu habitationem, et quidem in perpetuum. Altera est conjugis apostasia aut haeresis cum periculo perversionis alterius juxta illud Apostoli, ad Tit. III. 10: *Haereticum hominem devita;* et illud Christi, Matth. V. 29: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te.* Tertia est, si alter conjugum alterum impellat ad peccatum. Quarta denique mutuus est conjugum consensus ad religiosum aliquod institutum profitendum, vel si de marito agatur, ad suscipiendos sacros ordines, quo refertur Christi

sententia, Matth. XIX. 29: *Omnis qui reliquerit uxorem ... propter me, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* In quo posteriori casu, si uxor junior sit, religionem aliquam profiteatur necesse est; si vero provectioris fuerit aetatis, votum emittat coram episcopo perpetuae continentiae, prout constitutum est in jure canonico *De convers. conjugat.*

111. Cum obsoleverit protestantium error a Tridentino proscriptus, ab ipsorum difficultatibus afferendis, quas discutit Bellarminus, *De Matrimon.* cap. 14. supersedemus. Quoad praxim in causis quas recensuimus, consulendi sunt theologiae moralis institutores et canonistae.

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII EORUMQUE STATUENDORUM FACULTATE.

112. *Impedimenta* ea vocantur, quae aut irritum Matrimonium reddunt, aut saltem illegitimum. Hinc partitio in impedimenta *dirimentia* et *impedientia.* Nonnullis minus propria videtur ejusmodi denominatio. Esto, ne tamen confusionem linguarum introducamus, cum illa loquendi ratio vulgaris jam sit communique usu trita, ab ea recedendum non est.

113. Impedimenta dirimentia quindecim recensentur, his versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Amens, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedientia quatuor haec sunt:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt juncta tenere.

Horum vim et explanationem sibi vindicant canonistae ac theologiae moralis institutores. Theologi dogmatici munus est potestatem ecclesiae legislativam vindicare in impedimentis constituendis. Cum vero controversia potissimum vigeat circa impedimenta dirimentia, tum 1°. inter catholicos et protestantes; tum 2°. inter *regalistas* nuncupatos, sincerosque catholicos, nos sub duplici hoc respectu eam agitabimus.

114. Waldenses omnium primi impedimenta dirimentia adorti sunt; Lutherus et Calvinus cum Matrimonium e sacramentorum albo sustulerint, non alia admiserunt impedimenta praeter illa, quae in Levitico, cap. XVIII. recensentur, ita tamen ut in potestate civilis reipublicae sit alia constituere circa Matrimonium, quod ad ejusdem bonum conferre videretur.

115. Horum vestigiis insistens Marcus Antonius de Dominis, prius archiepiscopus spalatensis, deinde apostata, in op. *De republica ecclesiastica,* lib. V. cap. 11. adnisus est evincere causas matrimoniales ad solos principes spectare, dato etiam quod Matrimonium sacramentum sit. Marcum Ant. de

Dominis secutus est immo magna ex parte expilavit Launojus constantiensis in op. *De regia in Matrimonium potestate*, edito anno 1672. Is, constituto principio, quod facultas impedimenta dirimentia apponendi conjugio, nativo jure ad saeculares principes spectet, infert ecclesiam aut usurpatione, aut principum indulgentia et concessione, sibi illam tribuisse. Cum vero Tridentinum, Sess. XXIV. can. IV. definierit eam potestatem ad ecclesiam pertinere, contendit hic doctor concilium *ecclesiae* nomine, reges et principes significasse.

116. Launoji paradoxum ac erroneam doctrinam, cum primum apparuit, christianus orbis exhorruit et refellit. Verum, ut fit, pedetentim, si inauditam tridentini canonis interpretationem excipias, Launoji systema nonnullos sectatores nactum est, ac superiori saeculo praesertim plures adstipulatores habuit inter aulicos theologos et canonistas; inter quos in Germania excelluit Bened. Oberhauser, haereseos propterea accusatus.

117. Sub horum canonistarum ac theologorum auspiciis constitutio Josephi II. prodiit ann. 1783. qua causarum matrimonialium cognitio imperii civilis judicio committitur. Summum hujus legislationis matrimonialis principium in eo constituitur, quod *Matrimonium sit civilis contractus, ac ut talis a paritate aliorum contractuum et pactorum a civili foro regi debeat, ideoque solum imperium civile vera, id est, dirimentia, ut dicunt, matrimonii impedimenta statuere et in iis dispensare possit.* Ecclesiae autem tributa est potestas *praecepta quaedam prohibitiva* constituendi, quae religionem et mores ad conservandam sacramenti Matrimonii dignitatem promoveant. Josephi II. edictum plures invexit perturbationes, diuturnum excitavit certamen, et paucorum annorum spatio systema *dispensationum* matrimonialium pluries immutatum est.

118. Hujus austriacae legislationis principia haud pauci canonum professores, theologique jansenianae factionis adstruenda sibi sumpserunt. Eminent in Belgio Le Plat, in Italia Aloysius Litta, Petrus Tamburini, et Thomas Nestius, in Brisgovia Jac. Ant. Petzek. Adoptavit porro suaque fecit pseudosynodus pistoriensis.

119. Legislatio matrimonialis Galliarum, quae post rebelles civiles motus ann. 1792. prodiit, non modo causas omnes matrimoniales politico gubernio vindicavit, sed eo progressa est ut sanctitatem omnem ac firmitatem Matrimonio abstulerit. Superveniente Napoleone, legislatio illa in pluribus emendata est, attamen in novo codice omnis sublata est ecclesiae potestas circa causas matrimoniales, quae non secus ac conjugium ipsum civili magistratui addictae fuerunt. Ad conjugium ineundum satis erat consensus mutuus coram testibus et magistratu.

120. Defervescente in dies hostili studio in ecclesiam, paulatim ab his principiis recessum est, pluresque theologi praesertim Galliae eo se receperunt, ut adstruerent potestatem saltem *ex aequo* tum principibus, tum ecclesiae competere circa impedimenta dirimentia. In hac sententia, quam novissime adstruxit D. Carrière in *Praelectionibus majoribus sancti Sulpitii*

habitis de Matrimonio, Paris 1837. eadem ratione, qua ecclesia, regimen etiam politicum potest irritum reddere quoad vinculum conjugium per impedimenta a se constituta. Quamvis porro hic auctor in nonnullis doctrinam suam in opere posterius edito emolliverit, quoad punctum praecipuum, de quo agitur, integram adhuc retinuit.

121. Ut nobis via pateat ad sinceram catholicam doctrinam tuendam, praemittimus canones a Tridentino editos, Sess. XXIV. can. III: *Si quis dixerit, eos tantum consanguineitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum et dirimere contractum; nec posse ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.* Can. IV: *Si quis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Can. XII: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.*

122. Ad horum canonum vim eludendam a personatis catholicis plura excogitata sunt, ac 1°. *ecclesiae* nomine ibi reges et principes designari; 2°. canones hos non esse dogmaticos, sed disciplinares; 3°. non definivisse Tridentinum utrum possit ecclesia statuere impedimenta Matrimonium dirimentia ex proprio et originario jure, an vero ex tacito solum aut expresso principum consensu; 4°. nec definivisse *solam* ecclesiam posse statuere impedimenta dirimentia ad principum exclusionem; 5°. nec decrevisse *omnes* causas matrimoniales ad *solos* judices ecclesiasticos pertinere. Nos igitur ejusmodi exceptionibus totidem contradictorias opponemus propositiones. Interim sit

PROPOSITIO I.

Potest ecclesia constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, neque in iis constituendis erravit.

123. Propositio haec fundamentalis adversus protestantes de fide est, ut patet ex can. III. et IV. nuper adductis. Sic vero ejus veritatem evincimus. Ideo juxta protestantes nequit ecclesia ejusmodi impedimenta constituere, quia Matrimonium non est sacramentum, sed merus naturalis, politicus ac civilis contractus. Atqui ex demonstratis, cap. I. prop. I. Matrimonium est vere et proprie sacramentum; ergo potest ecclesia impedimenta constituere.

124. Hanc conclusionem vidit ipse Calvinus, qui haec habet [1]: *Ubi enim semel obtinuere* (catholici) *Matrimonium esse sacramentum, conjugalium causarum cognitionem ad se contraxerunt, quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda.* Jam vero Christus, Matth. XIX; Marc. X; et Luc. XVI. impedimentum *ligaminis* constituit eamque facultatem ecclesiae suae contulit, dum ei sacramentorum commisit administrationem, adeoque

[1]) *Instit.* lib. IV. cap. 19. §. 37.

et potestatem dedit statuendi quaenam sit legitima eorumdem sacramentorum materia.

125. Qua potestate ecclesia quovis tempore usa est, sive cum irrita declaravit conjugia aliquot legibus imperialibus probata, sive cum probavit nonnulla Matrimonia, quae eisdem legibus vetabantur. S. Ignatius in universum pronunciat [2]: *Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum.* S. Justinus [3] et Athenagoras [4], veluti adulterina improbata testantur conjugia, quae *humana lege* permittebantur. Tertullianus: *Coronant,* inquit [5], *et nuptiae sponsos. Ideo non nubamus ethnicis ne nos ad idololatriam usque deducant, a qua apud illos nuptiae incipiunt;* significans passim improbari conjugia quae cum infidelibus contrahebantur, ob cultus disparitatem, quae deinceps consuetudo impedimentum dirimens constituit. Concilium illiberitanum, can. LXI. irritum habet conjugium initum cum sorore defunctae uxoris, prout pariter concilium neocaesariense celebratum ann. 314. idem statuit quoad eam, quae duxerit duos fratres, qui tamen gradus affinitatis a legibus non prohibebatur. Ex his porro aliisque non paucis documentis, quae paulo post copiosius afferemus, constat ecclesiam tradita sibi a Christo facultate circa impedimenta usam esse; prout nobis probandum propositum erat. Cum vero protestantium difficultates collineent cum illis, quas urgent neoterici, eas afferemus et dissolvemus in insequentibus propositionibus.

PROPOSITIO II.

Ecclesiae nomine a tridentinis canonibus III et IV. non reges et saeculi principes, sed ecclesiasticus ordo et hierarchia designatur.

126. Propositio certa est ac fidei proxima, ejusque contradictoria, falsa et proxima haeresi, utpote proveniens ex haereticali principio de jure proprio et originario principum statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, ut ex dicendis patebit.

127. Porro *ecclesiae* nomen hic a Tridentino non latiori sensu pro fidelium coetu aut aliqua ejus parte usurpari, sed *contracte sumi,* ut loquitur Gersonius [1]: *Pro illis videlicet, qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad divinum servitium,* seu ut idem loquitur [2]: *Quos duces in ecclesia, custodes et speculatores summus Paterfamilias instituit,* patet ex duplici argumento.

128. Primo quidem, quia in adductis canonibus agitur de jurisdictione, et de doctrina; declaratur enim in his ecclesiam *posse dispensare, posse constituere impedimenta, neque in his constituendis errasse.* Nemo autem est, qui dubitet, cum agitur de jurisdictione et doctrina, ecclesiae vocem ad eccle-

[2]) *Epist. ad Philipp.* cap. V.
[3]) *Apolog.* I. n. 15.
[4]) *Legat. pro christianis,* n. 32, 33.
[5]) *De corona milit.* cap. 13.

[1]) *Tractat. De potestate ecclesiastic.* consid. I.
[2]) *Serm. in Domin.* XIX. *post Pentec.* consid. III.

siam imperantem et docentem, seu ad ecclesiasticum coetum et hierarchiam coarctari, prout ipsi adversarii coarctant cum docent ecclesiam esse magistram, interpretem Scripturarum, traditionis custodem, controversiarum judicem adversus novatores.

129. Altero vero, quia iidem tridentini Patres in eadem constanter significatione *ecclesiae* nomen usurpant, cum de jurisdictione et doctrina loquuntur. Ita Sess. XIII. can. IX; Sess. XIV. can. XV; Sess. XXI. can. II; Sess. XXII. can. V et VII. demum hac ipsa Sess. XXIV. can. VII, VIII et IX. Cum igitur in nostris canonibus de vindicanda doctrina adversus novatores agatur, qui non principibus, sed ecclesiae presso sensu acceptae denegabant potestatem statuendi impedimenta dirimentia; cumque agatur de hac ipsa potestate et jurisdictione, evidens est in eodem sensu ac significatione tridentinos ecclesiae nomen sumpsisse.

DIFFICULTATES.

130. Obj. 1. Nisi *ecclesiae* nomen coarctetur, universum fidelium coetum significat; jam vero Tridentinum in controversis canonibus in amplissima sua significatione ecclesiae vocem adhibuisse constat ex Sess. ipsa XXIV. *de Reform.* cap. 1. dum sanxit Matrimonium celebrandum esse *in facie ecclesiae.* Nulla igitur ratio apparet, cur voluerit ejus sensum coarctare in his canonibus. 2. Sane sibi proposuit concilium lutheranorum errorem refellere, qui contendebant non posse *ab hominum legibus* statui impedimenta, retinendaque esse ea sola, quae Deus in Levitico constituit; atqui ad hunc errorem proscribendum satis erat definire posse humana potestate sive ecclesiastica sive regia impedimenta constitui. 3. Substrata denique materia, quae civilis et politica est, nempe contractus matrimonialis, aperte ostendit ecclesiae nomine non ecclesiae pastores, sed coetum fidelium, seu praecipuam ejus partem, nempe principes significari. Ergo.

131. Resp. Ad 1. *Neg. min.* Siquidem ex eodem concilio ideo conjugium celebrandum est in *facie ecclesiae,* quia coram parocho dandus consensus est; et ita ut, si coram universa societate praeberetur consensus hic, absente parocho, Matrimonium invalidum foret. Quod si adversarii contendant designari communitatem fidelium a Tridentinis in objecto loco, reponimus id non obesse thesi nostrae, cum agatur de publicitate actus, ut aiunt, non autem de actu jurisdictionis et magisterii, ut in canonibus, de quibus est quaestio; adeoque diversum sensum ex se patefieri.

132. Ad 2. *D.* Ita tamen ut per *leges hominum aut leges humanas* significarent leges ecclesiasticas et pontificias, *C.* leges civiles, *N.* Hic valde laborandum nobis non est, ut evincamus Lutherum per leges *humanas* significasse leges ecclesiasticas et pontificias, cum id declaraverit Lutherus ipse. Cum enim inter caeteros articulos excerptos ex ejus libro *De captivit. babylonica* nostri et hunc ei objecissent: *Christianis nihil ullo jure imponi posse legum sive ab homine sive ab angelis, nisi quantum volunt;* respondit Lutherus: *Hoc non de civilibus, sed de ecclesiasticis dixi.* Rursum cum nostri et hunc

articulum notassent: *Nullo impedimento prohiberi Matrimonium aut contractum dissolvi praeter primum affinitatis gradum,* Lutherus reposuit: *Hoc dixi juxta praeceptum Dei, licet Papa aliud ordinet.* His positis, en quomodo instauremus argumentum: juxta adversarios in allegatis canonibus Tridentinum sibi proposuit damnare errorem haereticorum, praesertim vero Lutheri; atqui Luthero ipso interprete, per *leges hominum aut leges humanas* non principes seu civiles leges, sed ecclesiam et ecclesiasticas leges designavit; ergo Tridentinum in his canonibus non reges aut principes, sed vere ecclesiam seu ecclesiasticum coetum significavit.

133. Ad 3. *Neg.* Prout enim contractus matrimonialis materiam eamque proximam constituit sacramenti, spiritualis est et a sacramento inseparabilis. Quapropter unice ad ecclesiam pertinet eam determinare ut legitima sit; nec ulla civilis potestas jus habet sive directe sive indirecte in ea, quae *intrinseca* sacramento Matrimonii sunt, uti ex dicendis clarius adhuc patebit.

PROPOSITIO III.

Recensiti canones tridentini dogmatici sunt et fidei regulam constituunt.

134. Eadem certitudine gaudet haec propositio ac praecedens, ut constat ex censura lata in proposit. LX. synodi pistoriensis, de qua postea.

135. In eo dogmatici canones a disciplinaribus distinguuntur, quod illi articulum seu doctrinam credendam, isti aliquid agendum contineant. Jam vero in recensitis canonibus III et IV. tridentinis de doctrina credenda agi, evidens est primo ex ipso canonum tenore, in quibus dicitur: *Si quis dixerit, ecclesiam non posse, aut non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Objectum igitur horum canonum est potestas ecclesiae ejusque infallibilitas circa hanc potestatem, ita ut illorum vi fideles omnes credere teneantur ecclesiam hac potestate divinitus praeditam esse, seu agitur de re credenda, non autem de re facienda.

136. Insuper ex ipso titulo id constat praefixo sessioni XXIV: *Doctrina de sacramento Matrimonii,* et ex expressa Tridentinorum declaratione praemissa canonibus: *Sancta et universalis synodus, cupiens occurrere* (impiorum hominum temeritati), *insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos eorumque errores decernens anathematismos.* Qua declaratione praemissa, continenter canones subjecerunt Patres, ergo propositum illis fuit per eos haereses et errores proscribere, et contradictoriam doctrinam uti dogmaticam definire.

137. Demum si qua adhuc superesset dubitatio, ex sensu totius ecclesiae plane tollitur, quae statim hos canones uti dogmaticos et fidei regulam suscepit ac venerata est, ita ut nemo umquam usque ad Launojum de hoc vel levem suspicionem ingesserit.

DIFFICULTATES.

138. I. Obj. 1. Ex dictis regula ad secernendos canones dogmaticos a disciplinaribus desumi debet ab objecto; atqui objectum canonum, de quibus agitur, nullum dogma prae se fert. Ergo. 2. Scopus praecipuus concilii in his canonibus erat convellere Lutheri errorem denegantis auctoritati humanae jus circa Matrimonium; jam vero dogmati constabiliendo quoad potestatem humanam in Matrimonium, satis erat adstruere eam potestatem principibus, ergo verba, *ecclesiam potuisse ac posse* statuere impedimenta praeter scopum praecipuum concilii posita sunt, neque in illa cadit objectum canonum, qui proinde dogmatici hac de causa dici nequeunt. 3. Sane theologi omnes ideo docent non esse dogmaticam definitionem, quam dedit Nicolaus I. in *Respons. ad consulta Bulgarorum*, valere Baptismum in *nomine Christi* administratum, quia id per incidens dixit praeter ejus scopum principalem; idem igitur dicendum est de *ecclesiae* nomine adhibito a Tridentino in his canonibus, dum contra Lutherum adstruere sibi proposuit competere civili et politico regimini, quod haeresiarcha praefracte negabat. Ergo.

139. Resp. Ad 1. *Neg. min.* ut patet ex probationibus, cum agatur de profitenda potestate in ecclesia statuendi impedimenta, qua eadem ecclesia ab aetate apostolica, ut ostendimus in propos. I. semper usa est, quamque denegare haereticum est. Quocirca vel ipse Van-Espen in *Jure ecclesiast.* nonnullis praemissis in hanc rem, concludit [1]: *Igitur filum traditionis insecuta synodus tridentina recte anathema dixit in eum, qui dixerit ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse.*

140. Ad 2. Resp. I. Ergo scopus concilii non fuit rem disciplinarem decernere, sed errorem convellere Lutheri. Resp. II. *D.* Ita tamen ut Lutherus nomine potestatis humanae *ecclesiam* juxta dicta significaret, *C.* potestatem civilem, *N.* Ad hoc magis confirmandum, adductis documentis adjicimus integrum ejusdem Lutheri textum, prout legitur in lib. *De captivit. babylonica*: *Dico*, scribit [2], *et quod in me est, facio, monens et rogans omnes sacerdotes et fratres, si viderint aliquod impedimentum, in quo Papa potest dispensare, et quod non est in Scriptura expressum, ut ea Matrimonia confirment, quae contra ecclesiasticas, tyrannicas vel pontificias leges fuerint contracta... Conjunctio enim viri et mulieris est juris divini, quae tenet, quocumque modo contra leges hominum contigerit, debentque leges hominum ei cedere... sine ullo scrupulo.* Cum igitur scopus praecipuus concilii, adversariis fatentibus, fuerit errorem Lutheri proscribere, qui negabat vere *ecclesiae* potestatem apponendi impedimenta, hoc ipso constat Tridentinum ut fidei dogma definivisse ecclesiam hac pollere potestate, et dogmaticam hanc definitionem praecipuum scopum et finem fuisse concilii in his canonibus sanciendis.

[1]) Tom. I. part. II. tit. 13. cap. 1. §. 20. [2]) Oper. edit. Jenens. 1557. t. II. f. 295. b.

141. Ad 3. *Nego* paritatem, quae unice innititur falso supposito, quod concilium incidenter tantum nomen *ecclesiae* his canonibus inseruerit.

142. II. Obj. 1. Objectum dogmaticum est immutabile, talia vero non sunt impedimenta ab ecclesia statuta, quae tum in se variari possunt, tum saepe circa eadem conceditur dispensatio. 2. A Tridentino definitum est *factum,* ecclesiam scilicet non errasse in constituendis impedimentis, non autem *jus*, porro dogma in jus solum cadere potest. 3. Ad summum actum est *de jure naturali,* de legitima nempe possessione ab ecclesia acquisita ex concessione principum, non autem de *jure revelato;* cum vero concessio illa semper retractabilis sit, non potest de ea dogma constitui. 4. Incertum praeterea est, num illi, qui suffragium pro his canonibus dederunt, fuerint ex illis, qui a Spiritu S. positi sunt ad regendam ecclesiam Dei, an vero ex illis, quibus ex dispositione humana jus suffragii ferendi concessum est, scilicet cardinalibus non episcopis, ordinum religiosorum abbatibus aut praepositis generalibus. 5. Cumque nondum definitum sit praefatos canones dogmaticos esse, de libera agitur opinione. 6. Demum hi canones eos tantum feriunt, qui in eum finem denegarunt potestatem ecclesiae constituendi impedimenta, ut viam sibi pararent ad negandam veritatem sacramenti Matrimonii, hunc autem finem minime sibi praestituunt, qui eam denegant ecclesiae, ut tribuant principibus. Ergo ab anathemate hi liberi sunt.

143. Resp. Ad 1. *D.* Impedimenta mutari possunt, aut etiam ab iis dispensari, *C.* potestas impedimenta statuendi, *N.* Hanc porro ecclesiae competere definitum est a Tridentino.

144. Ad 2. *D.* Definitum est factum cum jure conjunctum ab eoque dependens, *C.* merum factum, *N.* Ideo enim ecclesia impedimenta constituit, quia *potuit* et *potest* ea constituere.

145. Ad 3. *Neg.* Hoc enim argumentum innititur falso supposito, quod ecclesia ex concessione principum hac potestate fruatur, non autem jure proprio et originario. Hoc fundamento sublato, corruit superstructa argumentatio. Erroneum porro ejusmodi suppositum propositione insequenti evertemus.

146. Ad 4. *Neg.* Si qua vis inesset huic argumento, actum esset de omnibus fidei dogmatibus tum a Tridentino tum ab aliis oecumenicis synodis definitis; immo actum esset de ecclesiae ipsius infallibilitate, quae hos canones uti dogmaticos semper agnovit.

147. Ad 5. *Neg.* Tum quia ecclesia uti dogmaticos habet, tum quia doctrina de originaria principum potestate in christianorum conjugio *haereticali* nota a Pio VI. inusta est, uti mox dicemus.

148. Ad 6. *Neg.* Siquidem e converso sese gesserunt haeretici; nam primo inficiati sunt Matrimonium sacramentum esse, deinde uti corollarium deduxerunt ad principes exclusive potestatem, de qua agimus, spectare. Vanum proinde ac stultum ejusmodi adversariorum effugium est, ut se ab anathemate subtrahant.

PROPOSITIO IV.

Praefati tridentini canones non de adventitia ex tacito vel expresso principum consensu, sed de intima, originaria, ac propria ecclesiae potestate loquuntur.

149. De fide propositio est ex Const. dogmatica *Auctorem fidei*, qua *doctrina synodi* (pistoriensis), *asserens ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddant, dicunturque dirimentia; quod jus originarium praeterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum, subjungens, supposito assensu vel conniventia principum potuisse ecclesiam jure constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii. Quasi ecclesia non semper potuerit et possit in christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae Matrimonium non solum impediant, sed ut nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in iisdemque dispensare.* Damnatur ut *canonum* III, IV, IX, XII, sess. XXIV. conc. tridentini *eversiva, haeretica* (prop. LIX). Cumque synodus, in prop. CX. ad summum imperantem recurrerit ut nonnulla tolleret impedimenta, damnata ea est, ut *libertatis ac potestatis ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.* Mirum proinde est Rechberger eamdem haereticalem doctrinam ausum esse adstruere. [1]

150. Porro si jus principum in Matrimonium esset originarium et proprium, id constare deberet vel ex verbo Dei scripto vel ex verbo Dei tradito; vel saltem constare deberet de expresso aut tacito consensu a principibus ecclesiae dato. Jam vero nullum horum habetur. Siquidem nullum ad haec asserenda proferri documentum ab adversariis potest.

151. Quin potius ex Scriptura ac traditione novimus matrimonialem contractum a Christo evectum ad dignitatem fuisse sacramenti; quo factum est, ut si quam principes in hunc contractum potestatem habuissent, illis a Christo subtracta sit, dum hujus perinde ac caeterorum sacramentorum moderationem ecclesiae suae tradidit.

152. Sane Christus, ut vidimus, secus ac ferrent leges judaeorum ac ethnicorum, constituit impedimentum ligaminis; Apostolus pariter facultatem fecit parti fideli novas ineundi nuptias, resistente parte infideli; ecclesia tribus prioribus saeculis varia impedimenta ob affinitatis gradus posuit, nullo profecto accedente Neronis, Caligulae, aliorumve imperatorum ethnicorum consensu. Si igitur originario ac proprio jure ejusmodi impedimenta constituendi sub infidelibus principibus ecclesia fruita est, quomodo illud amisit sub imperatoribus et principibus christianis?

153. Rursum: Concilio tridentino interfuere oratores sagacissimi christianorum principum, si hi reipsa tali originali ac propria pollebant potestate,

[1]) *Manual. juris canonici austriaci* tom. II. §. 159 seqq.

qui fieri potuit, ut cum ageretur in concilio de canonibus sanciendis circa Matrimonium, nemo reclamaverit, cum in hypothesi adversariorum adeo illis graviter laederentur principum nativa jura? Tantum vero abfuit, ut principes jus hoc sibi arrogarent, ut potius Galliarum rex per oratorem suum enixe Patres tridentinos rogaverit, ut irritum declararent conjugium a filiis familias initum, insciis aut contradicentibus parentibus, quin tamen obtinuerit, immo contrarium Patres sub anathematis poena statuerunt, novumque impedimentum clandestinitatis introduxerunt.

154. Huc accedit, quod si vera esset adversariorum doctrina, Tridentinum haud potuisset canones hos dogmaticos sancire, cum ageretur de re mutabili, quae a principum voluntate penderet, quandoque vero falsa, cum principes possent assensum hunc retractare, et infideles certe minime eum praeberent, ut praeclare animadvertit archiepiscopus mechliniensis, card. De Franckenberg. Sed et Van-Espen adversariis minime suspectus, loc. cit. scribit: *Negari non potest quin ecclesia hac potestate a primis saeculis pacifice usa fuerit.*

DIFFICULTATES.

155. I. Obj. 1. Materia *ex qua* sacramentum Matrimonii conficitur, est contractus civilis, qui elevatus a Christo est ad dignitatem sacramenti. Cum igitur principes jus habeant proprium et originarium in contractum civilem, hoc ipso habent in sacramentum. 2. Dignitas sacramenti supervenit contractui civili quem non immutat, uti superveniens calici benedicto, ejusdem non immutat materiam. 3. Christus evehens Matrimonium ad dignitatem sacramenti profecto noluit quidpiam saeculi principibus eorumque juribus nocumenti afferre, attulisset autem gravissimum in adversariorum hypothesi. 4. Hinc s. Thomas scribit [2]: *Personae illegitimae ad Matrimonium contrahendum dicuntur ex eo, quod sunt contra legem, qua Matrimonium statuitur. Matrimonium autem, in quantum est officium naturae, statuitur lege naturae; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est officium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad Matrimonium contrahendum illegitima.* Eadem habet s. Doctor, *Cont. gent.* lib. IV. cap. 78. Prudenter igitur Tridentinum prout 5. etiam animadvertit Van-Espen, loc. cit. definivit quidem posse ecclesiam impedimenta constituere, et causas matrimoniales agnoscere, at numquam definivit, utrum id possit jure proprio et originario, an vero ex concessione principum. Ergo.

156. Resp. Ad 1. *Neg.* Christus enim elevavit ad dignitatem sacramenti Matrimonium prout est officium naturae, non autem prout est civili, ut ita dicam, forma instructum; alioquin cum haec mutabilis sit, pendensque ab arbitrio principum, materia sacramenti ita penderet ab horum voluntate, ut possent nullum reddere sacramentum quoties libuerit, et si impii ac haeretici sint, ea uterentur in perniciem religionis ejusque destructionem. Quod

[2]) *Suppl.* qu. 50. art. unic. ad 4.

absurdum est. Cum vero dicitur jus inesse principibus in contractum civilem, hoc coarctari debet ad illa quae juris seu fori civilis sunt, nempe ad effectus externos civiles, minime vero extendi ad vinculum et nexum internum ex quo coalescit sacramentum uti materia proxima, in quam princeps nullo jure gaudet.

157. Ad 2. *D.* Si dignitas sacramenti superveniret contractui matrimoniali jam in suo esse constituto, ut materiae *remotae*, *Tr.* si exsurgat haec dignitas ex ipso actu quo contractus fit, ut materia *proxima*, *N.* Jam vero eo ipso instanti quo per contrahentium consensum contractus perficitur, hoc ipso fit sacramentum, ad eum modum quo exsurgit sacramentum Baptismi actu ipso ablutionis cum prolatione verborum, et Eucharistiae ex ipsa consecratione. Quo fit ut sit inseparabilis in Matrimonio ratio contractus a ratione sacramenti. Error adversariorum in eo versatur, quod spectent contractum matrimonialem in suo esse constitutum ut materiam sacramenti remotam, cujusmodi est aqua respectu Baptismi, panis respectu Eucharistiae, et calix respectu supervenientis benedictionis. Hinc optime s. Thomas: *Sicut,* inquit [3], *se habet ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum* (Matrimonii).

158. Ad 3. *Nego* suppositum, principes videlicet jus aliquando habuisse in vinculum ipsum Matrimonii; siquidem jus solum habuerunt aut habere possunt in id quod civile est, et confert ad bonum reipublicae et tranquillitatem familiarum, adeoque afficit effectus civiles et externos, quos utique possunt ipsi moderari. Hoc porro Christus iisdem non subtraxit, dum contractum naturalem Matrimonii sacramentum effecit.

159. Ad 4. *D. Statuitur* juxta s. Thomam etiam *lege civili* in ordine ad forum civile ac civiles effectus, *C.* in ordine ad vinculum ipsum conjugale ex quo conficitur sacramentum, *N.* Talem porro mentem esse angelici Doctoris patet ex iis, quae scribit in eodem *Suppl.* qu. LVII. art. 2. ad 4: *Prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit;* et alibi passim id ipsum inculcat.

160. Ad 5. *D.* Quia id numquam fuerat in dubium revocatum, *C.* aequivalenter non definivit tridentinum ecclesiam jure proprio impedimenta constituere posse, *N.* Sensum conc. tridentini declaravit Pius VI. in censura lata in proposit. LIX. synodi pistoriensis. Negamus porro Van-Espenium aliquando docuisse vel insinuasse dubium esse, num Tridentinum de jure proprio et originario locutum sit in suis decretis an vero ex concessione principum, cum verba quae ex eo afferuntur, assuta ab aliena manu fuerint ejus operi post auctoris obitum.

161. II. Obj. 1. Tantum abest ut ecclesia primitiva sibi arrogaverit potestatem constituendi impedimenta dirimentia, ut jus romanum circa Matrimonia adoptaverit. 2. Etenim Athenagoras scribit [4]: *Unusquisque nostrum*

[3]) In lib. IV. *Sent.* dist. 27. qu. 1. ad 4. [4]) *Legat. pro christ.* loc. cit.

uxorem suam secundum leges a vobis positas ducit. 3. Honorius et Theodosius, lege Ravennae data ann. 409. statuunt quando, cum quibus et qua de causa in impedimentis dispensandum sit, et codex justinianeus his legibus refertus est. 4. Quum proinde Patres milevitani conjugii indissolubilitatem etiam in casu adulterii vellint constitui, dixerunt: *In qua causa legem imperialem petendam promulgari.* Cassiodorus refert Theodoricum Gothorum regem veniam fecisse ut quis duceret consobrinam.[5] Hortante pontifice, Luitprandus statuit ut nulla consobrino se Matrimonio jungeret. 5. Si quae igitur antiquitus leges ab ecclesia circa conjugia latae sunt, aut dicendae sunt *prohibitivae* non autem irritantes conjugia; aut fatendum ecclesiam jus indebitum sibi usurpasse, prout constat ex pseudo-isidorianis decretalibus. Ergo.

162. Resp. Ad 1. *D.* Adeoque suas fecit et valorem addidit in ordine ad sacramentum, *C.* obsecuta est, quasi ex se in ordine ad sacramentum vim leges illae haberent, *N.* Alioquin sequerentur absurda quae in probationibus prosecuti sumus, ut nempe materia et valor sacramenti penderet ab ethnicorum principum voluntate. Nihil ipsis accidisset optatius. Plures praeterea ex his legibus ecclesia aut rejecit aut correxit, teste ipso protestante Jo. Frid. Bockelmann, in op. *De differentiis juris civilis et canonici.*

163. Ad 2. *D.* Secundum leges ab ecclesia adoptatas, *C.* juxta omnes indiscriminatim, *N.* Contrarium enim constat ex ipso Athenagora.

164. Ad 3. *D.* Ita ut allegati imperatores aliique in his legibus ferendis se praebuerint canonum patrocinatores, custodes ac vindices quoad executionem, *C.* ut illis intrinsecam tribuerent firmitatem, *N.* Sane imperator Justinianus, in *Novella* CXXXVII. qui sibi tribuerat in legibus civilibus *potestatem, circa canones et divinas leges* sibi solum tribuit *custodiam;* concluditque: *His igitur, quae sacris canonibus definita sunt, insistentes praesentem sancimus legem.* Quibus verbis illorum principum axioma imperator evertit, qui dicunt: *Canones legibus, non leges canonibus adjectas esse.* Sicque gesserunt se principes occidentales Childebertus, Chilpericus, Clotarius, Carolus M., qui protestantur se legibus suis canonum tantum exsecutionem urgere.

165. Ad 4. *D.* Dixerunt Patres milevitani petendam legem imperialem qua canon a se statutus exsecutioni mandaretur, *C.* qua canon vim acciperet, *N.* Jam enim Patres hunc canonem sanxerant *juxta evangelicam et apostolicam doctrinam* adeoque ex se jam robur vimque legis habebat; ast quoniam homines magis poenas corporales quam spirituales timere consueverunt, ideo Patres statuerunt ad canonis custodiam petere legem imperialem.

166. Theodoricus vero facultatem illam dedit pro foro civili et ad civiles effectus; siquidem ejusmodi conjugia consobrinorum ex legibus romanis jamdiu interdicta fuerant, et ad has leges refert se Theodoricus.

167. Ideo vero Joannes pontifex hortatus est regem Luitprandum ut

[5]) *Variorum,* lib. III. n. 46.

legem illam ferret, seu potius antiquam confirmaret, ne impune id christiani attentarent.

168. Ad 5. *Neg.* Etenim conc. neocaesariense et illiberitanum, dum constituunt impedimentum affinitatis, subjiciunt perpetuae poenitentiae transgressores nisi resipiscant, seu solvant contracta vincula. Dum Siricius statuit impedimentum *publicae honestatis* [6], ita inhibet conjugia absolute, ut sacrilegii instar esse pronunciet ejusmodi facinus. Conjugium initum cum impedimento *voti* conc. illiberitanum, can. XIII, carthaginiense IV. can. CIV, chalcedonense, can. XVI, Siricius item [7] et Innocentius [8] ita vetant, ut *nullum* prorsus declarent. Impedimentum *raptus* synodus ancyrana, can. XI, et chalcedonensis, can. XXVII, et Symmachus Papa [9] ita constituerunt, ut nullius momenti asserant conjugium cum eo initum. Quamvis propterea nondum antiquitus receptae formulae illae fuerint, quae postea obtinuerunt, ut *irrita, dirempta* etc. connubia dicerentur, aequivalentibus verbis idem significatum fuit. Non igitur solum *prohibitivae*, sed prorsus *irritantes* fuerunt leges ab ecclesia latae adversus ejusmodi conjugia.

169. Ex his autem documentis, aliisque magno numero, quae afferri possent, facile est colligere quid sentiendum sit de calumnia ecclesiae impacta ab apostata De Dominis et a non paucis personatis catholicis iterata, de usurpatione juris indebiti. Quasi nempe tot summi pontifices, sanctissimique praesules per plura saecula undique conspiraverint ad ejusmodi usurpationem, ac principes adeo stupidi omnes fuerint, ut nemo umquam hisceret.

170. Idem dic de pseudo-isidorianis, hae siquidem non prodierunt nisi saec. IX. Ast pleraque documenta, quae attulimus de potestate legislativa ecclesiae circa impedimenta et causas matrimoniales, hac epocha anteriora sunt. Fieri igitur nequit, ut ab isidorianis mercibus illa profluxerit. Sane Hincmarus rhemensis, qui omnium primus aliquam ingessit suspicionem de suppositiis isidorianis decretalibus, ne verbum quidem habet de potestate ab his ecclesia tributa in Matrimonium. Hoc effugium osoribus omnibus rom. ecclesiae commune vim omnem jam amisit.

PROPOSITIO V.

Ecclesia sola jure proprio et originario potest constituere impedimenta Matrimonium quoad vinculum dirimentia.

171. Propositio est certa, ut constat ex can. IV. conc. tridentini, atque ex censura propos. LIX et LX. synodi pistoriensis in Const. *Auctorem fidei.*

172. Loquimur ut patet ex theseos nostrae enunciatione de ipso *Matrimonii vinculo,* in quo essentia sacramenti Matrimonii consistit, non autem de iis quae eidem extrinseca sunt, quaeque ad conjugium pertinent, prout

[6]) *Epist. ad Himerium tarrac.* cap. 4.
[7]) *Epist.* cit.
[8]) *Epist. ad Victricium*, cap. 21.
[9]) *Epist. ad Caesarium arelatens.* c. 4.

spectatur in societate in ordine ad effectus civiles. Hi enim ad principes spectant, cujusmodi sunt dos, haereditas, successio, jura, hisque similia.

173. Impetit autem theologos et canonistas illos, qui sive in Galliis sive in Germania constituerunt potestatem statuendi impedimenta dirimentia aequo jure originario et proprio competere tum ecclesiae tum regimini politico. Ex horum placito potest regimen politicum irrita reddere conjugia per impedimenta, quae ipsum constituerit, etiamsi ecclesia illa rata ac firma habeat. Cum vero, uti praemisimus, D. Carrière istorum theologorum et canonistarum doctrinam propugnandam susceperit, eum proinde refellere cogimur.

174. Sic porro progredimur: Haec doctrina I. adversatur naturae contractus naturalis a Christo elevati ad sacramenti dignitatem. Etenim ex hac elevatione fit ut contractus inseparabilis sit a sacramento, prout est materia proxima, ex qua sacramentum quodvis conficitur. Siquidem eo ipso instante et actu, quo per consensum partium fit contractus, eodem pariter et instante et actu fit sacramentum. Ratio contractus et ratio sacramenti non distinguuntur nisi mentis conceptu et operatione, sed re idem sunt. Jam vero materiam proximam moderari sacramentorum exclusive ad solam ecclesiam pertinet. Ergo jus originarium et proprium circa sacramentalem Matrimonii contractum ad solam ecclesiam exclusive spectat.

175. II. Adversatur ecclesiae doctrinae et praxi. Nam conc. tridentinum, Sess. XXIV. can. IV. definivit ecclesiam potuisse et posse impedimenta dirimentia constituere, prout can. III. definivit ecclesiam posse dispensare a nonnullis consanguineitatis et affinitatis gradibus, qui in Levitico designati sunt, uti Matrimonium irritantes; et can. XII. ad judices ecclesiasticos causas matrimoniales pertinere; jam vero nemo sincerus catholicus negaverit in can. III. nomen *ecclesiae,* et in can. XII. verba *judices ecclesiasticos* in sensu exclusivo a Tridentino usurpari, cum igitur eadem ratione definierit *ecclesiam* posse impedimenta constituere, vocem ecclesiae pariter in sensu exclusivo concilium usurpavit, adeoque ecclesiae doctrinae adversantur, qui docent eamdem potestatem principibus competere. Rursum: ecclesia, uti ex dictis in praecedentibus patet, leges imperiales circa Matrimonium aut acceptavit aut correxit, aut irritas habuit. Imperatores ipsi et reges cum voluerint aliquod impedimentum constitui in ipso conc. tridentino, ad ecclesiam se verterunt, ut constat ex rege Galliarum circa conjugium filiorum familias; stulta porro et inanis fuisset haec agendi ratio, si Carrierii sententia tunc temporis obtinuisset.

176. III. Adversatur tum notioni potestatis supremae et independentis, tum paci et tranquillitati status et ecclesiae, tum paci conscientiarum. Primo siquidem repugnat duplicem dari de eodem objecto potestatem independentem ac supremam, invicem enim se colliderent, si contrarium ab unaquaque de eadem re statueretur, ut si in subjecta materia ecclesia irritum pronunciaret Matrimonium e. gr. clericorum, et regimen civile validum ediceret. Secundo exinde sequitur necessario collisiones inter utramque potestatem orituras, dum

altera destrueret quod altera aedificaret, esset concubinatus respectu unius quod legitimum conjugium foret respectu alterius. Adeoque tertio nulla ratione prospiceretur conscientiae fidelium tranquillitati, regimen enim politicum ipsis ediceret legitime eos posse cohabitare, ecclesia vero eos gravissimi criminis reos fieri. Huc accedit, quod numquam ecclesia uti ratum habuerit Matrimonium, quod licet juxta leges civiles contractum fuerit, attamen aliquo impedimento dirimente irretitum fuerit, et e converso uti verum ratumque tenuerit conjugium legitime coram se initum, quamvis contra leges civiles irritantes contractum.

177. Haec denique confirmantur ex Constitutionibus et praxi rom. pontificum Bened. XIV [1], Pii VI [2], Pii VIII [3], Gregorii XVI [4], nec non congregationum rom. Poenitentiariae, Inquisitionis, et concilii tridentini.

DIFFICULTATES.

178. Obj. 1. Auctoritas quidem magis favet contrariae sententiae, ast ratio magis nostrae suffragatur. 2. Nec obstant prolata argumenta; nam quamvis Matrimonium ad sacramenti dignitatem evectum fuerit, non ideo desiit esse contractus naturalis et civilis, cum sacramentum non tollat rationem contractus, qui ad bonum societatis spectat, adeoque subjicitur principi. Quapropter materia sacramenti vere est contractus naturalis principi subjectus, qui quatenus inter cives initur, civilis efficitur ac subest principis auctoritati, qui eumdem contractum etiam quatenus naturalis est, potest irritare. Nec ideo princeps dicendus est attingere sacramentum, sed unice impedit quominus materia existat seu idonea sit; cum prius sit existere idoneam materiam quam sacramentum, hinc qui prius panem, vinum aut aquam corrumperet, impediret quominus ex illis Baptismi aut Eucharistiae sacramenta conficerentur, quin tamen sacramenta haec attingeret, sic qui per leges suas irritum redderet contractum naturalem, nullum redderet sacramentum Matrimonii, etsi sacramentum in se non attingeret. Immo non magis redderetur mutabilis materia, quae semper exsurgit ex contractu legitimo, prout mutabilis non efficitur eadem materia per tot diversas leges, quas ecclesia ipsa tulit circa Matrimonium. 3. Alioquin principes per introductionem christianae religionis in propria regna jura amitterent, quibus antea pollebant, quod nimis odiosam eamdem redderet religionem. Ergo.

179. Resp. Ad 1. *Neg.* Alioquin inferri posset aut ecclesiam ecclesiaeque supremos moderatores minus validis permoveri rationum momentis cum aliquid docent aut decernunt, aut rationes has magis compertas privatis hominibus esse quam ecclesiae aut rom. pontificibus. Non puto adversarium quem impugnamus adeo alte de se, et abjecte adeo de ecclesia ejusque supremis moderatoribus sentire. Deinde, quaenam tandem sunt validiores ejusmodi rationes? Eaedem nempe, quas jamdiu attulerant M. Antonius De

[1]) *De synodo*, lib. VIII. cap. 12.
[2]) *Litt. ad Episcop. Motulensem.*
[3]) *Encyclica* 29. Maji 1829.
[4]) *Encyclica* 15. Augusti 1832.

Dominis et Launojus, ac saepe adeo a sinceris catholicis protritae sunt; quae si quidpiam evincerent, plus probarent quam vellet adversarius, scilicet ad principes exclusive spectare potestatem originariam ac propriam statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

180. Ad 2. *D.* Matrimonium ad sacramenti dignitatem evectum, non desiit esse contractus naturalis in suo conceptu formali, *C.* in concreto et prout cum sacramento identificatur, *N.* Siquidem cum juxta dicta uno eodemque actu ac instanti quo contractus naturalis conjugii fit, fiat sacramentum, patet non amplius ipsum spectari posse sub ratione meri contractus, sed spectari omnino debere sub ratione sacramenti, seu uti sacramentum quale revera est. Atque exinde ratio formalis contractus nonnisi mentis conceptu apprehendi potest, non autem in se. Nullum idcirco instans concipi potest, quo possit princeps suam exercere potestatem in contractum conjugalem.

181. Ex his sequitur omnes corruere superstructas ratiocinationes, uti sublato fundamento concidit aedificium. Nec enim contractus naturalis aut civilis conjugii est materia *remota,* uti adversarii assumunt, sacramenti Matrimonii, ut aqua respectu Baptismi, et panis respectu Eucharistiae, sed *proxima* uti ablutio in Baptismo et consecratio in Eucharistia.

182. Ad 3. *Neg.* Haec calumnia relinquenda est apostatae De Dominis, Launojo, jansenianis et regalistis; siquidem principes nullo jure gaudent super contractum naturalem conjugalem, sed tantum super contractum civilem. Jam vero hoc jus intactum eis conservat christiana religio, ita ut quoad effectus externos et civiles possint principes connubium uti nullum coram lege spectare, non autem in foro conscientiae et coram Deo. Odiosa proinde ipsis fieri nequit christiana religio, uti cum suis autumat adversarius.

183. Inst. 1. Falsum est consistere simul non posse duplicem supremam ac independentem potestatem circa idem objectum, dummodo unaquaeque illud attingat sub diverso respectu, ut patet relate ad festa, et bona ecclesiastica. 2. Falsum pariter est necessario oriri conflictationes inter utramque potestatem; nam si quae oriuntur, non ex legitimo usu, sed ex abusu potestatis proveniunt, tollique facile possunt. 3. Certe si *facto* attendamus, constat, uti ostendunt theologi Galli, principes per plura saecula supremam hanc potestatem constanter ac pacifice exercuisse tamquam sibi propriam et originariam, non modo non obsistente, sed probante ecclesia; si vero de saeculis posterioribus sermo sit, ecclesia quidem unice atque exclusive hac potestate usa est, sed ex tacito vel expresso principum consensu, qui pro sua erga ecclesiam pietate eidem curam hanc dimiserunt, retento tamen sibi jure inalienabili. 4. His permoti rationibus haud pauci theologi exteri, ut Petrus Soto, Sanchez, Salmanticenses, Pirching, Selvaggius, aliique eamdem sententiam amplexi sunt. Ergo.

184. Resp. Ad 1. *Neg.* Nam implicat posse unum idemque objectum in solidum possideri a duplici suprema ac independente auctoritate, quamvis sub diverso respectu illud attingant. Si domum eamdem duo domini possi-

derent, neutrius illa esset; et si alter vellet eam in oratorium convertere, alter in theatrum, certe eam unusquisque sub diverso respectu ac fine attingeret, nihilominus neuter quod sibi proposuit, perficeret. Quod adjicitur de festis bonisque ecclesiasticis relinquendum est jansenianis ac synodo pistoriensi, cujus in hanc rem prop. LXXIV. a Pio VI. proscripta est.

185. Ad 2. *Neg.* Ac primo miramur quomodo excidere auctori catholico potuerit ecclesiam auctoritate sua posse quandoque abuti; deinde reponimus non ex abusu tantummodo, sed etiam legitimo usu propriae auctoritatis, si qua daretur ex parte principum, conflictationes oriri. Fac: Princeps ob pacem familiarum irritum quoad vinculum efficit conjugium filiorum familias, ecclesia ob conscientiae tranquillitatem ratum ejusmodi connubium habet. Utraque potestas legitime uteretur auctoritate sua, attamen conflictationes oriuntur. Idem dic de innumeris prope aliis similibus casibus. Facile autem eas tolli posse, adversarius *theoretice* supponit, at certum est *practice* arduam hanc rem plane esse, immo spectatis adjunctis praesentibus, impossibilem. Profecto si expendamus varias rationes hactenus a patronis doctrinae quam impugnamus propositas ad dissidia inter utramque potestatem componenda, quae partim absurdae, partim ineptae, partim denique ecclesiae injuriosae sunt, intelligimus haud ita facile negotium hoc esse, uti adversarius supponit.

186. Ad 3. vel *Neg.* vel *D.* Theologi Galli, quorum agmen ducit Launojus, id asseruerunt, *C.* ostenderunt, *N.* Constat enim quovis tempore 1°. principum leges circa conjugia christianorum nullam vim obtinuisse nisi quatenus ecclesia eas probavit suasque fecit; 2°. ecclesiam saepe easdem leges aut rejecisse aut correxisse et emendasse uti ostendit Benedictus XIV [5], pluribus adductis exemplis; 3°. ecclesiam ab immemorabili solam, ad exclusionem principum, ipso adversario fatente, causas matrimoniales moderatam esse. Principes autem cessisse de jure suo pro sua in ecclesiam pietate, pia cogitatio est, quae nullo documento fulcitur aut fulciri potest, immo publicis documentis contrarium posset ostendi ex tot improborum principum agendi ratione, quibus si persuasum fuisset se talibus juribus pollere, ea ad se revocassent; 4°. demum certum esse, si principes inalienabilia ejusmodi jura habuissent, numquam fuisse passuros, ut Tridentinum potestatem circa impedimenta soli ecclesiae tribueret, prout fecit can. IV et can. XII. circa causas matrimoniales, nec adeo enixe instituros fuisse penes concilium ut statueret impedimentum, quod ipsi per se juxta Carrierium constituere potuissent.

187. Ad 4. *D.* Sub illis tamen coarctationibus seu limitibus, quos adversarius praetergressus est, nonnulli theologi exteri eam doctrinam adoptarunt et quidem immerito, *C.* absolute et jure merito, *N.* Siquidem 1°. plerique theologi incaute huic doctrinae adstipulati sunt illa aetate in qua non praevidebantur collisiones illae, quae hac de re superiori saeculo excitatae sunt;

[5]) *De synodo*, lib. IX. cap. 11 et 12.

2°. illis item limitibus sententiam suam circumscripserunt, ut nihil ex ea in praxi pertimescendum esset, dum docuere, principes haud posse sua uti potestate nisi cum subjectione ac dependentia ab ecclesia, uti Sanchez [6], Kugler [7], Salmanticenses [8], aliique passim; 3°. nonnulli inficiati sunt jus istud proprium ac originarium principum esse, sed adventitium ex ecclesiae concessione, uti Basil. Pontius [9], Bernard Bauer [10], Fejer [11], Tournely [12], qui quamvis in concl. 1. vindicet jus innatum principibus, in hac tamen statuit a multis jam saeculis principes christianos aut nulla, aut saltem nonnisi approbante et concurrente ecclesia, statuisse impedimenta sacramentum Matrimonii dirimentia, idque ad mentem Petri Soto [13], qui et ipse recurrit *ad pietatem* principum. 4°. Hi omnes innitebantur falso principio, rejecto nunc ab ipso adversario, quod contractus *civilis* sit materia sacramenti Matrimonii. Cum igitur neque has limitationes agnoscat Carrière, neque illorum admittat principium, sequitur et illos excessisse, et illorum suffragio minime se tutari posse.

PROPOSITIO VI.

Causae matrimoniales spectant ad judices ecclesiasticos, et quidem causae omnes ad solos ecclesiasticos judices spectant.

188. Prior propositionis pars de fide est ex can. XII. Tridentini; posterior certa est, uti ex dicendis patebit. Et hic praemonemus nomine *causarum matrimonialium* nos eas solas complecti, quae relationem habent ad Matrimonii vinculum seu ad sacramentum; quae enim extrinseca eidem sunt, de ipsis principes judicare poterunt. Hoc sensu statuimus causas *omnes* ad *solos* judices ecclesiasticos ad mentem Tridentini spectare; haec porro controversia est a praecedente de impedimentis dirimentibus plane distincta.

189. Sic vero adversus haereticos, contra quos Tridentinum can. cit. statuit, priorem propositionis nostrae partem adstruimus. Matrimonium, ex demonstratis, sacramentum est, ita ut in christianorum conjugiis contractus a sacramento sejungi nequeat. Ergo ad ecclesiam spectat causas matrimoniales cognoscere et judicare, perinde ac caeterorum sacramentorum.

190. Rursum: quamvis Matrimonium sacramentum non esset, tamen, ipsis fatentibus protestantibus, res sacra et conscientiae est a Deo ipso instituta atque a divinis legibus dependens; jam vero de his judicare utrum legitima, licita et honesta sint atque ad normam divinae legis peracta aut peragenda, spiritualis est potestatis ad id a Deo constitutae, nempe ecclesiae, alioquin paci ac tranquillati conscientiae haud prospiceretur.

191. Hoc ipsum demum confirmatur ex Christi ac Apostoli agendi ratione, perpetuaque ecclesiae praxi. Etenim Christus, Matth. XIX. de

[6]) *De Matrim.* lib. VII. dist. 1. n. 14.
[7]) N. 1040 et seqq.
[8]) Cap. 11. n. 15.
[9]) *De Matrim.* lib. VI. cap. 11.
[10]) *Theolog. univ. dogmat.* t. III. p. 2005.
[11]) *Matrim. ex inst. Christi,* Pest. 1835.
[12]) *De Matrim.* qu. 7. art. 2. concl. 2.
[13]) Lect. IV. *De Matrimonio.*

repudio ac divortio judicavit, secus ac fecerit respectu haereditatis, de qua interpellatus fuerat, eamque ad magistratum politicum remisit, Luc. XII. 14. Sic etiam Apostolus, I. Cor. VII. de diversis causis matrimonialibus judicavit, de quibus eum Corinthii consuluerant. De praxi vero ecclesiae tot documenta sunt, quot rom. pontificum existunt decreta canonumque sanctiones quovis saeculo editae in causis matrimonialibus. Quoties proinde quaestiones aliquae motae sunt aut dubia hac de re excitata, toties fideles ad ecclesiae pastores confugerunt ut dirimerentur, numquam vero ad causas has excutiendas principes aut saeculares magistratus judices adsciverunt.

192. Quapropter vel ipsi lutherani recedentes paulatim a principio Lutheri, qui visus est causas matrimoniales civili magistratui adscribere, universum fere jus canonicum pontificium uti normam illarum judicandarum adoptarunt, et ad forum ecclesiasticum eas revocarunt, ut constat de coetibus (ecclesias vocant) brunswicensi ac luneburgensi, aliisque passim. Hinc Böhmerus scribere haud dubitavit [1]: *Adeo causae matrimoniales ad consistoria nostra spectant, ut doctrina juris pontificii universa de hac materia fere recepta sit ..... ut nequidem magistratus saecularis per modum praeventionis de iis cognoscere queat..... Proinde quaestio principalis tamdiu suspendenda, donec de causa natalium in foro ecclesiastico fuerit cognitum.* Eadem ratione se gerunt anglicani. Sane vel ipsi ethnici naturae lumine ducti Matrimonium ut rem sacram habuerunt, et pontificibus ac sacerdotibus eam judicandam dimiserunt, prout ostendit Cujacius. [2]

193. Quod vero attinet ad alteram propositionis partem, ea ex priore necessario fluit. Etenim si matrimoniales causae ideo ad ecclesiam spectant, quia Matrimonium sacramentum est et res sacra, cum haec ratio universalis sit et pro omnibus illis valeat, sequitur profecto causas omnes ejusmodi ad solos judices ecclesiasticos pertinere; hinc vel primum negandum, quod catholici profecto non faciunt, aut alterum concedendum.

194. Cum vero potissime catholici premantur auctoritate Tridentini, quod anathema pronunciavit in eos, qui negarent causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectare, idcirco ut se ab anathemate subtraherent, eo se cum theologis aulicis supra refutatis receperunt, quod concilium non dixerit *omnes* causas ad *solos* judices ecclesiasticos spectare. Ast Pius VI. in *Epist.* quam sub forma Brevis dedit ad episcopum motulensem ejusmodi effugium his verbis eripuit: *Ignotum nobis non est quosdam adesse, qui saecularium principum auctoritati plus nimio tribuentes et verba hujus canonis* (XII.) *captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut quoniam tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint: ad solos judices ecclesiasticos, aut omnes causas matrimoniales, potestatem reliquerunt judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt meri facti. Sed scimus etiam hanc captiunculam, et fallax hoc cavillandi genus omni funda-*

[1]) *Jur. ecclesiast. protestant.* tom. II. tit. 2. §§. 25 — 27.

[2]) *Parat. in libros quinquaginta Digestorum,* lib. XXIII. tit. II. *de jure nuptiarum.*

mento destitui. Verba enim canonis ita generalia sunt, ut omnes causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive ratio legis adeo patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat. Deinde pergit summus pontifex ostendere, ut nos effecimus, rationem sacramenti ob quam causae matrimoniales ad ecclesiam spectant, pro causis omnibus aeque militare. Cum proinde synodus pistoriensis, prop. LVIII. statuerit: *Sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praecepto subjacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceant sub hac ratione juri ecclesiae,* ab eodem Pio VI. damnata est uti *falsa, juris ecclesiae quoad effectus etiam a sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab ecclesia constitutae derogans.*

195. Cum vero fundamenta contrariae doctrinae nonnisi duo sint, 1°. scilicet distinctio inter contractum civilem et sacramentum, ita ut contractus civilis etiam quoad vinculum principum auctoritati subjaceat; 2°. *captiuncula* illa, quae fundamento omni destituta declaratur a Pio VI; ideo ab afferendis difficultatibus supersedemus, cum a nobis praeoccupatae fuerint in superioribus propositionibus dum ageremus adversus haereticos, apostatam De Dominis, Launojanosque theologos. Nunc vero, si paucos excipias, theologi omnes recedentes ab impuro illo fonte, saniorem doctrinam adoptant circa ecclesiae potestatem in christianorum conjugia.

CAPUT IV.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

196. Connubia mixta vocantur, quae inter catholicos et acatholicos contrahuntur. Acatholicos dicimus haereticos et schismaticos, qui ratione Baptismi christianorum nomine censentur, quamvis extra unice veram catholicam ecclesiam inveniantur.

197. Ejusmodi conjugia valida esse jam nemo est qui ambigat; prout omnes consentiunt ea illicita per se esse, ita ut sine gravi peccato absque rom. pontificis dispensatione iniri nequeant.

198. Pontifices vero numquam ejusmodi tribuunt dispensationem nisi iis in adjunctis, iisque sub conditionibus, quibus consultum sit aeternae tum conjugum tum prolis saluti. Hae si fideliter serventur quin conjugia mixta officiant, non parum conferunt christianae seu catholicae religionis prosperitati et incremento. Hujus rei haud pauca exempla suppetunt tum in Anglia, tum in Provinciis Foederatis Americae, ubi ex horum conjugiorum celebratione catholica fides haud parum profecit.

199. Si autem praescriptae conditiones aut omittantur aut negligantur, pernicies religioni catholicae creatur, ut pariter exemplo constat illarum regionum, in quibus aut praesulum ignavia aut illata vi non servantur. Acatholici in Germania et imperio russiaco id animadvertentes pro furore, quo aestuant in religionem catholicam, matrimonia mixta assumpserunt ut medium

idoneum ad protestantismum aut schisma propagandum, profligandumque catholicismum. Hi majori qua possunt arte conjugia mixta promovere adnituntur, impedientes tamen quominus conditiones constitutae apponantur aut impleantur. Prius clanculum machinationibus et artibus id effecerunt, quae cum detectae fuerint, aut apertis mendaciis et fraudibus, aut vi, saevitie, insectationibus adnisi sunt sacerdotes cogere ad jungendas benedicendasque has nuptias, omissis conditionibus. Haec nota sunt ex publicis documentis a sancta Sede vulgatis.

200. Eo usque progressa gubernia acatholica sunt, ut jusserint episcopos parochis sibi subjectis demandare, ut nulla interposita promissione de prole instituenda in religione catholica, aut de provehenda conversione conjugis haeretici, benedicerent nuptiis mixtis, nec ullo modo auderent denegare *absolutionem sacramentalem* parti catholicae, quae detrectaret se subjicere conditionibus a rom. pontificibus praescriptis. Quamvis autem Pius VIII. in nonnullis derogaverit antiquae praxi, cum tamen tum in *Brevi* tum in instructione illi adnexa substantiales conditiones retinuerit, declaratum est illas conditiones adversari legibus civilibus, nec servari posse. Nonnulli praesules in regno borussico ab initio partim animo fracti, partim fraudibus decepti, praesertim in clancularío conventu Berolini habito die 19. Junii 1834. ad tempus iniquis illis jussionibus obtemperarunt. Quatuor hi erant episcopi, quorum tres, scilicet trevirensis, monasteriensis, paderbornensis, palinodiam cecinerunt; quartus archiepiscopus nempe coloniensis comes de Spiegel velut instrumentum gubernio se praebuit ad iniquas illas molitiones perficiendas. Hoc vita functo, novus inauguratus archiepiscopus coloniensis Drost, et archiepiscopus posnaniensis Dunin nullis fracti difficultatibus aut fraudibus decepti sese opposuerunt murum aeneum pro domo Israel, sed ambo e sedibus suis depulsi sunt, prout contigit parochis, qui Deo magis quam hominibus obedire maluerunt. Hic perseveravit rerum status usque ad obitum Guillelmi III. neque res compositae fuerunt cum ecclesia romana nisi sub ejus successore.

201. Ex compendiosa hac gestorum narratione intelligimus controversiam in eo versari; 1°. utrum conjugia mixta licite absque rom. pontificis dispensatione iniri possint; 2°. utrum licite catholici sacerdotes, neglectis conditionibus a s. Sede praescriptis, possint benedictione aliove ritu cohonestare nuptias mixtas; 3°. utrum possint acatholici principes cogere sacerdotes catholicos ad illas nuptias jungendas, non servatis eisdem conditionibus. Tria porro haec sunt, quae excutienda suscipimus.

PROPOSITIO I.

Conjugia inter catholicos et acatholicos regulariter illicita sunt, utpote graviter improbata jure naturali et divino, atque jure ecclesiastico penitus interdicta.

202. Propositio certa est et omnium Doctorum calculo probata. Duo exclusimus per vocem *regulariter*, tum obsoletam illorum sententiam, qui

contendebant ejusmodi conjugia esse prorsus invalida, tum illorum doctrinam, qui autumabant ita eadem illicita esse, ut nullo in casu legitime iniri possint.

203. Porro mixta haec connubia esse jure naturali *improbata,* plane evincitur ex perversionis periculo, quod instat conjugi et proli. Ac primo quidem conjugi catholico imminere perversionis periculum patefacit perversa in malum pronitas, qua fit ut longe facilius alliciatur ad blandam reformationem amplectendam, quae consistit in immunitate ab ecclesiae legibus, immo et a lege divina, cujus interpretatio subest uniuscujusque spiritui privato, et in libertate fidei et morum, quam ipse ad religionem catholicam conjugem adducat. Cum enim reformatio opus hominum sit, hi talem excogitarunt, ut cum ea cupiditates omnes facile consistere possent. Patefacit praeterea odium, quo acatholici in catholicam religionem feruntur; jam enim soli fere in mundo sunt, penes quos persecutio ac saevitiae vigeant religionis causa, cum error nequeat pacifice veritatem pati. Patefacit inconsultus, qui nunc penes acatholicos proselytismi fervor viget, non ad lucrandas Christo animas, sed ad eas perdendas, cum ex altera parte fateantur posse quempiam in catholica religione salvari. Patefacit multiplex ars seu machinatio, qua illi utuntur ad seductionem, quae complectatur omne medium, sive bonum sive malum sit, dummodo finis obtineatur seductionis.

204. Cum vero haereseos et schismatis eadem semper indoles fuerit, nil mirum si haec ipsa semper ecclesiae Patres ad dissuadenda conjugia cum haereticis et schismaticis attulerint, quorum testimonia fuse profert Nic. Serarius, in op. *De catholicorum cum haereticis Matrimoniis.*

205. Sed instat praeterea perversionis periculum prolis ex conversatione et exemplo parentum, tum ex eorum insinuatione et minis, tum denique ex institutione domestica et publica, praesertim illis in regionibus, penes quas iniquae vigent leges ut omnes debeant usque ad ann. 14. sectari religionem patris, aut tradi debeant ludi magistris protestantibus, a quibus tenera illorum aetas inficitur.

206. Improbatas vero esse has mixtas nuptias a jure divino gravissimae illae prohibitiones suadent divinitus factae Hebraeis de non jungendis nuptiis cum infidelibus, quia infidelis, ut legitur Deut. VII. 3: *Seducet filium tuum;* et ex monito Apostoli, in Epist. ad Titum, III. 10: *Haereticum hominem devita.* Ratio porro seductionis eadem viget tum ex parte infidelium, tum ex parte haereticorum, et schismaticorum, et hac de causa vitandi sunt; si vitandi, quomodo misceri cum illis connubia poterunt? Atque hinc est, quod idem Apostolus, I. Cor. VII. 39. constituit, scribens: *Cui vult, nubat, tantum in Domino,* scilicet in sola Christi ecclesia, quod certe non servat, qui cum acatholico nuptiali foedere jungitur.

207. Vetita haec demum conjugia jure ecclesiastico esse abunde constat ex unanimi utriusque ecclesiae Patrum consensu et conciliorum sanctionibus. Ex his nobis satis sit canonem XIV. adducere concilii oecumenici chalcedonensis: *Neque copulari debet nuptura haeretico aut judaeo vel pagano nisi forte promittat se ad orthodoxam fidem persona orthodoxae copulanda*

transferre. Idem sanxerat conc. laodicenum, can. XIII. ac deinceps insequentia concilia. Has canonicas sanctiones confirmarunt rom. pontifices, et exsecutioni earum invigilarunt a Leone M. usque ad Pium IX. Nullum proinde dubium superest de veritate enunciatae propositionis quoad omnes suas partes.

DIFFICULTATES.

208. Obj. 1. Quae ex jure naturali proferuntur, si presse nimium urgeantur, plus efficerent quam catholici contendunt, nempe mixta foedera nuptialia absolute ac in se illicita prorsus quocumque in casu esse. 2. Mala porro, quae ex illis oriri possent, uti experientia docet, vel non eveniunt, vel facile averti possunt. 3. Constat enim heterodoxos ut plurimum indifferentes esse in religionis negotio. 4. Quae vero ex jure divino allata sunt, sola connubia cum infidelibus afficiunt. 5. Sanctiones demum canonicae, praeterquam quod pleraeque particulares sunt et prohibentes nuptias cum infidelibus, mutationi obnoxiae sunt, et contraria consuetudine abrogatae. 6. Sane nunc rom. pontifices annuunt, ut praetermissa promissione ex parte acatholici de profitenda orthodoxa fide, iniri haec possint conjugia. Ergo.

209. Resp. Ad 1. *Neg.* Utrumque enim componi potest, tum periculum grave perversionis et aeterni interitus et remotio periculi cum quis, gravi interveniente causa ac legitima auctoritate, ejusmodi init nuptias. Si enim omnes cautelas adhibeat, quibus periculum ex proximo fiat remotum qui his conjugiis unitur, poterit felicem exitum praestolari, ut patet tum exemplo Esther, tum aliorum, qui in his casibus versati sunt; prout fieri posse in ipsis conjugiis fidelium cum infidelibus uterque Apostolus Petrus et Paulus adnotarunt.

210. Ad 2. *D. Non semper, C. ut plurimum, N.* Profecto si semper ejusmodi reperiretur periculum immo et perversio sequeretur, nemo inficias iret absolute vetita esse talia connubia; attamen et illud negari nequit ut plurimum illud inesse, nec paucas exinde oriri perversiones. Prudentis igitur consilii est adjuncta expendere omnia, ut quis illud vitet, ne se aeternum perdat. Firmum enim ratumque est fidei dogma: *Extra ecclesiam nulla salus.*

211. Ad 3. *D.* Acatholici indifferentes sunt in negotio *religionis*, *Tr.* vel *C.* circa propriam *sectam* in ordine ad religionem catholicam, *N.* Primum libenter damus, cum reipsa quicumque teneatur error, immo socinianismus, rationalismus, deismus, hegelismus, straussismus seu negatio ipsius Dei, perinde sit, nec quispiam hac de causa molestiam sustineat penes protestantes. Ast si quis fiat catholicus, vel in suspicionem veniat de conversione ad catholicam veritatem, indifferentia illa vertitur illico in furorem. Odio enim habent veritatem. Hinc spectaculum illud jugiter ob oculos nostros obversatur, ut dum protestantes indifferentes se ad omnes errores praebent, machinationes omnes moveant ad pervertendos catholicos, nec proselytismum dedignentur. Sunt itaque tolerantes erroris, intolerantes veritatis.

212. Ad 4. *D.* Aliquot, *C.* omnia, *N.* Quae enim attulimus ex Apostolo,

directe de haereticis agunt; quod si ea, quae ex V. T. adducta sunt, de infidelibus loquuntur, ob rationis paritatem ad rem nostram quoque spectant. Siquidem ratio illius prohibitionis est seductio partis fidelis, quae ei imminet ex conjunctione cum infideli; jam vero eadem seductio imminet catholico, qui jungitur connubio cum haeretico aut schismatico. Parum vero refert, immo nihil quod quis aeternum pereat sive ob infidelitatem, sive ob haeresim, sive ob schisma. Ad summum diversa eidem obtinget mansio apud inferos.

213. Ad 5. *Neg.* quoad primam partem; quoad alteram, in qua dicitur leges ecclesiae obnoxias mutationi esse, *D.* interveniente auctoritate legitima, *C.* sine illa, *N.* Quamvis enim nonnullae sanctiones particulares sint, et afficiant conjugia cum infidelibus, plures tamen generales sunt ac haereticos et schismaticos attingunt, ut patet tum ex adducto canone chalcedonensi, tum ex innumeris prope rom. pontificum constitutionibus, quae vim habent pro universa ecclesia. Sic etiam Patres de haereticis et schismaticis expresse loquuntur; satis hic sit verba describere s. Augustini, qui agens de conjugiis catholicorum cum donatistis haec habet [1]: *Nonne ingemiscimus, quod vir et uxor, ut fideliter conjungant corpora sua, jurant sibi plerumque per Christum, et ipsius corpus Christi diversa communione dilaniant? Hoc tantum scandalum, tantus diaboli triumphus, tanta pernicies animarum ... si sublata de medio in his regionibus fuerit, quis explicet verbis, quam tibi palmam praeparet Dominus?*

214. Verissimum autem est ejusmodi sanctiones interdum mutationibus subjici, sed interveniente tantum legitima auctoritate, alioquin ecquis dubitet totidem fore illarum violationes? Cum vero hic agatur de sanctionibus pro universa ecclesia constitutis, unica legitima auctoritas non est nisi romani pontificis. Frustra igitur gubernium borussicum non ita pridem obtendit nonnullorum sacerdotum aut ignorantiam aut ignaviam, ut nescio quam praescriptionem fundaret.

215. Quod si rom. pontifices ad amussim non urgent in praesentia in permittendis his mixtis nuptiis conditiones seu clausulas praescriptas, iniquitati temporum tribui id debet, nec nisi aegre majorem indulgentiam exhibent. Testis horum sit Benedictus XIV. qui, cum asseruisset se nonnulla dissimulare circa dispensationes in Matrimoniis mixtis, subdit: *Quod autem nunc facimus, attestamur tibi ad pedes Crucifixi, id unice Nos facere; ut sanctae religioni nostrae majora damna evitentur.* Eadem verba usurpat Pius VI. in *Rescripto* ad Card. de Frankenberg.

[1]) *Epist.* XXIII. n. 5.

PROPOSITIO II.

Nonnisi rom. pontificis dispensatione licite iniri possunt conjugia mixta; graviter proinde peccant sacerdotes catholici, qui absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis, ejusmodi conjugia praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestant.

216. Propositio certa est perinde ac insequens, ut constat ex dictis. Tres complectitur partes 1°. illicitas esse has nuptias sine legitima dispensatione initas; 2°. licite celebrari eas non posse sine dispensatione rom. pontificis, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis; 3°. adeoque reos fieri sacerdotes et parochos coram Deo, qui sine illis mixtas nuptias jungerent.

217. Sic porro primam partem adstruimus: ex praemissis ideo mixta connubia illicita sunt, quod utroque jure naturali et divino, ratione periculi perversionis improbentur, et jure ecclesiastico interdicantur. Si igitur per conditiones ab ecclesia praescriptas periculum illud amoveatur, supremusque ecclesiae pontifex a lege ecclesiastica dispenset, plane consequitur licite eadem conjugia celebrari posse.

218. Sane quamvis Hebraeorum connubia cum infidelibus utroque jure improbata fuerint, attamen haud pauca reperiuntur exempla piorum virorum aut mulierum jungentium connubia sine reprehensione cum infidelibus, e. gr. Esther cum Assuero, Booz cum Ruth Moabitide, Salomonis cum alienigenis, qui nisi passus esset seduci cor suum, in reprehensionem haud incurrisset. Sic nec desunt exempla de mixtis conjugiis in religione christiana catholicorum cum infidelibus aut haereticis, e. gr. s. Monicae cum Patritio ethnico, Ingundes catholicae cum Hermenegildo adhuc ariano; Hingundes pariter cum Reccaredo ariano; Sigeberti et Chilperici Francorum regum, qui matrimonio copulati sunt cum Brunechilde et Galsuintha arianis. Nec semel romani pontifices in ejusmodi conjugiis dispensarunt gravibus permoti causis, uti Clemens VIII, Urbanus VIII, aliique passim in Germania, Anglia, Hollandia aut per se, aut facultate ad id specialiter episcopis attributa. Nec umquam quispiam aliquem ex tot pontificibus accusare ausus est, quasi fines potestatis suae excesserint.

219. Non posse autem, prout secundo constituimus, absque praevia rom. pontificis dispensatione mixta celebrari connubia, obvium est. Canonicae siquidem sanctiones illa interdicentes vel ab oecumenicis conciliis, vel a rom. pontificibus, vel a synodis particularibus ab universa ecclesia probatis latae sunt; nulli igitur, qui suprema in universam ecclesiam potestate non gaudeat, licet ab illis dispensare. Nihil enim potest inferior in leges a superiore auctoritate constitutas, ut in ipso politico regimine contingit. Cum is vero non alius sit quam rom. pontifex, sequitur licite haud posse sine ejus facultate in his conjugiis dispensari. Quod et factum ipsum confirmat. Nam quoties aut principes pro se, aut episcopi pro subditis suis ejusmodi dispensationem efflagitarunt, toties ad summum pontificem confugerunt.

220. Idem dic de servandis conditionibus a pontifice romano praescriptis ad licite haec conjugia celebranda. Etenim supremi ecclesiae capitis est spirituali filiorum suorum bono prospicere, cavere item ne ex ipsorum indulgentia detrimentum capiant, sibique extremam perniciem conciscant ex perversionis periculo; adeoque ne in destructionem utatur ea potestate, quae sibi in aedificationem tantum divinitus concessa est, debet illas conditiones dispensationi apponere, quibus amoliri periculum possit. Hae proinde nullo umquam in casu negligi possunt aut praetermitti.

221. Exinde profluit quod tertio loco positum est, gravissimi scilicet criminis eos reos fieri, qui sine praevia dispensatione, neglectisque conditionibus appositis, ejusmodi mixta connubia jungerent, benedicerent, praesentia sua, et aliquo sacro ritu ea cohonestarent. Transgrederentur enim in re gravi ecclesiae leges, rei gravissimi scandali efficerentur, cooperarentur spirituali animarum ruinae. Quae profecto absque gravi piaculo fieri nequeunt.

DIFFICULTATES.

222. I. Obj. Adversus primam partem. 1. Nequit rom. pontifex dispensare in Matrimoniis mixtis ob grave perversionis periculum illis inhaerens, prout experientia ipsa docet. 2. Hac de causa legimus, III. Reg. XI. 12. deceptum cor Salomonis, ut sequeretur deos alienos; haec porro eadem ratio, immo major viget in conjugiis cum haereticis. 3. Hoc ipsum adstruitur ex eo quod ibi agatur de lege morali, a qua nulla dari dispensatio potest; 4. agatur de profanatione sacramenti, cui cooperari nequit sive sacerdos in illorum sententia, quod ipse sit minister, neque possunt contrahentes in illorum sententia, quod ipsi ministri sacramenti sint; 5. agatur de communicatione in divinis cum excommunicatis. 6. Si proinde pontifices visi sunt dispensasse, reipsa dicendum potius est eos tolerasse, non autem probasse conjugia isthaec, a quibus semper abhorruerunt. Ergo.

223. Resp. Ad 1. *D.* Si ita inhaereat hoc periculum ut nulla ratione amoveri possit, *C.* si ejusmodi sit ut possit amoveri, *N.* Haud dissimulamus, immo fatemur et contendimus perversionis periculum in his conjugiis reperiri. Attamen et illud asserimus, adhibitis idoneis mediis, ipsum averti posse. Quoniam vero adversarii nos provocant ad experientiam, dicimus ex ea patere pios sanctosque viros ac mulieres, qui sive cum infidelibus sive cum acatholicis juncti conjugio sunt, non solum ullum detrimentum passos non esse, sed lucratos Deo esse animas conjugum suorum. Qui proinde naufragium fecerunt, sibi imputare debent, aut quia appositas conditiones non servaverunt, aut quia infirmi in fide fuerunt, nec solidae pietatis, aut quia pravo fine nuptias cum acatholicis inierunt, non autem ducti gloriae Dei, aut publicae utilitatis, ac pacis amore.

224. Ad 2. *D.* Ex propria ignavia, *C.* ex perversione inevitabili, *N.* Alioquin nemo eam effugisset, quod ex dictis falsum est. Si igitur Salomon ruinam passus est, haec ex nimia ejus in uxores suas vitiosaque dilectione

et conniventia repetenda est, qua factum est ut emollitum cor ejus foeminae moderarentur.

225. Ad 3. *D.* Si lex moralis vetet aliquid intrinsece malum, *C.* si vetet quod absolute tale non sit, *N.* Ejusmodi porro sunt ex dictis mixta conjugia.

226. Ad 4. *Neg.* semper sacramenti profanationem in conjugiis mixtis intervenire, sive minister dicatur sacerdos, sive dicantur contrahentes. Etenim si sacerdos sit, poterit administrare sacramentum publice ac legitime petentibus, ut in casu nostro, obtenta dispensatione. Si contrahentes ministri sint, non peccat catholicus sive dando sive suscipiendo sacramentum; notum enim est, si justa causa intercedat, fieri id licite posse, cum alterius peccatum non velit, sed patiatur, cum a sola haeretici malitia illud patretur.

227. Ad 5. *D.* Agitur de communicatione in divinis cum excommunicato cum legitima dispensatione, *C.* sine ea, *N.* Haec communicatio cum haereticis et excommunicatis lege tantum ecclesiastica vetita est; si proinde rom. pontifex dispenset circa conjugium, hoc ipso dispensat a lege de non communicando cum excommunicatis.

228. Ad 6. *Neg.* Nam cum rom. pontifices dispensant, conjugem catholicum tutum in conscientia coram Deo reddere intendunt, alioquin supervacanea foret dispensatio. Quamvis porro verissimum sit aegre illos id facere, et quoad possunt mixta conjugia impedire satagant, si tamen bonum religionis et animarum contrarium postulet, vere dispensant, ita ut innoxius sit, qui talia init conjugia.

229. II. Obj. Adversus reliquas partes. 1. Parochus prae episcopo ac rom. pontifice nosse potest quid in casibus particularibus tum contrahentium tum reipublicae bono melius conferat; 2. saltem poterunt episcopi hanc dispensationem, cum opus fuerit, tribuere; 3. eo magis quod olim ita obtinuerit; nec 4. contraria consuetudine abrogata censeri possit lex id fieri permittens, prout non pauci auctores docent; 5°. si praesertim impediantur cum s. Sede communicare.

230. Resp. Ad 1. *D.* Si praeter cognitionem opus non esset legitima auctoritate, *C.* si haec necessaria sit, *N.* Cum enim agatur de lege ab universali ecclesia constituta, non sufficit privata notitia rerum status, ut ei licite a quopiam derogari queat; sed insuper, uti ostendimus, requiritur legitima auctoritas qua id praestari possit, haec autem in solo rom. pontifice residet.

231. Ad 2. *Neg.* Ob modo adductam rationem.

232. Ad 3. *Neg. conseq.* Hic enim agitur de jure quod nunc obtinet, quodque hanc facultatem episcopis denegat. Hinc Pius VII. ad episcopos Gallos eam enixe petentes rescripsit: *Apostolica Sedes aegre admodum multaque cum cautione ad praefatum periculum* (perversionis) *quoad fieri posset removendum, nec nisi gravi aliqua intercedente causa, eaque fere publica, licentiam hanc consuevit impertiri. Episcopis vero licet instantissime postulantibus, eamdem licentiam dare, in Europa praesertim, numquam concessit.*

233. Ad 4. *Neg.* Duabus siquidem constitutionibus, quarum altera

incipit: *Magnae Nobis*; altera: *Ad tuas manus*, Benedictus XIV. doctrinam illam improbat, negatque ejusmodi consuetudinem viguisse. Priore constitutione summus pontifex rumorem quemdam per Poloniam grassantem, quod Sedes apostolica conjugia mixta indulserit, acriter impugnat, ac *nonnisi per injuriam et intolerabilem calumniam excogitatum atque disseminatum* affirmat. Testatur praeterea antiquam apostolicae Sedis disciplinam ac regulam, qua talia conjugia semper reprobaverat, ad sua usque tempora constanter servatam, nunc quoque integram vigere et religiose custodiri. Altera vero constitutione declarat nullam ac irritam insuper esse dispensationem, si qua detur ab episcopis, super aliquo impedimento in his ipsis conjugiis antequam contrahantur.

234. Ad 5. *Neg.* Sed potius episcopus passive se habere debet, ne ansa tribuatur acatholicis magis ecclesiam opprimendi.

PROPOSITIO III.

Non possunt acatholici, quin omnia laedant aequitatis jura, cogere sacerdotes catholicos ad honestandas benedictione aliove ritu sacro nuptias mixtas, quae, neglectis canonicis sanctionibus, contrahantur.

235. Quo clarior firmiorque evadat propositio, haec rata habenda sunt.

236. I. Firmissimum est religionis nostrae dogma culpabiliter extra ecclesiam catholicam degentibus nullam posse obtingere salutem.

237. II. Ecclesiae pastoribus id munus incumbit, ut satagant omnes sive infideles sive haereticos sive schismaticos ad unice veram ecclesiam catholicam adducere, et modis omnibus impedire quominus catholici ab ea abducantur, cum agatur de negotio omnium maximo.

238. III. Proditores ac aeternae animarum perditionis reos se constituunt ecclesiae praesides ac ministri, si duplex recensitum munus negligant quantum in se est.

239. IV. Canonicae leges, quae a remotissima antiquitate hac super re sancitae sunt, omnes ad duplicem illum finem obtinendum collineant.

240. V. Rom. pontifices utpote harum legum supremi custodes ac vindices nullo non tempore earum exsecutioni invigilarunt, ne cujusquam aeterna salus in discrimen adduceretur, ita ut semper exhorruerint, immo vero damnaverint mixtas nuptias illas, in quibus canonicae sanctiones neglectae fuissent.

241. VI. In his Pius VIII. etsi iniquis temporum conditionibus aliquantulum cedere visus sit, atque ut loquitur Gregorius XVI. in allocutione habita die 10. Decembr. 1837: *Suam eo usque protulerit indulgentiam, ut ipsa verissime dici queat illos attigisse limites, quos praetergredi nefas omnino sit,* legibus tamen essentialibus prorsus inhaesit. Constituit videlicet 1°. ut mulier catholica praesertim cum viro acatholico nuptura *diligenter* ab episcopo vel a parocho edoceatur, quae circa ejusmodi nuptias ecclesiasticorum canonum sententia sit, *seriogue* iterum atque iterum admoneatur de gravi scelere,

quod admittet, si eos violare praesumat; tum ut agnoscat sese in filios, quos a Deo exspectat, acturam crudeliter, si in iis, quas contrahit, nuptiis, illorum institutionem viri acatholici arbitrio esse permittendam intelligat. Ad haec 2°. decrevit, quod si posthabitis hisce monitis, mulier illicitas nuptias inire velit, *abstinere debeat catholicus pastor* non solum a nuptiis, quae deinde fient, *sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur*, atque adeo permittit eam assistentiam tantum, quam *passivam* vocat. Declarat demum ad querelis omnibus aditum praecludendum veras ac ratas, nempe validas, nuptias mixtas, quae a dato Brevi celebrari contigerit, non servata forma a Tridentino praescripta, si nullum tamen dirimens impedimentum obstet, in dioecesibus coloniensi, trevirensi, paderbornensi et monasteriensi.

242. VII. Cum gubernium borussicum accepisset hoc Breve, quod per episcopos expetierat, prius per biennium occultavit, deinde secreta conventione Berolini habita, cautiones omnes a Pio VIII. praestitutas eludere adnisum est; demum, deposita persona, episcopos et sacerdotes reluctantes omni saevitia adhibita, ut verificaret protestantes *tolerantes* esse, adegit ut conjugia mixta, posthabitis cautionibus illis, benedictione aliisque ritibus cohonestarent. Dira exinde orta persecutio in ecclesiam, quae usque ad obitum defuncti regis acrior in dies facta est spoliatione, exilio, carceribus, episcopos, parochos aliosve sacerdotes mulctans, qui Deo magis quam hominibus obedire voluerunt.

243. Quibus praemissis, sic jam evincimus veritatem assertae theseos. Jura omnia aequitatis postulant, ut nemo quavis ratione ea compellatur agere, quae fidei quam profitetur, quae conscientiae reluctantis sensui, quae jussis auctoritatis legitimae adversentur, quaeque hostibus ecclesiae subsidio essent ad eam poenitus destruendam. Atqui ita se gerunt, qui cogere adnituntur pastores catholicos ad nuptias mixtas benedictione aliove ritu sacro, neglectis canonicis sanctionibus, cohonestandas. Ergo.

244. Major hujus argumenti propositio sua ipsa evidentia fulget. Nam haec ipsa enumerata motiva urgebant christianae religionis apologetae apud principes paganos, ut evincerent eos inique saevire in christianos, dum eos cogerent ad litandum falsis diis. Haec obtendebant, licet immerito, primi haeretici protestantes, dum principes catholici ad ecclesiae obedientiam eos revocare satagebant; haec denique ipsa urgerent haeretici protestantes hodierni, si quid ejusmodi adversus eos molirentur catholici principes.

245. Porro non minus luculenta est *minor* propositio quoad omnes suas partes. Etenim fides docet, extra ecclesiam nullam esse salutem, qui proinde coguntur mixta cohonestare conjugia sine conditionibus praescriptis, coguntur hoc ipso cooperari damnationi tum conjugum tum prolis, ecclesiae destructioni, haeresis amplificationi, quae infanda sunt omnia. Cumque id praestare nequeant catholici sacerdotes, nisi obluctante conscientia, patet eos cogi contra propriam conscientiam agere, peccato gravissimo se inquinare, adeoque se pariter aeternae damnationi committere. Idem dic de infractione legum a

legitima auctoritate, ecclesia scilicet, constitutarum, quae id absolute prohibent sub interminatione peccati et quidem gravis. Demum eosdem sacerdotes cogi ut sint subsidio ecclesiae hostibus, haereticis nempe et schismaticis, ad ecclesiae destructionem, tum constat per se tum, ex destinato eorumdem consilio in illis legibus condendis. Ecquis enim alius finis praestitutus est legibus illis iniquis, quibus jubetur natos omnes ex conjugiis mixtis institui debere in religione dominante, nisi ut tamquam ferus de silva depascatur vineam, quam Dei dextera plantavit? Nisi ut crescat et augeatur satanae regnum, nempe acatholica secta? Hoc etiam clarius patefit ex legibus illis, quibus praescribitur, ut foeminae educentur in religione matris, masculi in religione patris; si enim veritatis amore et animarum salutis ducuntur in his legibus ferendis, qui eas condunt, cur se adeo crudeles exhibent circa foeminarum animas, ut eas patiantur extra veritatis ac salutis viam institui? Numquid aeque Deo et Christo Jesu pretiosae non sunt animae foeminarum ac virorum? Sed vera ratio est, quod nihili isti faciant sive religionem sive vitam aeternam, et solus politicus rerum status ipsis cordi sit, cui veritatem et aeternam subditorum salutem immolant. Luctuosa experientia eorum, quae apud acatholicos contingunt, quod hactenus diximus, mirifice confirmat. Siquidem omni vexatione catholicos torquent, templis spoliant, praemia et honores apostatis tribuunt. Et hi vellent ut suo huic perverso fini sacerdotes inservirent, et hi profitentur tolerantismum! Ejusmodi tolerantismum haereticis et schismaticis dimittimus; teterrimus ejusmodi tolerantismus jam a politioribus gentibus exulavit, nec persecutionis nomen insonat nisi apud barbaros, qui tamen plenis buccis suam efferunt civilem culturam. Constat igitur quod ostendendum proposuimus circa iniquam agendi rationem eorum, qui sacerdotes cogere connituntur ad honestandas nuptias mixtas, neglectis immo proculcatis canonicis sanctionibus.

DIFFICULTATES.

246. I. Obj. 1. Leges patriae ab omnibus servari debent, reusque efficitur qui eas violat; tales vero sunt, qui conjugia mixta, omissis cautionibus, honestare recusant. 2. Nulla exterior potestas, cujusmodi est pontificia, jus habet se immiscendi sine *placito regio* in administratione cujusvis regni. 3. Conditiones seu cautiones, quas catholici exigunt, adversantur *tolerantiae,* conscientiae libertati, regni quieti, paci familiarum; 4. jure propterea principes acatholici sub poenarum interminatione eas servari vetant insectanturque inobedientes; 5. siquidem illorum est publico bono prospicere. 6. Falsum autem omnino est principes acatholicos in his legibus constituendis odio permoveri catholicae religionis, cujus se potius protectores illi exhibent, aut sectae amplificandae causa, ut eos calumniantur catholici. Ergo.

247. Resp. Ad 1. *D.* Si justae sint, *C.* si aperte iniquae, *N.* Tales porro sunt, uti ostendimus, leges ab acatholicis constitutae circa conjugia mixta, quippe quae adversentur religioni, legi divinae, naturali et ecclesiasticae. Eadem ratione potuissent imperatores ethnici, ariani, iconoclastae

urgere christianos aut catholicos ad profitendum ethnicismum, arianismum, aut iconoclastismum sub praetextu legum patriarum. In his casibus respondendum est, quod post Apostolos tot martyres responderunt: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.*

248. Ad 2. *D.* Si pontificia potestas externa dici aut esse posset respectu catholicorum, et sanctiones canonicae a solis rom. pontificibus constitutae essent, *C.* secus, *N.* Ecquis autem dicat supremi pastoris a Christo constituti in universum gregem suum potestatem externam, dum prospicit spirituali animarum saluti? Nonne Christus Petro ejusque legitimis successoribus dixit: *Pasce agnos meos... pasce oves meas,* ubicumque fuerint? Alioquin sine *placito imperiali* non potuissent anteactis saeculis pontifices religionem christianam disseminare. Novitium hoc est inventum a regalistis excogitatum. Caeterum sanctiones canonicae, de quibus agimus, a conciliis iisque oecumenicis constitutae sunt; quare rom. pontifices custodes et vindices earum se praebent.

249. Ad 3. *D.* Adversantur conditiones illae *tolerantiae religiosae,* seu professioni erroris et veritatis, falsae ac verae religionis, *C. tolerantiae politicae* seu *civili, N.* Tolerantia religiosa est negatio omnis religionis, Deo injuriosa et absurda, quam possunt quidem, si velint, protestantes profiteri; ast nequeunt catholici, qui fide tenent ecclesiam catholicam unice veram religionem esse adeoque extra eam nullam dari salutem. Non adversantur autem tolerantiae politicae et civili, cum pacifice inter se vivere possint. Quod si hae conditiones illis non arrident, poterunt a mixtis nuptiis abstinere; si igitur volentes scientesque se protestantes illis cautionibus subjiciunt, tenentur illas servare.

250. Ad 4. *Neg.* Sub quovis siquidem respectu reitas et perturbationis causa non in sacerdotes catholicos, parere detrectantes iniquis legibus, sed in principes acatholicos, qui eas tulerunt, refundi debebunt. Etenim ipsi cum primum provincias catholicorum occuparunt, solemni pacto immo et jurejurando se obstrinxerunt ad nihil innovandum circa religionem ac disciplinam quae prius obtinebant; deinde vero pacta omnia pessumdantes, coeperunt prius indirecte, postea vero directe ea tentare ac moliri, quae in perniciem ejusdem religionis cederent; leges, de quibus agimus, statuerunt, quibus salva conscientia sacerdotes catholici obtemperare non poterant. Exsecutioni eas saevitiis omnimodis mandarunt.

251. Ad 5. *D.* Per media honesta, *C.* per media iniqua, *N.* His enim mediis non publico bono prospiciunt, sed publicum bonum perturbant. Subditi catholici iisdem coram lege juribus frui debent, quibus fruuntur acatholici, jam vero isti non impediuntur ab exercitiis propriae sectae, prout ipsis lubet, consectandis, adeoque neque catholici impediri debent in exercitiis religionis quam profitentur.

252. Ad 6. *D.* Si verbis fides adhibeatur, *C.* si facta attendantur, *N.* Facta altius verbis clamant. Si igitur his constiterit propensio manifesta ad eversionem religionis catholicae; si haec jam ex parte, in pluribus scilicet

regionibus, jam obtigerit; si necessario hic finis veluti consectarium ex praemissis descenderit, profecto protestationes omnes inanes apparent. Qui ita se gerunt, ita se exhibent catholicae ecclesiae protectores, uti lupi qui gregem protegunt.

253. II. Obj. Leges principum acatholicorum hac super re aequissimae sunt; siquidem 1. nituntur paritate perfecta, quae intercedere debet inter cujusvis *confessionis* asseclas; alioquin potior conditio esset catholicorum, quam acatholicorum, qui ejusmodi *cautiones* in conjugiis mixtis non exigunt. 2. Innituntur patrocinio, quod acatholici *confessionis dominantis* suscipere debent; si enim permitterentur catholicis conditiones, quas exposcunt a contrahentibus de universa prole in catholica religione instituenda, pedetentim destrueretur *confessio acatholica,* cui abolendae reipsa catholici adlaborant per *tacitam* hanc, quam vocant, *reformationem.* 3. Innituntur ipsis catholicorum principiis, nam ideo contendunt catholici praeviam exigendam esse in conjugiis mixtis sponsionem de institutione sobolis totius in religione catholica, ut Dei populus augeatur; jam vero hoc ipsum urgent ministri acatholici pro augmento religionis evangelicae. 4. Quapropter poterunt quidem catholici, prout leges permittunt, adhortari sponsos ut sobolem universam in religione catholica instituant, at nequeunt contra legum praescriptum eos cogere ad formalem, ut aiunt, sponsionem praebendam. 5. Secus agere esset abripi spiritu *intolerantiae* et *fanatismi* et superstitionis, quod scilicet *nequeat ecclesia impertiri benedictionem suam illi conjugio, cujus proles damnationi educaretur;* 6. Agitur de re disciplinari, quae attemperanda est praesenti rerum statui, prout se gerunt commendabili indulgentia ministri protestantes. Ergo.

254. Resp. *N. A.* Ad 1. prob. *D.* Si reipsa vigeret ejusmodi paritas inter sacerdotes catholicos et ministros acatholicos, *C.* si non vigeat, *N.* Ex multiplici porro capite disparitas ejusmodi exsurgit; ac 1°. quia catholici ad exigendam pollicitationem, de qua est sermo, adstringuntur ecclesiae legibus quae sub gravi peccato obligant; 2°. quia rei natura id exposcit, cum nequeant catholici sacerdotes honestare illorum conjugium, qui actu gravi se crimine polluunt, dum parati sunt permittere ut soboles instituatur in illa religione, quam fide tenent falsam esse cum aeternae salutis dispendio; 3°. ex necessitate patefaciendi horrorem quem ecclesia profitetur circa ejusmodi mixta connubia. Jam vero his ministri acatholici non detinentur, tum quia 1°. nullis legibus vinciuntur, quibus cogantur illam sponsionem exigere; tum quia 2°. ipsi profitentur tolerantiam religiosam, juxta quam potest quilibet in sua *confessione* salvari; tum quia 3°. ipsi nullam in conjugio sacramenti dignitatem agnoscunt. His adjicimus sponsos renuentes sponsionem emittere, se convertere ad ministrum protestantem, qui benedictionem ultro eis impertitur.

255. Ad 2. *Neg.* Princeps enim, qui sincere velit cuicumque confessioni patrocinari, tenetur cuilibet juxta fidem ac doctrinam quam profitetur suppetias ferre. Porro juxta doctrinam catholicam nequit sacerdos tribuere

benedictionem mixtis nuptiis sine legitima facultate ac sine conditionibus sibi praescriptis. Dum igitur sacerdotes catholicos cogit impertiri benedictionem, eos opprimit in exercitio suae religionis. Eo vel magis, quod ex declaratione Pii VIII. quoad peculiares provincias valeat conjugium, licet sine forma a Tridentino praescripta celebretur. Adniti autem ecclesiam ut protestantismus evanescat, objectum est suae missionis, quemadmodum enim ethnicos sic et haereticos ad unice veram religionem ex Christi mandato adducere tenetur. Caeterum his conjugiis mixtis ipsam in hunc finem non uti, patet ex eo quod non solum illa non promoveat, sed penitus exhorrescat, nec nisi necessitate compulsa ea permittat. Accedit, quod mali catholici minime deterreantur ex denegatione benedictionis a contrahendis nuptiis cum haereticis. Sane in Borussia, anno 1840. celebrata ejusmodi conjugia sunt 5545, ut silentio praeteream catholicos in Germania sub principibus acatholicis degentes opprimi sive directe sive indirecte, ut ipsi extenuentur, et quidem exclusive. Nam ut ex publicis documentis constat, Hamburgi, ann. 1843. conjugia passim celebrabantur inter lutheranos et judaeos, soboles vero universa constanter instituebatur, prout adhuc instituitur, in religione judaica.

256. Ad 3. *D.* Urgent protestantes, at immerito, *C.* jure merito, *N.* Etenim ipsi corpus integrum non constituunt, sed ex fractionibus protestantismus coalescit, nullam habent fidei positivae confessionem omnibus communem; solus articulus communis protestantium sectis est negatio verae ecclesiae, scilicet catholicae; profitentur omnes proindeque et catholicos, in propria religione salutem posse aeternam obtinere. Principium igitur protestantium longe diversum est a principio catholicorum.

257. Ad 4. *Neg.* Ejusmodi enim adhortationes inutiles plane evaderent; sane si plures protestantes, uti ex publicis constat documentis, quamvis obligationem contraxerint, tamen postea renuunt illam adimplere, quomodo cederent adhortationibus? Qui enim Deo denegat fidem, quomodo poterit eam servare hominibus? Si nullam sponsionem emiserint, longe facilius id praestarent. Accedit, quod alicubi, ut in dioecesi limburgensi, politicum regimen sponsionem emissam a contrahentibus de educanda prole in religione catholica irritam faciat. Hinc emissum decretum a sacra Congregatione Inquisitionis romanae die 30. Jun. 1842. quo prohibentur parochi illic degentes, ne impertiantur benedictionem conjugiis mixtis, quamvis sponsi promittant futuram prolem se instituros in religione catholica. Quisque intelligit in his rerum adjunctis multo minus sufficere exhortationes parochorum.

258. Ad 5. *D.* Id est, regi principio inconcusso fidei catholicae, nullam dari extra ecclesiam salutem, *C. intolerantiae, superstitionis, fanatismi, N.* Parum nostra refert quodnam acatholici de illo articulo judicium ferant, quove nomine illum designent. Nos ita credimus; si id ipsis non arridet, nos cohaerenter ad fidem, quam profitemur, agere debemus. Non sunt catholici, qui homines culpabiliter ex hac vita decedentes extra ecclesiam damnent, sed Christus est, qui Matth. XVIII. 17. ait: *Qui ecclesiam non*

audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; haec autem non alia ecclesia est quam ea ipsa, quam Salvator, ibid. XVI. aedificaturum se promittit supra Petrum.

259. Ad 6. *D.* Si haec disciplina arcte non connecteretur cum fidei articulo ex quo dependet, *C.* secus, *N.* Jam vero fidei articulus est, ut denegari debeant sacramenta indignis; tales porro sunt qui detrectant illam sponsionem facere, quam ecclesia pro eorum sobolisque salute postulat. Alioquin disciplina libera et mutabilis dicenda foret ea dispositio, qua denegatur absolutio non rite dispositis. Hinc Pius VIII. potius derogavit decreto concilii oecumenici, quam permitteret ut parochi benedictione aliove ritu sacro cohonestent nuptias mixtas illis in provinciis, in quibus a potestate politica ad illam impertiendam benedictionem vi cogebantur.

260. III. Obj. 1. Si ageretur de disciplina immutabili, ecclesia numquam a principio suo recessisset, ut rata et valida haberet conjugia mixta, quae olim ut invalida habebantur. Admisso principio, nequit jam recusare ejus consequentias. 2. In Germania prius consuetudine et usu receptum erat, deinde lege sancitum, ut haberetur tamquam *inadmissibile pactum* seu *sponsio* a contrahentibus facta ante conjugii celebrationem de prolis educatione. 3. In imperio austriaco sancitum lege est, nullam exigendam esse in conjugiis mixtis sponsionem ad impertiendam benedictionem; episcopi acquieverunt, et lex adhuc servatur. 4. Sane auctoritas et jus paternum, quod ex ea profluit, tantum oritur post initum jam conjugium, susceptaque prole, ergo ante contractum conjugium nequit pater se obligare ad aliquam peculiarem prolis institutionem. 5. Non debet proinde ecclesia scrupulos ingerere conscientiis delicatis earum pacem perturbando. 6. Eo vel magis quod jam usus in non paucis dioecesibus inoleverit tribuendi benedictionem, quin ulla sponsio praecesserit. 7. Saltem connivere debet, ut sponsi inter se conveniant de masculis instituendis in religione patris, foeminis vero in religione matris. Ergo.

261. Resp. Ad 1. *Nego* suppositum, quod ecclesia aliquando uti invalida habuerit mixta coujugia, sed haec paucorum privatorum sententia fuit, quam illa numquam probavit. Ejusmodi conjugia ut illicita tantum ecclesia semper habuit, nec nisi data cautione de institutione prolis in catholica religione, ea uti legitima habuit.

262. Ad 2. *Neg.* Siquidem falsum est prius consuetudine receptum aliquando esse, multo vero minus lege cautum, ut *inadmissibile* haberetur *pactum* a sponsis initum ante conjugii celebrationem. Certum enim est ex publicis documentis tum in Bavaria, tum in electoratu palatino, nec non in magno ducatu Hassiae Darmstadiensi, atque in provinciis rhenanis non solum usu receptum, verum etiam solemnibus legibus sancitum, ut pacta *antenuptialia* circa institutionem sobolis sancte servarentur. Adeoque decipere voluit, qui haec objecit.

263. Ad 3. *D.* Ita tamen ut josephinae legislationi hac super re tum apostolica Sedes, tum episcopi constanter sese opposuerint et reclamaverint,

et in praxi ab ea recessum sit, *Tr.* secus, *N.* De oppositione ex parte apostolicae Sedis testes sunt Epistolae datae a Pio VI. ad card. De Frankenberg et ad reliquos Belgii episcopos ac novissime *Instructio* data ad archiepiscopos et episcopos austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus a Gregorio XVI. die 22. Maji ann. 1841; de oppositione pariter episcoporum constat ex iis, quae scribit Rost in sua *Expositione religiosa scientifica de Matrimonio*, Viennae edita 1834. De praxi vero circa hos articulos josephinae legislationis patet tum ex Epistola data a piissimo imperatore Ferdinando ad quemdam episcopum, qua ratas declarat sponsiones a contrahentibus factas ante conjugii celebrationem, tum ex iis quae referunt *Ephemerides catholicae Tirolens.* in fascic. mensis Octobris 1844. scilicet ex demandato Imperatoris a Cancellaria aulica rejectam esse postulationem factam a consistoriis confessionis augustanae et helveticae, ut possint a ministris protestantibus benedictione *supplementaria* cohonestari conjugia mixta, quibus parochus catholicus nonnisi passivam assistentiam praebuerat; atque graviter reprehensum quemdam Lumnitzer Moraviae et Silesiae superintendentem, eo quod in encyclicis a se datis ad suos protestantes super hac supplementaria benedictione ausus fuerit provocare ad josephinum tolerantiae decretum. Transmisimus autem *antecedens*, quia magnum semper intercedit discrimen inter codicem josephinum ac reliquas Germaniae principum leges, quia ille non est *coactivus* circa conjugia mixta, sed *facultativus*, ut vocant, ac *permissivus*, probanturque pacta quae sponsi ante conjugium inierint circa institutionem universae sobolis in religione catholica, dum alii principes irrita habent.

264. Ad 4. *Neg.* Haec enim nova theoria est a protestantibus excogitata contra omnium gentium agendi rationem, quae rata jugiter habuerunt pacta a sponsis ante conjugium inita, quibus invicem se obligent, prouti valent pacta de successione, de haereditate, aliisque ejusmodi.

265. Ad 5. *D.* Si ecclesia ad mentem haereticorum protestantium se gereret, *C.* si juxta opposita principia, *N.* Profecto protestantibus, qui parvi pendunt ecclesiae auctoritatem, rejiciuntque jam omnes pene fidei articulos, qui credunt prout volunt, et agunt prout credunt, quae ab ecclesia statuuntur meri *scrupuli* sunt. At longe aliter sentit ecclesia a Christo edocta.

266. Ad 6. *D.* Nonnullorum sacerdotum aut ignorantia aut ignavia alicubi ecclesiae lex violata fuit, *C.* legitime, *N.* Numquam lex, cujus urgetur observatio, legitime violari potest. Si proinde nonnulli aut ignorantia, aut honorum illecebris, aut suppliciorum metu legem de non impertienda benedictione mixtis nuptiis sine praevia formali sponsione de prole instituenda in catholica religione violarunt, gravis se criminis reos fecerunt. Horum agendi ratio numquam inducet praescriptionem, ecclesia ubique reclamante. Alioquin etiam induci posset praescriptio adversus leges civiles, immo et adversus legem divinam, cum illam plures ubique heu nimium transgrediantur. Quod certe protestantes non admittent.

267. Ad 7. *Neg.* Numquam enim ecclesia poterit iniquitati ac impietati

connivere. Nulla major iniquitas immo vero et impietas ea excogitari potest, ut sponsi inter se paciscantur de sobole, dividenda Deum inter et diabolum, veritatem et errorem, veram falsamque religionem. Si acatholicus sectam suam veram esse putat, quare permittit aut vero etiam paciscitur, ut filiorum pars falsam religionem profiteatur? Si falsam habet, cur sibi non prospicit et filiorum saluti? Idem dic de catholico. Numquid non omnium pariter filiorum parentes sunt? Qui igitur fieri poterit ut crudeliter in partem filiorum saeviant? Ex his apparet, quid de illorum principum legibus sentiendum sit, quibus statuitur ut filii patris, filiae matris religionem sectentur. Hoc vere alogismus est et iniquitas maxima. Numquam proinde ecclesia ejusmodi quam vellent adversarii practice incredulí conniventiam probare poterit. Posteri certe ejusmodi alogicas, irreligiosas ac practicas aberrationes judicabunt. Nec aliter sentiendum de legibus illis, quibus constituitur ut proles universa orta ex conjugiis mixtis institui debeat in religione *dominante,* quasi nempe conscientia principis regula esse posset conscientiae et religionis subditorum. Attamen haec fiunt, politicis plaudentibus saec. XIX. et hoc vocatur sapientiae apex. Vere *quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.*

F I N I S.

INDEX VOLUMINIS II.

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

pag.

Prooemium 3

PARS PRIOR.

DE MESSIA ADVERSUS HEBRAEOS.

CAPUT I. De Messiae promissione et expectatione . . 4

Prop. I. Aliquis Messias fuit a Deo in lege promissus et quovis tempore ab Hebraeis expectatus 4

Prop. II. Messias a Deo promissus atque ab Hebraeis expectatus singularis et unicus est 9

CAPUT II. De epocha et officiis promissi Messiae . . . 12

Prop. I. Epocha adventus promissi Messiae ex sacris litteris certa ac determinata est 12

Prop. II. Epocha adventus Messiae in Scripturis determinata retardari nequit 13

Prop. III. Advenisse Messiam a Deo promissum atque a judaeis expectatum, jamdiu elapsae epochae, prophetarum oraculis determinatae, luculentissime ostendunt 14

§. 1. Jacobaeum vaticinium expenditur 15

§. 2. Expenditur vaticinium Danielis 19

§. 3. Expenduntur vaticinia Aggaei et Malachiae 25

Prop. IV. Officia ac munia a promisso Messia juxta prophetas obeunda eumdem advenisse luculenter ostendunt . . . 28

CAPUT III. De Jesu Nazareno vero Messia 34

Prop. I. Jesus Nazarenus verus Messias est in Scripturis promissus atque ab Hebraeis expectatus 34

pag.

Prop. II. Judicium in causa Christi Jesu latum fuit iniquum in se, illegale in formis judiciariis, saevum in exsecutione, novumque suppeditat divinae Christi missionis ac messianae ejus dignitatis argumentum 40

CONCLUSIO 46

PARS POSTERIOR.

ADVERSUS HAERETICOS.

CAPUT I. De divina Christi natura 48

Prop. Vera ac proprie dicta divinitas seu natura divina in Christo Jesu agnoscenda est ac profitenda 48

CAPUT II. De natura Christi humana 56

Prop. I. Verbum divinum naturam humanam nobis consubstantialem assumpsit integram atque perfectam 56

Coroll. I. Christi caro est vera, solida et expressa, non autem ficta, umbratilis, apparens aut phantastica 57

Coroll. II. Christi Corpus non e coelo delapsum est, aut ex coelesti substantia consistens, sed est humanum ex Virgine matre susceptum 58

Coroll. III. Animam, eamque rationalem, Verbum assumpsit 59

Coroll. IV. Christus humanis affectibus, doloribus, et corruptioni obnoxius fuit, ex naturae suae conditione . . . 60

Prop. II. Christus Dominus de Spiritu S. conceptus est, atque ex Maria Virgine, salva ipsius integritate, natus . . . 62

CAPUT III. De utriusque Christi naturae hypostatica conjunctione 67

ARTIC. I. De unica Christi persona 68

Prop. I. Unica in Christo est eaque divina persona 69

Prop. II. B. Virgo vere et proprie Deipara vocatur et est . . 74

ARTIC. II. De adoptianismo 77

Prop. Jesus Christus est Filius Dei naturalis, non autem adoptivus 78

ARTIC. III. De distinctione duarum naturarum in Christo post unionem hypostaticam 81

Prop. Duae sunt in Christo naturae distinctae, inconfusae atque impermixtae 81

ARTIC. IV. De duplici in Christo voluntate et operatione 85

Prop. Duae naturales operationes et voluntates indivisae et inconfusae in Christo sunt confitendae 86

CAPUT IV. De communione idiomatum et adoratione Jesu Christo debita 91

ARTIC. I. De idiomatum communione 91

Prop. I. Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto 92

pag.

Prop. II. Admitti nequit communicatio idiomatum in abstracto, nec tribui proinde possunt Christi humanitati omnipotentia, ubiquitas seu omnipraesentia 93

ARTIC. II. De Christi adoratione 95

Prop. I. Uno eodemque supremo latriae cultu humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino, cum quo est hypostatice conjuncta 96

Prop. II. Cultus sacratissimi Cordis Jesu, prout ab apostolica Sede probatus est, atque in ecclesia catholica frequentari consuevit, pius est, et ab omni superstitionis labe immunis 98

CAPUT V. De Christi titulis atque muneribus 103

Prop. I. Christus verum ac proprie dictum habuit sacerdotium ejusque munia in mortali etiam vita complevit . . . 104

Prop. II. Christus Jesus veri nominis mediator fuit 108

CAPUT VI. De Christi satisfactione et merito 109

Prop. Christus vere et proprie pro nobis divinae justitiae satisfecit 111

TRACTATUS DE CULTU SANCTORUM.

Prooemium 120

CAPUT I. De varia cultus acceptione ac divisione . . 120

CAPUT II. De religiosi Sanctorum cultus honestate et utilitate 122

Prop. Pius et ab omni idololatriae labe immunis est religiosus Sanctorum cultus 123

CAPUT III. De Sanctorum invocatione 128

Prop. I. Licita ac utilis est Sanctorum invocatio, prout primo sacrae litterae evincunt 128

Prop. II. Eadem veritas ex traditione et ecclesiae praxi evincitur 131

CAPUT IV. De reliquiarum cultu 136

Prop. Sanctorum reliquiae et monumenta utiliter ac pie a fidelibus honorantur 136

CAPUT V. De sacrarum imaginum usu ac veneratione . 142

Prop. I. Sacrarum imaginum usum ac venerationem licitam ac piam esse sacrae litterae ostendunt 140

Prop. II. Usus et veneratio sacrarum imaginum ex traditione evincitur 143

CAPUT VI. De Cruce 149

Prop. Omni superstitione vacat tum cultus, quem catholici Cruci dominicae ejusque imagini deferunt, tum usus Crucis signi, quod passim ab ipsis usurpatur 149

pag.

TRACTATUS DE GRATIA.

Prooemium 152

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI.

CAPUT I. De gratiae actualis notione ac divisione . . 154
CAPUT II. De gratiae necessitate 156
ARTIC. I. De erroribus pelagianorum circa gratiae necessitatem . . 156
Prop. I. Ad omnes et singulos actus salutares necessaria est interior Spiritus Sancti gratia illustrationis et inspirationis 157
Prop. II. Necessaria praeterea est Dei gratia homini lapso tum ad plures veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas 160
ARTIC. II. De erroribus semipelagianorum circa eamdem gratiae necessitatem 164
Prop. Sine Sancti Spiritus illustratione, inspiratione et adjutorio non potest homo habere salutare initium fidei, et in fide perseverantiam usque in finem, secus ac semipelagiani contenderint 164
ARTIC. III. De erroribus novatorum saec. XVI. et jansenistarum circa gratiae necessitatem 171
Prop. I. Potest homo lapsus sine speciali gratiae auxilio nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora ejusdem ordinis naturalis opera perficere, tum leves superare tentationes 172
Prop. II. Potest vir infidelis aliqua opera moraliter bona efficere, adeoque non omnia infidelium opera vitia sunt aut peccata 177
Prop. III. Potest homo actuali gratia adjutus, ante obtentam justificationem, actus bonos ac supernaturales elicere, adeoque non omnia peccatorum opera totidem sunt peccata 182
ARTIC. IV. De erroribus circa gratiae necessitatem post acceptam justificationem 185
Prop. I. Non potest homo justificatus in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio . . 185
Prop. II. Non potest homo justificatus sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare 188
CAPUT III. De gratuitate gratiae 191
Prop. Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt mereri gratiam sive de condigno sive de congruo 191
CAPUT IV. De natura ac divisione gratiae actualis in ordine ad liberi arbitrii cooperationem . . 195

pag.
ARTIC. I. De gratia efficaci 196
Prop. I. Gratiae efficacia nullam infert homini necessitatem, seu homo liber est in actibus salutaribus 197
Prop. II. Gratia efficax non consistit in delectatione coelesti indeliberata, superiore, et relative ad minorem oppositam concupiscentiam victrici, voluntatem necessario ad assentiendum impellente 200
ARTIC. II. Theologorum systemata circa gratiae efficaciam . . . 203
§. 1. Systema Thomistarum 203
§. 2. Systema Augustinianensium 205
§. 3. Systema Congruistarum 206
ARTIC. III. De gratia sufficienti 207
Prop. Datur in praesenti statu gratia mere et vere sufficiens, quae homini completam et relative ad praesentes ejus circumstantias expeditam ad actus bonos eliciendos facultatem tribuit, quae inutilis redditur ex humanae voluntatis resistentia 208
CAPUT V. De gratiae distributione 212
Prop. I. Justis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia praecepta 213
Prop. II. Deus omnibus fidelibus peccatoribus, etiam obduratis et obcaecatis, gratias sufficientes tribuit, quibus possint tum ulteriora peccata praecavere, tum a patratis resipiscere 216
Prop. III. Infidelibus omnibus, etiam negativis, datur pro loco ac tempore gratia sufficiens ad salutem 222
Prop. IV. Deus, quantum ex se est, media sufficientia etiam infantibus decedentibus ex hac vita sine Baptismate praeparavit, quibus ad salutem pervenire possent 226

PARS SECUNDA.

DE GRATIA SANCTIFICANTE.

CAPUT I. Praenotiones 227
CAPUT II. De justificatione impii 229
ARTIC. I. De justificationis natura 229
Prop. I. In justificatione impii peccata vere remittuntur ac prorsus delentur 230
Prop. II. Impii formaliter non justificantur vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione; sed justificantur per gratiam et caritatem, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur atque illis inhaeret; neque gratia, qua justificamur, est tantum favor Dei . 232
ARTIC. II. De dispositionibus ad justificationem 236

pag.

Prop. I. In adultis ad justificationem consequendam aliquae praeter fidem dispositiones praerequiruntur, seu sola fides non justificat 237

Prop. II. Fides, quae ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia, quae Deus revelavit 241

ARTIC. III. De proprietatibus justificationis 244

Prop. I. Nemo, sine speciali revelatione, certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione; nec fide proinde tenetur credere se esse justificatum 244

Prop. II. Accepta justitia conservatur et augetur per bona opera coram Deo; non est proinde in omnibus aequalis . . . 248

Prop. III. Justificatio est amissibilis, et amittitur per subsequens peccatum lethale 249

PARS TERTIA.

DE MERITO.

CAPUT I. Doctrina ecclesiae catholicae et theologorum opiniones circa meritum 252

CAPUT II. De existentia meriti 254

Prop. Justi per bona opera ex gratia facta vere merentur gloriam aeternam ejusque augmentum 254

CAPUT III. De conditionibus ad meritum requisitis . . 257

CAPUT IV. De objecto meriti 258

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Prooemium 260

CAPUT I. De sacramentorum numero 261

Prop. Sacramenta novae legis a D. N. J. C. instituta nec plura sunt nec pauciora quam septem, Baptismus videlicet etc. 262

CAPUT II. De sacramentorum novae legis efficacia seu effectibus 266

Prop. I. Sacramenta novae legis non sunt instituta ad solam fidem nutriendam, sed continent gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato 267

Prop. II. In tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, imprimitur character in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt 271

CAPUT III. De ministro sacramentorum 274

Prop. I. In sacramentorum ministro ad valide conferenda Sacra-

pag.

menta non est necessaria fides, adeoque validus est Baptismus ab haereticis rite collatus 275

Prop. II. Minister in peccato mortali existens, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, vere conficit aut confert sacramentum 278

Prop. III. In ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, requiritur intentio saltem faciendi quod facit ecclesia . 281

CAPUT IV. De sacramentorum ritibus seu caeremoniis 283

Prop. Recepti et approbati ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari possunt 284

CAPUT V. In superius disputata scholia 286

TRACTATUS DE BAPTISMO.

CAPUT I. De materia Baptismi 290

Prop. I. Aqua vera et naturalis est de necessitate Baptismi . 290

Prop. II. Vera est de Baptismi sacramento doctrina vigens in ecclesia romana, quae tenet illum aeque valere, sive per immersionem, sive per infusionem aut aspersionem conferatur 292

CAPUT II. De Baptismi forma 294

Prop. Vera est de sacramento Baptismi doctrina in ecclesia romana, quae tenet baptizandum esse sub distincta invocatione trium divinarum personarum 294

CAPUT III. De ministro Baptismi 295

Prop. I. Sacramenti Baptismatis ministri ordinarii sunt episcopi et presbyteri, extraordinarii vero et ex delegatione diaconi 296

Prop. II. Necessitate cogente a quocumque, sive masculo sive femina, immo et ab haeretico et infideli, Baptismus valide ac licite administrari potest 297

CAPUT IV. De Baptismi subjecto 299

Prop. I. Praestat parvulos baptizare, licet actum credendi non habeant 300

Prop. II. Parvuli baptizati cum adoleverint interrogandi non sunt, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, non sunt suo arbitrio relinquendi 302

CAPUT V. De necessitate Baptismi 306

Prop. Baptismus liber non est, sed est necessarius ad salutem 306

pag.
CAPUT VI. De Baptismi effectibus 309
Prop. Per D. N. J. C. gratiam, quae in Baptismo confertur, reatus originalis peccati remittitur, ac tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet . . . 311
CAPUT VII. In doctrinam hactenus vindicatam scholia . 312

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Prooemium 315
CAPUT I. De veritate sacramenti Confirmationis . . . 316
Prop. Confirmatio baptizatorum non est otiosa caeremonia sed verum et proprium sacramentum 316
CAPUT II. De Confirmationis ministro 321
Prop. Episcopi habent potestatem confirmandi, quae non est illis cum presbyteris communis; sanctae enim Confirmationis ordinarius minister est solus episcopus, non autem quivis alius sacerdos 322
CAPUT III. De materia, forma et effectibus Confirmationis 324
Prop. Injurii non sunt Spiritui Sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt 326
CAPUT IV. In ea quae disceptata sunt scholia complectens 326

TRACTATUS DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Prooemium 329

PARS PRIOR.

De Eucharistia prout est sacramentum 330
CAPUT I. De reali Christi praesentia in Eucharistia . 330
Prop. I. Christus, prout primo sacrae litterae docent, vere, realiter, et substantialiter in sanctissimo Eucharistiae sacramento continetur, et non in signo tantum, vel figura aut virtute 331
§. 1. Expenduntur verba, quibus Christus promisit se daturum carnem suam ad manducandum et sanguinem suum ad bibendum. Joann. VI. 331
§. 2. Expenduntur verba institutionis Eucharistiae 335
Prop. II. Eadem veritas ex constanti et universa ecclesiae traditione evincitur 339
Prop. III. Ostendi nequit dogma de reali Christi praesentia in Eucharistia rectae rationi adversari 345

pag.

CAPUT II. De modo quo Christus fit praesens in Eucharistia, seu de transsubstantiatione 348

Prop. Tota substantia panis ac vini in Eucharistia per consecrationem convertitur in substantiam corporis et sanguinis Christi 349

CAPUT III. De eo quod sub qualibet sacramenti specie continetur deque catholicae doctrinae corollariis . 352

Prop. I. In venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur 352

Prop. II. Peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae sacramento est Corpus et Sanguis D. N. J. C., et non tantum in usu, dum sumitur, sed ante et post, sic ut remaneat verum Corpus Domini in hostia seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt . . 353

Prop. III. Christus in Eucharistia adorandus est cultu latriae 355

Prop. IV. Neque Dei praeceptum, neque salutis necessitas postulant, ut omnes et singuli Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debeant 357

Prop. V. Non errat ecclesia, dum justis causis et rationibus adducta jubet laicos atque clericos non conficientes sub una tantum specie communicare 360

CAPUT IV. De Eucharistiae necessitate, dispositionibus et effectibus 362

Prop. I. Nemini actualis Eucharistiae perceptio necessaria est necessitate medii, sed solis adultis necessitate praecepti 363

Prop. II. Peccatorum remissio neque est praecipuus neque unicus sanctissimae Eucharistiae effectus; nec sola fides est sufficiens praeparatio ad sumendum ss. Eucharistiae sacramentum 364

PARS POSTERIOR.

DE SACRIFICIO.

CAPUT I. De veritate sacrificii eucharistici ejusque natura 368

Prop. I. In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium 368

Prop. II. Sacrificium Missae est etiam propitiatorium pro vivis atque defunctis 373

CAPUT II. De Missa privata 376

Prop. I. Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitae non sunt, neque propterea abrogandae 377

Prop. II. Neque realis neque spiritualis victimae participatio ex parte populi est pars essentialis sacrificii; neque ullo sive divino sive ecclesiastico praecepto tenentur laici ad

pag.

communionem liturgicam; non sunt proinde ut invalidae aut illicitae damnandae Missae illae, in quibus nemo sit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet . 379

CAPUT III. De materia, forma et ministro sacrificii eucharistici 380

Prop. I. Panis triticeus, sive azymus sit sive fermentatus, est materia valida sacramenti et sacrificii eucharistici . . 381

Prop. II. Solum vinum de vite est materia idonea sacramenti et sacrificii eucharistici 384

Prop. III. Aqua miscenda est vino in calice offerendo . . . 385

Prop. IV. Solus sacerdos conficiens est immediatus et proprius offerens et minister sacrificii eucharistici, fideles autem adstantes nonnisi mediati et improprie dicti offerentes et celebrantes sunt 386

Prop. V. Specialis sacrificii applicatio pro aliquibus personis a sacerdote fieri potest, qua fit ut specialis fructus iis, pro quibus applicatur, caeteris paribus, proveniat . . 387

CAPUT IV. De idiomate, voce ac caeremoniis, quibus Missa celebranda est 389

Prop. I. Nec licet nec expedit lingua tantum vulgari Missam celebrare 390

Prop. II. Non omnia in Missa alta voce sunt recitanda . . 391

Prop. III. Nihil est in Missae caeremoniis, quibus utitur ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium 393

TRACTATUS DE POENITENTIA.

CAPUT I. De veritate sacramenti Poenitentiae 396

Prop. Poenitentia est vere et proprie novae legis sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa, a sacramento Baptismi distinctum 397

CAPUT II. De contritione 401

Prop. I. Contritio illa, quae concipitur ex peccatorum gravitate, multitudine, foeditate, amissione aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursu, cum proposito melioris vitae, est verus et utilis dolor, ac praeparat ad gratiam, non vero facit hominem magis hypocritam ac magis peccatorem; neque est dolor coactus, sed liber ac voluntarius . . . 403

Prop. II. Contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum Poenitentiae actu suscipiatur, non tamen sine sacramenti voto, quod in illa includitur . . 406

Prop. III. Ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum non est necessaria contritio caritate perfecta 409

pag.

CAPUT III. De confessione 411

Prop. I. Confessio sacramentalis omnium et singulorum peccatorum mortalium, quae post Baptismum commissa sunt, divinae institutionis est et necessaria ad salutem, quod primo ex sacris litteris evincitur 411

Prop. II. Eadem veritas ostenditur ex traditione 414

Prop. III. Nullum est peccatum, quod rite dispositis ab ecclesia virtute clavium remitti non possit 417

Prop. IV. Recta ac utilis est peccatorum venialium frequens confessio, et piorum usui consentanea 419

CAPUT IV. De satisfactione 421

Prop. I. Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo; sed plerumque, poena aeterna virtute clavium sublata, poena temporalis manet exsolvenda 421

Prop. II. Possunt et debent ministri Poenitentiae salutares et convenientes satisfactiones poenitentibus injungere . . 423

CAPUT V. De materia, forma et ministro sacramenti Poenitentiae 425

Prop. I. Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus judicialis, et non nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti 426

Prop. II. Soli sacerdotes sunt sacramenti Poenitentiae ministri 427

Prop. III. Ad valide absolvendum in sacramento Poenitentiae, praeter potestatem ordinis requiritur potestas jurisdictionis 429

Prop. IV. Episcopi jus habent reservandi sibi casus etiam in foro interno coram Deo; ideoque sacerdotes, qui extra mortis articulum nihil possunt in casibus reservatis, invalide prorsus ab iis poenitentes absolvunt 431

TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

Prooemium 433

Prop. I. Est in ecclesia potestas a Christo concessa conferendi indulgentias, earumque usus est christiano populo maxime salutaris 434

Prop. II. Indulgentiae hominem liberant a poenae reatu non solum coram ecclesia, sed etiam coram Deo 438

Prop. III. Datur in ecclesia indulgentiarum thesaurus constans ex meritis Christi et Sanctorum 441

Prop. IV. Indulgentiae applicari etiam possunt per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus 444

In Indulgentiarum doctrinam scholia 446

pag.

TRACTATUS DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Prooemium 449
CAPUT I. De veritate sacramenti extremae Unctionis . 450
Prop. Extrema Unctio est vere et propie sacramentum a Christo D. N. institutum, et a b. Jacobo apostolo promulgatum . 450
CAPUT II. In singulas sacramenti extremae Unctionis partes scholia 454

TRACTATUS DE ORDINE.

CAPUT I. De sacramenti Ordinis veritate 458
Prop. Ordo seu sacra Ordinatio est vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum 459
CAPUT II. De multiplici Ordinum numero et dignitate . 461
Prop. I. Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum a Christo Domino institutum, quod non est omnibus fidelibus commune, sed apostolorum proprium, externo ritu in ecclesia propagandum, cui competit veri sacramenti ratio 462
Prop. II. Praeter sacerdotium sunt in ecclesia catholica alii Ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur 467
In doctrinam capitis superioris scholia 470
CAPUT III. De episcoporum praestantia supra presbyteros 474
Prop. Episcopi sunt presbyteris superiores jure divino . . . 474
CAPUT IV. De sacrae Ordinationis materia, forma, subjecto et ministro 478
Prop. Episcopi habent potestatem ordinandi, quae non est illis cum presbyteris communis 481
CAPUT V. De caelibatu ecclesiastico seu de continentiae lege sacris ministris imposita 483
Prop. Continentiae lex sacris ministris imposita in antiquissima traditione fundamentum habet, eorumque statui convenientissima est 483

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Prooemium 491
CAPUT I. De Matrimonio in se spectato 492

pag.

Prop. Matrimonium est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum . 493

De materia, forma et ministro sacramenti Matrimonii 496

CAPUT II. De Matrimonii proprietatibus 499

Prop. I. Non licet christianis plures simul habere uxores, cum hoc sit lege divina prohibitum 500

Prop. II. Matrimonium ab infidelibus legitime contractum, dissolvi potest quoad vinculum, si, alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris . . . 502

Prop. III. Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum dirimitur . . 507

Prop. IV. Propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi non potest Matrimonii vinculum 508

Prop. V. Non errat ecclesia, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi 509

Prop. VI. Non errat ecclesia, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit 514

CAPUT III. De impedimentis Matrimonii eorumque statuendorum facultate 515

Prop. I. Potest ecclesia constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, neque in iis constituendis erravit 517

Prop. II. Ecclesiae nomine a tridentinis canonibus III et IV. non reges et saeculi principes, sed ecclesiasticus ordo et hierarchia designatur 518

Prop. III. Recensiti canones tridentini dogmatici sunt et fidei regulam constituunt 520

Prop. IV. Praefati tridentini canones non de adventitia ex tacito vel expresso principum consensu, sed de intima, originaria, ac propria ecclesiae potestate loquuntur . . . 523

Prop. V. Ecclesia sola jure proprio et originario potest constituere impedimenta Matrimonium quoad vinculum dirimentia 527

Prop. VI. Causae matrimoniales spectant ad judices ecclesiasticos et quidem causae ***omnes*** ad ***solos*** ecclesiasticos judices spectant 532

CAPUT IV. De Matrimoniis mixtis 534

Prop. I. Conjugia inter catholicos et acatholicos regulariter il-

pag.

licita sunt, utpote graviter improbata jure naturali et divino, atque jure ecclesiastico penitus interdicta . . . 535

Prop. II. Nonnisi rom. pontificis dispensatione licite iniri possunt conjugia mixta; graviter proinde peccant sacerdotes catholici, qui absque pontificia dispensatione, nec servatis conditionibus ab eo praescriptis, ejusmodi conjugia praesentia sua, benedictione, aliove ritu sacro cohonestant . 539

Prop. III. Non possunt acatholici, quin omnia laedant aequitatis jura, cogere sacerdotes catholicos ad honestandas benedictione aliove ritu sacro nuptias mixtas, quae, neglectis canonicis sanctionibus, contrahantur 542

…t this good can be, only as it approaches the supreme good of God
…en we infer that spiritual substances exist since they approach
…e good more closely. As the effect so more closely unto the cause
… it is similar to the cause so spirit is more like God. (28) Heat
… more like the sun than other gits effects &c.

Propagation proves evidently that man is one and the same species,
since it is possible to perpetuate the human family even by different
classes of man as Black and White whereas it is not possible in
other animals as for example. The mule which cannot propagate
its own species by natural historian. but
the offspring of Black and White can as we know.

Status naturae purae — Sex status three real and three
" Integrae — possible
" Elevatus (Justitiae originalis Bouvier)
" Lapsus —
" Reparatus per Christum —
" Non " " " —

God, by his Grace communicated to the creature of man formed
Adam in a pure state, but Adam fell. Now Christ took the
contrary way. He communicated his grace to the person not to nature
therefore the nature remains the same, but the person is helped.
Nature + person must be remembered — nostrâ
connectitur gratia cum naturâ Adae nunc personâ

Similia similibus Gaudent. Princip Physic
Physica docet viventia cuncta a viventibus ejusdem
speciei originem ducere. Ergo absurdum est systema
Rationalistarum. Vide 320 Vol 1st Perrone

There are four relations in God and only three persons

The intelligens begets the Logon and the actus voluntatis

The Intelligens and the Logon produces the Volitum.

The [illegible] is the intelligens the Son the Logos and the H. Gh. the Vol[itum]

God [illegible] cognoscit ab aeterno

Ergo Idea [illegible] est essentialis et aequalis to Him

Generatio est actus intellectus in similitudinem naturae ergo filius Dei est generatus.

Spirit Santus est processio et prointe immanens.

Passive and active are the same in God

the subject and object. (God cannot be a generation)

Conscientia connectur ad naturam referenda est. Ergo in Trinitate Est una Conscientia et una natura sed tres Persona.

Omnis generatio est productio sed non Vice Versa

The humanity of Christ has not of itself personality but exists by its hypostatic union with the Divinity.

see 2nd vol Per. page 67. No 6 & parag 276.

the Divinity of Christ did not require the humanity to constitute the person but our soul requires the humanity to constitute our person.

Essentia ingenita est sed Filius genitus ergo. he est [illegible]. Sed alter [illegible] est ad modum existendi non ad naturam ipsam id est essentiam, [illegible] filius est essentia sicut Pater et S. Santus

208.9
P 429

8989

AUTHOR PERRONE, Jno

Praelectiones Theol. Compend. I-II

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	W Patterson	
	[redacted]	

8989